Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/theologiamoralis0000edit

THEOLOGIA
MORALIS
PATRIS
EDMUNDI VOIT
SOCIETATIS JESU

EDITIO I ANCONITANA
JUXTA BASSANENSEM MDCCLXVI
CUM ACCESSIONIBUS

PARS PRIMA

DE ACTIBUS HUMANIS,
CONSCIENTIA, LEGIBUS, FIDE, SPE, AC CHARITATE,
PRAECEPTIS DEI ET ECCLESIAE

ST. IGNATIUS COLLEGE
LIBRARY
SAN FRANCISCO, CAL.
ALMA COLLEGE
239.02
LIBRARY
V878
Alma, California

ANCONAE
TYPIS PETRI AURELII
MDCCC XLI.



TYPOGRAPHI BASSANENSIS

AD LECTOREM

ADMONITIO

Theologia Moralis a Clariss. P. Edmundo Voit S. J. Sacrae Theologiae Doctore, atque in alma Universitate Herbipolensi ejusdem Professore publico et ordinario elucubrata Herbipoli primum prodiit anno 1750., et paucorum annorum intervallo quinquies ibidem recusa fuit. Tantus hujusmodi editionem tam brevi tempore in Germania peractarum numerus effecit, ut de illa typis etiam nostris proferenda cogitaremus. Quod jamdiu a nobis factum esset, nisi innotuisset doctissimum ejus auctorem de quibusdam additionibus ad illam faciendis meditari. Sed cum jam certo nobis significatum sit, eumdem gravissimis aliis curis occupatum consilium hoc penitus abjecisse, visum est non diutius editione tam eximii operis Italiam nostram fraudare. Quare illud praestantissimo cuidam Teologiae Moralis Professori expendendum tradidimus, eique provinciam dedimus, ut si quid illustratione dignum, aut ex auctoris mente adjiciendum duceret, nobis communicaret. Laudavit ille maxime et Theologiam ipsam, et

nostrum ejus recudendae consilium, misitque insuper plures accessiones hic illic eidem inserendas, ac praecipue exiguum Tractatum prodromum de Actibus Humanis, qui in nostro opere desiderabatur. Haec autem additamenta ut ab auctoris nostri textu dignoscerentur, curavimus ut commatibus margini appositis exprimerentur. Speramus fore, ut Italia nostra duplici ex capite nobis gratiam habeat, et quod egregium utilissimumque opus nos primum illi communicamus, et quod praeterea locupletissimis illustrationibus locupletandum curavimus. Vale.

THEOLOGIA

MORALIS

EX SOLIDIS PROBATORUM AUCTORUM PRINCIPIIS

ET VARIORUM CASUUM FICTORUM ET FACTORUM RESOLUTIONIBUS,
USITATO IN SCHOLIS ORDINE AC METHODO

AD COMMODIOREM USUM

IN ALMA UNIVERSITATE HERBIPOLENSI

CONCINNATA

A P. EDMUNDO VOIT

SOCIETATIS JESU

SS. THEOLOGIAE DOCTORE
EJUSDEMQUE PROFESSORE PUBLICO ET ORDINARIO

PARS PRIMA

PROOEMIUM

Theologia Moralis versatur circa actiones humanas, docendo quomodo eae debeant componi in ordine ad vitam Christianam: tradit principia recte judicandi de actuum humanorum (quos vocamus *casus conscientiae*) bonitate vel malitia ad directionem tum propriae, tum alterius conscientiae. Solet autem haec scientia latissime diffusa in duas partes dividi, quarum *prima* agit de regulis actuum humanorum, de peccatis in genere, de paeceptis Dei et Ecclesiae: *altera* de Sacramentis et censuris.

Ea quae magis speculativa videntur Theologiae scholasticae relinquo, inhaerens principiis practicis ad mentem probatorum auctorum; nec latum (ut ajunt) unguem de-

flectam a sensu orthodoxae Ecclesiae et Patrum decretisque Summorum Pontificum, quae ut continuo coram oculis versentur, huic opusculo Theologico propositiones ab *Alexandro VII.*, *Innocentio XI.* et *Alexandro VIII.* damnatas lubet praefigere, quas per decursum secundum numeros citare sufficiet, ne eaedem ad literam allegatae saepius recurrant: additur singulis propositionibus tum numerus romanus I. II. qui indicat partem primam et secundam; tum arabicus, qui indicat numerum marginalem, ubi agitur de propositione damnata.

PROPOSITIONES DAMNATAE

PROPOSITIONES XLV

AB ALEXANDRO VII

Per Decretum editum feria V. die 24. Septembris anno 1665. confixae.

1. Homo nullo unquam vitae suae tempore tenetur elicere actum fidei, spei et charitatis ex vi praeceptorum divinorum, ad eas virtutes pertinentium. I. 345. 400. 401.

2. Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat. I. 697.

3. Sententia asserens, Bullam Coenae solum proibere absolutionem haeresis et aliorum criminum quando publica sunt, et id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629. die 18. Julii in Concistorio S. Congr. Eminentiss. Card. visa et tolerata est. II. 1485. et 833.

4. Praelati Regulares possunt in foro conscientiae absolvere quoscunque saeculares ab haeresi occulta, et ab excommunicatione propter eam incursa. II. 833.

5. Quamvis evidenter tibi constet Petrum esse haereticum, non teneris denuntiare, si probare non possis. I. 370.

6. Confessarius, qui in sacramentali confessione tribuit poenitenti chartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur solicitasse in confessione, ac proinde non est denuntiandus. II. 883.

7. Modus evadendi obligationem denuntiandae solicitationi est, si solicitatus confiteatur eum solicitante, hic potest ipsum absolvere absque onere denuntiandi. II. 886.

8. Duplicatum stipendium potest sacerdos pro eadem Missa licite accipere: applicando petenti partem etiam specialissimam fructus celebranti correspondentem; idque post Decretum Urbani VIII. II. 427.

9. Post Decretum Urbani potest sacerdos, cui Missae celebrandae traduntur, per alium satisfacere, collocato illi minore stipendio, alia parte stipendii sibi retenta. II. 432.

10. Non est contra justitiam, pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, et sacrificium unum offerre; neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione etiam juramento firmata danti stipendium, quod pro nullo alio offeram. II. 435.

11. Peccata in confessione omissa seu oblita ob instans periculum vitae, aut ob aliam causam non tenemur in sequenti confessione exprimere. II. 577.

12. Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate. II. 845.

13. Satisfacit praecepto annuae confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo praesentato, sed ab eo injuste reprobato. II 613. et 748.

14. Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit praecepto Ecclesiae. II. 609. I. 196.

15. Poenitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius poenitentiam adimpleat. II. 640.

16. Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in confessarium simplicem sacerdotem, non approbatum ab Ordinario. II. 753.

17. Est licitum Religioso vel Clerico, calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit; uti suppetere non videtur si calumniator sit paratus vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni publice et coram gravissimis viris praedicta impingere, nisi occidatur. I. 678.

18. Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes ac etiam Judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare. I. 678.

19. Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam. I. 673.

20. Restitutio a Pio V imposita beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Judicis, eo quod sit poena. II. 1068.

21. Habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud beneficium ecclesiasticum, si studio literarum vacet, satisfacit suae obligationi, si officium per alium recitet. II. 1068.

22. Non est contra justitiam beneficia ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur. I. 494. sub fin. et 485.

23. Frangens jejunium Ecclesiae ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult se subjicere praecepto. I. 987.

24. Mollities, sodomia, et bestialitas sunt peccata ejusdem speciei: ideoque sufficit dicere in confessione, se procurasse pollutionem. I. 738.

25. Qui habuit copulam cum soluta satisfacit confessionis praecepto, dicens: Commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam. I. 738.

26. Quando litigantes habent pro se opiniones aeque probabiles, potest Judex pecuniam accipere proferenda sententia in favorem unius prae alio. I. 110.

27. Si liber sit alicujus junioris et moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet, rejectam esse a Sede Apostolica tanquam improbabilem. I. 94.

28. Populus non peccat etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a Principe promulgatam. I. 144.

PROPOSITIONES RELIQUAE

AB EODEM SUMMO PONTIFICE

ALEXANDRO VII

Per Decretum editum Feria V. die 18. Martii anno 1666. confixae.

29. In die jejunii qui saepius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium. I. 284. 992. et 1000.

30. Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare an labor sit compatibilis cum jejunio. I. 989.

31. Excusantur absolute a praecepto jejunii omnes illi qui iter agunt equitando, utcunque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, et etiamsi iter unius diei conficiant. I. 989.

32. Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova at lacticinia in Quadragesima obliget I. 994.

33. Restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quasdam eleemosynas, quas antea beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerit. II. 1068

34. In die Palmarum recitans Officium Paschale satisfacit praecepto. II. 1060.

35. Unico Officio potest quis satisfacere duplici praecepto pro die praesenti, et crastino. II. 1067.

36. Regulares possunt in foro conscientiae uti privilegiis suis, quae sunt expresse revocata per Concilium Trid. I. 265.

37. Indulgentiae concessae Regularibus, et revocatae a Paulo V hodie sunt revalidatae. II. 656.

38. Mandatum Tridentini factum sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali confitendi quamprimum, est consilium, non praeceptum. II. 271.

39. Illa particula *quamprimum* intelligitur, cum sacerdos suo tempore confitebitur. II. 271.

40. Est probabilis opinio quae dicit, esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem et sensualem quae ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris et pollutionis. I. 725. et 305.

41. Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si haec nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo, *regalo*, dum, deficiente illa, nimis aegre ageret vitam, et aliae epulae taedio magno concubinarium afficerent, et alia famula nimis difficile inveniretur. II. 742. et 438.

42. Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus. I. 921.

43. Annuum legatum pro anima relictum non durat plus quam per decem annos. I. 953.

44. Quoad forum conscientiae, reo correcto ejusque contumacia cessante, cessant censurae. II. 1407.

45. Libri prohibiti donec expurgentur possunt retineri, usque dum adhibita diligentia corrigantur. II. 1428.

PROPOSITIONES LXV

AB INNOCENTIO XI

Per Decretum editum Feria V. die 2. Martii anno 1679. confixae.

1. Non est illicitum, in Sacramentis conferendis, sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis aut Episcopalis. I. 86.

2. Probabiliter existimo, Judicem posse judicare juxta opinionem, etiam minus probabilem. I. 88.

3. Generatim dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca quantumvis tenui, modo probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus. I. 83.

4. Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili. I. 106.

5. An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus. I. 400.

6. Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare praeceptum charitatis erga Deum. I. 401.

7. Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, et non habemus aliam viam, qua justificari possimus. I. 401.

8. Comedere et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui. I. 328. et 329.

9. Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa, ac defectu veniali. II. 1207.

10. Non tenemur proximum diligere actu interno et formali. I. 700.

11. Praecepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos. I. 700.

12. Vix in saecularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui. I. 710.

13. Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, et de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere et desiderare, non quidem ex displicentia personae, sed ob aliquod temporale emolumentum. I. 715.

14. Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hereditas. I. 715. et 631.

15. Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hereditate consecutas. I. 715. et 631.

16. Fides non censetur cadere sub praeceptum speciale, et secundum se. I. 445.

17. Satis est actum fidei semel in vita elicere. I. 349.

18. Si a potestate publica quis interrogetur; fidem ingenue confiteri, ut Deo et fidei gloriosum consulo; tacere, ut peccaminosum per se non damno. I. 351. 361.

19. Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus, quam mercatur pondus rationum ad assensum impellentium. I. 345.

20. Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem. I. 345.

21. Assensus fidei supernaturalis, et utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis, imo cum formidine, qua quis formidat, ne non sit locutus Deus. I. 345. 348. et 107.

22. Non nisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita remuneratoris. I. 346.

23. Fides late dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo ad justificationem sufficit. I. 345.

24. Vocare Deum in testem mendacii levis, non est tanta irreverentia, propter quam velit aut possit damnare hominem. I. 526. 546.

25. Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis. I. 546.

26. Si quis vel solus vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocunque alio fine juret, se non fecisse, aliquid quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud quod non fecit, vel aliam viam ab ea in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum revera non mentitur, nec est perjurus. I. 536.

27. Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expedienda et studiosa. I. 536.

28. Qui mediante commendatione vel munere ad Magistratum vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali praestare juramentum quod de mandato Regis a similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum. I. 536.

29. Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administratione simulandi. I. 71.

30. Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter haec ignominia vitari nequit: idem quoque dicendum, si quis impingat alapam vel faste percutiat, et post impactam alapam vel ictum fustis fugiat. I. 678.

31. Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei. I. 678.

32. Non solum licitum est defendere defensione occisiva, quae actu possidemus, sed etiam ad quae jus inchoatum habemus et quae nos possessuros speramus. I. 676.

33. Licitum est tam heredi, quam legatario contra injuste impedientem, ne vel hereditas adeatur vel legata solvantur, se taliter defendere, sicut et jus habenti in Cathedram vel Praebendam contra eorum possessionem injuste impedientem. I. 676.

34. Licet procurare abortum ante animationem foetus, ne puella deprehensa gravida occidatur aut infametur. I. 668.

35. Videtur probabile, omnem foetum, quamdiu in utero est, carere anima rationali, et tunc primum incipere eandem habere, cum paritur: ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi. I. 670.

36. Permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi. I. 768.

37. Famuli et famulae domesticae possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario quod recipiunt. I. 809.

38. Non tenetur quis sub poena peccati mortalis restituere quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis. I. 804. et 781.

39. Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati. I. 775.

40. Contractus Mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem personae, et cum contractu retroventionis praevie inito cum intentione lucri. I. 923.

41. Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, et nullus sit qui non majoris faciat pecuniam praesentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, et eo titulo ab usura excusari. I. 922.

42. Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia et gratitudine debitum, sed solum si exigatur tanquam ex justitia debitum. I. 924.

43. Quidni non nisi veniale sit, detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere? I. 969.

44. Probabile est non peccare mortaliter qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam et honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia. I. 969. et 962.

45. Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali aut econtra. I. 486.

46. Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale, imo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris aestimetur, quam res spiritualis. I. 486.

47. Dum dixit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui, nisi quos digniores et Ecclesiae magis utiles ipsi digniores non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum sumpto comparativo pro positivo; vel secundo locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos, non vero dignos; vel tandem loquitur tertio quando fit concursus.

48 Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, et solum esse malam quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur. I. 737.

49. Mollities jure naturae prohibita non est. Unde si Deus eam non interdixisset, saepe esset bona, et aliquando obligatoria sub mortali. I. 749.

50. Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium, adeoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum. I. 746.

51. Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, et multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter si id faciat metu notabilis detrimenti, puta, ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur. I. 645. et seq. et 689.

52. Praeceptum servandi Festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus. I. 615 621.

53. Satisfacit praecepto Ecclesiae de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor simul a diversis celebrantibus audit. II. 471.

54. Qui non potest recitare Matutinum et Laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem. II. 1041. I. 241.

55. Praecepto Communionis annuae satisfit per sacrilegam Domini manducationem. II. 324. 368.

56. Frequens Confessio et Communio, etiam in his qui gentiliter vivunt, est nota praedestinationis. II. 385.

57. Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modo honestam. II. 495.

58. Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem. II. 730.

59. Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos ratione ma-

gni concursus poenitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnae alicujus Festivitatis, aut indulgentiae. II. 576.

60. Poenitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturae, aut Ecclesiae, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat, se dolere et proponere emendationem. II. 723. 324.

61. Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest et non vult omittere, quin imo directe et ex proposito quaerit aut ei se ingerit. II. 736. 324.

62. Proxima occasio peccandi non est fugienda quando causa aliqua utilis aut honesta non fugiendi occurrit. II. 737.

63. Licitum est quaerere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali vel temporali nostro vel proximi. II. 737.

64. Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, et etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium Sanctissimae Trinitatis, et Incarnationis Domini nostri Jesu Christi. I. 365. et 21.

65. Sufficit illa mysteria semel credidisse. I. 349.

DUAE PROPOSITIONES

AB ALEXANDRO VIII

Per Decretum editum die 24. Augusti
anno 1690. confixae.

1. Bonitas objectiva consistit in convenientia objecti cum natura rationali: formalis vero in conformatione actus cum regula morum. Ad hoc sufficit ut actus moralis tendat in Finem ultimum interpretative. *Hunc homo non tenetur amare, neque in decursu vitae suae mortalis.* I. 401. in fine.

2. Peccatum philosophicum seu morale est actus humanus, disconveniens naturae rationali et rectae rationi: theologicum vero et mortale est transgressio libera divinae legis. Philosophicum, quantumvis grave in illo qui Deum ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque aeterna poena dignum. I. 278.

PROPOSITIONES ALIAE XXXI

AB ALEXANDRO VIII

Per Decretum editum Feria V. die 7. Decemb.
anno 1690. confixae.

1. In statu naturae lapsae ad peccatum mortale et demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, et voluntate Adami peccantis. I. 280.

2. Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturae, haec in statu naturae lapsae operantem ex ipsa non excusat a peccato formali. I. 25. et 228.

3. Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam. I. 81.

4. Dedit semitipsum pro nobis oblationem Deo, non pro solis Electis, sed pro omnibus et solis Fidelibus. I. 346.

5. Pagani, Judaei, Haeretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt a Jesu Christo influxum; adeoque hic recte inferes, in illis esse voluntatem nudam et inermem, sine omni gratia sufficiente. I. 346. II. 97.

6. Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quam perniciosa est, sic ut proinde merito possimus petere: A gratia sufficiente *Libera nos, Domine.* II. 97.

7. Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio vel mundi: si Dei, charitas Patris est; si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est. II. 385.

8. Necesse est, infidelem in omni opere peccare. I. 374.

9. Revera peccat, qui odio habet peccatum, mere ob ejus turpitudinem

et disconvenientiam cum natura, sine ullo ad Deum offensum respectu. I. 279.

10. Intentio, qua quis detestatur malum, et prosequitur bonum mere ut coelestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens. I. 406.

11. Omne, quod non est ex fide christiana supernaturali, quae dilectionem operatur, peccatum est. I. 406.

12. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides: et etiamsi videatur credere, non est fides divina, sed humana. I. 374.

13. Quisquis etiam aeternae mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur. I. 406.

14. Timor gehennae non est supernaturalis. II. 495.

15. Attritio, quae gehennae et poenarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiae Dei propter se, non est bonus motus ac supernaturalis. II. 495.

16. Ordinem praemittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia aut institutio Ecclesiae, sed ipsa Christi lex et praescriptio, natura rei idipsum quodammodo dictante. II. 645.

17. Per illam praxim mox absolvendi ordo poenitentiae et inversus. II. 645.

18 Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti Poenitentiae, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, et multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu. II. 645.

19. Homo debet agere tota vita poenitentiam pro peccato originali. II. 122. 536.

20. Confessiones apud Religiosos factae pleraeque vel sacrilegae sunt, vel invalidae. II. 613.

21. Parochianus potest suspicari de Mendicantibus, qui eleemosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi et incongrua poenitentia seu satisfactione, ob quaestum seu lucrum subsidii temporalis. II. 613.

22. Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendam praetendunt, antequam condignam de delictis suis poenitentiam egerint. II. 358.

23. Similiter arcendi sunt a sacra Communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, et omnis mixtionis expers. II. 386.

24. Oblatio in templo, quae fiebat a B. Virgine Maria in die Purificationis suae per duos pullos columbarum, unum in holocaustum, et alterum pro peccatis, sufficienter testatur, quod indiguerit purificatione, et quod Filius, qui offerebatur, etiam macula Matris maculatus esset secundum verba legis. I. 276.

25. Dei Patris simulacrum nefas est Christiano in templo collocare. I. 412.

26. Laus, quae defertur Mariae ut Mariae, vana est. I. 412.

27. Valuit aliquando Baptismum sub hac formula collatus: *In nomine Patris* etc. praetermissis illis: *Ego te baptizo* etc. II. 131.

28. Valet Baptismus collatus a Ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: *Non intendo, quod facit Ecclesia.* II. 168. et 57.

29. Futilis et toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium OEcumenicum auctoritate, atque in fidei quaestionibus decernendis infallibilitate. I. 95.

30. Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere, et docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam. I. 95.

31. Bulla Urbani VIII *In Eminenti*, est subreptitia.

Adverte: In hac Bulla Urbani VIII edita anno 1641, confirmatur Constitutiones Pii V et Gregorii XIII quibus damnatur quadraginta novem Baji propositiones: in eadem iterum prohibetur liber Cornelii Jansennii, cui titulus: *Augustinus*. Hanc Bullam Bajani et Jansenistae dixerunt esse subreptitiam, tanquam editam a Pontifice veritatis ignaro; cum tamen Pontifex in ea asserat, *ex matura ac deligenti ejusdem libri, cui titulus*, Augustinus, *lectione* compertum esse, in eodem libro multas Baji propositiones proscriptas contineri. *Viva* in hanc propositionem.

TRACTATUS PRODROMUS

DE ACTIBUS HUMANIS

CAPUT I. *De Natura Actuum humanorum.*

» 1. Quaer. Quid sit actus humanus.

» R. Est ille qui procedit a voluntate cum rationis advertentia et libertate.

» Dicitur 1. *Qui procedit a voluntate:* sive immediate, ut amor, odium, » etc., et tunc dicitur *actus elicitus;* sive mediate, ut meditatio, ambula- » tio etc. et tunc dicitur *actus imperatus*, quatenus ex imperio voluntatis » elicitur ab alia potentia, nimirum meditatio ab intellectu, et deambu- » latio a potentia motrice.

» Dicitur 2. *Cum rationis advertentia et libertate:* per quod distinguitur » ab *actione hominis*, quae naturaliter procedit ab homine absque rationis » advertentia et libertate. Ut adeo talem actum vel ingrediantur, vel co- » mitentur quinque praedicata, hoc tractatu accuratius consideranda: vo- » luntarietas, libertas, moralitas, meritum et supernaturalitas.

» *Corollarium:* Non potest dari actus humanus expers omnis moralitatis; » cum enim dari nequeat *peccatum philosophicum*, consequens est non pos- » se aliquid explicite cognosci conforme, vel difforme rationi ac creaturae » rationali, quin implicite cognoscatur etiam conforme vel difforme legi Dei, » quae est regula moralis, directiva rationis et naturae rationalis. V. Viva » in prop. 2. ab Alex. VIII damn.

» 2. Q. 2. Quae actuum humanorum oeconomia.

» R. Octo enumerantur actus, quorum tres circa *finem*, amor, intentio, » fruitio: quinque circa *media* versantur, scilicet consultatio, electio, con- » sensus, imperium, usus. *Amor* est actus quo bonum simpliciter appetitur, » abstrahitque ab illius praesentia et absentia. *Intentio* efficax, seu quod » idem, desiderium efficax est volitio finis, aut boni absentis, cum ordine ad » media quibus obtineatur. *Fruitio* est delectatio et quies in fine ut jam pos- » sesso. His opponuntur *odium*, quod est aversio a malo, ut in se simpli- » citer spectato: *Fuga*, quae est efficax nolitio mali in ordine ad illud de- » clinandum: *Tristitia*, seu dolor, quae est vitalis inquietudo voluntatis » in malo praesente.

» *Consultatio* est actus intellectus, quo in media idonea inquiritur cum » comparatione inter eorum aptitudinem. *Consensus* est simplex complacentia » approbativa medii propositi. *Electio* est actus voluntatis unum medium » prae alio assumentis. *Imperium* est actus rationis practicae praecipientis sibi » executionem mediorum electorum; et cum juxta P. Viva in hoc actu duo » reperiantur; intimare quid faciendum, et ordinare ut fiat; exigit hic » actus exercitium tam intellectus, quam voluntatis. Ultimo *Usus* tum acti- » vus quo voluntas applicat potentiam executivam ad exequendum impe- » rium, tum passivus qui est ipsa operatio potentiae executivae per vo- » luntatem applicatae, complet ordinem mediorum.

» Paradigma hujus oeconomiae datur in homine appetente conversionem, » ingressum religionis, aut sanitatem. *Amor* simplici affectu complacet sibi » in corporis valetudine: *intentio* efficaciter illam appetit per media ali- » qua in confuso: *consultatio* deliberat de mediis: *consensus* approbat e. g. » inediam prae aliis: *electio* illam assumit: *imperium* imperat potentiae il- » lam exequenti: haec potentia per *usum* eandem servat: *fruitio* obtenta » valetudine delectatur et quiescit.

» 3. Q. 3. Quae actuum humanorum firmitas.

» R. Firmitas actus *valor* nuncupatur ab actus licentia distinatus: *licite* » namque fieri actum dicimus, quando ita actus ponitur, ut circa illum » observentur leges latae, circumstantiae debitae loci, temporis et modi » quas legislator jure exigit; *Valide* autem fit, quando ita ponitur, ut omnes » causae ad illius substantiam requisitae adsint, qui valor locum dunta- » xat habet in quinque actuum generibus, videlicet judiciis, contractibus, » sacramentis, votis, et juramentis.

» Praeterea geminam *infirmitatem* valori oppositam auctores observant, » unam *omnimodam*, qua actus ipso jam sui initio est invalidus, nullos, » carens robore, quod contingit, cum deest aliquid, quod tanquam sub- » stantiale requirit vel *jus naturae*, e. g. contractus initus a persona usu » rationis destituta, aut circa materiam impossibilem physice, aut mora- » liter, seu intrinsece peccaminosam: vel *jus humanum*, e. g. si hoc inha- » bilitet personam ad efficiendum ejusmodi actum, veluti pupillum, pro- » digum etc. si pro forma actus requirat aliquas conditiones, veluti pro » alienatione rerum ecclesiasticarum quasdam solemnitates etc. si actum » ipsum directe annullat dicendo: *Est irritus, pro infecto habeatur etc.*, » sive postea accedere debeat declaratio judicis, sive non.

» Alteram *non omnimodam*, qua actus initio valet, sed irritari potest vel » per *sententiam rescissoriam* judicis. e. g. si alteruter contrahentium est » laesus ultra dimidium etc., vel per actum alterius habentis *potestatem do-* » *minativam* in alium, e. g. si pater annullat vota filii impuberis. Dices: igi- » tur actus invalidus erit etiam illicitus, cum sit contra legem. Resp. Hoc ali- » quando esse verum, quando invalidatur ut noxius, et bonis moribus oppo- » situs: seu quando est contra legem irritantem, et prohibentem simul. Vide » peculiariter pro hoc tractatu P. Sim. Karchne *Dissertationes de actibus* » *humanis*; P. Dom. Viva *Opuscula Theologico-Moralia op.* 1.

CAPUT II. *De voluntarietate Actuum humanorum*

» 4. Quaer. 1. Quid et quotuplex voluntarium.

» R. Communiter juxta mentem d. Thomae et Aristotelis quoad substantiam » definitur voluntarium: *Quod provenit ab intrinseco cum cognitione.* Duo » itaque exigit essentia physica voluntarietatis; 1. ut sit ab intrinseco, hoc » est voluntate. 2. Ut praecat cognitio eorum, secundum quae actus dicitur » voluntarius, v. g. si quis invito tibi manum arripiat, et delcat laceretve » chirographum; si explodat sclopum in veprem, ubi latere feram credit, » cum sit homo, nec illa lacceratio, nec istud homicidium erit voluntarium, » licet voluntaria hic sit occisio viventis simpliciter.

» Prima divisio fit in *voluntarium simpliciter*, idque mixtum aut purum, et » *voluntarium secundum quid:* illud est, quod est juxta voluntatem hominis » absolutam et efficacem: si detur in contrariam conditionata et efficax nol- » leitas, appellatur *mixtum*, seu *voluntarium simpliciter, et involuntarium* » *secundum quid*, prout contingit in mercatore projiciente merces suas in ma- » re ad salvandam vitam etc.: si nulla detur hujusmodi actualis nolleitas, di- » citor *voluntarium purum*, quale habet peccator ex metu gehennae serio poe- » nitens etc. *Voluntarium secundum quid* est, quod est juxta voluntatem ho- » minis conditionatam et inefficacem, licet hic et nunc adsit nolitio prae- » valens, e. g. lusor libenter produceret lusum, nisi urgeret tempus Sacri.

» 5. Q. 2. Quid voluntarium indirectum.

» R. Quod est a voluntate, sed non positive id appetente, aut in id influen- » te. *Declaratur.* Potest quid esse voluntarium *in se*, in quod voluntas suo » actu directe tendit, et hac de causa *voluntarium directum* nuncupatur: » v.g. homo inquieti ingenii appetit ebrietatem, et rixas simul ex hac praevisas. » Potest esse voluntarium *in alio*, in quod voluntas non tendit explicite, de-

» terminate etc. quamvis tendat in aliud, ex quo intellectus praevidet, hoc » esse secuturum, e. g. si rixas determinate non appetat, modo appetat » ebrietatem, ex qua praevidet rixas, jam indirecte censetur etiam rixas » velle, quod appellatur *voluntarium in causa*, si medium ad hunc effectum est actio positiva, et *voluntarium indirectum*, si praedictum medium sit quid negativum, vera omissio actionis, e. g. si pater familias » possit impedire has rixas, omittat tamen impedire.

» *Corollarium.* Ut effectus ex omissione mea secuturus, atque ipsa haec » omissio mihi sint voluntaria, duo necessaria sunt, 1. ut praevideantur; » 2. ut in mea potestate sit, illos impedire, e. gr. explodenti sclopetum, » et non praevidenti subortum inde incendium, hoc illi neutiquam est » voluntarium; nec mors aegroti est medico voluntaria, si nulla arte curari jam praevalens morbus possit.

» 6. Q. 3. An voluntarium in alio semper sit volenti imputabile.

» R. Non semper esse moraliter illi imputabile ad culpam: certe Deus voluntarie non impedit, sed permittit peccatum hominis, quin hoc illi sit imputandum. Ut ergo effectus ex causa secutus vel non impeditus sit mihi culpabilis, praeter *praevisionem*, saltem confusam effectus inde secuturi, praeter *potentiam impediendi*, requiritur etiam *obligatio impediendi*: quod, quam omnibus certum, tam difficile est determinare, quandonam praevidens obligetur ad impediendum. Qua in re praeplacet opinio Recentioris: » *Tunc effectus malus secuturus est imputabilis ponenti causam aut omissionem, quando causa vel omissio haec est prohibita, et quidem ideo, ne ex illa sequatur ejusmodi effectus.* Vel aliter: Voluntarium in alio est volenti » imputandum, quando est effectus *per se* ex natura sua secuturus ex causa » aut omissione, vel si *per accidens* solum sequatur, quando datur lex prohibens effectum hunc specialiter ut dependentem ab hac causa aut omissione. » Haec vero culpa imputabilis erit eo major vel minor, quo pejor est effectus, et potentior allicentia causae ad talem effectum.

» *Corollarium:* 1. Pollutio secuta in chirurgo ex inspectione aegroti, vel » in confessario ex auditione confessionis, si voluntas eam non approbet, » non est culpabilis, siquidem causa non est prohibita.

» 2. Pollutio nocturna secuta ex comestione carnis die jejunii, ebrietate etc. si voluntas eam non amplectatur, non imputatur comedenti etc., » quia causa, licet prohibita in se, tamen non est prohibita ideo, ne sequatur in dormiente pollutio.

» 3. Motus obscoeni ex imagine indecenti obiter per curiositatem aspecta orti non censentur moraliter peccaminosi, quia aspectus ejusmodi » non est causa vehementer alliciens ordinarie.

» 4. Lapsus aut relapsus proximi ex malo tuo exemplo, aut omissione » culpabili correctionis fraternae est tibi imputabilis pro gravitate lapsus; » et ex liberiori aspectu partium inhonestarum alterius sexus secuta pollutio etc. quandoquidem causa est graviter prohibita, et quidem ideo, » ne sequatur talis effectus.

» *Dices.* Ergo voluntarium in causa sufficiet pariter ad meritum, sicut » ad demeritum. R. N. plus requiritur ad bonum, quam ad malum; ... » quia bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu. De quo infra.

» 7. Q. 4. An detur pura omissio libera.

» R. *Sub distinctione.* Potest dari pura absque omni actu voluntatis *directe* » in illam tendente, e. g. omissio Sacri est Cajo libera, quamvis positive secum » non intendat: *Volo omittere sacrum*, dummodo praevideat illam ex luxu secuturam. 2. An autem dari possit absque omni actu voluntatis *indirecte* illam attingente, quo causam omissionis attingat vel motivum ad omissionem » impellens amplectendo, vel ab ea absterrens repellendo, est lis mere speculativa. Illud certum est, omissionem actus esse honestam vel inhone-

» stam, si motivum omittendi est honestum aut inhonestum; e. g. omissio » eleemosynae ex avaritia.

» 8. Q. 5. Quandonam taciturnitas habeat vim consensus.

» R. In quatuor circumstantiis *qui tacet, consentire videtur*. 1. In *obligatione prohibendi;* cum superior vi officii deberet et facile posset dissenti- » re, nec dissentit. 2. In *acceptatione favoris;* quivis enim censetur consentire in commodum suum, nisi positive excipiat: aliter utique in incommodis. 3. In *consensione et comparatione plurium;* quando in senatu, capitulo, judiciis pars videt agi inique, aut quando in judicium vocatus, ex objectis sibi duobus criminibus unum negat, alterum silentio praeterit. » 4. In *speciali juris dispositione*, v. g. si filia taceat in sponsalibus a parente contractis.

» *Dices.* Igitur etiam sufficit consensus mere *praesumptus*, aut ratihabitio » *de futuro* tantum, qua agens cogitat: consentiet superior, si rogaretur. » Resp. Quando agitur de valore actus, e. g. in jurisdictione confessarii, » dispensatione Papae ad matrimonium, deputatione sacerdotis ad assistendum matrimonio loco parochi etc. N. extra casum valoris C.

CAPUT III. *De Libertate Actuum humanorum.*

» 9. Quaer. 1. Quid et quotuplex liberum.

R. Libertas in genere est immunitas a servitute et subjectione; quoniam » vero quinque modis potest homo esse subjectus, quintuplex enumeratur » libertas; videlicet *a lege* juxta illud: libertas est in possessione contra » legem dubiam: *a peccato;* qui enim peccat est servus peccati. Rom. 6. » *a poena* vel miseria; *a violentia* seu coactione, et *necessitate* seu determinatione ad unum independenter ab exercitio liberi hominis arbitrii orta, quae libertas indifferentiae dicitur.

» 10. Q. 2. Quae natura liberi arbitrii.

» R. Ex Bellarmino tom. 3. Controv. l. 3. Liberum Arbitrium est potestas » libera, intelligenti naturae superaddita, eligendi medium aliquod ad finem » praefixum propter gloriam Dei. Hoc arbitrium *in actu primo* est ipsa potentia voluntatis, ut directa a ratione tanquam a radice sua; *in actu secundu* » autem est electio voluntatis praesupponens praevium judicium rationis; vera porro et essentialis *arbitrii libertas* est libertas a necessitate, seu in- » differentiae, quae ex praevia deliberatione pro libitu eligit agere vel non » agere vel agere oppositum, definiturque: *Potentia quae positis omnibus ad* » *agendum requisitis potest agere, vel non agere.* Quanquam hanc definitionem Billuart tom. 4. diss. 2. a. 1. sub alia explicatione admittat, quam » Henno, tentans principia Thomistica cum Scotistis conciliare: patent dicta » partim ex Trid. sess. 16. passim, partim ex damnatione prop. Baii etc.

» *Coroll.* 1. Rejicitur opinio requirens ad rationem liberi arbitrii solam im- » munitatem a coactione, aut *spontaneitatem cum debita advertentia*, quae » dicit duntaxat voluntarium juxta inclinationem, licet cum necessitate con- » junctum: quam opinionem teste Billuart docuit *Henricus a s. Ignatio, Vincentius Lenis seu Fromondus*, et potissimum *Jansenius*, cujus hoc est » systema: 1. quidquid homo agit, agit ex delectatione antecedente omnem » actum voluntatis: 2. quod fit ex delectatione, fit libere, quamvis inimpe- » dibili necessitate fiat; 3. haec delectatio vel terrena est ex motu concupi- » scentiae ad peccatum, vel coelestis ex gratia medicinali Christi ad justi- » tiam; 4. illa ex delectationibus his praevalet, quae est intensive major, » quemadmodum evenit in ponderibus bilanci impositis etc. quod fovet » manichaeismum et fatalismum.

» 2. Rejicitur opinio, quae admittit solam libertatem *quoad exercitium*, qua » homo potest aliquam actionem ponere vel non, quamvis detur necessitas

» *quoad specificationem*, qua debeat tamen alium actum ex eadem linea ma
» li ponere, e. g. loco odii Dei blasphemiam, loco fornicationis adulterium
» etc. quasi judex reo diceret: suspende te ex hac vel illa arbore, prout
» lubet, sed suspende te tamen etc.

» 3. Rejicitur denique definitio illa libertatis: *Facultas eligendi ex plu*
» *ribus possibilibus id quod magis placet ex sufficienti ratione objectiva*,
» vi cujus mediata solum voluntati electio tribuitur; per imperium nempe
» suum applicando intellectum ad consultandum etc. id quod locum ha-
» bere nequit tunc, quando homini subito oboritur judicium suadens, e. g.
» maturationem poenitentiae etc.

» 11. Q. 3. Quae libertas necessaria ad merendum.

» R. Libertas indifferentiae, quippe Innoc. X damnavit prop. Jansenii: *Ad*
» *merendum et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in ho-*
» *mine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.* Et jam prius
» Pius V et Gregorius XIII hanc Baii: *Homo peccat etiam damnabiliter in*
» *eo, quod necessario facit.* Certe sicut liberum arbitrium debet necessario
» habere dominium in suos actus, ita meritum debet necessario esse in no-
» stra potestate, quod ceu pretium quoddam praemii dari ab homine vel
» non dari queat; et demeritum debet esse actus ejusmodi, ob quem re-
» dargui merito ad culpam agens possit; utique, quod inepte lex statuatur
» ad id quod quis agere per se compellitur. Sermo autem hic est de actu
» *formaliter libero*, qualis est solus actus voluntatis, non de *denominative*
» *libero*, quales sunt actus intellectus et aliarum potentiarum, qui deno-
» minantur liberi ob imperium voluntatis, suntque proprie materia con-
» fessionis et legis prohibentis.

» *Corollarium* 1. Non raro confundantur voluntarium, spontaneum, et
» liberum, sed neutiquam secundum rigorem scholasticum; nam latius pa-
» tet *voluntarium* quam *liberum*, eo quod omne liberum sit voluntarium,
» sed non vicissim, ut palam est in amore beatifico. *Spontaneum* concer-
» nit appetitum, tum sensitivum, tum rationalem, *liberum* vero solum
» appetitum rationalem etc.

» Equidem quoad actus humanos perinde est, actum dici violentum, coa-
» ctum, et positive involuntarium, nihilominus ex rigore *violentum* est oppo-
» situm appetitui innato, qui competit rebus quoque inanimatis, e. g. lapidi
» sursum projecto; *coactum* appetitui sensitivo et spontaneo, qui brutis con-
» venit; *positive involuntarium* appetitui tantum rationali, qualis in homine
» datur, sicut *necessarium* opponitur libertati indifferentiae. Quare voluntā-
» rium non convenit *univoce* bruto et homini, quod Billuart asserit.

» 3. Tametsi ad essentiam arbitrii, et rationem meriti, in genere loquen-
» do, non sit necessaria *libertas contrarietatis* ad duo contraria malum et
» bonum, qualis nec in Christo fuit etc. sed sufficiat *libertas contradictionis*
» ad duo contradictoria, ad bonum vel omissionem boni, ad malum vel
» negationem mali; necessaria tamen est utraque ad libertatem puri via-
» toris in natura lapsa ex mente Ecclesiae; neque sufficit sola *libertas*
» *exercitii* cum necessitate *specificationis* superius declarata, siquidem in
» hac ne quidem datur simpliciter libertas contradictionis, cum homo non
» possit simpliciter omittere peccatum.

CAPUT IV. *De contrariis voluntario et libero.*

» 12. Quaer. 1. Quae opponantur voluntario et libero.

» R. Ex parte intellectus opponitur *ignorantia*, quae est privatio notitiae
» debitae, et *error*, qui privationi hujus notitiae superaddit opinionem quam-
» dam veritati difformem. Ex parte voluntatis opponitur *vis*, quae a jurisconsulto dicitur: *Majoris rei impetus, qui repelli non potest per resisten-*

» *tiam passi*, sive hoc interius consentiat voluntate, sive non; et *concupi-*
» *scentia*, per quam intelligitur motus seu passio appetitus sensitivi prose-
» quentis bonum, sicut metus refugit malum. Ex quo desumitur, aliquam
» *vim absolutam* dici, in qua datur actio impetum inferens ab extrinseco, et
» ab intrinseco passi positiva renitentia simpliciter: aliquam *conditionatam*,
» in qua causae malum inferenti accedit interna volitio actus, ad malum hoc
» evitandum elicita, utique non elicienda si mali causa abfuisset; talis est
» metus, in quo *semper* reperitur ratio simul boni, quod intenditur, et mali
» quod subitur, et *saepe* affectus inefficax volitioni actus contrarius, non ta-
» men semper, ut in attritione seria etc. *voluntati* tamen quoad actus im-
» mediate ab ea elicitos nulla inferri violentia potest, sicut potest aliis
» potentiis quoad actus a voluntate imperatos.

» 13. Q. 2. Quomodo opponatur ignorantia.

» R. Juxta triplex genus ignorantiae. 1. Ignorantia *antecedens et invincibi-*
» *lis*, quae praecedit advertentiam rationis, estque causa actus, ac talis ut
» superari nequeat, vel ob impotentiam acquirendi debitam notitiam, vel
» quia operanti non venit in mentem dubitare aut magis inquirere; tollit vo-
» luntarium et liberum simpliciter ex parte circumstantiae ignoratae, e. g.
» ignorans esse diem jejunii etc. Ratio: e. gr. comestio carnis non proce-
» dit a voluntate sub ratione prohibitionis ignoratae, immo relinquit af-
» fectum contrarium actui, quia ignorans non egisset, si scivisset.

» 2. Ignorantia *consequens et vincibilis*, quae sequitur advertentiam ra-
» tionis, ingerentis quamdam dubitationem, et vinci potuisset ac debuisset,
» relinquit, aut facit voluntarium simpliciter. Ratio. Ignorantia est sim-
» pliciter voluntaria; igitur et actus qui ex illa procedit: etsi autem haec
» ignorantia non excuset a *toto* peccato, excusat nihilominus a *tanto*, id
» est, ordinarie minuit gravitatem peccati.

» 3. Ignorantia *concomitans*, quae comitatur actum ea ratione, ut nec
» sit causa movens ad actum, nec absterrens ab actu; cum homo ita de-
» terminatus ponatur, ut tamen ageret, licet sciret circumstantiam, e. g.
» non feram, ut credit, sed inimicum suum latere sub dumeto etc. haec,
» inquam, ignorantia nec causat voluntarium, nec involuntarium positi-
» ve: *ratio:* haec ignorantia nec est expresse volita, nec rejecta, immo
» ne cognita quidem. *V. libellum etc. Claud. frere.*

» 14. Porro ignorantiam vincibilem dividunt in *directe voluntariam seu*
» *affectatam*, qua studiose quaeritur, ut liberius sine conscientiae remorsu
» agi queat, et in *voluntaria indirecte*, quae solum admittitur per negli-
» gentiam in inquirendo; ut adeo juxta Bonacinam, Palao, etc. *tres gradus*
» *moralis ignorantiae* distingui debeant: prima est *simpliciter gravis*, quae
» pro materiae gravitate nimis modicam in indaganda notitia diligentiam
» adhibet; secunda *crassa aut supina*, quae nullam omnino diligentiam im-
» pendit; tertia pessima *affectata*, quae intendit etiam privationem notitiae.

» *Dices.* Ponamus Titium *interpretative* ita constitutum, ut, si scivisset,
» latere ibi inimicum suum, quem feram putabat, tamen, imo avidius explo-
» surus fuisset sclopetum; ignorantia illum non excusat a peccato homi-
» cidii, idem est si *consuetudinarius* veniret in hanc vel illam occasionem,
» praevidereturque a Deo lapsurus etc. R. *N. illat:* si nunquam *actua-*
» *liter* Titius talem animum habuit: Deus quippe non imputat actum,
» quem solum homo habuisset in aliis circumstantiis.

» 15. Q. 3. Quae vis causet involuntarium.

» R. 1. Vis absoluta, seu violentia, e. g. si violenter arripiatur manus ad
» immolandum idolo: idcirco de foemina, quae vi ad impudica compellitur,
» procedit dictum s. Luciae: *Non inquinatur corpus, nisi de consensu men-*
» *tis; si invitam jusseris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam.*
» Ratio est, quia violentum non procedit ab intrinseco.

» R. 2. Vis conditionata seu metus non tollit liberum quoad substantiam, » nec inducit involuntarium simpliciter, sed tantum secundum quid; sive cau- » sat mixtum ex voluntario et voluntario, ita ut tamen plus relinquat de vo- » luntario; ut ait s. Thom. hic a. 6. Ratio est, quia actus ex metu factus pro- cedit ab intrinseca voluntate.

» Est autem metus juxta Ulpianum *L. ait Praetor. 1. ff. quod metus causa:* » *mentis trepidatio instantis, vel mox futuri periculi causa*, quae 4. gradus » habet: nam alius metus est *absolute gravis*, ubi datur gravis periculi pro- » pinqua instantia, et cadit in virum constantem, c. g. si imminet mors, mu- » tilatio, jactura famae et bonorum etc.: alius *respective gravis*, qui non re- » spicit solam rationem mali absoluti, sed etiam conditionem personae, c. g. » foeminae, pueri, senis, qui rationabiliter etiam levioribus malis graviter » percelluntur: alius *levis*, ubi datur aut levis periculi, aut gravis quidem, » sed remota solum intentatio: alius denique *reverentialis*, qui oritur a per- » sona, cui metuens peculiarem debet reverentiam, c. g. filius patri, uxor » marito, subditus superiori, cliens patrono etc., qui modo ad gravem, modo » ad levem, pro qualitate mali refertur.

» *Coroll.* Metus gravis relinquit libertatem sufficientem ad peccandum, aut » sacramentum valide suscipiendum; secundum modernos tamen metus gravis » injustus, directe incussus, annullat contractus, juramenta, vota et actus » illos qui inducunt novam obligationem, de quo alias.

» 16. Q. 4. An concupiscentia causet involuntarium.

» *Nota*: Concupiscentia hic generatim sumitur pro actu cujuscumque passio- » nis vehementis, rationem valde turbantis, qualis est tristitia, ira etc. cujus » actus possunt antevetere omnino rationis usum, et dicuntur *motus primo* » *primi*, vel possunt illum valde impedire, ut aliquod dumtaxat rationi lu- » men relinquant, et appellantur *secundo primi*; vel relinquunt sufficiens de- » liberationi spatium, et tunc vocantur *secundi*.

» R. 1. Concupiscentia sumpta pro appetitione boni delectabilis *auget volun-* » *tarium*. S. Th. 1. 2. q. 6. a. 7. ad 2· quia actus ita positus, fit magis ab in- » trinseco; cum fiat juxta inclinationem.

» 2. *Minuit* tamen, et quandoque penitus tollit liberum; quia minuit indiffe- » rentiam voluntatis, et advertentiam praecedentem volitioni liberae. *Patet*, » quod quandoque rationem omnis peccati tollat prorumpens ira; quandoque » faciat solum venialiter peccaminosum actum blasphemiae: quandoque tan- » tum intra lineam peccati gravis, minuat culpam desperationis.

» *Dices:* ergo *consuetudo* peccandi inveterata tollet pariter rationem pec- » cati, quia tandem transit in naturam, et causat motus primo primos. R. N. » *illat.*: tum quia est *imputabilis in causa*; tum, ut advertit *Gobat*, sicut » habitus in peragenda officii sui functione non tollit advertentiam, sed eandem » *facilitat* tantum, et celeriorem reddit; ita non raro consuetudo peccandi » nihilominus pro ratione nullius vel levis advertentiae etc. erit nullum vel » leve peccatum.

CAPUT V. *De Moralitate Actum humanorum ex objecto et fine.*

» Ex tribus capitibus petitur potissimum bonitas et malitia actuum; nempe » ex *objecto, et circumstantiis, et fine.* Ad bonitatem actus requiritur, ut tria » illa bona sint; ad malitiam sufficit, si unum ex illis sit malum, juxta illud » Dionisii de div. Nom. *Bonum est ex integra causa, malum ex singulis defe-* » *ctibus*. 2. Licet philosophi distinguant causam moralem, *quae movet, quia* » *est* a fine, *qui movet ut sit:* saepe tamen apud Moralistas hae duae causae » confunduntur, et una voce *causa inductiva*, quae ad actum principaliter » induxit, appellantur.

» 17. Q. Quomodo bonitas et malitia petantur ab objecto.

» R. Ut actus dicatur *materialiter seu objective* bonus requiritur, ut habeat objectum conforme primae regulae honestatis; ut autem etiam sit *formaliter et subjective* bonus requiritur, ut advertatur insuper objectum esse conforme primae regulae honestatis; seu actum et objectum illius esse hic et nunc conforme voluntati divinae, praescindendo jam, an sit conforme *positive* vel solum *negative*, non difforme; *Ratio*; actus omnis specificatur a suo objecto; ergo et moralis, saltem materialiter.

» *Coroll.* 1. Ergo potest actus esse objective malus, e. g. voluntas mentiendi casu, quo quis putat mendacium hic et nunc esse licitum, et Deo gratum etc.; et formaliter bonus, quia actus sumit malitiam suam formalem ab objecto, non prout est in se, sed prout est in mente operantis.

» 2. Si actus voluntatis habet pro objecto actum externum virtutis moralis, vel huic oppositum, e. g. voluntas dandi eleemosynam etc. desumit manifeste ab hoc suam bonitatem etc.; si vero habeat pro objecto aliquid distinctum ab actu hominis, e. g. Deum etc. ut bonus sit necessarium est ut feratur in hoc objecti bonum, et quidem modo proportionato qualitati objecti, e. g. ut feratur in Deum modo prosecutivo amoris, non aversivo fugae etc.

» 18. Q. 2. Ut actus sit positive bonus, quid requiratur.

» R. Ut actus virtutis moralis sit positive bonus, requiritur ut habeat objectum honestum, seu conforme primae regulae honestatis saltem putativae, 2. ut illud amplectatur propter honestatem, hancque saltem confuse, et in actu exercitu intendat tanquam finem, seu motivum. Ita s. Thom. q. 19. a. 7. ad 3. s. Augustinus in psal. 31. Anselmus, theologi communiter cum Aristotele Eth. 4. c. 2. Commune est omnibus virtutibus, ut actus, earum fiant honestatis causa. Certe motivum voluntatis est bonum vel utile, vel delectabile, vel honestum: ergo cum priora duo non possunt refundere bonitatem honestatis in actum, debet hic illam desumere ex bono honesto: ergo hoc debet derivari per positivam illius prosecutionem et appetentiam.

» *Dices*: vix contingit, ut honeste agens *positive* agat propter honestatem. 2. Sufficit *interpretative* ampleti malitiam ad actum malum: ergo et sic bonitatem ad actum bonum; *contrariorum eadem est ratio.* Sed resp. ad 1. communiter exercite fit, licet rarius signate et reflexe, quod non requiritur: *ad* 2. C. A. N. C. plus requiritur ad bonum, *axioma* agit de scientiae traditione: eadem disciplina agit de utroque, bono et malo opposito.

» 19. Q. 3. An actus fiat supernaturalis ex objecto.

» R. Licet Cajetanus, Arrubal, Maurus supernaturalitatem ex objecto deriveni; e. g. si cognoscitur, creditur mysterium Trinitatis, Incarnationis etc. objectum materiale est supernaturale; si creditur propter auctoritatem Dei, objectum formale erit tale etc. nihilominus cum Scoto, Granado, Lugo, Viva de juste. d. 1. a 2. et in thes. dam. prop. 57. ab Inn. XI.

» Dico supernaturalitatem actus desumi *ex principio activo supernaturali* influente in ratione causae efficientis sive directive, sive affective, e. g. si objectum proponatur per *fidem* divinam: si *gratia* actualis supernaturalis illustret intellectum, et inclinet voluntatem ad actum; si *habitus* fidei, spei, charitatis etc. vel in defectu horum *omnipotentia* Dei speciaiiter applicata, vel aliud *donum Spiritus S.* efficienter concurrat ad actum, actus erit supernaturalis: si vero ratio mere naturalis suadeat incarnationem, auctoritatem Dei revelantis etc. actus erit naturalis. Haec opinio explicat facile illud theologorum, quod homo non possit discernere actum supernaturalem, etiam proprium a naturali ordinarie; secus potest esse certus de efficacia suae contritionis, et statu gratiae.

» *Dices*: ergo non poterit amplius *fides humana* a divina discerni: 2. *attritio* ex metu malorum temporalium erit supernatnralis. R. *ad* 1. N. Humana fides dicitur illa, qua creditur homini, divina qua Deo etc. *ad* 2. si mala temporalia per fidem proponantur ut a Deo vindice nobis peccantibus immissa, erit supernaturalis attritio.

» 20. Q. 4. An detur actus indifferens in specie.

R. Datur. *Ratio:* datur actus, cujus objectum in se praecise spectatum » neque est praeceptum, neque prohibitum: neque positive honestum, neque » positive inhonestum seu illicitum, et quod consequens est, neque positive » meritorium praemii, neque demeritorium poenae: ergo s. Hieronymus ep. » 89. dicit: *Bonum est continentia, malum est luxuria, inter utrunque in-* » *differens est ambulare.* 2. Datur in Deo non tantum lex praeceptiva et prohi- » bitiva, sed etiam permissiva: ergo actus huic conformis erit permissus tantum.

» *Dices:* homo ad supernaturalem finem creatus tenetur tendere ad illum » positive, quod non fit per actus indifferentes. 2. Talis actus est otiosus, » sicut verbum juxta Hieronymum, otiosum est, *quod sine utilitate loquen-* » *tis dicitur, et audientis.* R. ad 1. Sic probaretur necessitas assidua etiam » actuum supernaturalium; quod nimium probat, nihil probat: nempe homo » tantum tenetur ad finem illum tendere per actus praecipuos, et praeceptos » fidei, spei, charitatis, perceptiones sacramentorum etc. non per omnes. » *Ad* 2. ille actus est otiosus, *qui non habet finem rationabilem*, aut ad » illum non conducit: s. Hieronymus sumit verbum otiosum in sensu magis » restricto, prout otiosum est, non positive proficuum ad bonum utile, licet » adhuc pertineat ad honestum.

» 21. Q. 5. An possit dari actus indifferens in individuo.

» *Nota*: In individuo ille dicitur indifferens, qui non tantum objective, » seu ex objecto indifferenti est talis, sed etiam subjective quoad finem et cir- » cumstantias in quibus hic et nunc deliberate ponitur, et consideratur quoad » licentiam et honestatem.

» Negant hanc indifferentiam *Thomistae* passim cum Bellarmino, Valen- » tia etc., quia potest homo facile actionem suam dirigere ad finem honestum, » et tenetur appetere *bonum honestatis:* cum sistere in bono delectabili sit » modus brutis proprius: 2. quia si homo advertit *licentiam* actionis, jam » erit actus positive bonus et conformis implicite primae regulae honestatis: si » non advertit, erit, actus neutiquam moralis, de quo non est sermo. 3. Si » daretur, potissimum dari deberet in *cibo, potu, actu conjugii* permisso, » ex mera delectatione posito: atqui Innoc. XI damnavit hanc n. 8. *Comedere,* » *et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo* » *non obsit valetudini; quia licite potest appetitus naturalis suis actibus* » *frui:* et n. 9. *Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus* » *caret culpa et defectu veniali.*

» Defendunt vero hanc indifferentiam *Vasquez, Lessius Scotus cum suis* » *et multis aliis*, quia non tantum *per accidens* e. g. si quis per invincibi- » lem ignorantiam, vel oblivionem, aut probabilitatem existimatam hujus » opinionis operatur, non dirigendo actionem suam ad finem honestum etc. » sed etiam *per se*, ex destinato agens potest sibi pro fine negative tantum ul- » timo praefigere delectationem rationabilem, et moderatam, quin agat con- » tra rationem hominis, qui est animal rationale. 2. Lex prohibitiva debet » positive probari; cum nulla obligatio multiplicans peccata induci possit sine » necessitate manifesta; haec autem multiplicaret peccata nimium.

» *Ad objecta* respondent hi auctores: *ad* 1. homo differt a *bruto* in duo- » bus; quod delectatione utatur cum advertantia ad licentiam, seu regulam » moralis, et hoc cum moderatione: *ad* 2. licet homo advertat licentiam, ta- » men non agit positive honeste; quia agit solum *cum liceat*, ut licentia sit » conditio; non *quia licet*, ut sit causa: imo licet hoc faceret, nondum » sequeretur actus positive honestus: *ad* 3. sufficere, quod admittatur actus » indifferens *in aliis sensibus*, non adeo deprimentibus animum ad terrena » e. g. spectare hortum, audire musicam, olfacere flores, legere librum joco- » sum, comoediam ingeniosam etc. ex mera delectatione. *Deinde* istae propo- » sitiones sunt damnatae ob *universalitatem* actuum appetitus naturalis, *vel*,

» ut alii, quia *uti* licitum est multis, non item *frui*, quod in causali expri,
» mitur. *Vel* ut nonnulli, quia *satietas* jam dicit excessum in temperantia -
» qui datur, quando ita satiatur appetitus, ut quodvis aliud nauseet. Porro
» ut adeo haec sententia nec *formaliter* in terminis, nec *virtualiter* tanquam
» antecedens, ex quo inferatur aliqua damnata legitime, confixa sit.

»Q. 6. An actus fiat malus ex fine malo.

» R. Si agens hunc finem actu intendat, fit positive malus totus actus, e.
» g. si quis sitienti det potum, ut eum inebriet. Sed de hoc mox plura.

CAPUT VI. *De Moralitate Actuum ex circumstantiis et mediis.*

» 22. Quaer. 1. Quid sit circumstantia, et quotuplex.

» R. Ex s. Thoma: *Affectio actus humani extra ejus essentiam, confe-*
» *rens aliquam bonitatem, vel malitiam moralem.* Duo igitur exigit Angeli-
» cus ad circumstantiam: 1. ut non tribuat actui primam essentiam; sic in
» furto, eleemosyna etc. rem esse alienam, proximum esse indigentem etc.
» constituunt essentiam. 2. Ut aliquam moralitatem in actum referat, quod
» non facit e. g. quod manu dextera, vel sinistra, quod mane vel vespere ab-
» stuleris etc., quia haec habent se impertinenter in genere moris.

» Aliquae circumstantiae *mutant speciem*, e. g. si carnaliter cognoscas uxo-
» rem alienam: aliquae *aggravant vel minuunt* actum intra eamdem speciem,
» e. g. si fureris majorem vel minorem summam.

» 23. Q. 2. Quandonam circumstantia mutet speciem.

» R. Quando pertinet ad lineam alterius virtutis, et per modum unius assu-
» mitur a voluntate agentis, e. g. si fur aut voluntas furantis feratur in ac-
» ceptionem rei alienae, et locum sacrum per modum unius, induet actus di-
» versam speciem, repugnantem duabus virtutibus, justitiae et religioni: si
» delecteris turpiter de persona ut sacra, et Deo per votum dedicata, ha-
» bebis delectationem sacrilegam; sic enim circumstantia transit in essentiam
» actus.

» *Coroll.* ergo *crumeniseca*; qui solum in loco sacro, vel tempore sacro,
» durante concione crumenam proximi aufert; 2. qui solum peccat peccatum,
» *quod sperat* facile delendum per sacramentalem confessionem etc. non habet
» peccati speciem diversam: aliter vero si peccet, *quia sperat*; si res sit *de-*
» *positum* loci sacri, ut infra dicetur.

» 24. Q. 3. Quae sint circumstantiae in particulari.

» R. S. Thomas ex oratore romano 7. enumerat: *Quis, quid, ubi, quibus*
» *auxiliis, cur, quomodo, quando.*

» *Quis*, indicat qualitatem et conditionem accidentalem personae operan-
» tis, v. g. an fornicans sit consanguineus, sacerdos, voto obstrictus, con-
» jugatus etc.

» *Quid*, designat quantitatem et qualitatem objecti, e. g. an res furto
» ablata sit sacra vel profana; gravis aut levis; an percussus sit clericus,
» vel laicus; an parens vel extraneus; non autem intelligitur ipsum objectum
» secundum se.

» *Ubi*, denotat qualitatem loci, an sacer, seu prophanus, in quo commis-
» sum est peccatum.

» *Quibus auxiliis* denotat media et instrumenta operandi; v. g. si quis
» ope daemonis aliquid consequi voluerit.

» *Cur* finem extrinsecum operantis significat: v. g. an occiderit ad spo-
» liandum; an furatus sit ad se inebriandum.

» *Quomodo* indicat modum actionis accidentalem: v. g. an intense aut re-
» misse; an plena, an cum semiplena advertentia; an ex malitia etc.

» *Quando* denotat durationem et qualitatem temporis accidentalem v' g.
» an die festo; an cum mora brevi vel longa. Idem de circumstantiis *actuum*

» *internorum* dici potest, quales potissimum sunt major vel minor delibe-
» ratio et libertas; intensio et duratio.

» 25. Q. 4. An electio accipiat moralitatem tam a medio, quam a fine.

» R. Si malitia medii sit alterius rationis a malitia finis, electio accipit du-
» plicem malitiam, unam a medio, alteram a fine, eritque actus coalescens
» in peccatum tertiae speciei: (neque enim erunt duo numero peccata in
» uno actu; sed unum diversae speciei, ut alibi dicitur) idem est de actu
» bono cognoscente, et amplectente finem et media habentia bonitatem
» diversam, e. g. qui *furari* statuit, ut habeat pecuniam alendi concubi-
» nam: qui *dat eleemosynam* indigenti, ut eum sibi inimicum reconciliet.

» *Coroll.* Si medium sit *indifferens*, electio ab illo nihil accipit bonitatis
» vel malitiae, ut per se patet. 2. Si medium est *ejusdem malitiae*, vel
» bonitatis cum fine, electio non inducit aliam speciem moralitatis. 3.
» Omnis electio *mali medii* est mala; non e contrario, omnis electio *boni*
» *medii* est positive bona; quia ut supra dictum, ad malitiam participan-
» dam sufficit volitio objecti, quod *cognoscitur* esse malum; ad partici-
» pandam autem bonitatem objecti, debet bonitas objecti *intendi* positive,
» saltem aliquo modo in confuso.

» 26. Q. 5. An electio boni medii vitietur per intentionem finis mali.

» R. Si electio boni medii *intrinsece* respiciat finem malum, vitiatur,
» e. g. Cajus accedit ad eucharisticam communionem, ut durante illa pro-
» xima horologium furari queat. Non item, si finis sit tantum extrinse-
» cus, siquidem tunc electio non respicit finem, et hic habet se imper-
» tinenter ad illam, v. g. qui statuit dare eleemosynam largam, accedere
» ad sacram Synaxim, postea autem sibi vanc complacet in ostentatione
» divitiarum, vestium etc.

» *Coroll.* Etiam electio mali medii minuitur per intentionem boni fi-
» nis, cum s. Augustinus dicat: *Pejor est, qui concupiscendo, quam qui*
» *miserendo furatur*; sic enim non fertur in medium malum secundum
» se, minusque afficitur erga malitiam medii.

» » *Dices:* s. Aug. l. 10. Homiliarum hom. 7. ait: qui pauperibus dat id,
» quod abstulit addit potius peccatum: R. Ibi s. Pater loquitur de eo, qui
» dat tunc, cum res esset domino restituenda; quo casu datur peccatum
» furti commissionis, et omissionis in negata restitutione.

» 27. Q. 6. An intentio boni finis vitietur per electionem medii mali.

» R. *Cum distinctione:* si finis intenditur *cum ordine* determinato ad me-
» dium malum, actus fit absolute malus: non item si intendatur finis sine
» ullo ordine ad medium. *Exempla sunt:* Titius furatur, ut dare possit elee-
» mosynam *ex furto:* et Cajus intendit dare eleemosynam, hic et nunc nihil
» cogitans de medio; postea ex avaritia eligit eam dare ex furto, quod
» propterea committit: prima intentio eleemosynae fuit bona in Cajo.

» *Coroll.* Quod hic de fine et mediis dictum, dicendum cum proportione
» pariter est de actu, in quo concurrunt *duo fines*, e. g. Sempronius in Pa-
» schate communicat, ut Sacramentum percipiat, legi Ecclesiasticae satisfaciat,
» etc. simul ut pius videatur aliis: orat ex religione simul et vanitate etc. di-
» cta cum proportione accomodanda casui, quo *finis vanus* intenditur.

CAPUT VII. *De Actibus Meritoriis.*

» 28. Quaer. 1. Quid requiratur, ut actus sit meritorius.

» *Nota:* Actus meritorius juxta Platelium p. 2. c. 6. n. 68. est actus positive
» honestus, in alterius obsequium positus, de se aptus ad obtinendum prae-
» mium; cum praemium et meritum sint correlativa. 2. Meritum est duplex;
» *congruum* quod non habet aequalitatem cum praemio nec promissionem
» praemiantis, quamvis ex convenientia hic possit dare praemium intuitu facti

» operis: et *condignum*, quod habet aequalitatem cum praemio, et saltem in » actu secundo promissionem praemiantis meritum hoc acceptantis, involvit.

» R. Ad meritum *condignum*, quod est proprie tale, requiruntur sex, » nempe duae conditiones ex parte hominis merentis, tres ex parte actus » meritorii, et una ex parte Dei praemiantis.

» *Ex parte hominis*, requiritur 1. quod sit justus, nam Christus *Joan.* 15. » dicit: *Sicut palmes non potest ferre fructum ex semetipso, nisi manserit* » *in vite, sic nec vos, nisi in me* (per gratiam sanctificantem) *manseri-* » *tis* . . . 2 Quod sit viator, Joan. 9. *Venit nox, quando nemo potest opera-* » *ri*, ubi per *noctem* intelligit mortem.

» *Ex parte actus*, requiritur 1. quod sit liber a necessitate; unde haeretica » est haec Jansenii prop. *Ad merendum, vel demerendum in statu naturae* » *lapsae, non requiritur in homine libertas a necessitate*... 2. Quod sit » bonus et honestus, 2. Petri 1. *Satagite ut per vestra bona opera certam ve-* » *stram vocationem et electionem faciatis* . . . . 3. Quod sit supernaturalis, » tum *in entitate*, ita ut eliciatur ex gratiae actualis auxilio, tum *quoad* » *modum*, ita ut eliciatur ex imperio charitatis: *Hoc amore opus est*, in- » quit s. Augustinus l. 4. contra Julianum, cap. 3. *ut bonum beatificum* » *sit*, id est meritorium beatitudinis.

» *Ex parte Dei*, requiritur promissio mercedis, nam Deus non potest » nobis debitor fieri, nisi intercedat promissio ex parte ipsius; unde vita » aeterna dicitur in Scripturis promissio, Heb. 10. *Ut voluntatem Dei fa-* » *cientes reportetis promissionem.*

» 29. Q. 2. Quid homo possit mereri de condigno.

» R. 1. Homo justus per actum supernaturalem potest mereri *augmentum* » gratiae sanctificantis, et gloriae in coelo, cujus sementis est gratia. Ita Trid. » sess. 6. c. 16. *vitam aeternam esse mercedem ex Dei promissione ipso-* » *rum meritis reddendam;* cum erga gratia sanctificans sit mensura glo- » riae, pari passu proceditur etc.

» 2. Homo justus non potest de condigno mereri *gratiam actualem effica-* » *cem, aut finalem perseverantiam.* Praeterquam enim, quod ex Patrum » sententia ejusmodi gratiam Deus misercorditer largiatur, et finalis per- » severantiae donum sit Benevolentiae divinae effectus ex primariis unus, » quem supplici prece emereri, non item mereri homo queat, ipsumque » meritum adaequetur augmento gratiae sanctificantis et gloriae; nullibi » certe in Scriptura justis haec gratia promittitur (qualis tamen promissio » necessaria foret ad meritum condignum) ut sic mortalis semper in sa- » lutari timore, et humilitate vivat, ita theologi communiter.

» *Dices:* qui potest de condigno mereri finem, qui est gloria, debet etiam » posse mereri medium, quod est perseverantia. 2. Homo potest absolute lo- » quendo, mereri gratiam primam; ergo et ultimam R. ad 1. Hominem posse » de condigno mereri *gratias sufficientes* ad perseverandum, quod ne- » cessarium simul et satis est ad finem; cum efficax non sit determinate » necessaria: ad 2. Hominem de congruo solum posse mereri primam gra- » tiam habitualem, sicut Angeli dicuntur esse meriti: primam vero actua- » lem nullo modo posse mereri; tum quia *principium meriti non potest* » *cadere sub meritum*, tum quia non posset illam mereri per actum na- » turalem, utpote improportionatum, non per supernaturalem etc.

» 30. Q. 3. Quid requiratur ad opus satisfactorium.

» *Nota:* Juxta doctrinam in Ecclesia receptam opera nostra bona triplicem » vim continent. 1. *Meritoriam gratiae et gloriae*, et haec soli operanti ap- » plicatur. 2. *Impetratoriam* ad alia quae petimus nobis et aliis obtinenda » 5. *Satisfactoriam* ad delendum reatum peccatorum commissorum, quae sa- » tisfactio etiam aliis applicari potest; haec ex communione sanctorum, et » exemplis Ecclesiae, ac damnatione prop. 60. et 77. Baii etc. patent.

» 2. Satisfactionem gemina est species: una *proprie talis*, quae satisfacit » pro culpa; altera *minus propria*, seu potius *satispassio*, quae pro poena; » prior exigit submissionem sui et honorationem alterius aequalem culpae; al- » tera passionem seu tolerantiam aequalem poenae debitae; quia illa est com- » pensatio honoris alieni per peccatum laesi, haec solutio multae in vindi- » ctam peccati constitutae.

» R. Coaditiones requisitae ad satisfactionem sunt sequentes. *Ex parte sa- » tisfacientis*: prima est quod sit in gratia, ut satisfaciat de condigno, vel « quod deposuerit affectum ad peccatum ut satisfaciat de congruo late secun- » da quod sit in statu viae, quia eodem modo quoad hoc loquendum est de » satisfactione ac de merito. Vide n. 640. p. II.

» *Ex parte operis*. Prima est, quod sit liberum; quia est actus humanus. » Secunda quod sit bonum: quia opera mala potius merentur poenam, quam » poenae remissionem. Tertia quod sit supernaturale; quia remissio poenae » pertinet ad ordinem supernatoralem; poenae enim debitum retardat nos a » fine ultimo supernaturali consequendo. Quarta quod sit poenale. *Conditio » ex parte Dei* est quod acceptet tale opus in satisfactionem.

» 31. Q. 4. An actus voluntatis efficaciter imperatus habeat propriam mo- » ralitatem.

» R. Cum utrumque aequis studiis inter scholasticos agitetur, affirmantibus » *Suarez, Vasquez, Ripalda*; negantibus *Lugone, Arriaga, Oviedo*; il- » lud certum, hominem ex metu gehennae imperantem sibi actum contritionis » salvari, sive haec prerogativa oriatur ex propria libertate et moralitate » contritionis, sive ex promissione Dei gratiam omni contritioni, etiam me- » diate tantum liberae, annectentis. Vasquez libertatem propriam propugnans » 1. 2. dist. 15. c. 5. rem sic explicat: quando actus imperans est efficax in- » tentio finis et imperatus electio medii, vel quando voluntas per alium « distinctum actum reflexum imperat sibi actum, e. g. poenitentiae contritio- » nis etc., actus imperans non aliter concurrit quam impellendo intellectum » ut *applicet motiva* ad contritionem, quibus applicatis adhuc est *in pote- » state voluntatis* abstinere a contritione: itaque si eliciatur, habebit suam » etiamnum libertatem.

» 32. Q. 5. An actus externus augeat meritum, vel demeritum interni.

» R. *Per se loquendo* non auget meritum substantiale quoad gradus gra- » tiae, et gloriae, si modo internus sit efficax, quantum ad se. Ratio 1. quia » Scriptura saepe reputat voluntatem pro facto, e. g. immolationem Isaaci, » oblationem a foemina paupere per duo minuta plus omnibus offerente, con- » cupiscentiam conjugis alienae in moecho etc. 2. actus externus non habet » peculiarem moralitatem, libertatem, advertentiam ad regulam moralitatis, » tendentiam in objectum. Ita s. Thom. q. 20. a. 4. contra Scotum et Sco- » tistas.

» *Dices:* 1. Ergo, qui serio vellet *infinitis pauperibus* dare eleemosynam, » haberet voluntatem infinite meritoriam. 2. Qui vellet *per omnem vitam quo- » tidie* jejunare et superviveret 10000. diebus mereretur uno actu totidem » gradus gratiae et gloriae. 3. Homo non plus mereretur per martyrium actua- » le, quam per *desiderium* illius, quod est contra s. Bernardum ep. 77. » R. ad 1. N. quia actus ipse est tantum finitus: cum etiam intellectus sibi » tantum finitam multitudinem actuum externorum repraesentet, vel saltem » solum confuse in infinitam multitudinem tendat. Ad 2. n. quia aliter lo- » quendum nonnihil de actibus externis, qui compleri successive per plures » actus debent, quorum quilibet exigit distinctam libertatem. Ad 3. plus me- » retur vel praemii substantialis per accidens, vel praemii accidentalis per se, » quod 5. modis fieri potest. Ratione *numeri:* cum durante martyrio eli- » ciuntur plures actus voluntatis. 2. Extensionis, durationis longioris actus » externi. 3. Intensionis, ob arduitatem operis actus voluntatis solet esse fer-

» ventior. 4. *Ex opere operato,* ut fit in sacramento et martyrio in re re-
» cepto. 5. *Aliorum emolumentorum,* martyrium causat aureolam, seu lau-
» reolam peculiarem, poenalitas operis externi addit vim satispassionis, ora-
» tio ipsa vim impetrationis etc.

» 33. Q. 6. Quomodo voluntas humana debeat se conformare divinae.

» *Nota.* Triplex est modus se conformandi; 1. in ratione *causae efficien-*
» *tis,* volendo quod Deus vult nos velle. 2. *Objecti materialis*, volendo
» idem quod vult Deus. 3. *Objecti formalis,* volendo aliquid ob eam cau-
» sam ob quam id vult Deus.

» R. 1. Homo tenetur se conformare primo modo, intelligendo hoc de vo-
» luntate praecepti in Deo, et non consilii dumtaxat, aut meae approba-
» tionis, quia homo tenetur obedire Deo praecipienti.

» 2. Potest quidem; sed non tenetur se conformare secundo aut tertio mo-
» do. *Potest*; quia licitum est etiam mala, ut substantia divinae voluntati,
» tanquam primae regulae honestatis, approbare, sicque secundum Anselmum
» de similitudinibus c. 63. locati in coelo se conformant etc. modo se non im-
» misceat affectus odii absolutus etc. *Non tenetur*, quia potest saepe affectu
» inefficaci et conditionato nolle id, quod scit Deum efficaciter velle; ut Aug.
» Enchir. c. 101. potest bonus filius velle patrem vivere, quem Deus vult
» mori.

» 34. Q. 7. Utrum quidquid homo vult deliberate, illud velit propter finem
» ultimum.

» R. Illud vult *implicite* saltem et *virtualiter* propter finem ultimum spe-
» ctatum confuse et in communi, quia semper operatur ut bene sibi sit;
» non autem illud vult semper propter finem ultimum spectatum in particu-
» lari et determinate; quia talis finis est Deus; atqui quidquid homo vult
» deliberate, illud non vult propter Deum, quia plura vult quibus se aver-
» tit a Deo; ergo.

» 35. Q. 8. Quid et quotuplex est beatitudo, seu ultimus finis hominis.

» R. 1. Beatitudo est *status omnium bonorum aggregatione perfectus.*

» 2. Est duplex, *objectiva:* quae est bonum, cujus possessione satiatur ap-
» petitus hominis, nempe Deus qui solus potest hominis animam ita satia-
» re, ut nihil amplius ipsi desiderandum supersit, juxta illud s. Aug. l. 19.
» de Civit. Dei cap. 26. *Fecisti nos, Domine, ad te, et inquietum est cor*
» *nostrum donec requiescat in te.* Hinc sequitur res terrenas, puta hono-
» res, divitias, scientias, etc. animam occupare posse, non satiare. Et *for-*
» *malis,* quae est actio, qua cum summo voluptatis sensu, possidetur obje-
» ctum beatitudinis: Thomistae eam reponunt in visione Dei intuitiva; Scoti-
» stae in solo amore fruitivo; plurimi in gaudio beatifico, quod definitur;
» *Intimus ac suavissimus creatae mentis sensus, quo mens adeo sibi conscia*
» *est se bene esse, ut nihil ultra expetat.* Horum sententia probabilior est;
» nam 1. scriptura Matth. 25. dicit: *Intra in gaudium Domini tui.* Et s. Aug.
» l. 10. Confess. c. 23. *Beata vita,* inquit, *est gaudium de veritate.* 2. Bea-
» titudo formalis, est status Beati, quo in summo bono clare viso et ama-
» to tanquam in suo fine ultimo omnimodo satiatus, suavissime conquie-
» scit; atqui talis status formaliter habetur per gaudium, ut constat ex ejus
» definitione; ergo.

» 36. Q. 9. Quae et quot sint dotes animae et corporis beati.

« R. 1. Dotes animae beatae sunt tres, nempe *inamissibilitas gloriae,*
» *impeccabilitas, et modus quo diligit Deum.* Nam 1. Beatitudo est *inamissi-*
» *bilis,* alias cum timore possideretur, et sic non esset status omnium bo-
» norum aggregatione perfectus. 2. Beati sunt *impeccabiles,* nam peccatum,
» quod est aversio a Deo compati non potest cum amore beatifico, qui et
« intima unio cum Deo. 3. Beati necessario amant Deum; tum necessitas
» specificationis, ita ut non possint eum odisse, tum necessitate exercitii
» ita ut non possint ab ejus amore cessare.

» 2. Dotes corporis beati sunt quatuor, quas refert Apost. 1. Cor. 15. » nempe *impassibilitas*, qua excluditur a corpore beati omnis passio cor- » ruptiva. *Subtilitas*, qua redditur alterius corporis penetrativum. *Agilitas*, » qua redditur imperceptibiliter ac celerissime mobile. *Claritas*, qua reddi- » tur luminosum et simile crystallo.

» 37. Q. 10 Quid et quot sint aureolae.

» R. 1. Aureola est animae beatae gaudium accidentale de excellenti victo- » ria sua, in corpus speciali fulgore redundans.

» 2. Sunt tres. Prima est martyrum, qui de mundo; secunda virginum, » qui de carne; tertia doctorum, qui de diabolo triumpharunt. Sed de his » satis, qui plura vult, adeat Theol. Scholast. Nunc ad scitu utiliora pro » praxi redeamus.

CAPUT VIII. *Resolutio Casuum.*

Casus I.

» *Titia confitetur:* 1. *semel a filia ad gravem iram et increpationes* » *sum incitata;* 2. *semel maritum, frangendo vasculum ad similia con-* » *citavi;* 3. *semel a quodam osculum accepi, et semel inhonestum tactum;* » *nuper prolem parvulam mecum in lecto de nocte collocaveram, quam* » *mane dolenter inveni oppressam et mortuam.*

» Q. Quid de Titia judicabit confessarius.

» R. *Ad* 1. Si motus irae fuit omnino subitus, praeveniens omnem ad- » vertentiam rationis, non peccavit, defectu voluntarii; alias venialiter; im- » precationes enim, si non fuerint seriae (ut in parentibus fieri solet) etiam » supposita deliberatione, sunt tantum veniale. *Ad* 2. Si advertenter fregit, » praevidens virum graviter exacerbandum, peccavit graviter contra charita- » tem; magis si hoc intendisset: alias vel nullo modo, vel leviter tantum. » *Ad* 3. si osculum absque alio fine honesto ex sensuali delectatione, ma- » gis si tactum voluntarie admisit, peccavit graviter; si praeter vel contra » intentionem, ex improviso, obiter (ut fieri solet in conjugata honesta) » non peccavit, et quia de his merito dubitatur, examinanda est; confessa- » rii enim est, inquirere an poenitens peccaverit graviter, si aliunde pruden- » ter colligi nequeat. *Quod addo;* Si enim confiteretur saepius admisisse si- » milia, vel observaret esse lascivam, potest supponi peccasse graviter; quae » bene notanda sunt in multis aliis pro praxi *Ad. ult.* Si praevidit pericu- » lum, et fuit negligens in praecavendo, est rea homicidii; est autem peri- » culum grave, si lectus sit angustus, parens inquieti somni etc. et est sem- » per dissuadendum.

Casus II.

» *Adalbertus sacerdos* 1. *non approbatus audit confessiones videnle ac* » *tacente episcopo:* 2. *assistit matrimonio suae sororis, certus hoc gratum* » *fore parocho, si audiat: quem oblitus est rogare, et nunc non potest:* » 3. *ex certo modo cubandi novit sequi pollutionem:* 4. *Nepti abeunti dat* » *osculum, ex quo per experientiam novit se valde moveri: denique post* » *largum potum vadit ad infirmum ungendum, et in via aere aperto ine-* » *briatur, pergensque ad infirmum, qui in phrenesim incidit, eum inun-* » *git.*

» Q. Quid ad haec resolvat theologus.

» R. *Ad* 1. Absolutiones datae, antequam episcopus viderit, sunt invalidae, » ideoque sacrilegae: postquam autem vidit absolventem, sunt validae si ve- » re episcopus consensum tacitum praebuerit; cum tacitus consensus a parte

» rei existat; quod fecisse praesumitur, et suo silentio ut signo sensibili ex-
» pressisse. R. *ad* 2. Matrimonium est invalidum; cum enim ad valorem re-
» quiratur actualis jurisdictio, et consensus parochi saltem abitualiter exi-
» stens seu non revocatus, non sufficit mere praesumptus aut ratihabitio,
» cum nihil det actui: aliud est, dum de sola licitate agitur, et absens in-
» terrogari non potest. R. *ad* 3, Si adsit aliqua necessitas vel utilitas sic
» cubandi, non peccat, si non intendatur, nec adsit periculum consensus;
» habet enim tunc jus sic cubandi. Similiter R. *ad* 4. cum actio de se sit
» honesta, nec sit causa per se motus turpis; modo iterum absit periculum
» consensus in delectatione venerea. Interim sacerdotem dedecet.

» *Ad* ult. R. Si infirmus sacerdotem ab ante petiit, debebat inungi; man-
» sit enim intentio habitualis: functio tamen fuit invalida ex parte ministri;
» non enim mansit intentio virtualis; nam species phantasiae, quae manse-
» runt, movent appetitum sensitivum ad talem actionem, quae non est vo-
» luntaria respectu volitionis humanae liberae ante habitae, sed tantum est
» effectus potentiarum sensitivarum in ebrietate operantium, posito quod
» sit perfecta ebrietas.

Casus III.

» *Edmundus* 1. *legit varias historias praevidens inde secuturam delecta-*
» *tionem de objecto turpi:* 2. *ambulans per hortum principis curiose aspi-*
» *cit nuditates statuarum, insurgentibus tamen motibus consensum denegat:*
» 3. *dum naturaliter incidit cogitatio de objecto turpi, et inde sensiti-*
» *va delectatio, eam negligit repellere:* 4. *saepe in somno pollutionem pa-*
» *titur: denique semel delectationem turpem habuit, sed dubitat, an in*
» *somno, an vigilans.*

» Quid de eo judicabit confessarius.

» R. *ad* 1. Si ex aliqua causa honesta legat, non peccat: si ex curiosi-
» tate, peccat venialiter: quia causa non est, nisi venialis, et sequitur per
» accidens, secluso semper periculo consensus: si sine causa sit circa ob-
» jecta valde turpia, est mortale, ob periculum complacentiae. *Ad* 2. pecca-
» vit graviter, tum ob motus turpes indirecte voluntarios, qui per se se-
» quuntur, tum ob periculum gravius labendi. *Ad* 3.practice loquendo, pec-
» cat graviter, teneturque statim elicere displicentiam et cogitationes alio di-
» vertere, dum plene advertit, ob periculum complacentiae; quia vehementis-
» sima hic est objecti allicentia, et talis conversio ad objecta honesta prae-
» sertim grata vel indifferentia est tutissimum remedium in hac materia.
» *Ad* 4. videndum est, an et per quid de die causam dederit, si v. g. va-
» cando vesperi turpibus cogitationibus, jam dupliciter peccavit, posito quod
» de periculo pollutionis cogitaverit: et licet bonum sit, quod ipsam etiam
» pollutionem in somno secutam confiteatur, per se tamen satis est dice-
» re: inhaesi turpi cogitationi, praevidens periculum pollutionis; haec enim
» in se peccatum non est, dum in somno fit. *Ad ult.* praesumere potest fuis-
» se in somno; quae enim cum plena advertentia a vigilante fiunt, facile
» facta cognoscuntur.

Casus IV.

» *Petrus ob potum vini* 1. *in somnum incidit, ideoque missam in die festo*
» *non audisset, nisi casu excitatus fuisset:* 2. *in ebrietate varia commisit*
» *peccata:* 3. *uxorem gravidam ex ira percussit, ex quo contra voluntatem*
» *sequitur abortus: denique cum sit chirurgus, aspiciendo et tangendo se-*
» *cretiora frequenter in se sentit motus ac pollutionem, sentitque se magis*
» *promptum, dum ad foeminam, quam dum ad virum vocatur.*

» *Q.* Qualiter in his peccaverit.

» R. *ad* 1. Si somnum praevidit, et de periculo omissionis cogitavit, nec » curavit solicite, ut excitaretur, peccavit graviter contra praeceptum audien- » di missam ob periculum, licet illam casu audierit. *Ad* 2. Illa tantum in » foro conscientiae ipsi imputantur, quae poterat praevidere. *Ad* 3. Est reus » abortus etiam noliti; est enim indirecte voluntarius, peccavitque graviter » eam percutiendo, et facile in confuso praevidetur periculum; quod licet non » nisi semel vel iterum ex viginti vicibus sequatur, adhuc abstinendum est » propter gravissimum damnum, quod infertur foetui praesertim animato. *Ad* » 4. Si similibus non praebeat consensum, non censentur voluntarii; cum ju- » stam habeat haec faciendi necessitatem vel causam. Promptitudo illa natu- » ralis est naturae corruptae defectus, attamen ob periculum consentiendi te- » netur contrariis protestationibus et bonis actibus animum firmare, moti- » bus subortis resistere. Si vero per experientiam sciret se solitum consentire, » nec periculum posset extenuare, deberet desistere: de quo alibi.

Casus V.

» *Barbara famula ab hero suo saepe solicitata admittit quidem oscula et* » *tactus turpes, non tamen copulam; cum vero nuper violenter ab illo op-* » *primeretur, noluit clamare, ne herum et seipsam diffamaret, imo ne ab* » *ipso prae libidine furioso occideretur.*

» *Q.* Quid sit violentia, an tollat voluntarium, et quid ad casum.

» R. 1. Violentia est vis ab extrinseco illata contra naturalem inclinatio- » nem passi: si sit simpliciter talis, ita ut interne et externe totis viribus » resistatur, facit actum positive involuntarium; alias relinquit indirecte vo- » luntarium in omissione sufficientis resistentiae. R. 2. Barbara peccavit gra- » viter, quoties admisit oscula et tactus, licet copulam semper recusaverit » solius utique infamiae timore; tenebaturque confessarius urgere, ut quantum » fieri moraliter poterat, domum desereret. R. 3. Peccavit mortaliter non cla- » mando; quia non restitit quantum utiliter potuit ac debuit. Herus suae ma- » litiae imputet infamiam, illa laudem meruisset, imo tenebatur clamare cum » evidenti periculo mortis; cum enim ipsa lubrica esset, debuit praevidere » se moraliter certo consensuram in delectationem, quod est intrinsice ma- » lum; idque verum, licet sciat se esse in gravibus peccatis, nec possit tam » cito elicere contritionem, ideoque putet se damnandam; non damnabitur » autem, quia se exponere morti ac gehennae potius, quam in peccatum con- » sentire, est actus amoris perfectissimus, quo mortalia praeterita remittun- » tur ob dolorem virtualem; deberet tamen conari ad dolorem, quantum posset.

Casus VI.

» *Bernardus per metum gravem* 1. *cogit Judaeum, ut se baptizari permit-* » *tat:* 2. *Sacerdotem, cui confessus est, ut absolvat:* 3. *filium suum, ut* » *Canonicatum et sacros Ordines suscipiat:* 4. *inter haereticos, ne agnosca-* » *tur, carnes comedit diebus vetitis.*

» *Q.* An metus tollat voluntarium, et quid ad casum.

» R. 1. Metus quicumque non perturbans rationem, relinquit actum simpli- » citer voluntarium; quia omnibus consideratis, voluntas se resolvit ad vo- » lendum: si tamen volitio efficax secum patiatur volitionem conditionatam » et affectum ad oppositum, reddit actum involuntarium secundum quid.

» R. 2. *ad* 1. Cum consensus in baptismum sit simpliciter voluntarius, » valet baptismus, obligaturque dein legibus Ecclesiae, non vi consensus in- » juste extorti, sed vi legis divinae, qua tenetur suscipere fidem Christi sa- » tis sibi propositam, et in ea obedire Ecclesiae. *Ad* 2. Si absolutio valide

» dari possit, valet: quia simpliciter voluntaria: si non possit, peccat gra-
» viter, vel sacramentum conferendo indigno et incapaci, vel sine hac in-
» tentione proferendo formam; est enim simulatio et mendacium in re gra-
» vissima. *Ad* 3. Valide ordinatur, sed non tenetur voto castitatis, nec ho-
» ras recitare; quia Deus non acceptat votum injuste extortum, nec Ecclesia
» censetur illum obligare: hinc secluso scandalo posset uxorem ducere; si
» tamen cessante metu semel actum Ordinis exerceat, tenetur; quia est ra-
» tificatio Ordinis. *Ad* 4. Si praecise ne agnoscatur, irrideatur, peccat gra-
» viter; si, ne gravis mali periculo se exponat, non peccat; quia lex hu-
» mana tunc non obligat, nisi comestio cedat in contemptum Religionis,
» vel ex circumstantiis habeatur pro signo distinctivo fidei, de quo plura
» infra.

Casus VII.

» *Georgius* 1. *confitetur: volens occidere Petrum clericum inimicum,*
» *occidi Cajum amicum etiam clericum.* 2. *globo jaculando cervum, si-*
» *mul trajeci inimicum ad necem quaesitum in dumeto latenter stantem.*
» 3. *ignorans esse vigiliam manducavi carnes, sed ex pigritia die Domi-*
» *nica non fueram in Ecclesia.*

» *Q.* Quid de Georgio judicabit Confessarius.

» R. *Ad* 1. Si non adhibuit diligentiam moralem ne alius homo occide-
» retur, incurrit irregularitatem, et onus restitutionis; quia occisio Caji est
» illi voluntaria in omissione diligentiae debitae: si illam adhibuit, nihil in-
» currit; quia actus externus non est formaliter injuriosus Petro, cum illum
» non tangat, nec Cajo, quem omnino involuntarie occidit. *Ad* 2. Si ite-
» rum adhibuit diligentiam debitam, occisio est negative involuntaria, non
» positive, sicut prior; et non inducit poenas, ad quas non sufficit actus in-
» ternus malus, nec attenditur quid quis faceret, sed quid fecerit. *Ad* 3.
» Si die Dominica, dum Missae noluit interesse, obvenit cogitatio de jeju-
» nio, et neglexit inquirere, aut alios prudentes desuper interrogare, est
» ignorantia vincibilis, et peccavit contra praeceptum jejunii: si autem nec
» tunc, nec postea inciderit cogitatio, licet peccaverit omittendo Missam,
» non peccavit non jejunando.

Casus VIII.

» *Alexander confitetur: graviter detraxi aliis: ter fornicatus sum: se-*
» *mel alium dormientem tentavi turpiter tangere. Confessarius in* 1. *inter-*
» *rogat:* quoties? *et nil amplius.*

» *Q.* An bene.

» R. Non bene: debebat enim interrogare, quot personis et coram qui-
» bus detraxerit: an per detractionem aliud damnum intulerit: non tamen
» in qua materia; quia laeditur idem bonum famae: nec probabiliter, an im-
» ponendo crimen falsum, an revelando verum occultum; quia non distin-
» guuntur specie, licet major sit malitia in 1. *Ad* 2. Licet moraliter sit idem
» per se loquendo, ter peccare cum una, ac semel cum tribus: majus ta-
» men videtur scandalum solicitare tres, praesertim innocentes; hinc pru-
» denter et hoc interrogasset; etiam dum respondet cum una, merito du-
» bitatur et interrogatur de occasione proxima *Ad* 3. An ille dormiens fue-
» rit consanguineus, affinis etc.; esset enim speciem mutans; quia repugnans
» reverentiae sanguini debitae.

TRACTATUS I.

DE CONSCIENTIA

Actio humana bona, ac proinde licita, vel mala moraliter, ideoque illicita esse censetur, quatenus regulis morum vel conformis, vel difformis est. Regula autem quae dirigit actiones humanas duplex est, alia *remota*, quae mediante regula proxima nos dirigit, estque ipsa lex Dei aeterna aliquid prohibens vel praecipiens vel permittens; ad quam reductive pertinent leges humanae, tanquam regulae secundariae, et subordinatae, utpote quae vim obligandi in conscientia trahunt a lege Dei jubentis obtemperare etiam legibus humanis. Alia *proxima*, quae applicat regulam remotam dictando, quid illi conforme vel difforme sit; haec communiter vocatur *Conscientia*, de qua breviter nunc agemus.

CAPUT I. *De conscientia in genere, et de recta atque erronea in specie.*

§. 1. *Quid et quotuplex sit Conscientia.*

Quaer. 1. Quid sit Conscientia. R. Cum *Laymann* L. 1. T. 1. C. 2. N. 1. est *Actus intellectus practici judicantis, aliquid hic et nunc agendum esse vel fuisse tanquam bonum et honestum, vel fugiendum tanquam turpe et inhonestum.* Dicitur 1. *Actus intellectus*, non voluntatis, ut vult *Durandus;* intellectus enim debet quasi ducere voluntatem, quae de se est potentia caeca, eique proponere, quid licitum sit vel illicitum, quo agnito voluntas se determinat ad actus suos bonos vel malos; hinc Conscientia est quasi scientia vel judicium de honestate vel inhonestate actus. 2. *Actus intellectus practici*, hoc est, immediate dirigentis hominem ad hanc actionem hic et nunc, id est, in his vel illis circumstantiis licite ponendam, vel non ponendam; alias etiam dicitur *Dictamen ultimo sive practice practicum.* Differt a *Synderesi*, quae est habitus cognoscitivus primorum et universalissimorum principiorum moralium, v. g. bonum esse faciendum, malum fugiendum; Deum esse colendum etc. Item differt a Conscientia *speculativo-practica*, quae quidem versatur circa principia magis particularia, ea tamen non applicat huic numero actioni in his illisve circumstantiis, sed tantum in genere dictat, quid sit licitum vel illicitum, praeceptum vel prohibitum, v. g. die festo Sacrum esse audiendum, non esse laborandum serviliter etc. Conscientia autem proprie dicta, seu dictamen *practice practicum* dicit: Tu non impeditus hoc die festo teneris audire Sacrum.

2. *Quaeres II.* Quotuplex sit Conscientia. R. 1. Alia, minus proprie talis, dicitur *consequens*, quae versatur circa actus praeteritos, illos vel improbando tanquam male factos, et vocatur *Remorsus Conscientiae*: vel approbando tanquam honeste factos, et vocatur *Testimonium Conscientiae*, de quo 2. ad Corinth. 1. v. 12. *Nam gloria nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae.* Haec est mere speculativa. Alia, et quidem proprie talis est *antecedens*, quae proxime dirigit actiones vel ut licitas vel tanquam illicitas, praeceptas vel prohibitas.

3. R. 2. Conscientia ex modo, quo insinuat aliquid esse bonum vel malum, alia est *obligans* vel *praecipiens*, quae dictat, peccatum esse, si hic actus tanquam prohibitus ponatur, vel ut praeceptus omittatur. Alia *permittens*, quae dictat, hunc vel illum actum posse poni vel omitti citra culpam. Alia *consulens*, quae dictat, aliquid esse omittendum vel agendum, non qui-

dem ex obligatione, sed quia vel magis est conveniens morum honestati, gratius Deo, vel utilius animae saluti.

4. R. 3. Conscientia ratione objecti materialis alia est *recta* sive *vera*, quae dictat hoc esse licitum vel praeceptum, quod revera tale est; vel dictat, hoc esse illicitum et prohibitum, quod vere est illicitum et prohibitum. Alia *erronea* sive *falsa*, quae dictat aliquid esse licitum vel praeceptum quod tamen in se est illicitum, nec praeceptum; vel econtra, quae dictat aliquid esse illicitum et prohibitum, quod tamen est licitum vel praeceptum.

5. *Adverte cum Laymann* L. 1. Tract. 1. C. 3. N. 1. Potest conscientia speculativa esse recta, practica vero erronea, quando nimirum principium verum hic et nunc male applicatur, v. g. Christianus die festo debet audire Sacrum: ergo etiam Petrus aegrotus tenetur hoc festo audire Sacrum. Quando vero principia speculativo-practica secundum omnes circumstantias recte applicantur, emergit conscientia simpliciter recta.

6. R. 4. Conscientia *erronea* iterum duplex est; alia *vincibilis*, cujus error adhibita morali diligentia vitari, ideoque illa deponi potuit; si etiam debuit, simul *culpabilis* est, quia voluntarius est error. Alia *invincibilis*, cujus error morali etiam diligentia adhibita vitari, eaque deponi non potuit; si nec debuit, *inculpabilis* est, quia error non voluntarius est. *Moralis diligentia* illa censetur, quam homines prudentes in re alicujus momenti communiter adhibere solent. *La Croix* Lib. 1. N. 5. etiam conscientiam rectam et erroneam subdividit in physice et ethice vel moraliter talem. *Physice recta* est, quae nunciat de objecto, sicut a parte rei est. *Physice erronea*, quae aliter enunciat de objecto, quam a parte rei est. *Ethice recta*, quae est conformis appetitui recte ordinato, hoc est, parato ad implendam Dei legem; econtra *ethice erronea* est difformis appetitui bene ordinato. Hinc conscientia physice recta potest esse ethice erronea, v. g. si Petrus adolescens de homine, qui tanquam pater toti familiae huc usque praefuit, temere dicat: Hic homo non est pater meus: ergo nec a me amore filiali honorandus. Haec conscientia, ex supposito, quod vere ille homo non sit pater Petri, est physice recta, non tamen ethice, quia est difformis appetitui recto, vi cujus quilibet tenetur velle honorare eum, de quo prudenter dubitare non potest, quin sit pater suus, etiamsi forte pater non sit: adeoque secundum hanc conscientiam operans peccat. Econtra si de eodem homine dicat: Hic homo est pater meus, ideoque honorandus, habebit conscientiam ethice, non physice rectam. Idem exemplum est de adoratione hostiae forte non consecratae.

7. R. 5. Conscientia, in ordine ad motivum ponendi vel omittendi actum, alia est *certa*, alia *probabilis*, alia *dubia*, alia *perplexa*, alia *scrupulosa*; de quibus infra. Ob defectum judicii practici dubia et scrupulosa non merentur nomen conscientiae proprie dictae.

8. Denique ratione subjecti conscientia alia dicitur *tenera*, quae solicite, prudenter tamen curat vitare peccata etiam levia. Alia *laxa*, quae neglectis minoribus, solum curat vitare gravia. Alia *pharisaica*, quae magna parvi, et parva magni aestimat, secundum illud Matth. c. 23. v. 24. *Excolantes culicem, camelum autem glutientes.* Alia *cauteriata*, per quam operans ob depravatum vel induratum animum non curat instinctus et motus honestos, de qua 1. ad Tim. v. 2.; *Et cauteriatam habentium suam conscientiam.*

§. II. *Principia practica de Conscientia recta et erronea.*

9. Principium I. *Conscientiam rectam praecipientem et prohibentem semper tenemur sequi, ita ut quis peccet, si id omittat quod conscientia recta dictat sub praecepto esse agendum, vel agat illud quod dictat esse prohibitum.* Ita *Laymann* L. 1. c. 4. cum *communi*. Prob. 1. ex illo ad Rom.

c. 14. v. ult.; *Omne autem quod non est ex fide* (hoc est, quod non fit secundum, sed contra dictamen conscientiae, ut ait S. Ambros.) *peccatum est.* Confirmatur ex cap. 13. de restit. spoliat. ubi Innocentius III. ait: *Qui facit quid fit contra conscientiam, aedificat ad gehennam.* Prob. 2. rationes. Thomae 1. 2. q. 19. art. 3. et 4. Voluntas peccat, quando non sequitur in operando regulam proximam actionum humanarum; atqui in conscientia recta est regula proxima actionum humanarum; ergo. *Confirmatur.* Per conscientiam praesertim rectam intimatur nobis lex aeterna Dei, juxta illud Psal. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine*: ergo sicut tenemur in operando sequi legem Dei, ita etiam tenemur sequi conscientiam rectam legi Dei plano conformem. *Dixi supra: Conscientiam praecipientem vel prohibentem tenemur sequi*; per se enim patet, quod conscientia *consulens* tantum suadeat vel dissuadeat: ergo non obligat ad sui sequelam.

10. Principium II. *Conscientia invincibiliter erronea dictans aliquid faciendum esse tanquam praeceptum, aut omittendum tanquam prohibitum, etsi revera prohibitum non sit, nec praeceptum, pariter nos obligat tum negative (ne operemur contra eam, quamdiu eam non deponimus) tum positive* (hoc est, ut juxta eam operemur) *De Castro Palao* Tract. 1. Disp. 1. puncto 2. cum *Vasquez* hanc sententiam ait esse certam, ita ut contraria sine temeritate et periculo erroris non possit affirmari. *Prob.* 1. Rom. c. 14. v. 14. ait Apostolus: *Scio et confido in Domino Jesu, quia nihil commune per ipsum, nisi ei qui existimat quid commune esse, illi commune est*, hic agitur de cibis in V. L. prohibitis, qui vocabantur communes: hinc sensus est: licet Christus nullum cibum prohibuerit, respectu tamen illius, qui judicat aliquem cibum prohibitum esse, cibus se habet ac si vere prohibitus esset, et vi hujus fidei sive dictaminis debet ab eo abstinere, alias peccat: *Nam omne quod non est ex fide peccatum est*, ibidem v. ult. *Prob.* 2. Habens conscientiam talem, bona fide judicat existere legem Dei praecipientem v. g. mendacium ad avertendum ab alio malum; ergo qui operatur contra hoc dictamen suum, contemnit Deum Legislatorem, aeque ac si lex ista vere existeret; et e contrario si agat conformiter huic dictamini, reveretur auctoritatem Dei. *Prob.* 3. Lex Dei non applicatur nobis per se ipsam immediate, sed per dictamen rationis, adeoque hoc dictamen est immediata regula actionum humanarum: ergo si voluntas deflectat ab hoc dictamine, deflectit a sua regula: ergo hoc ipso non est recta. *Confirmatur.* Voluntas non fertur in objectum, ut est a parte rei, sed ut proponitur ab intellectu: ergo si proponatur hoc vel illud ut praeceptum, voluntas debet illud eligere; si ut prohibitum, debet illud fugere; alias hoc ipso vellet facere malum, eligendo id quod ab intellectu bona fide proponitur ut prohibitum, vel omittendo quod proponitur ut praeceptum; atqui velle facere malum, hoc ipso est malum: ergo.

11. Principium III. *Conscientia vincibiliter erronea non obligat, nec tamen licet eam sequi, sed tenemur prius inquirere in errorem, et sic eam deponere. 2. quamdiu autem non deponitur, non licet contra eam agere. Ratio primi est*, quia agens juxta conscientiam erroneam, quam posset, sed non vult deponere, voluntarie errat: ergo actio vel omissio, quam contra praeceptum ex errore indirecte voluntario admittit, ei imputatur ad culpam. *Confirmatur* hoc et praecedens principium ex *S. Thoma*, qui 1. 2. q. 19. a 6. in corp. ait: *Ignorantia quandoque causat involuntarium, quandoque autem non: et quia bonum et malum morale consistit in actu in quantum est voluntarius, manifestum est, quod illa ignorantia, quae causat involuntarium, tollit rationem boni et mali moralis; non autem illa, quae involuntarium non causat; dictum etiam est supra*, scil. q. 6. a. 8. *quod ignorantia, quae est aliquo modo volita sive directe sive indirecte, non causat involuntarium, et dico ignorantiam directe voluntariam, in quam actus*

voluntatis fertur; indirecte autem propter negligentiam, ex eo quod aliquis non vult illud scire, quod scire tenetur: si igitur ratio vel conscientia erret errore voluntario vel directe, vel propter negligentiam, quia est error circa id, quod quis scire tenetur, tunc talis error rationis vel conscientiae non excusat, quin voluntas concordans conscientiae sic erranti sit mala. Ratio secundi est ex illo communi, quod nunquam liceat agere contra conscientiam, quia sic agens committeret id quod judicaret esse prohibitum, vel omitteret id quod judicaret esse praeceptum. Nec homo in tali casu constitutus, etsi futurus sit perplexus et ex hypothesi necessario peccaturus necessitate consequente, coquod stante conscientia vincibiliter erronea non possit effugere peccatum, absolute tamen et simpliciter non peccabit necessario, quia talem conscientiam nec sequi debet, nec contra eam facere, sed potest et debet eam deponere cum sit error vincibilis et culpabilis, et tunc operari.

12. Principium IV. *Conscientia consequens nec potest actionem praeteritam reddere bonam, nec malam;* quia non est regula respectu illius; actio enim praeterita non amplius potest dirigi, nunc autem talis est coram Deo, qualis tunc fuit conscientia, quando actio fuit posita. Unde notandum, peccata olim in juventute aut alias commissa exponenda esse non secundum judicium quod quis nunc de illis habet, sed secundum illud quod tunc habuit, quando peccavit; attendendum tamen, an conscientia erronea, in qua quis peccavit, vincibilis an invincibilis fuerit. Attendi etiam eadem conscientia consequens utiliter potest in ordine ad dirigendos actus futuros; neque inutiliter quaerunt poenitentes, quomodo peccaverint, ut nimirum sciant, quid imposterum fugere debeant, an forte scandalum tollendum. Inutiliter autem saepius quaerunt anxii ex libris et Confessariis, quodnam tunc habuerint dictamen, quando operati sunt; hoc enim Confessarius scire nequit, sed ipse poenitens se debet prudenter, non nimis anxie examinare. Ita *La Croix* Lib. 1. N. 44. Plura de scrupulosis infra.

§. III. *Resolutio Casuum de Conscientia recta et erronea.*

Casus I.

Aaron opifex die Dominica aliquot horis laborat contra conscientiam dictantem, hoc esse peccatum, quin tamen cogitet, an sit grave vel leve.

13. *Quaer.* I. Quomodo peccet agens contra conscientiam. R. Cum *Laymann* L. 1. C. 4., *Taberna* Tract. 2. C. 2. q. 2. peccat mortaliter vel venialiter, et in ea specie peccati, prout conscientia dictaverit, peccatum esse grave vel leve, contra hanc vel illam virtutem, v. g. putans esse jejunium, quando non est, peccat contra temperantiam, si non jejunet. Item qui arbitratur, ex lege misericordiae se graviter obligari ad mentiendum ad utilitatem proximi, peccat graviter contra misericordiam non mentiendo. *Ratio* est, quia actus voluntatis specificatur ab objectis suis, non prout sunt in se, sed prout proponuntur ab intellectu et prout voluntas in illa tendit: ergo si objectum ex se malum invincibiliter proponatur ut bonum, specificabit volitionem sui ut bonam, et econtra ut graviter malam, si ita proponatur ab intellectu.

14. *Quaer.* II. Quomodo peccet Aaron. R. 1. Cum *Burghaber* Cent. 1. Casu 20. et aliis ibidem cit. Ex supposito, quod abstrahat plane a malitia mortali vel veniali, peccat venialiter. *Ratio* est 1. Quia ad peccandum mortaliter requiritur cognitio prohibitionis et malitiae gravis, aut obligationis gravis ulterius inquirendi: atqui hanc cognitionem non habet Aaron: ergo. 2. Quia nimis durum videtur, hominem, qui cum tali cognitione abstractiva leve mendacium committit, reum judicare poenae aeternae. 3. Quia sic operans praesumitur se virtualiter determinare ad levius peccatum. Contrarium tenent *De Castro*

Palao, Azor, etc. *Dixi*, Aaronem venialiter peccare, quia ad hoc sufficit cognoscere malitiam quamcumque. *NB.* Haec mitior sententia videtur esse certa in iis, qui ordinarie a peccatis gravioribus abhorrent.

R. 2. Cum *Taberna* et *Jansen*. Si vero Aaron ita esset comparatus animo, ut velit laborare, sive sit mortale sive veniale, peccaret graviter; similiter si studio negligat occasionem inquirendi, an sit mortale vel veniale, ne teneatur abstinere a labore. *Ratio* est, quia sic periculo peccati mortalis se libere exponeret, imo re ipsa amplecteretur saltem indeterminate malitiam mortalem, quam sufficienter agnosceret.

15. *Quaer.* III. Quid Confessario observandum sit circa ejusmodi poenitentes, quales solent esse rudes, qui se accusant de imprecationibus, contumeliis, pravis cogitationibus etc. quin cogitent de malitia gravi vel levi. R. cum *La Croix* et *Jansen*. Cum in praxi raro conjuncta esse videatur plena inadvertentia ad omnem malitiam, quamvis reflexa, et signata illius cognitio saepe absit, quaerat Confessarius 1. an non saltem confuse adverterit poenitens materiae gravitatem vel levitatem. 2. An voluntas ita sit constituta, ut ordinarie tale objectum fortiter refugiat, et tum signum esse poterit, quod apprehenderit malitiam gravem; secus, si tantum leviter. 3. Quaerat, an non saltem in confuso suspicatus fuerit subesse periculum peccati gravioris, quo casu graviter peccasse censendus est. Alias regulas ipse status poenitentis, et prudentia Confessarii pro circumstantiis praesentibus facile suggerent ad rectum judicium formandum.

Casus II.

Agar ancilla rustici confitetur: 1. *Decies omisi preces Confraternitatis ex negligentia (non addendo quod judicaverit, singulas omissiones esse graviter peccaminosas)* 2. *Ter diebus Dominicis non audiendo Sacrum graviter deliqui debebam autem domum custodire, et cibos coquere.* 3. *Semel neglexi Sacrum, ideoque graviter peccavi, sed eram eo tempore periculosissime decumbens, imo jam destituta omnibus sensibus.* 4. *Sub precibus saepissime habui incastas et blasphemas cogitationes, ita ut numerum exprimere nequeam. Blasphemis cogitationibus dum conor resistere, resistentia mihi non videtur seria; hinc semper anxia sum. Confessarius dissimulans errores, poenitentiam injungit, et poenitentem absolvit.*

16. *Quaer.* I. An quoad primum Agar peccaverit mortaliter, item an recte fuerit confessa. R. ad 1. Ex conscientia erronea peccavit graviter, ex dictis N. 10. et 13. R. ad 2. Non satisfecit simpliciter ita confitendo, sed debuisset addere, se apprehendisse in singulis omissionibus malitiam gravem; alias Confessarius non potuit venire in notitiam peccatorum gravium, quorum poenitens rea fuit ex conscientia erronea.

17. *Quaer.* II. An quoad secundum peccaverit graviter R. affirm. cum *Dicastillo* de juram. D. 2. N. 234. *Ratio* est, quia contra conscientiam dictantem omisit Sacrum, quod *absolute* potuit audire, et ad quod audiendum se etiam stante juxta excusatione, ex conscientia erronea obligatam judicabat. Vide *Bonacin.* Disp. de peccatis Q. 4. p. 6. n. 24. et 25.

18. *Quaer.* III. An quoad tertium peccaverit graviter. R. Cum *Laymann* L. 1. C. 4. *negative;* quia, ut aliquis peccet agendo contra conscientiam necessarium est, ut actio vel omissio sit libera; atqui omissio Sacri in nostro casu non erat libera, quia non erat in potestate periculosissime decumbentis ancillae audire Sacrum: ergo. Idem est judicium de incarceratis, qui non peccant omittendo Sacrum quantumcumque putent, se ad illud audiendum teneri. *Si quaeras*: Quid ergo deberet facere omittens Sacrum ex conscientia erronea, quod absolute non posset audire? R. Debet conscientiam deponere, formato judicio facile obvio: absolute non possum audire; ergo nec pecco omittendo.

19. *Quaer.* IV. Quid de cogitationibus incastis sentiendum in dato casu. R. Ex supposito, quod nec voluntarie iis inhaeserit Agar, nec delectata fuerit, multo minus consensum praebuerit, non peccavit, etsi erronee judicarit se peccare quia non est in potestate hominis, facere ut plane non incidant ejusmodi cogitationes, adeoque non sunt liberae.

20. *Quaer.* V. An per blasphemas cogitationes videatur Agar peccasse. R. Cum *Burghaber* Cent. 1. casu 47. *negative;* quia potius Agar ex nimia intensione, et copia phantasmatum, quae nimis importune se ingerunt, et forte ex horrore peccati simul ita perturbatur, ut discernere nequeat, an serio restiterit. Neque in tam anxio conflictu libertas subsistere videtur.

21. *Quaer.* VI. Quid Confessarius debeat agere cum iis, qui laborant conscientia erronea. R. 1. *Per se* loquendo Confessarius tenetur monere poenitentem errore etiam invincibili laborantem, quia ut Medicus spiritualis debet providere, ne poenitens etiam materialiter peccet. *Per accidens* tamen errorem invincibilem prudenter dissimulat, quando ex admonitione non speratur fructus, aut obstat grave scandalum, vel imminet grave periculum, ne poenitens, qui hucusque peccavit tantum materialiter, incipiat peccare formaliter, neglecta admonitione. *Ratio* est, quia inter duo mala, quorum utrumque non potest evitari, minus est eligendum. Ex his R. 2. cum *Taberna* tom. 2. c. 2. q. 6. *Sporer* et aliis, si Confessarius advertat, conscientiam erroneam poenitentis esse graviter culpabilem, debet illum monere, ut illam deponat, quia sine hujus culpae correctione confessio esset nulla ex defectu dispositionis in poenitente.

2. Debet monere, si poenitens ex quocunque errore aliquid crederei esse mortale peccatum, quod vel nullum vel tantum leve in se est, vel e contrario; quia Confessarii est, impedire peccatum, et praeservare poenitentem a peccato, quantum potest: atqui in tali casu potest id praestare per solam admonitionem et instructionem: ergo. Hinc debuisset moneri Agar, quod omissio precum illarum non sit peccaminosa, nec omissio Sacri ob justam causam.

3. Quando ex dissimulatione sequeretur grave damnum vel poenitentis, vel alterius, vel communitatis, aut nullitas Sacramenti cujuscumque, v. g. si poenitens putat, hoc vel illud non esse necessarium ad salutem, quod tamen necessarium est; aut dolorem non esse necessariam partem Poenitentiae: vel si ob sola venialia doleret, quod poenas inferni promeritus sit; denique si ipse confitens de gravi errore dubitet et interroget, in his casibus non licet dissimulare errorem etiam invincibilem. sed Confessarius debet poenitentem vel instruere, vel sine absolutione dimittere, ac monere, ut instructus redeat. Vide propositionem 64. ab Innocentio XI damnatam.

4. Nec dissimulandum, si confitens cum impedimento dirimente etiam invincibiliter ignorato matrimonium inire cogitet, aut co jam inito impedimentum fieret publicum. De hoc plura in P. 2. de Matrim.

Casus III.

Absalon studiosus inter condiscipulos scandalosa loquitur, non putans esse scandalosa, sed honeste jocosa. Inter loquendum advertit, quod scandalum praebeat: hinc in proxima confessione se accusat de gravi scandalo dato.

22. *Quaer.* I. An graviter peccaverit, et bene confessus fuerit. R. Si, dum advertit scandalum, statim cessavit ab actu, non peccavit, adeoque male confitetur, quia advertentia sequens actum non potest illum reddere malum; si vero Absalon, quam primum advertit peccatum scandali, perrexit in sermone scandaloso, utique peccavit, et bene confitetur. Ita *P. Schezer in suo Examine* §. 3. *de Conscientia* in simili casu de detractore.

23. *Quaer.* II. Quid sit agendum, si quis in ipso actu, aut actui proximus vel postea dubitet vel timeat, ne peccet aut peccarit. R. Si actum non possit differre aut omittere, debet sibi, quantum potest, facere dictamen practicum, quod licite agat, sicut perplexus positus in necessitate agendi: si post actum prudenter dubitet, aut certo deprehendat, se male egisse, de errore commisso, si vincibilis fuerit, doleat, et si error gravis fuerit, eundem confiteatur, damnum inde forte exortum reparare studeat, et posthac cautior sit.

Reliqua hic observanda.

24. I. Juxta P. *La Croix* operans ex conscientia invincibiliter erronea duo dictamina habet. 1. Vocat directum, v. g. quando mendacio possum impedire damnum proximi, obligor mentiri; atqui nunc hoc possum: ergo obligor mentiri. 2. Vocat reflexum, v. g. quando bona fide judico, me obligari ad mendacium, pecco si non mentior; atqui nunc ad impediendum damnum bona fide judico me obligari ad mendacium; ergo pecco si non mentior.

25. II. Conscientia erronea licet non derivetur a lege Dei primaria antecedente, et per se obligante, oritur tamen a lege Dei secundaria consequente et per accidens obligante tum, quando lex Dei primaria invincibiliter ignoratur. Voluntas *primaria* est illa, qua Deus nos obligat ad aliquid faciendum vel omittendum ex supposito, quod habeamus veram legis cognitionem. *Secundaria* autem est, per quam Deus nobis aliquid praecipit vel permittit ex suppositione ignorantiae invincibilis. Nimirum sicut s. Thomas et Theologi communiter dividunt voluntatem Dei in antecedentem et consequentem, docentque quod per antecedentem velit omnes homines salvos fieri, per consequentem autem idem non velit; ita legem vel voluntatem Dei dividimus, et dicimus, quo Deus per voluntatem primariam saepe aliquid prohibeat, quod per secundariam permittit vel praecipit. Sic fateri debent omnes, qui invincibilem legis aeternae ignorantiam dari posse, et operantem a peccato formali, stante hac ignorantia, excusari concedunt. Vide propositionem secundam damnatam ab Alexandro VIII. *Ratio* damnationis contra Jansenii sectatores est ex *S. August.* L. de nat. et grat. C. 67. quia *non tibi reputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quando negligis quaerere, quod ignoras:* item ex *S. Thoma* P. 2. q. 76. a. 3. quia *ignorantia invincibilis causat involuntarium. Confirm.* ex eo quod alias illa, qui invincibiliter putat hic et nunc mentiendum esse ad salvandam vitam innocentis, necessario peccaret tam mentiendo, quam non mentiendo.

26. III. Ut Confessarius agnoscat, an poenitens laboret conscientia erronea vincibili aut invincibili, interroget. 1. An aliquam in hoc vel illo actu indecentiam adverterit. 2. An suspicatus fuerit, subesse peccatum vel peccandi periculum. 3. An dictaverit conscientia, saltem interrogandum esse Confessarium. 4. An occasionem interrogandi ex verecundia vel ex metu neglexerit, aut forte ideo, ne posthac teneretur abstinere ab hoc vel illo actu. Si poenitens ad unum vel alterum ex his (omnia enim omnibus proponenda necessario non sunt) respondeat affirmative, censeri potest, quod fuerit in culpabili errore, secus, si neget. Vide dicta in Casu I.

27. IV. Quando tentati variis cogitationibus pravis, et quasi assuefacti se excusant, quod nesciverint peccatum committi iis inhaerendo, quaerat Confessarius, an sine ullo remorsu conscientiae iis adhaeserint, et advertat, hoc duplicem habere sensum; vel enim *sine remorsu*, significat, quod nullo modo cognoverint ejusmodi cogitationes esse peccaminosas, hoc sensu non peccassent inhaerendo, ex supposito invincibilis ignorantiae: vel tantum significat, quod non habuerint sensibilem et actualem anxietatem iis inhaerendo, soleant tamen habere judicium tenue, quale habent perfecti artifices imper-

ceptibiliter se reflectendo ad regulas artis, hoc sensu probabile indicium esset, quod error vincibilis fuerit, culpabilis secundum qualitatem materiae et finis.

CAPUT II. *De conscientia dubia et perplexa.*

§. I. *Praeviae Quaestiones ad praesentem materiam.*

Quaer. I. *Quid et quotuplex sit Conscientia dubia.*

28. R. 1. *Dubium est suspensio judicii neutri parti assentientis,* vel ut alii: *Est suspensio intellectus circa utramque partem contradictionis.* Hinc conscientia dubia est, quae de actionis honestate haeret suspensa, ideoque proprie non est conscientia, quia stante dubio intellectus nec dictat actionem esse licitam, nec illicitam.

29. R. 2. Dubium *primo* aliud est *negativum*, quando intellectus manet suspensus ex defectu sufficientis motivi ad judicandum. Quando autem nullum omnino motivum occurrit, potius ignorantia, quam dubium vocatur a *Bambest.* T. 1. D. 3. a. 1. §. 1. n. 5. Aliud est *positivum*, quando intellectus est ideo suspensus, quia pro utraque parte habet sufficientia motiva, et hoc merito vocatur dubium prudens.

30 *Secundo* aliud est *dubium juris*, quando dubitatur de existentia legis vel ejus obligatione, aut legitima facultate agendi vel de legitimo actus valore. Ita *Laymann* de conscient. C. 5. n. 2. Juxta alios dubium juris est, quod versatur circa licitum vel illicitum, aut etiam circa validum aut invalidum operis. Aliud *dubium facti*, quando ambigitur, an aliquid factum sit, nec ne, an hoc modo, an alio, v. g. utrum votum sit editum, utrum aetas septennii sit completa. *Laymann* ibid.

31. *Tertio* dubium dividitur in *speculativum et practicum. Pure speculativum* est, quod versatur circa rem secundum se tantum consideratam, et omnibus exutam circumstantiis, abstrahendo de operatione et praxi, v. g. si dubitetur, an valeat Baptismus collatus in nomine Christi: vel in quo essentia Sacramenti consistat. *Practicum* est, quod versatur circa rem exercendam hic et nunc, adeoque ut affectam omnibus circumstantiis, quando dubitatur de aliqua operatione humana, v. g. an nunc licitum sit mentiri. *NB.* Si dubitetur de aliqua operatione generatim praescindendo a circumstantiis particularibus, vocatur *dubium generale, speculative et remote practicum*, ex communi usu etiam simpliciter speculativum, v. g. si dubites, an liceat die festo pingere, Sacrum omittere. Quando autem dubitatur de aliqua actione, vel omissione in particulari in his vel illis circumstantiis exercenda, vocatur *dubium particulare, proxime sive practice practicum;* ut si dubites, an tibi liceat hoc festo propter urgentem necessitatem laborare.

Denique sicut ignorantia et error, ita etiam dubium potest esse *vincibile*, si vinci ac deponi possit, aut *invincibile*, si non possit.

Q. II. *Quid sit conscientia perplexa.*

32. R. Est dictamen, quo intellectus judicat committi peccatum, quaecumque pars opposita eligatur, quarum tamen una necessario eligenda est v. g. putas te peccare, si hoc die festo, quo inservis aegroto negligas Sacrum; simul judicas, te peccare, si audiendo Missam negligas aegrotum.

§. II. *Principia practica de Conscientia dubia.*

33. Principium I. *Nunquam licet operari cum conscientia practice dubia, ideoque peccat, qui actu dubitat, an haec actio vel omissio sit licita, et tamen stante adhuc dubio agit vel omittit; et quidem peccato ejusdem rationis ac speciei, cujus est peccatum, de quo dubitat.* Ita

S. Thom. Quolib. 8. a. 13. *Th. Sanch.* L. 1. de Praecep. C. 10. n. 6., *Laymann* L. 1. C. 5. § 1. *cum communi. Prob. prima pars.* Juxta Apost ad Rom. c. 14. v. ult. *Omne quod non est ex fide* (h. e. quod non fit cum determinato judicio intellectus, licitum esse, quod hic et nunc agitur vel omittitur) *peccatum est:* atqui actio vel omissio, quae exercetur cum conscientia practice dubia, non fit ex determinato judicio: ergo. *Prob. II. utraque Pars:* Quisquis sciens ac volens se exponit periculo peccati formalis, peccat formaliter, et quidem peccato ejusdem rationis ac speciei, cujus periculo se exponit, juxta illud *Ecclesiast.* 3. *v.* 27. *Qui amat periculum in illo peribit:* atqui operans cum conscientia dubia amat periculum, et quidem proximum peccati formalis, huic libere se exponendo et eligendo actionem, de qua aeque credit, quod sit illicita ac licita: ergo *Confirm.* Sic operans implicite et interpretative dicit: Volo hoc agere, sive licitum, sive illicitum sit; quod jam est contra regulas prudentiae et virtualis contemptus divinae legis. Pariter, qui dubitat, an hoc agere sit mortale, et tamen agit; ita comparatus est animo, ut dicat: Etsi hoc agere sit mortale peccatum, tamen agam; ergo hoc ipso graviter peccat. Qui vero de veniali tantum dubitat, delinquit venialiter; qui in genere dubitat, an peccet, nullo modo apprehendendo, an graviter vel leviter, probabilius tantum peccat venialiter, *vide* N. 14., et qui dubitat de furto sacrilego, committit furando sacrilegium.

34. Principium II. *Cum conscientia speculative dubia licet operari, dummodo operans practice judicet prudenter, se hic et nunc licite operari.* Ita *Scotus* in 4. dist. 30. q. 2., et alii Theologi communiter. *Th. Sanch.* l. c. n. 7. ad talem casum duo praesupponit: 1. ut sufficiens diligentia ad vincendum dubium speculativum adhibita sit, ne culpabilis sit ignorantia; 2. ut subsit rationabilis causa variandi practice dubium speculativum, quod deponi nequit. *Ratio principii* est: quia saepe, adhibita quacunque diligentia, non potest haberi judicium speculativum certum, et tamen practice, hoc est, in particulari potest formari prudens judicium hoc vel illud in his circumstantiis esse licitum: ergo. *Antecedens* declaratur a *Babenst.* T. 1. Disp. 3. a. 1. §. 2. num. 11 David 1. Reg. 21. prudenter judicavit, propter extremam necessitatem famis licitum esse, comedere panes propositionis, quamvis judicio speculativo sciverit, id Laico esse illicitum. Judaei 1. Machab. 2. prudenter judicarunt licitum sibi esse propter instans periculum excidii Sabbato inire praelium, quamvis cognoverint, praeliari die Sabbati in Lege esse prohibitum: ergo si cum judicio speculativo de inhonestate actionis stare potest judicium practicum prudens de illius honestate, multo magis stare poterit cum dubio speculativo. *Confirm.* I. ex *S. Aug.* L. 22. contra Faustum c. 75. Subditus licet speculative nesciat, an bellum sui Principis sit justum, in particulari tamen judicare potest prudenter, licitum sibi esse sub Principe suo militare. *Confirm. II.* ex cap. *Dominus*, de secundis nuptiis. Mulier, quae bona fide contraxit matrimonium, si postea superveniet dubium de valore matrimonii, potest in particulari prudenter judicare, hic et nunc licitum sibi esse, debitum reddere. Ergo stante dubio speculativo, fieri potest dictamen practicum prudens de honestate actionis. Ergo et ipsa actio est honesta.

Quaer. I. Ex quibus potissimum regulis possit deponi dubium juris.

35. R. Regulae universales a *P. Stoz.* L. 1. P. 5., *P. Elbel*, aliisque collectae sunt: *Prima Reg. Sequendo vere probabilem sententiam*, ut dicetur §. seq. *Secunda Reg. Melior est in dubio conditio possidentis*, hoc est si rem aliquam *bona fide* possideas ut tuam, postea vero incipias dubitare, an vere tua sit, an aliena, et post diligentem inquisitionem non possis deprehendere veritatem, vi hujus principii recte te resolvis, quod stante dubio speculativo possis ea re uti tanquam tua. Desumitur hoc principium ex *reg.* 65. *juris* in 6.: *In pari delicto vel causa, potior est conditio possidentis.* Valet autem haec regula non tantum in materia justitiae, ut affirmat *Communis*, sed etiam alia-

rum virtutum, v. g. temperantiae, obedientiae, religionis etc., *per se loquendo, et seclusa lege positiva* quae expresse aliud statuat in casu particulari. Ita *Th. Sanch.* L. 1. Decal. C. 10. n. 11. *Suar.* 1. 2. T. 3. D. 12. S. 5. n. 8., *Terillus* hic q. 23., *Stoz.* L. 1. P. 1. *Sporer* n. 75. hanc sententiam nunc receptam vocat contra *Azor*, *Elizalde*, *Camargo*, et alios. *Ratio* est: ideo in materia justitiae melior est conditio possidentis, quia possessor praeter jus dubium, quod habet aequale cum non possessore, simul habet titulum certum possessionis: atqui etiam in materiis aliarum virtutum praeter dubiam obligationem habetur certus titulus possessionis pro libertate: ergo etiam in materia aliarum virtutum stante dubio v. g. de existentia legis, voti etc. melior est conditio possidentis, nempe libertatis. *Confirm.* Ideo juxta ipsos adversarios in dubio negativo (quando scilicet nulla ratio gravis affirmandi, vel negandi legis existentiam circa materias aliarum virtutum occurrit) melior est conditio libertatis, tanquam possidentis, quia lex negative dubia non est sufficienter intimata dubitanti, et quia obligatio sequendi tutiorem in ejusmodi dubiis est valde difficilis, occasio scrupulorum, et peccatorum formalium, atqui haec omnia probant pariter pro dubio positivo: ergo.

36. *Tertia Reg.* Ad deponendum dubium juris etiam servit *auctoritas doctorum virorum: exemplum bonorum: tolerantia legislatoris: consuetudo universalis Ecclesiae, et praxis Ecclesiasticorum tribunalium.*

Quaer. II. Ex quibus potissimum regulis possit deponi dubium facti.

37. *R. Prima* est: *In dubio factum non praesumitur, sed demonstrari debet.* Desumitur ex *L. in bello, ff. de captivis et postliminio reversis.*

38. *Secunda: Quando autem aliquid factum est, praesumptio est pro valore actus.* Intellige; si *factum principale* sit certum, et dubitetur tantum de accessorio, quod faciendum erat: tale accessorium praesumitur, v. g. audivisti Missam, dubitas, an attente, praesumitur attentio. Desumitur ex *L. in contrahenda, ff. de reg. jur. Factum in dubio praesumitur, si illud de jure faciendum erat*, vel communiter fieri solet, aut ex natura rei inesse videatur. *Laymann* de conscient. c. 5. num. 30., ubi addit, quod factum etiam praesumatur, si haec praesumptio sit favorabilis ei, qui factum affirmat: magis enim est, ut existimemus, munus suum recte obiisse, atque in eo, quod egit, nihil necessarium omisisse. Delictum autem et defectus non praesumitur, sed demonstrari debet. Exempla occurrent in resol. cas.

Q. III. Unde colligendum sit, quaenam pars sit in possessione.

39. R. Ex principiis *Suaresii* de LL. L. 6. C. 8. *Bardi* Discept. 5. C. 5., *Mezger* Tr. 5. D. 12. art. 3., et plurimorum RR. I. *In dubio juris* attendendum est, an illa pars quae potest inducere obligationem et arctare libertatem, sit certa, vel prior ante exortum dubium; tum pro lege et obligatione stat possessio: v. g. dubitas post diligens examen de existentia legis aut juramenti, vel de essentiali requisito ad legem, an sit promulgata; non obligaris lege et juramento, quia tua libertas est in possessione: certum enim est, quod ante legem et juramentum fueris liber: certa autem libertas per legem aut juramentum dubium non tollitur.

Econtra si dubites; an lex cesset, an consuetudo legitima sit abrogata, possessio est pro lege et consuetudine; hae enim sunt certae, et ante exortum dubium erant, cessatio autem incerta est, uti et abrogatio.

II. *In dubio facti* attendendum est, pro qua parte stet praesumptio juris et fori externi; nam pro illa etiam stabit possessio. At *pro qua parte stat praesumptio?* R. Pro illa, quae onus probandi in aliam rejicit. Vel iterum, ut supra, quae est certa, et prior exorto dubio, vel saltem magis favorabilis dubitanti de facto, ut n. 38. ex *Laymann* dixi: v. g. post diligens examen dubitas, an juramento satisfeceris? possessio est pro juramento, hoc enim certum est: onus autem probandi, quod satisfeceris, tibi in-

cumbit; adeoque manes obligatus, nec enim debito certo satisfit per solutionem incertam.

Principia practica de Conscientia perplexa.

40. 1. Dubius ex obligationibus et praeceptis contrariis, sive perplexus de opere postea faciendo tenetur adhibere media, v. g. exquirere aliorum consilia, si possit, ad tollendam perplexitatem, priusquam tempus operis exequendi adveniat: quivis enim tenetur adhibere media evitandi illud, per quod putat Deum offendi.

2. Si non possit inquirere, vel post inquisitionem maneat perplexus, consideret (quantum tempus patitur) utrum ex duobus videatur minus malum, illudque eligat, et non peccabit; exercite enim tolletur perplexitas hoc dictamine practico: ex duobus malis minus eligendo non pecco.

3. Si utrumque videatur aeque grave, non peccabit, quidquid egerit ob defectum libertatis. *Laymann* de Consc. Cap. 4. sub fin. *Henriquez.* L. 12. C. 6. n. 7.

Addit *La Croix* hic n. 86., si perplexus sciat, unam partem esse peccatum, et dubitet, an altera sit peccatum; si utrumque sit aequale, tenetur eligere id, de quo dubitat: quia, qui eligit tantum dubium, magis recedit a malitia, quam qui eligit certum peccatum.

§. III. *Resolvuntur Casus.*

Casus I.

Abraham Neo-Catholicus se accusat: 1. *Dubitavi saepius de reali praesentia Christi in Eucharistia, cogitando de doctrina Calvinistarum, et quaerendo in Catechismo probationes hujus articuli fidei.* 2. *Festo S. Burchardi, specialis Patroni Franconiae, videns multos properare ad templum, dubitavi, an non sit obligatio audiendi Missam: ulterius non inquisivi, sed omisi Sacrum, cogitans, tantum esse scrupulum.*

41. *Q.* I. An dubium Abrahami fuerit vere tale, et peccaminosum. R. Cogitando praecise, et inquirendo proprie non dubitavit, nec peccavit; dubium enim non est mera apprehensio partis oppositae; alias, quisquis tentaretur in fide, dubitaret. Neque etiam inquisitio arguit dubium de se, alias Doctores conquirentes argumenta ad stabiliendam fidem, dubitarent. Dubium autem proprie tale superaddit talem animi dispositionem, qua dubitans explicite vel implicite putet, alterutram partem esse incertam. Adeoque peccasset Abraham, si motiva veritati revelatae opposita ita perpendisset, ut propter illa assensum fidei suspendisset, et saltem virtualiter judicasset, motiva credendi non esse majoris momenti, quam sint motiva contraria. Ita *La Croix* de Consc. num. 70.

42. *Q.* II. An Abraham recte deposuerit pro beneplacito suo dubium. R. *Negative;* quia contra dubium prudens per solum affectum et beneplacitum voluntatis sine rationabili motivo, nec ulterius inquirendo in veritatem, non potuit habere prudens dictamen, imo adhuc se exposuit periculo peccandi. *Ex principiis Tabernae* T. 2. c. 2. q. 5. Aliud foret, si dubium sine ratione temere conceptum esset, tum potuisset sine nova ratione deponi, uti contingit in scrupulis veris. *Busemb.* de Consc. c. 2. Dub. 1.

43. *Q.* III. Quomodo debeat dubium practice deponi. R. Qui dubitat de obligatione aliquid praestandi, tenetur adhibere moralem diligentiam ad cognoscendam veritatem, et obligationem legis, alias operando peccabit ex ignorantia culpabili. Si per inquisitionem necdum possit deponere dubium speculativum, consultum quidem foret et tutissimum, praestare illud, de cu-

jus praestandi obligatione dubitat; vel omittere id, quod prohibitum esse sub dubio timet; nihilominus poterit se practice resolvere in alteram partem contra dubium speculativum per prudens judicium reflexum, facile etiam rudibus obvium: v. g. dubito quidem an hodie sit obligatio audiendi Sacrum, sed quia mihi de hac obligatione satis non constat, nec possum experiri, an illa existat, ea non teneor, utpote quam invincibiliter ignoro, ideoque non pecco, hodie omittendo Sacrum. Ita AA. n. 34. cit. Si vero maneat dubium speculativum ex eo, quia vel non potest, vel non vult inquirere in veritatem, neque etiam possit aut nolit dictamen practicum dicto modo facere, tenetur operans eligere partem tutiorem. *Ratio* est: quia, si dubio non deposito eligeret id, quod est minus tutum, exponeret se periculo peccandi formaliter. Huc pertinet regula juris ex cap. ad audientiam, *in dubio tutior pars est eligenda.*

Casus II.

Adamus nocte praecedente diem Cinerum cum suis domesticis animose adhuc carnes comedit, quamvis dubitet, an non jam esset hora duodecima, adeoque dies jejunii jam inceperit. Alias protraxit coenam usque ad seram noctem; altera vero die volens accedere ad S. Communionem, dubitat an non post horam duodecimam adhuc semel biberit? quaerit igitur ex Confessario, an liceat sibi accedere ad sacram mensam.

44. *Quaer.* I. An Adamus peccaverit comedendo carnes, dubius de die jejunii jam inchoato. R. Si practice non deposuerit dubium, peccavit juxta dicta num. 33.; si vero post sufficientem inquisitionem, permanente dubio, practice se resolverit ex eo, quod sit in possessione suae libertatis, dum habuerit jus certum comedendi carnes ante exortum dubium usque ad initium diei jejunii, quo jure non potuit privari per dubium de finito tempore, non peccavit.

45. Ex eodem dictamine is, qui post sufficientem inquisitionem dubius est, an attigerit annum vigesimum primum, quo incipit obligatio jejunandi, prudenter se resolvit, quod non obligetur ad jejunium.

46. Econtra dubius, an compleverit annum vigesimum primum aetatis, tenetur abstinere a suscipiendis sacris ordinibus; quia lex Canonica, quae ante completos *certos* annos prohibet ordinari, certa est, et in possessione; incertum vero, an completi sint anni requisiti: ergo.

47. Eodem modo qui dubitat ipsa die jejunii an audita sit hora duodecima noctis, debet abstinere ab esu carnis, quia dies jejunii adhuc est in possessione; incertum vero, an finita sit cum die obligatio jejunii.

48. Pariter senex dubius, an expleverit annum sexagesimum (ex supposito, quod tum incipiat relaxatio jejunii) tenetur adhuc jejunare; quia obligatio jejunii usque ad hunc annum caeteris paribus certa est, incertum vero, an is attigerit hunc annum, et consequenter etiam incertum, an finita sit obligatio jejunandi. Ita *Laymann* de Consc. c. 5. §. 4., et cum eo plerique TT.

49. *Quaer.* II. An Confessarius debuerit dissuadere S. Communionem. R. Praecise propter dubium non debuit dissuadere, quia impedimentum dubium Adamo non potest tollere jus certum: atqui impedimentum fuit dubium, jus vero ad S. Communionem accedendi certum: ergo. Idem de sacerdote in simili casu dubio respondent *Laymann* l. c. *Dicastillo* tom. 1. de Sacram. T. 4. num. 284., *Cardenas* in 1. Cris. Theol. T. 3. de Leg. D. 26. n. 87., quod etiam ex sola devotione sacrificare possit. *Ratio ulterior est*, quia lex Ecclesiastica praecipiens, ut sacerdos celebret, vel alius communicet jejunus, non videtur tam arcte constringere velle conscientias maxime in dubio facti, quod aliunde non praesumitur. Idem est respondendum iis qui dubitant, an non inter lavandum guttam aliquam deglutierint.

50. *Nec dicas cum Sanchez*, quod sacerdos dubius propter reverentiam Sacramenti teneatur partem tutiorem eligere. Nam juxta dictamen practicum nulla est obligatio legis Ecclesiasticae: ergo etiam nulla irreverentia. Aliud foret, si dubitaretur de aliquo, quod ad substantiam Sacramenti pertinet, et ab Ecclesiae voluntate non dependet. Vide Propos. primam ab Innocentio XI damnatam.

Dixi in resp. praecise propter dubium; quia ejusmodi bibuli, qui saepius medias noctes consumunt bibendo, ex eo merito arcentur a S. Communione, quia mane ob turbatum caput minus dispositi sunt ad devote communicandum.

Casus III.

Almachius sutor dubitat die jejunii, an propter labores suos ordinarios ab obligatione jejunii sit excusatus: consulit Cajum vicinum fabrum qui respondet, quod labores quieti sutorum et sartorum non excusent ab obligatione jejunii: contrarium reponit adstans sartor. Hinc Almachius dubius, ut ante, domum revertitur.

51. *Quaer.* An Almachius, manente excusatione dubia, debuerit jejunare. R. Affirmative: excusatio enim incerta non tollit obligationem certam jam existentem ante exortum dubium. Vide dicta n. 35.

Casus IV.

Anna honesta matrona, dum se ad confessionem praeparat, peccati mortalis olim commissi recordatur, dubiaque haeret, an illud unquam fuerit confessa. 2. Dubitat, an in proxima confessione dolorem elicuerit.

52. *Quaer.* I. An teneatur Anna peccatum grave olim commissum, de quo dubitat, adhuc confiteri. R. *Laymann* de Consc. c. 5. n. 37. cum *Sanchez* L. 1. Moral. c. 10. n. 71. Ex supposito, quod non sit merus scrupulus, neque etiam probabiliter possit judicare, quod illud confessa sit, adhuc tenetur confiteri; quia habetur certa conscientia peccati, certa etiam est lex confitendi, dubia autem confessio; facta ergo certa lex confitendi manet in possessione. *Bardi* p. 4. c. 11. §. 2.

53. *Quaer.* II. An prudenter Anna possit praesumere, quod in proxima confessione elicuerit dolorem. R. Cum *La Croix* hic n. 90. Potest ita praesumere. Cum enim confessio sacramentalis tanquam actus principalis certo positus sit, judicare prudenter potest omnia essentialia ad confessionem fuisse posita. *Idem* n. 91. cum *Stoz* L. 1. n. 150. generaliter monet: quando omnia externa in confessione, oratione, promissione et similibus posita sunt, actus interni in dubio recte praesumuntur, praesertim ex eo capite, quia in dubio standum est pro valore actus, nisi accedat fortior praesumptio in oppositum. Hinc praestat attendere in tali casu ad statum animae: si enim homo alias ordinarie pro sua salute solicitus sit, et soleat debitam praeparationem praemittere ad digne suscipienda Ss. Sacramenta, merito talis potest hic et nunc praesumere, quod omnia praestiterit. Secus, si quis perfunctorie tantum soleat ad Sacramenta se praeparare, et sciat, quod templum vix ingressus ad confessionale properet, ut cito absolvatur, talis ex propria conscientia fortiorem habet praesumptionem in oppositum, et vix ex ratione prudenti poterit judicare, quod dolorem elicuerit. *De peccatis dubiis vide P. II. de Sacram. Poenit.*

Casus V.

Alexius firmissime decrevit, quotidie recitare rosarium in honorem B. Virginis; postea dubitat, an fuerit votum, an propositum. 2. *Idem promisit, se daturum singulis hebdomadis Lazaro florenum, postea facti poenitens, dubitat an habuerit animum se obligandi, an tantum fingendi misericordiam.* 3. *Pridem etiam vovit religionem, dubius autem est an habuerit sufficientem deliberationem, forte ex defectu usus rationis in tenera aetate, ideoque repetit votum; postea iterum dubitat an voverit religionem strictiorem.*

54. *Quaer.* I. An Alexius dubius de voto recitandi rosarium obligetur ad illud recitandum. R. Negative, quia factum principale non praesumitur, sed probari debet. Vide n. 37. et 38. Arguitur etiam ex *L. Quidquid* 39. *ff. de verb. obligat. Quod quidquid adstringendae obligationis est, id nisi palam verbis exprimitur, omissum intelligendum est, ac fere secundum promissorem interpretamur: quia stipulatori liberum est, verba haec concipere. Suarez* L. 4. de voto c. 5., *Laymann* de Consc. dub. c. 5. §. 4. n. 31., *Sporer* n. 84. vocat hanc sententiam communiorem, et in praxi tutam, contra *Azor*, *Cordubam*, et alios.

55. *Excipe* hic a regula communi de facto principali non praesumendo, sed probando dubium commissi homicidii, in quo dubitans habetur irregularis, ex cap. *Significasti l.* 5. *Decret. tit.* 12. *de homicid. volunt. et cas.*

56. Sed quid, si dubius advertat, animum magis inclinari in eam partem, quod voverit? Respondent iidem quamdiu incertus est *post debitam inquisitionem* non tenetur. Imo juxta *Sanchez* L. 1. in Decal. c. 10. n. 37. etsi rationes oppositae videantur probabiliores, quamdiu tamen dubius habet rationes vere probabiles, quod non voverit, praevalet possessio certae libertatis.

57. *Q.* II. An quoad secundum dubium censeatur ficte tantum promisisse. R. Ex supposito, quod constet de promissione facta, praesumendus est serio promisisse: in dubio enim quivis potius praesumitur recte promisisse, quam nugatorie tantum. *Sporer* l. c.

58. *Q.* III. Quid ad tertium dubium de sufficiente deliberatione ex defectu aetatis. Respondet *Sanchez* L. 4. in Dec al. c. 1. n. 14. Si votum fuerit factum post completum septimum aetatis annum, praesumitur adfuisse sufficiens usus rationis; secus, si ante. Quando autem de hoc etiam dubitatur, an ante vel post septimum aetatis annum votum fuerit emissum ibidem *Sanchez* ait, standum esse pro voto. *Sporer* tamen n. 87. sub fin. cum *Palao* et *Tambur.* probabile affirmat esse contrarium, quia, si dubitetur de aetate et simul de sufficienti deliberatione, dubium est de aliquo constituente essentiam voti non facile praesumendo in tenera aetate. Aliud est in adultis, in quibus adest usus rationis et communis praesumptio sufficientis deliberationis, cum semper praesumatur mens verbis concordare: ergo stante hac praesumptione communi pro valore voti, pro voto stat possessio, non pro libertate.

59. *Q.* IV. An vi ultimi voti teneatur ingredi religionem strictiorem. R. Cum citatis AA. potest eligere minus strictam, quia in hoc dubio possessio stat pro libertate quoad electionem. *Spor.* n. 89.

60. Porro observa I. Si quis sit immemor verborum voti sui, et post adhibitam diligentiam adhuc dubius sit de quantitate vel qualitate rei promissae, v. g. eleemosynae, non tenetur ad majorem quantitatem, vel qualitatem praestantiorem, sed ad utilem, per quam absolute verificatur promissum. Ita teste *Wiestn.* doctrina *communis. Vide c. ex parte* 18. *l.* 3. *Decret. tit.* 39. *de censibus. Excipe tamen:* nisi aliter ferat consuetudo; nam ex hac optime intelligi potest intentio voventis. Unde si quis voveret Ecclesiae dare calicem, non satisfaceret dando plumbeum vel ligneum: horum enim usus non est in Sacrificio Missae.

61. II. Si quis sit memor verborum voti, promissio in dubio intentionis dijudicanda est secundum communem eorum sensum. Addit *Laymann* cap. 3. de voto n. 3. qua verborum proprietate, vel communi acceptatione observata, neque materia voti repugnante strictam potius, quam amplam voti atque juramenti interpretationem in dubio fieri convenit, ibique hanc doctrinam vocat communem. Hinc qui absolute dixit: Voveo castitatem, obligatur ad perpetuam; quia (ut ait *Gobat*) haec verba intelligi solent de perpetua. Qui dixit: Voveo castitatem et religionem, censetur vovisse castitatem principaliter et indipendenter a religione. Qui vero solam religionem expressisset in voto, et dubitat an voluerit se etiam ad castitatem obligare, vel qui memor est suae intentionis, quod ad castitatem voluerit se obstringere, dubitat autem an dependenter aut independenter a religione, non obligatur ad castitatem extra religionem; sola enim religio expresse promissa est, et qui se ad utramque aeque principaliter vult obligare, solet utramque exprimere. *Sanchez* l. 4. op. mor. c. 13. et c. 16. n. 114. *Sporer* de Consc. dub. n. 89.

62. III. In dubio de intentione, an quis voverit aliquid sub peccato mortali vel veniali, judicandum est secundum materiam voti, quia quisque promittens praesumitur tali modo se obligare voluisse sicut rei promissae natura postulat. *Laymann* de voto c. 3. Haec si sit valde notabilis et gravis, obligatur sub mortali: si exigua, sub veniali: si ex materiae quantitate aut ex vi verborum id non possit desumi, probabilius obligatur tantum sub veniali; in dubio enim omnibus consideratis manente praesumendum non est, quod quis obligationem gravem sibi voluerit imponere. *Sporer* ibid.

63. IV. Dubius an votum impleverit, tenetur adhuc implere: certa enim obligatio non tollitur solutione dubia. Idem est judicium, si dubitetur an sit dispensatum in voto, vel an illud sit irritatum. *Vide n.* 39. *et infra de voto specialiter.*

Casus VI.

Anonymus copulam habuit cum Ancilla: paulo post eamdem carnaliter cognovit Amnon. Ancilla parit filium, dubia an impraegnata ab Anonymo, an ab Amnone.

64. *Quaer.* An uterque teneatur alere prolem. R. Cum *Palao* de Consc. dub. puncto 5. n. 15. *Vasquez* 1. 2. Disput. 66. c. 8. n. 7., *Azor* l. 2. Institut. mor. c. 19. q. 8. Probabilius uterque tenetur pro rata, et aequaliter alere spurium. Delictum enim est certum, necessitas alendae prolis etiam certa est; excusatio autem utriusque incerta. Addit *Dicastillo:* cum dubium sit, uter duorum pater illius sit, iniquum est ut a neutro accipiat alimenta; et praeterea aequitas non patitur ut unus solvat et alter sit immunis. Contrarium quidem defendit *Lugo* T. 1. de Just. d. 13. sect. 2. ex eo quod, licet constet de delicto, dubium tamen sit, uter eorum obligationem contraxerit, ac proinde melior sit conditio possidentis utriusque res suas: sed primae sententiae favent plures AA. et in praxi longe tutior est.

65. Idem respondet *Laymann* L. 3. de Justit. Tr. 3. p. 3. c. 14. n. 3. de adultero, qui in utramque partem probabiliter dubius est, utrum proles a se genita sit, nec ne: quia si constet delictum admissum fuisse, praesumptio esse solet contra nocentem, ut ipsi probatio incumbat, exinde nullum damnum provenisse eorum quae suapte natura consequi solent. Contrarium ut probabile defendunt *Sotus, Navarrus, Lessius*, et alii ex hac ratione: filius in dubio legitimum se reputare potest: ergo etiam adulter ita praesumere. Reponit *Laymann* l. c. Innocentia quidem et favor filii omni jure id meretur, ut legitimus censeatur donec demonstretur illegitimus, eam hactenus fuerit in possessione filiationis: at vero constat, adulterum injustam

causam fuisse, ut maritus alimenta praebeat filio tanquam certo, qui tamen re ipsa dubius est, quod damnum pretio aestimabile marito compensari debet; quod damnum licet adhuc incertum sit, cum tamen adulter libere se exposuerit ejus periculo, non videtur in praxi mitius pro eo praesumendum esse.

66. Advertendum tamen, quod adulter saepe excusetur vel in totum vel ex parte a restitutione, quando damnum ab adultera compensatum iri satis probabiliter creditur, vel quando restitutio fieri non potest absque periculo vitae vel gravi dispendio famae etc. ibid. *Laymann* n. 2.

Casus VII.

Agatha dubia de morte prioris mariti contraxit matrimonium cum Titio. Anxia confugit ad Confessarium, eique dubium adhuc manens aperit.

67. *Quaer.* I. An Agatha possit reddere et petere debitum. R. Non licet ei debitum petere, tenetur tamen illud reddere marito, qui eam bona fide duxit. Ita resolvitur *c. Dominus* L. 4. *Decret. tit.* 21. *de secundis nuptiis. Ratio primi est:* quia jus petendi debitum non acquiritur, nisi per matrimonium bona fide contractum, et bonae fidei possessionem: atqui Agatha mala fide contraxit matrimonium: ergo. *Ratio secundi est:* quia Titius ratione matrimonii bona fide initi est possessor bonae fidei: ergo habet jus utendi re quam bona fide putat esse suam, adeoque jure petendi debitum non debet privari ob malam fidem alterius, quamdiu non constat matrimonium esse nullum. *Laymann* de Conse. c. 5. §. 3. n. 23.

68. Neque obstat quod Agatha reddendo debitum se exponat periculo fornicationis: quia post diligentem inquisitionem remanente dubio, est tantum peccatum materialiter tale: major autem est obligatio non irrogandi injuriam certam alteri, quam vitandi periculum fornicationis materialis.

69. *Quaer.* II. Quid si dubium oriatur de impedimento post matrimonium ab utroque conjuge bona fide contractum? R. Pars dubitans tenetur reddere debitum parti non dubitanti, imo juxta *Sanchez* L. 2. de matrim. Disput. 41. q. 4. n. 45. *Laymann* loc. cit. n. 24. licitum est conjugi debitum petere. Nam dubium superveniens bonae fidei possessori obesse non debet: praeterea iniquum videtur, ut propter dubium post bonam fidem superveniens et post debitam inquisitionem persistens amittatur jus legitime acquisitum.

CAPUT III. *De Conscientia Probabili, sive de recto usu Sententiae Probabilis.*

§. I. *Praenotanda circa praesentem quaestionem.*

70. *Nota I. Opinio* (juxta s. Thom. 1. p. q. 79. art. 9. ad 4.) *significat actum intellectus, qui fertur in unam partem contradictionis cum formidine alterius.* Haec tamen formido non semper est actualis, sed radicalis. *Conscientia probabilis* est dictamen deductum ex opinione vel sententia probabili de honestate actionis. Duplex hic movetur quaestio inter Theologos: 1. An liceat sequi opinionem *vere probabilem* libertati faventem in consortio *aeque probabilis* faventis legi, seu tutioris. 2. An liceat sequi probabilem stantem pro libertate, etiam in consortio probabilioris stantis pro lege. Ad statum quaestionis utriusque melius intelligendum praenotandum est.

71 II. *Licitum* est quod nulla lege prohibetur. *Illicitum* quod aliqua lege prohibetur, ne fiat. *Tutum* quod removet a periculo. *Tutius* quod magis removet. Triplex autem hic periculum attenditur, scilicet errandi, peccandi et damni incurrendi. Ideo etiam *tutum* tripliciter consideratur: tutum ab errore, a peccato et a damno. Porro *Error* alius est *materialis*, dici-

turque assensus mentis, qui revera opponitur certae veritati, quae tamen non cognoscitur, nec cognosci debet aut potest. Alius *Error formalis*, estque assensus mentis sciente approbantis verum pro falso, vel falsum pro vero. Pariter *Peccatum materiale* est actus, qui aliqua lege vere prohibetur, seu qui opponitur certae legi, ita tamen ut prohibitio vel haec oppositio non cognoscatur, nec cognosci debeat aut possit. *Peccatum formale* est actio contra legem, quae vel vere existit, simulque scitur existere, vel debet et potest cognosci existere, vel saltem existere reputatur. Opinio nec est error materialis nec formalis: non materialis, quia opinio non versatur circa certe falsum, sicut error: non formalis, quia licet opinio sit assensus datus uni parti cum formidine de opposita, non tamen est assensus mentis scienter approbantis verum pro falso, vel falsum pro vero, sicut error formalis. Ad datam definitionem opinionis sempre respiciendum, quia saepe nomen opinionis tum a ss. PP. tum ab antiquioribus Scholasticis sumitur pro levi credulitate, vel apparenti persuasione qualicumque. Denique assensus opinionis non est firmus et perfectus; intellectus enim perfecte assentiri non potest ei parti quam formidat esse falsam. Firmum autem assensum tantum causat certitudo et evidentia.

Opinio probabilis est judicium ex se quidem fallibile, nixum tamen absolute et comparative gravi motivo, scilicet tali, quod virum prudentem possit movere ad assensum; vel (ut *Thyrsus Gonzalez* ait) quae concipitur ob motivum talem praeseferens apparentiam veritatis, ut ob illud vir prudens sine ulla praecipitatione judicet esse veram, licet cognoscat non repugnare quod sit falsa. *Probabilior* est, quae nititur uno vel pluribus motivis gravioribus, ideoque adhuc facilius movere potest ad assensum, non tamen excludit vi sui motivi omnem prudentem formidinem, hoc ipso quod adhuc maneat intra limites probabilitatis. *Tenuiter probabilis* est (juxta *Cardenas* Dissert. 4. c. 5. in propos. 3. Innoc. XI) de cujus probabilitate adhuc merito dubitatur. *Viva* in eamdem propos. 3. n. 7. ait: *Nomine* opinionis tenuiter probabilis venit opinio, quae tenuiter inclinat intellectum ad assensum. Juxta alios cum *La Croix* de consc. n. 119. tenuiter probabilis opinio est, quae nititur tam levi fundamento, ut non mereatur assensum viri prudentis, licet nondum aperte falsa sit. *Improbabile* dicimus illud, quod vel destituitur fundamento gravi, vel etiam contra se habet motivum certum. Sic etiam *temerarium* hic dicimus quod nullo motivo gravi, *prudens* vero quod motivo gravi ac solido nititur. Opinio *probabilissima* est assensus nixus motivo, licet nondum certo, tamen respectu motivorum oppositae partis maximo. *Æque probabilis* est, quae nititur motivo aequali atque opposito.

72. III. Motivum *absolute grave* dicitur, quod secundum se et abstrahendo a motivis partis oppositae movere potest intellectum prudentis viri ad assensum; dixi *secundum se*, hoc est, non ex accedente quodam v. g. ex pertinacia inordinato affectu aut negligentia inquirendi in veritatem. *Comparative grave* dicitur, quod etiam cum motivis oppositae partis comparatum adhuc movere potest virum prudentem ad assensum.

73. IV. Opinio *probabilis intrinsece* dicitur, quae nititur ratione gravi petita ex ipsa rei natura, vel principiis intrinsecis aut proprietatibus rei, quae judicatur ut licita vel illicita. *Extrinsece probabilis* est, quae nititur auctoritate doctorum virorum, de quibus praesumitur quod non sine gravibus rationibus ita senserint; *Probabilis quoad se*, sive absolute vocatur quae a parte rei pro se habet grave motivum, licet forte a nobis non cognoscatur. *Probabilis quoad nos*, vel comparative est, quae a nobis invicibiliter judicatur habere grave motivum quamvis forte tale non sit. Ad hoc ut aliqua opinio sit vere probabilis, requiritur 1. ut ratio sive motivum sit magni momenti non tantum absolute, sed etiam comparative ad rationes in contrarium, ita ut ab his non elidatur, et ut motiva oppositae opinionis probabilioris apte

solvantur, ac propterea haereses carent motivis vere probabilibus. 2. Ne ex ea sequatur ullum manifeste absurdum. 3. Ne adversetur sacrae Scripturae, neque traditioni, neque communi PP. sententiae, neque rationi certae. 4. Ne Ecclesia aliquid in contrarium definiverit. *La Croix* de Cons. n. 108., *Duarte* V. *Opinio* n. 451.

74. V. Denique notandum hic est, opinionem aliam esse *speculative tantum probabilem*, quae versatur circa objectum probabile, non autem circa praxim, habita tantum ratione principii universalis, non consideratis iis, quae cum praxi hic et nunc conjunguntur. Aliam *practice probabilem*, quae proxime circa actionem versatur, sive quae enunciat licitam esse praxim, consideratis iis, quae in praxi solent contingere. *La Croix* loc. cit. n. 115.

75. VI. *Evidens* dicitur, quod suamet claritate ita per se lucet, ut aliter apparere aut percipi nequeat, et ita determinat ad assensum, ut nec imprudentem formidinem secum compatiatur. *Certum* dicimus, quod aliter se habere non potest, cuique mens firmiter sine prudenti formidine adhaeret; certitudo tamen non excludit imprudentem formidinem, nisi conjunctam habeat evidentiam; omne enim evidens est verum ac certum, non vero omne verum aut certum est evidens: sic articuli fidei veri sunt et certissimi, non tamen evidentes. *Incertum* est, quod cognoscitur aliter se habere posse, ideoque non firmiter determinat ad assensum. Porro *Certum divina fide* est, quod a Deo est revelatum et ab Ecclesia propositum ut credendum: haec certitudo innititur infallibili veracitati divinae, quae cum sit summa, etiam parit summam certitudinem, et quod ei opponitur, dicitur proprie *haereticum*. *Certum theologice* est, quod partim ex revelatis, partim ex naturaliter certis ac notis legitime deducitur; quod huic certitudini opponitur, proprie dicitur *erroneum*. *Certum metaphysice* dicitur, quod absolute se aliter habere, aliterque concipi nequit. *Certum physice* est, quod spectato cursu naturali aliter se habere nequit, quamvis, absolute aliter se habere possit. *Certum moraliter*, quod neque suapte natura, neque ordinario naturae cursu habet, ut aliter esse non possit, difficillime tamen et perraro aliter esse contingit. Haec certitudo moralis duplex esse potest, Perfecta, et Imperfecta: *Perfecta*, quae nullam obscuritatem aut dubium deliberatum, etiam imprudens relinquit; sic Romam existere moraliter certum est ob universale et constans hominum testimonium et historiae auctoritatem, quamquam isti absolute et falli et fallere possint. *Imperfecta* est, quae potest relinquere aliquam obscuritatem et admittere aliquod dubium saltem imprudens, uti contingit aliquando in objectis fidei, de quorum credibilitate moraliter tantum certi sumus. Sic etiam moraliter certum dicitur, quod omnibus vel fere omnibus verum videtur: quamvis enim possibile sit, difficillimum tamen est omnes decipi.

§. II. *Principia practica de opinione vere probabili.*

76. Principium I. *Quando praecise agitur de licentia et honestate actionis, nec inde sequitur aliquid contra Religionem, Charitatem et Justitiam, licitum est sequi sententiam vere probabilem, relicta non tantum aeque probabili, sed etiam probabiliore. Terillus* hic q. 22. pro hac sententia citat 200. AA. a se lectos, quibus *Gobat* in Clyp. n. 5. addit alios 25. a Terillo non visos. *La Croix* de Cons. n. 269. ordinarie gravissimos ex omni statu et ordine AA. citat. *Valentia* eam jam anno 1593. vocabat communem. *Navarrus* communiorem. Contra Eliz., Thyrs. Gonzal., Camar. etc. *Terillus* in Reg. q. 38. n. 33 ait, pro hac sententia esse 40., ubi pro opposita unus; ergo in praxi tuta est.

Ad intelligendum hoc principium notandum 1. Probabilistas cum Probabilioristis statuere, quod (quando habetur certitudo de honestate actionis vel

ex evidentia, vel ex definitione Summi Pontificis, vel ex communi DD., quamvis forte oppositum olim fuerit probabile) debeamus sequi certam sententiam: quia intellectus tunc non potest aliud judicium prudens reflexum formare, quod contra hanc certam sententiam adhuc licite et prudenter operetur.

2. Statuunt Probabilistae, quod (dum non habetur certitudo, sed pro utraque parte motiva aequaliter gravia occurrunt de sola honestate actionis, sive de existentia legis) tunc liceat sequi etiam minus tutam, modo sit vere ac solide probabilis.

3. Quando concurrit opinio vere probabilis cum probabiliore de sola honestate actionis sive existentia legis, suadent quidem Probabilistae, ut quilibet sequatur probabiliorem, praesertim si ea simul sit tutior: negant tamen esse obligationem sub poena aeterna solam semper sequendi probabiliorem: econtra sufficere affirmant, si quis sequatur probabilem: exigunt autem, ut vere ac solide, tam absolute, quam comparative probabilis cognoscatur esse sententia. Hisce praenotatis.

Probatur principium nostrum 1. *negative.* Si non esset licitum sequi probabilem, relicta probabiliore, deberet constare de lege, qua prohibeat sequi probabilem, restringat libertatem et obliget ad probabiliorem semper eligendam; atqui viris gravissimis post tot annorum solicitam inquisitionem nihil constat de tali lege; ergo vel talis lex non est lata, vel non sufficienter promulgata; neque doctrina morali est adstruenda obligatio sequendi probabiliorem opinionem, relicta minus probabili. Sequela patet ex *S. Thoma*, qui 1. 2. q. 90. a. 4. in corp. ait: *Ad hoc ut lex virtutem obligandi obtineat, quod est proprium legis, oportet quod applicetur hominibus, qui secundum eam regulari debent, talis autem applicatio fit per hoc, quod in eorum notitiam deducitur ex ipsa promulgatione; unde promulgatio ipsa necessaria est ad hoc, ut lex habeat suam virtutem.* Adde, quod haec lex non tantum sit dubia, sed a doctissimis viris negetur; ergo libertas manet in possessione.

77. *Prob.* 2. *positive* cum *Laymann* de Consc. c. 5. §. 2. n. 7. Non temere, sed prudenter agit qui sequitur opinionem, quae non est aliena a recta ratione; atqui opinio vere probabilis non est aliena a recta ratione: ergo. *Maj. patet: min. prob.* Opinio probabilis nititur tum gravi auctoritate, tum ratione gravi; ergo non est aliena a recta ratione. Hanc rationem alii sic proponunt: Licite et honeste agit, qui prudenter agit: atqui sequens vere ac solide probabilem prudenter agit: ergo licite et honeste agit sequens opinionem vere ac solide probabilem. Major ex terminis certa est; minor etiam patet: quia qui agit ex gravi motivo uno vel pluribus, quod manet grave etiam respectu oppositae sententiae, prudenter agit: atqui sequens vere probabilem agit ex tali motivo: ergo.

Neque dicas cum Probabilioristis, probabilem non manere vere probabilem in consortio probabilioris. Nam imprimis sic evertitur status quaestionis contra suppositum admittendum a patronis utriusque sententiae: deinde falsum est probabilitatem sola probabilioritate everti, nisi accedat aliunde certitudo; constat enim gravissimos AA. suam sententiam tum in speculativis, tum in practicis defendere tanquam probabiliorem, quin oppositae sententiae suam abnegent probabilitatem, Sic *S. Thomas* Dist. 19. art. 3. ad 1. quaestiunc. ad 4.: *An etiam in foro conscientiae possit procedi ad accusationem alicujus monitione non praemissa;* problematice respondet: *Dicendum, ut quidam dicunt.... vel secundum alios.* Vide *eumdem* in 4. dist. 24. q. 1. a. 1. ad 5. quaestiunc. ad 3., item *S. Bonav.* in 2. dist. 24. a. 2. q. 2. dist. 38. a. 1. q. 4. *Scotum* in 4. dist. 33. q. 3., et alios. *Confirm.* 1. *c. Ego solis. dist.* 9. Ex s. Aug. expresse innuitur, quod probabiles rationes possint persuadere prudenter. an aliquid a vero abhorreat.

Confirm. 2. In moralibus non facile reperire possumus exactam veritatis certitudinem, sed ferme solam verisimilitudinem: ergo sufficit sequi probabilem.

78. *Prob.* 3. cum *Suarez* in 1. 2. Tract. 3. d. 12. sect. 6. n. 8. Esset onus intolerabile, imo obligatio moraliter impossibilis, si quisque teneretur ante operationem inquirere, quaenam opinio sit probabilior; esset obnoxia infinitis scrupulis; adeoque etiam lex moraliter impracticabilis, opposita suavi jugo Christi: ergo signum manifestum est quod tali legi non velit Deus nos esse subjectos.

79. *Prob.* 4. Obligatio sequendi probabiliorem oritur juxta adversarios ex eo, quod in judicio probabili non possit fundari dictamen practice certum, adeoque operans exprobabili esset practice dubius de honestate actionis; atqui haec ratio est falsa: ergo. *Prob. min.* Inprimis enim judicium directum vere est probabile: ergo prudens, licet non certum: judicium autem reflexum de honestate formali actionis est moraliter certum, e. g. sit hoc judicium directum: pingere die festo est licitum: hoc dictamen probabile non potest esse dictamen ultimum practicum secundum se; supposita tamen probabilitate hujus judicii accersit intellectus aliunde motiva gravia, ex quibus format dictamen practice certum, reflectendo se super probabilitatem judicii directi, non quidem affirmando certo licitum esse pingere die festo, sed vere probabile esse. Unde ex hoc, vel simili dictamine reflexo se resolvit: illa actio die festo est licita, quae consideratis omnibus non apparet servilis, neque prohibita; atqui pingere est talis actio: ergo est licita die festo. Item: quod non temere, sed prudenter judico mihi hic et nunc esse licitum, hoc licitum est; atqui non temere, sed prudenter, quia ex gravi motivo judico licitum esse pingere die festo: ergo est licitum. In his et similibus syllogismis major et minor propositio non tantum est probabilis, sed reflexe et moraliter certa: ergo etiam conclusio, quae est ipsum dictamen practicum et regula proxima actionis, est moraliter certa, adeoque tuta in praxi.

80. Simile judicium reflexum potest formari ex sequentibus principiis communiter receptis. 1.*In dubio melior est conditio possidentis.* 2. *Lex dubia aut non sufficienter promulgata non obligat.* 3. *Ignorantia invincibilis excusat a peccato.* 4. *Qui agit cum dictamine prudenti practico de honestate actionis, honeste agit* etc. Neque tamen necessario requiritur, ut dictamen reflexum fiat semper per discursum formalem, sed sufficit virtualis.

81. *Prob.* 5. Licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam, ut constat ex propos. tertia ab Alexandro VIII damnata, etsi stante probabilissima, hoc ipso quod adhuc probabilis sit et non certa sententia, judicium directum sit incertum de honestate actionis: ergo a pari licet sequi probabilem, licet eadem incertitudo manet ex parte judicii speculativi.

82. *Prob.* 6. Juxta adversarios licet sequi sententiam probabiliorem; sed nobis est probabilior sententia tum ab auctoritate, tum a rationibus, quod licitum sit sequi probabilem; ergo hanc licite sequimur. *Plura argumenta suggeret Theolog. Scholast. in Tract. de act. hum.*

83. Principium II. *Non licet operari secundum opinionem tenuiter tantum probabilem:* constat ex propositione tertia ab Innocentio XI damnata. *Ratio* est ex *La Croix* de Conscient. n. 366.: quia tenue motivum non est prudens, nec dignum assensu viri prudentis, et illi oppositum communiter est moraliter saltem certum; imo stante tenui tantum motivo non potest tolli dubium practicum, cum quo non licet operari.

84. Principium III. *Quando agitur praecise de honestate actionis, licet operari secundum sententiam simpliciter tutam, relicta tutiore, etiamsi hoc esset simul probabilior.* Ita AA. n. 76. citati. Exemplum affert *Laymann* de Consc. c. 5. §. 2. Assert. II. cum *S. Antonio* ex *S. Thoma*, qui in 4.

dist. 17. q. 1. a. 3. q. 1. docet probabiliter. quod lapsus in peccatum mortale ordinarie non sit obligatus ad confitendum statim, habita copia Confessarii, cum tamen sententiam contrariam tutiorem doceat Alensis et s. Bonaventura; et licitum est in praxi sequi sententiam probabilem minus tutam s. Thomae: ergo.

Probatur etiam iisdem rationibus, quibus principium primum probavi. 1. Nulla lex potest assignari, quae jubeat sequi perfectiora et tutiora in rebus moralibus, quando praecise agitur de honestate actionis *Vide Prob.* 1. *n.* 76. 2. Qui sequitur sententiam probabilem et simpliciter tutam agit ex motivo gravi: ergo agit prudenter et honeste. *Vide n.* 77. 3. Probat *Moya* de opin. prob. q. 1. §. 1. ex eo quod Summi Pontifices dispensent in votis solemnibus contra opinionem tutiorem s. Thomae, qui negat id licere; dispensant in matrimonio rato, non obstante tutiore s. Bonaventurae, Scoti et aliorum. Ipsi adversarii acceptant praebendas, ducti opinione incerta, an sint digniores quam caeteri, cum tamen tutius esset abstinere. Ita *La Croix* hic num. 479. 4. Quia admissa hac obligatione, homini nimis grave onus incumberet, *vide n.* 78. 5.: consilium non differret a praecepto, ut ait *Laymann* l. c. Praeceptum tantum est sequi bonum ac tutum, consilium autem sequi optimum ac tutissimum: ergo.

85. Denique *confirmatur* ex eo quod a Summis Pontificibus varii casus (ubi agitur de valore Sacramenti, de injuria et damno tertii) excipiantur, ita ut in his non liceat amplius sequi minus tutam, minusque probabilem, relicta tutiore: ergo hoc ipso patet quod liceat sequi minus tutam, ubi agitur de sola honestate actionis.

86. Principium IV. *Illicitum est in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore.* Patet ex propos. prima ab Innoc. XI damnata. Unde graviter peccat Minister Sacramenti tum contra Religionem, tum contra Charitatem (ut ait *Cardenas* in hanc propos. c. 3. n. 23. *Duarte* V. *Opinio probab. n.* 459.) qui extra casum necessitatis adhibet materiam vel formam dubiam aut minus tutam, relicta tutiore, aut moraliter certa. *Dixi* 1. *contra Religionem, et reverentiam Sacramenti;* quia illud exponeretur periculo nullitatis; probabilitas enim non potest facere, ut materia dubia vel probabilis tantum fiat sufficiens ad valorem, nec ab ea pendet, ut avertatur periculum, ne invalide administretur Sacramentum; essentialia enim, qualia sunt materia et forma Sacramenti, non dependent a nostro dictamine, sed ab institutione Christi, et effectus Sacramenti a vera materia et forma quam Christus instituit. 2. *Contra charitatem proximi*, cui graviter noceret, eum in tali casu exponendo periculo carendi gratia Sacramenti qua indiget. Ita praeter AA. cit *Suarez* tom. 4. disp. 26. S. 6., *Laymann* de Consc. c. 5. §. 3. n. 13. et 14. Juxta alios etiam *contra justitia*, si ex officio est Minister Sacramenti.

87. Dixi: *extra casum necessitatis;* quando enim media certa et tutiora non possunt adhiberi, saltem dubia *sub conditione* sunt adhibenda. Sic exigit salus animae; ab irreverentia excusat ipsa necessitas et conditio apposita, nec Minister agit contra Decretum Pontificis: proprie enim tutiorem non relinquit, quia supponitur non posse agere juxta eam, et in tali casu minus malum eligit ex duobus. Ita AA. cit. cum *S. Thom.*, qui 1. 2. q. 96. a. 6. in corp. ait: *Necessitas dispensationem habet annexam, quia necessitas non subditur legi.*

88. Principium V. *Judex in civilibus debet sententiam ferre juxta probabiliorem.* Patet ex propos. 2. ab Innocentio XI damnata. *Ratio* est, quia Judex constitutus est a Communitate, non ut pro placito suo tanquam dominus, sed tanquam aequus praeses juxta merita causae ferat sententiam; atqui dum pro una parte efficaciores sunt rationes, respectu ejusdem sunt majore merita causae: ergo. Hinc merito Judex comparatur vivae lanci, quae

in eam partem propendet, in qua est majus pondus rationum. *Confirm.* Judex sequens minus probabilem, pronunciat illam potiorem, quae tamen ab eo cognoscitur esse inferior; ergo committit perniciosum mendacium. *Laymann* de Consc. c. 5. §. 3. n. 16., *Bardi* disceptat. 4. c. 27. n. 2., *Sotus* 1. 3. de Just. q. 6. a. 5. ad 4.

89. Dixi: *in civilibus;* in criminalibus enim Judex debet amplecti minus probabilem faventem reo, quia si unquam, maxime quando agitur de vita et capite, requirunt ab accusatore probationes indubitatae, et luce clariores, juxta *l. fin. C. de probat.;* tales autem non sunt, quamdiu pro innocentia accusati stat major probabilitas. Unde L. 5. ff. de poenis dicitur, *satius esse impunitum relinqui facinus nocentis, quam innocentem damnare. Bardi* l. c. n. 5., qui congrue hic applicat reg. 11. de reg. jur. in 6: *Cum sint partium jura obscura, reo favendum est potius, quam actori.*

Nec obstat damn. Pontif.; ait enim *Filguera* et plures apud *Diana* addit. 3. p. resol. 13., praesumendum non esse Sedem Apostolicam velle quempiam poenis addici, cujus facinora non sint omnino certa.

90. Principium VI. *Medici et Chirurgi tenentur adhibere medicamenta certa, relictis incertis; vel* (haec enim plerumque desunt) *probabiliora et tutiora, cacteris relictis. Laymann* de Consc. c. 5. §. 3. num. 15. cum *Navarro, Soto, Vasquez* etc. *Ratio* est; quia ex officio, charitate et tacita conventione cum aegro tenentur ejus sanitatem meliore quo possunt modo curare. Si tamen media certa et probabiliora non habeant, praestat adhibere probabile, quam nullum. Imo si mors moraliter certa sit et solum habeatur medium dubium an profuturum sit, an obfuturum, adhuc licet illud adhibere, quia probabilis spes vitae praeferenda est periculo accelerandi mortem, quae absque eo subsecutura creditur. *Laymann* l. c. *Bardi* discept. 4. c. 30. cum pluribus ibi citatis.

91. Principium VII. *Denique quilibet tenetur ex lege charitatis sequi tutiorem, relicta minus tuta, quando agitur de evitando damno, sive temporali sive spirituali ab inhonestate actionis distincto. Sporer.* tr. 1. c. 1. sect. 3. num. 51. cum *communi. Ratio* est: quia in tali casu, quamdiu probabilius judico, quod actio vel mihi vel alteri inferat damnum ab ipso peccato formali distinctum, non possum formare prudens dictamen de honestate actionis: hoc ipso enim quod eligam actionem, cui probabilius agnosco damnum esse conjunctum, virtualiter eligo damnum. *Cofirm.* Sola honestas actionis ita dependet ab ultimo dictamine practico, ut si hoc prudens sit removeatur omne periculum peccati formalis; non enim peccat formaliter, qui id agit, quod bona fide et prudenter judicat esse licitum. Judicium autem quantumcumque prudens sit, non removet periculum vel damnum, quod posita hac vel illa actione imminet. Hinc imprudenter agit, qui ingreditur viam quam probabilius judicat esse obsessam a latronibus, quamvis probabiliter etiam putet non esse obsessam ab iis; haec enim probabilitas nequit esse tam efficax, ut in fugam agat latrones. Item illicite explodit bombardam in objectum quod putat esse feram, si tamen probabilius judicet esse hominem

92. Principium VIII. *Dictamen ultimum et practicum ad honeste operandum debet esse saltem moraliter certum, ita ut excludat omnem prudentem formidinem de opposito. Suarez* p. 2. d. 12. sect. 3., *Laymann.* de consc. c. 5. §. 1. num. 4., *La Croix*, hic n. 47., *Bardi* discept. 1. c. 9. n. 5. contra *Vasquez* et *Sanchez*, qui dicunt sufficere assensum probabilem de honestate, quamvis non sine formidine oppositi. *Taberna* de Consc. c. 3. utramque sententiam vult conciliare, dicendo non requiri dictamen omnino certum, sed sufficere probabile, quo omnibus attente consideratis judicetur hoc esse verum, et oppositum falsum.

Prob. 1. Nostra conclusio. *S. Thom.* 1. 2. q. 19. a. 5. in corp. vocat conscientiam applicationem *scientiae* ad actum; atqui scientia secum non patitur

formidinem de opposito: ergo etiam conscientia practice practica secum non patitur formidinem, scilicet prudentem, de opposito: ergo debet esse moraliter certa.

Prob. 2. Operans, qui probabiliter judicat hoc quod agit esse illicitum, voluntarie se committit periculo peccandi formaliter, adeoque hoc ipso peccat formaliter; atqui is, qui habet dictamen ultimum tantum probabile et cum formidine oppositi, hoc ipso adhuc judicat hoc quod agit probabiliter esse illicitum: ergo. *Dixi: Saltem moraliter certum:* stante enim morali certitudine non manet locus prudenti formidini. Imprudens autem formido sive scrupulus potest quidem oriri; hoc ipso autem quod sit ex inani apprehensione non obest, sed debet contemni. Certitudo autem metaphysica vel physica non requiritur, quia impossibile est in omnibus agibilibus talem habere.

Neque dicas: Ergo non operamur secundum probabilem, sed secundum conscientiam certam. R. D. Non operamur secundum probabilem tanquam dictamen ultimum et regulam proximam actionum, C. non operamur juxta probabilem, tanquam objectum dictaminis ultimi, N. *La Croix* L. 1. n. 268.

Nec obstat hisce principiis axioma contrarium: *In dubio tutior via est eligenda.* Juxta c. *Juvenis* de sponsal. et c. *Si quis* d. 7. de poenit. *Tene certum, et dimitte incertum.* Quia id intelligitur, *primo*, si non possit formari dictamen practicum certum saltem moraliter; vel *secundo*, si ex una parte adhuc sit dubium, ex altera certum, tunc tutiorem esse eligendam; si autem utraque pars tuta sit, axioma universim non est praeceptі, sed consilii. Ita *Busembaum* de Consc. c. 2. dub. 3. cum *Navarr.*, *Sanch.*, *Bonacin.*, *Laymann*, *Filliuc.* Accedit quod citatus textus *S. Augustini* agat de peccatore qui temere differt poenitentiam usque ad articulum mortis, cujus dilationis certum periculum non potest ullo dictamine prudenti tolli, sicut periculum peccati formalis in aliis actionibus tollitur. Denique pro nostra sententia, quae requirit dictamen ultimum moraliter certum, pugnat, *reg. jur.* 31. *in* 6.: *Eum, qui certus est, certiorari ulterius non oportet.*

93. Si quaeras I. Ex quibus ergo principiis dictamen practicum moraliter certum deduci possit. R. Ex allegatis n. 76. et 77. scil. 1. *negative* ex eo quod vel omnino non existat lex, vel si existat, ea nonnisi dubia et non satis promulgata est, quod teneamur tantum sequi probabiliorem: vel quod certo non est prohibitum, licet sequi: atqui certo non est prohibitum, sequi vere ac solide probabilem, relicta probabiliore: ergo licet eam sequi. 2. *positive:* illud licite ac prudenter eligo, quod graves rationes, virique graves admittunt esse licitum: atqui hoc vel illud, quod vere probabile esse cognosco, rationes, virique graves admittunt esse licitum: ergo hoc vel illud licite ac prudenter eligo.

Si quaeras II. Quaenam regula tenenda sit ad difficiliores casus prudenter resolvendos. R. Eam tradit Benedictus XIV in Epist. Encyclica de usuris ad Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos et Ordinarios Italiae 1. Novembr. 1745. emanata, occasione controversiae, an quidem contractus validus judicari debeat? quae Epistola in Tomo I. ejusdem Bullarii habetur et incipit: *Vix pervenit ad aures*, ubi §. 8. monet primo, ut responsum ferentes de iis quaestionibus, *ab extremis, quae semper vitiosa sunt, longe se abstineant*, scilicet a nimia severitate et a nimia indulgentia sive laxitate. Secundo ait: *Suis privatis opinionibus ne nimis adhaereant, sed priusquam responsum reddant, plures scriptores examinent, qui magis inter caeteros praedicantur deinde eas partes suscipiant, quas tum ratione, tum auctoritate, plane confirmatas intelligent: quod si disputatio insurgat dum contractus aliquis in examen adducitur, nullae omnino contumeliae in eos confingantur, qui contrariam sententiam sequuntur.* Hic bene nota, quod is Pontifex non praecipiat ad licite operandum, ut eas tantum partes sequamur, quae probabiliores

videntur, *sed eas, quas tum ratione tum auctoritate plane confirmatas intelligent;* atqui Probabilistae sequendo vere ac solide probabilem eas partes sequuntur, quas tum ratione, tum auctoritate plane confirmatas intelligunt: ergo. Deinde Probabilistae non dicunt propterea oppositam esse falsam, nec illicitum esse probabiliorem sequi etc.: ergo. *Confirmatur* haec regula ex illo *S. Leonis* Papae, quod habetur in c. *Sicut quaedam.* Dist. 14.: *In his, quae dubia fuerint aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec praeceptis Evangelicis contrarium, nec Decretis Ss. Patrum inveniatur adversum.* Adde, et quod ex gravibus rationibus non videtur esse illicitum.

§. III. *Resolvuntur Casus.*

Casus I.

Ambrosio promittitur pingue beneficium sub conditione, si Secretario Collatoris se efficaciter gratum sit exhibiturus pro recommendatione. Ambrosius timens simoniam consulit Plutarchum amicum, qui mox e sinu protrahit libellum recens impressum, ubi affirmatur, per consuetudinem modo licitum esse urgere collationem beneficii pecunia. Attente lectis rationibus respondet Ambrosius: hic Auctor placeret, si intentum solide probaret. Inquiram igitur ulterius, donec inveniam alios mihi faventes. Tandem videns alios paratos ad offerendum, ne sero veniat, et ipse offert 100. *ducatos, antequam agnoscat vere probabiliter id licitum esse.*

94. *Quaer.* I. An Ambrosius opinionem vere probabilem potuerit praesumere, quod illam affirmet liber alicujus junioris et moderni. R. Negative, praesertim quia solidam probationem in eo non invenit. Huc pertinet propositio 27. ab Alexandro VII damnata. Rationem damnationis assignat *Duarte* V. *Opinio* n. 454.; quia cum in moralibus nulla sit opinio quantumcumque exorbitans, quae aliquem pro se auctorem non habeat, jam esset cuique liberum, omnem opinionem in moralibus amplecti et ex quacunque sibi formare dictamen ad operandum, quae sententia ad innumera crimina aditum parat.

95. Idem tamen n. 456., *et Viva*, et *Stoz* L. 1. p. 5. n. 100. affirmant, quod unus auctor, si sit omni exceptione major, possit reddere sententiam vere probabilem, si nimirum sit vir doctus, pius ac prudens, et afferat rationem, quam alii vel non considerarunt, vel non solverunt, ipse autem aliorum rationes prudenter resolvat; talis enim nititur gravi fundamento, ideoque vere probabilem reddit suam sententiam. Nihilominus, ubi quis invenerit doctrinam in gravissimo auctore, v. g. in s. Augustino clare fundatam, non licet eam tenere aut docere, si Summus Pontifex contrarium definiat, ut patet ex propositione 30. ab Alexandro VIII damnata; quia soli Pontifici ex Cathedra loquenti promissa est infallibilitas et assistentia Spiritus S. etiam independenter a Concilio, ut ostendit *Viva* in Propos. 29. ab Alexandro VIII damnata.

96. Excipiunt etiam *Duarte* et *Viva* illiteratos ac rudes, qui tuto possunt sequi sententiam sui Parochi, Confessarii, vel alterius viri pii ac docti, si ignorent invincibiliter sententiam illam singularem esse et contra communem Doctorum; alias in pagis, ubi unus est Parochus, nemo posset ejus consiliis acquiescere, sed deberet quilibet peregrinari ad veritatem indagandam. Secus si advertat quis opinionem sui Parochi adeo esse singularem, ut de ea aliter sit sentiendum cum plurimis doctis.

97. *Quaer.* II. An Ambrosius tuta conscientia varios auctores adierit, ut faventem sibi sententiam inveniret. R. Si bona fide processerit, fueritque tantum sollicitus, ut inveniat sententiam vere probabilem, juxta quam prudenter se possit resolvere, licite egit; quia se resolvens juxta probabilem

non peccat. Si vero mala fide processerit et tantum ad colorandum factum suum quaesiverit sententiam faventem paratus illam sequi, quocumque demum licet levi fundamento nitatur, non est tutus in conscientia; sic enim non poterit dictamen prudens et practice certum formare. *Bardi* discept. 4. *Sanchez* L. 1. in Decal. c. 9. n. 24. *Baldelli* tom. 1. d. 12. n. addit *Bardi* et *Sporer* hic n. 31. modum istum procedendi esse periculosum, quia vehemens illa inclinatio ad unam partem saepe facit, ut non considerentur omnes circumstantiae ad rem pertinentes, nec debite ponderentur rationes in contrarium.

98. *Quaer.* III. An Ambrosius satisfecerit, mente versando diversorum auctorum opiniones, quin tamen ipse se practice resolverit, quod licita sit oblatio pecuniae. R. *Negative.* Qui enim ita constituti sunt, solum habent notitiam opinionum in aliorum judicio quasi speculativam, cum qua absque alia resolutione practica prudenter operari nequeunt, sed manent dubii, non curantes quid agant. Ita *Sporer* de Cons. n. 33. in simili casu de iis, qui legunt varios auctores, dubitantes quae attentio ad recitationem Breviarii requiratur.

Casus II.

Antonio Clerico Beneficiato offertur aliud pingue beneficium, prius tamen perpendit rationes S. Thom. et Trid. sess. 24. c. 17. de reform. perverti ordinem Ecclesiasticum per pluralitatem beneficiorum: esse contra rectam rationem, quod unus plurium stipendia, alimenta ac praemia habeat: Ecclesiam pluribus ministris privari: cultum divinum imminui; fundatorum piam intentionem defraudari etc.: ex his judicat, hanc sententiam probabiliorem et tutiorem esse, quod non liceat plura beneficia admittere; aliorum tamen contrarium sententiam vere adhuc probabilem esse. Denique legens Laymann L. 4. tr. 2. c. 8. invenit triplicem esse justam causam possidendi plura beneficia: 1. necessitatem: 2. utilitatem Ecclesiae: 3. evidentem meritorum praerogativam. Hinc secundam causam sibi mox applicat, et admittit oblatum beneficium.

99. *Quaer.* I. An potuerit Antonius sequi probabilem alienam, relicta probabiliore et tutiore. R. Ex supposito, quod id non cedat in damnum Ecclesiae, et periculum animarum, aut aliorum praejudicium, potuit sequi alienam sententiam vere probabilem. *Ratio* est; quia stante vera probabilitate, adhuc potuit formare prudens dictamen practicum. Neque sic egisset contra propriam conscientiam, quia nec judicium proprium, quod non liceat admittere plura beneficia, nec speculativum aliorum, quod liceat, fuisset regula proxima actionis, sed judicium reflexum, v. g. licite sequor illam sententiam, quae ex gravibus motivis docet hoc vel illud licite fieri: atqui sententia aliorum ex gravibus motivis docet licite in his circumstantiis posse admitti plura beneficia: ergo hanc aliorum sententiam licite possum sequi, admittendo in his circumstantiis plura beneficia: ita ex principiis generalibus *Thom. Sanchez* L. 1. in Decal. c. 9. n. 15., *Palao*, *Stoz* de Consc. n. 112., quod liceat sequi probabilem alienam, relicta propria opinione probabiliore.

100. *Q.* II. An practice Antonius se recte resolverit ex assertione Laymanni. R. Si vere *coram* Deo judicaverit sibi convenire causam illam, quae cohonestat admissionem alterius beneficii, bene se resolvit; vere enim probabilis est assertio Laymanni: ergo etiam judicium practicum moraliter certum inde sibi potuit formare.

101. Porro de sequela alienae sententiae adverte I. Illicitum est operari secundum opinionem alienam, quam quis judicat tum speculative, tum practice esse falsam aut non vere probabilem, quia sic non posset formare dictamen practicum prudens. *Bardi* discept. 4. c. 16., *Sanchez*, *Terillus*, et alii.

102. II. Juxta *La Croix* L. 1. n. 377. et alios multos ibi citatos: Si quis

judicet sententiam alienam esse falsam ex eo quod non penetret rationes oppositas, si tamen sciat, eam aliis viris gravibus, piis ac doctis videri vere probabilem, potest adhuc illam tuto sequi ex dictamine reflexo moraliter certo, prius deponendo suum judicium de falsitate sententiae oppositae, v. g. Ego quidem judico hanc sententiam esse falsam; quia tamen de falsitate evidenter non constat, et alii me forte sapientiores ex gravi motivo, quamvis nunc mihi ignaro, affirmant, illam esse vere probabilem et in praxi tutam, me licite et tuto illorum judicio conformo, et interea praescindo a meo directo judicio. Item sententia aliorum, quamvis speculative ego judicem eam falsam, in se tamen potest esse probabilior, quam mea: ergo non est, cur illam sequi non liceret, non attendendo interim ad propriam speculationem. Imo prudentis est non nimis tenaciter adhaerere proprio judicio. *Confirmabitur* infra de subditis et Confessariis. Sic non raro Principes sapientissimi cedunt prudentibus judiciis suorum Consiliariorum contra propriam sententiam. Sic gravissimi AA. saepe unam partem absolute defendunt esse veram, et nihilominus fatentur oppositam esse probabilem.

103. III. Sola probabilitas extrinseca, sive auctoritas Doctorum non fundat *formaliter* opinionem practice tutam, si nude secundum se spectetur, sed *concomitanter* simul cum rationibus, quas operans vel scit afferri ab iis vel prudenter praesumit. *Sporer* de Consc. n. 38., *Bardi* discept. 4. c. 2., *Arriaga* de Actib. hum. disp. 24. sect. 3. Numerus enim AA., seclusa ratione, non facit, ut opinio prudenter censeatur conformis rectae rationi et legi divinae. Sic sex AA. docuerunt verba non esse de essentia absolutionis; horum tamen auctoritas non facit probabilitatem. Plura exempla affert *La Croix* L. 1. n. 136. *Confirm.* ex utroque jure: *c. Nicaena Synodus, dist.* 31., sententia Paphnutii praefertur aliorum congregatorum judicio. *Justinianus* L. 1. §. 6. C. de veteri jure enucleando diserte ait: *Sed neque ex multitudine AA. quod melius et aequius est, judicatote, cum possit unius forsitan et deterioris sententia et multas et majores aliqua in parte superare.*

Casus III.

Arnulphus heres universalis ex testamento non solemni retinet hereditatem secundum probabilem, quod tale testamentum valeat pro foro conscientiae. Postea in eodem invenit varia pia legata: ne teneatur ea solvere, mutat prius dictamen, et practice judicat testamentum esse invalidum juxta probabilem oppositam.

104. *Quaer.* I. An teneatur Arnulphus solvere pia legata, ex supposito, quod velit retinere hereditatem. Respondet *La Croix* L. 1. n. 373. cum *Haun. Elbel.* confer. 7. cas. 1. *affirmative*: *Ratio* est; admittendo hereditatem, hoc ipso censetur se obligasse ad portanda onera heredi universali incumbentia. *Confirm.* 1. *Qui sentit onus, sentire debet commodum et econtra*, juxta reg. jur. 55. in 6. *Confirm.* 2. Licet utraque sententia speculativa sit probabilis, certum tamen est, quod heres piae testatoris intentioni se teneatur accommodare, si velit adire hereditatem: alias certo ageret contra jus unius vel alterius heredis ab intestato, vel in ipsius testatoris damnum. Neque suffragatur ei actualis possessio hereditatis, quia nolens solvere pia legata, bona fide non potuit adire hereditatem; ergo nec bona fide eam posset retinere.

Eodem modo illicite agit, qui votum jejunii juxta probabilem commutat in opus aequale, v. g. in eleemosynam, postea ne teneatur dare eleemosynam, amplectitur oppositam; quia sic votum certum nullo modo impleret, saperetque fraudem et illusionem.

Similiter probabilius illicite ageret ille Sacerdos, qui die Jovis, audita duodecima noctis in uno horologio, omitteret Completorium, eoquod non amplius teneatur illud recitare, et tamen juxta oppositam sententiam adhuc pergeret vesci carnibus, quia nondum est audita duodecima in altero horologio; quamvis enim duo horologia se habeant ut duae sententiae probabiles, utrumque tamen sequi non licet, certo enim violatur una lex; si enim primum fallat, peccat omittendo Completorium; si secundum, peccat comedendo carnes. *Confirm.* In his mutationibus vel primum, vel secundum dictamen practicum non potest esse moraliter certum, et plerumque involvit contradictionem et sapit fraudem legis.

105. *Quaeres* II. An et quando liceat pro arbitrio sequi modo hanc vere probabilem, modo oppositam circa idem objectum. R. cum *Bardi* discept. 4. c. 14. *Sporer* tr. pr. n. 35., *Lugo* de Euch. disp. 15. an. 46., *Esp.*, de act. hum. q. 25. Non licet mutare opinionem semel electam, si per ejusmodi mutationem lex certa violaretur. 2. Si post mutationem homini non maneat integrum, ut certae obligationi possit adhuc satisfacere. Addit *Haun.* apud *La Croix* loc. cit. etiam non licet eodem tempore usurpare utramque probabilem opinionem, si id cederet in praejudicium tertii, uti in quaest. praeced. dictum. *Ratio primi* est; quia singulae leges habent jus certum, ne fraudentur: ergo etiam ne regula operandi semel electa mutetur in manifestum sui praejudicium. Quando autem dicta praejudicia absunt, vel post mutationem res adhuc manet integra, vel in potestate hominis est ut possit adhuc obligationi satisfacere, licet mutare opinionem in eadem materia, judicando modo esse probabile, quod antea videbatur minus vel aeque probabile. Non enim teneor hanc determinate probabilem sequi: ergo possum adhuc oppositam sequi, quae ex priori judicio non amisit suam probabilitatem; unde possum adhuc formare dictamen reflexum de honestate operationis, utpote quod in probabilibus dependet a determinatione voluntatis, ut probant *Terill.* et *Card.* Varia exempla vide apud *Sporer* et *Bardi* l. c. *Stoz.* L. 1. p. 5. n. 114.

Casus IV.

Aman Judaeus commotus miraculo Pragae facto in statua S. Joannis Nepomuceni, fidem catholicam probabilius veram esse fatetur: quia tamen Judaismum adhuc censet probabiliter esse salvificum, eum retinere statuit.

106. *Quaeres* I. An licite sequatur Aman suam Religionem, quam putat esse probabilem, relicta probabiliore. R. *Negative.* Patet ex propositione quarta ab Innoc. XI damnata. *Ratio* est: quia agnita vera probabilitate Catholicae Religionis tenetur inquirere in motiva credibilitatis, ut perveniat ad cognitionem verae fidei; ideo si non inquirat, peccat, nec excusabilis est. Catholici autem dum oritur dubium de fide non tenentur inquirere, sed immediate illud repudiare, quia evidentiam credibilitatis habent.

107. *Quaeres* II. An Infidelis, stante sola probabilitate Religionis Catholicae, teneatur immediate descrere suam Religionem et amplecti Catholicam. R. Non tenetur *immediate* eam amplecti et determinate credere fide supernaturali, quia ipsi prius debet Catholica Religio apparere evidenter credibilis, uti probatur ex propositione vigesimaprima ab Innoc. XI damnata. Dixi. *Non tenetur immediate eam amplecti* etc., quia (ut dictum est) *immediate* debet inquirere, ut perveniat ad certam agnitionem verae fidei, quam etiam propter signa credibilitatis evidentia, certo inveniet. Si autem tempus et occasio inquirendi non adsit, tenetur a Deo petere illustrationem intellectus, quam Deus facienti quod est in se non denegabit, utpote qui vult omnes homines salvos fieri: ideoque talis peccat, non praecise ideo quia stante probabilitate non credit, sed quia ex negligentia culpabili vel non adhibet

diligentiam in inquirendo, vel in re tanti momenti non confugit ad Deum, vel quia non vivendo juxta rectam intentionem impedit gratiam divinam. Ita *Cardenas* dissert. 5. c. 2., et d. 15. c. 7., *Babenst.* tr. 1. disp. 4. a. 2. §. 2. n. 27. *La Croix* L. 2. n. 48.

Casus V.

Amalia Abbatissa jubet Procuratricem Monialem alicui Patrono Monasterii in gratitudinem pro exhibitis beneficiis numerare 100. *ducatos. Procuratrix renuit id facere, dicens talem donationem singulis annis prohiberi ex Bulla Clementis VIII de largitione munerum. Monet Abbatissa ut obedientiam caecam exerceat, et meminerit moderationem illius Bullae esse factam ab Urbano VIII. Monialis tenax sententiae suae, qua probabilius judicat id adhuc esse illicitum, renuit obedire.*

108. *Quaer.* An Procuratrix debuerit obedire, quamdiu putabat illicitum esse, quod Abbatissa praecepit. R. Si invincibiliter et bona fide tanquam manifeste et certo illicitum judicasset, non poterat obedire; alias enim egisset contra conscientiam dictantem id vere esse illicitum. Verum cum non certo constaret Procuratrici, sed tantum probabilius judicaret esse illicitum, poterat et tenebatur obedire. *Ratio* est: quia Superior potest praecipere, quod vere probabiliter judicat esse licitum: ergo et subditus ei potest obedire conformando suum judicium judicio Superioris, sine qua conformatione perfecta obedientia subsistere nequit. Praeterea plurima mala in quavis Religione orirentur, cum quivis hoc modo, judicando suam sententiam esse probabiliorem, ab obedientia se posset subtrahere. *Laymann* L. 1. tr. 1. c. 5. §. 2. n. 11. cum *Corduba Vasq.* et aliis contra *Joan. Sanchez*, *Palao* etc.; addit *Laymann*, in dubio inter Superiorem et subditum praesumptio est pro Superiore: item si dubitetur de potestate praecipiendi, utrum ejus limites non excedantur, utrum justa causa subsit. Neque tamen contra obedientiam agit subditus, si rationes et difficultatem proponat, ita tamen ut paratus sit ad obediendum, si Superioris judicium maneat vere probabile et justum.

Casus VI.

Andreas Medicus Hospitalis, vim quarundam herbarum exploraturus, eas cuidam periculose decumbenti praescribit, quamvis prompta habeat alia media probabiliora.

109. *Quaer.* An licite egerit. R. cum *Laymann* L. 1. tr. 1. c. 5. §. 3. n. 15., et pluribus contra *Azor:* graviter peccat Medicus, si experiendi tantum causa, inexplorata medicamenta infirmo adhibeat. *Rationes vide n.* 90.

Casus VII.

Aristobulus Judex, cum urgeretur ad causam aliquam tandem decidendum, in favorem Titii fert sententiam, quamvis manifeste agnosceret, rationes utrinque aequales esse tam ex parte juris, quam ex parte facti: ad rationes Titii tantum pondus centum Imperialium accesserat. Alias dum intricatae causae occurrunt, unum alterumve auctorem legisse contentus est, deciditque causas, quin earum merita ex utraque parte rite expendat.

110. *Quaeres* I. An Aristobulus licite egerit in primo casu. R. *Negative.* Patet ex propositione vigesimasexta ab Alexandro VII damnata. *Confir.* 1. juxta reg. jur. 12. in 6.: *In judiciis non est acceptatio personarum habenda*; ergo multo minus ratio munerum. *Confirm.* 2. Contra aequitatem et rationem est ut, si duo aequale jus habent, Judex uni eorum totum adjudicet, alter

vero abjudicet. *Confirm.* 3. Hoc modo pessime consuleretur bono publico, si sententia justa ferri posset ex favore vel ob munera: pauperes enim et non amici semper causa caderent. *Laymann* de Consc. c. 5. §. 3. n. 16. *Bannes*, *Merolla Bardi* discept 4. c. 28. n, 22., ubi in fine addit, quod responsio non sit intelligenda, dum altera pars est in possessione; quia haec facit rationes pro possessione praeponderare.

111. *Quaeres* II. Quid Judici sit agendum, quando oppositae partes aeque sunt probabiles. Respondet *Laymann* l. c. Si post causae accuratam discussionem neutra litigantium pars de facto aut de jure alteram superare videatur, causam vel ad Judicem superiorem deferendam, vel arbitros cum partium consensu constituendos, vel compositionem suadendam, imo imperandam in casu nimis intricato; vel denique rem, si divisibilis sit, in partes aequales dividendam; si vero indivisibilis sit, ita adjudicandam uni, ut secundum aestimationem dimidii praestet alteri aequalitatem, quia aequale est jus utriusque partis.

112. *Quaer.* III. An modus judicandi quoad secundum sit securus in conscientia. R. Cum *Bardi* l. c. n. 23. et aliis *negative*; quia talis Judex se exponit manifesto periculo jus alterius laedendi; facile contrahit obligationem restitutionis faciendae propter injustam sententiam ob voluntarie neglectam discussionem rationum utriusque causae. Denique non secundum aequitatem, sed pro affectu secundum unam alteramve rationem minus forte fundatam procedit.

113. *Adverte* I. Quod dictum est de Judice, similiter dicendum est de arbitris, qui ex partium conventione constituti sunt. *Duart* V. *Judex* n. 360.

114. II. Idem dicendum est de Principibus, Magistratibus, Consiliariis in decernendis tributis, imponendis oneribus, decernendo bello et aliis, quia in his non quaelibet probabilitas speculativa sufficit ad formandum judicium practicum prudens, id licitum esse, quod libet. Vide *Bardi* discept. 4. c. 24. et. 25, *Dicastillo* L. 2. de Just. tr. 20. disp. 4. dub. 5. n. 94.

115. III. Neque Consiliariis, qui sunt Assessores curiarum, licet sequi minus probabilem, relicta probabiliore etiam in favorem Judicis superioris; agunt enim ut veri Judices; secus si non substineant personam Judicis, nec agant de jure unius adversus alium, sed de aliis rebus disceptent.

116. IV. Advocato licet suscipere causam minus probabilem defendendam: hic enim non definit causam, sed tantum rationes pro causa dubia vel probabili affert, quas Judex discutiat: ergo sicut parti litiganti licet suas rationes proponere, ita et ejus Advocato. *Laymann* de Consc. c. 5. § 3. n. 18. triplicis obligationis admonet Advocatos: 1. ut diligenter ante omnia considerent causae propositae probabilitatem, et si eam falsam et injustam esse cognoverint, nullo modo illius patrocinium in se suscipiant; alias cooperabuntur ad malum. 2. Advocatus tenetur de causae falsitate monere clientem; alias si falsa promissione aut inani spe victoriae ad litigandum inducat clientem, erit causa injustarum impensarum, et obligabitur ad compensationem damni. Hinc ibidem ait *Laymann*, non posse absolvi Advocatos, qui parati sunt ad suscipiendam causam sive justam sive injustam. 3. Si in decursu advertat causam esse injustam, quam ab initio probabilem judicaverat, eam licite non potest persequi et urgere, sed debet absistere, vel (ut *S. Thom.* 2. 2. q. 71. art. 3. 2. ait) clientem ad cedendum inducere, sive ad componendum sine adversarii damno. Idem agnita clientis causa falsa, potest quidem absolute causam adversae partis suscipere, modo non revelet secreta prioris causae; id tamen plerumque periculosum et scandalosum, ideoque dissuadendum, nec facile a Magistratu permittendum est.

Casus VIII.

Anselmus Sacellanus cujusdam Parochi in Gallia, grassante morbo valde periculoso, diu noctuque ad aegrotos vocatur; aliquando domum redux narrat, quod moribundum jam omni sensu destitutum absolverit, quamvis nonnisi signa quaedam dubia debitae dispositionis habuerit. Propterea graviter objurgatur a Parocho Rigorista. Inter objurgationem iterum ad duos moribundos evocatur; mox subridens modeste ait; jam mihi probabilius et tutius videtur esse, quod Parochus teneatur ad unum properare, et ego ad alterum; quia utrique moribundo solus assistere nequeo. Cui reponit Rigorista: In hoc casu tutius est non exponere valetudinem periculo. Novit Anselmus meam complexionem, ac proinde properet ad aegrotos.

117. *Quaer.* I. An peccaverit Anselmus hunc moribundum ex signis tantum dubiis absolvendo. R. Non peccavit, sed debuit absolvere; nec egit contra propositionem damnatam num. 86. cit. Rationem vide n. 87. *Confirm.* Camargo Rigorista num. 180. docet, ad conficienda et suscipienda Sacramenta etiam extra casum necessitatis sufficere opinionem vere probabilem de valore, quia si requireretur certitudo, Confessarius non posset absolvere poenitentem dantem doloris signa, quia haec possunt fallere. *Subsumo ex hoc Rigoristae argumento:* At qui est sententia vere probabilis, quod in casu necessitatis signa dubia dispositionis sufficiant ad dandam absolutionem: ergo *Subsumptum probabitur in Tract. de Sacram.*

118. *Quaer.* II. An in praxi probabile sit semper in casu necessitatis absolute dandam esse absolutionem. R. *Negative.* Probabilior, communior et tutior in praxi est regula, quam tradit *Stoz* L. 1. p. 3. q. 2. n. 27. Si dubium sit, an ejusmodi signa ex vi morbi, vel ex dolore peccatorum proveniant, absolutio nonnisi conditionate impertienda erit, ne Sacramentum periculo sacrilegii temere exponatur; si vero signa certa sint, non est opus addere conditionem; quia tunc non est morale periculum sacrilege irritandi Sacramento: ubi citat *Vasquez* quaest. 91. art. 2. dist. 1. num. 39. *Suarez* D. 23. sect. 1. num. 4.

119. *Quer.* III. An Rigorista tuto suam tutiorem fuerit secutus. R. *Negative.* Ex supposito quod aliunde non accesserit gravior ratio conservandi suam propriam personam, tutius non egit respectu moribundi, ut patet; nec tutius respectu propriae conscientiae, quia sic non satisfecit suae gravissimae obligationi, quae illi ex justitia incumbit. De qua vide *Gobat* in Exper. T. 1. a n. 121. et infra de Praecept. 4.

Casus IX.

Aquilinus confitetur, quod grave furtum commiserit, quaesitus a Confessario de quantitate furti, modeste respondet: quod olim defenderit in Theologia et etiamnum judicet cum gravissimis AA. circumstantias mere aggravantes non esse necessario exprimendas; reponit Confessarius a se olim contrarium propugnatum esse et hodiedum doceri; iret igitur ad suum Professorem et absolutionem petat, ac meminerit quod etiam suscipiens Sacramentum, teneatur sequi probabiliorem ac tutiorem.

120. *Quaer.* I. An Confessarius possit ac teneatur contra suam propriam sententiam se conformare opinioni poenitentis probabili, et illum absolvere. R. Ad 1. *affirmative*, modo sciat illam ut vere probabilem ab aliis defendi; qualis est de circumstantiis mere aggravantibus non necessario exponendis. Hanc enim poenitens tuto potest sequi: ergo etiam Confessarius. Aliud esset, si sciret opinionem poenitentis esse falsam. *LaCroix* a n. 443. de Consc.

R. Ad 2. pariter *affirm.* quia, per se loquendo, Confessarius tenetur poenitentem rite dispositum absolvere: atqui talis est recte dispositus: ergo. *Confir.* 1. Si Confessarius esset ejusdem sententiae, cujus est poenitens, posset et teneretur illum absolvere: ergo etiam si sit diversae sententiae (ex supposito quod sit vere probabilis) quia esset eodem modo dispositus. *Confirm.* 2. quia contrarium redderet Sacramentum valde odiosum, et obligare poenitentem ad repetendam confessionem esset grave onus; posset enim semel, iterumque incidere in Confessarium, qui esset diversae sententiae; ergo toties deberet eadem peccata confiteri, quoties non reperiret Confessarium, qui secum sentiret. *Confir.* 3. Poenitens in tali casu utitur jure suo et libertate, in qua est, eaque Confessarius ipsum privare non potest, nisi demonstret obligationem exprimendi tales circumstantias, aut sequendi probabilitatem; atqui hanc nunquam poterit demonstrare: ergo. *Suar.* ad 1. 2. tr. 3. D. 12. §. 6. n. 9. *Laym.* L. 1. t. 1. c. 5. §. 2. n. 10. cum *Soto, Victoria, Navarro, Bardi* discept. 4. c. 21. cum pluribus.

121. *Q.* II. Quomodo peccet Confessarius, talem non absolvendo. R. Si poenitens confessus sit peccata gravia, uti contigit in nostro casu, peccat mortaliter. Imo juxta *Palao* de Consc. Disp. 2. p. 4. n. 6. et *Babenst.* t. 1. D. 4. a. 3. §. 1. n. 8. probabilius etiam graviter peccat, etiamsi poenitens nonnisi venialia fuisset confessus, quia negando absolutionem privaretur rite dispositus magno beneficio Sacramenti, ad quod habet jus. Hinc minus probabilis videtur excusatio *Vasquesii*, quod Confessarius id faciat bona fide, et ex zelo propriae opinionis. Major enim ratio est habenda juris, quod habet poenitens ad absolutionem, item major ratio Sacramenti, ne reddatur odiosum, quam propriae sententiae. Contra *Palao Bardi* l. c. n. 9. ait in confessione gravium peccatorum esse obligationem sub mortali ex genere suo; sub veniali vero si confessio fuerit de levibus, quia ad haec repetenda poenitens non esset notabiliter gravatus.

Dixi: *Si sit confessus.* Nam ante Confessionem, vel positam causam judicii, si id Confessarius advertat, posset se excusare et dimittere benigne poenitentem. Item non peccaret talis Confessarius, si poenitens non invitus se submitteret obligationi repetendi confessionem apud alium.

Neque dicas. Confessarius est poenitentis superior: ergo poenitens tenetur praecipientis opinionem amplecti. Respondet *Laym.* l. c., quod non sit superior simpliciter et in omnibus, sed solum in ordine ad peccata, quae subjiciuntur clavibus; poenitens autem non peccat adhaerendo sententiae vere probabili: ergo Confessarius ei in hac causa tanquam subdito nihil potest praecipere.

122. *Q.* III. An etiam suscipiens Sacramentum teneatur sequi tutiorem de valore Sacramenti. R. *Per se loquendo affirmative.* Ita *Cardenas* Diss. 2. in propos. 1. ab Innoc. XI. damn. cum *Suarez* tom. 4. in 3. p. disp. 27. sect. 6. *Duarte* V. *Opinio* n. 460. contra *Sporer* de Consc. n. 57. *Ratio* est: quia Sacramenta ideo sunt instituta, ut fideles eorum fructum percipiant: ergo quicunque exponit Sacramentum frustrationi, sive administrando, sive recipiendo, peccat.

Dixi: *Per se loquendo:* scil. nisi sententia, quae videtur minus tuta, sit probabilissima et moraliter certa, qualis est de attritione, quod sufficiat ad Sacramentum Poenitentiae, item de circumstantiis mere aggravantibus, etc. *Rationem* dat *Duarte* n. 461. tum quia propositio 1. *Innoc. XI.* simpliciter loquitur de probabili, non de probabilissima; tum quia in Sacramentis conferendis et recipiendis non requiritur major certitudo, quam in procuranda nostra salute: atqui ad hanc sufficit certitudo moralis; ergo etiam etc. Adde quod opiniones contrariae de attritione ut cognita, item de circumstantiis aggravantibus nequidem versentur circa valorem Sacramenti, ut ostendit *Carden.* Vide Theol. Schol. de Poenit.

123. Eodem modo probabilius est, quod Confessarius absolvens cum jurisdictione tantum probabili non exponat Sacramentum periculo nullitatis; quia probabilissimum est, quod Ecclesia tunc suppleat defectum jurisdictionis; si Parochus vel Confessarius habeat titulum coloratum, h. e. si ab Ordinario Parochiam vel jurisdictionem obtinuerit, ideoque ab omnibus pro Parocho vel Confessario errore communi habeatur, quamvis propter impedimentum occultum titulus nullus sit. Ita *Cardenas* l. c., *Duarte* et alii.

» Pro coronide sciendum, Probabilismum et omnem *de licentia actionis* » quaestionem huc revocari, ex his examinari, et circa haec tria, aut unam » ex illis versari; nempe circa *existentiam*, circa *sensum*, et circa *cessa-* » *tionem legis:* neque circa haec tria licere sequi sententiam faventem *liber-* » *tati* nisi observentur tres regulae.

» *Prima* est. Non licet sequi sententiam benignam quantumvis probabi- » lem, quamdiu per moralem diligentiam haberi potest certitudo de existentia » vel non existentia legis. Propterea enim in materia fidei Probabilismus locum » non habet, quia diligentiam moralem adhibenti certitudo se offerret.

» *Altera* est. Quando legis sensus est dubius, certum est quod non liceat » sequi interpretationem illam, ex qua sequeretur nullitas legis. Nam per se » evidens est, mentem legislatoris non fuisse ferre legem, quae nunquam » liget. Aliud est, si lex admittat plures interpretationes, quarum etsi una » tollat vim legis in uno sensu, non tamen tollit in omni sensu quem po- » tuit legislator prudenter intendere. In hoc enim casu fieri potest, ut utra- » que interpretatio probabilis sit, subditique libertas maneat in possessione, » saltem si de mente sua legislator interrogari aut non velit, aut non » possit.

» *Tertia* est. Lex non cessat obligare nisi per epikejam, dispensationem, » aut abolitionem; quae tria in lege divina (extra casum collisionis legis ne- » gativae cum affirmativa) non habent locum: in lege humana autem proba- » tionem exigunt. Ecce, ordinatus ex his regulis usus Probabilismi extra » censuram laxitatis, de qua nos Rigoristae accusant, ponetur. Denique

» *Q.* Quid in hac re permissum sit ab Ecclesia.

» R. 1. Tria esse permissa, *Probabiliorismum*, *aeque Probabilismum*, *et* » *Probabilismum moderatum.* Pro ultimo ceu maxime controverso ratio est. » 1. Potuit facile et ut regula moralitatis debuit prohiberi ab Ecclesia, si » improbandus esset etc. et tamen teste Gab. Daniel *epist.* 3. *ad Nat. Ale-* » *xandrum*, *Licet Innocentius XI. toto Pontificatus sui tempore urgeretur*, » *nunquam damnavit hanc propositionem: licitum est sequi opinionem mi-* » *nus probabilem*, *quae vere probabilis sit:* dicere autem hoc esse de subjecto » non supponente, nec dignum est, nec verum. 2. Praxis diuturna, et per- » suasio doctorum ac timoratorum fundat praesumptionem veritatis et con- » sensus legislatoris saltem taciti aut legalis; ergo cum tot auctores supposue- » rint, posse minus probabilem opinionem esse adhuc vere prudentem, hanc- » que in praxi tanquam licitam secuti sint etc. 3. Ecclesia approbat actum » charitatis judicantis proximum bonum, licet probabilius videatur malus; ut » obedientiae judicantis praeceptum justum, licet videatur probabilius ini- » quum: ergo falsa sunt principia adversa: *minus probabilis enervatur a ma-* » *gis probabili*, *fit tenuiter probabilis*, *peccat*, *qui minus tutam*, *et minus pro-* » *babilem cum periculo peccati sequitur*, etc.

» R. 2. Reprobantur pariter tria. 1. *Tutiorismus*, seu laqueus animarum. » Propos. 3. Alexand. VIII. 2. *Probabilismus vagus*, seu laxismus. Innoc. XI. » damnavit prop. 3. *Generatim dum probabilitate intrinseca seu extrinse-* » *ca*, *quantumvis tenui*, *modo a probabilitatis finibus non exeatur*, *con-* » *fisi aliquid agimus*, *semper prudenter agimus.* Praecessit hunc Alexand. VII. » qui respiciendo auctorem damnavit prop. 27. *Si liber est alicujus junioris et* » *moderni*, *debet opinio censeri probabilis*, *dum non constet rejectam esses*

» *a Sede Apostolica tanquam improbabilem.* 3. Damnatus denique est *Probabilismus improprie talis*, quando probabilitas non cadit immediate in » sententiam, licentiam actionis seu existentiam legis permittentis vel prohibentis, seu in rem, seu objectum illud ex. gr. *mortem* prioris conjugis, » ubi stante solum probabili notitia de morte mariti non licet uxori alteri » nubere; in *famam*, ubi stante solum probabili rumore vel opinione delicti, » non licet absolute judicare vel diffamare; in *Religionis* veritatem, in *valorem* immediatum Sacramenti, in *probabilitatem* litis vel causae, aut in *medicamenti* virtutem. Quare damnatae sunt propositiones 1. 2. et 4. ab Innoc. » XI. et 26. ab Alexand. VII.

» Dices: Non potest in praxi dignosci, quae opinio sit *tenuiter*, quae graviter seu *Theologice probabilis*; an unus, et quis *Auctor* possit facere suam » opinionem vere ac Theologice probabilem. R.N. A. 1. Per *tenuiter probabilem* intelligit *Viva* absolute tantum, non vero comparative probabilem: » *Cardenas* dubie probabilem; *Lumbier* probabiliter et non certo probabilem: » *alii* tam parum probabilem, ut ab opposita probabiliore manifeste et incomparabiliter superetur: *alii*, quae nititur fundamento tam levi, ut virum prudentem movere ad assensum non valeat. 2. Per *Theologice probabilem* intelligunt illam, quae *tribus dotibus* praedita est: ut reipsa habeat » fundamentum grave: ut non habeat contra et certo legem certam, vel auctoritatem Ecclesiae, cui sine censura refragari nequeat: ut possit convenienter solvere praecipua fundamenta adversariorum. 3. Ut vero *unus Auctor possit facere sententiam Theologice probabilem*, exigit *P. Viva* 5. » *conditiones:* ut vir *doctus* habeatur, hoc est, peritus juris naturalis et » positivi, non amore novitatis duci se patiens: ut *probus* etiam, qui non ex » sinistra passione ad scribendum accingi videatur, sed amore veritatis: ut » examinet materiam *ex professo*, et non ex alio describat: ut non habeat » contra se *auctoritatem irrefragabilem:* ut convenienter suam opinionem » *probet*, adversariis respondeat, et pertracturus credatur etiam alios in suam » sententiam.

CAPUT IV. *De Conscientia Scrupulosa.*

§. I. *De Natura et Origine Scrupulorum.*

124. *Q.* I. Quid sit Scrupulus. R. Est apprehensio inani ratione nixa, et hinc ortus timor, peccatum alicubi esse ubi non est. *Laym.* de Consc. c. 6. n. 1.

Dicitur *apprehensio:* quia primario consistit in actu intellectus; quia tamen in voluntate causat anxietatem et metum, simul adjunctum habet actum voluntatis. Scrupulus juxta *Sporer* T. proem. n. 101. tripliciter fit. 1. Proprie, quando habetur quidem sufficiens judicium, aliquid non esse peccatum, ex levi tamen motivo timetur, ne sit peccatum. 2. Improprie, quando ex levi ratione et timore aliquid judicatur esse illicitum, quod tamen est licitum: hoc potius dicitur judicium erroneum, ut *S. Ignatius* in fine L. Exercit. de scrupul. bene advertit. 3. Quando quis ex inani motivo suspicatur, hoc vel illud forte esse peccatum, quin tamen actualiter et determinate ita judicet, hoc potius est dubium practicum.

125. *Q.* II. Quaenam sint causae scrupulorum. R. cum *Bardi* discept. 7. c. 3. I. Causae intrinsecae ex parte animae sunt: 1. *Ignorantia*, quando quis ex defectu scientiae haeret, et non scit distinguere inter tentationem et consensum, aut quomodo sit resistendum tentationibus. 2. *Occulta superbia, et tenacitas proprii iudicii.* De tali *Cassianus* ait: Is, *qui proprio judicio et voluntati confidit, non eget daemone, qui eum tentet; cum ipse sibi daemon sit.* 3. Nimia divinae justitiae apprehensio, et modica fiducia in divina

misericordia. 4. Nimia sollicitudo, id omne quod vel apparet esse malum, fugiendi, habendi plenam certitudinem, quod hoc vel illud agendo non peccet: et hoc est, teste *Arist.* indisciplinati ingenii. Unde contingit, ut quidquid talis agere velit, continuo phantasia occlamet: *Cave: adest peccatum.* Huic causae *Suarez* conjungit servilem timorem. Denique nimia austeritas vitae, et morosa fuga omnis conversationis humanae occasionem praebet infinitis scrupulis.

II. Causae intrinsecae ex parte animae sunt: 1. Permissio Dei vel ad infringendam superbiam, vel ad probandam virtutem, vel in vindictam peccatorum. 2. Daemon, qui scrupulis exagitat hominem, ut taedium creet virtutis, et tandem ad desperationem hominem adducat. 3. Frequens conversatio cum scrupulosis. 4. Lectio librorum de casibus conscientiae, non ex officio, sed ex curiositate, praesertim si quis non sciat judicio practico discernere moralem doctrinam.

III. Ex parte corporis causae sunt: 1. Complexio frigida aut melancholica: haec enim nutrix est suspicionum, et infinitarum ineptarum apprehensionum. 2. Debilitas capitis etc. etc.

126. *Q.* III. Ex quibus signis cognosci possit vere scrupulosus. R. Cum *Stoz* de Consc. scrup. n. 176. 1. Ex pertinacia judicii, qua scrupulosus consiliis Confessarii vel alterius viri docti non vult acquiescere; varios consulit et fatigat, et tamen nullius judicium sequitur praeter suum. 2. Ex frequenti mutatione judicii ob leves rationes, unde oritur inconstantia et perturbatio in agendo. 3. Ex reflexionibus impertinentibus innumerarum circumstantiarum. 4. Ex eo quod quis timeat in omnibus peccatum, etiam in iis actionibus quas alii reputant esse honestas. 5. Animus scrupulis perturbatus proditur signis, gestibus ac motibus ridiculis; solent enim scrupulosi subito contrahere oculos et supercilia, caperare frontem, capite annuere et abnuere, mussitare secum: *Nolo, nolo: recede diabole* etc. etc. 6. Ex perpetuo timore, an rite fuerit confessus, etiamsi saepius idem peccatum eidem Confessario aperuerit.

§. II. *Principia practica pro scrupulosis et eorum Confessariis.*

127. Princip. Generale. *Licitum est, imo quandoque obligatorium contra scrupulos stricte tales operari, etsi perseverent.* Ita *Suarez* ad 1. 2. disp. 12. sect. ult. *S. Antonin. Stoz* L. 1. p. 5. q. 3. n. 181., *Sanch., Palao, Regin., Bonac.* et alii. *Ratio primi* est: quia scrupulus non est judicium determinatum, sed inanis apprehensio; ergo stare potest cum judicio practico de honestate actionis, quod hoc ipso fit, quando quis inanem apprehensionem contemnit ceu scrupulum, et contrarium agit. *Ratio secundi* est: quia, qui fovet scrupulos, nec eos contemnit, gravissimis malis corporis et animae se exponit: facile ab apprehensionibus ad judicia deducitur, ab his ad peccatum. Hinc *Suarez* l. c. monet cavendum esse, ne scrupulus vincat hominem ad formandum dictamen absolutum, hoc quod agit esse illicitum.

128. Atque hoc sit *primum* remedium contra scrupulos, scil. illos velut alias tentationes fortiter contemnere. Hinc scrupulosus secum non disputet, ne forte multum inquirendo diutius foveat inanem apprehensionem, et magis implicetur. *Secundum.* Judicio Confessarii *Unius* se totum instar tyronis regendum committat, neque in singulis actionibus ad eum recurrat; sed, quod in uno casu respondit, ad similes casus applicet absque nova interrogatione; ejusque principiis generalibus plene acquiescat. *S. Antoninus* §. 10. reg. 5. *Tertium.* Bonorum agendi rationem tanquam regulam intueatur et sequatur, non vero scrupulosorum, *S. Antonin.* reg. 7. doct. 4.; cogitet etiam quid ipse in his vel aliis circumstantiis anxio homini prudenter vellet consulere. *Quartum.* Discat in bonitate et simplicitate cordis de Domino sentire, qui

non vult mortem peccatoris, nec imponit praecepta redigentia ad insaniam. *Quintum.* Fugiat otium, hoc enim implet phantasiam perpetuis scrupulis. *Sextum.* Saepius humillime recurrat ad Deum, petendo pacem et tranquillitatem.

Principia pro Confessariis Scrupulosorum.

129. I. Primario studeat agnoscere, an poenitens sit vere scrupulosus: quae origo scrupulorum: an sit scrupulosus in omnibus, an in uno tantum vel altero puncto. Haec nisi cognoverit, directio erit plena periculis.

II. Patientia forti muniat animum suum, alias nihil proficiet. Hinc *Cajetanus* ait: *Vae, vae Confessario habenti verum scrupulosum*! Gravitas tamen nunquam desit, vi cujus resolute sine haesitatione respondeat, nec facile responsionis suae rationem det. Huc pertinet illud 2. Tim. c. 4. v. 2. *Insta opportune, importune: argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina.* Si superbia latens origo scrupulorum sit, maxime arguendi sunt, quod non sint contenti consiliis Confessarii, sed revelationem a Deo quasi expectent, quod haec vel illa actio sint honesta. Si pusillanimitas causa sit, erigantur spe divinae misericordiae, ostendatur sinistrum de Deo judicium, quem tales velut tyrannum sibi proponunt etc.

III. Dubia in benigniorem partem interpretetur, innixus principiis, quae tradit *Suarez* loc. cit., *Bonac.*, *Stoz* et alii pro scrupulosis certissima: 1. Eum qui bona fide procedit animo placendi Deo, si mediocrem diligentiam adhibeat, practice non errare. 2. In rebus moralibus non ubique quaerendam certitudinem, et scrupulosum, ubi non suppetit consilium, post mediocrem diligentiam adhibitam, tuto posse agere contra scrupulum. 3. Dubium, quod in aliis esset rationabile, in scrupuloso esse contemnendum.

IV. Denique clientem saepius in orationibus suis Deo commendet. Plura suggeret prudentia pro variis circumstantiis, et tractatus de scrupulis desumptus ex opere variorum Moralium *R. P. Possii* Barnabitae.

§. III. *Resolvuntur Casus.*

Casus I.

Antonetta scrupulosa virgo, quoties confitetur, angitur de confessionibus praeteritis, hinc semper totum folium plenum peccatis in juventute commissis affert. Alias dubitat, an elicuerit verum dolorem etc.

130. *Q.* Quomodo scrupulosus circa confessiones praeteritas dirigendus sit. R. Cum *Bardi* discept. 7. c. 6. §. 1. *Laym. Sa* V. Confessio, *La Croix* L. 1. n. 541. *Lessio* de act. hum. q. 19. n. 80. Scrupulosus non tenetur repetere quidquam in confessione, nisi certus sit, et ausit jurare, quod huc vel illud peccatum grave nunquam vel non bene fuerit confessus: quamdiu autem dubitat, certus non est: ergo non tenetur repetere. 2. Si diu vixerit in consuetudine peccandi, vel certo sciat defectum doloris aut examinis, Confessarius permittat confessionem generalem, et juvet in examine; postea nunquam permittat id fieri: alias fons scrupulorum non exhauritur. Si incidat postea unum alterumve peccatum certum, id solum exponatur absque nova confessione generali. Idem observandum in dubio scrupulosi de dolore.

Casus II.

Afra scrupulosa, quoties suggestionem pravam in se advertit de fide, materia turpi, blasphemiis, judicio temerario etc. timet continuo, an non praebuerit consensum.

131. *Q.* Quaenam regulae sint pro ejusmodi scrupulosis. R. Nunquam cre-

dant, se mortaliter peccasse, nisi certo sciant, imo jurare audeant, se plene advertisse malitiam gravem, et in eam consensisse. *La Croix* l. c. n. 546. cum pluribus. Valet haec regula maxime in iis, qui serium animum, et saepe repetitum propositum habent nunquam peccandi mortaliter; quae enim ordinarie odio habentur, si postea vel semel amentur, hoc facile advertitur. 2. Si quis ut primum advertit malitiam, continuo tentationi resistat, et doleat; quia si consentiendo se plene a Deo avertisset, non tam facile et cito iterum se converteret ad Deum, ob summam malitiam peccati mortalis. Moneat praeterea Confessarius scrupulosos ejusmodi, quod non teneantur hisce tentationibus per actus contrarios positive resistere, sed quod sufficiat cum contemptu illas rejicere, vel animum ad alia objecta vertere.

Casus III.

Archelaus scrupulosorum primipilus Confessario recte suadenti continuo oggerit: Pater! me non nosti, qualis sim: habes me pro scrupuloso, qualis non sum, me non audis etc. item non auderem coram Deo Judice comparere, si ita sentirem etc. scio sententiam S. Gregorii: Bonarum, ait, mentium est, ibi culpas agnoscere, ubi culpa non est.

132. *Q.* Quid agendum cum tali archiscrupuloso. Respondet *La Croix* L. 1. n. 560. Ad satisfaciendum phantasiae, Confessarius aliquoties illum patienter audiat; tum animose admoneat, ut credat quod omnia rite intellexerit. Si non acquiescat, permittat ad tempus agere quod vult, donec pertinacem et stultam superbiam discat frangere. Discet autem, quia sibi relictus quotidie magis magisque se sentiet implicari et torqueri. Si nullum remedium prosit, inter amentes curae medicorum brevi tradendus est. Regula praecipua hic esto prudentia insignis Confessarii.

Ad secundum respondet *Laym.* cum *Sanchez*, etiam in articulo mortis consultius scrupulosis fore, ut scrupulos contemnant. Saepe quidem ejusmodi hominibus ante obitum a Deo conceditur una alterave hora tranquillior, qua incipiunt errores praeteritos agnoscere, detestari pertinacem superbiam, et sero tandem sapere; non raro tamen ex justo Dei judicio absque signo resipiscentiae ex hac vita decedunt. Praestat igitur mature sapere, quam sero aut forte nunquam.

Respondet secundo *Laym.* cum *Sylvest.* V. *Scrupulosus*, q. 3. *In illo articulo multa faceret homo quae tamen necesse non est, nec expedit facere in vita: quia homo tandem desperaret vel fatuus fieret.* Denique *S. Gregorius* nomen culpae latius ibi accipit pro quovis defectu, quem in se bona mens agnoscit et bene ordinato affectu deplorat, sed sine turbatione inquieta.

De reliquis scrupulis circa recitationem Breviarii, distractiones, item circa consecrationis formam etc. infra, quando de his specialiter agemus.

Pro coronide Tractatui primo de Conscientia annectimus regulam *s. Bonav.*, qui in Compendio Theol. L. 2. c. 5. ait: *Cavenda est conscientia nimis larga et nimis stricta, nam prima generat praesumptionem, secunda desperationem.*

» Denique ut natura, gravitas et medicina morbi uno obtutu noscatur, » Dico: Scrupulus est inanis apprehensio peccati, nulli judicio prudenti innixa. Assero, quod qui per habitum solet his apprehensionibus cedere, » versatur in statu, vel saltem in periculo proximo perpetui peccati mortalis, » tum omissionum per taedium et acediam, tum commissionum per impatien- » tiam violentiae quam patitur, et ineptitudinem ad labores officii, quo fun- » gitur. Moneo, quod tam gravi malo remedium aptius non reperiatur quam » caeca obedientia, per quam scrupulosus in omni dubio sic juvatur, ut » certus sit se errare (nisi forte materialiter) non posse. Addo, scrupulosum » ad hanc obedientiam teneri sub peccato mortali, eo quod perturbationes,

» quibus obnoxius est, constituant ipsum in statu peccati gravis, nisi omni-
» no jam de statu mentis aut liberi arbitrii dejecerint. Denique declaro, si
» adhuc liber sit, actus obedientiae ad quos obligatur, esse tres. Primus est
» circa tempus praeteritum. Nisi jurare possis quod certum peccatum grave
» nunquam rite confessus fueris, suppone quod sis confessus, aut crede te
» non teneri. Prudens suppositio est et prudens opinio, quoniam pro ho-
» mine timorato (de quali loquimur) stat praesumptio, fecisse quod tene-
» batur et recte fecisse. Alter circa tempus praesens: nisi jurare possis quod
» in peccatum grave, tempore tentationis, aut in omissionem necessariae in-
» tentionis aut attentionis inter labores officii consenseris plene sciens ac vo-
» lens; judica quod sis insons a culpa et liber ab onere repetendi. Secu-
» rum judicium est, quippe prudenti consilio innixum, quia ratio te con-
» demnandi non est, nisi per reflexionem de advertentia et consensu pleno
» convincaris. Ultimus circa tempus futurum versatur: nisi jurare possis quod
» in officio vel actione suscipienda a te, immineat respectu tui periculum
» proximum non solum sensus, sed etiam consensus graviter peccaminosi,
» audacter agere semper licet, saepe teneris. Certa sententia est, quia nulla
» lex prohibet. Ita paulatim inanis apprehensio peccati imaginarii corrigi-
» tur per judicium de peccato inobedientiae, et metus mali minoris, qua-
» le est actus peccati, vincitur per metum mali majoris, quale est sta-
» tus peccati, in quo scrupulosum contumax rejectio medicinae morbo suo
» unice necessariae evidenter constituit.

TRACTATUS II

DE LEGIBUS AC PECCATIS IN GENERE

CAPUT I. *De externa regula actuum humanorum sive de Lege, praecipue de materia et forma Legis.*

§. I. *Quid et quotuplex sit Lex ac Praeceptum in genere: item quae conditiones ad veram Legem requirantur.*

133. *Q.* I. Quid sit lex. R. 1. Lex ac praeceptum, prout hic indistincte accipitur, est *recta agendorum aut omittendorum ratio.* Strictius *juxta S. Thom.* 1. 2. q. 96. ab a. 1. usque ad quintum: est *ordinatio rationis ad bonum commune ab eo qui curam habet communitatis promulgata, cum voluntate eam perpetuo obligandi.* Differt a praecepto, 1. quod lex sit quid stabile, cum feratur communitati, quae de se stabilis est; 2. quod feratur in bonum publicum. Praeceptum vero stricte non fertur communitati, sed uni tantum, vel paucis ad bonum privatum, nec de se est quid stabile. Juxta *Reiffenstuel* T. 2. Theol. Mor. de LL. dist. 1. q. 2. n. 18. praeceptum simplex immediate fertur in personas singulares, earumque ossibus adhaeret, vi cujus obligantur subditi, ubicumque existant; talis enim Superior ita praecipiens habet jurisdictionem in subditos, non ratione loci, sed per se ac ratione personae.

134. *Q.* II. Quotuplex sit lex sive praeceptum. R. I. Alia est naturalis, alia positiva. Lex naturalis sive jus naturae *improprie* sumitur pro quavis inclinatione naturali, *metaphorice* pro instinctu naturae, *minus stricte* pro potestate aliquid agendi vel omittendi ex concessione naturae, *proprie* pro lege sive regula actionum humanarum, quae inest menti ad discernendum honestum a turpi; sic recte definitur: *Ordinatio divinae Sapientiae, per dictamen syntereseos naturae rationali manifestata, praeci-*

piens rectae rationi consentanea, et prohibens dissentanea, vel etiam permittens indifferentia. Dicitur melius *Ordinatio divinae Sapientiae*, quam dictamen rationis ab auctore naturae inditum, circa ea, quae homini tanquam honesta agenda, vel tanquam inhonesta omittenda sunt, ut vult *Grotius:* quia dictamen est potius applicatio sive promulgatio legis naturae, non ipsa lex, quae debet esse actus Superioris. Deinde hoc dictamen est defectibile, sicut ipsa natura, lex autem naturalis debet esse indefectibilis. Denique melius statuitur in ordinatione divinae Sapientiae, quam in ipsa natura rationali, ut vult *Vasquesius:* quia natura in se nec praecipit, nec dirigit; praeterea licet natura rationalis sit radix honestatis, non tamen ideo est lex.

Objectum materiale legis naturalis in genere est omne quod convenit naturae rationalis, ut praecipiatur, et omne quod eidem disconvenit, adeoque ut prohibeatur ab auctore naturae. Hinc lex naturalis versatur 1. circa principia morum prima generalia, ac per se nota, qualia sunt: *bonum est faciendum, malum vitandum; quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris:* item circa magis particularia, nota tamen per se: v. g. *Justitia est servanda: Deus colendus: temperate vivendum* etc.: ad haec enim natura rationalis immediate inclinat. 2. Versatur circa principia alia ex his primariis vel immediate vel mediate deducta, quae fundant honestatem moribus necessariam, qualia sunt omnia in Decalogo contenta.

Objectum formale juris naturae consistit in conformitate principiorum cum lege Dei, per quam naturae congrua fiunt formaliter honesta, et dissona fiunt formaliter dissona. Vide P. *Ignat. Schwarz.* S. J. de lege naturali, juxta quem principii fundamentalis juris naturae conceptus videtur ita enunciandus esse: *Fac ea, quae ex amore Deo, tibi, et proximo naturaliter debito*, h. e. *ad felicitatem naturae rationalis propriam, necessario vel facienda vel omittenda sunt.* Per amorem hic non intelligitur sensualis, sed rationalis, qui juxta s. Aug. L. de amicit. est *rationalis animae affectus*, quo quis sibi vel alteri bonum *cum desiderio* quaerit, adepto fruitur *cum suavitate*, et *cum gaudio* conservat.

Ex quo conceptu infertur 1. quoad *praecepta negativa gravia*: id omne et solum est jure naturae graviter prohibitum, quod repugnat amori Deo, vel tibi, vel proximo naturaliter debito, quia ad felicitatem naturae rationali propriam *simpliciter necessario*, cujusmodi sunt respectu Dei *Idolomania, blasphemia* etc., respectu sui ipsius *mutilatio propria, mollities;* respectu proximi *furtum, adulterium.*

2. Quoad *praecepta negativa levia*: id omne et solum est jure naturae leviter prohibitum, quod, absolute loquendo, repugnat quidem amori cuivis naturaliter debito, ad felicitatem tamen naturae rationali propriam minus stricte necessario: cujusmodi sunt mendacium, detractio, furtum in re leviori: haec enim repugnat quidem amori proximi naturaliter debito, sunt-que contraria paci cum proximo conservandae, in qua sita est partialis nostra felicitas, non tamen *simpliciter* sunt eversiva conjunctionis mutuae; hinc etiam minus stricte sunt necessaria ad felicitatem naturae rationali propriam. Hoc modo facile intelligitur cur alii dicant, supradicta esse intrinsece mala; item cur exigant prohiberi a Deo.

3. Quoad *praecepta naturae positiva graviter obligantia:* id omne et solum est jure naturae graviter praeceptum, quod exigitur ut conforme amori, ad felicitatem naturae rationali propriam, cuicumque naturaliter debito et absolute necessario: hujusmodi respectu Dei est religio sive cultus Dei in genere, respectu sui ipsius refraenatio inordinatorum affectuum, respectu proximi exhibitio officii tam in procurando bono, quam in avertendo malo praestandi, *si sit extrema vel absolute gravis necessitas*, idque levi incommodo proprio fieri possit. Illud vero pertinet ad *praecepta naturae levius obli-*

gantia, quod (absolute loquendo) exigitur quidem ut conforme amori, ad felicitatem naturae rationali propriam, cuivis naturaliter debito, sed tamen minus stricte necessario, qualia sunt, petenti dare consilium, erranti viam monstrare, sitienti permittere aquae haustum etc. Haec fusius vide apud laudatum *P. Ignat. Schwarz* loc. cit.

» *Q.* 1. An Deus dispensare possit in lege naturae.

» R. 1. Plurimi *cum Pichler* admittunt legem naturae *permissivam*, qua » jus naturae per actum positivum statuat valere aut licere aliquid, e.g. con- » tractum pupilli, renuntiationem dotis a filia, cessionem Senatus-Consulti » Vellejani a foemina factam valere etc.: item *jus naturae conditionatum*, » nisi aliter statuat jus positivum humanum, e. g. praescriptio non valet » nisi inducatur a Principe, aut moribus hominum; et praeterea *dispensa-* » *bilitatem*, *mutabilitatem* legis naturalis, v. g. non accipies rem alterius » ipso non consentiente, nisi Deus *directe* tecum dispenset, vel *saltem in-* » *directe*, nempe materiam prius subjectam legi naturali subtrahendo aut exi- » mendo, ut desinat subesse, prout *Ecclesia* annullat matrimonia statuendo » impedimentum dirimens, aut Papa dispensat in votis aut juramentis tol- » lendo illorum obligationem, vel actum voventis irritando etc. Sic Deus de- » dit Judaeis facultatem foenerandi alienis: *Non foenerabis fratri tuo, sed alie-* » *no. Deut.* 23. Israelitis auferendi vasa Ægyptiorum, *Exod.* 12. Sic juxta » Illsung. Deus dispensando in monogamia et indissolubilitate matrimonii qua- » tuor observavit: 1. Assumpsit certum finem. 2. Specialibus auxiliis avertit » mala ex polygamia etc. alias secutura: et compensavit bona a monogamia » speranda. 3. Interposuit suam auctoritatem dando jus in plures uxores. » 4. Et sic variando materiam dispensavit improprie.

» 2. Alii *cum Biner* statuunt legem naturae omnem *absolutam*, *indispensa-* » *bilem et immutabilem*, in quantum jus naturae se non extendit ad ea, » quae permittuntur aut permitti possunt, ut indifferentia; ea vero, in qui- » bus Deus dat facultatem, nec sunt, nec unquam fuerunt materia legis natu- » ralis prohibentis: e. g. Lex naturae prohibet *furtum*, hoc est acceptionem » rei alienae domino rationabiliter invito: quod si Deus in te transferat do- » minium rei hujus, nec erit res aliena, nec dominus poterit esse rationa- » biliter invitus; adeoque materia sub hac ratione nunquam fuit prohibita. » Eadem lex prohibet *homicidium*, id est injustam occisionem: si Deus » Abrahae det facultatem occidendi filium, nec erit occisio injusta, nec ma- » teria legis hujus naturalis actus ut affectus facultate Divina: idem est de » *usura* titulo mutui, si Deus posito mutuo tanquam mera conditione det » tibi rei dominium stabile: idem de *fornicatione*, si Deus det jus in cor- » pus etc. dicendum.

» *Coroll.* 2. Hoc non procedit de illis malis, *quorum formalis ratio pro-* » *hibitionis pro omni statu et circumstantiis manet*, e. g. odium Dei, bla- » sphemia, contemptus Dei in perjurio, mendacium etc.: sed intrinsece » malis quidem, sed solum pro aliquo statu, e. g. polygamia, furtum etc. » 2. Juxta ultimam sententiam, pariter non datur lex naturalis mere poe- » nalis; sed solum *praescriptiva*, *prohibitiva*, *et irritans*, quae necessario an- » nullat ea, quae prudenter vel utiliter subsistere non possunt, sive ex parte » *causae efficientis*, quando deest habilitas in agente, e. g. infante, amen- » te etc. sive *materiae*, *quando haec est impossibilis aut turpis*, e. g. ju- » ramentum de occidendo inimico, sive *actus ipsius*, quando hic est intrin- » sece malus, e. g. contractus de fornicando cum sicario, si is occidat ri- » valem.

» *Q.* 2. Quaenam in thesi dicantur juris divini.

» R. Illa, quae in communi ac radice sua debent a lege naturae statui; » quamvis in hypothesi ac particulari, quoad tempus, modum aut numerum » determinentur a lege humana. Talia sunt 1. Praeceptum tertium Decalogi,

» cum jus naturae exigat designari aliqua tempora aut modos, quibus homo » vacet cultui divino. 2. *Confessio et communio annua*, siquidem ratio po- » stulat, ut homo se confortet spiritualiter, non diu differat reconciliari cum » Deo per medium ab illo institutum. 3. *Residentia Beneficiati curati*, ubi » jus humanum determinat solum, an haec debeat esse personalis, an suf- » ficiat Vicaria, etc.

» *Coroll.* I. Differt igitur lex naturalis a lege positiva divina et humana » in seqq. 1. in causa efficiente, qui est Deus ut auctor et gubernator uni- » versi in lege naturae. 2. In materia, quae necessaria est. 3. In promul- » gatione, quae fit per lumen rationis cuivis innatum. 4. Ex fine imme- » diato aut supposito, quia nunquam fundatur in praesumptione, sed semper » in veritate, adeo ut e. g. legere librum quemcumque, disputare cum haere- » ticis de fide, gestare arma etc. liceat vel non liceat vi legis naturalis, si re- » ipsa adest vel non adest periculum perversionis, laesionis etc.

» 2. Convenit lex naturalis cum iis in seqq. 1. Quod essentia physica » legis involvat haec praedicata: ordinationem materiae ob bonum plurium, » et voluntatem obligativam Superioris habentis jurisdictionem. 2. Quod vel » constitutivum vel requisitum essentiale legis in actu secundo obligantis sit » promulgatio sufficiens, ita quidem ut ignorantia invincibilis excuset; non » tamen metus quantumcumque gravis in negativis iis, quorum materia est » pro semper intrinsece mala.

135. II. *Lex positiva* est, quae libera Dei vel hominum voluntate posita est: materia legis positivae de se est indifferens, ut praecipiatur aut prohibeatur a libera legislatoris voluntate. Haec iterum duplex est: *Positiva divina*, quae libere a Deo in tempore fertur: lex enim Dei aeterna est ipsa ratio divinae Sapientiae de eo, quod faciendum vel omittendum est, cum intentione obligandi ad hoc creaturam rationalem. *Reiffenst.* in proem. Jur. Can. §. 1. n. 12. Alia *humana*, quae libere ab homine lata est.

136. III. Divina iterum alia est Veteris, alia Novi Testamenti. Leges V. T. sunt triplices: *Caeremoniales*, quae certas ad Dei cultum caeremonias et ritus praescribunt: *Judiciales*, quae circa causas in judicio versantur: et *Morales*, quae docent quid sit juri naturali et bonis moribus conforme vel difforme, ut praecepta Decalogi. Morales adhuc obligant non tam auctoritate V. T. quam quod ab ipso lumine naturali dicentur (excepta circumstantia Sabbati) et passim a Christo Domino sint renovatae. Judiciales vero et Caeremoniales obligabant solum populum Judaeorum; nunc vero cessant teste Apostolo *ad Galat.* 3. et 4. scil. post promulgationem L. N. factam Hierosolymis in die Pentecostes. Qua facta legalium observatio fuit inutilis, ideoque observatio caeremoniarum significantium Christum adhuc venturum hodie superstitiosa est, v. g. circumcisio. Gentiles obligati erant ad praecepta moralia, quatenus sunt juris naturalis; ea servando, et contra originale applicando remedium legis naturae, potuerunt salvari extra Synagogam. Lex N. T. sive Evangelica continens praecepta sacramentalia, fidei, et moralia, hodie obligat omnes homines, et obligabit usque ad consummationem saeculi. Vid. *Trid.* sess. 6. can. 21.

» Q. Quomodo lex Nova differat a Veteri.

» R. In utroque Testamento spectari debent haec quinque. 1. Mysteria fi- » dei. 2. Promissiones. 3. Comminationes. 4. Leges seu Praecepta. 5. Sacrifi- » cia et Sacramenta. Haec omnia in Veteri Testamento accomodata erant sta- » tui servorum, in Novo autem filiorum.

» 1. Mysteria fidei, praesertim Trinitatis, Incarnationis, Redemptionis, in » Veteri Testamento erant obscure et imperfecte cognita; in Novo expresse » et perfecte de illis agitur. Quare? Quia servi non tam perfecte sciunt con- » silia et secreta patris-familias, quam filii. Hinc Christus in Evangelio Joan. » 15. v. 14. *Jam non dicam vos servos, quia servus nescit quod faciat*

» *Dominus ejus.* Ad hoc significandum, Moyses cum loquebatur ad populum, faciem velabat; nobis autem Christus facie ad faciem locutus est. » 2. Cor. 3.

» 2. Promissiones sunt etiam diversae. Nam in V. T. promittebat Deus bona temporalia: in Novo aeterna. In Veteri dicebat, Isaiae 1. v. 19. *Si audieritis me, bona terrae comedetis.* In Novo dicit Matth. 5. v. 3. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum coelorum.* Quae causa? Quia alia est conditio servorum, alia filiorum. Servi accipiunt temporalem mercedem a dominis suis, et sic dimittuntur: filii vero succedunt in perpetuam haereditatem.

» 3. Eadem est proportio comminationum. In V. T. minabatur Deus poenas et supplicia temporalia; in Novo aeterna. Unde hoc discrimen? Ex disparitate servorum et filiorum. Servi qui male se gerunt, minis et flagellis coerceri solent: filii si degeneres sint a perpetua haereditate excluduntur.

» 4. Praecepta in V. E. erant triplicia; Moralia, Caeremonialia et Judicialia. In Novo sunt etiam triplicia; Moralia, Sacramentalia et fidei. Hoc interest. In V. T. dabantur nuda praecepta sine gratia: in Novo cum gratia. In Veteri erant infinita propemodum Caeremonialia, quibus in Novo successerunt Sacramentalia numero paucissima, observatione facillima, significatione praestantissima.

» 5. Jam Sacrificia et Sacramenta utriusque Testamenti non parum inter se distant. Mosaica erant plurima, nostra pauca: illa continebant umbram et figuram; haec corpus et veritatem: illa in mactatione fere animalium perficiebantur; haec in morte et passione Christi: illa conferebant munditiem tantum legalem; haec internam gratiam et sanctitatem. Et hoc sensu dicunt Scholastici, legem Mosaicam non habuisse vim judicandi, neque datam esse ut justificaret, sed ut morbum ostenderet et ad quaerendum medicum excitaret; Evangelicam vero habere vim justificandi et eo fine institutam esse ut justificaret.

» *Dices:* Si haec vera sunt, sequitur Judaeos non potuisse salvari: erant enim servi ut dictum est: at servi nunquam adeunt haereditatem, sed soli filii.

» R. Erant servi, seu potius in statu servorum pro illo tempore: unde recte infertur, pro illo tempore non potuisse obtinere vitam aeternam: nam regnum coelorum clausum fuit in V. T. Non tamen necesse est, fuisse servos respectu hujus temporis seu N. T., quia potuerunt adoptari in filios cum hac conditione, ut in N. T. quando Christus sua morte aperuisset regnum coelorum, adirent haereditatem. Hinc Apostolus, qui ad Gal. 4. v. 22. dixit eos fuisse servos et ancillae filios, alibi hoc mitigat, asserendo fuisse quidem veros filios, sed adhuc sub paedagogo et tutoribus constitutos, ac proinde habitos fuisse ut servos. Gal. 3. v. 23. et 41. Itaque secundum Apostolum res sic se habet. Sicut filius habet duplicem statum: unum servitutis, quando est sub paedagogo; alterum libertatis, quando est sui juris; ita populus Dei habuit duplicem statum, unum servitutis in V. T. sub jugo legis Mosaicae; alterum libertatis in N. T. sub gratia legis Evangelicae.

137. IV. Lex humana alia est *Ecclesiastica*, quae fertur a potestate Ecclesiastica in bonum spirituale subditorum; alia *Civilis*, quae fertur a potestate saeculari ad politicam reipublicae gubernationem. Huc etiam pertinet *jus gentium*, quod ex consensu populorum, necessitate humani convictus sic exigente (ut ait *Reiffenst.* l. c. §. 2. n. 32.) constitutum illis omnibus aut fere omnibus est commune. Haec definitur a *P. Ign. Schwarz, Ordinatio rationis, longaevo gentium usu, Deique, ut societatis humanae gubernatoris immediati consensu inducta ad gentium, qua talium, publicam felicita-*

tem. Differt a jure naturae. 1. Ex *constitutivis:* nam jus gentium est jus *non scriptum*, consensu vel consuetudine populorum introductum: econtra jus naturae est *jus scriptum* in cordibus hominum, absque eorum voluntate sancitum. 2. Ex *objecto:* nam jus gentium respicit objecta arbitraria in ordine ad majus commodum societatis humanae: jus autem naturae respicit objecta in absoluta necessitate fundata, in ordine ad felicitatem naturae rationali simpliciter debitam. 3. Differt ex *proprietatibus:* jus enim gentium est absolute mutabile, universale tantum plerisque, jus naturae est immutabile et universale omnibus. Differt etiam a jure civili, quia hoc respicit privatas civium, jus gentium publicas necessitates diversorum populorum. Item jus civile est scriptum, jus gentium non scriptum et consuetudine gentium introductum. Objectum juris gentium *in genere* est omne illud, quod *ex fine suo* tendit ad convenientem communicationem et emolumentum gentium. *In specie* huc revocatur Legatorum admissio et immunitas, et eorum non violandorum religio, can. jus gent. Dist. 1. item primaeva rerum divisio, commerciorum libera facultas, bellum justum etc.

138. V. Lex dividitur in *Affirmativam*, quae bonum praecipit, et *Negativam*, quae malum prohibet: hinc, quia malum nunquam est faciendum, negativa dicitur obligare semper, non item affirmativa.

139. VI. Lex Civilis dividitur in *Praeceptivam*, quae simpliciter aliquid praecipit aut prohibet: et *Poenalem*, quae transgressoribus poenam comminatur. *Franc. Schmier* L. 1. T. 1. n. 77. Haec iterum duplex est: *pure poenalis*, quae tantum statuit poenam, non vero sub culpa obligat ad actum; ut dum legislator solius poenae mentionem facit: v. g. si quis hoc die ligna in hac sylva collegerit, solvet duos aureos vel incarcerabitur: et *mixta*, quae obligat sub culpa et poena. Quaenam sint leges pure poenales vel mixtae, ex verbis legis et consuetudine, quae optima legum interpres est, desumi debet: *Suar.* de LL. L. 5. c. 4. n. 8.

140. VII. *Cardenas* similiter legem Ecclesiasticam dividit in *Directivam*, quae obligat ad solam poenam in conscientia incurrendam, non autem ad poenam ab homine infligendam: et in *Coactivam* vel *comminatoriam*, quae obligat sub culpa et poena statuta per legem. Si obliget sub poena ipso facto ante sententiam judicis incurrenda, dicitur *coactiva coactione interna* vel *latae sententiae;* si vero sub poena per sententiam inferenda, dicitur *coactiva coactione externa* vel *ferendae sententiae.* Signum latae sententiae sunt sequentes formulae: *Quisquis hoc fecerit, ipso facto, ipso jure, mox, ex tunc poenam incurrat, sit excommunicatus, officio aut beneficio privatus* etc.: addit *Herincx:* si lex utatur verbo indicativi modi, v. g. *excommunicamus, suspendimus* etc. Signum ferendae sententiae sunt: *Prohibemus sub poena excommunicationis*, vel si lex utatur verbis imperativi modi, ut ait *Reiffenst.* c. 9. *Excommunicetur, sit, erit reus poenae, obligetur, obligabitur, subjacebit poenae.* In dubio censenda est esse tantum ferendae sententiae, quia *in poenis benignior est interpretatio facienda* juxta *reg.* 49. *in* 6.

141. VIII. Denique Lex alia est *Odiosa*, cujus materia iis quibus praecipitur est onerosa, praeter onus obligationis servandi legem; quales sunt leges vectigalium, aut injungentes poenam transgressoribus etc.: alia *Favorabilis*, cujus materia est conveniens et quasi beneficium iis quibus praecipitur, quamvis secundario cedat in onus aliorum. *Palao* T. 3. d. 1 p. 2. Lex odiosa est strictae interpretationis, favorabilis autem ampliari debet salva verborum significatione, juxta *reg.* 15. *in* 6. *odia restringi, et favores convenit ampliari.*

» *Q.* 1. Quae differentia legis Ecclesiasticae et Civilis.

» R. 1. Potissima est in fine, qui in jure Ecclesiastico et supernaturalis » et aeterna beatitudo, in Civili vero est naturalis reipublicae tranquillitas. » Continetur jus Ecclesiasticum in 5. *Decretalibus, sexto Decretalium, Cle-* » *mentinis et Extravagantibus*, cum *decretum Gratiani* per se non habeat

» auctoritatem legalem, sed singula in eo illam solam vim retineant, quam » habent, ex quibus desumpta sunt. Jus Civile pariter 5. partibus continetur: videlicet libris *Institutionum*, *Digestorum* seu Pandectarum, *Codicis*, » *Novellarum* seu Authenticarum, ac *Feudorum*.

» R. 2. Differentias in specie 54. inter utrumque jus recenset Henr. Canisius lib. *Summa juris Can.* quarum potissimae sunt: 1. Leges Canonicae » praeferendae sunt legibus civilibus, quoties agitur de peccato vitando, aut de » materia spirituali, e. g. Matrimonio, Sacramentis, Beneficiis, Decimis etc. » aut de personis ac rebus Ecclesiasticis. 2. Leges civiles asserunt in emendo ac vendendo naturaliter concessum esse invicem se circumvenire *L.* 22. » §. 3. *ff. locati*, ut discat imposterum cautius mercari. 3. Res vendi posse » quovis pretio, *L. pretia rerum* 63. *ff. ad L. Falcid.* cum quisquis rei suae » moderator et arbiter sit. *L. in re* 21. *C. mandati*. 4. Laesionem intra dimidium carere remedio restitutionis urgendae. *L. si voluntate* 8. *C. de rescind. vend.* Simile quid statuitur de marito occidente adulterum cum sua uxore » deprehensum. 5. In praescriptione longissimi temporis inchoanda, in continuanda autem nunquam requiritur bona fides: *L. si res aliena* 10. *ff. de » usura*. 6. Decimae non sunt integre solvendae, sed deductis expensis sementis et culturae. *L.* 1. *C. de fruct.* 7. Ad sponsalia semper et necessario requiritur consensus parentum. *L.* 2. *C. de ritu nupt.* 8. Ad tollenda sponsalia non requiritur utriusque consensus. *L.* 2. *C. de Spons.* 9. Non contrahitur affinitas, nisi ex justis nuptiis. *L.* 4. §. *affines ff. de grad. affin.* 10. Mulier potest alteri nubere post 5. annos, licet certa non sit de morte prioris » mariti. *L. uxores* 6. *ff. de divort.* 11. Liberi ex damnato coitu non debent » ali a parentibus. *Authent. ex complexu C. de incestis et inut. nup.* quibus » contradicunt leges Ecclesiasticae. De notitia pleniore utriusque Juris vide » post n. 274.

» *Q.* 2. Quae et quot sint causae, actus et effectus legis.

» R. 1. Causae legis sunt 4. Efficiens, ipse legislator: materialis, ejus » voluntas: formalis, ejus essentia: et filialis, bonum commune.

» R. 2. Actus legis praecipui sunt 4. Praecipere, prohibere, permittere et » punire. Siquidem lex actus humanos bonos praecipit, malos prohibet ac » punit, indifferentes permittit.

» R. 3. Effectus legis sunt 3. Subditos objective dirigere ad bonum amplectendum et malum fugiendum; eosdem obligare; et ita bonos facere.

» *Q.* 3. Quae causa efficiens legis humanae in specie.

» R. Ad ferendam legem non sufficit potestas *oeconomica*, qualem habet » *e. g.* Abbatissa monialium, vel pater-familias in domesticos etc. sed requiritur *jurisdictio*, sive illa habeatur *immediate* a Deo, qualem habuit olim » Moyses a Deo, nunc Pontifex a Christo; sive *mediate*, qualem habent » Principes mediante populo; cum potestas divina legislativa juxta s. Thomam » 1. 2. q. 90. et Suaresium L. 3. c. 2. participetur in *civilibus* proprie tantum » a communitate, quae illam transtulit quandoque in unum ejusque descendentes, et vocatur *Monarchia*; quandoque in plures Primates, et dicitur » *Aristocratia*, unde permanent Senatusconsulta; quandoque sibi reservavit, » ut in *Democratia*, ex qua plebiscita etc. *unde sequitur* Papam et concilia » *generalia* posse legem condere pro tota Ecclesia: Primatem et concilia *nationalia* posse pro tota natione vel regno; Archiepiscopum et *provincialia*, » pro provincia; Episcopum et *dioecesana*, pro dioecesi: praepositos generales ordinum religiosorum saltem *cum capitulis suis*, pro suis subditis, sed » per concessionem Papae. An autem Capitula *Sede vacante* hoc valeant, » controvertitur.

» *Dices* 1. Abbatissa potest moniali suae *praecipere sub virtute S. obedientiae*, adeoque habet proprie jurisdictionem Ecclesiasticam. 2. Pontifex po» test *deponi* ab Ecclesia, si vel incidit in haeresim, vel saltem communiter

» habetur pro lapso in haeresim, ut de Liberio et Felice. 2. Sic verum esset » de Episcopis illud; *Quod potest Papa in tota Ecclesia, hoc potest Episco-* » *pus in sua Dioecesi.*

» R. Ad 1. N. A. Si haec praeceptio *stricte* sumatur, prout dicit *praeceptum* » spirituale, *finem* spiritualem, et *potestatem* spiritualem. V. Palao, Sanch. » in Decal. L. 6. c. 1. Sed potest praecipere sub virtute *obedientiae sibi debi-* » *tae.* Cum enim tantum habeat domesticam et laicam potestatem, praeci- » pere potest simpliciter: cui moniales tenentur obedire ratione voti Deo » facti. Ad 2. N. Sed Ecclesia solum *declarat* Papam in hoc casu a Christo » depositum esse; sicut etiam Cardinales Papam eligentes solum *determinant* » *Personam*, cui Deus deinde per se confert jurisdictionem. *Ad* 3. Hoc axio- » ma, deficit in pluribus, e. g. non procedit in articulis fidei, canonizatione » Sanctorum, approbatione Religionum, concessione Indulgentiarum, di- » spensatione in matrimonio rato; praeterea Episcopi sunt successores Apo- » stolorum non in Apostolatu; sed tantum in Episcopatu: consequenter non » possunt facere statuta universalia. Denique Papa defenditur passim supra » Concilium universale; Episcopus non est supra Synodum, quia ab Episco- » po appellari ad hanc potest. Multi addunt, quod Episcopi habeant suam po- » testatem non immediate a Christo, sed a Papa, quod tamen inficiantur » aliqui.

§. II. *Principia generalia de Legibus.*

142. *Princ. I.* Ad veram legem, ut obliget subditos, requiruntur sequentes conditiones. 1. Lex debet esse *honesta;* scil. materia quae praecipitur, debet esse licita, nec prohibita jure naturali aut divino. Hinc *S. Th.* 1. 2. q. 96. a. 4. ait, tales leges, quae legi Superioris Dei repugnant, nullo modo licet observare; *nam obedire oportet Deo magis, quam hominibus. Act.* 5. *v.* 29. *Secundo.* Debet esse *justa*, quae, servata aequalitate proportionis, subditis secundum eorum vires et facultates debet proponi. *Suarez* L. 1. de LL. c. 9. n. 16. *Tertio.* Debet esse *possibilis*, secundum naturam, patriae consuetudinem, loco et tempori conveniens; impossibilia enim sub praeceptum non cadunt. *Laym.* de LL. c. 1. *Quarto. Non privato tantum commodo, sed pro communi subditorum utilitate conscripta.* Lex enim est commune praeceptum. L. 1. ff. de LL. Leges quaedam proxime quidem particularium v. g. pupillorum commodum spectant, simul tamen ad Reipubl. bonum faciunt *Laym.* ibid. *Quinto.* Denique requiritur, ut lex feratur a legitimo Superiore jurisdictionem habente. *Confirm.* ex prima parte Decreti D. 4. can. 2. *Erit autem lex honesta, justa, possibilis secundum naturam, secundum patriae consuetudinem, loco, temporique conveniens, necessaria, utilis, manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem in captionem contineat, nullo privato commodo, sed pro communi civium utilitate conscripta.*

143. Princip. II. *Ad hoc ut lex obliget, essentialiter requiritur ejus promulgatio*, scilicet ut publice scripto vel per praeconem ita communitati denuntietur, ut omnibus facile possit innotescere. Non tamen requiritur ut singulis intimetur; hoc enim foret moraliter impossibile. Hoc principium spectat ad formam legis, quae sunt verba, vel alia signa externa, quibus legislator suam voluntatem obligandi communitati manifestat; talia sunt: *Praecipimus, obligamus, omnes teneantur, nemini liceat* etc. his enim positis, formaliter habetur lex. *Prob.* 1. ex *S. Th.* qui 1. 2. q. 90. a. 4. in corp. ait: *Promulgatio ipsa necessaria est ad hoc, quod lex habeat suam virtutem*, scil. obligandi. *Prob.* 2. Lex est regula communis, secundum quam subditi debent instituere actiones suas: ergo prius debet promulgari toti communitati: juxta regulam enim incognitam nemo potest operari. *Confirm.* ex L. 9. C. de LL. *Leges sacratissimae, quae constringunt hominum vitas, intelligi*

ab omnibus debent. Vide *Suar.* L. 1. de LL. c. 11., *Laym.* de LL. c. 2. cum communi.

144. Princ. III. *Lex quoad vim obligandi non dependet essentialiter ab acceptatione populi.* Adeoque tenentur subditi in conscientia acceptare legem justam, sive civilem, sive Ecclesiasticam. Patet ex propos. 28. ab *Alexand. VII.* damnata. *Ratio* est: quia non acceptare legem justam Superioris legitimi, est resistere potestati a Deo ordinatae; *huic autem qui resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt; ad Rom.* 13. *v.* 2. *Confirm.* Si populi acceptatio requireretur ad essentiam legis, omnis legum auctoritas, superioritas, et potestas legislatorum desineret, utpote qui plus non possent evincere, quam subditi vellent; id quod non esset regere, sed regi. Non loquimur autem de Statu Democratico, in quo suprema potestas saltem partialiter est adhuc penes populum.

Dixi in *Q. Quoad vim obligandi:* nam ad durationem et stabilitatem legis *per accidens* necessaria est acceptatio populi, vel potius actualis observatio legis. Sic *Laym.* de LL. c. 3. explicat illud *Gratiani* dist. 4. c. 3. *Leges instituuntur, cum promulgantur: firmantur, cum moribus utentium comprobantur.*

145. Princip. IV. *Lex civilis non potest praecipere vel prohibere actus mere internos*; quia sine his legislator civilis obtinet finem suum, qui est tranquillitas Reipublicae; haec habetur, modo actus externi bene fiant. Neque per actus internos cives quoad temporalia inter se ullam communicationem habent. *Palao* de LL. T. 3. D. 1. p. 6. n. 2., *Franc. Schmier* L. 1. T. 1. c. 1. n. 111. cum aliis turmatim.

146. *Neque legislator Ecclesiasticus potest praecipere vel prohibere actus pure internos;* quia tales actus non potest cognoscere; ergo neque judicialiter illorum omissionem punire, aut eorum executionem urgere. *Confirm.* ex c. *Sicut* 33. L. 5. Decret. tit. 3. de Simonia: *Ecclesia non judicat de occultis.* Item c. *Tua nos.* eod. tit. *Innoc. III.* ait.: *Nobis datum est de manifestis tantummodo judicare.* Ergo ipsi Summi Pontifices talem potestatem circa actus mere internos non agnoverunt. *Confirm.* etiam ex can. 14. de Poenit. dist. 1. *Cogitationis poenam nemo patitur.* Ideoque *Laym.* de LL. c. 4. n. 5. absolute asserit, communiorem esse DD. sententiam, quod nulla lex, vel praeceptum humanum se possit extendere ad actus mere internos per se praecipiendos. Eadem est sententia *S. Thom.* 1. 2. q. 91. a. 4. et q. 100. a. 9. *Suar.* de Censur. D. 4. §. 2. et L. 4. de LL. c. 12., *Spor.* Tr. prooem. c. 3. n. 35. et plurimorum aliorum. *Confirm.* etiam ex L. 7. Benedicti XIV. de Synodo Dioeces. C. 32., ubi de haeris interna agens ait; *Ecclesia autem sicuti non potest per se directe et immediate praecipere aut prohibere actum mere internum, juxta communem Theologorum sententiam: ... ita non potest haeresim, quae in actum exteriorem non prodit, censura perstringere.*

147. Juvat tamen annectere pro notitia sententiam pauciorum, magni tamen nominis DD. (ut eam vocat *Franc. Schmier* in Jurispr. L. 1. t. 1. c. 1. n. 113.) scil. *Carden.* Disp. 25. c. 7. n. 51., *Sbogar* t. 71., *Gormaz* de Poenit. p. 2. n. 67. utriusque *Schmier* et aliorum, qui docent, quod legislator Ecclesiasticus quoad potestatem coactivam externe non possit praecipere vel prohibere actus mere internos, ob rationes n. praeced. allatas; possit autem id facere quoad potestatem directivam. *Ratio* eorum 1. est, quia Christus Matth. 16. v. 19. *Quodcumque ligaveris* etc. et Joan. ult. v. 17. *Pasce oves meas*, videtur illimitatam, et non tantum ad actus externos restrictam potestatem Petro dedisse: 2. quia finis legis Ecclesiasticae est bonum animarum spirituale ac supernaturale et aeterna beatitudo: ad haec autem plus conducunt actus interni, quam soli externi: ergo. *Confir. Trid.* sess. 13. in Decreto de Ss. Euchar. omnibus fidelibus interdicit, ne posthac ali-

ter credant (quod est actus internus) doceant aut praedicent, quam sicut hoc decreto est declaratum et definitum. Item *Innoc. XI.* in virtute sanctae obedientiae, et sub interminatione divini judicii prohibet, ne quis propositiones a se damnatas deducat ad praxin, inter quas 5. 6. 7. et 10. versantur circa actus mere internos. Plures rationes vide apud *Franch Schmier* l. c. et *Cardenas*; quas tamen satis apte solvunt *Palao* t. 3. de LL. d. 1. p. 6. *Pichler* ad Tit. de Constit. n. 12. et alii.

148. Princ. V. *Potest legislator Ecclesiasticus et civilis praecipere vel prohibere actus mixtos*, h. e. juxta *La Croix*, tales externos, qui absolute quidem possunt esse secundum esse physicum absque actu interno, ad eorum tamen esse morale intrinsece spectat actus internus; et hinc dicuntur mixti, quia actus externus et internus constituunt unum moraliter actum, v. g. attentio conjuncta cum recitatione Breviarii. *Suar.* L. 4. de LL. c. 13., *Palao* l. c. *Gobat* in Exper. T. 5. n. 189., *Sporer* et communis: ideo *Cardenas* et *Petrus de Murga* contrariam sententiam antiquatam et improbabilem esse affirmant. *Prob.* 1. L. *bonam fidem. C. de oblig. et act.* bona fides, quae est actus internus, ad contrahendum requiritur. 2. Juxta propos. 14. ab *Alexandro VII.* damnatam praecipitur ab Ecclesia confessio valida, quae sine actibus internis dolore, detestatione et proposito esse nequit. 3. *Urbanus VIII.* prohibet applicationem Missae (an actum internum) pro duobus stipendiis etc. An autem actus internus sic directe vel indirecte, per se, vel tantum concomitanter praecipiatur, parum facit ad resolutionem casuum. Hinc relinquimus hanc crisin Theol. Schol.

§. III. *Resolvuntur Casus.*

Casus I.

de promulgatione Legis.

Andreas Consiliarius Principis Titio amico suo prodit, proxima edicto publico defalcandos esse ducatos, item imminuendum pretium frumenti; tertio posthac nemini fore licitum vinum ex alia provincia inferre. Titius mox ducatis solvit debita sua, emit varias merces, frumenta sua vendit, advehit etiam vinum Rhenanum et Mosellanum.

149. *Q.* I. An peccaverit Titius contra justitiam ita solvendo, emendo, vendendo et vinum advehendo. R. *Negative;* lex enim nondum promulgata sicut reliquos cives nondum obligabat, ita nec Titium; notitia privata non poterat illi auferre jus, quo tota communitas gaudebat. Si ante hanc privatam notitiam solvisse debita, non fuisset causa damni creditorum: ergo nec postea. 2. Frumenta eo pretio vendit, quo tum valebant: ergo contra justitiam non egit. Quoad vinum lex nondum existebat ex defectu promulgationis; ergo nec poterat ab eo violari. *Laym.* L. 3. de Just. t. 4. c. 17. n. 9. *Palao* t. 3. de LL. disp. 1. p. 10. n. 2. *Burgh.* Cent. 1. casu 6.

150. *Q.* II. An peccaverit Titius saltem contra charitatem quoad primum et secundum. Respondet *Laym.* l. c. ex *Molina*, *per se* loquendo, *negative;* usus est enim jure suo, neque contra charitatem est, imminens damnum a se potius, quam ab alio avertere licito modo. Dixi *per se:* quia si quis praevideret, emptores vel creditores *extraordinarium* hinc damnum passuros, ex officio charitatis deberet illud impedire. *Laym.* ibid. non aeque excusat Consiliarios, qui ante promulgationem tale decretum produnt, vel ipsi ejus notitia pro suo commodo in damnum aliorum utuntur, eoquod hi ex officio tenentur impedire, ne cives ratione novae legis damnum patiantur, cives vero ipsi nulla lege justitiae aut charitatis ita prohiberi videantur, quominus privata notitia talis decreti utantur.

151. *Q.* III. Qualis requiratur promulgatio. R. Voce aut scripto, et cum aliqua solemnitate ita denuncianda est lex, ut possit innotescere communitati, eique constare de voluntate Superioris, quod pro sua auctoritate velit obligare subditos. *Constat* ex usu et praxi legislatorum. Praeter rationes *num.* 143. allatas accedit, quod Princeps ferendo legem agat personam publicam; ergo publica et solemni promulgatione legem debet denuntiare, cum publica caeremonia determinanda vel per voluntatem Principis, vel consuetudinem provinciae: communiter autem fieri solet vel voce praeconis, vel affigendo edictum ad valvas Curiae. Lex vocatur quidem constitutio scripta, non tamen eo sensu quod scriptura ad essentiam legis requiratur; sed quia plerumque scribitur, ut inviolata perseveret, partim etiam ad differentiam consuetudinis, quae vocatur jus non scriptum. Ita *Laym.* de LL. c. 2. n. 3. *Reiffenst.* Porro leges civiles pro toto imperio vel regno in singulis provinciis promulgandae sunt; quae autem feruntur pro una provincia, in primaria ejus civitate.

152. *Pro reliquis adverte* I. Leges Imperatoriae, si certum tempus non exprimant, non obligant, nisi post bimestre a promulgatione in singulis provinciis, ut probat *Laym.* l. c. n. 4. ex Rubr. Authent. 66. Collat. 5. tit. 16. *Pirrhing.*, *Engel* et alii: et *ratio* est: quia sic omnis imparitas, confusio, et querelae populorum late diffusorum evitantur, et impeditur ne aliqui citius, alii serius obligari incipiant.

153. II. Leges Pontificiae probabilius post factam Romae promulgationem statim incipiunt obligare in tota Ecclesia, et quamprimum satis constiterit eas Romae esse promulgatas. Ita *Suar.* de LL. L. 4. c. 15. n. 11., *Bonac.* T. 2. D. 1. de LL. q. 1. p. 4. n. 25., *Laym.* l. c., *Azor. Babenst.* T. 3. D. 1. de LL. a. 4. n. 20., *Palao* et plures alii. *Ratio* 1. est: quia ex natura legis promulgatio in singulis provinciis non requiritur, sed sufficit unica Romae facta. 2. Nec requiritur illa ex constitutione juris; illa enim Authentica non est acceptata a Pontificibus, ut ait *Babenst.* l. c. *Suarez* addit Pontifices non declarasse, velle se admittere leges civiles pro modo ferendi leges, vel obligandi Ecclesiam per suas leges. 3. Affirmat *Navarrus*, teste *Suar.*, transgressores legum Pontificiarum in urbe puniri ante duos menses a promulgatione, non solum qui probantur scivisse promulgationem, sed etiam qui non probant, quod illam ignorarint. 4. Plures constitutiones in jure Canonico habent vim obligativam, licet illarum promulgatio in provinciis facta nequeat probari. 5. Recenter editae Bullae non alibi quam Romae promulgantur. 6. Regulae Cancellariae in partibus nunquam publicatae sunt; et omnes causae juxta constitutiones Romae promulgatas deciduntur. 7. Decreta Concilii Trid. mox post confirmationem Romae obligare coeperunt. Alibi 1. Maji 1564., ut constat ex Bulla Pii IV. *Sicut ad sacrorum.*

Contrarium defendunt *Navarrus* c. 23. n. 44. in Manuali, *Sotus* L. 1. de Just. q. 1. a. .., *Molina*, *Reiffenst.*, *Franc. Schmier* l. 1. T. 1. c. 5. n. 202. et alii. *Ratio* eorum est: quia, quando jus Canonicum circa aliquam rem nihil decernit, vel dubie, jus vero civile circa illam disponit clare, tunc sequi oportet jus civile etiam in foro Ecclesiastico, modo jus civile nihil disponat re spirituali, aut contra immunitatem Ecclesiasticam, quam regulam DD. desumunt ex c. 1. de N. O. N.: *Sicut leges non dedignantur sacros Canones imitari, ita et sacrorum statuta Canonum Principum constitutionibus adjuvantur. Confirm.* 1. Motivum, quod Imperatorem impulit ad statuendam promulgationem in singulis provinciis, et terminum duorum mensium, neque procedit in lege et foro Ecclesiastico; scil. ne confusio oriatur in Republica, si aliqui citius obligentur, quam alii, quae ratio etiam ab adversariis admittitur in legibus irritantibus et revocatoriis privilegiorum etc. *Confir.* 2. ex Bulla Pii IV. supra cit. *Sicut ad sacrorum:* ubi Pontifex vult, decreta Concilii Trid. non obligare ante Kal. Maji, et subjungit ra-

tionem: *quia jure etiam communi sancitum est, ut constitutiones novae vim nonnisi post certum tempus obtineant* etc. Ergo constitutio Nov. 66. non tantum generali receptione a jure Ecclesiastico assumpta, sed hac speciali constitutione probata videtur. Ita *Franc. Schmier* n. 204. Idem rationes Patris *Cardenas*, qui post damnatas ab *Alexandro VII.* propositiones vocat hanc sententiam non amplius probabilem, egregie solvit l. c. n. 43. cum *P. Krimer*.

154. Ex probabilitate hujus sententiae posset se quis in praxi pro foro interno resolvere, quod non peccet, agendo contra legem Ecclesiasticam, ante factam in sua Dioecesi promulgationem, item ante elapsos duos menses; excipe tamen, si lex foret de re fidei, v. g. si Romae aliqua sententia tanquam haeretica esset damnata. Dixi: *pro foro interno*; pro externo enim parum vel nihil juvabit illa resolutio, si quis non possit probare ignorantiam legis.

155. III. *Laym.* l. c. n. 7. affirmat cum *Suar.*, *Soto*, *Molina*, quod non tantum civilis, sed etiam Pontificia, quae infirmat contractus alioquin jure naturali subsistentes, vel quae aufert jurisdictionem, v. g. in Ordine ad Sacramentum Poenitentiae, benigna interpretatione censeri debeat non prius obligare, quam in Dioecesibus promulgata sit. *Ratio* est: quod alias tales leges in multorum detrimentum cederent, qui invincibiliter earum ignorantia laborantes tales contractus inirent, vel a Sacerdotibus non approbatis sacramentalem absolutionem peterent.

156. IV. Quoad leges inferiorum Principum, sufficit eas promulgari in principaliori loco; et statim a promulgatione ante lapsum duorum mensium obligant omnes earum notitiam habentes. De his intellige c. 1. *de Postul Praelat.* Sufficit ut ad constitutionis observantiam teneatur, qui noverit eam solemniter editam. *Engel*, *Laym.* l. c., ubi addit: Quare inspiciendum est, quid vel propria lege vel consuetudine singulorum regnorum, ducatuum civitatum hac in re sit receptum.

Casus II.

De acceptatione legis.

Archelaus offensus a subditis, mox legem justam de se et rationabilem fert, quam tamen subditi non acceptant, eoquod sibi persuadeant, hanc legem ex odio esse latam.

157. *Q.* I. An peccent subditi non acceptando hanc legem de se justam. R. *Affirmative*, ex rationibus n. 144. allatis. Neque suspicio illa de odio est rationabilis causa excusans a justa lege; sicut sinistra intentio judicis non destruit valorem sententiae, si ista caeteroquin justa sit.

158. *Q.* II. Si subditi putent, se habere justum gravamen contra legem, aut legem repugnare juribus patriae, aut eam esse nimis severam, quid agendum. R. Poterunt appellare, si legislator Superiorem habeat; si vero independens vel supremus sit, poterunt supplicare contra legem; quia potest praesumi, quod legislator difficultates nesciverit, vel eas non consideraverit pendente vero appellatione vel supplicatione saltem ex praesumpto consensu legislatoris suspenditur obligatio legis. Ita *Bonac.*, *Fabri*, *Lessius*, *Carden.* apud *La Croix* n. 639. contra *Palao*, *Vasq.* et alios.

159. Porro *adverte* I. Si legislator populi repugnantiam sciat, et connivet non urgendo legis executionem, censetur legem revocare tanquam subditis nimis difficilem et incommodam. 2. Si vero ignoret, durat obligatio legis, donec legitimae praescriptionis tempus decurrat. Ita *Laym.* c. 3. de LL. n. 3., ubi excusat eum, etiam ante expletum tempus praescriptionis, qui ad acceptandam legem paratus est, et data occasione eam observat, cum

interim alii plerique eam non acceptant, eoquod aequitas permittere non videatur, ut hic solus vel cum paucis legem communiter non receptam longo tempore observare debeat. 3. Si vero non obstante supplicatione Superior urget legis executionem, tunc potius firmatur, quam revocatur lex, modo non sit aperte injusta; adeoque manet obligatio.

160. II. Etsi primi, qui legem Pontificiam sine justa causa non acceptarunt, peccaverint; successores tamen illam post longum tempus non observando, non peccant; quia talis lex longo tempore non acceptata censetur per non usum abrogata. *Busemb.*, *Reiffenst.*

III. Si quaedam Dioeceses aut regna gaudent privilegio (quale juxta *Gobat* sibi arrogat Gallia, et, teste *Banny*, Belgium) quod leges Pontificiae promulgari vel obligare non possint sine placito et approbatione Regis: tum illae per accidens non obligant ex privilegio ipsorummet Summorum Pontificum, ut ait *La Croix* L. 1. n. 635.

161. Denique quando Ecclesia praecipit actum externum pro cultu divino, v. g. auditionem Missae, recitationem Breviarii, necessario videtur simul praecipere saltem aliquam attentionem ex parte intellectus. *Sporer.* t. 1. procm. c. 3. n. 41. et 42. Plura, quando de his specialiter agendum, uti et de haeresi interna, simonia, et usura pure mentali.

Casus III.

De actibus internis.

Adrianus Generalis cujusdam Ordinis Religiosi ex rationibus urgentibus, consentientibus etiam Definitoribus Ordinis, sub obedientia praecipit subditis suis meditationem horariam de vita Christi singulis diebus peragendam. Onuphrius Procurator cujusdam Monasterii diu meditationem omittit, ratus, id non posse Superiorem praecipere, eoquod meditatio sit actus mere internus; dum vero alios advertit statuta hora devotissime meditantes, angitur in conscientia, et omissionem confitetur. Hinc a Confessario monetur, nunquam posthac omittere meditationem, et jubetur pro poenitentia eodem adhuc die per quadrantem meditari de inferno.

162. *Q.* I. An Superior Ordinis Religiosi possit praecipere actus mere internos, v. g. meditationem. R. *Affirmative*: quia talis potestas vi voti obedientiae ei competit, qua se subditi implicite obligant ad ea mandata acceptanda, quae Superiori ad conservandum institutum necessaria, bono Ordinis convenientia, et ad perfectionem consequendam conducentia visa fuerint. *Gobat* t. 5. n. 189. id confirmat ex ipsis Congregationum, Capitulorumque institutis, ac variorum Ordinum decretis.

163. *Q.* II. An Confessarius possit injungere actus mere internos. R. *Affirm.*; quia licet caeteroquin potestatem legislativam non habeat, hanc tamen exercet nomine Dei.

164. *Adverte* porro I. Materia legis humanae non tantum sunt actus externi variarum virtutum, sed etiam alioquin indifferentes, quando necessarii vel utiles fiunt ad finem a legislatore intentum, et ad bonum commune temporale vel spirituale; tunc enim non manent indifferentes, sed ex fine fiunt honesti.

165. II. Consilia Evangelica *absolute* praecipi non possunt, tum quia Christus illa libera esse voluit, tum quia respectu multorum sunt nimis ardua. Dixi *absolute*: nam conditionate tantum Ecclesia praecipit continentiam, si quis velit suscipere sacros Ordines: Religiosi autem libere se per votum obligationi subjiciunt.

166. III. Non omnia peccata externa ab humana potestate executive prohiberi possunt, tum propter imbecillitatem, tum propter evitanda ma-

la majora. Merito autem prohibentur graviora, humanae societati magis nociva, et a quibus major pars communitatis abstinere potest. *Laym.* de LL. c. 4. n. 2. cum *S. Thom.*

CAPUT II. *De obligatione et subjecto legis humanae, item de modo implendi legem.*

§. I. *Praenotanda de Jurisdictione in genere, item de causa efficiente, et interpetratione legum.*

167. I. Jurisdictio, juxta *Laym.* de LL. c. 5., et *Molin.* t. 5. de Just. Disp. 2. est facultas alicujus habentis publicam auctoritatem et eminentiam super alios ad eorum regimen et gubernationem. *L.* 1. §. 4. *ff. de suspect. tut.* in genere vocatur *officium juris dicendi.* Actus praecipui jurisdictionis sunt leges condere, in iis dispensare, praecipere, judicare, punire, Ministros publicos creare, pupillis tutores dare, minores, atque Ecclesias laesas in integrum restituere, item Sacramenta ministrare etc. *Reiffenst.* 1. Jurisdictionem humanam dividit in *Ecclesiasticam*, quae circa causas ad Dei cultum et bonum spirituale versatur; alia quidem exercetur in foro externo, alia in interno seu conscientiae et sacramentali. Et in *civilem* vel *politicam*, quae versatur circa causas profanas, et temporalem Reipublicae gubernationem proxime respicit. 2. In *contentiosam*, quae exercetur in invitum; ad hanc juxta *Laym.* l. c. n. 3. pertinet leges condere, praecipere, punire, causas tum civiles tum criminales definire, quae proprium tribunal postulant; hinc a partium contentione *contentiosa* vocatur. Et in *voluntariam*, quae exercetur inter volentes et consentientes; ad hanc pertinet legitimare, adoptare, dispensare, beneficium conferre, Sacramenta ministrare etc. 3. In *ordinariam*, quae alicui, jure proprio, ratione officii aut dignitatis suae, ex lege, consuetudine vel canone competit. Et in *delegatam*, quam quis non habet ex jure proprio aut ratione officii, sed ex commissione alterius, cujus vice fungitur. Plura de his *Canonistae* in L. 1. Decret. tit. 19.

168. II. Leges Ecclesiasticas obligantes totam Ecclesiam potest condere 1. Solus Summus Pontifex, quia huic soli tanquam legitimo successori D. Petri in primatu a Christo data est potestas gubernandi totam Ecclesiam, juxta illud Matth. 16.: *Tibi dabo claves . . . quodcumque ligaveris* etc. *Confirm.* ex c. *in Novo Testamento* 2. dist. 21. 2. Concilia generalia possunt statuere leges universales pro tota Ecclesia, si illis accedat auctoritas Papae.

169. III. Leges particulares condere possunt 1. Cardinales pro Ecclesiis suorum titulorum. c. *His quae* 11. *de Maj. et obed.* 2. Legati Sedis Apostolicae in provincia suae Legationis. *c. fin. de offic. Legati.* 3. Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi, singuli pro sua particulari Dioecesi. *c.* 2. *de Maj. et obed. c.* 2. *de constit. in* 6. 4. Abbates et Praelati exempti pro suo territorio in quo exercent jurisdictionem quasi Episcopalem. Plura apud Canonistas. *Franc. Schmier* L. 1. t. 1. c. 4. a n. 61. usque 117.

170. IV. Leges civiles totum imperium Romanum obligantes condit Imperator, quamvis non sine consensu statuum, ut patet ex *Instrum. pacis Westphal. a.* 8. §. *gaudeant* 2. Eandem potestatem ferendi leges universales pro suis provinciis habent Reges, aliique Principes Superiorem non agnoscentes, vel cum vel sine consensu Parlamenti aut Procerum, prout cujuslibet Regni consuetudo aut capitulationes exigunt. Idem dicendum de Regina, si sit moderatrix et domina Regni. *c.* 4. *de Arbit.* Idem de qualibet Republica quae Superiorem non agnoscit. Leges civiles particulares pro suis territoriis condere possunt Principes et Status Imperii Rom.; hinc illud vulgatum: *Quivis Imperii Status tantum potest in suo territorio, quantum Imperator in suo Imperio.* Vide *Franc. Schmier* l. c. c. 7. a. n. 51. usque ad 69. de jurisdict. civili. *Laym.* l. c. c. 8.

171. V. *Interpretatio* est genuina legis explicatio aut declaratio juxta eam significationem, quam intendit legislator. *Franc. Schmier* T. praeamb. c. n 1. ib. n. 2. Dividitur in Authenticam et Doctrinalem. *Authentica* (quae etiam *necessaria* vocatur, quia ei necessario est acquiescendum) vel est *legalis*, qua per expressam legem a legislatore, superiore, vel ejus successore sensus antea latae legis explanatur. De hac *c. inter alia, de sent. excomm.* habetur: *Unde jus prodit, interpretatio quoque procedat.* Vel *usualis*, qua ex usu et consuetudine sive observantia sensus legis colligitur. *Doctrinalis*, quam faciunt judices et doctores. Haec facit probabilitatem, non vero necessitatem, nisi omnes doctores consentiant, ac alia fundamenta juris non suppetant. Doctrinalis iterum alia est *simplex* sive *verbalis*, qua verba, prout jacent, in vera significatione exponuntur. Alia *modificata* vel *comprehensiva*, qua id omne, quod verborum proprietate continetur, intelligitur, licet explicite non fuerit positum. Vel *extensiva*, qua lex quoad terminos angusta, ad objecta vel subjecta nova, personas aut res extenditur. Vel *restrictiva*, qua verba caeteroquin generalia ad certas tantum res aut personas coarctantur. Vide *Suarez* L. 6. de LL. a c. 1. usque ad 6.

172. VI. *Epikeia* est aequa et rationabilis interpretatio, quod lex in aliquo particulari casu non obliget, licet verbis universalioribus a legislatore dictata sit: v. g. si furioso non reddas depositum gladium casu, quo ex furore se ipsum vel alium occisurus timeri prudenter posset, etsi lex generaliter dictet, depositum esse reddendum. Differt ab *interpretatione*, quod interpretatio exponat verba obscura, epikeia autem dictet recte agi contra clara verba legis. Differt etiam a *praesumptione* licentiae, quia haec supponit, legem etiam ad hunc casum se extendere, et obligaturam fuisse, nisi aliqua Superioris licentia haberetur; quam prudenter daturus hic et nunc presumitur, si interrogaretur. Epikeia autem dictat, mentem legislatoris non voluisse comprehendere hunc vel illum casum, quamvis alias verbis claris comprehensum.

§. II. *Principia practica de obligatione et subjecto legis.*

173. Princ. I. *Omnis lex humana tum Ecclesiastica, tum civilis obligat saltem ad aliquid non tantum in foro externo, sive sub culpa juridica, sed etiam in conscientia, sive sub peccato coram Deo, eoque levi vel gravi, prout vel materiae gravitas, vel rei praeceptae ad finem intentum necessitas permittit, et legislatoris voluntas statuit.*

Prob. 1. ex *S. Th.*, qui 1. 2. q. 96. a 4. in corp. ait: *Leges humanae, si justae sint, habent vim obligandi in foro conscientiae.*

Prob. 2. ex *Script. et ratione.* Legislator utitur potestate a Deo tradita, leges condit nomine et auctoritate Dei, cujus vices gerit, juxta c. 8. v. 15. Proverb.: *Per me Reges regnant, et legum conditores justa decernunt.* Et juxta Apost. ad Rom. 13. v. 1. *Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit; non est enim potestas, nisi a Deo.* v. 2. *Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt* v. 5. *Ideo necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Ergo legislatori humano justa praecipienti non minus parendum est sub peccato, quam si Deus per se ipsum praeciperet. *Confir.* 1. Haec obligatio in conscientia maxime est necessaria, quia alias subditi impune leges violarent, quamdiu transgressio videretur non manifestanda; id quod frequentissimum esset. *Confir.* 2. Ipsa ratio dictat, obtemperandum esse justa statuentibus; ergo sive obliget ad actum, sive ad poenam, legislatori in conscientia obtemperandum est; alias ageretur contra rectam rationem; hinc illud Brocardicon; *Lex justa in foro externo est justa in foro interno.* Dixi *ad aliquid:* scil. ad id, ad quod legislator vult obligare; atqui per quamlibet legem vult obligare ad aliquid

alias non ferret legem, sed consilium: ergo. Sic per legem mere *praeceptivam* obligat ad actum, per *prohibitivam* ad ejus omissionem, per mere *poenalem* ad poenam acceptandam, per *copulative mixtam* ad utrumque, per *disjunctive mixtam* ad alterutrum.

174. Principium II. *Perfectius quidem agit, qui ex motivo charitatis aut obedientiae etc. legem implet, non tamen requiritur necessario* 1. *ut lex impleatur ex charitate, nisi hanc in substantia includat.* Patet ex propos. 16. Bajana damnata a Pio V. Gregorio XIII. et Urbano VIII. *Non est vera legis obedientia, quae fit sine charitate.* Ad hoc autem ut impletio sit meritoria, requiritur charitas, sive status gratiae in operante. Huc tendit illud 1. Cor. 13.: *Si linguis hominum loquar et Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut aes sonans.*

2. *Nec requiritur intentio implendi praeceptum,* sive obedientia *formalis;* quia legislator non praecipit actum, quo quis velit satisfacere praecepto; sed tantum praecipit liberam operis externi executionem, aut omissionem actus prohibiti. Sic qui devote audit Sacrum, ignorans esse diem festum, satisfacit praecepto, nec tenetur aliud postea audire, quando intelligit esse diem festum, quia libere fecit id quod lex statuit. *Babenst.* T. 3. d. 3. de LL. a. 1. n. 9. et 11., *Azor, Palao* et alii commun. Pariter vota et juramenta vere implentur ab eo, qui opera promissa vel injunctam poenitentiam exequitur, etiamsi non habeat intentionem implendi, modo ea non applicet pro alia re; quia vota vel injuncta poenitentia sunt quodammodo leges particulares, quas homo sibi vel alteri imponit: hinc tantum obligant ad substantiam actus. *Basemb.* L. 1. t. 2. c. 2. dub. 2. cum *Suar., Less., Laym.*

3. *Ad implendum praeceptum affirmativum, quod saltem concomitanter imperat actum humanum et liberum, requiritur intentio sive voluntas faciendi id, quod praeceptum est,* v. g. audiendi Sacrum, recitandi horas canonicas etc. *Talis intentio non requiritur ad praeceptum negativum, qua scil. velis omittere actum prohibitum, sed sufficit nuda actus prohibiti omissio. Ratio primi* est: quia tale praeceptum affirmativum hoc ipso praecipit actum humano modo ponendum: atqui opus humano modo non potest fieri, nisi adsit saltem aliqua applicatio mentis, qua quis intendit ponere illud, quod praecipitur: ergo. Hinc ebrius aut dormiens per totum Sacrum non satisfacit praecepto. *Laym.* de LL. c. 4. n. 9. cum *Soto, Medina, Suarez* et aliis. Aliqua vero praecepta affirmativa versantur circa actiones, quae in sui executione non includunt voluntarium et liberum; his satisfieri potest sine actu libero, quia ab his simpliciter praecipitur substantia rei; sic qui in ebrietate restituit rem alienam, satisfacit suae obligationi, quia fecit id, quod imperabat justitia: posita enim tali restitutione, habetur adaequatio inter jus activum unius et passivum alterius, quae adaequatio est finis a justitia intentus. *Laym.* l. c. n. 10., *La Croix* de LL. n. 695. *Ratio secundi est:* quia praeceptum negativum plus non intendit, quam omissionem hujus vel illius operis, quae potest haberi sine ulla intentione; unde dormiens tota die jejunii implet quidem praeceptum, sed non meritorie, quia, ut addit *Taberna* t. 4. c. 6. q. 1., ut observatio praecepti etiam negativi sit meritoria, requiritur aliqua intentio ex motivo aliquo honesto.

175. Princip. III. *Potest quis uno actu diversa praecepta simul implere, nisi aliud colligatur ex mente praecipientis. Item potest quis eodem tempore diversis actibus duplici praecepto satisfacere, dummodo unum non impediat alterum, et materiae legum ex se non sint incompatibiles. Sanch.* L. 1. op. mor. c. 14. n. 5. et 11., *Bonac., Reiffenst.* et alii passim. *Primum* patet ex praxi; qui enim obligatur ad horas canonicas ratione Ordinis et beneficii, satisfacit una recitatione: quando Dominica et Festum incidunt in eundem diem, non teneris audire duo Sacra: quando eodem die concurrit praeceptum jejunii ob festum sequens, et ob diem quatuor temporum, ne-

quidem potes bis jejunare: ergo. *Ratio secundi* est; quia plerumque temporis diversitas non praecipitur. Teste *Sanchez* l. c. fatentur fere universi DD. posse quempiam tempore, quo Missam in festo praeceptam audit, recitare horas canonicas vel alias preces, ad quas ratione voti aut poenitentiae injunctae tenetur.

176. Princip. IV. De subjecto legis, sive de iis qui obligantur legibus, communiter traduntur sequentia. In genere loquendo, *soli subditi rationis compotes obligantur legibus. Ratio primi* est, quia Superior non habet potestatem praecipiendi, nisi suis subditis: ergo etiam nonnisi ejus subditi habent obligationem obediendi. *Ratio secundi* est: quia ad hoc ut quis obligetur, requiritur ut sit liber et capax cognitionis ac directionis: atqui soli rationis compotes sunt liberi et capaces cognitionis ac directionis: ergo.

177. *Infertur* 1. Legislator neque quoad vim coactivam, ita ut incurrat poenam a se statutam, neque directe quoad vim directivam sive in conscientia, sed tantum indirecte ex decentia naturali obligatur legibus propriis. *S. Thom.* quaest. 96. art. 5. ad 3., *Reiffenst.* ad tit. de Constit. num. 268. et *communis* quoad primum: quoad secundum *Babenst.* Tract. 3. disput. 2. art. 4. num. 4. cum *Sayro*, *Mezger* et aliis. *Ratio* est: quia duplex hacc obligatio est effectus jurisdictionis et superioritatis: hanc autem nemo habet in se ipsum, nisi indirecte ex aequitate naturali, qua tenetur se conformare communitati, cujus ipse caput est; turpis enim est pars maxime principalis suo toti disconveniens. Juxta *Bonac.*, *Lessium*, *Azor* et *Palao*, Princeps secluso scandalo et turbatione populi, propriam infringens legem, peccat tantum venialiter, eoquod videatur esse levis deordinatio. *Laymann* de LL. c. 9. n. 3. sub finem ait: Quare facilius a mortali peccato excusari poterit legislator si legem propriam violet, scandalo cessante. Econtra *Babenst.* t. 3. d. 2. a. 3. num. 6. affirmat, quod Princeps transgrediendo suam legem in materia gravi peccat mortaliter, etiam secluso scandalo. Dixi: *Legibus propriis:* si enim jus divinum vel naturale idem praecipiant quod praecepit legislator, etiam ipse instar aliorum subditorum obedire tenetur Deo et naturae. *Adverte* tamen, quod resolutio sit intelligenda de legislatore absoluto, non vero de iis, qui tantum habent jus suffragii in ferendis legibus: tum enim Communitas vel Capitulum aut Synodus censetur esse legislator, singulis autem convenit illud; *Patere legem, quam ipse tuleris*, c. 6. *de Constit.* Idem dicendum est de optimatibus et civibus in statu Democratico et Aristocratico; quivis enim horum est verus subditus respectu totius communitatis.

178. *Infertur secundo.* Clerici et Regulares quoad vim coactivam seu punitivam non obligantur legibus civilibus. *Suarez* L. 3. de LL. c. 34., *Laymann* de LL. c. 13. n. 4., *Babenst.* et *Reiffenst.* vocant hanc sententiam certam et communem. Neque quoad vim directivam directe, hoc est praecise vi legis, sive potestatis civilis, sed indirecte. Hanc sententiam *Laymann* l. c. num. 6. vocat probabiliorem et expediliorem. *Suarez* l. c., *Azor* T. 1. L. 5. c. 12. q. 3., *Babenst.* et alii contra *Castropal.* t. 3. disp. 1. punct. 24. §. 6. n. 6. et alios, qui volunt quod directe obligentur. Item contra *Navarrum*, qui vult quod per se nequidem indirecte obligentur. Dixi *non directe*; quia legislator civilis nullam habet jurisdictionem in Clericos et Regulares, ut patet ex c. *Ecclesia de Constit.* ubi expresse innuitur, *quod laicis super Ecclesiis et personis Ecclesiasticis nulla sit attributa facultas.* Item ex Concilio Lateranensi sub *Leone* X. sess. 9. in Bulla, quae incipit: *Supernae dispositionis* . . . diserte legitur: *Cum a jure tam divino quam humano Laicis nulla potestas in personas Ecclesiasticas sit attributa* etc. *Indirecte* autem obligantur ex decentia et aequitate naturali, vi cujus pro bono pacis communis pars communitatis (qualis etiam sunt Clerici et Regulares) tenetur se conformare reliquis. Loquimur autem de iis tantum legibus, quae sunt necessariae bono communi, illudque immediate et per se respiciunt, et non adversantur immunitati Ec-

clesiasticae; quales sunt leges de non vendendis frugibus extra patriam, de non advehendis mercibus peregrinis, de communi taxa etc. Addit *Suarez* l. c. num. 13. et *Laymann*, hanc obligationem inde etiam oriri, quod ex illa aequitate naturali commoti Praelati Ecclesiastici, leges ejusmodi civiles justas approbent. Imo patet ex praxi, quod Clerici delinquentes contra tales leges puniantur, si deferantur ad forum Ecclesiasticum.

§. III. *Resolvuntur Casus.*

Casus I.

De obligatione legis.

Agathocles Princeps, audiens vinum indigenam a plurimis variorum liquorum et aromatum commixtione ita corrumpi, ut oenopolae vicini ab eo abhorreant, ad hunc rumorem sapiendum, et grave damnum incolarum avertendum severissime prohibet illam fraudulentam artem meliorandi vinum. Aglaus audiens oenopolas propediem adventuros, lucri cupidus artem suam, spreta lege, probat, vinumque satis austerum dulce reddit.

179. *Q.* I. An Aglaus graviter peccaverit. R. Si lex fuerit absolute prohibitiva, et non mere poenalis, graviter peccavit, tum ob transgressionem justae et gravis legis, tum quia aliorum vina novae infamiae graviter damnosae exposuit, praescindendo de damno, quod forte emptoribus simul intulit.

180. *Q.* II. Unde colligatur an lex sit praeceptiva, vel mere poenalis. R. Praeter dicta n. 139. *advertendum*: si legislator utatur verbis mere praeceptivis aut prohibitivis, e. g. *Praecipimus severissime ut frumenta hoc vel illo tantum pretio vendantur*, censetur esse lex praeceptiva. Item: *Severissime prohibemus, ne vinum alienis liquoribus aut aromatum commixtione alteretur, aut ne frumenta extra patriam evehantur*, est mere prohibitiva, nisi vel ex consuetudine loci, vel aliunde alia mens legislatoris sciatur. Si nihil directe praecipiat vel prohibeat, sed tantum poenam imponat iis, qui hoc vel illud fecerint vel omiserint, v. g. *Qui noctu per plateas armatus incesserit, incarcerabitur;* est pure poenalis. Si vero praecipiat aut prohibeat aliquid, et simul poenam trasgressoribus infligendam subjungat, v. g. *Severissime prohibemus, ne quis fruges ad exteros evehat; qui vero evexerit e patria proscribetur:* vel hoc modo, ut ait *Franc. Schmier* L. 1. t. 1. c. 1. n. 239.: *Nullus frumentum evehat ex provincia, aut qui evehere tentaverit, pro arbitrio judciis poenas dabit.* Hisce modis significatur lex mixta. Quia autem non facile determinari potest regula generali positiva, quaenam verba legem tantum praeceptivam indicent, ideo placet regula *Suaresii* generalis negativa, quam tradit L. 5. de LL. c. 4. n. 5., ubi ait: *Quoties per verba legis poenalis non declaratur sufficienter proprium praeceptum obligans ad actum vel omissionem ejus, praesumendum est, esse legem pure poenalem, nisi poena legis intrinsece supponat culpam theologicam, qualis est poena excommunicationis majoris* etc. Objectiones adversariorum, praesertim *Navarri* in Summa c. 23. a n. 55. et aliorum, qui volunt quod legislatores civiles saepe non cogitent de obligatione in conscientia, contenti sola obligatione ad poenam, apte solvit. *Franc. Schmier* l. c. a num. 258.

Casus II.

Agamemnon belli dux sub poena laquei prohibet, ne quis militum ex hortis prope castra vel pomum auferat. Quidam vero milites fame impulsi ex horto vicino poma, lactucam et alia auferunt; deprehensi altera statim die e proxima arbore suspenduntur.

181. *Q.* I. An haec lex tantillam rem prohibens sub poena capitis sit justa. R. Ex supposito quod aliunde militibus de necessario victu fuerit provisum, eamque belli dux tulerit ex gravi motivo, v. g. ad servandam disciplinam militarem, famamque totius exercitus, aut ad praecavenda mala majora, fuit justa et obligans, ut dicetur in Q. seq. *Laym.* L. 1. t. 4. c. 14. n. 3.

182. *Q.* II. Quid requiratur ut leges humanae obligent graviter. R. 1. Requiritur ut sint circa materiam gravem. Recte hic monet *Laym.* l. c.: Ne quis circa materiae qualitatem fallatur, oportet eam spectare non nude, sed cum omnibus circumstantiis, potissimum cum fine; absolute enim leve potest fieri gravi ratione circumstantiarum, v. g. ratione servandae communis pacis, vel alterius magni boni communis, item ratione gravis contemptus, scandali etc.

Porro gravitas materiae respectu omnium legum desumi potest 1. Ex repugnantia, quam res habet cum natura rationali; haec an gravis sit vel levis, determinandum est ex prudentum judicio. 2. Ex repugnantia gravi vel levi cum charitate erga Deum, proximum, aut se ipsum. 3. Ex Scriptura, quae gravem materiam denotat, addendo illi comminationem damnationis aeternae. 4. Ex verbis legis, et gravi poena adjecta, v. g. excommunicatione majore, depositione etc. 5. Ex auctoritate Patrum et Ecclesiae, vel ex communi TT. et timoratorum sensu. 6. Ex fine legis, qui si sit magni momenti et materia multum conducat ad illum finem, erit gravis materia. *La Croix* de LL. n. 666.

183. *Q.* III. An transgressio legis humanae ex formali contemptu sit graviter peccaminosa etsi lex ipsa sit de re levi. Respondet *Suarez* L. 3. de LL. c. 20. n. 22. 23. et 24. 1. Transgredi legem ex contemptu rei praeceptae non semper est peccatum mortale, sed tantum ex gravitate materiae, vel ex culpabili errore in doctrina, v. g. si quis contemneret transgressionem ex se levem, quia putat peccatum veniale non esse dignum poena apud Deum: item si quis contemnat consilia Evangelica tanquam inutilia. 2. Transgredi legem humanam ex contemptu formali legislatoris, quatenus Superior est, semper est peccatum grave; quia tunc contemnitur ut vicem gerens Dei, et ideo redundat in contemptum Dei, juxta illud Luc. 10.: *Qui vos spernit me spernit.* Contemptus autem legislatoris, ut homo est, et habens defectus suos, potest esse veniale peccatum ex levitate materiae: quia sic non contemnitur ejus potestas. Transgredi autem legem Dei ex contemptu legislatoris semper est grave peccatum.

184. *Q.* IV. Unde colligendum sit quod legislator intendat obligare graviter. R. 1. Si utatur verbis severe praeceptivis, v. g. *Praecipio in virtute sanctae obedientiae, vel quatenus Superior, sub interminatione divini judicii*, etc. 2. Si praecepto magnam poenam adjiciat. 3. Ex usu et sensu prudentum. 4. Denique ex fine ad quem praecipit, vel prohibet aliquid.

185. *Adverte* I. Si utatur legislator verbis de se quidem praeceptivis, ita tamen ut in iisdem non exprimatur vera voluntas obligandi subditos in conscientia, v. g. *Jubemus, volumus, nolumus* etc.: tunc ejusmodi sanctiones nec sunt leges, nec mera consilia, sed simplices constitutiones et ordinationes, sive regulae directivae; cujusmodi sunt pleraque statuta religiosorum Ordinum (exceptis iis, quae directe connexa sunt cum votis), Academiarum etc. *Babenstt.* 3. d. 2. a. 1. n. 6. cum *S. Th.*

186. II. Transgrediens non peccat graviter, si Superior sub mortali praecipiat vel prohibeat rem levem tum ratione sui, tum ratione circumstantiarum, v. g. claudere ostium, servare silentium, aut decerpere fructum; quia non est in potestate Superioris humani obligare sub mortali in materia absolute et respective levi. Nec probat quidquam, quod Deus rem levem prohibuerit Adamo; quia illa abstinentia cibo vetito imposita fuit in recognitionem obedientiae Deo supremo Domino debitae, et quasi in tributum humanae subjectio-

nis ad Deum; sub quibus rationibus praeceptum illud gravissimum erat. Nec comparanda est potestas hominis cum divina et suprema potestate. *Suarez* L. 3. de LL. c. 26. n. 2.

187. II. Probabilius res gravis potest praecipi vel prohiberi leviter; quia talis materia est capax nullius obligationis; posset enim legislator eam non praecipere vel prohibere: ergo etiam est capax levis tantum obligationis, *Suarez* l. c. c. 27. n. 7., *Palao*, *La Croix* de LL. n. 668. contra *Reginald.*, *Rhodes* et alios.

188. IV. Leges tributorum et vectigalium non tantum sunt poenales, sed probabilius obligant in conscientia ad eorum solutionem, tametsi non exigantur. *Suarez* L. 5. de LL. c. 18. n. 6., *Laym.* L. 3. t. 3. p. 1. c. 3. n. 5., *Babenst.* l. c. n. 7., qui tamen cum *Sylv.* et *Laym.* monet, defraudatorem tributi et vectigalis maxime noviter impositi in confessionali non esse facile condemnandum gravis peccati, et restitutionis, uti nec poenae subeundae ante sententiam judicis; tum quia multae requiruntur conditiones, ut ejusmodi onera juste imponantur, tum quia sententia docens, ejusmodi leges quibus imponuntur tributa et vectigalia esse mere poenales, est adhuc vere probabilis. Vide *Carden.* T. 1. d. 16. c. 6. n. 68.

Casus III.

Arcadius occidit Cajum in aliqua civitate, ubi lege sancitum erat, homicidam ipso facto omnibus bonis suis in commodum haeredum occisi orbandum esse, ipsumque capite plectendum. Post duos annos Arcadius proditur et capitis damnatur; ipse vero effracto carcere fugit, quamvis praevideat, quod custodes periculo gravissimi damni exponat.

189. *Q.* I. An Arcadius ante sententiam judicis tuta conscientia bona sua servare, iisque frui poterit R. *Affirmative.* Ratio patebit in Q. seq., item ex verbo legis; *orbandum esse. Pontas* V. *Lex* casu 8.

190. *Q.* II. An lex poenalis ante vel post judicis sententiam obliget ad subeundam poenam. R. Praeter dicta n. 140. 1. Quando poena sive spiritualis sive temporalis est ferendae sententiae, lex poenalis non obligat in conscientia ante sententiam condemnatoriam: quia tempus obligationis non minus, quam illius substantia pendet a voluntate legislatoris. *Franc. Schmier* L. 1. t. 1. c. 1. n. 268. cum communi.

2. Quando poena temporalis et positiva est latae sententiae, lex poenalis non obligat ad subeundam poenam ante sententiam declaratoriam criminis. *Suarez* L. 5. de LL. c. 7. a. n. 5., *Palao* de LL. disp. 2. puncto 2. n. 9., *Haunoldus* de J. et J. t. 1. n. 98 *Schmier* l. c. n. 269. *Prob.* ex c. *cum secundum* 19. de haereticis in 6. ubi confiscatio bonorum tanquam poena positiva ipso jure et facto sancitur in HH., et tamen ibid. decernitur, bona haereticorum occupari aut abripi non debere, antequam per Episcopum loci, aliamve personam Ecclesiasticam, quae super hoc habeat potestatem, sententia super eodem crimine fuerit promulgata. *Confirm.* Leges non debent esse nimis asperae, sed moribus utentium attemperatae; tales autem non essent, si ad poenas temporales et positivas ante sententiam judicis obstrigerent; sequeretur enim, quod reus saepe deberet esse accusator occulti criminis sui, judex in propria causa, tortor et carnifex sui ipsius etc. ergo. Exceptionem quidem facit *Suarez* l. c. c. 8. n. 19., quando expresse in lege additur haec vel similis clausula; *Nulla alia declaratione secuta*, vel *ipso facto.* Probabiliter tamen etiam hanc exceptionem rejiciunt *Covarruv.* de Matrim. p. 2. c. 6. f. 8. n. 13., *Palao*, *Lessius.* Vide *Franc. Schmier* l. c. n. 273., *Laym.* L. 1. t. 4. c. 15. n. 5.

3. Quando poena latae sententiae est spiritualis vel negativa, lex poenalis ante omnem sententiam etiam declaratoriam criminis obligat in conscientia.

Primam partem *Suarez* L. 5. de LL. c. 8. vocat sententiam communem. *Prob.* ab usu Ecclesiae, cujus interest etiam occultas trasgressiones gladio spiritualis imperii coerceri posse. Exemplum habetur in c. *non dubium* 5. de sentent. excomm. Secunda pars *prob.* ex c. *licet* 14. et c. *commissa* 35. de Elect. in 6., ubi de promotis ad beneficia curata cavetur, quod, si intra annum Sacerdotium recipere neglexerint, Ecclesia sibi commissa nulla etiam monitione praemissa praesentis constitutionis auctoritate sint privati. Juxta *Trid.* sess. 23. c. 1. de reform. intermittens residentiam pro rata temporis absentia fructus suos non facit, nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta, illos detinere sibi potest. *Laym.* l. c., *Franc. Schmier* l. c. a n. 275.

191. *Q.* III. An Arcadius peccarit fugiendo post latam sententiam. R. *Negative. S. Th.* 2. 2. q. 69. a. 4. ad 2., *Suar.* L. 5. de LL. c. 10. n. 2., *Laym.* l. c. c. 15. ad n. 10. *Ratio S. Th.* est: *quia nullus ita condemnatur, ut ipse sibi inferat mortem, sed quod mortem ipse patiatur: et ideo non tenetur facere id unde mors sequatur, quod est manere in loco unde ducatur ad mortem. Tenetur tamen non resistere agenti; quin patiatur, quod justum est eum pati. Sicut qui condemnatus est ut fame moriatur, non peccat si cibum sibi occulte ministratum sumat.* Scil. reus interdum condemnatur ad agendum, ut contingit in mitioribus poenis, v. g. ut pecuniam solvat, in carcerem eat etc., interdum ad patiendum videl. poenas graviores mortis, mutilationis, perpetuae captivitatis etc. Excipit tamen *Suarez* Regulares, quibus juste damnatis ad perpetuum carcerem fugere non licet, quia ratione voti obedientiae tenentur Praelato obedire in omnibus, quae sunt secundum regulam: item si quis juramento se obstrinxisset ad manendum.

192. *Q.* IV. An Arcadius peccaverit rumpendo vincula, effringendo carcerem etc. R. Non peccavit: cui enim finis licet, ei et media permissa sunt. Damnum custodum ab ipso non intenditur, sed per accidens se habet dum ipse utitur jure suo. Neque peccat is, qui ad fugam auxilium vel consilium praebet, nisi obstet lex specialis, qualis injungitur custodibus. Neque tamen tenetur talis reus fugere, sed ex amore justitiae aut ex charitate, ne custodes damnum patiantur, potest persistere, imo se ipsum judici ad poenam promeritam dictandam sistere. *Laymann.* loc. cit.

Casus IV.

Augustinus condemnatur a judice ad solvendum debitum, cum tamen debitor ipse non esset, neque innocentiam suam aperte posset probare; ideoque compensatione occulta rem suam sibi recuperat. Idem matrimonium clandestinum contrahit, cum certus esset nec subesse fraudem, nec periculum aliud, ex cujus praesumptione Tridentinum irritavit talia matrimonia.

193. *Q.* I. An Augustinus possit uti compensatione occulta. R. *Affirmative* ex rationibus mox assignandis; et ubi agemus de septimo praecepto Decalogi.

194. *Q.* II. An peccaverit contrahendo matrimonium clandestinum, ubi receptum est Trid. R. Peccavit graviter. *Ratio patebit ex seq. resol.*

195. *Q.* III. Quomodo lex fundata in praesumptione obliget. R. 1., Lex in praesumptione juris seu periculi generalis fundata (quando scilicet prohibet actum de se periculosum, damnis, fraudibus et inconvenientiis communiter obnoxium ac plerumque multis incommodis subjectum) obligat in conscientia, licet in casu particulari praesumptio cesset. *Ratio* est: quia tunc manet motivum et finis legis; nam periculum generale moraliter certum, quod avertere a Republica lex primario intendit, non tollitur uno, alterove casu singulari, quem aliunde non attendunt leges. *L.* 3. 4. *et seqq. ff. de LL.* ergo. *Confirmat Suar.* L. 3. de LL. c. 23. n. 6. ex *S. Th.* 2. 2. q. 88. a. 9. in corp., ubi sic ait: *Leges humanae attendunt ad ea, quae frequentius acci-*

dunt, et id satis, quod generaliter obligent. Franc. Schmier L. 1. t. 1. c. 1. n. 301., *Mezger* et alii contra *Navarr.*, *Panormit.*, *Cajet.*; contrarii etiam sunt *Laymann* L. 1. t. 4. c. 21. n. 4., *Reiffenst* L. 1. Decret. tit. 2. n. 170.

R. 2. Lex fundata in praesumptione facti (quae scilicet ex conjectura determinatae et particularis circumstantiae, aut qualitatis pro hoc vel illo casu quidpiam jubet aut vetat) non obligat in conscientia, quando circumstantia, in cujus praesumptione lex fundatur, cessat. Quia tunc cessat finis et motivum legis; ergo praesumptio cedit veritati: *Suarez* l. c. n. 9., et communissima aliorum.

Casus V.

De modo implendi praecepta.

Adolphus liberiori vitae assuetus nonnisi semel per annum, festo Paschatis confitetur et communicat, quin tamen intendat satisfacere praecepto. Jejunat abstinendo quidem a carnibus et bina refectione diebus statutis, quin sentiat vel intendat mortificationem. Diebus festis Sacro attente quidem interest, plerumque tamen ex vanagloria. Nuper festo B. Virginis mane audierat Sacrum ex devotione erga B. V., nolens per hoc satisfacere praecepto, sed intendebat aliud adhuc audire, quod postea neglexit.

196. *Q.* I. An Adolphus satisfecerit praecepto confessionis et communionis annuae. R. *Affirmative*; quia praemissa vera confessione pie communicando fecit id, quod Ecclesia fieri jubet: nec ullibi intentio satisfaciendi praecepto, sive obedientia formalis praecipitur. Secus si ficte tantum confiteretur, et sacrilege communicaret: praecipitur enim confessio valida. Vide propos. 14. ab *Alexandro VII.* damnatam.

197. *Q.* II. An satisfecerit praecepto jejunii. R. *Affirm.*; quia virtus, ex cujus motivo ponitur praeceptum, non praecipitur ita, ut actus praeceptus debeat necessario poni ex motivo illius virtutis. *S. Th.* 1. 2. q. 96. a. 3. ad 2., *Suarez.* L. 3. de LL. c. 29. n. 9., ubi resolutionem ita confirmat: Solum id praecipitur, quod in lege exprimitur per modum imperii, atqui lex humana v. g. jejunii non imperat hoc fieri propter illud, sed ut fiat hoc v. g. jejunium: ergo.

198. *Q.* III. An satisfecerit praecepto audiendi Missam, quando eam audivit ex vana gloria R. *Affirm.*; quia sola substantia actus humani praecipitur a lege, non autem modus, nisi sit necessarius ad moralem bonitatem ejusdem actus: ergo licet actus, v. g. auditio Missae redatur ex modo vitiosa, adhuc tamen retinet substantiam operis praecepti: ergo per ejus positionem impletur obligatio. *Confirm.* Prava circumstantia, per quam actio extrinsece vitiatur, non obstat quominus illa retineat suam objectivam honestatem, quae sola est objectum praecepti: atqui per vanam gloriam tantum extrinsece vitiatur auditio Missae: ergo. *Prob. min.* Vana gloria vitiat solum actum voluntatis intrinsece, qui determinat ad executionem auditionis, vel alterius actionis praeceptae; ipsa vero auditio, quae est objectum legis, retinet suam honestatem objectivam: ergo. *Dixi: nisi modus sit necessarius*, tunc enim non sola substantia, sed etiam modus actionis praecipitur. Sic quando praecipitur, attenta auditio Missae, annua confessio etc. simul praecipitur attentio, dolor internus; sine his enim non potest poni opus praeceptum: potest autem esse attenta auditio cum et sine vana gloria: ergo. *Illsung.* t. 1. D. 2. a. 2. n. 36., *T. Sanch.*, *Palao*, *Azor*, *Babenst.* t. 3. a. 1. n. 1.

199. *Q.* IV. An die festo manc audiens Missam cum expressa intentione tunc non satisfaciendi praecepto, nihilominus impleverit praeceptum. Respondent *Laymann* L. 1. t. 4. c. 4. n. 7., *Palao*, *Babenst.* l. c. n. 16., et alii

affirmative contra *Nav.*, *Azor*, quia tunc praestitit id, quod ab Ecclesia praecipitur, nec contraria intentio efficere potest, ut non satisfecerit; vult enim positive attente audire, et audivit Sacrum: ergo hoc posito non est in ejus potestate, ut non satisfaciat, sed necessario consequenter implet praeceptum. Ideo hic non potest applicari regula communis, quod actus non operentur ultra intentionem agentium; vera enim tunc est quando actus et effectus est in potestate agentis. *Babenst.* l. c. n. 14. Eodem modo satisfecit obligationi, qui semel attente recitavit Breviarium, etiamsi intenderit adhuc semel repetere. Monet tamen *Laymann* l. c. cum peccare, qui in falsa persuasione manet, quasi praecepto non satisfecerit, nisi vel errorem deponat, vel aliam Missam audiat, Breviarium repetat etc. Similiter loquitur de Poenitentia sacramentali *Babenst.* l. c. c. 18.

200. Econtra qui debet alteri centum, non satisfacit obligationi, si ex liberali donatione ei det ducentos florenos. Item qui ex voto tenetur recitare Rosarium, si recitet animo non implendi, non satisfacit. *Ratio* est: quia tales obligationes dependent et oriuntur ex voluntate promittentis, qui sicut libere se obligavit, ita in debito libere permanere potest. Obligatio autem parendi legi oritur ex voluntate legislatoris, quae non extenditur ultra substantiam operis praecepti, utpote quam unice intendit. *Busemb.* L. 1. t. 2. c. 2. dub. 3. cum *Lessio*, *Laym.* et aliis. De voto aliter loquitur *Palao*.

201. Is qui prorsus violenter coactus interest templo, dum Sacrum legitur, non satisfacit praecepto, quia ex defectu voluntarii humanum actum non ponit, qui tamen requiritur ad auditionem praeceptam, nec sola praesentia materialis est id, quod praecipit Ecclesia. Si vero puer ex metu poenae Sacrum audiat (non auditurus si praeceptor abesset) hic praecepto satisfacit, etsi peccet perversa voluntate; quia metus non tollit voluntarium.

Casus VI.

Angelino pro poenitentia injungitur, ut audiat duo Sacra et recitet tria Rosaria. Ille per compendium satisfacturus, audit illa duo Sacra simul, cum duo Sacerdotes simul exirent celebraturi. Praeterea etiam sub iis recitat duo Rosaria. Alias obligatus eodem die ad recitandum Rosarium ex voto et poenitentia, recitat unicum, non determinando, an voto, an poenitentiae velit satisfacere.

202. *Q.* I. An satisfaciat, qui die dominica audit Sacrum, ad quod obligatur ex poenitentia. R. *Negative:* quia Confessarius regulariter non injungit opus aliunde jam debitum. Addit *Babenst.* 1. 3. Disp. 3. a. 2. n. 7. cum *Sanch.*, *Palao*, *Bonac.* Si Confessarius dicat: singulis diebus hujus mensis audito Sacrum, non tantum Ecclesiae, sed etiam Confessarii praecepto satisfacis, si diebus festis unicam audias Missam; quia ex benigna interpretatione, et rationabiliter praesumitur, quod Confessarius te non obligarit ad duo Sacra una die, nisi hoc ipsum expresserit.

203. *Q.* II. An satisfecerit Angelinus duo Sacra audiendo eodem tempore. Respondet *Babenst.* l. c. n. 11. cum *Palao* t. 3. D. 3. puncto 20., *Sanchez* et aliis contra *Rosellam*, *Armillam* et alios *affirmative*, ex supposito quod ad utrumque Sacrum simul devote attenderit. *Ratio* est: quia simpliciter praestitit id, quod Confessarius injunxit; neque videtur diversitas temporum esse injuncta, nisi aliunde id colligeretur.

204. *Q.* III. An satisfecerit recitando Rosaria eodem tempore, quo audivit Sacra. R. *Affirm.*; quia illi actus se non impediunt, nec injuncta est diversitas temporum. Addit *Palao* l. c. cum *Azor*, *Henriq.*, *Suar.* quod potentia intellectiva non sit ita limitata, ut non possit ad Sacrum et recitationem Rosarii attendere, imo quod sufficiat unica attentio ad Deum, quae utrique operi convenit; similiter loquitur de recitatione Breviarii sub Sacro.

205. *Q.* IV. An recitatione unius Rosarii satisfecerit voto et poenitentiae. R. *Negat.*; quia duplex erat obligatio ex diversis titulis, et motivis. Similiter in materia justitiae unico actu satisfieri non potest diversis obligationibus; unde Titius si Cajo debeat centum ex contractu, et iterum centum ex injusta damnificatione, non satisfacit utrique obligationi, solvendo semel centum; quia aequalitas rei ad rem non servatur per hanc unicam solutionem, quae tamen unice attenditur a justitia. In debitis vero legalibus spectatur intentio legislatoris, qua is unum idemque opus pro pluribus obligationibus implendis acceptare potest et solet. *Babenst.* l. c. n. 8. cum *Illsung.*, *Palao*, *Reding.*

206. *Q.* V. An, cum non determinaverit illud Rosarium, satisfecerit voto, an poenitentiae. R. *Probabil.* satisfecit utrique ex parte, quia opus est divisibile. Si autem foret indivisibile, v. g. jejunium, urgentiori v. g. praecepto Ecclesiae potius, quam voto satisfecisset.

Casus VII.

De Subjecto Legis.

Apollonia marito suo fere quotidie ebrio, dum diebus Veneris sero domum venit, residuas a die Jovis carnes comedendas praebet, nec cohibet filiolum quinquennem cum patre carnes comedentem. Eadem nutrit perpetuo amentem, quem saepius ad graves execrationes et blasphemias provocat.

207. *Q.* I. An ebrii sint subjecti praeceptis ecclesiasticis. R. *Affirm.*; quamvis per accidens non peccent, ea infringendo in ebrietate ob impeditum actualem usum rationis, illum tamen vere habitualiter adhuc habent: ideoque peccavit Apollonia, praebendo carnes ebrio marito. Idem dicendum de amentibus, qui habent lucida intervalla, iis tamen juxta *Laymann* licite propter continuum morbum suum potest praeberi caro. L. 1. t. 4. c. 10. n. 3.

208. *Q.* II. An et quando pueri obligentur legibus. R. 1. Legibus naturalibus et divinis obligantur, dum habent usum rationis, ita ut bonum inter et malum satis discernere possint, id quod esse potest ante septimum aetatis annum. Sic puer 5. annorum (teste *S. Greg. M.* L. 4. Dial. c. 18.) cum sedens in sinu patris blasphemaret, a daemone abreptus et suffocatus est. Hinc vae iis parentibus, qui ad execrationes et blasphemias, quas evomunt filioli, rident et dilaudant tanquam indicia generosi animi.

R. 2. Legibus humanis probabilius ante septimum aetatis annum non obligantur, sed post illum completum, et quidem illis tantum legibus, quarum materia eorum aetati convenit, v. g. abstinendi a carnibus, audiendi Missam, annue confitendi. Ad s. communionem ante decennium non obligantur: quia ad hanc non tantum requiritur, ut sciant discernere bonum a malo, sed etiam sacrum cibum a profano. *Ratio prioris* est: quia ante septennium non praesumitur usus rationis, etsi quandoque jam adsit; eoquod leges humanae humano modo procedant et attendant ad ea, quae plerumque contingunt. *L. nam ad ea ff. de LL.* Vide *Laym.* l. c. n. 4., *Burghab.* cent. 2. casu 24. cum *Joan. Sancio*, *Palao* et aliis.

209. *Q.* III. Quid de perpetuo amentibus. R. Etsi non obligentur legibus humanis, nec peccet, qui iis praebet carnes die jejunii; subjecti tamen sunt legibus naturae, hoc ipso quod participent naturam humanam: ita quidem ut ipsi non peccent agendo contra legem ob defectum rationis, peccent tamen ii, qui illos inducunt ad transgressionem legis naturalis, v. g. ad blasphemandum, fornicandum etc. quia, cum haec sint intrinsece mala, tribuuntur principali libero agenti, qui amentis opera velut instrumento utitur. *Laym.* l. c. n. 3. ibid. affirmat, quod liceat perpetuo amentibus injungere

opera servilia diebus festis. Sed probabilius id negat, *Jansen*, coquod injungens censeatur pariter per amentem, tanquam per instrumentum vivum, laborare; non item qui eis die jejunii praebet carnes, censetur per illum comedere.

Casus VIII.

Athanasius Lanio saepe e domicilio proficiscitur, ubi est festum, quin ante discessum mane audiat Sacrum. Saepe etiam in vicinis pagis peregrinus subsistit, ubi speciale festum agitur, quod in domicilio non celebratur. Hinc etiam ibi non audit Sacrum, sed curat negotia sua.

210. Ante resolutionem *adverte*: nomine *peregrini* intelligitur is, qui ex proprio domicilio abit in alium dissitum locum, animo ibi non manendi, sed tantum per breve tempus subsistendi: *vagi* autem sunt, qui nullibi habent proprium domicilium, sed modo in hoc, modo in alio territorio existunt absque animo ibi diu subsistendi. Is vero dicitur habere *domicilium*, qui coepit habitare in aliquo loco cum animo ibi perpetuo subsistendi: *quasi domicilium* habere dicitur, qui habitare coepit in aliquo loco ex animo per notabilem anni partem ibi manendi. Sic studiosi, famuli, milites praesidiarii obtinent quasi domicilium. His suppositis

211. *Q.* I. An egressurus e suo domicilio ubi est dies festus, ad locum ubi non est festum, mane prius teneatur audire Sacrum. Respondet *Laym.* I. 1. T. 4. c. 11. n. 6. probabiliorem et communiorem esse, quod teneatur: hanc esse mentem ecclesiasticorum legislatorum, quam consuetudo et fidelium persuasio interpretatur: unde Episcopi et Parochi merito ad hoc urgent.

Contrarium quidem defendunt ut probabile *Busemb.*, *Reiffenst.* t. 2. de LL. dist. 3. n. 37. cum *Lessio* ex eo, quod tunc solum quis teneatur praevenire satisfaciendo obligationi, quando manente vi praecepti et subjectione videt, se postea fore impeditum, non vero quando intra tempus implendi praeceptum desinit esse subditus, non existens in loco ubi festum celebratur. Item sicut is, qui debet solvere, et scit se paulo post liberatum iri ab obligatione solvendi, non tenetur anticipato solvere: ita a pari. Prima tamen resolutio ab his ipsis AA. suadetur in praxi.

212. *Q.* II. An peregrini obligentur legibus proprii territorii. R. *Negative;* quia sicut potestas legislatoris se non extendit ultra proprium territorium, ita etiam tales leges certo loco affixae non obligant, nisi eos, qui in tali loco existunt. Ideo Athanasius alibi subsistens non tenebatur audire Sacrum, abstinere a labore servili etc. *Suar.* L. 3. de LL. c. 22., *Laym.* l. c. n. 1. Maxime hoc verum est, si quis bona fide et justa de causa abeat e loco ubi erat obligatio jejunandi vel audiendi Missam, ad locum ubi talis obligatio non est.

213. *Sed quid dicendum*, si quis ideo exiret, ut se a lege v. g. jejunii vel festi specialis alicujus loci eximeret? Respondent quidem plures talem excusari, quia utitur jure suo: lex enim non prohibet exire e loco, sed tantum praecipit ut observetur ab iis, qui existunt in loco: nec fraus, sed conditio loci ei patrocinatur, *et nullus videtur dolo facere, qui jure suo utitur.* Reg. 15. ff. de reg. jur. *Sulmant.*, *Mezger.* *Schmalzgr.* n. 41., *Bonac.* Disp. 1. de LL. q. 2. puncto 6. n. 64.; *Reiffenst.* vero l. c. n. 41. ait talem non carere scrupulo peccati gravioris, coquod tantum in fraudem jejunii vel alterius obligationis videatur discedere. Haec sententia officio hominis Christiani absque dubio longe conformior est.

214. *Q.* III. An peregrinus obligetur particularibus legibus v. g. jejunii etc. illius loci ubi subsistit. R. Per se loquendo et secluso scandalo non obligatur. Ita *Sanch.* L. 1. Decal. c. 12. n. 38., *Gobat.* t. 5. Exper. Theol. n. 381., *Laym.* L. 1. t. 4. c. 12. n. 4. cum *S. Antonino. Ratio* est, quia advenae et peregri-

ni ob brevem moram in aliquo loco non subjiciuntur jurisdictioni, sive non acquirunt forum ibidem, ut constat ex l. *haeres absens* ff. de judiciis: ergo nec obligantur particularibus legibus illius loci, ubi brevi tantum tempore subsistunt. *Confirm.* 1. *ex c. ult. de foro compet.* juxta quod nemo sortitur forum, sive nullus subditur alterius potestati, nisi vel ratione delicti, vel contractus, domicilii, vel (ut ait *Laym.*) ratione rei sitae in territorio, aut ratione originis: ergo peregrinus absentibus hisce titulis per hoc, quod brevi alicubi subsistat, non fit subditus illius loci. *Confirm.* 2. Obligatio manet adhuc dubia: cum TT. et Canonistae utrinque probabiliter de ea disceptent; ergo peregrinus tuto se potest resolvere, quod secluso scandalo et exceptis titulis praedictis sua libertas maneat in possessione contra legem particularem. Contrarium defendunt *Navarr.*, *Covarr.*, *Suarez* L. 3. de LL. c. 33. n. 3., *Franc. Schmier* L. 1. t. 1. c. 5. n. 170. et alii.

Neque dicas: c. illa dist. 12. refertur responsum s. Ambrosii s. Augustino datum: *Cum Romam venio, jejuno Sabbato: cum Mediolani sum, non jejuno. Sic etiam tu, ad quam forte Ecclesiam veneris, ejus morem serva, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi.* Unde etiam communc illud. *Si fueris Romae, Romano vivito more: et si sis alibi, vivito sicut ibi.* R. S. Amb. non dicit: *Si non vis esse transgredi legem*, sed *si non vis esse scandalo:* ergo non obligationem legis, sed fugae scandali indicat, cujus periculum merito timendum, cum non omnes, qui vident hominem non servantem jejunium, sciant esse peregrinum; hoc autem scandalum saepe vitari potest, et tunc dicta verba consilium, non praeceptum continent: vel loquitur de illis peregrinis, qui habitandi aut diutius subsistendi gratia accedunt. Ita *Laymann* loc. cit. post n. 5., ubi etiam apte solvit reliquas objectiones.

215. *Dixi in Resol. per se* loquendo sive regulariter: quia peregrini 1. Obligantur his legibus particularibus, quarum violatio cederet in damnum et injuriam illius loci, ubi morantur. Ejusmodi leges sunt: ne importentur in povinciam vel civitatem certi quidam libri, certae merces, arma etc., ut solvant pedagia, vectigalia etc., observent statutam taxam etc.; aequitas enim naturalis exigit, ut qui in alieno loco sentit commodum commercii, viarum etc., etiam sentiat onus legum necessariarum ad bonum commune et conservationem loci. 2. Obligantur ratione titulorum supra in confirm. 2. relatorum.

Dixi 2. *secluso scandalo*, quod avertendi aliunde est obligatio.

216. *Dixi* 3. *particularibus legibus*: nam legibus communibus tenentur peregrini in omni loco ubi illae vigent; imo si ex speciali privilegio in proprio domicilio non vigerent, peregrinus extra Dioecesin existens eo non gauderet, quia est locale, non personale; ergo nec sequitur peregrinum alibi commorantem. Hinc si dispensatum sit in Dioecesi Herbipolensi in abstinentia a carnibus per Quadragesimam, non licet civi Herbipolensi subsistendi in alia Dioecesi, ubi non est dispensatum, comedere carnes; quia lex jejunii per Quadragesimam est communis; dispensatio autem illa eos tantum respicit, qui actu in hac Dioecesi existunt. *Laym.* l. c. n. 3. Contrarium docet *Sanchez*, quia (ait) cives dum absentes sunt, sed mox in patriam redituri, per fictionem juris pro praesentibus habentur.

217. Hisce resolutionibus adde I. Juxta *Lessium* et *Laym.* l. c. n. 7. contra plures, eadem est ratio vagorum, quae peregrinorum; quia nec hi subditi fiunt per hoc, quod transeant, vel brevi tempore alicubi morentur. Nec obstat quod vagi a magistratu quolibet capi ac puniri possint ob delicta etiam alibi commissa. Respondet enim *Laymann*, hoc per consuetudinem introductum esse, cum vagabundi proprium judicem non habeant, ne eorum crimina omnino impunita maneant, ex eo tamen non sequi, quod simpliciter et in omnibus forum sortiantur: nec propterea liberi sunt ab omni lege; le-

gibus enim communibus adhuc constringitur eorum vita, imo et particularibus, quando instat periculum scandali. Denique vagos deobligare legibus particularibus, minus inconveniens esse videtur, quam illos subjicere omnibus legibus variorum regnorum, provinciarum, et civitatum, per quas transeunt.

218. II. Ad quantum tempus se debeat extendere propositum manendi in aliquo loco, ut quis non hospes, sed loci habitator censeatur, variant AA. *Navarr. et Laym.* l. c. post n. 1. resolvunt, non tantum eos, qui tempore, quod prudentis viri arbitrio magnum secundum se videri potest, v. g. per medium annum in oppido moraturi sunt, incolas censeri et jurisdictioni subjectos, sed etiam eos, qui licet breviore tempore, certo manendi proposito alicujus negotii vel negotiationis causa in eo loco domicilium, officinam vel tabernam fixerunt.

219. III. Peregrini etsi non teneantur statutis specialibus; privilegiis tamen et consuetudinibus favorabilibus locorum, per quae transeunt, uti possunt. Sic Germanus transiens per Belgium diebus sabbatinis a festo Nativitatis Christi usque ad festum Purificationis B. V., ibidem licite poterit comedere carnes, et apud Hispanos intestina. *Reiffenst.*, *La Croix* L. 3. p. 2. n. 1271.

220. IV. Si leges certum tempus non determinent, ut primum commode possunt, debent impleri. *Regula* 14. *ff. de reg. jur.* ait: *In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, praesenti die debetur.* Si vero certum tempus, horam vel diem determinent, uti contingit per legem abstinendi a carnibus, recitandi horas canonicas, tempus accipiendum est de momento ad momentum, non quidem mathematice, sed theologice sive ecclesiastice, ut sequamur calendaria approbata et horologia communiter bene ordinata. *Ratio* fere unica est consuetudo Ecclesiae; et aliter nesciremus, quando praecise tempus obligationis inciperet vel desineret. Ideo *La Croix* L. 1. de LL. n. 583. cum *Carden.*, *Diana* et aliis improbabilem dicunt eorum sententiam, qui determinatum tempus intelligunt *praeter propter*, ita ut tantum venialiter peccet, qui die Jovis continuat coenam in carnibus usque ad horam primam mediae noctis, quae pertinet ad diem Veneris.

221. V. Catechumeni, Judaei, aliique infideles obligantur quidem legibus civilibus Principum, non tamen ecclesiasticis, quia nondum baptizati etiam non sunt subditi Ecclesiae. Aliud est de haereticis legitime baptizatis. Vide *Burghab.* cent. 2. cas. 44.

CAPUT III. *De cessatione legis.*

§. I. *Praenotanda de iis, quae excusant ab obligatione legis.*

222. *Praenot. ad primam causam excusantem. Ignorantia* est carentia notitiae, sive cognitionis alicujus rei. I. Alia est *negativa*, quae est carentia notitiae in subjecto ad sciendum non apto, vel simpliciter et ex natura sua ut in lapide, vel pro certo tempore et statu, ut in infante aut amente. Alia *privativa*, quae est carentia scientiae in subjecto ad sciendum apto pro certo tempore et statu, v. g. si homo adultus, et rationis compos nesciat, quae scire potest ac debet. Alia *positiva* sive *pravae dispositionis*, quae est carentia notitiae veritatis cum positivo errore contrario veritati, ut si nescias Christum esse Deum, putans purum esse hominem.

223. II. Ignorantia alia est *juris*, qua ignoratur lex aut consuetudo; ejusque obligatio, v. g. si quis nesciat, die Veneris prohibitam esse carnis comestionem. Alia *facti*, qua ignoratur factum aliquod, seu res particularis, ejusve conditio, ex qua actio moralis quoad suam bonitatem vel malitiam dependet, v. g. si nescias illum cibum, quem comedis, esse carnem, vel

non cogites esse diem Veneris. Hic oblivio, inadvertentia, inconsideratio etiam nomine ignorantiae comprehenduntur.

224. III. Dividitur Ignorantia in *antecedentem*, ita ut sit causa operis, quae si abesset, effectus non fieret, v. g. si amicum occidisti, ratus esse feram; quia, nisi ignorasses non occidisses. Et in *concomitantem tantum*, quae non est causa operis, cum qua tantum, non ex qua, vel propter quam fit effectus, ita ut ille ponerctur, etiamsi haec ignorantia abesset; v. g. si occidas inimicum, putans esse feram; hunc, quem maxime occisum cupiebas cum ignorantia, non propter eam occidisti, quia idipsum fecisses, absente ignorantia. Signum primae ignorantiae est, quia facti te poenitet, postquam ignorantia remota fuit: indicium vero secundae est, quia postquam cognovisti, non doles, sed gaudes.

225. IV. Dividitur in *invincibilem*, quae etiam vocatur *antecedens*, *probabilis*, *justa et inculpabilis*, quae vinci aut tolli non potuit, adhibita morali diligentia, quia vel nunquam in mentem venit dubitare de opposito, vel etsi in mentem venerit, morali tamen diligentia veritatis cognitio acquiri non potuit. Haec nec directe, nec indirecte est voluntaria, quia omnem actum voluntatis antecedit. Et in *vincibilem*, quae etiam dicitur *consequens*, *improbabilis*, *et injusta ac culpabilis*, quae morali diligentia adhibita superari, et opposita scientia acquiri potuit ac debuit. *Sporer* tria requirit ad talem ignorantiam. 1. Ut sit de re, cujus notitia a tali persona in his circumstantiis haberi potuit. 2. Ut venerit in mentem cogitare vel dubitare de tali re. 3. Ut ignorans teneatur scire illam (rem) spectantem ad suum statum vel officium, vel ad evitandum peccatum; alias culpabilis non erit.

226. V. Vincibilis iterum alia est *affectata* sive directe voluntaria, dum quis studio vult ignorare, et ideo non inquirere in veritatem, sive ob taedium discendi, sive ut liberius peccet, aut legis ignorantia transgressionem palliare possit. Alia *non affectata* et indirecte voluntaria, qua quis non quidem vult ignorantiam in se, sed solum non vult adhibere diligentiam inquirendi et cognoscendi veritatem, sive obligationem; hinc indirecte censetur velle ignorantiam. Si nulla prorsus cura adhibita sit, dicitur ignorantia *lata*, *crassa*, vel *supina*, qualis plerumque esse solet de iis rebus, quae communiter ab ejusdem status vel conditionis hominibus cognosci solent ac debent. Si aliqua, non tamen sufficiens diligentia adhibita sit, dicitur levis et non crassa ignorantia. Vide *Laymann* L. 1. t. 2 c. 4. a n. 1. usque ad 6., *Sporer* t. 1. procm. c. 2. a n. 30. usque ad 43.

227. *Praenot. ad 2. causam excus. Metus* est trepidatio mentis ob instans vel futurum malum; ideoque ex metu agere, est facere aliquid mali declinandi causa, ita ut alias id non fieret. 1. *Metus* alius est *ab intrinseco*, quando aliquis ad avertendum malum sive ex causis naturalibus, sive ex alio quocumque infortunio exortum ultro quid agit, quod alioquin non faceret, v. g. si metu naufragii merces e navi projicias, vel perigrinationem voveas. Alius *ab extrinseco*, qui ab alio agente libero directe incutitur ad aliquid agendum, quod alter alias nollet.

2. Hic potest esse *justus*, incussus scilicet ab eo, qui ex officio, et jure potest ac debet compellere ad aliquid agendum; v. g. si Superior Ecclesiasticus intentata excommunicatione illum compellat ad contrahendum matrimonium, qui post contracta sponsalia sine justa causa vult resilire: vel *injustus*, scilicet incussus ab eo, qui nullum habet jus incutiendi; ut si latro mortem intentet, nisi pecuniam des.

3. Alius est *gravis*, *probabilis*, *simpliciter justus*, *et cadens in constantem virum*, quo tale malum timetur, quod etiam viro forti et constanti, merito sit formidabile; uti est metus mortis, mutilationis, cruciatus atrocis, servitutis, exilii, carceris diuturni, gravis infamiae, violenti stupri, amissionis omnium bonorum aut magnae partis, injustae excommunicationis

etc. Si talia vel propriae personae, vel alteri sibi valde conjunctae, v. g. parenti, uxori, liberis etc. inferenda sint. Monet hic *Laymann* l. c. c. 6. n. 4., et *Sporer* l. c. n. 47., ut metus sit justus, necesse est ut sit majoris mali, quam sit illud quod, metus causa, suscipitur. Hinc *quaelibet mala potius tolerare vir fortis debet, quam in peccatum consentire*; minimum enim peccatum omnibus aliis malis majus est, teste *S. Aug.* L. 1. de civit. Dei c. 18. *Metus levis, injustus, improbabilis, et non cadens in constantem virum*, qui ob leviora mala oritur. De his judicandum est prudenti judicio, consideratis circumstantiis praesertim personae tum patientis, tum incutientis metum, item sexus, aetatis etc.; minor enim metus requiritur in foemina, quam in viro; in juvenili, quam in adulta aetate.

§. II. *Principia generalia de causis per accidens excusantibus ab obligatione legis.*

228. Princip. I. *Ignorantia invincibilis, antecedens et concomitans tam juris, quam facti; excusat a culpa; vincibilis vero non excusat. S. Th.* 1. 2. q. 76. a. 3. in corp., *Laym.*, *Sporer* l. c. et commun. *Ratio primi* est: quia, ubi non est voluntarium, ibi nulla est culpa; atqui ubi ignorantia est invincibilis, ibi non est voluntarium: hoc enim necessario requirit cognitionem: ergo. *Major* certa est ex propos. Baji 46. a *Pio V. Greg. XIII. et Urbano VIII.* damnata, quae ita sonat: *Ad rationem et definitionem peccati non pertinet ratio voluntarii. Ratio secundi* est: quia vincibilis ignorantia indirecte voluntaria est, hoc ipso quod studium cognoscendi obligationem voluntarie fuerit neglectum; haec enim ignorantia laborans obligationem non cognoscit ex propria culpa; ergo transgressio merito imputatur ad culpam. Vide dicta n. 11., et propositionem secundam ab *Alex. VIII.* damnatam. *Confirmatur* utraque regula ex *S. Aug.* qui L. de natura et grat. C. 67. ait: *Non tibi reputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quando negligis quaerere, quod ignoras.* Regula illa 13. in 6.: *Ignorantia facti, non juris* excusat, juxta *Laym.* L. 1. t. 4. c. 20. n. 7., et alios, intelligenda est pro foro externo, in quo ignorantia juris communis non praesumitur, sed probari debet. Porro licet ignorantia vincibilis non excuset a peccato, facit tamen culpam leviorem, nisi sit affectata ignorantia, quia vincibilis ignorantia tunc saltem minuit voluntarium; si autem sit affectata, saepius auget illud, quia ex magna inclinatione ad male agendum negligitur cognitio obligationis; hinc tales impii dicunt: *Recede a nobis, et scientiam viarum tuarum nolumus.* Job. 21.

229. *Inferes* I. Qui omittit Sacrum invincibiliter ignorans esse diem festum, non peccat. II. Qui in aliqua re tantum advertit malitiam unius generis, illam solam contrahit, v. g. si quis cognoscat foeminam, invincibiliter ignorans esse consanguineam, is fornicationem tantum committit, non incestum. *Busemb.* de praecept. c. 4. dub. 1. cum *Laym.*, *Bonac.* et aliis. Vide casus de Consc. dub. t. 1. c. 2.

230. III. Quoad universalissima principia et conclusiones inde clare et immediate deductas in materia juris naturalis non potest dari ignorantia invincibilis saltem ad longum tempus, quia talia principia, v. g. *Declina a malo, et fac bonum: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: Cuique tribuendum est suum etc.*, cuilibet ratione utenti facile ipso lumine naturae innotescunt. Ea vero, quae secundaria tantum sunt praecepta et per difficiles discursus ex his principiis deducuntur, v. g.: *An census germanicus sit licitus: an liceat occidere injustum invasorem pudicitiae, vel bonorum temporalium etc.*, etiam a doctis ignorari possunt. *S. Thom.* 1. 2. q. 94. a. 6. in corp., *Pontas* V. Ignorantia, casu 2., *La Croix* L. 1. a n. 727. ad 737. ubi solvuntur argumenta Rigoristarum, *Girken et Sinnichii*. Romae au-

no 1685. die 8. Augusti confixa est sequens propositio: *Nullam admittimus ignorantiam invincibilem juris naturae in ullo homine, dum hic et nunc contra jus naturae agit. La Croix* ibid. n. 726.

231. IV. Ignorantia invincibilis et juris statuentis poenam, et facti, sicut a culpa, ita etiam a poena excusat. *Sporer* l. c. n. 38., *Laymann* l. c. c. 20. n. 1. cum comm.; quia poena decernitur propter culpam; ergo cessante culpa tanquam causa, cessat etiam effectus sive reatus poenae. *Confirm.* ex c. 2. *de Constitut.: Rem quae culpa caret, in damnum vocari non convenit.* Sic qui percussit Clericum invincibiliter ignorans, eam percussionem ab Ecclesia esse prohibitam sub poena excommunicationis, vel ignorans illum esse Clericum, non incurrit excommunicationem. *Sporer* l. c. ibid. addit quod etiam vincibilis ignorantia (modo non sit affectata, haec enim aequipollet scientiae) tollat poenam latae sententiae, ferendae vero minuat, sicut minuit culpam, ita ut judex in tali casu vel veniam delicti dare, vel mitiorem poenam imponere debeat. *Suar.* L. 5. de LL. c. 12. n. 16.

232. V. Qui scit legem latam, sive factum aliquod esse prohibitum, ignorat autem annexam esse poenam, non solum culpae, sed etiam poenae reus est ordinarie; praesertim si legislator ad incurrendam poenam non requirat contumaciam, dolum aut temeritatem, sed solam scientiam legis. *Suar.* l. c. n. 11., *Laym.* l. c. n. 6., *Sporer* l. c. n. 39. contra *Navarr.*, *Menochium* et alios. *Ratio* est: quia omnibus notum est, transgressorem justae legis juste puniri poena aliqua, sive ordinaria statuta a lege, seu arbitraria judicis; ergo transgressor ex ipso censetur consentire in poenam. Sic qui scit praeceptum ecclesiasticum de Communione Paschali, etsi ignoret poenas annexas, iis tamen punitur transgressor.

233. *Excipe* 1. Nisi poena sit admodum gravis, exhorbitans et insolita, v. g. si peregrinus transeat per regionem, in qua sub poena capitis prohibita est venatio ferarum, non videtur afficiendus tanta poena, si legem violet, quam quidem scit, ignorat autem inculpate poenam.

234. *Excipe* 2. Censuram ecclesiasticam, quam nemo incurrit ob delictum, cui ignorat annexam ejusmodi poenam, nisi ignorantia crassa vel affectata sit; quia ad incurrendam censuram plerumque requiritur contumacia. Dixi *plerumque*: censet enim *Sporer* l. c. cum *Laym.* contra *Sanchez*, adhuc incurrit irregularitatem non tantum ex defectu (de quo nemo dubitat) sed etiam ex delicto homicidii voluntarii, quia non imponitur ob contumaciam, sed turpitudinem culpae, qua homicida inhabilis redditur ac sacrum altaris ministerium. *Plura de censuris et cas. reserv.*

235. Principium II. *Metus quicumque (nisi omnino perturbet rationem) non excusat a culpa, eam tamen minuit. Ratio* est: quia metus non tollit voluntarium, sed tantum minuit: ergo quod fit ex metu, absolute ac simpliciter voluntarie et libere fit, consequenter non caret culpa, quae tamen minuitur, quia admixtum involuntarium secundum quid, et conditionate, quia si metus, vel hae circumstantiae abessent, hoc vel illud non fieret. *Laym.* L. 1. t. 2. c. 6. n. 7. cum *S. Thom.* et comm.

236. *Adde* I. Nullus omnino metus etiam mortis excusat in lege naturali quoad illas actiones, quae sunt absolute intrinsece malae, ita ut nulla ratione cohonestari valeant: uti sunt mendacium, odium Dei, abnegatio fidei, blasphemia, fornicatio, occisio directa innocentis; in his si adsit advertentia sufficiens, etiam metus non facit, ut ex mortali peccato fiat tantum leve. (*Sporer* l. c. n. 52. cum *Tambur.*): haec enim prohibenter absolute sine dispensatione, et malitia intrinseca ab eis inseparabilis est, quamdiu non mutatur objectum. Metus autem gravis mali excusat in lege naturali quoad illos actus, qui aliqua ratione cohonestari et in aliquo casu permitti possunt; sic licitum est occidere injustum vitae aggressorem, retinere ea, quae restitui non possunt sine periculo vitae: haec enim fiunt contra praecepta positiva, v. g. charitatem

proximi, quae non obligant semper pro semper, et actus hujusmodi, propter aliud majus malum et propter aliud praeceptum, quo jubemur vitam propriam defendere, fiunt liciti. Idem dicendum, si a Deo per supremum dominium in res creatas mutetur materia praecepti naturalis.

237. II. Gravis metus non excusat ab observatione legis divinae, quae principaliter respicit bonum commune Ecclesiae, qualia sunt praecepta de administratione Sacramentorum in debita materia et forma, sigilio confessionis etc., quia nullum malum timeri potest gravius illo, quod ex harum legum violatione sequeretur. Econtra gravis metus excusat in transgressione legis divinae positivae praecipientis aut prohibentis aliquid in bonum privatum operantis, qualis censetur esse lex de materiali integritate confessionis, de observatione votorum etc. *Ratio* est, quia dum aliunde majus malum non sequitur, aut in alios non redundat, Deus benignissimus cum gravi damno operantis talis praecepti observationem in his vel illis circumstantiis non urgere praesumitur.

238. III. Metus gravis mortis aut alterius gravis mali, per se loquendo, excusat a peccato in transgressione legum humanarum: quia legislator prudenter non censetur cum tanto rigore obligare. Dixi, *per se loquendo:* nullus enim metus excusat, si cum transgressione legis humanae conjuncta sit gravis injuria Dei, contemptus Religionis aut grave damnum Reipublicae, quia bonum commune Reipublicae aut Religionis praevalet privato; ergo in tali casu, ut ait *Suarez*, lex naturalis obligat ad observationem legis humanae etiam cum periculo vitae. Ideo non licet comedere carnes die jejunii, ut videaris esse Lutheranus: militi non licet deserere stationem suam ob metum mortis: idem tenetur cum periculo vitae hostem aggredi, conscendere muros ob bonum exercitus et patriae. *Sporer* l. c. n. 52. cum communi.

239. IV. Violentia vel coactio (quae est vis ab extrinseco illata membris exterioribus, non tantum inferens metum alicujus mali, sed cogens ad aliquid agendum, vel patiendum contra naturalem, vel elicitam inclinationem ejus, qui vim patitur) tollit omnem culpam et poenam. *Ratio* est: quia, quod fit voluntate repugnante, in id voluntas non consentit; ergo nec peccat. Hinc *Gratianus causa* 32. q. 5. ait *violentia stupri animum nequaquam violari: corpori vis infertur, non animo.* Juvat hic meminisse eorum, quae traduntur in Ethica et Theol. Schol. de act. hum., quod voluntas quoad actus elicitos, quales sunt velle, nolle, amare, odisse etc. non possit pati violentiam, sed tantum quoad actus imperatos.

240. Princip. III. *Impotentia implendi legem, tum physica, tum moralis, excusat ab obligatione legis;* ad impossibile enim nemo tenetur. *Physica impotentia* est, quando quis, opus praeceptum nullo modo exsequi potest. Sic coecus non potest legere horas can. *Moralis* est, quando quis absolute quidem potest exequi opus praeceptum, non tamen sine gravi incommodo; ut ait *Babenst.* t. 3. d. 3. art. 3. num. 1. Sic etsi febricitans absolute possit audire Sacrum, quia tamen sine evidenti incommodo valetudinis templum adire non potest, ob moralem impotentiam ab audiendo Sacro excusatur. Haec impotentia prudenti judicio aestimanda est ex conditione et infirmitate personae, item ex gravi periculo proprii vel alieni damni, infamiae, morbi etc.

241. *Porro hic observandum* I. Si praeceptum sit de re divisibili, quae commode potest ac solet dividi, tunc qui non potest servare totum, tenetur ad partem, quam potest implere, si haec sit notabilis; quia aliquo modo in ea adhuc salvatur ratio legis; ergo ad illam implendam censetur legislator in tali casu obligare: secus, si non sit notabilis, sed modica. Sic qui non potest recitare matutinum et laudes, potest autem reliquas horas, tenetur reliquas recitare, ut patet ex propos. 54. damn. *ab Innoc. XI.* Item qui tempore quadragesimae, non potest jejunare hac septimana, potest autem reliquis diebus, tenetur tunc jejunare; quia in qualibet hora can. ac quolibet die jejunii sub-

sistit ratio praecepti, et quaelibet hora ac dies est quid divisibile et independens ab aliis.

242. *Neque dicas:* Pars major trahit ad se minorem: haec enim regula intelligitur de majori parte personarum in aliquid communi consensu conspirantium; ut patet ex c. 1. *de his, quae fiunt a majori parte Capituli;* non vero de majori parte objectorum et dividuae materiae alicujus obligationis, ut patet in materia justitiae; qui enim debet centum, et non potest nisi triginta solvere, non excusatur ab hac solutione, etsi non possit majorem partem debiti solvere. *Illsung.* t. 5. d. 1. q. 1. a. 6. n. 41. Hic potius locum habet illud commune: *Qui non potest solvere totum quod debet, solvat quod potest.* Notat tamen *Babenst.* l. c. n. 12. cum *Laymann,* quod pars debeat esse certa; nam si certo scias, te non posse jejunare per majorem partem Quadragesimae, vel non posse recitare majorem partem Breviarii, dubites autem an per aliquos dies jejunare, aut aliquas horas recitare possis, ab observatione horum praeceptorum penitus excusaris, quia propter tale dubium non potest dividi obligatio, quin ampla via perplexitatibus et scrupulis pandatur.

243. II. Quod si lex sit circa rem indivisibilem, quae regulariter non potest aut non solet dividi, tunc qui non potest servare totum, etiam non obligatur ad partem; quia in hac non salvatur ratio legis: ergo nec censetur legislator ad eam obligare. Quando autem in parte salvetur ratio legis, colligi debet: 1. ex illius materia, fine et ratione: 2. ex intentione legislatoris: 3. ex communi usu et judicio prudentum.

244. III. Qui in re praecepta non potest servare id, quod est accidentale, tenetur adhuc servare principale, si possit; quia principale non trahitur ab accessorio, v.g. qui die dominica post Offertorium venit ad Missam in suo loco unicam, tenetur reliquas partes Missae audire; quae enim a consecratione usque ad Sacerdotis communionem peraguntur, substantialiter ad Missae sacrificium pertinent, et licet hoc praeceptum quoad substantialia sit individuum, quoad accidentalia tamen est dividuum. Qui autem praevidet, quod post Praefationem debeat discedere et negligere partes principales Missae, non peccat, etsi totam Missam intermittat; quia destructo principali destruitur etiam accessorium. Pariter qui ob gravem causam in die jejunii cogitur anticipare prandium, debet nihilominus servare jejunium, si possit, quia determinatio temporis, quo unica refectio sumenda est circa meridiem, videtur tantum esse accidentale requisitum ad formam jejunii. *Laymann* l. c. n. 5. cum *Suar., Babenst.* l. c. n. 5.

245. Princip. IV. *Lex directe cessat obligare universaliter respectu omnium:* 1. *Quando ipsa mutatur vel tollitur per abrogationem, derogationem, aut per irritationem. Abrogatio* legis fit, quando lex totaliter justa de causa a legislatore, vel ejus successore cassatur. Juxta *P. Elbel* Confer. 15. num. 412. et comm. valida quidem est abrogatio legis sine justa causa, non tamen licita, ita ut abrogans peccet pro ratione materiae vel damni bono communi inde illati. *Derogatio* fit, quando legislator unum vel alterum articulum legis mutat, aut a generali constitutione certos casus excipit. Sic innuitur *l. derogatur. ff. de verb. signif. Derogatur legi, cum pars detrahitur: abrogatur legi, cum prorsus tollitur. Irritatio* legis fit, quando lex ab inferiori magistratu constituta, auctoritate Superioris rescinditur, seu irrita declaratur. *Reiffenst.* in Theol. Mor. T. 2. de LL. dist. 4. num. 27. Denique lex nova generaliter lata tollit priorem contrariam, etiamsi de ipsa non faciat mentionem. Ita c. 1. *de Constit. in* 6. Ubi excipiuntur specialium locorum consuetudines et statuta, nisi legislator exprimat, vel se iis derogare quod fit sequenti vel simili formula: *nulla obstante consuetudine contraria: Non obstantibus quibuscumque constitutionibus locorum etc.* Excipiuntur etiam leges priores speciales: sic leges generales de testamentis non comprehendunt testamenta ad pias causas, militum, et alia privilegiata.

246. 2. *Cessat lex cessante ejus causa motiva sive finali adaequata, et respectu totius communitatis; cessante enim causa cessat effectus c. cum cessante de appellat.* Quando autem lex lata est ob plures causas, et una tantum earum cessat, vel quando causa cessat respectu particularis personae, non vero totius communitatis, tunc manet obligatio legis hoc ipso quod maneat ejus finis et utilitas. Vide dicta *num.* 195. Sic in casu, quo Princeps prohibet venationem ob frequentia homicidia, et neglectum curae domesticae et officiorum, etsi respectu Titii cesset causa homicidii, manet tamen obligatio respectu Titii, manente neglectu curae domesticae et officiorum.

247. 3. *Lex humana potest etiam tolli per consuetudinem rationabilem et legitime introductam.* Ita *Commun.* ex c. ult. *de Consuet.* Dixi 1. *Lex humana*: contra legem enim divinam et naturalem nulla currit consuetudo, quae potius est corruptela; ut habetur in c. cit. Dixi 2. *rationabilem:* nam irrationabilis juxta *Laym.* L. 1. t. 4. c. 24. num. 4. et *Reiffenst.* loc. cit. num. 38. censetur consuetudo, quae vel juri naturali aut divino adversatur, aut jure Canonico reprobatur, quae est contra libertatem ecclesiasticam, ut ait *Suarez*, item quae peccandi occasionem praebet, vel alia ratione communi utilitati perniciosa est. Dixi 3. *legitime introductam*; haec enim tantum obtinet vim legis. Quanto autem tempore opus sit ad legitime praescribendum contra legem, juxta *Suar.* L. 7. de LL. c. 8. num. 13. certo definiri non potest generaliter pro diversis effectibus et circumstantiis: ibidem addit, ad minimum requiri decennium contra legem civilem, eoquod ad talem praescriptionem juxta *l.* 1. *c. quae sit longa consuet.* requiratur longum tempus, tale autem censetur decennium, *l. super longi C. de praescript.* Juxta *Laym.* L. 1. t. 4. c. 3. n. 4. contra legem ecclesiasticam nondum receptam, legislatore ignorante, ad tempus praescriptionis requiritur decennium, contra receptam spatium 40. annorum: *Reiffenst.* vero l. c. n. 42. cum *Lessio, Pyrrhing.* et aliis ait generaliter sufficere decennium. Vide *Jus Canon.*

248. Princip. V. *Cessat etiam legis obligatio per legitimam dispensationem.* Haec enim est legis relaxatio publica auctoritate facta, sive exemptio a legis obligatione in aliquo casu particulari, ubi lex alioquin obligaret: ergo si haec legitime et ex justa causa fiat, deobligat. De speciali dispensatione circa votum, matrimonium, et censuras suo loco agemus. Hic generaliter.

249. *Adverte* 1. Dispensatio alia est *expressa*, quae verbis aut aliis signis fit, quibus manifeste constat de voluntate dispensantis. Alia *tacita*, quae ex aliquo facto aut actione Superioris prudenter colligitur, v. g. si Episcopus sciat aliquem esse irregularem, et nihilominus vel ipse eundem ordinet aut dimissoriales illi concedat ad Ordines suscipiendos, aut approbet, vel parochiam conferat. *Suarez* L. 6. de LL. c. 13. num. 21., *Palao* d. 6. punct. 12. n. 3. *Ratio* est: tum quia juxta reg. 43. in 6.; *Qui tacet, consentire videtur*, praecipue si ex officio loqui videatur, tum quia Superiori ex officio incumbit, impedire transgressionem legis, si facile possit: atqui non potest, si taceat, aliter impedire nisi dispensando; ergo ne superior et subditus delinquere debeant censeri, judicandus est dispensare. Bene tamen notandum, quod ad tacitam dispensationem non sufficiat quaelibet praesumpta voluntas legislatoris; necessarium enim est, ut sciat Superior id quod agitur; qui enim nescit, utique non consentit. Nec sufficit sola ratihabitio de actu praeterito aut futuro, quia (ut ait *Babenst.* t. 3. d. 3. a. 4.) dispensatio est exemptio a lege contra legem, ergo sicut non sufficit voluntas futura ad ferendam legem, sed requiritur actualis, ita etiam ad exemptionem etc. Hinc illegitime natus, etsi certissime sibi persuadeat, Superiorem dispensaturum esse, si causam cognosceret, ex hac persuasione Ordines suscipiens, censuram suspensionis incurrit. Item Sacerdos jurisdictione carens invalide ex ea persuasione absolveret, quod si sciret Ordinarius praesentem casum, haud dubie conferret jurisdictionem. *Laym.* L. 1. t. 4. c. 22. num. 8. similiter ut quis in gradu prohibito legitime contrahat cum

consanguinea matrimonium, non sufficit, quod praesumat Pontificem dispensaturum. *Babenst.* loc. cit.

250. *Adverte* 2. Dispensatio iterum alia est *licita*, quae cum justae causae cognitione fit: alia illicita, quae temere et justa causa non cognita fit. De his *Suarez* L. 6. de LL. c. 18. n. 19. et 20., *Laymann* loc. cit. num. 10. *Valida* est quae ita subsistit, ut excuset a transgressione legis. *Invalida*, quae sic non excusat. Legislator dispensans sine justa causa in sua lege, valide quidem, sed non licite dispensat. *Valide:* quia obligatio legis totaliter dependet a voluntate legislatoris: ergo sicut potuit legem non ferre, vel ab initio statuere, ut hos vel illos non obligaret, ita etiam postea absque causa poterit ab obligatione eximere, quos voluerit. *Illicite* autem: quia ad legitimum usum potestatis legislativae pertinet, in pari causa obligationes acqualiter distribuere, ne quasi per acceptionem personarum et inaequalem exhibitionem favoris subjectio nimis onerosa, et gubernatio justis querelis obnoxia reddatur. *Babenst.* loc. cit. num. 21. Dispensare autem sine justa causa in praecepto graviter obligante, esse tantum peccatum veniale, per se loquendo et secluso scandalo, docent *Thom. Sanchez* L. 8. de matrim. disp. 18. n. 7., *Laym.* l. c. n. 13. et alii, quorum sententiam *Babenst.* l. c. vocat probabiliorem (contra *Suarez* l. cit. n. 9., qui dicit esse mortale in genere suo) quia legislator utitur jure suo, non secus ac si quis prodigat pecuniam suam: ergo sicut prodigalitas ex genere suo est tantum veniale peccatum, ita etiam etc.; addit tamen *Laymann*, si aliquibus a communi tributo vel obsequio sine justa causa exemptis alii notabiliter plus gravarentur, fore peccatum grave.

Inferior absque justa causa in lege Superioris non tantum illicite, sed etiam invalide dispensat: qua Superior non praesumitur inferiori dedisse potestatem in lege sua temere dispensandi. *Babenst.* l. c. n. 23. Similiter peccat, qui dispensatione sine justa causa impetrata utitur, non quidem directe contra legem positivam, cujus obligatione revera solutus est, sed contra legem naturae peccato singularitatis et insolentiae ex genere suo veniali. *Laym.* ibid.

251. *Adverte* 3. Potestas dispensandi alia est *ordinaria*, quae alicui vi sui officii competit; talem habet legislator, ejusque successor: hic enim reputatur eadem persona cum illo et in eandem potestatem succedit. Alia *delegata*, quae ex concessione habentis potestatem ordinariam convenit inferiori: haec si concedatur ab ipso jure, utpote officio aut dignitati annexa, aequiparatur ordinariae, diciturque *perpetua*, qualem in multis habent Episcopi. *Pure delegata* non a jure, sed a Superiore duplici modo solet concedi: 1. per modum purae commissionis vel mandati in favorem certae causae et personae, cum qua dispensatur. Haec delegante mortuo exspirat, si res adhuc sit integra, sive causa executioni nondum mandari coepta, juxta *c. relatum de officio Delegati*, *et c. si cui*, *de praebend. in* 6. *Excipe:* nisi delegatio a dignitate potius, quam persona particulari delegantis orta videatur sub tali verborum formula: *Sedes Apostolica tibi committit*, nam Sedes ipsa non moritur, sed in successore continuatur. 2. Per modum gratiae in favorem delegati, quae si absolute conferatur, non exspirat morte delegantis. *Laym.* l. c. n. 6. Pure delegata non potest subdelegari ab habente illam, qui eam accepit non ut dominus et principalis, sed ut minister et executor. Varias limitationes vide apud *Salmant.* t. 11. de LL. c. 4. n. 52. Ex his inferes:

252. 1. Quivis legislator, ejusque successor potest cum suis subditis in lege propria dispensare. Ita *Comm.* Vide dicta n. 250. Inferior autem non potest dispensare in lege Superioris, nisi in certis casibus infra cit. juxta *Clement. Ne Romani. de elect. et c. cum inferior.* 21. Ita *Suar.* L. 6. de LL. c. 14. n. 4. et *commun.* contra *S. Anton.*, *Sotum* et alios, qui volunt, quod inferior possit dispensare in lege Superioris, quoties ea dispensatio non est expresse reservata aut interdicta.

253. 2. Papa dispensare potest in omni jure ecclesiastico tam universali,

quam particulari, imo etiam in iis Apostolicis Canonibus, quos tanquam Ecclesiae praesides condiderunt, v. g. de jejunio quadrag., observatione Dominicae, non ordinandis bigamis etc., non autem in iis Canonibus, quos Apostoli a Christo auctore acceptos tanquam ministri Ecclesiae promulgarunt et tradiderunt, v. g. de parvulorum Baptismate, indissolubili vinculo matrimonii consummati etc. *Laym.* l. c. n. 3. cum *Suar., Azor*, et *comm.* Vide *c. proposuit* 4. *de concess. praeb.*

254. 3. Episcopus regulariter non potest dispensare in legibus Pontificiis, sacris Canonibus, constitutionibus Apostolicis, et decretis CC. generalium, nisi in casibus a jure sibi concessis. *Suar.* l. c., *Reiffenst.* tit. c. de Constit. n. 463., *Rebuffus* §. de dispens. ad plura benef. n. 26. *Primum* patet ex can. *Nulla fas sit* 25. q. 1. et can. *Institutionis* 25. q. 2. *Ratio* est: quia dispensatio est actus jurisdictionis: atqui Episcopus tanquam inferior non habet jurisdictionem respectu Papae aut Conciliorum gener.; ergo.

Quod *secundum:* quinam sint illi casus, in quibus ex concessione juris communis potest Episcopus dispensare, vide apud *Barbos.* P. 2. de offic. et potest. Episc. allegat. 33. et seqq. et L. 1. Juris Eccles. univers. c. 11. a n. 134. Satis amplam concessionem *Conc. Trid.* vid. sess. 24. c. 6. de reform. *Speculator* L. 1. §. *de dispens.* ultra sexaginta casus in jure scriptos numerat. Itaque generaliter Episcopi tunc in dictis possunt dispensare: 1. Ubi in jure expresse conceditur potestas, ut fit *c. penult. de elect. c. At si Clerici* §. *fin. de judiciis* etc. 2. Quando est causa magnae necessitatis, vel evidentis utilitatis de novo emergens, vel quando periculum est in mora, nec facile ad Papam recurri potest. *Reiffenst.* l. c. n. 470. cum 8. gravibus auct. *Ratio* est: quia ita exigere videtur pastorale Officium Episcoporum, ne oves concreditae in casu urgentis necessitatis destituerentur necessariis auxiliis. 3. Vi consuetudinis legitime praescriptae: haec enim tribuit jurisdictionem. 4. In casibus frequenter occurrentibus, v. g. jejuniis ab Ecclesia indictis, in votis Papae specialiter non reservatis, in observatione festorum. 5. In materia levi, sicut ob levem percussionem Clerici absolvit Episcopus ab excommunicatione, ut patet ex *c. pervenit* 17. *de sent. excommun.* 6. Quando dubium est, an casus indigeat dispensatione, tunc enim vel potest declarare, quod non indigeat dispensatione, vel ad cautelam dispensare. Plura apud *Schmalzg.* tit. de Constit. num. 59.

§. III. *Resolvuntur Casus.*

Casus I.

Anicetus hora undecima noctis praecedentis festum solemne in utroque foro ad venationem exit, praevidens se altero die non posse audire Sacrum. Idem die Jovis ita se inebriat, ut facile ab experientia praevideat, quod diebus sequentibus sit laboraturus, nec die dominica auditurus Sacrum.

Q. I. An peccet is qui ponit impedimentum servandi legem.

255. Ante R. *advertendum:* impedimenta adimpiendi praecepta sunt duplicia: alia solum excusant ab obligatione, v. g. infirmitas, ignorantia, impotentia, oblivio etc., alia penitus liberant ab obligatione praecepti, qualia sunt dispensatio, egressus e loco, ubi praeceptum obligat etc. His praenotatis:

256. R. 1. Non peccat, qui ponit aliquod impedimentum penitus liberans ab obligatione praecepti, vel non aufert tametsi possit, vel non praevenit implendo legem. *Ratio* est: quia alias peccaret, qui ex justa causa peteret dispensationem. Vide dicta n. 212.

257. R. 2. Peccat qui tunc ponit impedimentum mere excusans, quando lex vel actu jam urget, vel obligatio saltem moraliter jam existit. Ideoque Anicetus exiens hora undecima noctis peccavit, quia tunc moraliter jam con-

setur adesse festum, et urgere praeceptum. Sic etiam peccat, qui abjicit Breviarium, quod unicum habet vel alteri donat, ne illud debeat recitare: qui enim ad legem obligatur, etiam tenetur ad media ordinaria, et ex natura rei proxime necessaria procuranda, ac tollenda impedimenta per se impedientia. *Tambur.* t. Decal. c. 2. §. 2., *Illsung.* t. 1. d. 2. n. 37., *Gobat* in Quin. t. 5. c. 27. ubi hanc quaestionem fuse tractat.

258. R. 3. Non peccat qui uno alterove die, antequam urgeat *lex humana*, se reddit impotentem ad legem observandam, modo non ex directa intentione violandi legem procuretur impotentia, vel ponatur impedimentum. Ideoque Anicetus se inebriando quidem peccavit, ita tamen ut illa ebrietas solam specificam suam malitiam retineat, et non contrahat novam ex futura omissione Sacri. Ita *Gobat* l. c. n. 75. cum *Bonac.*, *Suar.*, *Palao*, *Becano*. Dixi, *lex humana;* ibidem enim recte ait *Gobat* num. 63. quod praecepta naturalia ad hoc obligent, ne aliquot diebus, antequam obligatio urgeat, ponatur impedimentum; ideoque peccat miles, qui die Lunae omne peculium suum potitando consumit, praevidens se exinde coactum iri, reliquis diebus ex rapto vivere.

259. Denique n. 18. monet *Gobat*, propter plurimas difficultates generaliter attendendum esse, quoties non constat esse communem sensum fidelium, quod haec vel illa lex humana in particulari obliget ad non ponendum impedimentum pridie instantis executionis, toties censendum esse non adesse ejusmodi obligationem, exceptis obligationibus justitiae in quibusdam casibus. Sic ex communi sensu TT. peccaret contra praeceptum de Communione Paschali, qui eam differret usque ad ultimam diem determinati temporis, et pridie discederet, ubi sciret non fore copiam sumendi Eucharistiam. Vide etiam *La Croix* de LL. a n. 782. ubi sub finem n. 795. ait cum *Illsung.*: cum in hac quaestione non possit dari regula generalis, attendendam esse mentem legislatoris et finem legum, quae quandoque facilius, alias difficilius patiuntur poni impedimentum.

260. *Q.* II. Quis censendus sit agere in fraudem legis.

R. Ex dictis 1. Qui ponit impedimentum *mere excusans* observationi legis, cujus obligatio jam existit actu, saltem moraliter secundum prudentum ac piorum aestimationem. 2. Qui tale impedimentum ponit etiam ante legem actu urgentum, ea tamen intentione, ut a tali lege, quando actu obligabit, se eximat. 3. Econtra non agit in fraudem legis, qui ponit impedimentum *penitus liberans* observationi legis, dummodo illud ponere non prohibeatur alia lege. *Ratio horum* est: quia impedimentum excusans per accidens tantum deobligat ab observatione legis, unde dum quis illud ponit, dici non potest uti jure suo: impedimentum vero liberans per se deobligat, proinde illud ponens recte dicitur uti jure suo: ergo nec committit fraudem. Vide dicta n. 213.

Dixi, *dummodo non prohibeatur alia lege:* sic egrediens in locum, ubi *Trid.* non est receptum, eo praecise animo ut ibi matrimonium clandestine contrahat et postea revertatur, agit in fraudem legis sive constitutionis *Urbani VIII.* talem egressum prohibentis, imo tale matrimonium annullantis.

Casus II.

Albertus die dominica mane subitaneam sentit infirmitatem, ideoque non audit Sacrum, quia probabiliter judicat se non obligari lege. Idem sub initium quadragesimae ex cibis quadragesimalibus certum sanitatis periculum praevidet, non tamen audet vesci carnibus, nisi petita prius a Parocho dispensatione.

261. *Q.* I. An Albertus peccaverit non audiendo Sacrum. R. Non peccavit, sed prudenter ob veram et subitaneam infirmitatem judicavit se non obligari. Vide dicta n. 240.

262. *Q.* II. An qui ex legis observatione prudenter sibi periculum imminens praevidet, dispensatione indigeat. R. in casibus, qui frequenter occurrunt, v. g. in esu carnis uno alterove die, auditione Missae etc. per se loquendo, non indigeat, quia ipsa necessitas excusat: in casibus autem gravioribus et rarioribus, v. g. in proclamationibus, indigeat; puniunt enim Superiores si aliter fiat; tutius tamen semper est, etiam in aliis recurrere ad Parochos vel Confessarios pro declaratione, ad quid et nunc lex obliget. Addit *La Croix* n. 877. de LL. cum *S. Thom.*, *Cajet.* et aliis; si judicari non possit probabiliter, sed mere dubium sit, an casus comprehendatur sub lege, recurrendum esse ad Superiorem: si id fieri nequeat, servandam esse legem, utpote quae tunc manet in possessione.

Casus III.

Anastasius propter infirmitatem, quam sentit ab initio Quadragesimae, impetrat dispensationem in jejunio; sed post quatuordecim dies integre reconvalescit et pergit uti dispensatione.

263. *Q.* An cessante infirmitate licite pergat uti dispensatione. R. Ex supposito, quod integre restituta est sanitas, ita ut nec prudenter timeatur periculum alicujus infirmitatis ex jejunio, non licet ulterius dispensatione uti. *Suar.* l. 8. de LL. c. 30. n. 9., *Th. Sanch.* l. 8. de Matrim. d. 30. n. 14., *Laym.* l. 1. t. 4. c. 22. n. 16. *Ratio* est 1. Quia cessante causa finali adhaequata, cessat jus commune: ergo multo magis dispensatio: atqui infirmitas fuit causa adhaequata dispensationis: ergo. 2. Absque causa justa non potest licite concedi dispensatio: ergo nec illa potest perseverare sublata causa totali. 3. Obligatio ecclesiastici jejunii successive ligat: ergo etiam dispensatio successive operatur liberationem a lege, dum causa subsistit. 4. Non videtur alia esse intentio dispensantis, ita ut tacite inclusa sit haec conditio: *Si causa maneat.* Imo prudenter absente omni alia causa non potest prudenter praesumi, quod Superior etiam pro eo tempore velit dispensare, quando penitus cessat causa dispensandi. Neque hic applicari potest commune illud, favores esse ampliandos; quia dispensatio utpote contraria legi est strictae interpretationi. Contrarium resolvit *Escobar*, *Burgab.* Cent. 1. casu 24. Ipsemet *Sanch.* l. c. n. 13. sub finem ait, probabile esse dispensationem absolute datam valere quamdiu non revocatur, sicut lex semel sublata non redit absque voluntate legislatoris. Quae opposita sententia tunc in praxi tuta esse videtur, quando cessante causa finali, alia prudens causa dispensationis absolute concessae habetur, v. g. ob periculum relapsus in eumdem morbum, vel ob aliam causam per se connexam cum allegata in petitione: vel si dispensatio redacta sit ad actum irrevocabilem, v. g. ad matrimonium ab eo contractum, qui propter graves tentationes petiit dispensationem super voto continentiae: his enim cessantibus, non cessat dispensatio, durante matrimonio.

Casus IV.

Arnoldus Religiosus absens a monasterio ex praesumpta Superioris voluntate accipit ab amico ducatum. Idem sine Superioris licentia se subjicit obsequio Principis ad habendam singulis diebus Dominicis concionem in Sacello aulico, nixus privilegio quod Ordini suo fuit olim concessum.

264. *Q.* I. An Arnoldus peccaverit contra votum paupertatis. R. *Negative* (ex supposito, quod hic modus accipiendi speciali statuto Ordinis non prohibeatur): quia ad simplicem licentiam sufficit praesumpta voluntas Superioris: per licentiam enim non solvitur obligatio, sed conceditur operatio, exercetur juxta modum a voto vel lege praescriptum; adeoque non est contraria legi,

sicut dispensatio: ergo haec est strictae interpretationis de voluntate actuali legislatoris; licentia autem tanquam favorabilis extendi potest ad praesumptam. *Babenst.* de dispens. n. 3. et 8. Nihilominus juxta communem tenetur postea Superiori manifestare factum.

265. *Q.* II. An in secundo casu licite usus fuerit privilegio sui Ordinis. R. *Negative.* Prob. ex *Trid.* sess. 25. cap. 4. de Regularibus, ubi ita statuitur: *Prohibet S. Synodus, ne quis Regularis sine sui Superioris licentia praedicationis vel lectionis, aut cujusvis pii operis praetextu subjiciat se obsequio alicujus Praelati, Principis, vel Universitatis, vel Communitatis, aut alterius cujuscumque personae seu loci, neque ei aliquod privilegium, aut facultas ab aliis super iis obtenta suffragetur.* Vide propos. 36. ab *Alex. VII.* damnatam.

266. *Q.* III. Quid, et quotuplex sit privilegium. R. 1. Privilegium est lex privata in favorem alicujus data a legitimo Superiore. *Lex* dicitur, quia obligat, non quidem ipsum privilegiatum ad utendum privilegio, sed alios indirecte ad non obsistendum. *Privata* est, quia beneficium *particulare*, v. g. exemptionem fori, et *particularibus* v. g. Clericis, ut sunt pars Communitatis, concedit.

267. R. 2. Aliud est *reale*, quod proxime ac directe conceditur intuitu rei, loci, officii, dignitatis, v. g. praedii, Monasterii, Ecclesiae, Episcopatus etc., mediate tantum pertinet ad personas. Aliud *personale*, quod directe ac proxime confertur in personae favorem, subinde mediate in alios, vel in locum redundat. Aliud est *mixtum*, quod ita conceditur alicui Communitati, ut eo etiam uti possint singula ejus membra. Hujusmodi sunt privilegia Religiosorum, studiosorum, militum etc. Differt a dispensatione, quod haec non necessario sit perpetua, sed saepe unico actu exspiret; *Privilegium personale personam sequitur et extinguitur cum persona.* Reg. 7. in 6. Reale autem cohaeret rei et cum eadem expirat. Privilegia concessa cum onere aliorum amittuntur per non usum aut usum contrarium, et hoc vel via praescriptionis, vel tacitae renunciationis: privilegia vero, quae merae gratiae, tum affirmativa, v. g. indulgentiae, tum negativa, v. g. non jejunandi, non sic amittuntur per non usum. *Reiffenst.*

268. R. 3. Privilegia *contra jus commune* plerumque strictae interpretationis esse debent, juxta *c. Porro, et c. Sane, de Privil.* Favor enim juris communis merito praeferendus est favori privato. *Excipe* 1. Nisi tale privilegium datum sit in favorem causae publicae, piae, religiosae, etc. Ideo juxta *Suar.* L. 8. de LL. c. 27. n. 7. privilegium exemptionis Clericorum a jurisdictione Principum saecularium, vel Religiosorum a jurisdictione Ordinariorum ample interpretandum est in Religionis favorem. 2. Si privilegium a jure communi exorbitans motu proprio Principis concessum sit, tunc meretur amplam interpretationem, utpote quod proprium Principis beneficium est, et ex certa scientia datum censetur. *Suar.* ibid. n. 8. Privilegium vero *praeter jus*, v. g. potestas absolvendi vel dispensandi, et aliae multae gratiae iis concessae, quibus lege communi non competunt, late interpretari debent, *c. quia circa de privil.* et *c. olim de V. S.* item *l. 3. ff. de Constit. Princip.* dicitur, *beneficium Principis quam plenissime interpretari debere.* Unde facultas concessa Episcopis in *Trid.* sess. 24. c. 6. de reform. etiam competit Episcopo confirmato, etsi necdum consecrato. Item iis etiam, qui Episcopo in jurisdictione aequiparantur, videlicet Capitulo, Sede vacante. *Laym.* L. 1. t. 4. c. 23. n. 5. cum *Sanchez* contra *Suar.* quam doctrinam limitat *Laym.* ibid. n. 6. nisi beneficium in alterius praejudicium cedat, cujusmodi est exemptio a decimis, a jurisdictione Ordinarii, aut si praebeat occasionem scandali aut litium, non eatenus odiosum censere debet. Denique pro interpretatione privilegii ante omnia attendi debet ad mentem et intentionem concedentis, ad personam cui confertur, ad postulationem et proemium, item ad materiam privilegii et omnes circumstantias.

269. Porro Ordines Religiosi Mendicantes habent inter se, et cum non Mendicantibus perfectam communicationem privilegiorum, ut cum communi ostendit *Reiffenst.* L. 5. Decretal. n. 55. Privilegium autem concessum uni Religioso privato, non communicatur aliis Religiosis. Excipitur etiam privilegium alicui Ecclesiae ad tempus determinatum, vel ob specialem rationem concessum, v. g. quando indulgentia conceditur loco speciali, quia ibi est imago B. V. cum magna veneratione fidelium: secus est de indulgentiis perpetuis, et quae continent rationem generalem.

» 270. *Q.* 1. Quid requiratur ad effectum privilegii. R. 1. *Integritas concessionis,* hoc est, ut sit *datum* seu *signatum* et *completum* per commissarium, aut delegatum dispensatorem, e. g. si Papa consentiens in dispensationem eam committat Episcopo loci; non tamen ut sit etiam praesentatum: nam gratia a die datae effectum habet, et non primum a die praesentatae, quo nempe privilegiatus accipit litteras: est enim axioma. 2. *Causae finalis verificatio, et obtinibilitas tempore integrae concessionis;* quia Superior dat privilegium ex suppositione, quod finis sit obtinibilis, et causa dandi verificetur, sive det motu proprio, sive ad instantiam. Quare si petatur favor incundi matrimonium cum consanguinea propter legitimationem prolis, si haec moriatur, antequam aut Papa per se, aut per delegatum Episcopum dispensaverit, favor erit nullus: *idem est,* si Beneficiandus tempore concessionis nondum habet aetatem debitam etc. 3. *Effectus tamen hic perdurat, licet causa finalis cesset post tempus integrae concessionis;* quia dans concessit privilegium absolute, et non affixit ejus valorem conditioni futurae. Igitur valebit prius matrimonium, modo proles vivat tempore, quo a Papa obtenta et ab Episcopo excusationi data est dispensatio, quamvis moriatur, antequam parentes matrimonium contrahant: *item* dispensatus in voto castitatis ob actuale periculum incontinentiae, aut accipiens privilegium ad duo beneficia ob inopiam, pergit uti privilegio, etsi post collationem absolutam favoris cesset periculum incontinentiae aut inopiae: *aliter loquendum,* si privilegium sit concessum *ad actum successivum* propter causam pariter divisibilem, e. g. dispensatio in Breviario, vel jejunio quadragesimali ob debilitatem, si postea convalescas. Ita *Illsung. tr.* 1. *d.* 3. *a.* 6. *et alii.*

» *Dices* 1. Ad privilegium etiam requiritur *causa justa,* sicut ad valorem indulgentiae. 2. In dispensationibus, Apostolicis gratiis non sufficit *signatura,* sed requiritur *expeditio* in curia, ut litterae desuper sint confectae, ut habet regula. 52. Cancellariae; praeterea privilegium non residendi in beneficio requirit *scripturam:* ergo et alia privilegia. 3. Etiam requiritur *innotescentia,* vel *acceptatio.* 4. *Lex cessat cessante fine:* ergo et privilegium.

» *Ad* 1. N. Disparitas cum indulgentiis est, quod Papa eas det ut dispensator, non ut dominus. *Ad* 2. Litterae tantum requiruntur pro foro externo, non interno; rescriptum non residendi est specialiter exceptum. » *Ad* 3. Insinuatio privilegii facienda privilegiato vel tertio, cui per privilegium derogatur, acceptatio etc. tantum requiruntur ad usum vel privilegium in actu secundo, non ad substantiam et in actu primo. *Ad* 4. N. C. Quia lex ablato fine non manet utilis reipublicae, ut privilegium manet favorabile, ex quo patet privilegium participare aliqua de lege, aliqua de donatione.

» *Q.* II. Quomodo cesset privilegium.

» R. Modis 6. tollitur. 1. *Lapsu temporis,* si restricte datum. 2. *Cessatione causae inductivae,* quae scilicet fuit motivum unicum vel primarium factae concessionis, et non mere *impulsivae,* quae fuit causa libentius dandi etc. 3. *Interitu subjecti,* vel personae cui datum est, si privilegium est *personale,* vel rei, si *reale.* 4. *Renuntiatione privilegiati,* quae tamen

» non procedit si privilegium sit connexum statui e. g. clericali, vel officio » e. g. Thesaurarii, vel renuntiatio cedat in praejudicium communitatis etc. » 5. *Abusu*, vel illud extendendo ultra limites concessionis, vel sumendo inde » occasionem delinquendi: mere autem *non usu*, sive *negativo*, eo quod oc- » casio utendi non fuerit, sive *omissivo*, eo quod privilegiatus data occasio- » ne non fuerit usus, non cessat privilegium. 6. *Revocatione concedentis*, » quarum una est *tacita* seu implicita per actum contrarium a concedente » positum; altera *expressa*, sed per clausulam non obstantiae seu deroga- » toriam generalem; tertia expresse per clausulam derogatoriam specialem. » Porro in privilegiis in specie hic ordo servandus:

» 1. Privilegium simpliciter concessum revocatur per clausulam derogantem » generalem: *non obstantibus quibuscumque privilegiis*. 2. Privilegium in » corpore Juris clausum revocatur per actum contrarium lege universali » seu generali constitutione praeceptum, vel per clausulam: *non obstante* » *privilegio etiam inserto juri communi* etc. 3. Privilegium speciale, quod » praesumitur Pontifex ignorare, nisi specialem de eo mentionem faciat, re- » vocatur per clausulam: *motu proprio et ex certa scientia*, vel alia hujus » privilegii scientiam indicante. 4. Privilegium concessum a Concilio ge- » nerali. e. g. Tridentino, revocatur per clausulam: *non obstante Concilio* » *generali quocunque:* vel: *Tridentino*. 5. Privilegium concessum cum spe- » ciali clausula derogatoria debet in sui revocatione derogatoriam illius de- » rogatoriae continere, scilicet; *non obstantibus quibuscunque privilegiis* » *sub quacunque forma concessis:* vel addendo: *ac si singulae privilegio-* » *rum formulae de verbo ad verbum insertae forent*. 6. Denique privile- » gium, quod privilegiato tribuit jus rigorosum e. g. onerosum interveniente » pacto concessum etc. non revocatur valide, nisi causa publica adsit, » fiatque insinuatio privilegiato, aut compensetur per aliud.

» *Q.* 3. Unde oriatur privilegium immunitatis Ecclesiasticae.

» R. Juvat hic sententias modernas recensere et auctores consulendos adde- » re, reliqua Canonistis relinquere. 1. Opinio est *quorundam Juristarum post* » *Paulum Venetum, Joan. Marsilium* etc. qui dicunt, Clericos subditos esse » per se Principi laico in omnibus temporalibus etiam personalibus et quod » immunitatis habent, id ex favore Principum descendere: sic argutantur: » dantur duae Monarchiae in mundo, *Sacra et Ecclesiastica* quoad cau- » sas spirituales, e. g. fidem, sacramenta, sacrificia, cultum divinum etc. » et *Profana seu Politica* quoad causas temporales e. g. judiciorum cri- » minalium, civilium, tributorum, onerum publicorum etc. Prima est pe- » nes Vicarium Christi ac Clericos privative, altera penes supremum Prin- » cipem laicum plene, ut huic quoad temporalia nulla persona sit exem- » pta de jure, cum non detur status in statu etc.

» 2. Opinio est *Julii Clari, Rebuffi, Abbatis, Bellarmini* etc. qui defen- » dunt, exemptionem etiam in causis temporalibus saltem personalibus a ju- » re divino immediate oriri, e. g. privilegium fori, liberationem ab actionibus » servilibus, tributis in recognitionem dominii personalis solvendis, ac legi- » bus civilibus: ut adeo potestas Jurisdictionis Ecclesiasticae sit *superior* lai- » cali ex fine supernaturali, mediis, objecto etc. et *latior;* laicalis vero in- » ferior et limitata a Christo, non tantum quoad causas spirituales, sed etiam » quoad personas Ecclesiasticas et jura earum temporalia, saltem aliqua.

» 3. Opinio est *Covarruviae, Soti, Molinae, Theol. Castropalai etc.* » qui propugnant exemptionem Clericorum quoad causas spirituales esse certo » juris divini, quoad temporales autem *originaliter et in thesi* esse juris di- » vini, in quantum ad similitudinem legis veteris ordinata, pro persona Vi- » carii Christi immediate a Christo constituta, et ut pro reliquis personis Ec- » clesiasticis a Pontifice introducatur, potestas data et praeceptum a Christo » Pontifici impositum: *actualiter* vero et *in hypothesi* esse juris humani in

» quantum Papa ex mandato Christi aliqua constituit, aliqua ab Imperatori-
» bus statuta acceptavit, aliqua pro diversitate circumstantiarum mutare po-
» test, tutam tamen immunitatem nec tollere potest, nec ut a laicis tollatur,
» permittere. Hac de re legi meretur Tannerus *L. defensio libertatis Eccles.*
» Augustinus Michl. Can. Reg. Untersdorff: *Discussio Theologico-Juridica*,
» et pro favore politicae potestatis Tractatus posthumus Bernardi Glettle:
« *Anatomia Juridica immunitatis*. Tum judicabit lector, an praestet, Prin-
» cipem Laicum auctorem immunitatis Ecclesiasticae statuere, an Deum, aut
» ex Dei commissione Summum Pontificem: maxime quod constet in hac e-
» tiam sententia ingens semper subsidium a Clero Principes excepisse.

» *Q.* 4. Quaenam privilegia Regularium sint revocata.

» *Nota.* Praescindendo hic ab indulgentiis per Paulum V., Innocentium
» XI. et particulariter Benedictum XIV. revocatis, tres sunt revocationes magis
» notabiles. 1. *Per Tridentinum*, et Pium IV. confirmantem decreta Triden-
» tini in Bulla: *In Principiis* 1565. 2. Vivae vocis oraculo concessa privi-
» legia revocata sunt ab Urbano VIII. per Bullam: *Alias felicis* 1631. et
» jam prius sub aliqua limitatione, quae manu Cardinalis subscripta non
» fuerant, a Gregorio XV. per Bullam: *Romanus Pontifex* 1622. 3. Privi-
» legia concernentia auditiones confessionum, praedicationes verbi divini,
» absolutiones a reserv. etc. revocata sunt, a Clemente X. per Bullam: *Su-
» perna Patrisfamilias* 1670.

» R. 1. Per Tridentinum sunt revocata omnia et sola illa privilegia, quae
» Regularibus *ante* Tridentinum sunt concessa, et quorum revocatio est *ex-
» pressa* per adjectam clausulam derogatoriam. Talia sunt omnia contenta in
» sess. 25. *de Regul.* quia in c. 22. subjungitur: *Haec omnia et singula in
» superioribus decretis* (intelligejujus sessionis) *contenta S. Synodus obser-
» vari praecipit . . . non obstantibus privilegiis sub quibuscumque formulis
» verborum conceptis.* Non item *post* Tridentinum concessa, nec alia in prio-
» ribus sessionibus sine tali derogatoria, adeoque *implicite* per decretum Con-
» cilii revocata. Ita *Illsung, Rodriquez, Reiffenstuel cum* 3. *aliis. Rat.*
» Prop. 36. ab Alex. VII. damn. *Regulares possunt uti privilegiis suis, quae
» sunt expresse revocata a Concilio Trident.*; ergo cum de implicite per
» decreta contraria revocatis taceat damnatio etc. 2. Decretum generaliter la-
» tum non derogat particularibus statutis et privilegiis, nisi hoc exprimat,
» cum legislator probabiliter haec ignorare possit.

» *Dices* 1. cum Alviset. *Nullum* privilegium est sufficienter revocatum ad
» hoc, ut illo abstinere regulares teneatur: eo quod his data privilegia vel
» sint remuneratoria, onerosa etc., vel alia derogatio pro Cassinensibus re-
» quiratur etc. 2. *Omnia* privilegia etiam implicite abrogata sunt sufficienter
» revocata, cum Pius IV. in Bulla confirmatoria Concilii addiderit derogа-
» toriam specialem: *sub quibuscumque formulis concepta:* et Gregorius
» XIII. et Sixtus V. restituerunt Regularibus omnia privilegia per Concilia
» generalia ablata: ergo omnia supponunt fuisse revocata etc.

» R. *Ad* 1. N. A. Revocatio per Trident. fuit sufficiens tam ratione sole-
» mnitatis, quam causae e. g. quod tunc magnus fuerit abusus privilegiorum,
» et quod ea impediant universalem reformationem disciplinae Ecclesiasticae,
» quam meditabatur Concilium etc. *Ad* 2. N. A. Sicut clausula ultima Tri-
» dentini tantum se extendit ad decreta ultimae sessionis (alias dixisset *omnia
» in superioribus sessionibus contenta*) ita clausula Pii IV. solum confirmat
» decreta habentia clausulam derogatoriam expressam, cum Bullae confirma-
» toriae et declaratoriae non se extendant ultra rem confirmandam. Dein
» Gregorius et Sixtus decreta Tridentini derogantia expresse excipiunt.

» R. 2. Per Urbanum VIII. ea sola et omnia vivae vocis oracula sunt revo-
» cata, quae *ante* Urbanum sunt concessa, et non debite *authentizata*, adeo-
» que pro foro interno valent oracula vivae vocis data post Urbanum: pro

„ utroque foro valent concessa *post* Urbanum, et tunc jam authentizata ab
„ officialibus illis, quibus ex munere incumbit ejusmodi gratiis concessis
„ fidem facere, ex concessa *ante* Urbanum, sed *post* ipsum confirmata per
„ Bullam specialem *ex certa scientia ac de Apostolica potestatis plenitu-*
„ *dine.* Neque audiendus hic est Alviset dicens, hanc revocationem Urbani
„ fuisse de subjecto non supponente et frustraneam; eo quod omnia haec
„ oracula transierint in Bullata per Bullam Gregorii XIII. anno 1575. Mi-
„ noribus innovantem; et per Bullam Pauli V. anno 1605. Dominicanis vi-
„ vae vocis oracula confirmantem: siquidem repugnat Bulla revocatoria Ur-
„ bani etiam litteras Apostolicas revocans ob causam communis boni Eccle-
„ siae, ut refert Illsung. et ut oracula fiant Bullata debent non generaliter
„ dumtaxat, sed specialiter eorum tenores exprimi etc.

„ R. 3. Per Clementem X. revocata sunt omnia et sola privilegia in Bulla
„ *Superna* clare expressa.

„ Q. 5. Quid et quotuplex damnatio propositionis.

„ R. 1. Est *nota, qua Summus Pontifex Ecclesiam docens afficit propo-*
„ *sitionem ab auctore quodam prolatam.* Dicitur 1. *Nota*, id est censura
„ haeresis, erroris, temeritatis, scandali etc.: non habetur pro censura, quod
„ propositio dicatur falsa, improbabilis etc. 2. *Pontifex Ecclesiam docens:*
„ hoc duo involvit, et definire seu pro certo decidere aliquid, et velle si-
„ mul obligare Ecclesiam universam, ut id indubitanter admittat. Unde colli-
„ gis, Papam loqui ex cathedra, loqui ut caput Ecclesiae, loqui Ecclesiae, do-
„ cere Ecclesiam esse synonyma. 3. *Propositionem*, quae vel concernit fidem,
„ vel mores, aut media necessaria ad salutem, cum in his necessario sit
„ infallibilis. 4. *Ab auctore etc.* ubi quandoque damnatur sola propositio,
„ *prout jacet* (ut expresse in decreto suo 1679. testatur Innocentius XI.)
„ quandoque propositio secundum *sensum auctoris*, seu *in sensu ab aucto-*
„ *re intento*, hoc est, qui per contextum cruitur, ut Alexander VII. dam-
„ navit 5. propositiones Jansenii. Insuper quandoque damnantur propositio-
„ nes *singillatim*, cuivis seorsim suam censuram addendo; quandoque *in*
„ *globo*, singulas quidem propositiones recensendo, sed cumulatim censu-
„ ras addendo. Aliud est, si *opus totum* damnatur et prohibetur ob pro-
„ positiones aliquas non in specie expressas per congregationem.

„ R. 2. Propositio 1. *Haeretica* est ea, quae formaliter et directe adversa-
„ tur propositioni explicite revelatae, vel implicite revelatae, et ut talis ab
„ Ecclesia definitae. 2. Propositio *erronea* est ea, quae opponitur veritati,
„ quam vel universa Ecclesia tenet, quamvis non sit de fide; vel communis
„ Doctorum Catholicorum sententia mediate revelatam judicat, licet ab Ec-
„ clesia id nondum expresse fuerit definitum. 3. Prop. *haeresi proxima* est
„ ea, quae proxima cum probabilitate judicatur haeretica. 4. Prop. *suspecta de*
„ *haeresi* est ea, quae licet aliquo sensu tolerari possit, tamen magna cum
„ probabilitate judicatur haeretica. 5. Prop. *haeresim sapiens* est ea, quae ma-
„ jori cum probabilitate quam suspecta de haeresi, judicatur haeretica. 6.
„ Prop. *Schismatica* est ea, quae fideles ab obedientia Summi Pontificis,
„ aliisque Superioribus Ecclesiasticis debita, retrahit. 7. Prop. *seditiosa* est
„ ea, quae per se nata est subditos ad rebellionem contra Principes civiles
„ inducere. 8. Prop. *haeresi aut schismati favens* est ea, qua haeretici aut
„ schismatici uti possunt ad suos errores, vel suam inobedientiam propu-
„ gnandam. 9. Prop. *blasphema* est ea, quae Deo vel Sanctis est injuriosa.
„ 10. Prop. *impia* est ea, quae cultum Deo debitum minuere de se nata est.
„ 11. Prop. *scandalosa* est ea, quae per se nata est proximum inducere ad
„ peccatum. 12. Prop. *perniciosa* est ea, ex qua facile possunt deduci con-
„ clusiones contra fidem aut bonos mores. 13. Prop. *captiosa* est ea, quae
„ sub pietatis specie, venenum obtegens, apta est simplicium mentes sedu-
„ cere. 14. Prop. *male sonans* est ea, quae licet duplicem habeat sensum,

» unum bonum et alium malum, absolute tamen et sine distinctione pro-
» fertur. 15. Prop. *piarum aurium offensiva* est ea, quae aliquid indeco-
» rum de Deo vel Sanctis ejus profert. 16. Prop. *temeraria* est ea, quae ab-
» sque ullo, aut Scripturae, aut traditionis, aut rationis theologicae funda-
» mento, a communi Theologorum sententia recedit. 17. Prop. *falsa* est
» ea, quae factum aliquod, quod ad fidem pertinet, eique nocere possit,
» veritati contrarium enuntiat. 18. Prop. *verbo Dei contraria* est ea, quae
» licet contraria Scripturae et traditioni, nondum tamen est proscripta ab Ec-
» clesia. Hujusmodi propositionibus hic recensitis plenae sunt doctrinae
» Quesnelli 101. damnatae a Clemente XI. *Unigenitus* 1713., Michaelis Moli-
» nos 68. damnatae ab Innocentio XI. *Ad abolendum* 1687., et Fenelonii 28.
» damnatae ab Innocentio XII. *Cum alias* 1699., et asseclarum Jansenii mo-
» dernorum, e.g. excommunicationem non a primis Pastoribus, sed a toto Eccle-
» siae corpore ferri debere, ut valeat: *ita Quesnellus, Arnaldus* etc.; Missas pro
» defunctis recreare animas in refectorio, non in Purgatorio: *ita Opstrat.*

» *Q.* 6. Quid intelligatur per adverbium, *respective*, cum in decreto, in
» quo plures propositiones damnantur, dicitur eas esse *respective* haereti-
» cas, erroneas etc.

» R. Haec particula, *respective*, significat nullam esse ex damnatis pro-
» positionibus disjunctive, in quam non cadat una saltem ex notis, quae
» in condemnationis decreto referuntur.

» *Q.* 7. An negans censuram a Pontifice latam sit haereticus.

» R. Si sit censura haereseos, negans est haereticus: non item si sit alia in-
» ferior, e. g. propositionem esse scandalosam, temerariam etc. ita *Carde-*
» *nas, Card. de Lugo, Dom. Bannez, Turrianus et alii:* nempe potest Pon-
» tifex decernere aliquid ut *dogma fidei*, hoc est ut certum certitudine sum-
» ma et a fidelibus divina fide credendum, prout sunt articuli fidei, et hos
» negans est haereticus, vel ut *Doctrinam Ecclesiae simplicem*, hoc est ut
» certum quidem in se, sed certitudine aliqua inferiore, et a nullo in du-
» bium trahendam aut negandam, et hanc negans errat solum circa fidem,
» seu habet propositionem erroneam aut errori proximam, et sic censen-
» dus est Papa procedere in aliis censuris, cum sufficiat ad finem damna-
» tionis, ac plus probari non possit.

» *Dices* 1. Sic censura ne quidem esset *certa*, quia juxta Caramuelem et
» Leandrum a Murcia nulla propositio probabilis damnari ab Ecclesia potest.
» 2. Si est certa, negans est haereticus, quia negat reipsa *ipsam infallibili-*
» *tatem* Pontificis, quod est haereticum. 3. Papa definiens propositionem e. g.
» esse scandalosam, temerariam etc. definit hoc ipso eam esse *falsam*, vel
» saltem falsum esse eam licere sequi: ergo negans defendit eam esse veram
» et licitam sequi, contradicitque veritati infallibiliter definitae. 4. Saltem
» talis propositionis definitio debet prius *promulgari*, potest *non accepta-*
» *ri* a populo, potest apud Papam *supplicari* pro exemptione etc.

» R. *Ad* 1. esse omnino falsum. Alii dicunt: probabilis non potest damna-
» ri ita, ut in sensu composito adhuc maneat probabilis C. In diviso, divi-
» dendo, tollendo probabilitatem N. *Ad* 2. N. A. Siquidem non negat infalli-
» bilitatem directe et formaliter etc. licet hoc consecutive per discursum se-
» quatur, quod tamen non sufficit ad haeresim incurrendam. *Ad* 3. N. A.
» Falsitas enim solum mediate et per illationem deducitur. *Ad* 4. Cum in da-
» mnatione propositionum plerumque tria inveniantur, *declaratio* doctrinae,
» *prohibitione* in praxin deducatur, et *poena* excommunicationis in docentem
» aut defendentem, possunt aliqua ex objectis fortassis de poena defendi,
» nullum de declaratione, quae quia est plerumque juris naturalis et divini,
» debet ab omnibus acceptari sine solemni promulgatione.

» *Q.* 8. An praeter Papam sit alius Doctor infallibilis in propositione
» damnanda aut asserenda.

» *R.* Quamvis *auctoritas Sanctorum Patrum* sit maximi momenti, potissimum quando omnes aut fere omnes in re dogmatica conveniunt, nullus tamen, nec Augustinus, nec D. Thomas est infallibilis, nec ullus in hos Commentator, nec Schola integra potest infallibilis interpretationis eorundem privilegium praetendere. Quod hodie certum est ex propos. 30. ab Alex. VIII. damn.: *Si quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere et docere non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam:* ergo nullius auctoritas est irrefragabilis seu talis, quae teneri aut doceri possit sine respectu ad Pontificis Bullas, ut patet de operibus Cypriani etc., nempe doctrina D. Augustini *generaliter* duntaxat approbata est a Pontificibus, exceptis 7. propositionibus *de Gratia*, quas Caelestinus i. suam Ecclesiaeque doctrinam faciendo, quodammodo canonizavit, ut videre est in Ep. ad Episcopos Galliae apud Prosperum et Vivam hic etc., et sic auctores procedunt passim. Addit Palao Tr. 4. dis. 1. punct. 6. §. 8. universos *Doctores* etiam errare non posse, non quod ipsis Spiritus S. immediate assistat, ut Pontifici, sed quia hoc pertinet ad specialem Dei Providentiam, ne *omnes errent* illi, quorum doctrina utitur Ecclesia in controversiis fidei et morum.

» Hinc sane injuriosa est propositio *moderni* cujusdam scribentis: *Moralistae sunt contemptores Conciliorum et Patrum, exiguae auctoritatis, nimium laxi, docentque passim propositiones damnatas.* Quamquam enim Summistae c. g. Armilla, Sylvester, Tabiena, Lezana, Toletus etc. ob brevitatem a prolixis auctoritatibus passim abstineant, majorum tamen operum scriptores c. g. Laymann, Castro-Palao, Moderni etc. iis abundant: deinde licet auctor in unam, alteramve propositionem impingat, quae postmodum ab Ecclesia damnata est, nihil tamen exinde dedecoris in auctorem redundare probat Vindex Gobati; tum quia id humanitus contingit *omnibus*, magni quoque nominis scriptoribus uti Innocentio IV., Navarro, Cajetano saepius, atque magistro Sententiarum, cui 26. errores non leves objiciuntur, quin idcirco auctor cum reliquis suis sanis doctrinis rejiciatur; tum quia ex nimio *rigoris studio* haereses Montanistarum, Novatianorum, Waldensium ac Jansenianorum prodiit, ut sic par sit nimiae laxitatis et nimii rigoris error.

» *Q.* 9. Quis sensus sit propositionis damnatae indefinitae.

» R. Hac regula generali: quo in sensu *universali an particulari* damnata sit propositio, desumi ab uno ex his 4. punctis debet: 1. ex *materiae subjectae* natura: 2. vel *communi sensu* doctorum: vel 3. *mente auctorum* hanc thesin defendentium: vel 4. *scopo Pontificis*, quem is sibi in ea proscribenda praefixit. Sit exemplum in prop. 26. ab Innoc. XI. damn.; *Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus etc. juret cum restrictione mentali, nec mentitur, nec est perjurus:* haec propositio potest habere vel *sensum universalem*: Omnis iste modus restringendi est liber a mendacio et perjurio; et sic propositio *contradictoria* erit particularis: Aliquis modus ex his non est liber a mendacio et perjurio: vel *sensum particularem*: Aliquis ex istis modis restringendi est liber a mendacio et perjurio: et sic propositio *contradictoria* erit: Nullus modus ex his est liber a mendacio: cum ergo ex mente docentium hanc thesim, et ex causa, quae Pontificem promovit ad damnandum, constet, damnatam in sensu particulari acceptam esse, erit damnans Ecclesiae propositio universalis et latius patens. Idem dicendum de prop. 29. quod metus excuset simulationem Sacramenti: de prop. 34. quod liceat procurare abortum, ne puella diffametur vel occidatur: de prop. 53. quod liceat plures partes Sacri simul audire etc.

» *Observatio* 1. Quivis ad lectionem auctorum, maxime qui scripserunt ante annum 1665. accedere debet probe gnarus propositionum damnatarum; quas optime detegent Dom. Viva: *Theses damnatae* etc., Cardenas S. J.,

» Duarte Ord. S. Franc. Reform. etc., qui pariter exhibet prohibitionem
» Alex. VIII. ne quis damnet, censuret etc. alterutram sententiam de at-
» tritione ex metu gehennae.

» 2. Quando Pontifex damnat *propositionem*, non semper prohibet illius
» auctorem, et quando damnat propositionem *copulativam*, non semper da-
» mnat singula ejus membra: patet utrumque in prop. 32 ab Innoc. XI. da-
» mnata: *Licet defendere defensione occisiva bona, quae actu possidemus,*
» *et ad quae jus inchoatum habemus, et quae nos possessuros speramus.*
» 3. Praeterea quando Papa concedit alicui *privilegium*, probari id a privile-
» giato oportet. cum privilegia sint quodammodo vulnera legum, res facti,
» et saepius jam revocata ab Ecclesia, inter quas revocationes ternae sunt ma-
» gis solemnes scil. a *Tridentino*, ab *Urbano VIII.* et a *Clemente X.* ut su-
» pra. 4. Ex quibus colligitur aliud esse, si Papa judicium ferat de proposi-
» tione *prout jacet*, aliud relate ad *contextum*, vel *auctorem*.

» *Q.* 10. Quid Ars Critica.

» R. Est *ars ferendi sanum judicium de rebus ad doctrinam vel histo-*
» *riam pertinentibus*: unde etiam bifariam distinguitur, dum una *res juris*,
» ut vocant, seu auctoris doctrinam, opus, sensum etc. examinat, altera
» *res facti* seu historias. Ejus regulae sunt. 1. *Maxime attendendum, quo*
» *fine, tempore, idiomate ac circumstantiis auctor scripserit.* Sic alius vi-
» detur Augustinus dum Pelagium impugnat, alius dum Manichaeos. Item jux-
» ta s. Thomam minus caute scripsere antiqui, quam moderni, dum ipsa tem-
» porum securitas ab haeresibus immunis liberiores calamos fecerit; alius ver-
» borum sensus, quae ad populum, alius quae in rigore inter Scholas prolata
» sunt. 2. *Propositiones faciunt a libris abstractae alium non raro sensum,*
» *quam in librorum contextu*: quare non meretur auctoritatem ille, qui de-
» prehenditur malitiose textus truncasse aut documenta suppressisse, quae il-
» lius adversantur doctrinae, neutiquam tamen textum truncasse censendus
» est, qui tacuit quod ad rem non pertinet: et universim auctoritas habet se
» ad certitudinem, sicut casus in quibus auctor fefellit, aut non fefellit. 3.
» *Opus antiquo auctori adscriptum summe dubium est, si aut toti antiqui-*
» *tati ignotum fuerit, aut stylus discrepet a reliquis ejus operibus, aut*
» *contrarium tueatur iis, quae hic auctor alibi docet, quin mutatae opinio-*
» *nis moneat lectorem.* Nempe unus testis coaevus, caeterum veritatis a-
» mans, praeferendus est pluribus non coaevis, et silentium Synchronorum
» suspectam merito relationem facit. 4. *Quod personas et res refert scripto-*
» *ris aevo posteriores, aut voces postea primum usu receptas, opus apocry-*
» *phum est*; liber autem apocryphus quinque significationes habet, vel quod
» alterius auctoris, vel quod incerti auctoris, vel quod hujus quidem aucto-
» ris, sed corruptus, vel continens falsa, vel quod prohibitus liber sit. Plura
» *Gisbert et alii*, qui contendunt, quemadmodum moderatus Criticae usus
» optimus est, ita illius abusum esse rei catholicae summe perniciosum. Cer-
» te *sanae Criticae debemus:* 1. Quod *Epistolae Decretales* primis quatuor
» saeculis usque ad Siricium Papam credantur paucae genuinae, utpote non
» a s. Isidoro Hispalensi, sed ab alio Isidoro Mercatore vel Peccatore dicto
» evulgatae. 2. Quod *Libri Carolini*, qui Carolo Magno attribuuntur, apo-
» cryphi censeantur, cum Canones Synodi II. Nicaenae vel corruptos, vel ab
» Iconoclasta male versos esse, detectum sit: aliter de *Capitulari Caroli Ma-*
» *gni* Aquisgrani facto loquendum est. 3. Quod *distingui debeat* inter tradi-
» tiones Divinas, Apostolicas et Ecclesiasticas: inter decreta pertinentia ad
» fidem, et oeconomiam: inter judicium Synodi, et judicium Episcoporum
« tantum etc., cum ad judicium Synodi requirant, ut conciliariter fiat, ut ma-
» teria haec fuerit causa convocationis, vel saltem praeceptum a Papa, ut de
» ea judicium feratur, et denique a Pontifice confirmetur, qui ultimam judi-
» cio Synodi manum et complementum addat.

Ad solvendos plurimos casus de Dispensatione, Interpretatione et Epikeia.

271. *Observa* I. Ex dictis, ut dispensatio sit valida et licita, requiritur 1. Ut fiat ab eo, qui habet legitimam potestatem. 2. Ut fiat circa subditum, vel quasi subditum. Juxta *La Croix* de LL. n. 799., *Sanchez*, *Lessium*. Superior loci vel territorii potest dispensare cum vagis nullibi habentibus domicilium in iis legibus communibus, in quibus potest cum suis subditis, similiter cum peregrinis in dictis legibus, sicut potest eos absolvere a peccatis; cum peregrinis tamen non potest dispensare in votis, juramentis, aut aliis singularibus impedimentis: ad hoc enim videtur requiri major subjectio. Vide *Palao* t. 3. d. 6. p. 7. §. 2. 3. Ut adsit rationabilis causa dispensandi, v. g. necessitas, utilitas, pietas, gratitudo ob merita in Ecclesiam vel Rempublicam, misericordia ad succurrendum humanae fragilitati etc., aliae causae justae in casibus particularibus prudentum judicio decidendae sunt. 4. Ne sit obreptitia, vel subreptitia. *Obreptitia* dicitur, quando in petitione falsa causa tanquam principale motivum exprimitur, qua cognita, non fuisset data dispensatio. *Subreptitia*, quando tacetur veritas alioquin necessario exprimenda de jure, vel stylo curiae, praesertim si id ex fraude et dolo contigant. Si motivum falsum habeat se ut causa tantum impulsiva, sine quo nihilominus data fuisset dispensatio, quamvis difficilius; vel si taceatur aliquid, quod non pertinet directe et intrinsece ad materiam concessionis, neque de jure aut stylo curiae exprimendum est, adhuc valet dispensatio, quia tunc censetur Superior adhuc velle dispensare, dummodo causa principalis subsistat. Vide *Laymann* L. 1. t. 4. c. 22. a n. 17. usque ad 26.

272. II. Legislator potest secum ipso dispensare, excepta irregularitate contracta per sententiam, uti nec potest se ipsum absolvere a censuris et peccatis. Probabilius tamen potest secum dispensare in irregularitate per dispositionem juris incursa. *Babenst.* hic a. 3. §. 3.

De modo recurrendi Romam ad impetrandam dispensationem vide *Reiffenst.* post L. 4. Decret., *La Croix*, et infra de votis, matrimonio etc.

273. III. In interpretatione legis (de qua n. 171.) praeceptiva vel prohibitivae 1. Debet servari proprietas verborum in sensu naturali secundum usum communem hominum, v. g. si talis lex loquatur de filio, intelligitur naturalis, non civilis. 2. In interpretatione legis favorabilis lex extenditur ad proprietatem verborum etiam in sensu civili, v. g. si filiis detur privilegium aliquod, postquam parentes fuerint mortui, extenditur ad adoptivos, et ad mortem tantum civilem, v. g. si mittantur in exilium etc. 3. Interpretatione legis odiosae vel poenalis semper accipi debet, quod est minus; nam *in poenis benigna est interpretatio facienda*, juxta reg. 49. in 6. Denique ut saepe dictum, consuetudo est optima legum interpres. *Laym.* l. c. c. 18., *La Croix* de LL. a n. 823.

274. IV. Epikeia (de qua n. 172.) locum non habet in lege naturali, nec proprie in lege divina, sed potius interpretatio. Locum autem habet in lege humana, quia legislator scit, se non esse omniscium, nec posse praevidere omnia: ergo hic et nunc debet pati benignam interpretationem, ut se accommodet infirmitati subditorum. Plura apud *Laym.* l. c. c. 19. ubi monet, quod epikeia maxime locum habeat in legibus obligantibus, non item in infirmantibus, nisi de voluntate legislatoris saltem ex aliquo signo constet: hae enim praescribunt formam substantialem sine qua actus subsistere non potest. Tunc autem, in genere loquendo, potest quilibet privatus legem secundum epikeiam interpretari, quando manifestum est particularem casum generali legis sententia non comprehendi, sed acquitatis ratione excipi debere. *S. Th.* 2. 2. q. 147. in corp. *Ast quando id manifestum est?* Respondet *Laym.* l. c. n. 3.

Primo, si lex servari non possit, nisi violando aliam graviorem legem, scilicet naturalem aut divinam, v. g. si die festo non possis audire Sacrum, nisi periculose aegrotum patrem solum relinquas, potius teneris omittere Sacrum. Huc pertinet regula communis: *Si concurrant duo praecepta, quae simul servari non possint, posthaberi debet, quod minus est. Secundo*, si legis observatio a majore bono alterius virtutis impediatur. Sic Sacerdos volens hora undecima noctis adhuc Vesperas et Completorium recitare, dum subito vocatur ad moribundum, licet jam omnibus morientium Sacramentis praemunitum, potius debet omittere Vesperas et Completorium. *Tertio*, si observatio legis humanae in aliquo casu sit nimis difficilis, et certo constet legislatorem noluisse, vel non potuisse tanta severitate obligare. *Vide, quae excusent a transgressione legum.* In dubio, utrum lex in casu particulari per epikeiam cesset, ad Superiorem recurrendum est, juxta *L.* 1. *C. de LL.*

» Pro coronide hic subjungitur brevis notitia librorum Juris utriusque, » et modus eosdem citandi.

§. I. *De jure Canonico.*

» Jus Canonicum, sic dictum quod constet Canonibus, seu regulis Ec- » clesiae, est collectio Canonum seu Decretorum Ecclesiasticorum aucto- » ritate Ecclesiae facta, vel approbata. Hodiernum (de quo solo nunc) » tribus voluminibus, et sex collectionibus continetur.

» I. Volumen vocatur Decretum Gratiani: cum enim multi ss. Canones col- » legissent, ut Dionysius Exiguus, Isidorus Hispalensis, Cresconius Africa- » nus Episcopus, Isidorus Mercator, Regino Prumiensis Abbas, Burchardus » Vormatiensis, Yvo Carnotensis, horum vestigiis insistens Gratianus, per » 24. annos aut circiter desudavit in colligendis variis tum Conciliorum sive » generalium sive particularium Canonibus, tum ss. Pontificum decretis, » tum ss. Patrum dictis seu sententiis; quae omnia in unum redacta in- » scripsit *Concordantia discordantium Canonum*, eo quod Canones in spe- » ciem discordes conciliaret, ac publica fecit anno 1151. aut circiter.

» Decretum tribus constat partibus. I. Agit de personis Ecclesiasticis, ac » complectitur 101. distinctiones, quarum singulae multis ordinarie con- » stat capitibus seu canonibus. 2. Tractat de actionibus seu judiciis Ec- » clesiasticis, et continet 36. causas, quae distribuuntur in varias quaestio- » nes, multis item capitibus conflatas. Causae vero trigesimae tertiae quae- » stio 3. continet Tractatum de Poenitentia in 7. distinctiones divisum. 3. » Cui titulus est, *de Consecratione*, agit de rebus sacris, et in 5. distin- » ctiones distribuitur.

» Hoc opus ab Eugenio III. fuisse approbatum asserunt nonnulli, sed » verosimilius videtur, privata tantum auctoritate fuisse editum, nec proin- » de plus habere auctoritatis, quam habent fontes, ex quibus desumpti » sunt Canones. Quia vero menda quaedam irrepserant in Decretum, tri- » buebatur v. g. uni auctori, quod alteri convenit, laudabantur Concilia » nullibi celebrata, etc. ab iis mendis magna ex parte purgatum est jussu » et cura ss. PP. Pii IV. et Greg. XIII. ac tandem ab Augustino Tarra- » conensi Episcopo in opere edito *de emendatione Gratiani.*

» Sic autem citari solent Canones seu Capita primae partis, Cap. *Quoru*n- » *dam* Distinct. 23., vel Distinct. 23. Cap. *Quorundam:* id est, capite quod » incipit ab isto vocabulo, *Quorundam*, quodque reperitur in Dist. 23. . . . » Canones secundae partis citantur v. g. Causa 16. Cap. *Episcopo* Quaest. 6... » Tractatus vero de Poenitentia sic allegatur: De Poenitentia. Dist. 3. Cap. » *Irrisor est:* id est in Tractatu de Poenitentia (quem in Causae 33. quaest. 3.

» esse diximus) distinct. 3. capite quod incipit ab his verbis: *Irrisor est:*
» Canones vero tertiae partis: de Consecratione dist. 5. Cap. *Manus.*
» Aliquando invertitur ordo, et primo citatur Canon, deinde Causa vel Di-
» stinctio sic: Can. *Manus* de Consecr. dist. 5. Aliquando ex prima, et tertia
» parte Decreti laudantur Canones, citando priora cujusque Canonis ver-
» ba, adjecto simul n. 1. 2. etc. e. g. Can. *Multis* 5. dist. 44.
» Quod si multi Canones in eadem distinctione vel quaestione ab eodem
» vocabulo incipiunt, additur numerus, quo possit citatus Canon designari
» v. g. Cap. *quando* 2. in Dist. 44. id est, 2. capite ex iis quae incipiunt voce,
» *quando*, in distinctione 44. Idem observatur in aliis libris Juris Canonici.
» Ad calcem Decreti reperiuntur in aliquibus editionibus Canones poeni-
» tentiales, et ii qui sub Apostolorum nomine vulgantur.
» II. Volumen continet 5. libros Decretalium, quae dicuntur Gregorii IX.,
» quia ejus jussu s. Raymundus de Pennafort Canones in postremis Concilii,
» generalibus editos, ac Decretum ss. Pontificum, praecipue vero Alexan-
» dri III. Innoc. III. et Honorii III. in unum volumen colligit, et edidit 5.
» libros Decretalium variis titulis inscriptos, qui multa continent capita. In
» 1. agitur de Personis Ecclesiasticis: in 2. de Judiciis: in 3. de Clericis,
» et Rebus sacris: in 4. de personis laicis, seu de iis, quae ad sponsalia
» et matrimonium pertinent: in 5. de criminibus et eorum poenis. Quin-
» que libri Decretalium hoc versu comprehenduntur: *Judex, Judicium,*
» *Clerus, Sponsalia, Crimen.*
» Nota eundem ordinem servari in Sexto, Clementinis et Extravagantibus
» communibus. Collectionem hanc editam anno circiter 1230. auctoritatis
» Apostolica confirmavit Gregorius IX. Allegantur hoc modo: extra de Si-
» monia cap. *Matthaeus:* id est, extra Decretum Gratiani, nempe in De-
» cretalibus Greg. IX. Titulo de Simonia cap. *Matthaeus.* Aliquando ci-
» tantur non per verba, sed per numeros, e. g. cap. 1. de Praebendis. In
» unoquoque titulo capita omnia, quibus non praefigitur nomen Pontifi-
» cis, tribui debent Pontifici, qui fuit ultimus designatus.
» III. Volumen tribus constat partibus, quarum 1. dicitur Sextus. 2.
» Clementinae: 3. Extravagantes.
» 1. Sextus sic nuncupatur, quia quinque libris Decretalium Greg. IX.
» additus est. ss. Pontificum, qui Gregorium IX. inter et Bonifacium VIII.
» sederunt, Epistolas Decretales, et ipsius Bonifacii Constitutiones com-
» plectitur. A Bonifacio VIII. promulgatus est anno circiter 1298. Citantur
» Canones Sexti eodem modo quo Decretales Greg. IX. addita solum hac
» voce in Sexto: v. g. cap. *Si gratiose,* de Rescriptis in 6. In fine Sexti
» apponuntur Regulae Juris.
» 2. Clementinae sunt Constitutiones Clementis V. in Concilio Vien-
» nensi editae, et a Joanne XXII. ejus Successore promulgatae circa an-
» num 1316. Sic allegantur: Clementina *Quamvis,* de Foro competenti; vel
» Clementina unica, de Foro compet., vel etiam addito numero, v. g. Cap.
» *Nolentes* 2. in Clementinis de Haereticis.
» 3. Extravagantes, sic dictae, quod vagarentur extra Corpus Juris Cano-
» nici. Aliae autem sunt particulares, aliae communes. Particulares, quae di-
» cuntur Joannis XXII., sunt hujus s. Pontificis Constitutiones in 14. Titulos
» distributae. Sic citantur: cap. *Ecclesiae* Extrav. (vel Extravag.) Joan-
» nis XXII., vel etiam: cap. *ad onus* 1. de electione et electi potestate in
» Extravagantibus Joannis XXII. Communes, sic appellatae, quod sint Con-
» stitutiones plurimorum ss. Pontificum, qui paulo ante, vel post Joan-
» nem XXII. vixere, imo et ipsius Joan. XXII. a privatis quibusdam col-
» lectae sunt, nec illius s. Pontificis auctoritate promulgatae. Videntur tamen
» usu ut plurimum receptae, et dividuntur in 5. libros, quibus tamen deest
» quartus, de Sponsalibus. Eodem modo allegantur, quo particulares, sed

» additur, in Extravag. Communibus: et semper intelliguntur Communes, » quoties absolute citatur Extravagantes.

» Extat etiam in quibusdam juris aditionibus septimus Decretalium liber » conflatus ex variis ss. Pontificum Constitutionibus, sed privata tantum au- » ctoritate editus est, et raro allegatur. Est et Bullarium magnum, quod » multis constat voluminibus, ubi colliguntur recentiorum ss. Pontificum » Bullae, Brevia, aliaque multa. Bullae sunt concessiones aut ordinationes in » rebus gravioribus, nec nisi in membranis describuntur, sigilla habent ap- » pensa plumbea, et quae praeseferunt ss. Petri et Pauli effigiem. Breve A- » postolicum est contracta et brevis scriptura, quae in negotiis minoris mo- » menti conceditur, muniturque sigillo in cera sub annulo Piscatoris et Se- » cretarii subscriptione. Signaturae Apostolicae sunt dispositiones, quae ab » Apostolica Sede proficiscuntur, in papyro conscribuntur, nec sigillo mu- » niuntur, et ut plurimum his exprimantur verbis: *Fiat ut petitur*. Versan- » tur circa concessionem, Beneficii per supplicationem petiti, circa absolutio- » nem, aut dispensationem, aut rehabilitatem etc.

§. II. *De Jure Civili.*

» Jus Civile Romanum continetur in collectione Legum Romanarum edi- » ta a Justiniano Imperatore, qui suas antiquis addidit, et quatuor in par- » tes distribuit. Is floruit saeculo VI. obiit anno 566.

» In 1. parte sunt Institutiones Justiniani, quae quatuor libris editae sunt, » quasi rudimenta et elementa tyronibus Juris Civilis. Citantur per paragra- » phum hoc modo, §. 2. Instit. de Jure naturali, Gentium et Civili: id est in » libris Institutionum, titulo de jure naturali, etc., nam quando citatur §. » non citata lege, materia de qua fit sermo, reperitur in Institutionibus.

» In 2. parte sunt Digesta seu Pandectae, ubi immensa pene legum vo- » lumina digesta sunt, et continentur 50. libris, qui in varios distribuuntur » titulos, tituli in Leges, et Leges in Paragraphos. Quia vero una cum Glos- » sis unico volumine comprehendi non possent, in 3. volumina dividuntur, » quorum primum *Digestum vetus* nuncupatur, utpote prius editum: se- » cundum *Infortiatum*, quasi pleniorem ac fortiorem legum notitiam sup- » peditans: tertium *Digestum novum*, seu postremo editum. Designantur » Pandectae seu Digesta per duplex ff. seu per D. et citantur sic: l. 1. §. » 3. ff. de Pactis: id est, lege 1. Paragrapho 3. quae lex in Digestis, ti- » tulo de Pactis reperitur.

» In 3. parte est Codex, qui primum ex priscis codicibus Hermogenia- » no, Gregoriano et Theodosiano, sed contractis conflatus est. At cum mul- » ta in eo deessent, auctiorem et correctiorem edidit Justinianus anno 529. » Vocatur Codex Repetitae Praelectionis, et distinguitur in 12. libros, quo- » rum Leges sic allegantur: *l. si quis* 5. Cod. de Episcopis et Clericis.

» In 4. parte continentur Authenticae seu Novellae Constitutiones a Ju- » stiniano latae et promulgatae. Unicus est earum liber constans 9. Col- » lationibus, quarum singulae in varios titulos et Novellas distribuuntur. » Sunt autem Novellae 168. quae sic solent citari: Cap. *neque igitur*, No- » vella 90... addi etiam posset Collatio e. g. Collat. 7. quod est ac si dice- » res, Libro 7. Authenticae, quae inter Libros Codicis reperiuntur, sic al- » legantur: Authentica » *Sicut haereditas*, C. de legitimis tutoribus.

» Ad calcem quatuor Juris partium apponuntur aliquando varia Impe- » ratorum Edicta, et novellae Constitutiones, item et Feudorum Consue- » tudines 5. libris comprehensae, Leges 12. Tabularum, Fasti Consula- » res, etc.

CAPUT IV. *De peccatis in genere.*

§. I. *Quid et quotuplex sit peccatum proprie acceptum.*

275. R. I. Cum *S. Ambr.* L. de Paradiso c. 8. *Peccatum est praevaricatio sive libera transgressio legis divinae:* vel juxta *S. Aug.* L. 22. contra Faustum cap. 27. *est dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei.* Dixi 1. *Libera transgressio:* ad peccatum enim tria requiruntur: 1. ut sit voluntarium: 2. ut sit liberum: 3. ut advertatur malitia. *Busemb.* L. 5. de pecc. c. 1. dub. 1. Dixi 2. *Legis divinae*, hoc est, omnis legis in conscientia obligantis; quaelibet enim transgressio legis etiam humanae obligantis in conscientia legi divinae repugnat; *qui enim resistit potestati, Dei ordinationi resistit*, ad Rom. 13.: ergo hoc ipso peccata contra legem humanam obligantem in conscientia sunt contra legem divinam mediate. *Materiale* peccati est ipse actus, vel ejus omissio; *formale* est ipsa ratio transgressionis legis. In peccato proprie tali praecipue spectantur *reatus culpae et poenae. Causa peccati* est sola voluntas creata, Deo permittente, et incitantibus mundo, carne et daemone. Effectus sunt corruptio naturae, qua hebetatur intellectus, induratur voluntas etc., poena, et variae quandoque obligationes.

276. R. II. Peccatum *primo* dividitur in originale et personale. *Originale* est, quod contraximus in Adamo, quatenus nostrae voluntates in ejus voluntate erant inclusae, juxta *Trid.* sess. 5. in decreto de peccato orig.: *Hoc Adae peccatum, quod origine unum est, et propagatione, non imitatione transfusum omnibus, idest unicuique proprium* etc. In fine hujus decreti declarat haec ipsa sancta Synodus, *non esse suae intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam et immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem, sed observandas esse Constitutionis felicis recordationis Sixti Papae IV. sub poenis in eis Constitutionibus contentis, quas innovat.* In prima edita anno 1476. quae incipit: *Cum praexcelsa*, immaculatam B. Virginis Conceptionem devote celebrantibus concedit *Sixtus IV.* easdem indulgentias, quas *Urbanus IV.* concessit devote celebrantibus festum Corporis Christi. In altera edita anno 1483. quae incipit: *Grave nimis*, ut falsas et erroneas, et a veritate penitus alienas reprobat et damnat duas sequentes assertiones, scil. primo: *Omnes illos, qui tenent aut asserunt eandem gloriosam et immaculatam Dei Genitricem absque originalis peccati macula fuisse conceptam, mortaliter peccare vel esse haereticos.* Secundo: *Ejusdem immaculatae Conceptionis officium celebrantes, audientesque sermones illorum, qui eum sine hujusmodi macula conceptam esse affirmant, peccare graviter.* Ibidem sub poena excommunicationis ipso facto incurrendae et summo Pontifici reservatae prohibet omnibus, cujuscunque status, gradus etc. conditionis fuerint, ne in posterum in publicis ad populum concionibus, aut alias quomodolibet affirment, veras esse praedictas assertiones, et ne libros illas continentes ut veros legant, teneant vel habeant. Anno 1520. *Pius V.* per Constit. *Super speculam*, confirmavit secundum *Sixti IV.* statutum; relicta tamen fuit facultas adhuc impugnandi vel defendendi immaculatam B. Virginis Conceptionem in publicis disputationibus, modo abesset periculum scandali, et alia sententia non notaretur tanquam erronea, et praescripta a *Sixto IV.* servarentur. Anno 1616. *Paulus V.* per Constit. *Regis Pacifici*, innovavit Constitutiones *Sixti IV.* et *Pii V.* Anno sequente idem per decretum: *Sanctissimus*, prohibuit omnibus immaculatam B. V. Conceptionem impugnare publice; poterat tamen adhuc impugnari in privatis colloquiis; defendere autem eam licebat tum publice, tum privatim, modo oppositae sententiae

non fieret mentio gravis. Anno 1622. *Gregorius XV.* per decretum: *Sanctissimus*, statuit, ne deinceps etiam in sermonibus et scriptis privatis quisquam audeat asserere, quod B. Virgo fuerit concepta in peccato originali, simulque praecepit, ut tam in Missa, quam in Breviario non aliud, quam Conceptionis nomine adhibeatur. Denique anno 1662. *Alexander VII.* novo decreto praefatas Constitutiones innovavit, et easdem sub censuris et poenis in iis contentis observari mandavit; postea haec addit: *Insuper omnes et singulos, qui praefatas Constitutiones ita pergent interpretari, ut favorem per illas dictae sententiae* (scil. quae affirmat, quod anima B. Virginis Mariae in primo instanti creationis, atque infusionis in corpus fuerit speciali Dei gratia, intuitu meritorum Christi, a macula peccati originalis praeservata) *et festo, seu cultui secundum illam exhibito frustrentur, vel qui hanc sententiam, festum seu cultum in disputationem revocare, aut contra ea quoquo modo, directe vel indirecte, aut sub quovis praetextu ejus definibilitatis examinandae, sive sacram Scripturam, aut sanctos Patres, sive Doctores glossandi vel interpretandi, scripto seu voce, loqui, concionari, tractare, disputare, contra ea quidpiam determinando aut asserendo, vel argumenta contra ea afferendo et insoluta relinquendo, aut alio, quovis excogitabili modo disserendo ausi fuerint; praeter poenas et censuras in Constitutionibus Sixti IV. contentas, quibus illos subjacere volumus et per praesentes subjicimus, etiam concionandi, publice docendi et interpretandi facultate, ac voce activa et passiva in quibuscunque electionibus eo ipso absque alia declaratione privatos esse volumus.... Innovantes Pauli V. et Gregorii XV. Constitutiones ac Libros, in quibus praefata sententia, festum seu cultus secundum illam in dubium revocatur, aut contra ea quomodocunque aliquid scribitur ac legitur, seu locutiones, conciones, tractatus et disputationes contra eam continentur, post Pauli V. supra laudatum decretum edita, aut in posterum quomodolibet edenda prohibemus sub poenis et censuris in indice librorum prohibitorum contentis, et ipso facto absque alia declaratione pro expresse prohibitis haberi volumus et mandamus.*

Personale est, quo propria peccantis voluntate committitur. Hoc iterum aliud est *commissionis* quando ponitur actio prohibita, v. g. furtum; aliud *omissionis*, dum omittitur res praecepta, v. g. Missa die festo. Ad peccatum vero omissionis, tria requiruntur: 1. quod quis possit non omittere: 2. quod teneatur non omittere: 3. quod vere omittat. Porro hic notandum, ex eo quod B. Virgo in templo obtulerit duos pullos columbarum, unum in holocaustum, alterum pro peccatis, neutiquam erui potest, ipsam indiguisse purificatione, filiumque ejus, qui offerebatur, etiam macula matris maculatum esse, ut patet ex proposit. 24. ab *Alex. VIII.* damnata. *Primo* quidem ex Incarnatione Verbi nullam maculam realem contraxit, unde purificatione indigeret, quia ad Christum concipiendum virtus Altissimi obumbravit illam; ergo nulli libidinis maculae fuit obnoxia. *Confirm.* Lex purificationis solum obligabat mulieres, quae suscepto semine masculum parerent, ut libidinis macula mundarentur; ergo purissima Virgo ipsis verbis legis a purificatione eximebatur. *Secundo.* Nec indigebat purificatione ob maculam ullam legalem ex partu; in partu enim virginitatem non amisit, ut docet fides contra Jovinianum et alios. Cum dicatur Isaiae 7. *Ecce Virgo concipiet, et pariet.* Praeterea sine dolore et sine ullis sordibus peperit Christum. *Tertio.* Nec indigebat purificatione ob praesumptionem alicujus maculae legalis, quia in illis tantum casibus contrahebatur immunditia legalis et opus erat purificatione, in quibus id lex exprimebat: atqui non exprimitur, quod, quaecunque peperit, sit immunda ex praesumptione sordium, sed specialiter additur, quae *suscepto semine peperit*; ergo. *Viva* in cit. propos.

Secundo. Dividitur peccatum personale in actuale et habituale. *Actuale*

est ipse actus vel omissio difformis legi. *Habituale* est ipsum actuale antea commissum nondum retractatum, vel non remissum a Deo, adeoque moraliter perseverans. Peccatum, quod committitur ex contracto habitu, dicitur habituatum, sive factum ex consuetudine.

Tertio. Aliae subdivisiones fere ex terminis notae sunt, v. g. 1. *Peccata carnalia* sunt, quae in delectatione carnis perficiuntur, ut gula, luxuria. *Spiritualia*, quae consummantur delectatione spirituali, licet eorum objecta possint esse aliquid materiale, v. g. superbia, invidia, avaritia etc. 2. *Peccata contra Deum* sunt, quae immediate et specialiter motivis illarum virtutum repugnant, quibus obligamur tendere in Deum, v. g. fidei, spei, charitatis et religionis, quibus directe repugnant infidelitas, desperatio, odium Dei, blasphemia etc. *Peccata contra proximum* sunt, quae specialiter repugnant charitati proximi, ut homicidium, furtum etc. *Contra nos ipsos*, quae specialiter sunt contra temperantiam et moderationem passionum. 3. *Peccata infirmitatis* dicuntur, quae ex gravi tentatione: *ignorantiae*, quae ex errore culpabili: *malitiae*, quae ex malitiosa determinatione voluntatis potius, quam ex tentatione aut errore fiunt. 4. *Peccata cordis, oris et operis* dicantur, prout cogitatione, verbo vel opere perficiuntur.

277. R. III. Denique peccatum dividitur in mortale et veniale. *Mortale* est libera transgressio legis obligantis graviter, hoc est, sub dissolutione divinae amicitiae et reatu poenae aeternae. *Veniale* est libera transgressio legis tantum leviter obligantis, aut legis graviter obligantis non perfecte libera. *Illud* vocatur mortale, quia mortem infert animae, privando eam gratia habituali, quae est vita animae. De hac Sap. 16. v. 14.: *Homo per malitiam occidit animam suam. Hoc* vero veniale vocatur, quia relinquit principium veniae, cum non tollat gratiam et amicitiam licet minuat fervorem charitatis.

Adverte. Mortale aliud est *per se, et ex genere suo*, quod secundum se et ex specifica sua ratione, quam haurit ex proprio objecto graviter prohibito, seclusa alterius speciei malitia, potest esse mortale. Hujusmodi peccata sunt, quae committuntur contra virtutes theologicas, praecepta Decalogi et Ecclesiae. *Per accidens* vero mortale dicitur, quod secundum se quidem ratione objecti leve est, aliunde tamen per accidens grave fit, v. g. ratione contemptus, scandali, periculi etc. *Laym.* L. 1. t. 3. c. 5.

Veniale triplex est: 1. *Veniale ex genere suo*, quod absolute spectatum ex objecto seu materia, circa quam versatur, non trahit gravem malitiam, adeoque manens inter speciem suam non potest fieri mortale. sic mendacium semper manet veniale, nisi ratione damni, vel alterius circumstantiae transeat ad aliam speciem. 2. Veniale ex levitate vel parvitate materiae. 3. Ex imperfectione actus, de quibus infra.

278. Denique juxta *S. Thom.* 1. 2. q. 71. a 6. ad 5. *a Theologis consideratur peccatum praecipue, secundum quod est offensa contra Deum; a Philosopho autem morali, secundum quod contrariatur rationi.* Non dari peccatum pure philosophicum, scil. quod graviter quidem repugnet rectae rationi, et tamen non sit transgressio legis divinae et offensa Dei patet ex propos. 2. ab *Alex. VIII.* damnata. *Ratio* est, quia dum attingitur peccatum ut disconveniens naturae rationali sive rectae rationi, hoc ipso attingitur ut disconveniens legi aeternae, sive ut prohibitum a Deo; dictamen enim rationis est quasi praeco divinae voluntatis. *Viva* de duabus propos. ab *Alex. VIII.* damnatis, ubi praeterea asserit, sensum propositionis damnatae esse quod peccatum grave philosophicum non sit offensa Dei in illo, qui Deum ignorat, vel de Deo actu non cogitat vincibiliter, non vero dum ignorat invincibiliter; talis enim ignorantia excusat a peccato mortali. Negatur autem suppositum, quod detur ignorantia Dei invincibilis ad longum tempus.

279. Merito etiam damnata est ab *Alex. VIII.* propositio 9. ex 31.; quod revera peccet, qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem et discon-

venientiam cum natura sine ullo ad Deum offensum respectu. *Ratio est*: quia impossibile est, ut peccet sive inhoneste agat, qui juxta rationis rectae dictamen operatur: atqui si quis ex supposito Deum ignoraret, et odio haberet v. g. furtum, quia naturae rationali dissonat, juxta rationis rectae dictamen operaretur: ergo. Ita *Viva* in cit. propos. ubi tamen monet, hoc odium, ut disponat ad gratiam, debere procedere ex motivo turpitudinis cognito ex fidei lumine.

§. II. *Principia generalia ad formandum rectum judicium de peccato mortali et veniali.*

280. Principium I. *Ad peccatum mortale tria requiruntur.* 1. *Ex parte intellectus plena advertentia ad legem, vel mortalem malitiam objecti.* 2. *Ex parte voluntatis perfectus consensus.* 3. *Ex parte objecti gravitas materiae*: in quibusdam autem peccatis nequidem datur parvitas materiae. Quoad primum et secundum *Suarez* Disp. 2. de pecc. sect. 5. n. 22. ait, ad peccatum mortale necessarium esse consensum perfectum et deliberatum; quia sicut gravitas malitiae objectivae nullo modo cognita, etiam nullo modo est volita (nihil enim volitum, nisi praecognitum); ita eadem gravitas non perfecte et plene cognita etiam non est plene et perfecte volita (volitio enim sequitur modum cognitionis): ergo etiam advertentia nonnisi perfecta, et plenus consensus possunt refundere in actum plenam sive gravem malitiam formalem. *Confirm.* 1. In negotiis et contractibus magni momenti inter homines requiritur plena advertentia ad onera et obligationes inde emergentes, alioquin non censetur quis iis subjacere: ergo etiam non videtur incurrere odium Dei, et mereri aeternam damnationem, qui vel non advertit actus, vel objecti sui malitiam, nec ad periculum malitiae gravis, vel non satis libere in eam consentit. Vide *La Croix* L. 5. de pecc. n. 16. et n. 216. cum plurimis gravissimis AA., ubi etiam solvit argumenta *Elizaldae* et *Camargo*. Praeterea ad peccatum mortale et demeritum in statu naturae lapsae non sufficit illa libertas, qua voluntarium ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, et voluntate Adami peccantis, ut patet ex propos. 1. ab *Alexandro VIII.* damnata; quia in statu naturae lapsae sive corruptae (in quo justitia originali exuti et peccato contaminati nascimur) nulla necessitas peccandi est transmissa in homines ab Adamo libere peccante, neque Adae peccato libertas amissa, nec extincta fuit, sed in nostra potestate adhuc est, tentationi consentire, vel eidem resistere, et praecepta implere cum divina gratia, uti patet ex *Scrip.* et *Trid.* sess. 6. can. 5. et 6.: tum quia ad meritum et demeritum non sufficit libertas a coactione, sed requiritur libertas indifferentiae sive a necessitate: cum nemo censeatur laude ac praemio, probro ac poena dignus, qui habet necessitatem operandi, uti patet in pueris, amentibus, et dormientibus. Hinc Eccl. 31. *Beatus* (dicitur) *vir, qui potuit transgredi, et non est transgressus:* et *S. Aug.* L. 3. de lib. arb. C. 18. ait, *Quis peccat in eo, quod nullo modo caveri potest?* Hinc etiam merito damnata haec propositio Jansenii: *Ad merendum et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.* Item propositio 39. inter Bajanas: *Quod voluntarie fit, etiamsi necessarie fiat, libere tamen fit:* et 67. *Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necessario facit.* Vide *Viva* in citata propositione.

281. *Adverte I.* Mortale ex genere suo potest fieri veniale; 1. Ex conscientia erronea, qua quis invincibiliter judicat, hoc esse veniale, quod de se est mortale. *Vide dicta de Conscientia erronea.* 2. Ex defectu perfectae advertentiae ad legem vel malitiam objectivam. Ita expresse *S. Thom.* 1. 2. q. 88. art. 2. in corp.: *Ex parte agentis contigit, quod aliquod peccatum, quod ex suo genere est mortale, sit veniale, propter hoc scilicet, quod actus est*

imperfectus, id est non deliberatus ratione. 3. Ex defectu perfecti consensus. *Ratio utriusque* (praeter dicta praeced. n.) quia quodvis peccatum mortale summam includit malitiam ob liberam transgressionem legis divinae: ergo quando voluntas non perfecte libere, nec satis deliberate consentit, non potest dici perfecte libere transgredi legem: ergo nec videtur accusari posse summae malitiae: non tamen requiritur ad mortale summa omnino advertentia: sufficit enim si sit de se verus ac deliberatus consensus. 4. Ob parvitatem materiae, si nimirum haec tam secundum se, quam secundum circumstantias considerata, sit et maneat levis.

282. *Si quaeris:* Quaenam censeatur plena et sufficiens advertentia ad peccatum mortale. R. 1. cum *Reiffenst.* in Theol. Mor. t. 3. dist. 2. n. 10. Si consensum praecedat expressa (alii vocant actualem) cogitatio malitiae moralis vel periculi, vel saltem expressa aliqua dubitatio: quia si nihil horum praecesserit, censetur adfuisse vel naturalis inconsiderantia objecti prohibiti, vel oblivio obligationis incumbentis. R. 2. cum *Th. Sanch.* in Decal. L. 1. c. 2. n. 10., quod tunc adsit perfecta deliberatio, quando ratio perfecte advertit objectum malum quoad circumstantias, quibus moveri potest ad illud excutiendum. Ibidem plenam advertentiam, et satis deliberatum consensum explicat in homine, qui plene excitatus a somno, sine turbatione aut alio impedimento advertit, quid agat, circa quid versetur etc.: semiplenum vero in homine nondum plene a somno excitato, qui nonnisi obscure et turbata mente objectum, vel actum malum advertit. Recte tamen *La Croix* de pecc. n. 223. ait: Ad peccatum mortale non requiritur reflexa advertentia, sive ut cognoscam me advertere, sed sufficit cognitio directa malitiae, et ut postea illam velim. Neque (ut ait *Oviedo*) requiritur cognitio formalis ipsius actus, sed sufficit cognitio malitiae objectae, vel legis talem actum prohibentis. Malitia autem objectiva tunc sufficienter cognoscitur esse gravis, quando advertitur esse inductiva odii Dei, aut poenae aeternae.

283. *Adverte II.* de peccato veniali sequentia. 1. Peccata venialia, quantumcunque multiplicata, per se loquendo, et ratione multiplicationis nunquam possunt constituere mortale. *S. Thom.* 1. 2. q. 88. a. 8. in corp., quia mortale est altioris ordinis, et plura individua unius speciei non constituunt aliam speciem. Ideo non peccat mortaliter, etiamsi quis per Quadragesimam semel quotidie extra statuta tempora comederet modicum quid; sic enim materiae parvae nec secundum se, neque secundum effectum moraliter coalescerent. Nihilominus venialia disponunt ad committenda facile mortalia: nam *qui spernit modica, paulatim decidet* Eccli. 19., et hoc innuit *S. Thom* l. c. *Ratio* est: quia venialia minuunt fervorem charitatis, et auxilia extraordinaria ad superandas graviores tentationes, voluntatem proclivem reddunt ad peccata graviora, maxime si veniale et mortale tendant ad idem objectum: sic furunculi brevi evadunt fures. Juxta *Sanchez.* L. 1. Moral. c. 5. num. 4. ille peccat mortaliter, qui vult committere omnia venialia, quotquot committenda occurrent, et vitare sola mortalia, eoquod talis se exponat apertissimo periculo peccandi mortaliter. *Sporer* autem T. 1. Proem. c. 1. n. 41. cum *Palao, Tambur.* et aliis contrarium docet, quod talis non excedat culpam venialem, quia malitia actus interni sumitur ab objecto, prout proponitur a ratione: atqui objectum hujus voluntatis sunt solum omnia venialia, et nulla malitia mortalis proponitur a ratione: ergo. Prior sententia videtur tunc esse verior, quando venialia sunt proxima, et probabilis dispositio ad mortale, v. g. si quis ex proposito admittat quasvis confabulationes turpes, aspectus, tactus tantum venialiter malos, vel si Religiosus nollet servare statuta et regulas, nisi eas, quae obligant sub mortali: quia in his casibus est periculum peccati gravis, scandali aut damni in disciplina. *Sanch., Sporer* l. c., *Bassaeus* V. *Peccatum.* n. 8.

284. 2. Venialia multiplicata, quae ratione materiae concrescentis, vel ratione effectus moralem habent inter se connexionem, fiunt mortale, si quis di-

recte intenderet congregare sufficientem quantitatem ad mortale, aut causandi effectum graviter malum: v. g. qui saepius furatur quid modicum ex intentione colligendi magnam quantitatem, is singulis furtis peccaret graviter, quia singula furta adhibet tanquam media proxima nocendi graviter. *Sporer* l. c. num. 45. cum *Sanchez*, *Laymann* et aliis. Item qui die jejunii saepe modicum quid comederet, et nihilominus plurium transgressionum parvae materiae ob aliquem ordinem inter se moraliter uniuntur, sive coalescunt secundum effectum ab ipsis producendum, v. g. dum quis plura levia furta committit, tunc demum malitia mortalis completur in ultima transgressione, v. g. illo ultimo furto, quod in se quidem leve, sed cum praecedentibus grave reputatur, quia tunc censetur consentire in totum damnum.

285. 3. Veniale ex genere suo fit mortale: 1. vel ratione conscientiae erroneae, si peccatum quod committis, judices esse mortale: vel ratione scandali gravis, vel magni detrimenti: 2. ratione finis vel effectus moraliter mali, ut expresse docet *S. Thom.* l. c., v. g. si quis ex levi peccato intendat gravissimas rixas, odia, suspiciones etc.: 3. ratione affectus nimis inordinati, v. g. quando quis mavult Deum graviter offendere, non audiendo Sacrum die festo, quam abstinere a lusu, otioso colloquio etc.: 4. ratione periculi proprii, ut si quis in verba turpia, curiosam lectionem, conversationem familiarem se exponat periculo gravis peccati aut tentationis; 5. ratione contemptu formalis, qualem committit is, qui agit vel omittit aliquid ideo, quia praeceptum est, sive ut ostendat se nihili facere legem aut legislatorem. *Palao*, *Sporer* de pecc. a n. 31. *Adverte.* Ex peccato veniali nunquam fit mortale hoc sensu, quod idem numero actus primo sit peccatum veniale, postea mortale, ut monet *S. Thom.* loc. cit.

286. Principium II. *Distinctio specifica moralis peccatorum ultimate desumitur a praeceptis formaliter diversis. Palao* t. 2. d. 3. punct. 1. cum *Azor*, *Vasq.*, *Valent.*, *Sales* et aliis. *Ratio* est: quia peccatum intrinsece est transgressio legis sive praecepti; ergo illa peccata inter se differunt specie morali, quae opponuntur praeceptis formaliter sive moraliter diversis. Dixi 1. *Specie morali*, sive in aestimatione morali quoad diversam malitiam: hic enim non attendimus ad diversitatem physicam actuum. Sic licet ambulare et ludere sine actus specie physica diversi, quatenus tamen sunt causa neglecti Sacri, non differunt specie morali, quia sic opponuntur uni tantum praecepto audiendi Missam, contra quod aequaliter peccatur, sive propter deambulationem, sive propter lusum omittatur Sacrum. Econtra unus idemque actus physicus, homicidium in templo perpetratum continet in se plures species malitiae moralis, scilicet homicidii et sacrilegii, in confessione explicandas, quia praeceptis formaliter diversis repugnat. Dixi 2. *Praeceptis formaliter diversis:* sic licet simplex furtum sit transgressio legis naturalis, divinae et humanae, non tamen habet tres malitias specie diversas, sed tantum unam; quia opponitur praecepto non furandi, quod est formaliter, et secundum moralem aestimationem unum, quamvis a pluribus legislatoribus, vel ab uno saepius positum.

287. *Si quaeras*: quaenam praecepta dicantur formaliter diversa. R. Cum *P. Herzig.* p. 1. Man. Confess. n. 78. qua versantur 1. vel circa materiam *notabiliter diversam*, ut praeceptum jejunii et audiendi Missam: 2. vel circa eandem quidem materiam, sed ex diversis motivis formalibus, v. g. dum praecipitur jejunium ex motivo temperantiae, et Superiore ex motivo obedientiae: 3. si aliunde constet, quod legislator intendat diversam obligationem. Ubi vera materia est eadem, idem motivum, intentio legislatoris eadem, leges tantum *materialiter diversae* sunt, quales sunt, quibus praecipitur jejunium in Quadragesima, Vigilia, et Quatuor Temporibus.

288. Si cui difficilior videatur unica haec regula, in praxi poterit reflectere ad regulas aliorum hoc versu comprehensas:

Virtus, praeceptum, diversa objecta, modusque
Peccatis speciem dant, diversumque reatum:

hoc est, diversitas specifica peccatorum desumi potest: 1. ab oppositione cum diversis virtutibus, ut patet in furto, quod est contra justitiam; et in ebrietate, quae est contra temperantiam: 2. a diversis praeceptis, ut dictum est: 3. a diversis objectis formalibus, sive motivis prohibendi: 4. a diverso modo, quo homo tendit in objecta mala. Sic odium proximi ex modo tenendi aliud est leve, aliud grave. Idem ex diverso modo, quo peccata opponuntur eidem virtuti: sic specie differunt avaritia et prodigalitas; quia haec per excessum, illa per defectum opponitur liberalitati.

Ex quibus patet, quod peccatum, ex suo objecto habens unicam tantum malitiam, saepe ex circumstantia finis, loci, rei aut personae sacrae accipiat malitiam specie distinctam, ideoque ejusmodi circumstantiae dicuntur speciem mutantes: econtra quae tantum aggravant intra eandem speciem, ut major quantitas in furto, major intensio, duratio in affectibus, dicuntur aggravantes, de quibus plura in P. 2., et apud *P. Stoz* L. 1. p. 1. q. 1. §. 3.

289. *Principium III.* ad cognoscendam distinctionem numericam peccatorum, sive ut quis colligere possit, quod in uno vel pluribus physice actibus ab eodem operante elicitis sit tantum unica, vel plures malitiae morales, ac peccata solo numero distincta, observandae sunt duae sequentes regulae.

1. *Tot sunt numero distincta peccata* (tum in diversis actibus, tum in eodem physice actu) *quot sunt objecta prohibita numero distincta, moraliter non unita, in quae actus peccaminosus tendit.* Ita *Azor* tom. 1. L. 4. c. 4. q. 3., *Filliucius* t. 21. c. 8. n. 19., *Babenst.* t. 2. d. 3. a. 3. n. 4. *Ratio* regulae est: idem actus malus tendens in plura objecta specie morali diversa contrahit plures malitias specie diversas, ut dictum est in princ. praeced.; ergo etiam idem actus tendens ad plura numero objecta moraliter non unita contrahit plures numero malitias: malitia enim peccati sumitur ex ordine ad objectum, ut est difforme legi vel rectae rationi. Porro illa objecta dicuntur numero distincta, et moraliter non unita, quae nec ex sua natura, nec ex communi hominum usu aut prudentum judicio ordinantur ad eundem finem seu idem peccatum complendum; item (ut addunt *Haunoldus* et *Dicastillo*) quae nec se mutuo possunt augere, ne communiter invicem compensabilia aut communia invicem sunt, sed habent proprias rationes completas et disparatas. Hinc plura numero peccata committit, qui in uno actu sciens ac volens tres homines occidit: qui in uno discursu pluribus detrahit: qui durante eadem voluntate peccandi fornicationem saepius repetit: qui a pluribus furatur unica etiam actione furti; haec enim objecta, scilicet unum homicidium, detractio respectu unius hominis, copula fornicaria, furtum uni illatum non ordinatur ad aliud complendum, sed quodlibet in sua specie est completum, per quodlibet laeduntur tot distincta jura, et tot distincta numero praecepta, quot sunt distincti homines, quot distincta moraliter objecta: ergo etiam tot sunt peccata numero distincta. Econtra unum numero peccatum committit, qui simul ab eodem aufert centum imperiales, quia hi unam moraliter summam gravem constituunt. Alii cum *Suarez* dicunt quod is, qui unico actu tres v. g. homines occidit unicum peccatum committat, sed gravius; ita ut debeat exprimi in confessione. Vide *Reiffenst.* de pecc. dist. 1. n. 57. Alii vero dicunt quod triplex homicidium committat, quia trium jura violat, quae singuli habent in suam vitam, nec ordinantur ad unum jus, nec se mutuo augent, nec inter se commutantur aut compensantur; idem dicendum de juribus, quae competunt diversis hominibus in suam famam, pecuniam etc., jura autem quae idem homo habet in suam pecuniam, frumenta etc., se mutuo augent, eundem finem respiciunt, invicem commu-

tari ac compensari possunt, sicut una pecunia auget aliam, frumentum auget aliud etc., et omnia collective sumpta referuntur ad divitias ejusdem et ad eandem necessitatem vitae sublevandam, et in commercio humano inter se sunt commutabilia: ergo in his unitas moralis admittenda est, si pertineant ad eundem. Vide *La Croix* L. 5. num. 151. Pariter duo numero peccata committit, qui duobus diebus non jejunat, vel non audit Sacrum, licet utrumque pro diversis diebus ex eodem motivo temperantiae et Religionis sit praeceptum: quia singulae transgressiones sunt completi et distincti numero actus. Hinc sit

290. 2. *Regula. Toties peccata interna vel externa multiplicantur numero, quoties ponuntur actus realiter distincti non uniti moraliter*, aut *quoties voluntas peccandi moraliter interrumpitur, etsi circa idem numero objectum contingat. Babenst.* l. c. n. 7. cum *comm. Ratio* est: quia toties multiplicantur peccata numerice, quoties destruitur moralis unitas actuum peccaminosorum: atqui haec toties destruitur, quoties interrumpitur moralis voluntas peccandi: voluntas enim est principium, a quo dependet actus in esse voluntarii et moralis: ergo. *Confirm.* Quando actus moraliter interrumpuntur, disceditur ab objecto peccaminoso: ergo complentur: ergo etiam non continuantur cum aliis: ergo illi per se et independenter ab aliis peccata sunt. Econtra sicut plura objecta moraliter unita, ita actus moraliter uniti, quamvis physice sint distincti, moraliter tamen censentur quid unum, et constituunt unum numero peccatum.

291. *Si quaeras* 1. Quinam actus moraliter dicantur uniti. R. Illi, qui vel tanquam media ad eundem finem, vel tanquam partes et complementa ad eundem effectum referuntur; v. g. qui proponit occidere inimicum, sumit gladium, quaerit inimicum, inventum occidit; hic committit unicum numero peccatum et satisfacit in confessione dicendo: Deliberato animo commisi homicidium: intentio enim finis, electio mediorum, eorum executio et consecutio finis in tali casu unus actus censentur.

292. *Si quaeras* 2. Quando voluntas peccandi moraliter interrumpatur. R. Generaliter, si ipsius actus nec in se formaliter, nec in aliquo effectu virtualiter, nec secundum hominum aestimationem perseveret. Speciatim vero. 1. Quando plures actus *successive* exercentur circa plura objecta complete distincta, v. g. si detrahas Paulo, postquam detraxisti Petro. 2. Quando actus voluntatis retractatur vel *formaliter* per *poenitentiam*, v. g. si desiderium peccandi voluntarie habitum detesteris, et tamen postea pecces: vel *interpretative* per *cessationem voluntariam et notabilem* ab actu sine positiva retractatione: quod tunc contingit, quando animus deliberate convertitur ad aliquid cum actu antecedenter intento incompossibile, v. g. si quis proponat hac nocte committere grave furtum, postea memor propositi, domi maneat, et cubitum concedat, sequenti vero nocte furtum committat, distinctum peccatum committit. *Layn.* de pecc. c. 3. n. 4. Tunc autem cessatio censetur notabilis, quando inter plures actus nullo voluntatis affectu antea connexos tanta intercedit mora temporis, ut judicio prudentum discontinuari judicentur.

Dixi: *Per voluntariam cessationem*; si enim animus involuntarie tantum et indeliberate ab actu interno divertatur, v. g. per somnum naturaliter obruentem, ebrietatem, vel per involuntariam distractionem ad alia, et postea idem propositum renovetur, non censetur voluntas peccandi moraliter interrumpi, adeoque peccatum consequens erit numero idem cum priore, nisi iterum haec distractio, oblivio, turbatio duraret valde notabili tempore, v. g. per tres aut quatuor dies.

293. *Principium IV.* De morosis delectationibus, desideriis, aliisque pravis affectibus observanda sunt sequentia.

Primo. Peccatum ordinarie solet fieri sequenti modo: 1. Excitatur sive a daemone *per suggestionem*, sive ab extrinseco per visum, auditum, sive ex

naturali dispositione, aut infirmitate imaginatio rei delectabilis vel odibilis in phantasia (*ecce tentationem*: sic Evae suggessit serpens Genes. 3. *Cur praecepit vobis Deus, ut non comederetis ex omni ligno paradisi?*). Exinde interdum naturaliter et necessario oritur motus appetitus sensitivi, hic vocatur motus *primo primus* et caret omni culpa, teste *S. Aug.* L. 3. de lib. arbit. c. 25. apud *Laym.* de pecc. c. 5 n. 11. De hoc *S. Paulus* Rom. 7. v. 19.: *Non enim, quod volo bonum, hoc facio, sed quod nolo malum, hoc ago;* et v. 23. *Video aliam legem in membris meis etc.* Dixi: *Caret omni culpa:* quia talis motus est ante omnem rationis deliberationem et advertentiam ad honestatem vel malitiam objecti; imo alias noceret concupiscientia non consentientibus, id quod reprobatur a *Trid.* sess. 5. 2. Per conjunctionem et excitationem peccatorum fit cogitatio in intellectu, sive suboscura, semiplena et imperfecta advertentia ac deliberatio intellectus, qualis est in semi-dormientibus, semi-ebriis, consternatis aut habentibus animum vehementi passione irae, timoris etc. perturbatum, vel alienis cogitationibus implicatum, adeo ut ad illud, quod agunt, vel saltem ad actionis malitiam, ejusque periculum plene non advertant; oritur simul motus vehementior appetitus sensitivi (ecce motum *secundo primum*, qualis incitavit Evam ad videndum fructum prohibitum) de hoc *S. Thom.* 1. 2. q. 74. a. 3. ad 2. ait, *Motum sensualitatis, qui praevenit rationem* (scilicet perfectam *esse peccatum veniale*). 3. Huic motui dum non resistitur, sequitur plena advertentia objecti, vel actus honesti aut inhonesti, affectio voluntatis, complacentia vel displicentia deliberata; si displicentia, resistitur vel avertendo animum ad aliud objectum, vel exercendo actum virtutis, vel detestando suggestionem, vel invocando Deum, ut liberet a malo; si vero complacentia, dicitur delectatio (ecce primum gradum peccati mortalis, si objectum sit graviter malum, quia hic actus est plene deliberatus et voluntarius). 4. Hic affectus est vel efficax vel inefficax. *Inefficax* est simplex complacentia, vel delectatio deliberata de re illicita cogitata absque voluntate illam opere perficiendi. *Filliuc.* t. 21. c. 8. n. 276. Vocatur etiam consensus simplex, vel *delectatio morosa*, non quod requirat moram temporis, brevissimo enim tempore perfici potest; sed quod voluntas post plenam advertentiam ei immoretur, acquiescat et consentiat, et haec delectatio morosa vel graviter vel leviter est peccaminosa pro qualitate objecti graviter vel leviter prohibiti. *Efficax* vero dicitur affectus voluntatis, qui conjungitur cum proposito vel desiderio exequendi id, quod cogitatum est, et hoc est distinctum a morosa tantum delectatione peccatum in confessione specialiter exprimendum: et hic est secundus gradus peccati. Tertius denique opus ipsum peccaminosum completum. Sic Eva postquam *vidit, quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis, aspectuque delectabile, tulit de fructu illius, et comedit.*

294. *Secundo.* Desiderium sive affectus efficax voluntatis habet illam malitiam, quam habere cognoscitur objectum volitum, v. g. qui desiderat fornicari cum conjugata, consanguinea etc. praeter fornicationem contrahit malitiam adulterii etc. *Spor.* t. 1. c. 6. n. 18. *Ratio est:* quia talis affectus tendit in rem, prout a parte rei est; ergo attrahit totam malitiam, quae objecto a parte rei inesse cognoscitur. Idem est si quis gaudeat, delectetur vel glorietur de re illicita commissa.

Econtra delectatio tantum morosa non circa peccatum jam commissum, sed circa objectum prohibitum tantum contrahit illam malitiam, a cujus delectabilitate voluntas movetur: potest autem contingere, ut voluntas tantum moveatur a delectabilitate v. g. solius copulae, et non moveatur, imo potius abstrahatur a circumstantia matrimonii, vel consanguinitatis, vel voti, quamvis sciat hanc in objecto reperiri, ideoque malitia talis circumstantiae non contrahitur, et sufficit in confessione exprimere delectationem morosam de

fornicatione: secus si ipsa circumstantia simul deliberate oblectasset. Vide *Laymann* de pecc. c. 6. n. 15., *Azor*, cum *Pasq.* et aliis. Circumstantia autem personae peccantis semper refundit suam malitiam etiam in actum delectationis morosae: ideo Sacerdos se oblectans in cogitatione turpi, admittit sacrilegium, quia talis circumstantia cohaeret personae; et exercite saltem cognoscitur, nec quisquam potest praesumi sui status ita esse immemor, ut propterea possit prudenter excusari.

295. *Tertio.* Aliud est delectari de re cogitata v. g. furto, ita ut ratio delectationis sit ex ipso furto, cogitatio vero sit tantum conditio applicans rem cognitam. Aliud est delectari de cogitatione rei v. g. furti, ita ut ratio delectationis sit tantum ipsa rei cognitio: et talis cogitatio etiam rei malae per se mala non est, sed interdum bona: sic Theologus gaudet licite et bene, dum bene scit distinguere inter varia genera et species peccatorum, Deus ipse cognoscit mala. Confessarius audit pessima. Denique aliud est, delectari de modo operandi male, v. g. si cui placeat furtum artificiosum, vel raptus ingeniosus alienae sponsae, talis non peccat, quia non gaudet de ipso peccato, v. g. furto, vel rapto sponsae, sed tantum de modo, vel artificio de se non malo. *NB.* In materia lubrica id valde est periculosum, quia delectatio circa modum facile transit in ipsum objectum ob nimiam vitiatae naturae propensionem.

§. III. *Resolvuntur Casus.*

Casus I.

Albinus praeceptor quoties instruit discipulos suos, inhonestis cogitationibus infestatur et motibus: idem illi contingit, quoties casus in AA. legit: et quamvis saepius per diem repetat propositum potius moriendi, quam consentiendi, quia tamen continuo redeunt tentationes et tenacius inhaerent, hinc valde anxius est, an non consenserit aliquoties.

296. *Q.* I. Quaenam sint signa deliberationis, vel advertentiae imperfectae. R. Juxta n. 282. 1. Si quis velut semidormiens apprehenderit malum. 2. Si vere semidormiens, vel semiebrius fuerit, hoc vel illud agendo. 3. Si vehementi passione aut distractione turbatus fuerit. 4. Si post factum rem melius considerans judicet, quod omnino non fecisset, si ita cognovisset, vel plene sibi praesens aut mente serena fuisset.

297. *Q.* II. Quaenam in dubio sint signa nullius aut imperfecti consensus. R. Sequentia: 1. Si is, qui dubitat, serium animum, et saepe repetitum propositum habuerit nunquam peccandi mortaliter, ideoque habitualiter ita comparatus sit, ut malit mori, quam peccato consentire (uti videtur comparatus fuisse Albinus) talis prudenter praesumere potest, se non consensisse; quae enim serio ac saepe detestamur, ea, si re ipsa contra propositum amplectamur, facile advertimus. Econtrario consuetudinarius aut parum abhorrens a peccato facilius potest praesumere, se vere consensisse. 2. Si dubitans, quamprimum se reflectit super cogitationes pravas vel motus, statim sentiat dolorem, aversionem, tristitiam, horrorem etc. prudenter praesumere potest, se nullo modo tentationi inhaesurum fuisse, si ad actum melius advertisset. 3. Si dubitans sit timoratae conscientiae, et alias non soleat consentire in ejusmodi peccatum, sed ad tentationem se reflectens terreatur, et mox eam conetur reprimere. 4. Si post tentationem meminerit, se valde timide processisse, conatum impendisse ad resistendum, atque ita constitutum fuisse, ut, si in ipsa tentatione fuisset interrogatus, num amplectatur illam voluptatem, certo responsurus fuisset, se nolle consentire etc. 5. Si (ut dictum est) dubitet, an plene vigilans, an dormiens, an plene sui compos, an impos quidquam facere voluerit; perfecte enim vigilans satis be-

ne scit, quid agat. 6. Addit *Sanch.* in Decal. L. 1. n. 17. Si dubitans potuit facile exequi peccatum, et non executus est. 7. Si adsit defectus aetatis, ut si septennium necdum sit expletum, nisi malitia certo suppleat aetatem. Recte hic monet *Herzig* c. 2. de qual. Confess. n. 67. cum *Stoz*, solam delectationis perseverantiam non esse semper sufficiens signum praestiti consensus. Denique universaliter loquendo, haec indicia sunt quidem conjecturae non inanes de non praestito consensu, neque tamen pro quolibet casu particulari manifeste probant, consensum non fuisse praestitum, sed decisio pendet ex prudenti judicio Confessarii, qui spectato statu poenitentis facile alias regulas noverit applicare.

Juvat hic etiam annotare doctrinam s. Gregorii ex L. 12. Registri ad Augustinum Anglorum Episc. c. 11. ubi ait: *Necessaria est magna discretio, ut inter suggestionem, delectationem, atque consensum judex sui animus praesideat. Cum enim malignus spiritus peccatum suggerit in mente, si nulla delectatio sequatur, peccatum omnimode perpetratum non est. Cum vero caro delectari coepit, tunc peccatum incipit nasci. Si autem etiam ad consensionem ex deliberatione descendit, tunc peccatum cognoscitur perfici. In suggestione igitur peccati semen est: in delectatione fit nutrimentum: in consensu perfectio. Et saepe contingit, ut hoc, quod spiritus malignus seminat in cogitatione, caro in delectationem trahat, nec tamen animus eidem delectationi consentiat; et cum caro sine anima delectari nequeat, ipse tamen animus carnis voluptatibus reluctans, in delectatione carnali aliquo modo ligatur invitus, ut ei ex ratione contradicat, nec consentiat, et tamen delectatione ligatus sit, sed ligatum se esse vehementer ingemiscat.* Adde regulam s. Bernardi Serm. 5. in Quadragesima: *Ecce enim inflammat inimicus desiderium cibi, vanitatis aut impatientiae, cogitationes ingerit aut excitat libidinis motum: solummodo ne consenseris, et quoties restiteris, toties coronaberis.*

Casus II.

Anatolius liberiori vitae deditus, et nonnisi laxa principia sequens, in templo oculis plerumque liberrime circumvagatur ad personas alterius sexus pulchre vestitas: occurrentibus obscoenis cogitationibus delectatur quidem, sed sine desiderio, ideoque nec de his se accusat in confessione, ita secum argumentans: Deliberate non inhaesi, quia argumenta pro et contra non perpendi, neque consensum formalem iis praebui, quia sciebam, in templo non esse occasionem peccandi opere.

298. *Q.* I. An Anatolius recte statuerit se deliberate non inhaesisse, eoquod argumenta pro et contra non perpenderit, vel non examinaverit, an talis actus esset potius ponendus, vel non. Respondet *Elbel* Confer. 20. n. 570. *Negative:* quia ad actum humanum etiam perfectum non est necessaria deliberatio formalis sive consultatio et ponderatio rationum pro et contra, sed hoc ipso adest sufficiens deliberatio, quando quis perfecte advertit malitiam in tali actu, vel objecto, vel quando scit, talem cogitationem versari circa rem turpem ac prohibitam. Sic peccat absque dubio comedens carnes die prohibito sine rationabili causa excusante, hoc ipso quod sciat prohibitionem Ecclesiae, vel saltem practice dubitet, an haec comestio hoc die non sit prohibita, licet non adhibeat ulteriorem deliberationem. *Ratio* est: quia per talem advertentiam voluntati sufficienter proponitur malitia latens in objecto vel actu, ita ut consensus sufficienter deliberatus debeat dici. Addit *Henno*, ad peccandum formaliter circa talia objecta vel actus, qui sunt intrinsece mali, multo minore deliberatione opus esse, quia lumen naturale cuivis, rationis usu praedito, facile dictat, hujusmodi actus ceu repugnantes primis regulis honestatis, esse malos.

Q. II. An Anatolius propterea non peccarit graviter, quia formalem consensum non praebuit.

299. Ante R. *adverte.* Consensus hic in genere dicitur actus voluntatis, quo haec amplectitur et libere eligit id, quod ab intellectu proponitur. Hic triplex est: 1. *Formalis*, quando voluntas actu positivo motum aliquem amplectitur, eumque fovet, vel sibi complacet in eo, quod intellectus plene advertenter proponit. 2. *Virtualis*, qui includitur in formali, quando scilicet voluntas motum aliquem vel actum in se quidem non vult, ponit tamen ejus causam, vel *per se talem*, quae ex natura sua tendit ad illum, qualis est turpis aspectus respectu motuum libidinosorum: vel *per accidens talem*, quae ex natura sua non ordinatur ad illum, qualis est cibus et potus respectu eorundem motuum. Praeterea virtualis consensus etiam dicitur, quando formalis consensus per dissensum necdum moraliter desiit: sic virtualiter adhuc consentit in furtum, qui elicito consensu progreditur ad locum furti committendi, licet tunc consensum formalem non eliciat. *Hersig* l. c. n. 68. 3. *Interpretativus*, sive negativus est quando voluntas objectum malum, vel motum pravum nec amplectitur positive, nec aversatur, sed omnino negative vel praecisive se habet, cum tamen deberet illum aversari.

300. His praesuppositis R. Motus concupiscentiae sunt peccata: 1. Si adsit consensus formalis, vel positivus: quia voluntas libere eos tunc amplectitur. 2. Sunt peccata si adsit consensus virtualis, ita ut cognoscatur connexio positae causae cum pravo affectu. 3. Sunt peccata si adsit consensus interpretativus, vel negativus; quia, qui facile potest resistere positive, et tamen sine causa non resistit, exponit se manifesto consensus formalis periculo, imo censetur non illubenter tales motus habere, et virtualiter sibi in illis complacere, id quod plerumque observandum in tentationibus contra fidem et continentiam.

Dixi: *Si sine causa non resistat:* aliud foret, si adesset rationabilis causa permissive se habendi, nec adsit periculum consensus, v. g. si quis prudenter timeat, ne positive resistendo tentationem magis augeat, vel si ea solicitudine nimium fatigetur cum periculo scrupulorum; item si ad ejusmodi motus reprimendos deberet cessare ab aliqua actione honesta, et cum officio suo connexa, v. g. a studio, auditione confessionum, colloquio honesto cum honesta foemina etc., modo tunc displiceant hi motus et absit periculum consensus.

Ex his patet, peccasse Anatolium, tum quia scivit ex circumvagatione oculorum oriri tales tentationes, tum quia eas advertendo, non resistit, sed delectatus fuit, iis inhaerendo: imo cum plurimis Libertinis falso supposito nititur, existimando consensum peccaminosum non esse, nisi accedat desiderium opere peccandi: cum tamen consensus jam adsit, hoc ipso quod quis voluntarie inhaereat delectationi venereae.

Casus III.

Aitilius se accusat: 1. *Quod in expellendis tentationibus ad peccatum carnis firmam quidem habuerit voluntatem, sed negligenter ab initio restiterit.* 2. *Quod a procaci foemina invitatus ad peccatum anceps haeserit, an debeat consentire.* 3. *Quod advertens in appetitu sensitivo varios motus turpes passive se habuerit.* 4. *Quod saepius dixerit: nisi fornicatio esset contra legem Dei, peccarem cum illa formosa.* 5. *Quod invitatus ad comoediam, ubi plerumque turpia repraesentantur, et sermone proferuntur, ibi comparuerit, quamvis praeviderit gravissimas tentationes, easque passus fuerit, dubius an cum consensu.*

301. *Q.* I. Quid dicendum ad tres primos casus. Respondet *Sanchez* in Decal. L. 1. c. 1. n. 15. *Ad* 1. quando voluntas se habet primo modo, ne-

gligentia communiter est venialis, quia plenus consensus deficit; transit autem in mortalem, quando probabile periculum consensus affert. *Ad* 2. respondet idem n. 16., quod peccaverit graviter, tum quia talis deliberans re ipsa confert peccatum cum Deo, qui tamen appretiative debet amari super omnia, tum quia se exponit periculo proximo consensus formalis. Praeterea dubitans hoc modo committit peccatum ejusdem speciei, de quo deliberat; ideo Attilius in confessione debet dicere; Deliberavi, an non velim fornicari. *Sanch.* ibid. *Ad* 3. R. juxta n. praeced. peccavit graviter, quia posuit consensum interpretativum.

302. *Q.* II. An sit mortale, desiderare rem prohibitam sub conditione, si prohibita non esset. R. 1. Si opposita conditio vere aufert omnem malitiam operis, non est mortale per se loquendo, idque contingere potest tum in iis, quae jure positivo prohibita sunt, v. g. si quis diceret: Vellem hodie comedere carnes, nisi esset dies Veneris; tum in iis, quae jure naturae conditionate tantum, non absolute prohibita, sed in certo statu et circumsantiis licita sunt. v. g. utinam essem judex, vellem occidere istum furem; vel, alterius argentum auferrem, si Deus mihi illud donaret. *Ratio* est: quia hujusmodi objecta tunc non desiderantur absolute, sed tantum in eo statu, in quo sunt honesta. Dixi: *Non est mortale*; quia hi affectus sunt valde otiosi, adeoque venialiter mali, imo *fatua et diabolica tentatio ad peccandum*, ut ait *Cajet.*; in materia vero luxuriae facile miscetur actualis delectatio circa objectum turpe conditionate volitum. *Laym.* L. 1. t. 3. c. 6. n. 2., *Sanch.* in Decal. L. 1. c. 2. n. 24.

R. 2. Si conditio apposita malitiam actus non auferat, grave peccatum est, aliquid ex se graviter peccaminosum desiderare vel eo delectari. *Laym.* l. c. n. 11. Sic peccaret; qui cogitaret: Vellem hoc die Veneris comedere carnes, si haberem: Vellem furari, nisi timerem patibulum. Porro si desiderium sit ad objectum in nulla circumstantia licitum, cum affectu ad rem ipsam sua natura malam, v. g. vellem fornicari, nisi peccatum esset (ut *Attilius* desideravit); vellem blasphemare, pejerare, nisi prohibitum esset, committitur grave peccatum, tum quia talis conditio impossibilis non aufert malitiam objecti intrinsece mali, tum quia hoc est optare, ut ordo et lex naturae immutetur, quod pejus est, quam velle fornicari etc. Si vero desiderium non fuerit ex affectu in rem ipsam, sed tantum ex animo manifestandi naturae suae malam propensionem, quae in consensum ad peccatum traheret nisi lex Dei arceret, tunc non peccasset graviter, quia potius propensio in malum recordatione divinae legis fuit repressa. *Laym.* l. c. cum *Sanch.*, *Azor*, et aliis.

303. *Q.* III. An peccaverit Attilius spectando comoediam, ex qua praevidit orituras gravissimas tentationes cum manifesto periculo consensus. R. *affirmative:* quia hoc ipso liberrime se commisit periculo peccati. Ulterior ratio dependet ex seq. quaest.

304. *Q.* IV. An peccet is, qui ponit actionem, ex qua turpes cogitationes et motus se praevidet passurum. R. 1. Si actio illa sit aliunde utilis, honesta, vel necessaria, quamvis praevidcantur tentationes carnales non peccat quis ponendo illam, *secluso tamen periculo consensus*; quia talis utitur jure suo, nec intendit ullo modo, ut supponitur, illas tentationes: ergo ipsi non sunt voluntariae; imo alias plurimi deberent mutare suum officium, vel deberent intermittere exercitium artis suae. Suadendum tamen hujusmodi hominibus, ut sciant media vincendi orituras tentationes. R. 2. Si actio illa non sit necessaria aut utilis, sed ex quadam tantum levitate fiat. ideoque sit venialiter mala, is, qui ponit illam actionem, *NB. si non intendat tales motus, et absit periculum consensus*, venialiter tantum peccare videtur; quia hi motus ex colloquiis, conversationibus, recreationibus etiam honestis possunt oriri: ergo non videntur satis voluntarii esse in causa, alias fere omnis conversatio non necessaria cum altero sexu esset mortaliter peccaminosa, quod

falsum est. *Confirm.* ex eo quod tales actiones non sint proxima dispositio ad turpes motus. Secus est de aspectu, tactu turpi, colloquiis obscoenis, lectione aut auditione curiosa rerum valde turpium, quae sunt proxima dispositio ad ejusmodi motus, ideoque si sine necessitate suscipiantur, graviter peccaminosa sunt. Vide *Sporer* t. prooem. c. 5. n. 19.

305. *Ad resolvendos plurimos alios casus observa sequentia:* I. In omnibus iis non datur parvitas materiae excusans a peccato mortali, in quibus semper invenitur integra ratio gravis malitiae, sive materia parva sit, sive magna. Hinc non datur in iis 1. per quae immediate et directe imputatur Deo imperfectio, ut contingit per odium Dei, blasphemiam formalem, haeresim, perjurium assertorium, desperationem, praesumptionem, simoniam juris naturalis etc. 2. In iis, quorum materia, si non in omni casu esset graviter prohibita, genus humanum maxime ad peccandum alliceret: hoc maxime tenet in peccatis luxuriae, et in omni delectatione venerea per aspectus, tactus, oscula etc. directe intenta aut cum perfecta consensu volita. Vide propos. 40. ab *Alex. VII.* damnatam. 3. Quorum malitia in quacunque materia sive parva, sive magna aequaliter praejudicat fini a lege sub gravi poena intento; sic quia lex praecipiens jejunium naturale ante S. Communionem pro fine habet, ne spirituali cibo corporalis et terrestris praeferatur, ideo per quamcunque cibi vel potus sumptionem hoc jejunium violatur. Idem tenent plurimi de sigilli sacramentalis fractione. *Sanch.* in Decal. L. 1. c. 4., *Sporer* l. c. a n. 13. usque ad n. 51.

306. II. Quantitas magna, vel parva in materia peccati mortalis sufficiens, vel excusans prudenti judicio desumenda est: 1. ex ipsa re secundum se spectata: 2. ex comparatione ad totum, quod praecipitur: 3. et principaliter ex ordine ad finem praecepti. *Sporer* l. c. n. 27.

307. III. Peccatum dignoscitur esse mortale: 1. si sit contra Decalogum, vel praecepta Ecclesiae in materia gravi: 2. si contra proximum, hoc est, si graviter laedat charitatem vel justitiam in bonis animae, corporis, famae aut fortunae: 3. si contra seipsum cum gravi corporis, vel animae damno: 4. si imposita sit poena gravis, v. g. gehennae, mortis, censurae: 5. si ita communiter sentiant TT. et timorati. Vide n. 182. de LL.

308. IV. Damna et effectus mali ex aliqua actione vel opere secuti, et nullo modo praevisi carent culpa, quia nec in se, nec in causa sunt voluntarii et liberi. Culpabiles vero sunt, si sint praevisi, nec diligentia sufficiens juxta prudentiam sit adhibita, ne sequerentur: ea vero adhibita etsi postea eveniant, culpa vacant, quia ibi effectus est voluntarius in causa, non in posteriore casu. Sic qui cum familiaribus bibit vinum, cujus virtutem ignorat, nec advertit proximum periculum ebrietatis, si postea vinum rationem turbet, culpa caret, quia ebrietas ei voluntaria non fuit; secus si praeviderit eam. Item si in tali ebrietate involuntaria evomat calumnias, blasphemias etc. non peccat, quia non habens rationis usum non advertit ad malitiam horum actuum, nec praevidit hos effectus malos; secus foret, si praevidisset quod in ebrietate in blasphemias sit erupturus, tunc enim indirecte fuissent volitae. Denique effectus malus intentus, vel praevisus ex causa illicite posita est culpabilis, sive sequatur post, sive ante voluntatem retractatam, aut quando non est amplius potestas illum impediendi, quia causa supponitur libere posita, consequenter etiam effectus in causa praevisus vel intentus. Vide *La Croix* L. 5. n. 42. item a n. 30. object. solutas, *Dicastillo* de poenit. d. 9. a n. 27. contra *Henriq.*

309. V. In somno per se loquendo ob defectum advertentiae humanae, et liberae electionis peccari non potest. Hinc pollutio in somno culpa vacat: peccatum vero est, 1. si ante somnum illa fuerit per causam studiose et directe procurata, et causa non sit retractata: 2. si consequenter de eadem deliberate

quis delectetur carnaliter: 3. si in somno coepta ab expergefacto promoveatur. *La Croix* l. c. n. 65. et L. 3. p. 1. a n. 921. Plura de praec. 7.

310. VI. Juxta *Laym.* de pecc. c. 6. n. 12. cum *S. Antonino* conjux mortaliter non peccat, si de maritali copula, absente conjuge, morose delectetur, *si tamen id citra periculum pollutionis fieri possit;* quia copula maritalis de se peccaminosa non est: ergo nec in delectationem morosam inde redundat malitia. Veniale tamen peccatum est talis delectatio, juxta *Cajet.*, quia nec necessitas, nec pietas, nec utilitas talem mentis occupationem suadet. Si vero advertatur periculum pollutionis et non resistatur, culpa gravi non caret. Juxta *eumdem* n. 13. mortaliter peccat vidua, si voluntarie consentiat in motum delectationis sensitivae, qui ex recordatione copulae maritalis naturaliter oritur. Idem dicendum de sponso, si in carnis commotionem ex cogitatione futuri actus conjugalis exortam deliberate consentiat.

Casus IV.

De distinctione specifica peccatorum.

Anacletus carnes comedit die jejunii ab Ecclesia statuto, quo simul tenebatur jejunare pro poenitentia a Confessario injuncta, et ex voto, quo se libere obstrinxerat. Postea confitetur, quod die prohibito carnes comederit.

311. *Q.* I. An triplex peccatum commiserit Anacletus. R. *Affirmative*; quia violavit tria praecepta formaliter diversa: 1. praeceptum Ecclesiae: 2. praeceptum Confessarii, qui injunxerat jejunium ex motivo poenitentiae: 3. praeceptum voti obligantis ex motivo religionis. Ideo in confessione debuisset dicere: Violavi jejunium, ad quod vi praecepti Ecclesiae, poenitentiae et voti, vel sub triplici gravi obligatione tenebar.

312. *Q.* II. Quomodo circumstantiae: *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando*, mutent, vel non mutent speciem. R. Cum *Stoz* L. 1. p. 1. q. 1. a n. 50., et *P. Herzig.* p. 1. a n. 97. ad singula. 1. Circumstantia *Quis* importat personam peccantem, quae si voto, juramento, vinculo matrimonii ligata, vel sanguine juncta vel ex officio aut speciali lege ad aliquid agendum, vel omittendum obligata sit, et peccatum aliunde vetitum committat, addit eidem peccato novam specie malitiam. Ex eo tamen non additur, quod votum circa eandem rem sit renovatum, aut solemne; nec ex eo, quod persona sit in Novitiatu, aut minoribus Ordinibus aut dignitate constituta, nisi forte scandalum accedat, ut ait *Sanch.;* nec ex eo, quod quis peccat ex ignorantia: denique (ut vult *Lugo* de Poenit. Disp. 16. n. 201.) nec ex eo, quod peccet ex inveterata consuetudine.

2. Per *Quid* denotatur juxta *Stoz* loc. cit. n. 54. res concupita, persona, ad quam peccatur terminatur, et effectus ex peccato ortus. Circumstantia rei addit novam speciem, si res sit sacra. Sic qui furatur sacrum calicem, praeter furtum committit sacrilegium. Item qui abutitur hostia consecrata ad superstitiones, reus est superstitionis et sacrilegii. Circumstantia personae auget malitiam specifice, si qualitas illius spectet ad distinctam specie virtutem; sic occisio clerici praeter homicidium continet speciem sacrilegii, occisio parentis speciem parricidii.

3. Per *Ubi* intelligitur locus, in quo peccatum committitur. *Locus sacer* novam in actum malitiam refundit, quando opera quaedam reverentiae illius opposita, et specialiter ab Ecclesia prohibita in eo exercentur. Sic effusio sanguinis humani ex *injuriosa* ac *gravi* percussione, aut vulnere in templo, item pollutio notoria et culpabilis, imo juxta *Laym.* L. 1. t. 1. c. 9. n. 3. impudicus tactus in partibus verendis, consequenter enim pollutio occulta in templo, duplicem specie malitiam continent. *De his infra, ubi de sacril. Lo-*

cus publicus refundit novam malitiam scandali in peccatum, si quis in conspectu aliorum peccet, ut alios ad simile peccatum facile seducat.

4. *Quibus auxiliis* partim significat proprie dicta instrumenta, quorum adminiculo homo ad peccandum utitur, v. g. si quis armorum genere speciali lege prohibito, vel ad magis cruciandum exquisito alterum injuste aggrediatur: partim significat alios homines jussu vel consilio ad criminis societatem inductos. Sic qui filium allicit ad occidendum patrem, specie diversum peccatum committit. *Laym.* l. c. n. 4. cum *Azor* t. 1. l. 2. c. 4.

5. *Cur* indicat hic finem extrinsecum, sive finem operantis (finis intrinsecus sive operis cum sit objecto intrinsecus, per se actioni moralem speciem sive essentiam tribuit): hinc si finis intrinsecus de se malus sit, et insuper ab operante ad finem extrinsecum continentem specie diversam malitiam ordinetur, nova contrahitur malitia: imo si plures mali fines operi praefigantur, tot malitiae in actu erunt, quot insunt diversis finibus. Sic qui furatur, ut ex furto possit fornicari, peccatum duplicis malitiae committit. Econtra si finis extrinsecus non sit malus, vel sit tantum venialiter malus, gravis malitia nova non additur, v. g. si fureris, ut te cum aliis honeste recrees, vel ut pauperi possis dare eleemosynam, primo fine nulla malitia, altero nulla bonitas in actum refundetur: bonum enim ex integra causa. Vide *Laym.* l. c. a n. 4. usque ad 9.

6. *Quomodo* indicat modum pravae actionis, qui tunc novam speciem addit, quando speciali praecepto vel virtuti opponitur. Tales modi sunt violentia in stupro aut furto adhibita, singularis crudelitas, qua homo occisus multis adhuc vulneribus confoditur, membratim discerpitur etc., item omne peccatum factum ex formali contemptu legis. Reliqui modi, v. g. major intentio actus, duratio etc. raro speciem mutant, sed ordinarie malitiam tantum accidentaliter augent: nec species mutatur ex eo, quod peccatum committatur ex mera malitia, passione, culpabili ignorantia, metu, suasione, precibus aliorum, aut seductione passiva etc. *Laym.* l. c. n. 8., *Regin.*, *Bonac.* et alii.

7. *Quando* importat tempus, quo peccatum committitur, additque illi novam speciem, si divino cultui eo praecise tempore specialis irreverentia irrogetur; ut si ludi obscoeni die festo, dominico, sacro Parasceves exhibeantur, et quidem cum directa intentione sacrum tempus inhonorandi, ut vult *Laym.* l. c. n. 9., vel saltem si id fiat contra expressam legem talia prohibentem hoc vel illo sacro tempore; alias juxta *Herzig* l. c. n. 313. et *P. Stoz* nova species non superadditur.

Casus V.

De distinctione numerica peccatorum.

Asclepiades confitetur: 1. *quod una nocte ex eadem taberna successive varias merces furatus sit:* 2. *quod per integrum annum habuerit voluntatem nunquam restituendi, ignarus tamen, quoties haec voluntas fuerit interrupta.*

315. *Q.* I. An Asclepiades in primo casu plura numero furta commiserit. R. Licet in dato casu sint plures actus externi successive, moraliter tamen constituunt unum, quamvis longe gravius furtum, tum quia substant eidem intentioni auferendi ab uno, eodemque domino illas merces: ergo actus externi moraliter sunt unus actus per unum internum continuatum; tum quia ejusmodi merces sunt talia objecta, quae moraliter uniri, sive tanquam unum intendi possunt: pecuniae enim et merces non sunt ita completae, ut si multiplicentur, non sint aptae integrare aliquod totum *in ratione quanti* majus: secus est de vita plurium (ut dictum est n. 289.). Vitae enim quantumcum-

que multiplicentur, non sunt aptae integrare in ratione vitae majus aut perfectius. Idem respondet *Sporer* de pecc. c. 4. n. 21., *Babenst.* t. 2. d. 3. a. 3. num. 12. de eo, qui uno tractu temporis furatur integram bibliothecam, incendit integram domum etc.

314. *Q.* II. An sufficienter se accuset Asclepiades quoad secundum. R. cum *Sporer* l. c. n. 19. *affirmative:* si voluntas illa formaliter, vel interpretative fuisset revocata saepius et denuo renovata, *per se loquendo,* numerus illorum actuum esset exprimendus in confessione: quia autem saepe impossibile est certum numerum explicare, ideo sufficit moram temporis exprimere, v. g. integro anno perstiti in proposito furandi, non restituendi, occidendi, hoc vel illud peccatum grave patrandi etc. Item integro mense odio habui proximum, vel patrem, fratrem etc., et quoties memoria inimici occurrebat, odium vel propositum nocendi renovavi. Idem affirmat *Laym.* de pecc. c. 3. n. 3. de iis, qui vel quae longo tempore luxuriae vacarunt.

Idem dicendum 1. si quis eidem in uno aestu saepe imprecetur, idem numero peccatum committit, quia repetitae imprecationes in eodem aestu prolatae ad unum actum odii internum referuntur, in eoque moraliter consummantur. Item qui durante eodem impetu saepius blasphemat, pejerat, alterum percutit etc., eo tamen gravius peccat talis, quo saepius repetit imprecationes, blasphemias etc. *Sporer* l. c. n. 20., *Bonac.*, *Illsung.* et alii. Eodem modo unum numero peccatum sunt oscula, tactus etc. ante copulam: secus, si haec non intenderetur, sed per accidens sequeretur: excipe etiam actus per se jam completos, qualis est pollutio. Vide *Sporer* l. c. n. 21.

II. Si quis eidem in uno aestu diversa mala, v. g. morbum, infamiam, mortem etc. imprecetur, et advertat specificam diversitatem malorum, eamque imprecando intendat, plura peccata etiam specie diversa committit, quia imprecationes terminarentur ad objecta formaliter diversa. Si quis vero illa imprecaretur apprehensa tantum in uno genere mali (ut plerumque contingit) unum numero peccatum committeret, non secus ac si unicum malum ex eodem impetu saepius imprecaretur. Econtra qui uno actu pluribus idem malum imprecatur, plura peccata committit, quia illud plures personas afficit, charitatem pluribus debitam violat. Idem docet *Babenst.* l. c. n. 19. cum *Bonac.*, *Tambur.* et aliis de eo, qui uno actu pluribus scandalum praebet, aut injuriam detrahendo, vel damnum alio modo infert; hinc in confessione debet exprimere probabilem numerum personarum, quibus nocuit, quia jura et damna singulorum non habent connexionem inter se. Probabilius etiam plura peccata sunt, eidem uno actu in diversa materia detrahere, quia laeduntur jura ad plures diversas famas: per hoc enim quod quis dicatur lascivus, non sciunt esse fur etc.; ergo retinet jus ad hanc famam. Denique multiplex peccatum committit, qui uni coram pluribus detrahit, quia per hoc quod fama tua tollatur aut minuatur apud Petrum, manet adhuc jus ad famam apud Paulum.

Casus VI.

De peccatis alienis.

Aldelmus vir tenerioris conscientiae saepe memor verborum Psalmi 50.: Ab occultis meis munda me, et ab alienis parce servo tuo: *rogat Confessarium, ut exponat modos, quibus rei alienorum peccatorum reddimur.*

315. *Q.* I. Qua ratione quaedam peccata dicantur aliena, et quibus modis ea perpetrentur. R. Aliena dicuntur, quia ab alio quidem complete committuntur, ita tamen ut propriae voluntati tanquam causae aliquo modo concurrenti merito imputentur. Novem autem modis propria voluntas alterius peccati particeps redditur: scil. *jussione, consilio, consensu, irritatione, laudatio-*

ne seu adulatione, reticentia culpae alienae, conniventia vel indulgentia, participatione, ac prava defensione: quia qui cooperatur alterius peccato uno ex his modis, censetur causa moralis illius, vel saltem ei consentiens expresse, vel virtualiter, vel interpretative, et sic illius malitia contrahit: *Nam digni sunt morte non solum, qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Rom. 1. et 1. Tim. 5.: *Ne communicaveris peccatis alienis.* De peccatis alienis, prout includunt cooperationem ad damnum tertii, infra de restitutione a n. 775.; hic vero praescindendo a damno, de modis praedictis agemus.

1. Itaque *Jussione* perpetrat peccatum alienum, qui dato decreto aut mandato alium inducit, ut injuriam aut malum quodcunque inferat tertio. Sic David peccavit occidendo Uriam non propriis quidem manibus, sed per literas mandans, ut certo occisionis periculo exponeretur: *Derelinquite eum, ut percussus intereat.* 2. Reg. 11.

2. *Consilio* perpetratur peccatum alienum ab eo qui consiliis suis vel alium determinat ad peccatum, vel modos docet peccandi. Sic Caiphas pessimo suo consilio Senatum Judaicum in mortem Christi concitavit. *Joann.* 11. Pessimus quoque consiliarius erat Achitophel suadens Absaloni, ut ingrederetur ad concubinas patris sui. 2. *Reg.* 16. Consilium iniquissimum Herodiadis vide *Marci* 6.

3. *Consensus* alieni peccati reum facit illum, a quo alter peccans suffragium accipit, vel a quo peccatum alterius approbatur. Sic peccavit Saulus Stephani neci consentiens. *Act.* 7. *v.* 60. Item cives Hierosolymitani suis magistratibus suffragantes, ut Christus crucifigeretur, ideoque Petrus illis exprobravit, dicens: *Auctorem vitae interfecistis.* Act. 3.

4. *Irritatione* peccati alieni reus fit, qui deliberate alium ad iram, vindictam, blasphemiam, aut aliud peccatum sive verbis, sive factis, aut quacunque alia ratione provocat, aut instigat. Sic irritare intendit Jobum uxor pessima dicens: *Adhuc tu permanes in simplicitate tua? Benedic Deo, et morere.* Job. c. 2. v. 9. Huc pertinent susurrones, de quibus Prov. 26. legitur: *Cum defecerint ligna, extinguetur ignis: et susurrone subtracto jurgia conquiescunt.*

5. *Laudatione vel adulatione* committitur alienum peccatum ab eo, qui alterius malefactum depraedicat, vel adulando malefacienti calcar addit, ut pergat in malo. De his Isa. 5. legitur: *Vae, qui dicitis malum bonum, et bonum malum.* Hos s. Basilius hom. in Psal. 61. bene describit dicens: *Multi sunt, qui pro bonis pravas comprobant actiones; nam scurrilia loquentem, urbanum ac lepidum: turpiloquium vero, politicum: amarolentum, et iracundum neutiquam contemnendum praedicant.* Postea subjungit: *In verborum namque benedictione omnem execrationem vitae suae inducunt, ac reos aeternae damnationis ob ea quae approbant, sese constituunt.* Et s. Chrysost. hom. 2. de Davide et Saule ait: *Collaudare delinquentes, longe plus est, quam delinquere.*

6. *Reticentia* peccat is, qui suo silentio non impedit peccatum alterius, quod vel fraterna correctione, vel delatione ad legitimum Superiorem probabiliter impedire posset: maxime in hoc peccant, quibus ex officio incumbit delinquentes monere. De his s. Bern. Serm. de Nativ. s. Joan. Bapt. ait: *Est enim consentire, silere, cum arguere possis.* De correctione fraterna vide infra n. 711.

7. *Conniventia* implicantur peccatis aliorum, qui ea auctoritate sua puniendo impedire, vel saltem vindicare possunt ac debent; impunita tamen et in pejus abire sinunt. Sic peccant saepe magistratus, parentes, heri, praeceptores, qui dissimulatione et indulgentia nimia connivent peccatis suorum subditorum.

8. *Participatione* peccatum alienum contrahunt, qui lucrum sibi ex aliena

turpitudine comparant, ut lenones, quive latronibus, vel notae turpitudinis hominibus praebent locum, quo se, aut sua recipiant: item qui partem furti accipiunt, bona injuste parta scienter cum aliis retinent: de quibus in praecepto 7.

9. *Defensione* committit peccatum alienum, qui malefactoribus patrocinatur, aut doctrinam alterius perversam et impiam tuetur, vel spargit: item qui sua cura aut opera promovere ac propugnare contendit alterius factum iniquum.

Porro dictas species peccatorum alienorum *S. Basilius* Serm. 2. de Baptis. C. 9. tribus modis explicat, breviter dicens, peccatum alienum posse committi vel *opere*, vel *voluntate tantum*, vel *supina negligentia*, dum alii nostro admonendi officio defraudantur.

316. *Q.* II. Quaenam peccata in Spiritum S. committi dicantur. Respondet *S. Thom.* 2. 2. q. 14. a. 1.: *Quando peccatur ex certa malitia .... quod contingit ex eo, quod per contemptum abjicitur et removetur id, quod peccati electionem poterat impedire: sicut spes per desperationem, et timor per praesumptionem etc; haec autem omnia, quae peccati electionem impediunt, sunt effectus Spiritus S. in nobis; et ideo sic ex malitia peccare, est peccare in Spiritum S.* Ibid. a. 2. sex. species hujus peccati assignantur: scil. *Desperatio, praesumptio, impoenitentia, obstinatio, impugnatio veritatis agnitae, et invidentia fraternae gratiae*, sive charitatis, *quae distinguuntur secundum remotionem, vel contemptum eorum, per quae potest homo ab electione peccati impediri.*

Ibid. a. 3. explicat, quomodo peccatum in Spiritum S. dicatur irremissibile: *Diversimode dicitur irremissibile: si enim dicatur peccatum in Spiritum S., finalis impoenitentia, sic dicitur irremissibile, quia nullo modo remittitur; peccatum enim mortale, in quo homo perseverat usque ad mortem, qui in hac vita non remittitur per poenitentiam, neque etiam in futuro dimittetur. Secundum alias duas acceptiones dicitur irremissibile, non quod nullo modo remittatur, sed quia, quantum est de se, habet meritum, ut non remittatur. Et hoc dupliciter: Uno modo, quantum ad poenam; qui enim ex ignorantia, vel infirmitate peccat, minorem poenam meretur; qui autem ex certa malitia peccat, non habet aliquam excusationem, unde ejus poena minuatur ... Altero modo quoad culpam: sicut aliquis morbus dicitur incurabilis secundum naturam morbi, per quem tollitur id, per quod morbus potest curari, puta cum morbus tollit virtutem naturae, vel inducit fastidium cibi et medicinae, licet talem morbum Deus possit curare, ita etiam peccatum in Spiritum S. dicitur irremissibile secundum sua naturam, in quantum excludit ea, per quae fit remissio peccatorum: per hoc tamen non praecluditur via remittendi omnipotentiae, et misericordiae Dei, per quam aliquando tales quasi miraculose spiritualiter sanantur.* Porro illa *Praesumptio* facit peccatum in Spiritum S., quae hominem sola Dei misericordia confidentem, ad peccandum audacem facit, abjecto omni timore divinae justitiae. De hac infra num. 387. in Princip. III. de spe.

Desperatione peccatur in Spiritum S., per quam homo abjicit omnem spem vel impetrandae a Deo veniae, vel salutis aeternae consequendae. De hac infra l. c. n. 386. Sic peccarunt Cain *Genes.* 4. Judas proditor *Matth.* 27.

Impugnatione agnitae veritatis: quando de fidei et religionis negotio veritas non ex ignorantia, sed ex deliberata malitia studiose oppugnatur, ut hinc veritatis Christianae sinceritas laedatur. Sic peccarunt Pharisaei contra suam conscientiam insectantes doctrinam Evangelii.

Invidentia fraternae gratiae; quando quis dolet et tristatur graviter de virtutibus, donisque Dei, quibus proximus est conspicuus: hoc vitium est proprium Satanae, cujus filii erant Judaei, qui gratiam Evangelii invidebant Gentibus, *Act.* 11.

Obstinatione: quando quis adeo induratum habet animum, ut nullis monitionibus et rationibus a pravo proposito et damnabili instituto se deflecti patiatur. Sic obstinatus periit Pharao, *Exodi* 7. *et seq.*

Impoenitentia: cum homo peccatorum suorum finem, modumque nullum facit, ac insuper statuit se nolle unquam poenitentiam agere.

317. *Q.* III. Quae dicantur peccata in coelum clamantia. R. Ea, quae ob specialem malitiem, divinam ultionem insigniter accersunt iis, a quibus committuntur. Ita *P. Canisius* cum *Ss. August.* et *Gregorio M.* Ejusmodi quatuor e Scriptura numerantur: *Homicidium voluntarium, peccatum sodomiticum, oppressio pauperum, viduarum atque pupillorum, et merces operariorum defraudata.*

I. De homicidio agetur infra in C. 5. de praecepto 5. Decal. a n. 664. et seq. Est autem hoc peccatum unum ex atrocissimis, summamque proximo injuriam infert, qui vitam ei adimit absque legitimo auctore; unde sanguis innocenter effusus vindictam clamat, juxta illud Genes. 4. *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Nunc igitur maledictus eris super terram.* Unde etiam Genes. 6. statuitur: 6. *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius*: et Matth. 26. *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt.*

II. De peccato sodomitico vide infra C. 7. de praecepto 6. n. 756. et seq. De peccatis Sodomitarum dicebant Angeli Genes. 19. *Delebimus locum istum, eoquod increverit clamor eorum Domino, qui misit nos, ut perdamus illos.*

III. De oppressione pauperum, viduarum atque pupillorum dicit Scriptura Exodi c. 22. *Viduae, et pupillo non nocebitis, si laeseritis eos, vociferabuntur ad me, et ego audiam clamorem eorum, et indignabitur furor meus etc.*; et Matth. 23. *Vae vobis, Scribae et Pharisei hypocritae, quia comeditis domos viduarum.*

IV. De mercede operariorum retenta, vel injuste imminuta docet Scriptura Jacobi 5. *Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quae fraudata est a vobis, clamat: et clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit:* et Deuter. 24.: *Non negabis mercedem indigentis, et pauperis fratris tui, sive advenae, qui tecum moratur in terra, et intra portas tuas est: sed eadem die reddes ei pretium laboris sui ante Solis occasum, quia pauper est, et ex eo sustentat animam suam; ne clamet contra te ad Dominum, et reputetur tibi in peccatum.*

§. IV. *Resolutiones de peccatis capitalibus.*

De Superbia.

318. *Resolutio I. Superbia* juxta commun. *est inordinatus appetitus sive amor propriae excellentiae.* Dixi, *inordinatus*: velle enim excellere secundum se est indifferens, imo honestum, si fiat ex honesto fine, v. g. ad promovendam Dei gloriam, ad satisfaciendum officio suo, ad procurandam salutem proximi etc. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in coelis est.* Luc. 12. Si vero tantum ordinetur, et quiescat appetitus excellentiae in immoderata propria complacentia, erit vitium superbiae. Cujus vitii quatuor species assignat *S. Th.* 2. 2. q. 16. a. 4. *Primo*: si quis bona sua aestimet, quasi non acceperit a Deo, sed a se ipso: quod reprehendit Apostolus 1. Cor. 4. 7. *Quid autem habes, quod non accepisti etc.* 2. Si quis bona a Deo accepta aestimet tanquam sibi debita. 3. Si quis se extollat ob bona, quae tamen non habet, vel ob majora, quam habet. 4. Si quis cum contemptu aliorum

velit videri singulariter, et meliore modo habere quaedam bona multis communia. Hae quatuor species superbiae versu sequenti continentur:

Ex se, pro merito, falso, plus omnibus inflat.

Ex his superbia dividitur in *perfectam* ac *completam*, per quam homo adeo se extollit, ut divinae voluntati ac legi nolit esse subjectus: hanc *s. Thom.* l. c. a. 6. vocat peccatum gravissimum, eoquod contineat formalem ac directam aversionem mentis a Deo. Huc reducitur formalis inobedientia erga Superiores. Et in *imperfectam* sive *incompletam*, quae salva subjectione erga Deum sistit in nimia aestimatione sui ipsius, et in inordinato amore propriae excellentiae. Haec de se est peccatum veniale, nisi accedat gravis injuria proximi, ut si proximus ex superbia graviter contemnatur, infametur, vel supprimatur, ut superbus extollatur; vel si superbia sit causa graviter violandi praeceptum divinum. *Laym.* L. 3. sect. 4. n. 23.

319. Idem esto judicium de filiabus superbiae, quae sunt, 1. *Praesumptio* (prout humilitati, non spei opponitur) quando quis vult manifestare propriam excellentiam per aggressionem alicujus operis supra vires. 2. *Vana gloria*, quando quis inordinate appetit laudem humanam. Huc reducitur *jactantia*, dum quis verbis extollit propriam excellentiam ad laudem humanam captandam: si vero factis, dicitur *ostentatio:* si per ficta signa virtutis, *hypocrisis* 3. *Ambitio*, quae est inordinatus appetitus honoris ac dignitatis. Inter reliquas filias superbiae adhuc recensentur *pertinacia, inobedientia, contemptus aliorum, ingratitudo etc.*, quae sunt mortalia, vel venialia peccata pro gravitate materiae, damni, finis etc. Ex his resolve sequentem casum.

Casus *de Superbia.*

Arethusa arrogans foemina se accusat: 1. *quoties in speculo me contemplor, certo mihi persuadeo, quod Deus formosiorem foeminam non possit creare, quam ego sum.* 2. *Vanc me jactavi.* 3. *Hypocrisi dedita fui.* 4. *Vestibus superbivi. Proh dolor! nunc sentio poenas superbiae: posthac humilis ero: rogo remedia contra superbiam.*

320. *Q.* I. Quomodo Arethusa in singulis peccarit. R. *Ad* 1. ex supposito quod deliberate ita judicaverit, peccavit graviter ex nimis inordinata complacentia sui ipsius cum contemptu et injuria divinae omnipotentiae. *Quoad* 2. per se loquendo peccavit venialiter, nisi vana jactantia fuerit de peccato forte gravi. *Quoad* 3. hypocrisis graviter mala fuit, si finis graviter malus, v. g. si simulasset pietatem, castitatem etc. ut alium seduceret ad grave peccatum; secus si finis leviter malus, v. g. ut laudaretur ab hominibus. *Quoad* 4. ut rectum judicium feratur, quaerat Confessarius, quid per vestes, aliumque corporis ornatum intenderit: si decentia tantum, vanitas sive levitas, cupiditas placendi aliis sine malo fine alio eam impellat, illa inordinata complacentia ornatus corporis non excedet veniale: si vero grave scandalum contingat ad alios seducendos, vel si ornatu nimis pretioso impediatur, quo minus possit satisfieri creditoribus, a mortali non excusabitur; quia aliquid ordinare ad grave malum, aut proximo graviter nocere, gravique obligationi non satisfacere, est grave peccatum. *Herzig* p. 2. n. 416.

321. *Q.* II. Quaenam sint remedia contra superbiam. R. 1. Timeat superbus gravissimas poenas a Deo infligendas etiam in hac vita: *Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*, Jacobi 4. 6.; terreant verba Christi Matth. 23.: *Qui se exaltaverit, humiliabitur.* Item illud Eccl. 10. 14. *Initium superbiae hominis apostatare a Deo.* 2. Superbus plerumque loco laudis et aestimationis odium omnium cum quibus conversatur in se suscitat: nam *odibilis coram Deo est, et hominibus superbia*, ibid. v. 7. imo justo Dei judicio, *ubi fuerit superbia, ibi erit et contumelia.* Prov. 11...

3. Videat superbus, quem praeceptorem habeat, et cujus doctrinam sequatur, non Christi, cujus prima regula est: *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde.* Matth. 11. 29. . . . 4. Superbiens forma speciosa recogitet, quod omnis pulchritudo vi unicae febris velut flos dedicat. 5. Vanae gloriae inhians perpendat, quid prosit, laudari ab hominibus, et displicere Deo. 6. Se, suaque facta depraedicans sciat, quod propria laus maxime sordeat. 7. Alios ex superbia contemnens certo credat, quod justo Dei judicio maximum sui ipsius contemptum sibi causet apud alios, juxta illud Isaiae 33. *Qui spernis, nonne et ipse sperneris?* Denique se ipsum cognoscat homo, quid fuerit? *Nihil:* quid sit? *Quoad corpus infinitis miseriis subjectus:* quoad animam, *sine Dei gratia infelix:* quid futurus sit? *Terra et cinis, et forte aeternum miser;* ex his discet humilitatem, quae est virtus, qua homo verissima sui cognitione sibi ipsi vilescit, ut ait *Laur. Justin.* Varios actus humilitatis facile suggeret prudentia Confessarii pro statu et conditione poenitentis.

De Avaritia.

322. *Resol. II. Avaritia est inordinatus appetitus bonorum temporalium, sive immoderatus amor, cura ac solicitudo, ea acquirendi, conservandi, vel augendi.* Ita comm. cum *S. Thom.* 2. 2. q. 118. Ejus malitia non consistit in actuali abundantia rerum, sed in affectu inordinato, quo quis cor apponit rebus terrenis. Avaritia, prout opponitur *liberalitati* (quae juxta s. Aug. *est virtus inclinans ad liberas largitiones pecuniarium etc. sine spe retributionis, servatque decorum, vel medium inter avaritiam et prodigalitatem*) ex genere suo est peccatum veniale; quia ille excessus est in re indifferenti, ac per se licita. *Sporer* l. c. n. 65. Opposita vero charitati Dei, fit peccatum mortale, quando scilicet homo adeo inordinate appetit et amat divitias, ut in iis ultimum finem constituat, adeoque amicitiam Dei, curamque salutis omnino postponat; hinc recte vocatur Ephes. 5. *idolorum servitus.* Pariter grave peccatum est, si avaritia graviter repugnet charitati, vel justitiae erga proximum, scilicet injuste auferendo vel detinendo rem alienam, aut non succurrendo extremae vel gravi necessitati proximi. Filiae ejus juxta *S. Greg.* sunt. 1. *Obduratio cordis erga egenos.* 2. *Inquietudo mentis* ob nimiam curam temporalium. 3. *Proditio.* 4. *Fraus.* 5. *Perjurium.* 6. *Furtum.* 7. *Perfidia.* 8. *Oppressio pauperum:* imo *omnis injustitia.* Hinc Eccl. 10. *Avaro nihil est scelestius.*

Casus *de Avaritia.*

Attalus vir dives valde solicitus est de augendo peculio, nec ullam occasionem lucri acquirendi negligit: paulo post lucro ita inhiat, ut devotiones alias consuetas negligat; denique etiam non curat, spe lucri omittere Sacrum diebus festis: quoties cistas pecunia refertas videt, secum inquit: Mallem perdere coelum, quam peculium meum. Dum confitetur semel per annum, se accusat, quod fuerit avarus.

323. *Q.* I. Quid agendum, si poenitens in genere se accuset, quod fuerit avarus, et quid de Attalo sentiendum. R. 1. cum P. *Herzig* p. 2. n. 412. Quaerendum an solum contra liberalitatem ex affectu avaritiae, an vero contra justitiam aut charitatem proximi in re gravi, vel levi deliquerit. R. 2. Attalus ex eo, quod indefessa industria rem domesticam augere studuerit, dando caeteroquin Deo quod Dei, et proximo quod proximi est, non peccavit, sed laudabiliter egit. Omittendo devotiones non debitas quidem, sed ex inordinato affectu lucri jam venialiter deliquit, et tunc monendus fuit a Confessario, ut mitiget nimium amorem terrenorum. Omittendo Sacrum ex amore lucri, avaritia jam graviter peccaminosa fuit, et semper est, quoties retrahit a

spiritualibus, ad quae ex obligatione gravi tenemur. Ultimus denique affectus grave peccatum fuit, quia peculium aeternae felicitati praetulit, et in divitiis ultimum finem suum constituit.

324. *Q.* II. Quaenam sint remedia contra avaritiam. R. 1. Qui advertit in se inordinatum amorem divitiarum, bonorumque temporalium, caveat, ne ex spe lucri subtrahat quidquam cultui Deo debito; quotidie primaria cura sit, certum tempus Deo sacrare, propter lucrum nunquam Deum offendere, per bona opera, praesertim per eleemosynas thesaurum non deficientem in coelis colligere. 2. Saepe meminerit verborum Christi Matth. 6. *Quaerite ergo primum regnum Dei, et iustitiam ejus, et haec omnia* (quae vobis sunt necessaria) *adjicientur vobis.* Item illud Matth. 16. *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur ?* 3. Recogitet, ad quae peccatorum pericula nimius divitiarum appetitus deducat, ad omnem injustitiam contra proximum, ad animam venalem exponendam pro re peritura, ad negandum ipsum Deum, et adorandum diabolum, modo obtineatur peculium. Avarus enim sine scrupulo dicit: Quid vultis mihi dare, et ego Christum, animamque meam vobis tradam? Verbo: *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et laqueum diaboli.* 1. Tim. 6. . . . 4. Juxta *S. Aug.* avaritia morbus nunquam melius compescitur, nisi cum dies mortis sine oblivione cogitatur: insonent auribus avari verba Christi Luc. 12.: *Stulte ! hac nocte animam tuam repetent a te: quae autem parasti, cujus erunt ?* Illius forte, qui tui beneficii nequidem recordabitur, sed ridebit tuam sordidam avaritiam: tu interim exutus omnibus bonis collectis, nudus bonis spiritualibus et meritis, comparebis coram Judice etc. 5. Denique juvat ob oculos ponere exemplum Christi, qui paupertatem divitiis praetulit.

De Luxuria vide Praeceptum 6. *et* 9.

De Invidia.

325. *Resol. III. Invidia est tristitia de bono alterius, quatenus illud aestimatur ab invido ut malum proprium. S. Th.* 2. 2. q. 36. a. 1. Differt ab odio, quia qui odio habet proximum, tristatur de bono proximi absolute, quia proximo bonum est, et gaudet de illius malo, quia illi malum est: invidus autem respective ad se ipsum tristatur de bono proximi, quia credit illud minuere propriam excellentiam, adeoque apprehendit illud ut causativum sui mali. *Laymann* L. 2. t. 3. c. 10. n. 1., et *Sporer* cum *S. Th.* l. c. a. 3. affirmat cum communiori, invidiam esse mortale ex genere suo, quia directe est contra charitatem proximi, et voluntatem Dei omnia bona distribuentis; plerumque tamen veniale est ex levitate malae affectionis, inconsiderantia, aut parvitate materiae, et ita conciliantur *Stoz* et *Tamb.* cum cit. *Laym.* et comm. Ex invidia oritur *odium, detractio, susurratio* etc. Juxta *S. Basil.* hom. de invid. proprietas invidorum est, virtutem ex vicinitate vitii calumniari; invidi enim *fortitudinem, audaciam potius appellant: modestum, sine sensu hominem: justum, immitem et nimium severum: prudentem, astutum: magnificum, vastum: liberalem ut prodigum taxant: domestice frugalem, avarum dicunt. Denique omnis virtutis species in vicina vitiorum nomina convertunt, nusquam calumnia rebus laudatis deficiente.* Ibid. *Invidum feriunt omnia proximi sui bona, tam terrena, quam corporis et animi, spiritualia quoque et supernaturalia: imo bonum successum eorum suam calamitatem ducit.* Teste *S. Chrysost.* homil. 31. in 1. Cor. 12. hoc vitium non ita inest daemoni in daemonem, ut est in homine adversus alium hominem.

Casus *de Invidia.*

Ammonius saepe tristatur de scientia et virtute proximi, non quia proximus haec habet, sed praecise quia ipse iis caret. 2. *Tristatur de dignitate Titii, quia ex communi fama et certa experientia novit, quod Titius ea dignitate indignus sit.* 3. *Tristatur quod Cajus persecutor suus promotus sit ad certum officium, unde merito timet, ne occasione jam accepta graviter sibi noceat.* 4. *Vehementer dolet, dum videt quod emptores ad alios vicinos mercatores accedant, et suas merces negligant.* 5. *Denique se insigniter affligit, videns Petrum aestimari ob insignem suam pietatem, quod studeat continuo pietati et solidae virtuti, et quod extraordinaria dona Dei in illo eluceant.*

326. *Q.* I. Quid ad singula. R. *Quoad primum* non peccavit per invidiam, sed potius fuit aemulatio laudabilis; quia tristitia non est de bonis proximi, sed de propria penuria, quam comparando cum alterius abundantia magis advertit: et haec est illa aemulatio, de qua 1. Cor. 12. *Aemulamini charismata meliora. Laym.* l. c. n. 2. ubi addit quod non bona sit aemulatio, si rusticus tristetur, dum videt a nobilibus possideri agros et castra, sibi vero talia deesse. *Quoad secundum* non peccavit, si bona illa considerentur, prout a potestate humana contra justitiam distributivam obveniunt indigno, vel prout indignus iis abutitur ad peccandum. *S. Antonin.* p. 2. tit. 8. c. 1. Saepe tamen peccatur, si quis tristetur, quod Deus permittat, indignis conferri illa bona, quia voluntas nostra divinae voluntati nunquam repugnare debet, quae ob alios fines illud permittit. *Tertia* tristitia, si non temere, sed prudenter concipiatur, vitiosa non est; secus, si oriatur tantum ex temeraria suspicione. *Laymann* l. c. *Quoad quartum*, si Ammonius caeteroquin faveat aliis mercatoribus lucrum, et ideo tantum doleat, quod ille debeat carere lucro, non peccat; secus, si praecise ideo doleat, quod lucrum alii acquirant, et tenetur moderari hunc inordinatum affectum, ne majora mala inde oriantur. *Herzig* l. c. n. 417. *Quoad quintum* peccavit graviter, et vocatur *fraternae charitatis invidentia;* invidia enim diabolica est, invidere alteri bona supernaturalia, gratiam, sanctitatem vitae etc. *Sporer* l. c. n. 67.

327. *Q.* II. Quae sint remedia contra invidiam. R. 1. Recte monet *S. Aug.:* Invidia est filia superbiae; suffoca matrem, et non erit filia. 2. Meminerit invidus, quod ipse suus sit carnifex, quamdiu enim is, cui invidetur, prospera utitur fortuna, invido nec cibus lactus, nec potus potest esse jucundus, ipse sibi cor arrodit, quin propterea alter bonum suum amittat. 3. Cogitet, *quod sicut invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum* Sap. 2., ita per invidiam in cor hominis introcant plurima peccata et mors animae. 4. Directe se opponat motibus invidiae per actus benevolentiae tum verbis, tum opere.

De Gula.

328. *Resol. IV. Gula est inordinatus appetitus, et usus cibi et potus.* Excessus sive haec inordinatio in quinque modis praecipue consistit, in *praecepto, quantitate, qualitate, tempore,* et *modo* cibum vel potum sumendi. 1. In *praecepto:* siquis cibis ab Ecclesia, vel regulari disciplina, vel proprio voto prohibitis vescens, jejunium vel abstinentiam transgrediatur; et sic graviter vel leviter peccatur secundum prohibitionem gravem vel levem. 2. In *quantitate:* siquis nimium cibi aut potus sumat, cum sanitatis detrimento, aut si quis eo usque bibat, ut judicii usus vel turbetur, vel amittatur. 3. In *qualitate:* si quis cibo aut potu nimis exquisito aut pretiosiore, quam suus status aut conditio requirat, ob solam sensuum indulgentiam utatur. 4. *Tem-*

pore: si quis comedat saepius, quam expediat, vel tempore non competente, ut solent bibuli, statim atque excitantur a somno, inordinato appetitui satisfacere. 5. *Modo:* si quis nimio affectu, et *ob solam voluptatem* cibi ac potus comedat, vel bibat: item si modo indecenti, et ita festinanter, ut cibis totus homo immersus esse videatur. Gula juxta *Laymann, Sporer, et communiorem* ex genere suo est peccatum veniale oppositum *abstinentiae* (quae moderatur appetitum, usumque ciborum juxta rationis regulam); frequenter tamen grave peccatum est vel ratione scandali, vel ob gravia damna corporis, sanitatis, fortunarum, vel ratione officii, quod negligitur. *Ratio* est, quia si haec gravia mala absint, excessus adhuc manet in re indifferenti, et de se licita: ergo nonnisi venialis culpa est. Merito autem damnata est ab *Innoc. XI.* propositio octava, quod comedere et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non sit peccatum, modo non obsit valetudini; quia natura annexuit in comestione delectationem, ut medium, sive ut ea alliceremur ad sumendam necessariam vitae sustentationem, non vero tanquam finem: ergo ob voluptatem tanquam finem comedere, est invertere ordinem naturae; falsum etiam est, quod licite appetitus naturalis possit suis actibus frui, ut patet in ebrietate et libidine illicita.

Ebrietas *est voluntarius excessus in potu inebriante voluptatis causa usque ad privationem usus rationis. Laym.* L. 3. sect. 4. n. 4. Opponitur *sobrietati*, quae est *virtus moderans inordinatum appetitum, usumque potus habentis vim inebriandi.* Per se est peccatum mortale, juxta *S. Th.* 2. 2. q. 150. a. 2. Id satis patet ex Apostolo ad Gal. 5. ad Rom. 13. ad Ephes. 5. *Ratio S. Th.* est: quia voluntarie se inebrians praefert delectationem vini integritati rationis, et ultro se abjicit ad brutorum sortem sola voluptatis gratia; quae est gravis deformitas et grande malum.

Casus *de Ebrietate.*

Asaph legens propos. 8. *ab Innoc. XI. damnatum recordatur, quod plerumque voluptatis gratia comedat et bibet usque ad satietatem, ideoque se accusat in confessione*: 1. *Quod se inebriaverit.* 2. *Quod alios ad ebrietatem induxerit.*

329. *Q.* I. Quomodo Asaph peccarit. R. *Quoad* 1. Si ob solam (uti additur in damnata) voluptatem comederit et biberit, peccavit venialiter, si plena ebrietas voluntaria absit. Nullum vero peccatum fuit, si intenderit quidem aliquam voluptatem, sed vel virtualiter, vel formaliter alium finem simul spectarit, v. g. ut cibus et potus magis conducat ad nutritionem, sanitatem etc. *Viva* in d. propos. *Duarte* V. Gula. *Quoad* 2. quaerat Confessarius, an rationis usu fuerit destitutus, an ebrietatem intenderit, aut inter potandum eam observans, potum tamen continuarit: haec si fateatur, graviter peccavit. Secus, si dicat, quod vel plene usum rationis non amiserit, vel id nec intenderit, nec praeviderit, ut contingere solet iis, qui ob debilitatem stomachi indispositi sunt ad bibendum, vel vini generositatem ignorant, vel post liberaliorem potum libero aeri se committunt. *Burgh.* casu 1. cent. 1. cum 7. gravibus AA. Peccant juxta *P. Herzig* p. 2. n. 423. illi, qui diu noctuque potantes periculo ebrietatis se exponunt, non curantes an ebrietas secutura, vel non secutura sit. *Quoad* 3. R. cum *Laym.* l. c. n. 6. Peccat graviter, qui alios jussu, consilio, aliove modo invitat et directe inducit ad ebrietatem plenam: nam si ebrietas voluptatis causa volita per se graviter mala sit, etiam grave peccatum est, alium directe inducere ad illud malum gravem. Eodem modo loquere de iis, qui se voluptatis causa ad aequales calices provocant, si intendatur ebrietas, vel certo praevideatur periculum illius.

330. Porro *adverte I.* Mos patriae, aut bonus affectus non excusant a gravi peccato illum, qui convivam suum urget, et quasi necessitat ab bibendum us-

que ad periculum ebrietatis destituentis alterum usu rationis: tunc autem excusat, quando urbanitatis aut amicitiae gratia liberalior potus offertur, et saepius propinatur, in ea tamen quantitate et moderatione, ut spectatis circumstantiis non sit periculum ebrietatis aut gravis damni. *Burghaber* Cent. 3. casu 99. cum *Dicastillo.*

331. II. Juxta *Laym.* l. c. non est peccatum, vinum alteri apponere, relicta illi libertate, quantum bibere velit, quamvis putes illum ad ebrietatem usque bibiturum: quia talis cooperatio materialis tantum est, et se per accidens habet. Hinc excusat etiam caupones probabilis spes et opinio, quod hospites se plene, quantum requiritur ad peccatum mortale, non sint inebriaturi. *Gobat* in Quint. t. 5. c. 13. n. 52., *Sanch.* et alii: maxime si accedat timor periculi discordiarum aut notabilis damni, nisi vinum liberalius concedatur. N. B. Non tamen excusat modicum lucrum: hinc graviter peccant, qui vinum corrumpunt, ut facilius inebriet, ad alliciendos bibulos, ut eo citius vendatur illud. Item si citra incommodum ebrietatem impedire possint negando vinum, nec tamen impediant, ut ait *Herzig* l. c. n. 425.

332. III. Qui per experientiam scit, se communiter plene inebriari in his vel illis consortiis, tenetur illa vitare sub gravi peccato: quilibet enim tenetur cavere periculum proximum peccatis gravis. Addit *La Croix* L. 5. n. 328., non posse absolvi illum, qui non habet propositum evitandi ebrietatem, et probabile ejus periculum: intellige de theologica ebrietate, quae tollit usum rationis.

333. IV. Qui inter bibendum dubitat, vel advertit probabile periculum secuturae privationis rationis, adhuc tamen pergit bibere, peccat graviter; nisi prius dubium deponat et prudenter judicet, se non plene inebriatum iri.

334. V. Impeditus usus linguae, titubatio pedum, vomitus, objecta dupliciter apparentia, si domus everti videatur etc., non semper sunt signum certum ebrietatis plenae, qua peccetur graviter. Juxta *Lessium*, *Cajet.* et alios haec signa certiora sunt: si quis die altera ignoret, quid dixerit aut egerit: si nesciat, quomodo domum venerit: si talia dixerit, quae mente integra numquam dixisset: sic enim videtur non potuisse discernere inter licitum et illicitum etc.

335. VI. An liceat bibere ad ebrietatem ex causa gravissima, v. g. ad recuperandam sanitatem, aut pro conservanda vita, si hostis minitetur mortem, utrinque fortiter defenditur. Probabilior videtur esse sententia negativa *S. Antonini* p. 2. tit. 6. c. 3. *Angeli* V. Ebrietas. Quoad 2. *S. Aug.* serm. 232. de tempore, ubi ait: *Etiamsi ad hoc veniretur, ut tibi diceretur: aut bibas, aut morieris, melius tibi erat, ut caro tua sobria occideretur, quam per ebrietatem anima moreretur. Ratio* horum est: quia plena ebrietas non minus est intrinsece mala, quam pollutio: sicut enim haec est destructio seminis humani, ita illa est destructio rationis, qua nihil praestantius in homine. Ergo sicut pollutio nullo casu est licita, ita nec ebrietas destruens rationem.

Econtra utrumque licitum esse affirmant *Sylv.* V. Ebrietas, *Cajet.*, *Azor*, *Illsung* t. 4. d. 1. n. 54., ubi in fine addit, quod haec sententia affirmet tantum, tum licitam esse ebrietatem ad recuperandam sanitatem, si potus inebrians nullo alio medio suppleri possit, quod vix continget. *Gobat* autem in Quin. t. 5. c. 18. n. 15. concedit, licitam esse inebriationem ad morbum gravem, etiam non lethalem, curandum. N.B. si aliter curari nequeat. *Ratio* patronorum hujus sententiae 1. est, quod si non bibatur ex sola voluptate, non sit ebrietas formalis, sed materialis, quae non sit intrinsece mala, sed licita ex urgenti causa. 2. Quod licitum sit ex gravi causa sumere pharmacum soporiferum, etsi quis statim ex somno ad usum rationis excitari non possit: ergo a pari. 3. Quod non sit contra charitatem propriam, pati abscissionem brachii pro conservanda vita: ergo nec contra sobrietatem sopire per potum ad tempus rationem, ut conservetur totum, ratio et vita. Quas rationes solvit *Jansen.* casu 12. de peccat. post n. 10. ex eo quod in dictis casibus directe non intendatur aliquid

intrinsece malum, sicut in nostro casu. Adde quod citati AA. fere semper supponant, non superesse aliud remedium: adeoque nec ipsi facile concedunt hanc temulentam medicinam.

336. *Q.* II. Quae sint remedia contra hoc commune vitium. R. 1. Perpendat ebrietati deditus multiplex vae in Scriptura sibi intentatum. Isaiae. 5. *Vae! qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem.* 2. Cogitet quod ab ipsis brutis longe superetur, quae nunquam ultra satietatem se ingurgitant. 3. Consideret gulae et ebrietatis effectus, quales sunt, *vitae et valetudinis decurtatio.* Nam *propter crapulam multi obierunt.* Eccl. 37. Item: *Cui vae? cujus patri vae? cui rixae? cui foveae? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? nonne his, qui commorantur in vino, et student calicibus epotandis?* Prov. 23. Paupertas: nam *qui diligit epulas, in egestate erit: qui amat vinum . . . non ditabitur.* Prov. 21. Luxuria: nam *luxuriosa res est vinum, et tumultuosa ebrietas quicumque his delectatur, non erit sapiens.* Prov. 20. Denique *neque ebriosi possidebunt regnum Dei.* 1. Cor. 6. . . . 4. Sequatur bibulus consilium *P. Georgii Scherer:* Bibe parum, si velis bibere multum: moderate enim bibendo diu protrahes vitam; ergo plus bibes, quam si immoderate potando mortem tibi acceleres. Haec enim bibulis hora, qua non putant, solet advenire. Hinc Christus Luc. 25. monet; *Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula, et ebrietate, et superveniat in vos repentina dies illa.* In confessionali pro vario statu poenitentium plura et accomodata remedia suggeret prudentia Confessarii, praesertim si plebejis bibulis pro poenitentia injungat, ut usque ad proximam confessionem non frequentent hospitia. NB. Dum plebeji se accusant de semiplena ebrietate, plerumque non addunt actus turpissimos eo tempore commissos, eoquod perperam putent, tunc non fuisse peccata, id quod Confessarius debet dedocere.

De Ira

337. *Resol. V. Ira est inordinatus appetitus vindictae.* Dixi: *Inordinatus:* nam cum debita moderatione et ordine rationis petere aut sumere vindictam, non est vitium, sed zelus: hinc Psalm. 4. *Irascimini, et nolite peccare.* Sic actum virtutis exercet judex justam vindictam sumendo a reo, parens a filio, dominus a servo. Peccaminosa irae inordinatio *primo* contingit *ex parte modi irascendi,* dum quis nimium interius excandescit, vel exterius per signa prodit, aut justam vindictam majore cum vehementia repetit, quam recta ratio postulat. Haec per se est peccatum veniale, quia est excessus in passione indifferente: per accidens fit mortale ob grave damnum sibi in sanitate aut alteri simul illatum. *Secundo ex parte objecti,* appetendo vindictam injustam, vel justa majorem, v. g. optando alteri mortem, quam meritus non est: vel si repetatur quidem justa vindicta, sed ex odio, sive ad satiandum malevolum animum, quod directe opponitur charitati; et haec inordinatio graviter peccaminosa est, quando appetitur vindicta gravis, vel quando ex illa quis erumpit in maledicta deliberata, blasphemias, imprecationes, graves contumelias etc. *Ratio* est: quia tunc laesio charitatis, et materia gravis est. *S. Th.* 2. 2. q. 158., *Sporer* l. c. n. 70. et comm. Differunt inter se indignatio, ira et iracundia. *Indignatio* est stimulus quidam brevis et subitus actus irascentis, haec recte definitur, *accensio quaedam cordis inordinata propter ea, quae contra voluntatem nostram eveniunt. Ira* est vehementior motus, ac veluti libido quaedam se vindicandi. *Iracundia,* est habitus et consuetudo irascendi. Ex ira tria peccatorum genera oriuntur, 1. *cogitationis,* v. g. odium proximi, vindictae propositum, desiderium ut malum illi eveniat, gaudium, quando is malum jam sentit, tristitia de ejus bono, voluptas in vindicta sumenda etc. 2. *Linguae,* scil. verba vindictae, contumeliae, injuriae coram proximo, vel in absentem

murmurationes, imprecationes, rixae, verba clamorosa, injuriosa, imo et blasphema etc. 3. *Operis*, de quibus in 5. praecepto Decal. nimirum vulnerare, mutilare, occidere proximum, gravia damna inferre, vel cum quovis modo inique persequi ex vindicta. De his *S. Greg.* L. 31. Moral. c. 17., *S. Thom.* 2. 2. q. 158. a. 7.

Casus de Ira

Apulaeus se accusat, quod saepe iratus fuerit: et quoniam advertit quod hanc passionem remanens in saeculo non possit domare, ingreditur ordinem religiosum: videns autem quod a fratribus frequens irae occasio ministretur, fugit in solitudinem: sed cum ibi a daemone ter ipsi vas aquae eversum esset, valde iratus illud in terram allisit: tandem advertens, non posse domari hanc passionem, nisi vim sibi inferret, reddit ad monasterium. Ita Spec. Exempl.

338. *Q.* I. Quid agendum Confessario, si poenitens in genere dicat; Iratus fui. R. Inquirendum an vehementius tantum exarserit, an vindicare se intenderit. *Si primum:* leviter tantum peccasse plerumque censetur, nisi forte scandalum grave, aut alia circumstantia aggravasset, imo si moderamen non excessit indignatio, vel si fuerit motus primo-primus, plane a peccato excusatur. *Si secundum*: inquirendum an vindicta intenta gravis fuerit, vel levis: item an haec intentio fuerit ex plena deliberatione, aut tantum semiplena; dein an subsecutae sint deliberatae, vel indeliberatae blasphemiae, maledictiones, imprecationes etc. Sic gravitas, vel levitas irae facile dignoscetur. Porro injusta vindicta censetur 1. Si appetatur alicui poena, qui malum non egit. 2. Si major poena delicto. 3. Si sine debito ordine juris. 4. Si absque debito fine, qui est ad bonum tuendum et malum puniendum. 5. Si absque debito modo, v. g. maledicendo etc.

339. *Q.* II. Quaenam sint remedia contra iram. R. 1. Perpendat iracundus: si Deus ex justissimis causis de nostris peccatis justam vindictam vellet sumere, quot poenas gravissimas quotidie deberemus sustinere. 2. Perpendat mala corporis ex ira provenientia: sanitati enim nihil aeque nocet, ac ira. Hinc Jobi 5. *Virum stultum interficit iracundia.* Item Eccl. 30. *Zelus et iracundia minuent dies.* 3. Mala animae propter plurima peccata ex ira provenientia: *Qui ad indignandum facilis est, erit ad peccandum proclivior.* Eccl. 30. 4. Poenas: *Qui irascitur fratri suo, reus erit Judicio*, ait Christus Matth. 5. Denique quotidie efficaciter proponat imitari Christum, qui Matth. 11. ait, *Discite a me, qui mitis sum et humilis corde.* Mature hanc passionem suam compescere studeant: recte ait s. Basil. *Quando semel irae perturbatio mentem praecipitans imperium animae sumpserit hominem penitus in feram convertit, nec hominem, qui rationis sit compos, esse sinit.* Dum motum irae sentit, ad aliud objectum se convertat, nec unquam in irae aestu puniat: praestat etiam sibi ipsi poenam injungere, quoties delinquitur ex ira; hoc medio Ausonius Poeta iram suppressit, ut ipse fatetur:

Irasci promptus properavi condere motum,
Atque mihi poenas pro levitate dedi.

De Acedia

340. *Resol. VI.* Acedia generice est *taedium animi.* Juxta *S. Th.* 2. 2. q. 35. a. 2. dupliciter potest spectari. 1. Pro taedio et tristitia de bonis spiritualibus ac divinis v. g. amicitia Dei, vita aeterna, et mediis ad eam consequendam necessariis, propter difficultatem iis acquirendis, vel conservandis. Hoc modo, si acedia deliberata sit, est peccatum mortale; quia sic directe homo se avertit a Deo, tanquam ab ultimo fine. 2. Acedia sumitur pro fastidio et tepore ani-

mi in exercitio virtutum, quibus labor et arduitas sunt conjuncta; sic intellecta est peccatum veniale, nisi omittantur actus virtutum graviter praecepti v. g. auditio missae die festo, recitatio breviarii etc. Acediae mali partus sunt, amaritudo, nausea, odium rerum spiritualium, torpor in servitio divino, negligens praeparatio ad suscipienda et administranda sacramenta, otium, pusillanimitas, evagatio mentis sub oratione ad illicita, aversio a verbo Dei, et eorum, qui salutaria monent, odium Dei, taedium vitae, desperatio etc.

Casus *De Acedia*

Automarus se accusat 1. quod, cum nuper aegrotus esset, grave taedium habuerit ad recitandam etiam unicam orationem dominicam. 2. Quod sanus saepe distractus fuerit in precibus. 3. Quod aliquoties grave taedium habuerit circa aeternam beatitudinem consequendam. 4. Quod saepe tristetur, se baptizatum esse et Christum agnovisse.

341. *Q.* I. An et quomodo in singulis peccaverit Automarus R. *Ad* 1. Res nimis nota est, quomodo praesente morbo homo sit naturaliter indispositus ad orationem cum gustu et solatio persolvendam; adeoque taedium hoc non est peccaminosum, si tamen conetur aegrotus vincere taedium, quantum potest, et non negligat absolute necessaria. *Ad* 2. Distractiones in precibus involuntariae culpa carent, voluntariae per se sunt veniale peccatum, nisi ita immodicae sint, ut propter eas non satisfiat praecepto graviter obliganti, v. g. audiendi missam etc. *Ad* 3. Si taedium ad finem ultimum sit efficax cum voluntate adimplendi omnia praecepta, est tantum veniale, imo si stante etiam taedio homo praestet id, quod cum gratia divina praestare potest, occasio majoris meriti est. *Ad* 4. Si deliberate illi tristitiae inhaeserit, peccavit graviter, quia fuisset gravis contemptus Christi Salvatoris, et medii necessarii ad salutem: vide *Sporer* l. c. n. 71. ubi addit quod acedia causans omissionem operis graviter praecepti, vel negligentem executionem, constituat unum peccatum cum ipsa omissione, vel negligenti executione, quam sufficit, in confessione exprimere; tunc autem speciale peccatum foret, si actus omitteretur, quia ad Dei cultum spectat, et quidem ex displicentia voluntariae gratiae et gloriae.

342. *Q.* II. Quae sint remedia contra acediam. R. Sciat tepidus et acediae deditus, quod tam ingratus Deo sit, quam homini cibus brevi evomendus. Juxta illud *Apoc.* 3. *Utinam frigidus esses, aut calidus; sed quia tepidus es, et nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo.* 2. Recogitet, quantum laborem impendat pro bono corporis: eccur non majorem fervorem pro bono animae? 3. Perpendat innumera beneficia a Deo praestita, quae exigunt gratitudinem non tepidam, sed condignam. 4. Homo servum torpentem, otiosum, negligentem, indignum reputat pane, et aqua: nonne et tu torpens ac tepidus servus Dei es? 5. Consideret acediae deditus fervorem plurimorum Christianorum, et imitetur eorum exemplum.

TRACTATUS III.

DE PRÆCEPTIS DECALOGI

CAPUT I. *De Primo Praecepto.*

Pleraque praecepta Decalogi quoad sonum litteralem videntur quidem esse negativa tantum, sive prohibitiva: reipsa tamen singula sunt etiam affirmativa, sive aliquid praecipientia. Praecepta primae tabulae h. e. tria prima continent ea, quae ad charitatem Dei, secundae autem h. e. reliqua septem continent illa, quae ad charitatem proximi pertinent. In primo hoc capite agemus de primo praecepto. *Ego sum Dominus Deus tuus: Non habebis Deos alienos coram me: Non facies tibi sculptile, ut adores illud. Exodi* 20. Hoc praeceptum, ut affirmativum est, praecipit actus religionis, quae *est virtus moralis, qua interior et exterior cultus Deo exhibetur propter infinitam ejus excellentiam:* directe Deus colitur per fidem, spem et charitatem; prout vero est negativum, prohibet actus religioni oppositos, de quibus nunc agendum.

ARTICULUS I. *De Fide, Spe, et Charitate.*

§. I. *Principia generalia de Obligatione credendi.*

343. *Nota* I. Fides in genere *est assensus praestitus propter auctoritatem loquentis;* si sit propter auctoritatem dicentis Dei, dicitur *fides divina; si* ob auctoritatem loquentis hominis, est humana. Porro fides divina alia est *naturalis,* in quam non influit habitus, vel aliud principium supernaturale: alia *supernaturalis,* in quam influit aliquod principium supernaturale. Fides divina supernaturalis, de qua hic solum agimus, iterum dividitur in habitualem, et actualem. *Habitualis* communiter definitur donum Dei (*Juxta Apost. ad Ephes.* 2. *v.* 8.) ac lumen, quo illustratus homo firmiter assentitur omnibus, quae Deus revelavit, sive scripta illa sint, sive non sint; ex quo cruitur, quod *objectum materiale* fidei sint omnia et sola a Deo revelata sive per scripturam, sive per traditionem: duplex enim est verbum Dei, *scriptum* et *traditum:* nam veritates a Deo revelatae partim continentur in libris scriptis tum veteris tum novi Testamenti, partim *sine scripto in Traditionibus, quae ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu S. dictante, quasi per manus traditae, ad nos usque pervenerunt,* ait *Trid.* sess. 4. in Decret. de Can. Script. *Objectum formale fidei* est auctoritas Dei in cognoscendo, et loquendo; Deus enim per infinitam sapientiam suam omnia cognoscit, ut sunt in se, ideoque falli nequit; per veracitatem autem suam necessario loquitur et manifestat, sicut cognoscit, ideoque nec fallere potest: ergo propter utramque perfectionem dignus est Deus firmissimo assensu. Alias a Theologis fides *habitualis* definitur: *Habitualis* est habitus infusus, sive virtus supernaturalis habilitans et adjuvans intellectum ad firmiter credendum omnia a Deo revelata propter infallibilem Dei revelantis auctoritatem. *Actualis* est assensus firmus et certus, quo intellectus lumine supernaturali illustratus actualiter assentitur uni, aut omnibus mysteriis a Deo revelatis propter infallibilem Dei revelantis auctoritatem.

344. III. Fides actualis alia est *Explicita,* quando aliquod mysterium in particulari in se ipso, et propriis terminis significatum creditur, v. g. quod Deus sit trinus in Personis: alia *Implicita,* quando aliquod objectum revelatum creditur non in se ipso, et propriis terminis cognitum, sed in alio,

in quo implicite continetur, v. g. qui credit, quidquid Deus revelavit, vel quidquid credit Ecclesia Catholica, is credit implicite mysterium Trinitatis, quia inter veritates a Deo revelatas, quas credit Ecclesia, continetur. Porro duobus modis dicitur aliquid esse necessarium ad salutem. 1. *Necessitate medii*, sine quo homo nullo modo salvari potest, etiamsi sine ulla propria culpa tali medio careat. Taliter necessaria alia sunt ad credendum, alia ad agendum, de quibus infra. 2. *Necessarium necessitate praecepti*, quod quidem homo ex praecepto tenetur scire, aut exequi, si tamen ex ignorantia inculpabili, vel impossibilitate nesciat, aut omittat, adhuc salvari potest. Sic necessaria est restitutio rei alienae, quam si culpabiliter negligas, salvus non eris; si vero ex impotentia non restituas, volens, si posses, adhuc potes salvari. *Babenst.* t. 5. d. 1. n. 2. cum comm.

345. *Principium I.* 1. *Fides habitualis omnibus tam infantibus, quam adultis necessaria est ad salutem necessitate medii.* 2. *Fides actualis supernaturalis adultis pariter necessaria est absolute, sive necessitate medii ad justificationem, et salutem. Prob.* prima pars. *Hebr.* 11. absolute ait s. Paulus: *Sine fide impossibile est placere Deo:* infantes autem habere nequeunt fidem actualem: ergo, ut placeant Deo, debent necessario habere fidem habitualem. *Confirm.* ex Trid. sess. 6. c. 7. de Justif. ubi baptismus dicitur *Sacramentum fidei, sine quo nulli unquam contingit justificatio. Prob.* 2. pars ex illo *Marci ult.: Qui non crediderit, condemnabitur. Confirm.* ex Trid. sess. 6. c. 8. *Fides est humanae salutis initium, fundamentum, et radix omnis justificationis* etc. Opposita sententia damnata est ab *Innoc. XI.* per propos. 16.; item ab *Alex. VII.* per propos. 1. *Ratio* insuper est: quia Deus juxta modernum ordinem adultos non justificat, nisi per proprios actus tendant in ipsum tanquam finem ultimum: atqui tendere non possunt sine actu interno fidei, et quidem supernaturalis: naturalis enim non sufficit, ut patet ex propos. 23. *ab Innoc. XI.* damnata. *Ratio* damn. est, quia actus naturalis non est proportionatus justificationi; atqui fides ex testimonio creaturarum est actus naturalis. ergo.

Porro ad actum fidei supernaturalem et meritorium requiritur 1. *Ex parte intellectus* notitia mysteriorum, et Spiritus S. illustratio (juxta illud Joan. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum*) qua incipiat requirere, vel cognoscere motiva credibilitatis, quibus moraliter certo, et evidenter persuadeatur, quod hoc vel illud objectum revera sit revelatum, ideoque possit ac debeat credi assensu firmissimo, et hoc vocatur *judicium credenditatis* propter revel. divinam. Quod autem non sufficiat cognitio probabilis revelationis, sed requiratur certa, patet ex propos. 21. *ab Innoc. XI.* damn. Requiritur etiam cognitio auctoritatis sive infallibilitatis Dei in loquendo. 2. *Ex parte voluntatis* requiritur pia affectio sive voluntas submittendi intellectum suum in re quantumcumque obscura auctoritati Dei dicentis juxta illud. 2. Cor. 10. v. 5. *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* Ab hac voluntate fides divina dicitur libera, et meritoria; haec voluntas efficere potest, ut assensus intellectus sit firmior, quam mereantur motiva credibilitatis, ut constat ex propos. 19. *ab Innoc. XI.* damn. *Ratio* est; quia fides habet omnimodam certitudinem, adeoque majorem, quam ullus assensus naturalis; atqui non haberet, si eam tantum haberet a pondere rationum; objecta enim fidei non sunt evidentia: ergo eam a pondere rationum non accipit: ergo voluntas potest efficere, ut assensus sit magis firmus. Hinc etiam non potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem, ut iterum patet ex propos. 20. *ab Innoc. XI.* damn. tum quia actui fidei non potest subesse falsitas, tum quia nequit repudiari Dei testimonium, denique quia ut actus fidei sit supernaturalis, debet mysterium fidei esse evidenter credibile, nec sufficit sola probabilitas, quod Deus sit locutus; atqui posita evidentia, quod Deus sit

locutus, non potest esse probabile, quod Deus non sit locutus: ergo actus fidei prudenter non potest repudiari. Denique sequitur ipse actus fidei. Ad judicium autem credibilitatis, et credenditatis maxime movet auctoritas Ecclesiae Catholicae, quatenus ei conveniunt, et quidem soli, notae verae Ecclesiae, scil. quod sit *Una, Sancta, Catholica*, et *Apostolica*.

» *Q.* 1. Quid sit actum aliquem fidei supernaturalis elicere.

» R. Nihil esse aliud, quam libere intellectum applicare ad firmiter assentiendum alicui veritati a Deo revelatae, et per Ecclesiam nobis propositae: quia veritas illa est a Deo revelata, et ut talis ab Ecclesia proposita.

» Unde patet, ad actum fidei supernaturalis quinque requiri conditiones quarum si vel una deficiat, deficit etiam fides: 1. est, ut actus sit deliberatus, et a libera voluntatis electione procedat, quod illi cum aliarum virtutum actibus commune est. 2. Ut habeat pro objecto veritatem aliquam a Deo revelatam sive per Scripturam S., sive per traditionem divinam. 3. Ut intellectus assentiatur veritati a Deo revelatae, propter infallibilem Dei revelantis auctoritatem; si enim id faciat ob aliquam rationem credibilitatis, non amplius actum fidei elicit; cum fides sola Dei revelantis auctoritate, non vero ulla ratione innitatur. 4. Ut firmiter et seclusa omni dubitatione assentiatur, alias assensus ille non amplius innititur revelatione divina; vel si innitatur, gravissimam injuriam Deo infert, cujus veritatem et infallibilitatem hoc pacto in dubium revocat. 5. Denique conditio est, ut veritas a Deo revelata, per Ecclesiam credenda proponatur; cujus conditionis defectu fides haereticorum non est vera fides supernaturalis, quia veritates quas credunt, non ab Ecclesia, sed a sensu proprio et particulari judicio credendas accipiunt: et non tantum ex hoc capite deficit illorum fides, sed etiam ex eo, quod (ut docet s. Thomas) qui vel in uno articulo a fide deficit, totam fidem amittit: unde etiamsi haeretici plurima Religionis Christianae mysteria credere videantur, illa tamen non fide supernaturali et divina, sed fide tantum et opinione humana credunt.

» Addunt aliqui et sextam conditionem, scilicet, ut assensus fidei referatur in Deum, tanquam finem ultimum, et hoc quidem verum est, si de fide viva et per charitatem formata sermo sit, cujus omnes actus saltem virtualiter ab ipsa charitate informante, in Deum referuntur: verum proprie loquendo tales actus potius actus charitatis, quam fidei vocari debent; unde s. Augustinus Serm. 181. *de verbis Domini*, loquens de fide illa per charitatem formata, dicit, quod *credere in Deum* est Deum diligere, et Serm. 6. hanc inter peccatorem et justum ponit differentiam, *quod peccator quidem credat Christo, et credat Christum*, sed non credat *in Christum;* hoc enim sine charitate qua privatus est, facere non potest, ac proinde credere in Christum solius justi proprium est.

» *Q.* 2. Quae sint motiva credibilitatis pro fide Catholico-Romana, quae fidei regula et resolutio.

» *Nota* 1. Per Ecclesiam hic intelligitur coetus fidelium in una vera religione Deum colentium, ex quibus fit corpus mysticum constans capite suo et membris; auctoritas hujus est duplex: una *humana*, quae fundatur in pietate, sapientia, prudentia eorum, qui jam a tot saeculis corpus Ecclesiae constituerunt, item in sanctitate, doctrina, constantia Martyrum et Confessorum, aliisque id generis argumentis: alia est *quasi divina* fundata in speciali Spiritus Sancti assistentia, qua Ecclesia regitur circa res fidei juxta illud *Matth.* 25. v. 16. *Portae Inferi non praevalebunt adversus eam.* Prior auctoritas est quidem maxima in genere suo, attamen absolute fallibilis, non enim repugnat ex natura rei in rebus adeo obscuris, ut sunt aliqua fidei mysteria, etiam virorum illorum coetum in

» errorem labi; altera est plane infallibilis ob specialem assistentiam Spi-
» ritus Sancti.

» *Nota* 2. Ecclesia vera debet esse visibilis et infallibilis in rebus fidei
» et morum, et habere caput visibile; nam jubemur eam ingredi et illi
» obedire *Marci ult. Matth.* 15. Sed haec quomodo fient, si non habeat Notas,
» quibus cognoscatur? Deinde dicitur 1. Tim. 3. v. 16. *Columna et firma-*
» *mentum veritatis*, et Matth. 16. *Portae inferi non praevalebunt adversus*
» *eam*, quae vera non essent, si posset errare in rebus fidei et morum.

» *Nota* 3. Ecclesia quoad haec est infallibilis non tantum in Concilio
» generali legitime congregato et auctoritate Pontificis confirmato, quia
» hoc repraesentat totam Ecclesiam, nec possibile est omnes fideles con-
» venire, sed etiam in suo capite, hoc est, Papa loquente ex cathedra;
» quia ortis controversiis non possunt semper Concilia convocari. Loqui-
» tur autem Papa ex cathedra, quando ut caput et doctor universalis Ec-
» clesiae aliquid tanquam fide divina credendum, aut velut honestum vel
» inhonestum definit toti Ecclesiae; sic enim loquenti promissa est assi-
» stentia Spiritus Sancti, ut oves sibi commissas salutari doctrina pascat et
» ducat ad salutem.

» R. 1. Motiva credibilitatis pro fide et Ecclesia Catholica sunt: 1. Reli-
» gionis nostrae antiquitas ejusque stabilitas, quam nec Barbarorum rabies,
» nec tota Daemonum machina potuit evertere. 2. Multitudo miraculorum di-
» recte in confirmationem fidei patratorum. 3. Modus mirabilis, quo pro-
» pagata est, licet contraria inclinationi naturali doceret. Denique 4. Vati-
» cinia, non solum Prophetarum, et Sybillarum impleta. Huc faciunt qua-
» tuor supra memoratae Notae verae Ecclesiae, nimirum quod sit *Una, San-*
» *cta, Catholica et Apostolica*, 1. consistit in unitate sive consensu fide-
» lium in credendis mysteriis, qui non obstant controversiae theologicae in
» materiis fidem non concernentibus, aut circa propositiones ab Ecclesia non-
» dum definitas, aut circa caeremonias tantum aut ritus accidentales: 2. in
» sanctitate vitae hominum secundum instituta Ecclesiae viventium, ac puri-
» tate doctrinae, quae nil iniquum in materia fidei aut morum continet: 3. in
» extensione ad omnes fere mundi regiones et gentes: 4. in conformita-
» te doctrinae cum doctrina Apostolorum et continua successione Episcopo-
» rum. Has quatuor notas convenire Ecclesiae Romano-Catholicae et quidem
» soli patet evidentia facti, et evidenter demonstrant Controversistae.

» *Coroll.* Cum Catholico satis instructo non possit esse ratio prudens
» dubitandi, non licet ipsi dubitare de veritate suae Religionis, aut ullo
» fidei articulo; contrarium per se est de haeretico.

R. 2. Regula fidei infallibilis et in multis sufficiens est sacra Scriptura,
» sive verbum Dei scriptum, quia multa fidei mysteria satis clare exprimit;
» sed necessaria quoque est traditio divina, quia multa credimus et nobi-
» scum credunt haeretici, quae in Scriptura non continentur, v. g. Symbolum
» fidei esse Apostolicum, libros aliquos esse canonicos sive dictatos a Spiritu
» Sancto, alios non; de his ait Apostolus 2. Thess. 2. v. 14. *State et tenete*
» *traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per Epistolam no-*
» *stram.* Insuper necessarius est controversiarum fidei judex animatus, qui
» est Ecclesia; ut enim fidelis infallibiliter credat quae continentur in vera
» scriptura et traditione, debet cognoscere, quae sit vera scriptura, quae
» vera traditio, et quis legitimus utriusque sensus; illa enim duo sunt
» obscura et controversa, nunquam ex Scriptura poterit haereticus pro-
» bare se habere veram Scripturam, nihil esse credendum, nisi quod in
» Scriptura continetur etc. Spiritus autem privatus, quem fingunt sibi hae-
» retici, est incertus, sibi ipsi contrarius, ut constat in ipsis haereticis sibi
» invicem contrariis. Interim Ecclesia non habet novas revelationes, sed
» tantum proponit et exponit verum Scripturae sensum.

» R. 3. Resolutio fidei sine circulo vitioso fit hoc vel simili modo: credo » v. g. incarnationem, quia Deus, qui nec falli potest, nec fallere, dixit. » Interrogatus: unde habeam Deum id revelasse: respondeo: ex Scriptura, » quam mihi demonstrat Ecclesiae auctoritas, quae ob assistentiam Spiri- » tus Sancti errare non potest. Ubi vides Scripturam et applicationem Eccle- » siae se habere per modum conditionis sine qua non. Si denique inter- » roget; cur credam Ecclesiam Romanam esse veram Ecclesiam, et non po- » tius Sinagogam Sathanae? Respondeo id evidenter colligi ex notis verae » Ecclesiae, aliisque signis credibilitatis, quae evidenter ei soli conveniunt: » hinc dum s. Augustinus ait: *Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiae* » *Catholicae moveret auctoritas*, vult auctoritatem Ecclesiae esse condi- » tionem, sine qua non cognosceret certo Evangelium sibi propositum esse » revera Evangelium Christi. Unde licet quoad propositionem credendo- » rum fides resolvatur in auctoritate Ecclesiae, ut regulam fidei et condi- » tionem applicativam; quoad asssensum tamen fit in solam auctoritatem » Dei ut motivum formale assentiendi.

» *Coroll.* Non possum credere fide divina Christum esse praesentem sub » hac numero hostia a me consecrata, quia non possum esse certus de va- » lore ordinationis, ergo nec de valida consecratione; ergo nec elicere actum » fidei de Christi praesentia super omnia certissimum; quia tamen de hoc » prudenter dubitare non possum, tenecor absolute eam adorare, sicut te- » neor absolute venerari eum, de quo prudenter dubitare non possum, » quin sit meus parens. Igitur absolute credo Christum esse sub omni hostia » consecrata, et conditionate sub hac, si sit rite consecrata.

346. *Princ. II. Fides explicita Dei ut existentis et ut remuneratoris omnibus ratione utentibus necessaria est necessitate medii. Prob.* ex Hebr. c. 11. v. 6. *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit. Confirm.* ex propos. 22. *ab Innoc. XI.* damnata. *Ratio* ulterior est, quia sine tali fide homo adultus non potest se congrue disponere per spem et charitatem ad justificationem, ad quam tamen necessario se debet disponere juxta *Trid.* sess. 6. c. 7. et 8. Juxta probabilem quidem, ut ait *Laym.* l. c. cum *Soto*, *Vega*, *Sa*, et aliis explicita fides de SS. Trinitate, et Incarnatione Christi neque post promulgationem Evangelii necessaria est absolute, sive necessitate medii, eo quod tanta necessitas nec ex natura rei, nec ex Scriptura, aut PP. traditione ostendi possit; nihilominus contraria sententia *Gabrielis*, *Lodov. Molina*, *Becani*, *Pontas* V. Fides, *Sanch.* in Decal. L. 2. c. 2. n. 8. et 10. in praxi tenenda est, hoc ipso quod quaestio sit de necessitate ad salutem necessitate medii. Ideoque in cathechesi praestat docere absolute necessariam esse cognitionem mysterii Trinitatis, et Incarnationis Christi, item eorum, quae latent in his mysteriis, a Deo omnia fuisse ex nihilo producta, omnia ab eo regi, Deum esse remuneratorem bonorum non tantum in hac vita, sed potissimum in altera, eum esse judicem justissimum et vindicem malorum, animam hominis esse immortalem, et gratiam Dei esse necessaria ad salutem consequendam: quae 7. puncta sequenti versu comprehenduntur: *Facta*, *Regit*, *Judex*, *Mens immortalis*, *Opemque*, *Tres*, *Caro*. Hanc fidem explicitam circa necessaria necessitate medii et praecepti praeprimis in cathechismis et concionibus exponendam monet *Bened. XIV.* Tom. I. Bull. in Constit. quae incipit: *Etsi minime*. Frequenter etiam inculcanda sunt mysteria vitae, passionis, ac mortis Christi, item effectus passionis ac mortis, scil. quod Christus *dederit redemptionem semetipsum pro omnibus*, 1. Tim. c. 2. v. 6. item 1. Joan. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* Ideoque falsum est quod Christus semetipsum dederit oblationem Deo, pro omnibus et solis fidelibus, ut patet ex propos. 4. ab *Alex. VIII.* damnata. Falsum quoque est, quod Pagani, Judaei, haere-

tici, aliique hujus generis nullum omnino accipiant a Jesu Christo influxum, ita ut illis sit voluntas nuda et inermis, sine omni gratia sufficienti, ut patet ex propos. 5. ab eod. damn. Salvator enim noster *omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.* 1. Tim. c. 2. v. 4. Ipse est *lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Joan. c. 1. v. 9. Illi autem soli non juvantur propria culpa Christi gratia, qui se in ipsis gratiae impedimentum praestant, ut ait *S. Thom.* c. 159. contra gentes.

347. *Princip. III. Necessitate praecepti tenentur adulti saltem quoad substantiam scire, et credere:* 1. *Articulos fidei, qui continentur Symbolo Apostolorum.* 2. *Orationem Dominicam.* 3. *Decalogum, et praecepta Ecclesiae:* 4. *Septem Sacramenta, Baptismum quidem, Eucharistiam, et Poenitentiam primario, reliqua vero tunc saltem, quando suscipienda sunt.* His addunt alii signum S. Crucis, ejusque formulam. Breviter haec comprehenduntur reliquo versu: *Credo, Pater, Mandans, Ecclesia, Septem. Ratio est:* quia Symbolum Apost. requiritur ad recte credendum, Oratio Dominica ad recte sperandum, reliqua ad bonum faciendum, malum fugiendum. *Confirm.* Quilibet tenetur scire ea, quae pertinent ad statum et officium suum: atqui praedicta pertinent ad officium hominis Christiani: ergo. Dixi, *saltem quoad substantiam:* tripliciter enim quis potest scire articulos fidei. 1. *Secundum substantiam*, h. e. secundum id, quod simpliciter significatur vocibus, v. g. si parvulus praecise sciat, quod sit unus Deus, et tres Personae. 2. *Secundum modum*, h. e. secundum explicationem mysterii, quae communiter habetur adjecta in catechismis, vel traditur in instructione, v. g. si cathecumenus interrogetur, quare tres Personae non sint tres Dii, et respondeat: quia habent unam, eandemque naturam divinam. Item, si sciat probare mysterium ex Scriptura, vel aliunde. 3. *Secundum difficultates* vel *controversias*, quae circa articulos fidei solent occurrere, scil. si non tantum reddi possit sufficiens ratio credendorum, praesertim contra HH. sed etiam eorum objectiones apte possint solvi. Primo igitur modo adulti praesertim rudiores satisfaciunt praecepto; erroneam autem sententiam dicit *Laym.* l. c. 9., quae affirmat, hominibus rudibus satis esse, si praecipua ista fidei nostrae capita tantum implicite credant, credendo nimirum, quidquid credit s. mater Ecclesia. Parochi tamen, Curati, Confessarii, Concionatores secundo modo, imo Episcopi, Praelati, et Doctores etiam tertio modo illa scire tenentur; hi enim debent esse parati ad reddendam rationem fidei, quae est in subditis, eamque defendere contra HH. ut habetur 1. *Petr.* 3. *v.* 15. Illi enim tenentur rudes docere, eisque explicare articulos fidei, quod praestare non possunt, ut oportet, sine maturiore et clariore cognitione. Vide *Trid.* sess. 5. C. 2. et sess. 22. C. 2. Denique connitendum quidem omni modo, ut praedicti articuli memoriae mandentur secundum ordinem verborum; gravis tamen obligatio probari non potest, ista sciendi et discendi eo ordine et verbis, quibus proponuntur, sed satis est, si quispiam interrogatus quoad substantiam recte respondeat. *Sanch.* l. c. c. 3. n. 16., *Babenst.* t. 5. d. 1. a. 1. n. 26.

348. *Princ. IV. Praeceptum fidei secundum actum internum prout est negativum pro omni tempore obligat, ne unquam dissentiamus interne, aut voluntarie dubitemus de ullo articulo fidei sufficienter proposito tanquam a Deo revelato:* quia id directe cederet in contemptum divinae auctoritatis, aut in dubium traheretur summa veracitas Dei in loquendo. Dixi, *de articulo sufficienter proposito:* assensus enim fidei supernaturalis non stat cum notitia solum probabili revelationis, ut patet ex propos. 21. *ab Innoc. XI.* damnata. Hinc infidelis vel haereticus non potest quidem credere, ut oportet, quamdiu sua secta ipsi videtur probabilis, vel probabilior, tenetur tamen in veram fidem inquirere, et a Deo lumen petere, alioquin non excu-

sabitur ab infidelitate, ut interim patet ex propos. ab *Innoc. XI.* damnata. Vide n. 106.

349. *Prout hoc praeceptum est affirmativum, non quidem obligat pro omni tempore, sed ad hoc, ut saepe eliciamus actum fidei circa praecipua mysteria.* Dixi, *saepe*, ut patet ex damnata ab *Innoc. XI.* 65. item ex 17. ab eodem damnata. *Ratio* est, quia Christianus non potest christiane vivere, et tendere ad Deum, nisi frequenter per actus fidei animum erigat ad Deum. Porro etsi certo statui non possit, quoties obligemur ad actus fidei, sed in genere sufficiat saepius, ac toties elicere illos, quoties opus est ad hoc, ut quis dicatur continuo christiane vivere, et habitualiter scire mysteria credenda, ut ait *Lugo*; communiter tamen tempus, quo per se, ac directe obligat praeceptum fidei, assignatur 1. quamprimum alicui, qui vel nunquam habuit fidem, vel eam iterum amisit, fidei mysteria ad credendum sufficienter proposita sunt, talis non debet longiorem moram trahere, quin iis assentiatur. *Laym.* L. 2. t. 1. c. 10. a. 2. cum *Valentia*, *Azor*, *Sanch. Ratio* est, tum quia hoc exigit reverentia divinae auctoritati debita, tum quia homo viator naturali ac divino jure tenetur tendere ad propositum sibi finem ultimum, quod fieri nequit sine actu fidei, tum quia ad justificationem ejusmodi hominis requiritur fides actualis. Pueri tenentur elicere fidem, quando usum rationis adepti sunt, et sufficienter apprehendunt, quod credere mysteria fidei sit res necessaria ad salutem. *Hersig* p. 1. n. 39. Hinc parentibus gravis incumbit obligatio per se vel per alios mature illos instruendi in rebus fidei. *Laym. cum Sanch.* ait, excusari plerumque pueros a praecepti hujus transgressione, quia saepe contingit, ut ii vel non satis penetrent credendi obligationem, vel ipsis non proponantur fidei mysteria tanquam divinitus revelata. Dixi supra, *quamprimum*, quod moraliter sumendum est, mora enim culpabilis aestimanda est judicio prudentum ex circumstantiis. 2. Quando urget vehemens tentatio contra fidem, si aliter vinci non posse videatur, et hoc maxime tenet in articulo mortis, dum molestiores daemonis tentationes ingruunt. Addit *Sanch.* quod scrupulosi tentati satisfaciant mentem avertendo ad alia objecta, vel ad quoslibet pios affectus. 3. Quando facienda est professio fidei externa ex praecepto; alias enim mentiretur, si quis diceret, se aliquid credere, quod interius non crederet. 4. Denique indirecte hoc praeceptum obligat, quando aliud praeceptum urget ad eliciendos actus spei, et charitatis, religionis, poenitentiae, quando gratia amissa recuperanda est etc.; monet tamen *Sanch.* L. 2. mor. c. 1. n. 3. quod tunc sufficiat actus implicitus vel virtualis fidei.

350. *Princ. V. Praeceptum externae fidei confessionis, prout est negativum*, prohibet, ne quis verbo, facto, aliove signo in ullo casu aut periculo, etiam ad evitandam mortem, veram fidem neget, aut falsam profiteatur. Est comm. Cath. *Prob.* ex verbis Christi Matth. 10. v. 37. *Qui negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo, qui in coelis est.* Teste *Baronio* ad annum 154. in Conc. Rom. damnata est sequens propositio: *Licitum est exterius negare fidem instante persecutione, et sufficit in animo suo interius retinere.* Porro is *directe* vel *expresse* negat fidem, qui negat claris verbis vel signis fidei articulum, vel approbat errorem contrarium; *indirecte* autem et *interpretative*, qui de fide sua quaesitus ab auctoritate publica tacet, vel verbo, signo, aut facto aliam religionem profitetur. Si quis tamen interrogatus etiam a publica auctoritate, sed loco responsi extraheret rosarium, aut crucifixum oscularetur, haec taciturnitas non esset signum erubescientiae aut negationis fidei, sed virtualis confessio, ut ait *Carden.*

351. *Licitum tamen est hic et nunc justa de causa dissimulare vel tacere fidem et religionem veram, nunquam autem licitum est simulare falsam.* Hinc praeceptum fidei, ut est affirmativum, obligat profiteri fidem ex-

terne etiam cum periculo vitae, quando id exigit honor Dei, propria vel proximi salus. *S. Th.* 2. 2. q. 3. a. 2. *Prob.* 1. ex verbis Christi Matth. 10. *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo.* Item Luc. 9. v. 26. *Qui me erubuerit, et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua. Confirm.* ex damnata ab *Innoc. XI.* 18. Dixi, *quando id exigit honor Dei* etc. Quod tunc contingit, quando ex taciturnitate censeretur quis veram fidem negare, aut eam falsam reputare; item si Deus inde blasphemaretur aut vera fides ignominia afficeretur. Proximi salus exigit professionem fidei, si ex taciturnitate alii averterentur a vera fide, aut versarentur propter scandalum in periculo deficiendi ab ea. Vide propos. 18. ab *Innoc. XI.* damn., in qua recte additur *το per se.* Si enim tale silentium propter aliquas circumstantias non esset signum negationis fidei, neque erubescentiae illam profitendi, neque esset aliis scandalo, quo averterentur alii a fide, tunc non esset graviter peccaminosum. Dixi 2. *Licitum esse hic et nunc dissimulare fidem*, scil. talibus signis, quae ex se sunt indifferentia, non vero illis, quae ad profitendam falsam religionem instituta sunt. *Reiffenst.* in Theol. Mor. t. 4. dist. 2. n. 47. *Ratio* est, quia honor Dei, et salus propria ac proximi non semper exigit confessionem fidei, sed econtra quandoque exigit prudentem et de se honestam dissimulationem, occultationem, aut etiam fugam, ut nos docent exempla *S. Pauli, S. Athanasii* et aliorum; quando autem censeatur aliquis tantum occultare sive dissimulare veram fidem, aut econtra simulare ac profiteri falsam, non tantum ex re ipsa, sed frequenter ex circumstantiis decidendum est.

Casus I.

Antonius amans librorum, incidit in quaestionem, quando urgeat praeceptum fidei. Advertit AA. valde variare in determinando tempore hujus obligationis, ab aliis assignari cum Sanch. tempus unius anni; ab aliis statui festa solemniora, quibus eliciendus sit actus fidei circa mysteria tunc celebrari solita: ab aliis defendi singulis diebus dominicis urgere obligationem fidei. Unde anxius se accusat, quod non satisfecerit praecepto fidei, rogatque modum eliciendi actum fidei.

352. *Q.* I. An vere non satisfecerit Antonius praecepto fidei, quod praedictis temporibus non elicuerit actum fidei. Respondet *Reiffenst.* l. c. n. 35. certum quidem esse, quod fideles teneantur saepius elicere in vita actus fidei, nihilominus ipsos ob hoc non debere reddi anxios, quasi non semper satisfecissent; quia practice censentur satisfacere huic obligationi per actus fidei, qui concurrunt in exercitio aliorum bonorum operum: frequentissimi enim sunt inter fideles actus spei per recitationem orationis Dominicae, fidei per recitationem symboli Apostolici, charitatis Dei per usum Sacramentorum praesertim Poenitentiae et Eucharistiae, auditionem Missae; haec enim sine formali, vel virtuali fide fieri non possunt. Porro etsi mens Ecclesiae sit, ut fideles mysteria fidei in festis per annum celebrari solitis pie recolant per fidem, nullibi tamen definit, illum peccare mortaliter, qui forte aliquo festo negligit elicere actum fidei: ac proinde si Antonius saltem saepius elicuerit fidem, et continuo christiane vivere contenderit, praecepto fidei satisfecisse censendus est.

353. *Q.* II. Quomodo actus fidei formalis eliciendus sit. R. 1. In genere hoc vel simili modo: *Credo quidquid Deus revelavit, quia ipse est aeterna veritas, quae nec falli, nec fallere potest:* vel: *Credo quidquid credit Ecclesia Catholica, quia Deus infallibilis veritas illud revelavit.* Eodem modo de singulis articulis, v. g. Credo unum esse Deum, et Trinum in Personis: Credo, Filium Dei propter nostram salutem esse incarnatum,

crucifixum etc., quia Deus aeterna veritas, quae nec falli, nec fallere potest, ita revelavit. Rudioribus suadendum, ut recitantes symbolum Apostolorum in mente saltem addant motivum formale fidei, et sic frequentissimos actus fidei elicient.

Casus II.

Adalberto Parocho adducitur Judaeus morti proximus, simulque tam rudis, ut nec Deum remuneratorem sciret, nec de eo quicquam capere posset, nihilominus illum jamjam moriturum baptizat, ac paulo post mortuum sepelit ritu Ecclesiae. Idem excipiens confessiones, advertit in poenitentibus summam ignorantiam articulorum fidei, ideoque eos dimittit sine absolutione.

354. *Q.* I. An Adalbertus peccaverit, baptizando adultum Judaeum sine praevia instructione. R. Non peccavit: quia ejusmodi rudis habendus est instar parvuli aut amentis. Sic s. Xaverius baptizavit Japonem prae senio jamjam moriturum, quamvis tam stupidus esset, ut nec sciret, Deum esse, nec ulterioris instructionis capax esset. Praestat tamen (si mora permittat) in ejusmodi casibus actum fidei cum tali homine rudi elicere, cum spe et dolore de peccatis.

355. *Q.* II. Quid agendum, si Confessarius advertat poenitentem ignorare scitu necessaria. R. 1. Qui ignorat necessaria necessitate medii, v. g. Deum unum esse, et remuneratorem, incapax est absolutionis; quia talis ex defectu medii necessarii simpliciter est incapax justificationis; ergo etiam absolutionis. *Confirm.* Qui non credit Deum remuneratorem, nec potest habere spem salutis, quae pariter est necessaria absolute ad justificationem. Adeoque Confessarius tenetur vel ante absolutionem instruere poenitentem, vel sine absolutione dimittere cum seria admonitione, quod prius absolvi non possit, quam explicitam fidem illorum articulorum sciat elicere.

356. R. 2. Qui ignorat mysterium SS. Trinitatis et Incarnationis, extra casum necessitatis nunquam potest absolvi. Vide propos. 64. *ab Innoc. XI.* damnatam. *Ratio* est, quia Confessarius talem absolvendo Sacramentum manifesto periculo nullitatis exponeret: nam si re ipsa vera sit (ut esse potest) sententia asserens, fidem explicitam SS. Trinitatis et Incarnationis esse necessariam necessitate medii, tunc haec fides explicita requiritur ad valorem Sacramenti; ergo in eo casu Confessarius invalide absolveret talem ignorantem. Itaque Confessarius iterum vel debet prius instruere poenitentem, vel sine absolutione dimittere, donec sufficienter sit instructus. *Viva* in propos. 64. et 65. *ab Innoc. XI.* damn., *Sanch., Illsung., Bonac.* Dixi, *extra casum necessitatis:* nam in casu, quo aliquis ob imminentem mortem non amplius posset instrui de mysteriis SS. Trinitatis, absolvendus esset sub conditione, modo infirmus explicite credat Deum esse, et remuneratorem esse, reliqua implicite credendo, scilicet quidquid credit Ecclesia Catholica; quia in tali casu etiam dubia salutis media adhibenda sunt. *Babenst.* l. c. n. 29. sub fin. *Viva* l. c., ubi ita *confirm.* Probabile est, fidem explicitam horum mysteriorum non esse necessariam necessitate medii; ergo etiam probabile est, sine hac fide moribundum capacem esse absolutionis, adeoque valide absolvi. Vide dicta n. 87.

357. R. 3. Si confessarius advertat, poenitentem quoad substantiam ignorare *inculpabiliter* ea, quae sunt necessaria necessitate praecepti, v. g. symbolum Apostolorum, orationem Dominicam etc., absolute quidem potest illum absolvere, modo poenitens admonitus obligationis, verum propositum habeat ea discendi: secus, si non habeat, quia hoc ipso ignorantia, fieret culpabilis. Si poenitens versetur in *culpabili* ignorantia, doleat autem de hac ipsa culpa, seque propterea accuset, firmumque habeat propositum ea quam-

primum discendi, potest absolvi; deficiente autem hoc proposito, absolvi nequit, quia voluntarie perseveraret in ignorantia culpabili, ideoque non esset dispositus ad absolutionem. Porro si Confessarius advertat, quod diu a multis confessionibus occasionem discendi necessariam necessitate praecepti poenitens neglexerit, potius sine absolutione dimittat, donec serium propositum ostendat. *Azor* t. 1. L. 8. c. 8. Porro cum juxta *Nav.*, *Lopez* et alios obligatio discendi memoriter necessaria necessitate praecepti non sit ultra veniale, durior videtur esse sententia *Barbosa*, quod non sint absolvendi, qui ea discere memoriter negligunt.

Confirmantur dicta ex Constit. 42. *Benedicti XIV.*, quae incipit; *Etsi minime*, habeturque in Tom. I. ejusdem Bullarii. §. 12. *Curabit itaque Episcopus, ne Sacerdos excipiens confessiones, fixum illud immotumque animo semper habeat, invalidam esse absolutionem sacramentalem, quam quis ignoranti res necessarias necessitate medii impertitur, nec posse homines Deo per hujusmodi Sacramentum reconciliari, nisi prius excusa hujus ignorantiae caligine, ad agnitionem fidei adducantur. Sedulo etiam animadvertat Confessarius, in aliud tempus rejiciendam esse absolutionem illius, qui necessaria necessitate praecepti suo vitio nescit; et eo quandoque casu poenitentem absolvi posse, quo se vincibilis hujus ignorantiae reum agnoscat et accuset, ac intime dolens, tum a Deo veniam precetur, tum Confessario serio promittat, operam se impense daturum, qua divinae gratiae praesidio discat etiam necessaria necessitate praecepti.* Vide in Bullarii *Benedicti XIV.* Tom. I. pag. 112., ubi in Const. 42. n. 6. maxime commendatur opera instruendi fideles in doctrina Christiana, ibid. pag. 114.

358. Demum monet *Babenst.* l. c. cum *Sanch.*, *Filliuc.*, *Roding.* Confessarios, ut ignaros mysteriorum fidei in articulo mortis, vel gravi infirmitate constitutos solicite doceant fidem explicite necessariam necessitate medii, reliqua vero necessaria necessitate praecepti, quantum commode potest fieri, quia homo in eo statu vix capax est prolixioris doctrinae, ideoque frustra defatigaretur, si plures proponerentur; curandum tamen, ut doleat de negligentia praeterita, et habeat voluntatem adhuc discendi, si copia esset, et frequentes eliciat actus fidei credendo, quidquid Deus revelavit, et sancta Ecclesia credendum proponit.

359. Ad resolvendos alios casus huc pertinentes *observa.* I. Quando Confessarius probabiliter deprehendit, poenitentem ignorare quae sub peccato mortali scire tenetur, debet interrogando explorare, an revera ita sit; quia Confessarii est, cavere, ne Sacramentum administret incapaci aut indigno. Non tamen tenetur interrogare literatos, alias bene educatos vel frequenter confitentes, quia de his talis ignorantia praesumendo non est. *Azor* l. c. sub fin., *Sanchez*, *Babenst.*

360. II. Sicut ad evitanda gravia mala propter fidem imminentia licet Christiano fugere (juxta illud Matth. 10. *Cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam*) aut se abscondere, nisi quis ex officio honorem Dei, vel salutem animarum specialiter curare debeat; ita ex eadem causa licet se pecunia redimere, quia per haec non negatur, sed potius manifestatur fides. Neque talis redemptio per pecuniam sapit errorem Libellarium: hi enim publice quidem erubescebant negare Christum, negabant autem privatim et per alios, a magistratibus data pecunia impetrabant libellos securitatis, ne ipsi ad publicam fidei negationem ulterius adigerentur; in nostro autem casu pecuniam supponimus offerri praecise ad redimendam vexationem absque ulla privata fidei negatione, quod esset tantum uti jure suo in retinenda vera Religione. Dixi, *nisi quis ex officio etc.* Boni enim pastoris est, animam suam ponere pro ovibus suis, *easque non tantum in pace, sed etiam in acie tueri*, ut ait *S. Cypr.* Regulam generalem tradit *Tamb.*, et *Sporer* hic n. 27. Si sis ejus conditionis, ut, te fugiente, periclitaretur honor Dei, vel salus animarum, vel tui officii

observatio, fugere non licet: si solum esses utilis manendo, non tamen necessarius, poteris manere, non tamen teneris cum gravi incommodo tuo aut periculo: denique si remanendo potius obesses quam prodesses, peccares non fugiendo ob malum, quod tua praesentia causares Religioni vel alteri, nisi te bona fides excusaret.

361. III. *Verbis simulat* fidem, eamque interpretative negat, adeoque mortaliter peccat, qui a magistratu vel publica auctoritate interrogatus de fide cum intentione Religionis explorandae, respondet verbis ambiguis et aequivocis, ut juxta mentem et sensum interrogantis praesumitur fidem suam negare, vel falsam profiteri, v. g. qui interrogatus a magistratu acatholico, an sit Evangelicus: responderet: Sum etenim, subintelligendo Religionem Catholicam secundum verum sensum Evangelicum, talis peccaret graviter, qui spectata mente interrogantium, secundum quam ille respondere debet, *τό Evangelicus*, non est terminus indifferens ad significandum Catholicum vel Lutheranum, sed determinante Lutheranum significat. *La Croix* de fide n. 61. contra *Gobat*. Qui autem publice interrogatus, tacet aut absolute ait, se non teneri respondere, aut dicit, se ejus fidei, in qua se salvum fore speret, aut alio modo tergiversatur, non quidem negat fidem, peccat tamen graviter contra praeceptum fidei affirmativum de fide Christi exterius profitenda. *Sporer* l. c. n. 31. Si vero quis interrogetur a persona privata, non licet quidem tacere, si silentium illud foret signum negationis, aut erubescentiae fidei, multo minus licet negare se esse Catholicum. eludere tamen interrogantem, ridendo, vel contemptim dicendo: *Quid ad te?* non esset peccaminosum: quia sic non patitur honor Christi, et nihil aliud esset quam ex justa causa dissimulare vel celare fidem. *Jansen.* hic n. 6. Fidem non negat Sacerdos, qui negat, se esse Sacerdotem aut Religiosum, quia hoc tantum est non profiteri certum vitae statum aut officium. Denique si magistratus haereticus generali edicto jubeat, ut Catholici se prodant, aut aliquo signo distinctivo utantur, per se ad id non tenentur; quia, qui tunc non obedit, non censetur negare fidem, sed pure occultare. *Palao*, *Suarez*. Idem dicendum de eo, qui nominatim citatus a judice comparere recusat, nisi statueretur, hoc esse signum negationis fidei.

362. IV. *Signo* censetur interpretative negare fidem, qui utitur aliquo vestitu vel ornatu directe manifestativo haeresis vel infidelitatis. Ejusmodi autem signa aut vestimenta triplicis sunt generis. 1. Alia sunt distinctiva gentis a gente, non vero sectae a secta. Sic licet Christiano eunti per Turciam uti veste Turcica; cum enim talis vestitus primario non sit institutus ad profitendam sectam falsam, illo uti non esset profiteri sectam falsam, sed ad summum simulare, se esse talis nationis; haec autem deceptio juste permitti potest ex rationabili causa, v. g. ad securitatem itineris, ad evadendum periculum mortis, vel bonorum temporalium. Ita *Comm.* cum *Sanch.*, *Diana*, *Lugo etc.* 2. Alia sunt quidem signa distinctiva sectae a secta, sed non protestativa talis sectae, quia non tantum sunt instituta ad eam profitendam, sed simul ad alium finem politicum, v. g. ad ornandum vel vestiendum corpus. Hujusmodi signo ex gravi causa uti, v. g. gestare vestes Praedicantium ad evitandum grave periculum, non est mortale, juxta *Laym.*, *Sporer*, et veriorem contra *Becan.*, *Cajet.* et alios, secluso tamen scandalo, et quando non obligat praeceptum confessionis fidei, quia nec intenditur professio sectae, nec est unicum et directum signum protestationis talis sectae. Ita P. Edmundus Campianus inter mille pericula pro salute animarum, ne deprehenderetur Londini, fere quotidie habitum mutavit, ipsorum etiam Praedicantium vestes gestando. 3. Alia sunt signa non tantum distinctiva sectae a secta, sed vel ex institutione, vel ex consuetudine manifestativa alicujus sectae, et his non licet uti ad cavendum periculum: hinc peccaret, qui pendulam e collo gestaret imaginem Mahometis, quia ordinarie hoc signum alium usum non habet, quam ad profitendam sectam Mahometis. Dixi, *ordinarie*; quia subinde ipsae circumstantiae indicant alium

usum, uti contingit in comoediis etc. Excusat etiam Laym. cum *Sanch.* Christianos qui in mari navigantes, signis Turcarum utuntur: item milites, qui in clypeis aut vexillis ejusmodi signa adhibent, quia ipsimet hostes sciunt in his circumstantiis id fieri non ad profitendam suam fidem, sed ad decipiendum.

363. V. *Facto* simulare fidem, ac propterea interpretative eam negare censetur, qui voluntarie exercet opus vel actionem, quae vel sit ipse cultus falsus, ut thus adolere, genuflectere idolo etc. vel saltem ex circumstantiis significet professionem falsae religionis, v. g. si quis ad putatitiam Eucharistiam acatholicorum cum iis accederet ea solemnitate et caeremoniis, quibus ipsi utuntur; excusat *Laym.* illum, qui cessante scandalo vel nemine praesente, illos panes comederet, vel vinum epotaret modo profano.

364. VI. Ad fidem dissimulandam ex gravissima causa, non peccat, qui comedit carnes diebus prohibitis in iis circumstantiis, ubi haec comestio non acciperetur ut signum falsae fidei, nec sine gravi periculo omitti posset, quia tunc non obligat Ecclesia: nec peccaret contra praeceptum fidei, quia esus carnium die prohibito secundum se non est professio haeresis, neque abstinentia a carne ab Ecclesia instituta est, ut per eam dignoscatur catholicus ab acatholico, aut fiat professio fidei. Nec refert, quod acatholici ex hoc signo colligere soleant, aliquem a Romana Ecclesia alienum esse, quia hanc eorum deceptionem ob gravem causam interdum permittere fas est, modo absit scandalum et contemptus verae Religionis. Quid? quod ipsi acatholici sciant Catholicos ob gravem causam excusari a praeceptis ecclesiasticis, *Sanch. Azor, Becan., Laym.* l. 2. t. 2. c. 11. n. 5. Peccaret autem comedens, si carnes apponerentur ad explorandam fidem cum dicto: Qui Evangelicus est, vel Reformatus, aut Papae inimicus, comedat carnes: quia sic esus carnis fieret in finem sectae. *Valentia* t. 2. disp. 7. q. 5. p. 6. cas. 4. Si quis tamen protestaretur, hoc non esse signum, eoquod Catholicis in multis occasionibus liceat vesci carnibus, comedendo ex gravi causa, non peccaret. *Laymann* l. c. Si autem non urgeret periculum aut causa gravis, sed tantum timeretur irrisio, tali casu abstinendum esse ab esu carnium. *Becanus, Laym.* l. c. plura in §. seq. Confirmantur haec usque dicta ex Decreto *Benedicti XIV.* pro incolis Serviae, quod habetur in Tom. I. ejusd. Bullarii, et incipit: *Inter omnigenas*, ubi §. 3. ita praecipit: *Cavcant, ne ad occultandam, quum licitum et necesse est aliquando Christianae Religionis professionem, aliqua faciant aut admittant contra Evangelica praecepta aut instituta; praesertim vero, quae protestationem includunt Mahumeticae sectae;* qualia sunt: circumcisionem suscipere, nomina Turcica assumere, Moschaeas frequentare, Ecclesiasticorum jejunorum dies carnium esu profanare, *et haec eo fine, ut Mahumetani credantur.... Haec enim omnia, etsi fides Christi in corde teneatur, fieri nequeunt sine Mahumetis errorum simulatione, sinceritati Christianae contraria, quae mendacium in re gravissima continet, et virtualem fidei negationem, maxima cum Dei injuria, proximique scandalo, includit.* Ibid. pag. 4. *Multo vero magis, quum a publica potestate interrogantur, illicitum sibi esse sciant, Mahumeticae sectae se addictos profiteri.*

365. VII. Si acatholicus coram Catholico injuriis afficiat veram fidem, conculcet imagines etc. tenetur eam tueri saltem sua confessione Catholicus, si tamen inde prudenter speret profectum vel fructum, secus si praevideat majorem contemptum Religionis etc. *Busemb.* de fide c. 2.

366. VIII. Denique ad externam fidei professionem jure ecclesiastico tenentur sub mortali (ut docet *Filliuc.* T. 2. t. 22. c. 2.) cum juramento obediendi Ecclesiae Romanae sequentes, 1. Provisi de beneficio curato, idque intra duos menses a die possessionis coram Episcopo, aut ejus Vicario Generali, vel Officiali (*Trid.* de Reform. sess. 24. c. 12.) 2. Provisi de Canonicatu, et dignitate in Ecclesia Cathedrali, non tantum coram Episcopo, vel ejus Vicario, sed etiam in Capitulo. *Trid.* ibid. addita poena, ut alioqui fructus non faciant

suos, ita ut nec illis possessio suffragetur. Hoc Decretum *Pius IV.* in Const. *Injunctum* extendit ad Praelatos Religionum, etiam militarium. *Sanchez* tamen L. 2. Decal. c. 5. n. 4. monet, hanc extensionem non in omnibus Religionibus esse receptam. *NB.* In hoc Decreto habetur formula professionis fidei. *Pius V.* in Motu proprio, qui incipit: *In sacrosancta*, extendit ad Doctores, Magistros, Regentes, et Professores quarumcumque artium, tum clericos, tum laicos, adjecta excommunicatione latae sententiae, et privatione omnium beneficiorum in eos, qui aliquem ad ejusmodi gradum vel cathedram sine praevia professione fidei promovere ausi fuerint. Vide *Sanch.* l. c., ubi n. 7. tanquam probabile defendit, posse hanc professionem fieri per Procuratorem. Contrarium probabilius esse affirmat *Filliuc.* Vide etiam *Trid.* sess. 25. de Reform. c. 2.

» *Q.* 1. Quid de praedicatione Evangelii.

» R. 1. Circa infideles non subjectos Principibus Christianis, *habet Ecclesia jus praedicandi Evangelium infidelibus, etiam invitis eorum Magistratibus*, adeo ut saltem petente Christi Vicario, Principes Christiani possint infideles, praedicationi Evangelicae injuste resistentes, cogere ad non resistendum, ac eos, si necesse fuerit, eo fine subjugare. Ita erudite *Palao, post Suarez, Bellarminum, Victoriam, Lopez, Barbosam etc.* ex illo Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra: euntes ergo docete omnes gentes etc.* Deinde: qui habet jus praedicandi veram viam ad finem omnibus communem et ultimum, potest hoc jus suum tueri, et quae sibi contraria sunt, propulsare: accedit praxis Ecclesiae, dum Alex. VI. terras infidelium divisit inter Portugalliam, et Castellam. Probabilius tamen non possunt cogi ad audiendam praedicationem Evangelii. Ita *Palao, Valentia, Bonacina* et communis. Jurisdictionis actus, qualis hic foret, non potest exerceri in non subditos: ergo cum infideles non baptizati non sint subditi Ecclesiae etc. 2. Non potest ostendi data haec potestas a Christo etc.

» R. 2. Infideles subjecti Principibus Christianis possunt compelli ad audiendam praedicationem Evangelii; non tamen ad amplectendam fidem. Ita *Bannez, Suarez, Lugo* et alii: quia hic actus auditionis subest jurisdictioni externae: libertas fidei internae manet adhuc salva: nec datur ulla inconvenientia, cum etiam Romae Judaei sub mulcta compellantur ad concionem Catholicam.

» *Dices* 1. Ergo etiam Princeps Ethnicus poterit suos cogere ad praedicationem gentilismi audiendam. 2. Vel praeciperetur auditio mere *materialis*; et haec non assequitur veritates fidei, quae indigent lumine supernaturali: vel *formalis*, seu ordinata ad assensum internum; et haec est res gratiae et arbitrii.

» R. *Ad* 1. N. non quidem ob defectum potestatis, sed materiae. *Ad* 2. praecipitur a Principe Catholico *auditio ut sic*, et quae sit dispositio ad assensum obtinendum libere cooperante gratia. Idem solvendum de praedicatione poenitentiae ad fideles.

» *Q.* 2. Quae obligatio circa libros prohibitos.

» *Nota.* Tres dari prohibitiones in hac re; 1. *Juris naturae et divini*: 2. *humani* contenti in Bulla Coenae: 3. *humani* concernentis indicem librorum prohibitorum, quae duae ultimae insuper annexam habent excommunicationem, sed diversam; prior reservatam Pontifici, posterior nulli reservatam. Quare potest Titius legendo librum incidere in excommunicationem Indicis, quin incidat in illam Coenae.

» R. 1. *Jure naturae illa sola lectio est illicita, quae habet annexum periculum perversionis*, et in eo gradu est illicita, in quo datur periculum perversionis: quocirca si unica pagella sit periculum grave ruinae spiritualis respectu tui, erit tibi haec lectio mortalis; si in integro tomo hoc periculum sit leve, vel nullum, leve pariter erit tibi, vel nullum peccatum ex lege

» naturae: quia natura attendit actum vel in se, vel in suo effectu a parte » rei in hominem particularem redundante. Neque enim Jus naturae fun- » datur in *praesumptione periculi generalis:* neque concernit *bonum com-* » *munitatis secundum se*, sed solum ut redundans in singulos qua tales.
» R. 2. *Jure Ecclesiastico Bullae Coenae peccat, et incurrit excommuni-* » *cationem Papae reservatam*, qui legit, retinet, imprimit, aut quomodo- » libet defendit librum auctoris haeretici continentem errorem, et ex pro- » fesso de Religione tractantem; *et ille peccat mortaliter*, qui illum legit » scienter, et in notabili quantitate; quae quantitas probabilius non est » desumenda ex multitudine linearum, foliorum etc., sed ex magnitudine ac » integritate doctrinae erroneae. Ita *Laym., Becanus., Pyrrhing, Reiffenstuel* » l. 5. tit. 7. n. 51. *Ratio:* Bulla Coenae, licet universim loquendo debeat *re-* » *cipi simpliciter*, in Germania tamen non est quoad omnem suum *rigo-* » *rem accepta;* cum versantibus inter haereticos, et tot scriptos ab haere- » ticis libros foret moraliter inobservabilis, cessetque magna ex parte peri- » culum perversionis in natione talibus assueta, ac indolis moderatae. Porro » rigoris hujus mitigatio in eo consistit, ut liber non quomodocumque, » sed ex professo de Religione tractet, et ita haeresin contineat.
» *Dices* 1. Non potest dici, quid sit *ex professo* tractare de Religione. » 2. Sic licebit docto, non percupido novitatis et ab assuetis nullam passionem » sentienti etc. in Germania *legere passim* ejusmodi libros; cum cesset finis, » qui est periculum perversionis. 3. *In praescriptione* contra Bullam Coenae » non datur consensus legislatoris; eo quod singulis annis Papa protestetur, » et excommunicet contravenientes Bullae. R. *Ad* 1. N. Ex professo tractare » dicit vel *in frontispicio tituli* praeferre materiam dogmaticam, vel eam *fuse* » *multumque rationibus* stabilire, ut scriptor videatur eam velle lectori no- » tanter persuadere. *Ad* 2. N. Lex enim haec positiva fundatur in *praesum-* » *ptione Juris*, seu periculi generalis, quae obligat, licet in casu particulari » non subsit periculum. *Ad* 3. Non probamus opinionem ex praescriptio- » ne; cum praescriptio non supponat scientiam Superioris.
» R. 3. *Jure indicis librorum prohibitorum* non est tanta obligatio in Ger- » mania circa libros *secundae classis*, quam circa libros prohibitos *primae* » *classis*, aut illos, quibus simul inusta est damnatio, et prohibitio. Ita *En-* » *gel, Pyrrhing, alii passim* l. 5. de haeret. *Ratio* fere eadem; lex degen- » tibus inter haereticos nimis difficilis, periculum perversionis non tantum, » receptio indicis non in eo rigore etc. Ceterum duplex est Index librorum » prohibitorum, seu *Catalogus librorum, quos Ecclesia velut noxios fide-* » *libus interdicit.* 1. Dicitur *Index Tridentinus*, quem petente Concilio sub » annum 1565. per deputatos Pius IV. confici jussit, Sixtus V. et Clemens » VIII. restauravit et auxit, qui tres classes continet, quarum prima potissi- » mum damnat auctores, altera libros auctorum certorum, tertia vero libros » anonymos, aut ignoti ac incerti auctoris. Verum cum hic turbaret ordinem » accrescentium in dies librorum, jussu Alex. VII. circa annum 1664. confe- » ctus est alter dictus: *Index Congregationis*, in quo duae solum classes » ordine alphabeti ponuntur, ita ut quibuscumque libris non apprimitur no- » ta *primae classis*, illi ad secundam classem pertinere intelligantur. De » hoc ergo Indice tria observari velim. *Prima observatio:* prohibitio absoluta » in illo extendit se ad 6. puncta, videlicet ad impressionem, lectionem, re- » tentionem, defensionem, expurgationem et combustionem a semet privata » auctoritate faciendam, cum illico debeant libri ad inquisitores vel locorum » Ordinarios deferri, ut videre est in 10. prohibitionibus, et 18. instructio- » nibus Indici adjunctis. *Secunda observatio:* prohibitio conditionata, *si* » *corrigantur, donec expurgentur, emendentur etc.* non concedit facultatem » cuivis privato hujusmodi libros expurgandi, sed solum constitutis ad hoc pe- » culiariter; unde nata est prop. 45. Alex. VII. *Libri prohibiti, donec ex-*

» *purgentur, possunt retineri, usque dum adhibita diligentia expurgentur.*
» *Tertia observatio* praeter constitutionem Gregorii XV. anno 1623. atten-
» denda pariter est constitutio Benedicti XIV. quae plura ordinavit deinceps
» in prohibendis libris servanda, e. g. ut auctor libri prius moneatur, ma-
» xime si sit alicujus nominis, nisi errores sint perniciosi etc.
» *Ex his Coll.* 1. quid sentiendum de illis, qui legunt auctores heterodo-
» xos in jus nostrum Canonicum scribentes, et glossantes in Titulos: *de fide*
» *Catholica, de veneratione Reliquiarum etc.* 2. aut libros, in quibus pars
» duntaxat est infecta haeresi, unum totum cum aliis partibus conficiens,
» vel sejuncta etc. 3. Vel libros haereticorum, in quibus haeresis prius con-
» tenta jam est abrasa, aut solum incidenter hinc inde inspersa, obiter pro-
» pugnata etc. 4. Vel libros haereticorum manuscriptos, sive compactos,
» sive non compactos. 5. Vel conciones impressas illorum, aut folia non
» conficentia justum librum. 6. Vel in specie Aventinum, Sleidanum, Mun-
» sterum, aut Car. Molinaeum Jur.

§. II. *De infidelitate, et vitiis Fidei oppositis.*

367. *Nota* I. *Infidelitas* est carentia verae fidei. Alia est *negativa* sive *materialis*, quae est invincibilis carentia fidei in eo, qui nihil unquam de fide audivit, vel destituitur sufficienti cognitione mysteriorum fidei inculpabiliter: Alia *formalis*, eaque vel *privativa*, quae est culpabilis carentia fidei in eo, qui vel non vult audire fidem, vel ei sufficienter propositae non assentiri, vel non inquirere, quando tenetur: vel *positiva* aut *contraria*, quae est carentia fidei in eo, qui sufficienter propositae dissentit, negando veritatem fidei, vel contrarium errorem asserendo. Haec iterum triplex est. 1. *Paganismus* est infidelitas, qua doctrina fidei totaliter tam secundum vetus, quam novum Testamentum rejicitur. Huc reducitur Atheismus et Mahometismus; quamvis enim Mahometani admittant aliqua tum ex veteri, tum ex novo Testamento, non tamen ita admittunt ut a Deo, sed ut a Mahomete proposita. 2. *Judaismus* est infidelitas, qua post Christum novi Testamenti doctrina rejicitur: veteri autem Testamento in Talmud multae fabulae admiscentur, itaque figura, non veritas admittitur. 3. *Haeresis* est carentia fidei in eo, qui fidem quidem suscepit, sed libere et pertinaciter errorem contra fidem tuetur. *Pertinacia* definitur a *Taberna* deliberata voluntas dissentiendi alicui veritati revelatae, ut tali sufficienter propositae per Ecclesiam, vel Scripturam, vel aliam fidei regulam. Sensu communi per infideles intelliguntur illi, qui non sunt baptizati; per haereticos autem formales ii, qui baptizati quidem sunt, et Christum cum utroque Testamento profitentur; in uno tamen, vel pluribus articulis fidei sufficienter propositis aut revelatis contra fidem veram pertinaciter errant. Haereticus materialis dicitur, qui adhaeret quidem errori contra fidem, sed ex ignorantia, vel simplicitate, vel sinistra, informatione, non cum pertinacia, sed prompto animo ad deponendum errorem, cognita veritate.

368. *Nota* II. Huc etiam reducitur *Apostasia*, quae est discessio a suscepta fide Catholica ad infidelitatem. Alias enim latius sumitur tripliciter: 1. Pro *defectione a Sacro Ordine*, dum quis a statu clericali, ac continentiae voto in susceptione Ordinis sacri edito ad statum matrimonii, et laicae conversationis propria auctoritate se transfert. 2. *A Religione*, dum quis post emissam professionem vel vota religiosa a religioso Ordinis instituto discedit sine animo revertendi. 3. *Ab obedientia*, dum quis ab obedientia summi Pontificis se pertinaciter subtrahit, et vocatur *Schisma*. *Sporer* t. 2. in Decal. c. 3. n. 11. Juxta *Taberna* t. 5. c. 4. Differt ab haeresi, quod apostasia ex toto, haeresis tantum ex parte sit contraria fidei; communiter tamen quilibet a fide Catholica ad quamcumque haeresim discedens, Apostata solet appellari: stricte autem Apostata dicitur, qui fidem Christianam, quam susceperat, penitus abnegat.

369. Princip. I. *Quaevis infidelitas formalis ex genere suo est grave peccatum, imo superat omnia peccata, quae contingunt in perversitate morum. S. Thom.* 2. 2. q. 10. a. 3. *Ratio* est: quia peccatum eo gravius est, quo magis mens hominis per illud avertitur a Deo; atqui per infidelitatem formalem maxime mens hominis avertitur a Deo, cum nequidem veram ejus cognitionem admittat: ergo. *Confir.* peccatum infidelitatis directe impedit remissionem aliorum peccatorum; quia fides est fundamentum, et vera radix justificationis, sine qua nemo Deo placere, et ad filiorum ejus consortium pervenire potest, ut ait *Trid.* sess. 6. cap. 8. Hinc Christus Joan. 8. v. 24. dicit: *Si non crediderit is, quia ego sum, moriemini in peccato vestro.* Porro inter species infidelitatis haeresis *intensive* est peccatum gravissimum, Paganismus autem *extensive. Ratio primi* est: quia haeresis est magis voluntaria, quam aliae infidelitates; pugnat enim contra fidem perfectius cognitam. *Ratio secundi* est: quia Paganismus negat plures veritates fidei, quam haeresis et Judaismus: ergo quoad extensionem materialem dicenda est infidelitas maxima. *S. Th.* l. c. a. 6.

370. *Princip.* II. Poenae ab Ecclesia in HH. latae aliae sunt spirituales, aliae temporales. Ex spiritualibus *prima* est *excomunicatio latae sententiae, summoque Pontifici reservata.* Constat ex Cas. 1. Bullae Coenae Domini, quem bene explicat *Sanchez* L. 2. in Decal. c. 9., *Suarez* de Cens. disp. 21. S. 2. et alii. Extenditur haec poena in *c. Excumunicamus.* 13. §. *Credentes*, ad fautores, defensores, receptatores, et adjutores haereticorum *in ipsa causa haereseos.* Vide Canonistas in L. 5. Dec. tit. 7. de Haereticis. Extenditur etiam in *Bulla Coenae* ad illos, qui libros haereticorum, vel de Religione tractantes, vel haeresim continentes sine speciali Sedis Apostolicae licentia legunt, retinent, imprimunt, vel quomodolibet defendunt. Vide in P. II. n. 1427. *Secunda* poena est *irregularitas.* De hac agemus in P. II. ubi de Cens. *Tertia* poena est privatio beneficiorum et dignitatum ecclesiasticarum obtentarum, et inhabilitas obtinendarum, quamdiu quis in haeresi persistit. Haec poena actualibus HH. ipso jure, liberis autem eorum, defensoribus et receptatoribus per sententiam infligitur cit. c. *Excomunicamus.* 13. §. *Credentes Franc. Schmier* L. 5. t. 2. c. 3. n. 36. *Quarta* poena est *privatio sepulturae ecclesiasticae.* A poenis temporalibus (quae sunt infamia juris, intestabilitas tam activa, quam passiva, amissio potestatis tum patriae, tum dominicae, confiscatio bonorum, et poena capitalis, de quibus in jure Canon.): heterodoxi catenus per conventionem et pacificationem religiosam de anno 1555., et Westphalicam seu Monasteriensem de anno 1648. immunes esse videntur, quatenus tranquillitas Germaniae non aliter, quam hac impunitate concessa sperari poterat: at quoad poenas ecclesiasticas dicta pacificatio nihil roboris habet, ut ait *Franc. Schmier* l. c. n. 44. eoquod summus Pontifex, cujus est poenas spirituales relaxare, nunquam in id consenserit, sed potius contradixerit, ut constat ex Bulla *Innoc X.* quae incipit: *Zelo domus Dei* anno 1648. die 20. Novembr. edita. Vide *P. Konig* ad tit. de HH. n. 28. Huc etiam pertinet obligatio gravis sub poena excommunicationis, haereticos denuntiandi apud Inquisitores fidei, ut constat ex variis Bullis Pontificum, quas citat *Palao* T. 4. D. 3. q. 4. n. 21. Et *Alex. VIII.* per Bullam: *Licet alias*, praecipit, ut omnes Religiosi, etiam leviter tantum suspecti de haeresi, statim nulla facta correctione fraterna, deferantur ad Inquisitores a Papa constitutos: Idem *Alex. VII.* damnavit propositionem in ordine quintam: *Quamvis evidenter tibi constet, Petrum esse haereticum non teneris denunciare, si probare non possis.* Cum enim juxta Apost. 2. Timot. 2. haeresis sit malum contagiosum, serpens ut cancer, et sua contage facillime alios inficiat; haec specialissima denunciationis medela necessario videtur adhibenda. *Viva* in cit. propos. Censent tamen plures viri prudentes et docti, teste *La Croix* L. 2. n. 215., in pluribus Germaniae, partibus praedictas Bullas non esse usu receptas quoad punctum denunciationis, tam

quia nimis multi hic sunt manifesti haeretici, tam quia vix ex denunciatione potest sperari fructus, propterea quod in plerisque Germaniae locis ex necessitate sit permittenda libertas Religionis. Inter Religiosos tamen in vigore absque dubio retinenda est citata Bulla *Alex. VII.*

371. *Princip. III.* Ad incurrendas IIH. poenas, praesertim excommunicationem summo Pontifici reservatam, requiritur quatuor conditiones: 1. Ut quis sit haereticus formalis, h. e. ut interne ex parte intellectus habeat judicium erroneum, directe repugnans alicui veritati revelatae, et ut tali sufficienter propositae. Hinc si quis externe tantum negaret fidem, interne autem recte crederet, peccaret quidem graviter, sed proprie non esset haereticus, nec incurreret excommunicationem; si tamen talis pro haeretico et excommunicato declararetur, deberet vitari, nec posset absolvi, nisi Ecclesiae reconciliatus. 2. Ex parte voluntatis, ut cum pertinacia tueatur errorem. Hinc errans contra fidem ex ignorantia etiam culpabili, crassa vel supina propter discendi taedium peccat quidem, sed proprie non est pertinax, nec poenas incurrit, modo infallibilem Ecclesiae auctoritatem in proponendis rebus fidei cognoscat, credat et paratus sit ad credendum, quamprimum agnoverit hoc vel illud ab Ecclesia proponi ut credendum. 3. Requiritur, *ut quis haeresin internam signis externis manifestet*, scil. verbo, signo, vel facto; quia Ecclesia non punit actum mere internum. Vide de LL. n. 146. Haec sententia cum sit vere probabilis tum apud TT. tum apud Canonistas, tanquam favorabilior odiosae contrariae in praxi potest praeferri. Dixi, *signis externis*, scil. talibus, quae vel ex natura sua aut institutione, vel ex circumstantiis personarum, loci, temporis etc. sufficienter manifestativa sint haeresis internae. 4. Debet *actio externe manifestativa haeresis internae esse mortaliter mala*, satis deliberata, ita ut fiat ex animo asserendi et profitendi haeresin internam graviter malam; quia poena gravis non incurritur, nisi ob delictum grave. Unde excommunicatus non est, qui haeresin internam alteri manifestat consilii petendi causa, vel ut ab illo melius instruatur; haec enim manifestatio bona est, nec ab Ecclesia puniri potest: item qui in haeresin occulte lapsus, carnem edit die prohibito ex gula tantum, non ex animo per hoc profitendi suum errorem occultum, non incurreret excommunicationem, quia haec comestio ex se non est signum protestativum falsae sectae. Si tamen intenderet manifestare haeresin suam, et aliunde determinaretur ad professionem haereseos, puta a circumstantiis loci, temporis, aut conditionis a convivis factae, v. g. Qui bonus Lutheranus est, nobiscum comedat carnes; hanc incurreret excommunicationem. *Sanch.* L. 2. in Decal. c. 8., *Laym.* L. 2. tit. 1. c. 14., *Reiffenst.* in Theol. Mor. tom. 4. dist. 3. a. n. 25. Denique omnes poenae, quae in jure haereticis decretae sunt, etiam ab apostatis contrahuntur, at non vice versa. Vide cit. AA.

372. Princip. IV. *Non licet cum infidelibus communicare in sacris*, h. e. in iis, quae ad Religionem praecise pertinent, puta in eorum dogmatibus, cultu, et ritibus superstitiosis; quia hoc esset profiteri infidelitatem. In profanis autem et politicis simpliciter quidem licet cum iis communicare, praesertim si id exigat necessitas aut utilitas corporis vel animae; nunquam vero licita est talis communicatio, ex qua fideli imminet periculum perversionis. Hinc in jure Canon. toto tit. *de Judaeis* prohibetur familiaritas cum Judaeis, tum quia, hac admissa, non abest perversionis periculum, tum quia maxime contra dignitatem Christianae legis est, tum denique quia indignissimum est cum iis nimis familiariter agere, qui blasphemant, et summo odio persequuntur Christianum nomen. Ita Comm.

373. Eodem modo communicatio cum IIH. *in crimine*, *in sacris*, et in iis politicis actionibus, ubi adest periculum subversionis in fide vel moribus, mortaliter illicita est Catholico. *Sporer.* T. 2. in 1. Praecept. c. 3. sect. 4. *In crimine* communicare dicuntur 1. credentes, qui eorum doctrinam libenter audiunt,

approbant, apud alios dilaudant etc.; item qui in genere tantum dicunt: Vera sunt, quae Lutherus, Calvinus contra Ecclesiam docuerunt; etsi in particulari illorum errores ignorent. Vide *Nav.*, *Toletum*, *Sanch.* l. c. c. 10. . . . 2. Fautores, receptores, defensores HH. in causa haeresis, et contra fidem Catholicam, nam extra causam haeresis quoad alia politica ac civilia credere, favere, recipere vel defendere IIII. culpa non est, ut ait *Sporer* l. c. n. 30. Denique, ut haereticus excommunicatus vitandus sit, requiritur, ut sit nominatim denunciatus; hinc cum heterodoxi in Germania nominatim excommunicati non sint, vitandi per se loquendo etiam non sunt in rebus politicis et conversatione civili.

Casus

Amusus nullius rei magis ignarus, quam mysteriorum fidei; nihilominus inter pocula de rebus fidei non parum inepte disputat: textus biblicos ὑστερον προτερον allegat: dum sermo fit de SS. Pontificibus, non nisi contemptim de iis loquitur: saepius dubitat de reali praesentia Christi in Eucharistia: de poenis aeternis inferni assensum tantum opinativum elicit: carnis resurrectionem in animo plane negat, idque saepius, nemine praesente, verbis exprimit, dicens: Rideo hanc vanam persuasionem de resurrectione carnis.

374. *Q.* I. An Amusus sit infidelis, ita ut amiserit habitum fidei propter ignorantiam culpabilem mysteriorum fidei. R. Peccat quidem graviter ob ignorantiam crassam ac supinam; infidelis tamen non est, quamdiu paratus est errorem suum relinquere, si ab Ecclesia contrarium teneri resciverit; quia hoc modo non repugnat agnitae veritati. Si vero ignorantia affectata conjuncta esset cum contemptu virtuali fidei vel Ecclesiae, v. g. si nollet addiscere mysteria fidei, quia haec parvi aestimat, vel ut liberius in suis erroribus perseveret, vel ne teneatur in obsequium fidei captivare intellectum, tunc videtur positivum peccatum infidelitatis committere, quia saltem virtualiter judicaret, fidem ad salutem sibi non esse necessariam, quod est haereticum. *Babenst.* t. 5. d. 1. a. 2. n. 3. Eodem modo, qui tantum externe negat fidem, peccat quidem graviter, non tamen cessat esse fidelis, multo minus amittitur habitus fidei per alia peccata fidei non opposita, ut constat ex *Trid.* sess. 6. can. 28. *Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul et fidem semper amitti; aut fidem, quae remanet, non esse veram fidem, licet non sit viva; aut eum, qui fidem sine charitate habet, non esse Christianum, anathema sit.* Vide etiam propos. 12. ab *Alex. VIII.* damnatam. *Ratio* est: quia Scriptura docet, fidem consistere cum pravis operationibus: sic 1. Cor. 13. dicitur: *Si habuero omnem fidem, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Quod autem sermo hic sit de fide divina, constat ex seq. *Nunc autem manent, fides etc.* Hinc etiam s. Aug. L. 1. de Trinit. C. 18. ait, *fidem sine charitate esse posse, non autem prodesse. Confirm.* 1. Peccatores tenentur se convertere ad Deum, ut recuperent gratiam; atqui ad hanc se disponere nequeunt sine actu fidei et spei, quia *sine fide impossibile est placere Deo:* ergo si verus actus fidei infusae potest consistere antecedenter ad gratiam sanctificantem, etiam habitus fidei poterit consistere in magnis peccatoribus.

Adde hic, quod ab eodem *Alex. VIII.* recte damnata sit propositio octava, *necesse esse infidelem in omni opere peccare*; quia ex Scriptura et PP. constat, infideles operationes morales, laudabiles et honestas posse exercere: sic *Exod.* 1. laudantur Aegyptiae obstetrices, eoquod timuerint Deum, et non fecerint juxta impium Regis mandatum. 3. *Reg.* 21. laudatur Achab humiliatus. *S. Aug.* L. 5. de civit. Dei c. 15. ait, Deum amplitudinem imperii Romanis contulisse, eo quod pluribus virtutibus naturalibus pollerent.

Hinc etiam *Trid.* sess. 6. can. 7. anathema dicit. *Si quis dixerit, opera omnia, quae ante justificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, vere esse peccata.* Vide etiam n. 406.

375. *Q.* II. Quid dicendum de disputatione inter pocula. R. Quid scit ignorantiam suam, et tamen libere se committit disputationi de rebus fidei cum acatholicis, manifesto periculo perversionis se ipsum, Religionem vero Catholicam ludibrio, et gravi contemptui exponit; ergo a gravi peccato vix excusandus censetur. Secus si Catholici tantum inter se sine tali periculo disceptent. Excusantur etiam rustici, qui ex pia simplicitate suam peritiam volunt ostendere. Periculosius est, textus biblicos tantum ad libitum suum, et ad defendendos errores perperam allegare; major enim reverentia debetur verbo divino, quam ut poculis superfluis misceatur, nec Biblia a bibendo derivantur. Vide *Reiffenst.* t. 4. d. 4. a n. 43.

376. *Q.* III. Quid de contemptu ss. Pontificum. R. Si is oriatur ex interno contemptu supremae potestatis, vel ad illum tendat ex intentione, culpa gravi non caret. Vide n. 183.

377. *Q.* IV. An dubitando peccaverit graviter peccato infidelitatis. R. *Affirmativa*, si deliberate fiat, et cum pertinacia, sive dubitaverit *positive*, judicando, illum articulum fidei non esse dignum, cui certus assensus, sed incertus tantum praebeatur; sive *negative*, cohibendo assensum ex imperio voluntatis, quamvis positive non dissentiat. Si vero dubium tantum oriatur ex scrupulo conscientiae, vel alio motu, cui dubitans non consentit, sed resistit aversando, quidquid fidei contrarium est, non est peccatum, sed materia meriti: signum autem resistentiae et peccati non commissi esse poterit, si quis in ipsa tentatione magna molestia afficiatur, tanquam odio habens errorem, et diligens veritatem. Dubitans autem vere et interne tantum non incurrit excommunicationem, et consequenter absolvi potest a quolibet Confessario. Neque necessarium est explicare, qualis fuerit articulus, de quo dubium fuit; cum enim omnes nitantur eodem motivo infallibili, etiam censentur ejusdem speciei. *Stotz* L. 1. p. 3. q. 3. cum *Suar., Palao, Laym.* Eodem modo peccat graviter, qui tantum elicit assensum opinativum de fide, h. e. qui simul cum plena advertentia judicat, motiva non esse tanti momenti, ut non possit subesse periculum deceptionis, quod contingit, quando quis dicit: Forte res ita se non habet, forte poenae inferni non sunt aeternae etc.; si hoc judicium in fide erroneum jungatur cum pertinacia, est haeresis, sicut dubium. Ita *Stotz* ibid. n. 117. cum *Palao, Azor, Coningk etc. Confir.* ex c. 1. de III. ubi expresse ita habetur; *Dubius in fide, infidelis est. Ratio* autem est: quicumque scit, aliquem articulum ab Ecclesia ad credendum esse propositum, et tamen judicat, eum esse incertum, is formaliter haereticus est; atqui dubitans de ejusmodi articulo deliberate, saltem implicite, et forte explicite judicat, eum esse incertum; ergo. Ita *Laym.* l. c. c. 13. n. 5. contra *Canum, Sanchez* et alios. Quoad ultimum Amusus incurrit excommunicationem. Vide *Stotz* l. c. n. 118.

378. Pro reliquis huc pertinentibus *observa* I. Haeresin formalem cognosci ex gradibus pertinaciae: 1. Quando inter III. nati et educati incipiunt dubitare de suae sectae veritate, nec tamen ulterius volunt inquirere ex odio, aut contemptu Ecclesiae. 2. Quando contra definitionem, auctoritatemque Ecclesiae sufficienter propositam, sed non satis agnitam sentiunt ex eo, quia intellectum malitiose avertunt a perceptis motivis, et tantum convertunt ad motiva suae sectae non studio veritatis, sed quia non volunt subjicii Ecclesiae ex quacumque demum causa politica, et respectu humano, ut plerique doctiores acatholici faciunt: vel 3. quando agnita veritate, adhuc contradicunt Ecclesiae, ex odio Papae vel Ecclesiae, ut faciunt Haeresiarchae et indurati Heterodoxi, sic *Grajus*, praefectis carceris Londinensis, dicere non est veritus: *Etsi scirem, quod ad coelum nonnisi in Ecclesia Catholica*

pervenire possem, mallem carere coelo, quam profiteri fidem illam; et hi sunt tres praecipui pertinaciae haeresis formalis gradus, quorum primus fundatur in veritate studio neglecta, secundus in veritate sufficienter proposita, sed contempta, tertius in veritate agnita malitiose oppugnata. Ita *Sporer* n. 1. Praecept. c. 3. n. 17. etc.

379. II. Signa ex quibus colligi potest, aliquem esse tantum haereticum materialem, sunt 1. Si quis erraverit quidem contra fidem, at semper paratus fuerit judicio Ecclesiae se submittere, quamprimum errorem cognoverit. 2. Si quis de Catholica fide nihil sciverit, et de sua nunquam dubitaverit. 3. Si quis dubitans studuerit agnoscere veritatem, et, quantum potuit, inquisiverit. 4. Qui conversionem propositam ex respectu humano vel incuria distulit, ab eo tempore haereticus non est, peccat tamen contra praeceptum affirmativum fidei si diu differat.

380. III. Haereticis famulari, dum adest manifestum periculum perversionis, prohibitum est jure naturali et divino, quia non licet persistere in periculo proximo peccandi. Si absit hoc periculum, famulus vero impediatur plerumque, v. g. singulis mensibus bis terve sine necessitate ab observatione praeceptorum Ecclesiae, v. g. si diebus prohibitis deberet comedere carnes, negligere Missam, laborare serviliter diebus festis etc., adhuc illicitum est servitium; excusat tamen ad aliquod saltem tempus (non tamen ultra ordinarium, quo singulis annis famuli solent conduci) notabile damnum, v. g. si famulus deberet amittere suum salarium, vel non posset habere dominum Catholicum, a quo sufficiens salarium acciperet, nec aliunde haberet, quo sibi sufficienter prospiceret. *Ratio* est: quia praecepta Ecclesiae ad sui observationem obligant, nisi grave damnum intercedat. Ita *La Croix* L. 2. a n. 102. cum *Nav.*, *Bonac.*, *Sanch.* et aliis. Si vero famulus raro impediretur ab obligatione Catholici, nec adesset periculum perversionis, liceret servire acatholico tolerato, uti passim sunt in Germania, quia hoc nullibi prohibitum est; nec apud Catholicos facile reperitur dominus, qui quandoque non ita impediat famulum. *Suar.*, *Laym.*, *La Croix* l. c. n. 104. Denique quae excusant apud dominos Catholicos ab observatione praeceptorum Ecclesiae, v. g. custodire pecora, vigilare in excubiis militaribus, navigare in mari per plures menses, etiam hosce famulos haereticorum excusant.

381. IV. Licitum est in Germania acatholicorum funera comitari humanitatis causa, assistere baptismo aut nuptiis, una alterave vice curiositatis gratia eorum conciones et cantus audire, spectare eorum coenam sine positiva tamen simulatione quod unus illorum sis, fungi apud eos officio mere politico, suscipere gradum ex Jure aut Medicina in eorum Academiis, dummodo nihil agendum aut permittendum sit, quod verae Religioni praejudicet. *Ratio* est: quia haec in Germania non habentur pro signis approbativis acatholicae religionis. *Laym.*, *Spor.* et alii. Porro in Universitate Acatholica non licet audire lectionis Theologicas nec Juris Canonici (nisi forte librum 2. de Judiciis) quia hae tractant de rebus fidei, aguntque contra Ecclesiam Catholicam. Licet audire lectiones Juris Civilis, et Medicas, quia hae plerumque se non extendunt ad res fidei; magis periculosum est audire lectiones Juris Publici ob connexionem, quam habent cum Pontificibus et Ecclesia. Denique sicut raro sine magno fidei, virtutis ac salutis periculo Catholici solent adire Universitates Acatholicas, ita nonnisi ii excusari a peccato videntur, qui fideli custodia muniti, et in fide constantes eo se conferunt discendi causa. Vide *P. Ignat. Schwarz* in Colleg. Hist. P. 3. Q. 6.

382. V. Media conservandi fidem *positiva* sunt: 1. Maximi semper aestimare donum fidei cum s. Paulo ad Philipp. 3. v. 7. *Existimo omnia detrimentum propter eminentem scientiam Jesum Christi Domini mei.* 2. Saepius

gratias agere pro dono fidei: *Gratias agimus Deo sine intermissione, quoniam cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei etc.* 1. Thess. 3. . . . 3. Frequenter cum Apostolis dicere Luc. 17. *Domine adauge nobis fidem.* Item frequentes actus fidei elicere tam internos quam externos; actus autem omnibus Christianis communes sunt: corde credere, ore confiteri, opere confirmare; *vera* enim *fides est*, juxta s. Greg., *quae huic, quod dicit, moribus non contradicit.* Actus fidei perfectissimi sunt: pro viribus eam dilatare, contra HH. aliosque hostes fortiter eam propugnare, denique sanguinem proprium fundere pro fide. 4. Omni studio et avide discere mysteria fidei. Adde media *negativa:* 1. Fugam superbiae et libidinis, ob quae duo vitia plurimi a fide defecerunt. Vide n. 321. . . 2. Fugam curiositatis et praesumptionis in rebus fidei perscrutandis. Nam *scrutator Majestatis opprimetur a gloria.* Prov. 25. . . . 3. Fugam nimiae familiaritatis cum acatholicis; et lectionis librorum acatholicorum.

383. VI. Modus recipiendi eos, qui ad veram fidem se volunt convertere, est sequens. 1. Bene instruendi sunt; praesertim explicentur notae verae Ecclesiae, media necessaria ad salutem tum necessitate medii, tum praecepti; ostendatur modus eliciendi actus fidei, spei, charitatis, doloris de peccatis etc. modus colendi Sanctos, ut plane deponant falsam persuasionem, qua acatholici a juventute laborant ex mendaci suorum praedicantium doctrina, quod catholici cultu divino colant Sanctos; item modus se praeparandi ad confessionem sacramentalem. 2. Post sufficientem instructionem erigantur ad emittendam professionem fidei. *NB.* Hic monendi sunt, ut deponant vanum timorem incussum a suis verbi ministris, quod debeant detestari parentes: haeresin et falsam tantum doctrinam detestantur catholici, id quod ipsi acatholici sana ratione utentes faciunt. 3. Denique si nihil obstet, coram duobus saltem testibus Sacerdos superpelliceo et stola indutus a bene instructo excipiat professionem fidei juxta formulam Trid. quae in lingua vernacula passim habetur, vel in Agendis Dioeces., in catechismo P. Kleppe, et in libellis catecheticis Wirceburgi impressis. 4. Professione facta neo-conversus, si fuerit haereticus tantum materialis, potest absolvi a quolibet Sacerdote approbato: secus si fuerit haereticus formalis. Plura in P. 2. de casib. reserv. Postea admittitur ad confessionem sacramentalem et Eucharistiam. Prudentia instructori suggeret, ut non facile omnibus credat, qui petunt admitti ad professionem fidei.

» Modus excipiendi professionem fidei a neo-converso ad Ecclesiam Ro-
» mano-Catholicam.

» *Sacerdos superpelliceo, et stola violacei coloris indutus, necnon pro-*
» *fessurus fidem cum cereo accenso genuflectunt coram altari majori, vel*
» *imagine crucifixi, adhibitis ad minimum duobus testibus, et cantatur,*
» *vel recitatur hymnus* Veni Creator Spiritus; *vel lingua vernacula. Quo*
» *finito sequitur:*

» V. Emitte Spiritum tuum et creabuntur.
» R. Et renovabis faciem terrae.
» V. Domine exaudi orationem meam etc.
» V. Dominus vobiscum. R. Et cum spiritu tuo.

Oremus

» Deus, qui corda fidelium S. Spiritus illustratione docuisti, da nobis
» in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere.
» Per Christum Dominum nostrum. Amen.

» *Postea Sacerdos sedet in cornu Epistolae (si Sanctissimum Sacramen-*
» *tum asservetur in tabernaculo), sin minus in medio altaris, et coram*
» *illo genuflectit professurus, et emittit professionem fidei. Vel si nesciat*

» *legere, Sacerdos praelegit eidem tarde professionem, in formula brevio-*
» *ri, si ita videbitur, ut conversus eamdem intelligere, et cum Sacer-*
» *dote distinctis verbis pronuntiare possit.*

» *Quando perventum fuerit ad illa verba:* Ego idem NN. spondeo, vo-
» veo, et juro: *imponit tres priores digitos super codicem Evangelii, et*
» *in fine illud osculatur. Quo facto dicitur a Sacerdote psalmus:* Mi-
» serere.

» V. Salvum fac servum tuum. R. Deus meus sperantem in te.
» V. Esto ei Domine turris fortitudinis. R. A facie inimici.
» V. Mitte ei Domine auxilium de Sancto. R. Et de Sion tuere eum.
» V. Dominus vobiscum. R. Et cum spiritu tuo.

Oremus

» Deus, cui proprium est misereri semper et parcere, suscipe depreca-
» tionem nostram, et hunc famulum tuum, quem excommunicationis ca-
» tena constringit, miseratio tuae pietatis clementer absolvat. Per Christum
» Dominum nostrum. R. Amen.

» *Deinde absolvit eum ab haeresi hac forma.*

» Misereatur tui etc. Indulgentiam etc. Ego auctoritate omnipotentis Dei,
» et Beatorum Apostolorum ejus Petri et Pauli, et Sanctissimi Domini no-
» stri Papae N., absolvo te a vinculo excommunicationis, quam incurri-
» sti per haeresim professam: admitto te in gremium s. matris Ecclesiae,
» et in Sacramentorum ejus participationem: Communioni, et unitati fide-
» lium te restituo. In nomine Patris et Filii etc.

§. III. *Principia generalia de Spe.*

384. *Princ. 1.* Spes, prout hic sumitur, alia est *habitualis*, quae est habitus supernaturalis (communiter virtus theologica a Deo infusa) habilitans et adjuvans hominem ad desiderandam beatitudinem aeternam mediis necessariis ex promissione divina obtinendam: alia *actualis*, quae est actus, quo vitam aeternam, mediaque ad eam consequendam necessaria ac conducentia firma cum fiducia expectamus, quia Deus infinite bonus, potens ac fidelis illa promisit. Haec includit tres actus: 1. Desiderium bonorum supernaturalium a Deo promissorum; quod desiderium non consistit in simplici complacentia beatitudinis, sed in voluntate seria adhibendi ordinata media ad consequendam beatitudinem. 2. Firmam fiduciam, qua nos bona a Deo promissa obtenturos confidimus. 3. Erectionem animi contra difficultates occurrentes in consecutione beatitudinis. *Objectum materiale Spei primarium* est ipse Deus beate a nobis possidendus, juxta illud Genes. 15. *Ego . . . merces tua magna nimis.* Possessio enim Dei est summa beatitudo, quae praeferenda est omnibus bonis et gaudiis creatis. *Secundarium* sunt omnia media tum supernaturalia ad consequendam beatitudinem necessaria (inter quae praecipua sunt remissio peccatorum, et gratia Dei per merita Christi etc. huc etiam pertinet donum perseverantiae, et propria merita, quatenus fundantur in gratia Dei et meritis Christi); tum naturalia, sive bona temporalia, quatenus conducunt ad animae nostrae salutem. *Objectum formale Spei*, prout haec est desiderium, est bonitas Dei respectiva, sive ut nobis bona, et a nobis possidenda; haec enim nos immediate movet ad actum desiderii; summe etiam movet, quia ejus possessio summe nobis bona est super omnia alia bona creata. Motivum spei, ut est erectio animi, est omnipotentia Dei, sive virtus auxiliatrix; haec enim movet ad prosequendum bonum arduum, erigitque animum adversus omne id, quod impedire potest consecutionem boni sperati. Hinc Isai. 6. *Sperastis in Domino Deo forti*; et Psal. 17. *Deus meus*

adjutor meus, et ego sperabo in eum. Denique motivum spei, prout certa fiducia, est infinita Dei fidelitas, ejusque promissio, hac enim innixi, certo expectamus beatitudinem, et media ad eam consequendam necessaria. Hinc spes *Hebr.* 6. dicitur *anchora tuta:* et *Trid.* sess. 6. c. 16. ait: *Bene operantibus usque in finem, et in Deo sperantibus proponenda est vita aeterna, et tanquam gratia filius Dei per Christum Jesum misericorditer promissa, et tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus et meritis reddenda.* Porro etsi speculative triplex hoc motivum non necessario requiratur ad spem supernaturalem; in praxi tamen rudes sic perfectius possunt addiscere, et elicere spem plenam ac perfectam. Si quaeras ex aliquo, cur amet et desideret beatitudinem, facile respondebit: Quia bona mihi est super omnia alia bona. Quaerenti ulterius, cur tanta cum fiducia eam tam arduam, et naturae vires excedentem expectet, respondebit: Quia Deus omnipotens me potest juvare, idemque vult juvare, et quia in promissis fidelissimus, beatitudinem una cum mediis promisit.

385. *Princip. II.* Spes habitualis omnibus hominibus tam parvulis, quam adultis necessaria est necessitate medii ad justificationem et salutem. Ita comm. Spes actualis, sive aliquis actus spei omnibus adultis rationis usu pollentibus etiam necessarius est ad justificationem et salutem. *Ratio* est: quia Deus neminem ex adultis justificat aut salvat, nisi propriis actibus tendat in ipsum tanquam finem ultimum; atqui hoc fieri nequit sine actu spei: ergo. Hinc Apostolus ad Rom. 8. ait: *Spe salvi facti sumus:* et *Trid.* sess. 6. cap. 7. inquit: *Fides, nisi ad eam spes accedat et charitas, neque unit perfecte cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit.* Praeceptum autem spei, prout est affirmativum, obligat hominem ad eliciendum saltem aliquando in vita actum spei, ut patet ex propos. 1. ab *Alex. VII.* damn. Imo saepius per vitae decursum; tum quia juxta lumen rationis absonum est, hominem nunquam, aut raro admodum ad finem ultimum per spem se convertere; tum quia ad pie vivendum, et ad salutis media adhibenda necessarius est actus spei. Vide dicta de praecepto fidei. *Viva* in cit. prop. damn., *Cardenas, Reiffenst.* et alios. Caeteroquin quo tempore determinato obliget hoc praeceptum per se, certo quidem definiri non potest, communiter tamen dicitur obligare 1. Sub initium usus rationis, postquam homini sufficienter per fidem aeterna beatitudo proposita est. 2. Quando quis tam vehementes contra spem tentationes patitur, ut iis aliter resistere nequeat, nisi eliciendo actum spei, id quod maxime tenet in articulo mortis. 3. Per accidens obligat, quoties urget praeceptum alterius virtutis, v. g. orationis, poenitentiae etc., quod sine actu spei saltem virtuali impleri non potest. Nec tamen est, cur fideles de hac obligatione angantur, cum passim in exercitio bonorum operum, oratione etc. frequentes actus spei eliciantur. *Reiffenst.* t. 4. Theol. Moral. dist. 5. n. 11.

386. *Princip. III.* Spei opponuntur *Desperatio* et *Praesumptio*, illa per defectum, haec per excessum. Haec duo vitia praeceptum spei prohibet, prout est negativum, obligatque semper pro semper. *Desperatio* est actus voluntatis, quo quis abjicit omnem spem consequendae beatitudinis, vel mediorum ad illius consecutionem necessariorum, et quidem ex odio saltem virtuali, vel aversione beatitudinis aut mediorum, eo quod appareant obtentu impossibilia, vel nimis ardua, vel nunquam futura. Est ex genere suo peccatum mortale, quia immediate opponitur divinae bonitati ac misericordiae, et hominem directe avertit a suo fine ultimo, estque causa gravissimorum scelerum; facit enim, ut homo, abjecta salutis cura, absque timore se praecipitet in quaevis crimina (juxta illud ad Ephes. 4. *Desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiae in operationem omnis immunditiae*); tandem vitam pertaesus, et conscientiae remorsum non ferens, sibi ipsi mortem inferat. Desperationi saepe conjunctum est crimen haeresis, specialiter in confessione

explicandum, quando procedit ex judicio erroneo contra fidem, v. g. si quis ideo desperet, quia actualiter deliberate judicat, Deum non posse, nec velle remittere peccata, adeoque illum nec esse misericordem, nec omnipotentem, nec fidelem in promissis, vel peccata sua tanta esse, ut vincant misericordiam et potentiam Dei, aut se positive a Deo reprobatum esse ante praevisionem peccatorum. A peccato gravi hic non excusat parvitas materiae, nisi adsit simul defectus sufficientis advertentiae et deliberationis, aut nimis turbatae rationis ex melancholia, aut vehementi animi perturbatione. Dixi supra, *ex odio vel aversione*; nam si cui revelaretur sua damnatio, talis quidem, si abjiceret spem, non peccaret, nec proprie desperaret, quia non ex odio aversaretur beatitudinem, sed praecise quia crederet, eam non esse a se obtinendam. Ita *comm.* cum *Laym.* L. 2. t. 2. c. 2., *Babenst.* t. 5. D. 1. a. 3., *Rhodes.*

387. *Praesumptio* est inordinata et temeraria fiducia obtinendi a Deo beatitudinem aliter, quam ipse statuit obtinendam. Hoc duplici modo contingit. 1. Dum quis beatitudinem propriis viribus et mediis pure naturalibus. 2. Dum quis sola fide sine operibus, vel remissionem peccatorum per solam fiduciam in meritis Christi sine propriis actibus poenitentiae obtinere confidit. Huc reducitur *Dei tentatio*, quando quis temere vult experiri Dei misericordiam, expectando miraculosum Dei auxilium, nisi id fieret ex speciali Dei instinctu. Blasphema praesumptio et Dei tentatio est, si quis per bona opera, sacrificia Missae, preces etc. petat, aut speret a Deo consequi, quae per se mala sunt, v. g. turpem puellae amorem, victoriam injustae litis etc. *Jansen.* cas. 15. n. 10., *Reiffenst.* Est peccatum ex genere suo mortale, etsi non habeat annexam haeresin, nisi defectus plenae deliberationis excuset; quia per praesumptionem summa irrogatur injuria divinae providentiae et misericordiae, estque in materia gravissima. Hinc Eccl. 5. *Ne adjicias peccatum super peccatum, et ne dicas, miseratio Dei magna est;* et Deut. 16. *Non tentabis Dominum Deum tuum.*

» Spei Theologicae actus principalis est sperare et confidere firmiter in » Deo contra desperationem; secundarius et concomitans actus est humi- » liter timere et diffidere de se contra praesumptionem.

Casus L

Argyrophilus divitiis tam perdite addictus est, ut saepius dicat, se statim renunciaturum omni juri ad coelum, modo per octoginta annos liceat frui quiete bonis temporalibus: irruentibus vero variis morbis, tandem saniora consilia capiens, a Confessario rogat modum recte sperandi in solo Deo: illum edoctus diu a Deo petit sanitatem, tandem de illa recuperanda desperat, et non amplius orat; denique sub finem vitae memor peccatorum, vix satis erigi potest ad spem firmam.

388. *Q.* I. An renunciatio Argyrophili fuerit graviter peccaminosa. R. *Affirmative*, quia res temporales constituit pro fine ultimo, veramque beatitudinem; ipsumque Deum hoc modo sprevit: volens ex nimis inordinato creaturarum amore Deo carere. Simili impio affectu mortuus esse dicitur Nicolaus Machiavellus, dicens malle se cum illustribus viris ac foeminis habitare in inferno, quam cum plebeiis in coelo. *Burgh.* cent. 1. cas. 13.

389. *Q.* II. Quis sit modus recte sperandi, et eliciendi actum spei. R. 1. Speranda sunt primario bona supernaturalia, et spiritualia, temporalia vero non aliter, nisi ut conducentia ad salutem; sic Christus ipse modum recte sperandi et ordinem praescripsit in oratione Dominica *Matth.* 6. ubi expresse addit v. 33.: *Quaerite ergo primum regnum Dei.* 2. Ut spes sit utilis ad justificationem et salutem, ac supernaturalis; beatitudo promissa, Dei promissio, et motiva spei proponantur per fidem supernaturalem, quae dirigat actum

spei, sicut innuit Apostolus ad Coloss. 1.: *Si tamen manetis in fide fundati, et stabiles, et immobiles in spe.* Hinc multum prodest, in catechismis bene explicare motiva spei. R. 2. Breviter actus spei hoc vel simili modo potest elici, Spero, o mi Deus, per merita Jesu Christi remissionem peccatorum, gratiam vitandi peccata et bene agendi, praesertim gratiam finalem, et vitam aeternam, quia tu infinite bonus ac misericors, potens ac fidelis promisisti. *Item:* Peto a te humillime, et spero hoc vel illud bonum temporale, v. g. sanitatem, sustentationem etc. sicut tu vis, et promisisti, si conducat mihi ad salutem animae meae. Temporalia enim absolute promisit, sed sub conditione; si recte petantur: si petens aliunde se non reddat iis indignum, si conducant ad salutem etc.

390. *Q.* III. An peccaverit Argyrophilus desperando de petita sanitate, et intermittendo orationem. R. Si se conformando divinae voluntati intermiserit hanc petitionem, non peccavit: sic etiam David oravit pro vita filii, hac autem non obtenta, cessavit orare. 2. *Reg.* 12. Si vero ideo cessaverit orare, quia Deum immisericordem erga se judicavit, aut non potentem juvare, utique graviter peccavit. Sic etiam graviter peccat is, qui deliberate blaspheme judicat, Deum caeteroquin potentem et bonum sibi uni esse nimis rigidum et austerum, ut neque parcat, neque auxilia praestare velit. *Babenst.* l. c. n. 16.

391. *Q.* IV. An peccaverit constanter et multum timendo de salute. R. Si ideo, quia dubitat an non Deus facienti, quod est in se, sit defuturus, peccavit contra fidem et spem: secus si ideo, quia nescit, an sua peccata sint remissa, aut quia agnoscit relabendi periculum, et fragilitatem suam, aut quando timet abyssum divinorum judiciorum, modo timor non sit immoderatus. Eodem modo non peccat contra spem, qui cuidam vitio deditus, viribus suis diffidens existimat, se non posse abstinere, nisi simul abjiciat spem divinae misericordiae, sed conetur adhibere media ordinata. *Sporer* hic n. 16.

392. Porro *observa.* Spes est certa, sed simul cum timore conjuncta; *certa* ex parte Dei, quatenus in bonitate, potentia, et infallibili promissione Dei, et meritis Christi fundatur. *Laym.* l. c. n. 6. *Incerta* autem, et cum timore conjuncta ex parte nostra, quia spes consequendi salutem supponit etiam nostram cooperationem et merita, de quibus non habemus certitudinem, ideoque ex omni parte certam salutis spem habere non possumus citra specialem revelationem. Ex quibusdam tamen indiciis possumus esse moraliter certi, qualia sunt 1. Constans studium puritatis conscientiae, et horror peccati: *Si enim cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.* 1. Joan. 3. . . . 2. Affectus ad orationem, et frequens refugium ad Deum. Hinc s. Augustinus monet: *Si vis salvari, assidue in corde habeto illum versiculum: Deus in adjutorium meum intende.* 3. Conformitas cum divina voluntate, praesertim in rebus adversis; recte enim monet s. Nilus; *Non ora, ut fiant quae fieri velis; sed potius ora, sicut orare didicisti, ut fiat voluntas Dei in te.* 4. Patientiae exercitium; haec enim operatur *probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit.* Rom. 5. . . . 5. Frequens grata memoria Passionis Dominicae, et magna fiducia in meritis Christi: hoc medio erexit moribundam *S. Philippus Nerius*, quam cum nimis anxiam adverteret de salute, quaesivit: pro quibus mortuus sit Christus? Illa, pro peccatoribus, inquit. Pergebat ille: Et qualis es tu? Misera, ait, peccatrix ego sum. Respondebat Sanctus: Igitur pro te Christus mortuus est, quid igitur times? qua argumentatione convicta, actus spei eliciens, magno cum solatio mortua est. 6. Frequens invocatio B. Virginis; haec enim est mater sanctae spei. Alia signa passim in Asceticis reperiuntur.

Casus II.

Anchises, dum ad grave peccatum allicitur, tandem consentit, cogitans: Volo proxime confiteri: Deus facile remittit: Confessarius meus P. Angelus est bonus vir. Peccato semel commisso, postea saepius illud repetit, dicens: Idem peccatum sive semel, sive decies factum una eademque confessione deletur. Tandem factus consuetudinarius, liberrime peccat, cogitans: Ego tamen non sum praedestinatus, non spero salutem, sic liberius peccabo.

393. *Q.* I. An quoad primum et secundum Anchises commiserit peccatum praesumptionis. R. *Ad* 1. Si illud propositum confessionis, et fiducia obtinendae per eam remissionis habuerit se tantum concomitanter vel consequenter ad peccatum, non fuit peccatum praesumptionis, adeoque sufficit ipsum tantum peccatum exprimere in confessione, non facta mentione praesumptionis; secus si fuerit causa vel ratio motiva peccandi. *Ratio utriusque* est: quia primum potius est propositum non recedendi a spe, quo significat animum suum non esse ita affixum peccato, ut eidem adhaerere, sed ut ab eo recedere, et se ad Deum convertere velit. Econtra si istud propositum esset causa et motivum principale peccandi, implicite censeretur dicere: Quia scio, Deum facile placari per confessionem, ideo peccabo. Sic esset praesumptio, quia detorqueretur misericordia Dei in occasionem et causam peccandi. Vide *La Croix* L. 2. n. 126.. *Stotz* L. 1. p. 3. q. 3. n. 121.

394. *Q.* II. An desperationi fuerit conjuncta haeresis. R. Si intellexerit praedestinationem in sensu Calvini, fuit conjuncta: ex eo autem, quod liberius possit peccare, non amplius sperando, non habuit judicium erroneum contra fidem. *Babenst.* l. c. n. 10. cum *Sanch.* et *Laym.* Semper proinde advertat Confessarius, an cum peccato contra spem sit conjuncta haeresis, ne forte non habens potestatem absolvat.

395. *Q.* III. Quaenam remedia Confessarius debeat adhibere desperabundis. R. 1. Proponat infinitam Dei bonitatem, promissiones infallibiles Dei: *Qui non vult mortem peccatoris*, Ezech. 35. Item Isaiae 1. *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur.* 2. Efficacia sunt exempla peccatorum, qui gravissimorum delictorum veniam consecuti sunt, v. g. de Magdalena *Luc.*7.; de Zachaeo *Luc.*29.: de Latrone in Cruce *Luc.*23. ... 3. Movent parabolae de ovicula perdita *Luc.* 15. ibid. de filio prodigo. 4. Suadeat Confessarius specialem devotionem erga B. Virginem, quae est refugium peccatorum. Denique despiciat Confessarius, ex qua potissimum radice desperatio poenitentis oriatur: proxime solet plerumque nasci ex apprehensione, qua quis sibi imaginatur, se certo damnandum; remote vero vel ex acedia, qua quis media salutis graviora judicat, quam ut iis uti velit, vel saepissime ex luxuria, aliisque inveteratis peccatis, quae mentem solent avertere e coelestibus, et tandem ob difficultatem emendationis ad desperationem adducunt. Non raro melancholia solet esse illius origo: hinc congrua media pro diversa origine prudentia Confessarii applicabit.

396. Praesumptionis peccato obnoxiis juvat ponere ante oculos. 1. Rigorem divinae justitiae in puniendis iis, qui abutuntur Dei misericordia. 2. Longioris vitae incertitudinem: *Qui enim poenitenti veniam promisit, diem crastinum non spopondit*, ait s. Aug. *Qua nescitis hora, Filius hominis venturus est*, Matth. 24. . . . 3. Exempla frequentia in s. Script. v. g. de Balthasare post convivium interempto. *Daniel* 5. de Absalone in quercu suspenso et transfosso. 2. *Reg.* c. 18. etc.

§. IV. *Principia generalia de charitate Dei*

397. Principium I. *Charitas est virtus theologica* (vulgo divinitus infusa) *qua Deus diligitur tanquam summum bonum propter se; proximus autem propter Deum.* Objectum *materiale* primarium charitatis est ipse Deus, secundarium nos ipsi, et proximus. *Formale* vero est bonitas Dei ab soluta, sive ipsae perfectiones divinae sive collective, vel distributive sumptae, quia propter singulas Deus est infinite amabilis. Differt charitas a spe, quae includit amorem concupiscientiae; per hanc diligimus Deum, quia nobis bonus est; per amorem autem benevolentiae, quia in se bonus, et infinite perfectus est. Porro duobus modis Deus potest diligi super omnia, intensive, et appretiative. *Intensive*, si Deus diligatur cum conatu vehementiore, et intensiore ac teneriore affectu, quam omnes creaturae. *Appretiative*, quando praefertur Deus ob suas infinitas perfectiones omnibus rebus creatis: qui sic amat Deum, ejus amicitiam pluris aestimat, quam omnia reliqua bona, ita ut si vel Deus offendendus esset, vel alia cuncta, quae non sunt Deus, amittenda, illa potius desereret, quam Deum offendere.

398. *Princip. II.* Praeceptum charitatis: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua, hoc est maximum et primum mandatum* Matth. 22. prout est affirmativum nos obligat, ut Deum *appretiative* super omnia propter se ipsum diligamus, non autem necessario *intensive*. *Ratio primi* est: quia lumen naturale dictat, summum bonum, propter quod reliqua omnia sunt diligenda, non posse, nisi inordinate et praepostere postponi alicui minori bono, sed omnibus esse praeferendum: atqui Deus est summum bonum: ergo omnibus reliquis bonis praeferendus. *Confirm.* Ille amor praecipitur, qui ex se movet efficaciter ad observantiam omnium praeceptorum (nam finis istorum est charitas): atqui hoc praestat amor appretiativus; qui enim Deum sic amat, paratus est ad omnia praestanda, quae cognoverit a Deo esse praecepta, et ad illius amicitiam conservandam necessaria. Hinc 2. Joan. 2. v. 5. *Qui servat verbum ejus, vere in hoc charitas Dei perfecta est.* Ibid. c. 3. v. 5. *Haec est charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus, et mandata ejus gravia non sunt. Ratio secundi* est: quia non videtur conforme divinae bonitati, cujus *jugum suave est, et onus leve* Matth. 11. illud praecipere, quod hominem plurimis ac perpetuis scrupulis exponeret; atqui hoc fieret per praeceptum Deum intensive super omnia amandi; cum nemini satis constare posset an Deum aliquando cum sufficienti intensione amaverit. Ita Comm. cum *Sanch.* L. 2. Decal. c. 35. n. 2., *Suar.*, *Filliuc.*, *Bonac.*, *Babenst.* l. c. a. 4. n. 4. Itaque dum jubemur Deum diligere ex toto corde, anima, et mente, item plusquam patrem et matrem, *Matth.* 10. id non de amore secundum intensionem, sed appretiationem est accipiendum. Quid sit diligere ex toto corde etc. bene explicat *S. Thom.* 2. 2. q. 44. a. 5. in corp. *Praecipitur ergo nobis, ut tota nostra intentio feratur in Deum, quod est ex toto corde: et quod intellectus noster subdatur Deo, quod est ex tota mente: et quod appetitus noster reguletur secundum Deum, quod est ex tota anima: et quod exterior actus noster obediat Deo, quod est ex tota fortitudine, vel virtute, vel viribus Deum diligere.*

399. Prout hoc praeceptum est negativum, prohibet, ne Deum unquam odio habeamus, aut ullae creaturae postponamus, aliquid agendo, quod dissolvit amicitiam cum Deo, quia est summum bonum, et infinities praestat omnibus creaturis. Odium formale Dei, quo quis directe, et ex intentione Deo vult malum, est peccatum omnium maximum; quia est directa aversio a Deo *S. Th.* 2. 2. q. 34. a. 2. Quicumque vero peccat mortaliter, interpretative et virtualiter odio habet Deum, quia ponit id, per quod scit dissolvi amicitiam cum Deo. Porro odium Dei aliud est *odium abominationis*, quo quis Deum ob

immissam adversitatem odit. Ex hoc nascitur *odium inimicitiae*, quo quis Deum secundum se odit: licet enim in Deo non sit ulla ratio mali odibilis, impii tamen, dum aversantur Deum, ob immissa mala, falsissime apprehendunt in Deo rationem mali. In odio formali Dei non datur parvitas materiae, ideoque semper est mortale, si sufficienter deliberatum sit.

400. *Principium III.* Praeceptum charitatis obligat ad actum charitatis non tantum semel, sed saepius in vita eliciendum. Vide prop. 1. ab *Alexandro VII.* damnatam, item prop. 5. 6. et 7. ab *Innoc. XI.* damnatas. Quo vero determinato tempore obliget, difficile est definire, cum nec lex, nec Ecclesia diem aut tempus determinet. *Laymann* quatuor assignat tempora L. 2. t. 3. c. 2. n. 6. *Primo.* Quamprimum homo sufficientem usum rationis habet, ac sufficienter cognoscit Deum tanquam summum bonum, finemque ultimum; τὸ *Quamprimum* non sumitur pro primo instanti usus rationis, sed moraliter, scilicet ut longa mora non trahatur morali rerum aestimatione, postea quam hoc praeceptum diligendi tanquam ad salutem necessarium homini propositum fuerit. *Prob.* Ad statum et officium viatoris pertinet, ut ad finem suum, qui est Deus, se convertat, illum rebus omnibus creatis praeferendo: alioquin neque justitiam consequi, nec in baptismo acceptam diu retinere, nec per bona opera gloriam aeternam promereri posset. *Secundo.* Ut dictum est, *saepius in vita.* Huic tamen obligationi plerumque satisfit per charitatem *affectivam* (ut eam vocat *La Croix* n. 143.) hoc ipso, quod quis mandata Dei observet, studio evitet gravia peccata, hoc vel illud bonum opus faciat ideo, quia hoc vult Deus, vel qui cum attentione, et ex animo devote orat: *Sanctificetur Nomen tuum: fiat voluntas tua*; talis enim concomitanter simul elicit actum amoris *affectivi*, quo favet Deo suas perfectiones, gaudet, et gratulatur de iis, quia ipsi bonae sunt. Vide *Carden.* Dissert. 6. c. 2. a. 3. Ideoque non est, cur anxii sint ii de hac obligatione, qui student vitae Cristianae, et constanter promptam voluntatem retinent, evitandi gravia peccata. *Tertio.* Quando ingruente gravi tentatione periculum consensus in odium Dei formale imminet, quod videtur superari non posse, nisi per actum charitatis Dei formalem, id quod maxime tenet in articulo mortis; imo juxta *Jansen.* cas. 16. num. 5. obligat per se in eo articulo, etiam non occurrente graviori tentatione. Juxta alios suppleri potest actus formalis amoris per attritionem, et Sacramentum Poenitentiae: in praxi tamen moribundus semper disponendus est ad frequentes actus amoris, ideoque praestat eos saepius elicere in vita, ut accelerante morte animus paratus sit ad similes eliciendos. *Quarto.* Quando quis non habens copiam confessarii, actum Contritionis elicere tenetur, v. g. moriturus, sacrificaturus, aut Sacramenta administraturus; actus enim contritionis includit actum charitatis. *Laym.* l. c.

Casus *De charitate Dei.*

Azarias, quanquam vehementer abhorreat a peccato lethali, saepe tamen leviter offendit Deum; monitus a Confessario ut saepius eliciat actus amoris Dei, mane quotidie facit intentionem, omnia totius diei opera ad Dei gloriam et beneplacitum peragendi, per diem autem aliis negotiis intentus vix unquam de Deo cogitat.

401. *Q.* I. An Azarias saepius peccando venialiter adhuc censendus sit satisfecisse praecepto charitatis. R. *Affirmative*, si suo tempore etiam formalem actum amoris elicuerit, ut patet ex n. praeced. Peccaret tamen graviter, qui actum dilectionis Dei tantum semel eliceret in vita, ut patet ex propos. 5. ab *Innoc. XI.* damnata. Peccaret etiam graviter, qui nequidem singulis quinquenniis actum charitatis eliceret, ut constat ex propos. 6. ab *Innoc. XI.* damnata. Nec satisfacit obligationi diligendi Deum, qui tunc solum elicit actum charitatis, quando tenetur justificari, et non habet aliam viam, qua possit justificari,

tet ex propos. 7. ab *eodem* damnata. *Ratio* est: quia ex dictamine rationis absonum est, hominem nunquam, vel raro admodum se convertere ad summum bonum, tanquam finem ultimum: praeterea quidam contemptus est, et enormis ingratitudo, habitibus virtutum theologicarum fere nunquam uti. Denique actus charitatis sicut et fidei ac spei necessarius est ad pie vivendum. *Viva* in proposit. 1. ab *Alex. VII.* damnata. *Confirm.* ex proposit. 1. ab *Alex. VIII.* damnata, quam Pontifex ut haereticam declaravit, utpote aperte oppositam veritati revelatae: *Diliges Dominum Deum tuum.* Matth. 22. et Marci 12. Et: *Qui non diligit, manet in morte.* 1. Joan. 3.

402. *Q.* II. Quomodo eliciendus sit actus amoris Dei. R. Hoc vel simili modo: Amo te, o Deus, ex toto corde, quia tu es summum et infinitum bonum: *vel:* Amo te super omnia ex toto corde, quia propter infinitas perfectiones tuas summo amore dignissimus es. Porro ille perfecte Deum amat, qui ex animo vult Deo omnia bona tum intrinseca tum extrinseca (amare enim aliquem, est ipsi velle bonum). *Intrinseca* sunt ipsae divinae perfectiones, scilicet sapientia, sanctitas, omnipotentia, justitia etc. *Extrinseca* dicuntur, quae ipsi a creaturis proveniunt, v. g. quod a creaturis tanquam summum bonum cognoscatur, ametur, glorificetur etc. Varios affectus amoris vide apud *La Croix* l. c. n. 157. Amor dolorosus, sive contritio, sic potest elici: Doleo, o mi Deus, de omnibus peccatis meis, non tantum propter poenas, quas a tua justitia promeritus sum, sed maxime ideo, quia te Deum summum bonum omni amori dignissimum, quod etiam nunc amo super omnia, offendi; ex hoc amore detestor peccatum tanquam summum malum, et propono posthac, adjuvante gratia tua, te nunquam offendere.

403. *Q.* III. An intentio mane facta faciat, ut opera diurna sint opera charitatis, et meritoria. R. Si intentio illa per contrariam intentionem, v. g. per vanam gloriam, vel per peccatum grave non corrumpatur, tum censetur adhuc influere in opera totius diei, etiamsi quis reflexe non cogitet in singulis actionibus de motivo charitatis. Signum autem, quod intentio duret, saltem aliquod est, si operans interrogatus, cur hoc vel illud agat, cum veritate respondere possit, se ad Dei beneplacitum, gloriam et honorem operari.

404. *Q.* IV. Quae sint media proficiendi in charitate Dei. R. 1. Incipiat homo saepius meditari innumera beneficia ex puro amore a Deo exhibita praesertim beneficium Creationis, Redemptionis, quod Christus ex ineffabili erga nos charitate mortem acerbissimam sustinuerit, item beneficium vocationis ad veram fidem: in hac meditatione exardescet ignis charitatis Dei. *Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos* 1. Joan. 4... 2. Amoris ignem augebit consideratio praemiorum, quae Deus promisit diligentibus se: *Nec* enim *oculus vidit nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae Deus praeparavit diligentibus se.* 1. Cor. 2. 2. Peccator efficacius remedium non habet satisfaciendi pro peccatis, quam frequens exercitium amoris. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Luc. 7...3. Ex cognitione divinarum perfectionum, bonitatis, pulchritudinis, omnipotentiae, sapientiae, justitiae, misericordiae etc. quotidie innovetur odium, ac detestatio peccati. 4. Frequenter per diem repetatur intentio, omnia cogitandi, loquendi, agendi, et patiendi ad Dei gloriam, gustum ac beneplacitum, juxta illud 1. Cor. c. 10. *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.*

405. Porro I. advertat Confessarius ad errores anxie poenitentium, dum se accusant, dicendo: Non amavi Deum ex toto corde. *Ratio* hujus judicii plerumque est, quod tenerius ament amicum, filios etc. quam Deum: vel quod non servierint Deo debito cum fervore. Quaerat igitur Confessarius, an ita fuerint animo comparati, ut potius omnia pati, quam Deum offendere voluerint, et ex eo doceat poenitentes, quod non graviter deliquerint contra prae-

ceptum charitatis, quia amoris teneritudo non praecipitur, sed major appretiatio Dei. *Herzig* p. 2. n. 164.

II. Alii se accusant: Amavi Deum propter mercedem, vel ex metu inferni; hi plerumque timorem peccati ex eo concipiunt, quod hic et nunc ita fuerint dispositi, ut actum amoris non elicuissent, nisi spes praemii, vel metus inferni movisset. Hos proinde instruat Confessarius, quod non deliquerint, quia merces vel poena fuerunt tantum causa movens, ut Deus expeditius diligatur, tanquam finis principalis. Quid? quod rudioribus suadendum sit, ut actui amoris perfecti praemittant actum amoris imperfecti ex consideratione beneficiorum, uti et actui contritionis actus attritionis. Is tamen mortaliter peccaret, qui actualiter ita esset constitutus, ut nollet amare Deum, ejusque praeccpta servare, nisi urgeret spes praemii, vel metus inferni: quia sic non diligeret Deum appretiative super omnia, sed se ipsum ac proprium bonum plusquam Deum. *Babenst.* t. 1. d. 1. a. 4. n. 6. cum *Sanch.*, *Laym.*

406. III. Nota hic propositionem 10. ab *Alexandro VIII.* damnatam, in qua innuitur a Bajanis, quod *intentio, qua quis detestatur malum, et sequitur bonum, mere ut coelestem gloriam obtineat, non sit recta, nec Deo placens.* Falsitas hujus propositionis patet 1. ex *Trid.* sess. 6. can. 31. *Si quis dixerit justificatum peccare, dum intuitu aeternae mercedis operatur, anathema sit.* 2. Quia Scriptura et Patres passim nos excitant ad bene operandum intuitu mercedis, uti Psal. 118. *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in aeternum propter retributionem.* Item Apocal. 2., 1. Cor. 9., ad Coloss. 3. et alibi saepius. *S. Aug.* in Ps. 120. *Noli facere bonum opus, nisi propter vitam aeternam; ideo fac, et securus eris.* 3. Quia agere intuitu mercedis honestum est et secundum rectam rationem: ergo talis intentio non est displicens Deo. Vide etiam prop. 13. ab eodem *Alex. VIII.* damnatam. Recte etiam damnata est ab eodem prop. 11. *Omne, quod non est ex fide Christiana supernaturali, quae dilectionem operatur, peccatum est.* Ex hac sequeretur 1. quod omnia opera, quae ante justificationem fiunt, vere essent peccata, quod damnatur a *Trid.* sess. 6. can. 7... 2. Si carens fide, quae per dilectionem operatur, in quocumque suo morali opere peccaret, sequeretur quod talis peccaret etiam observando legem divinam, v. g. honorando parentes, restituendo furto ablata, jejunando etc.: ergo potius deberet ab his abstinere; quo quid absurdius? Nec obstat textus s. Pauli 1. Cor. 13. *Si linguis* etc. *charitatem autem non habuero, nihil etc.* Nam *Apostolus* (ut explicat *S. Prosper* L. 1. de vita contemplat. C. 4.) *non ad hoc ista dicit, quasi aliqua bona sine charitate habere aliqui non possint, sed quia nihil prosint habentibus ea, si a charitate defecerint.* Hinc si dicantur opera in statu peccati mortalis facta nihil prodesse, non recte fieri etc. intellige, ea non esse meritoria vitae aeternae. *Viva* in cit. propos.

407. IV. Amor Dei super omnia, juxta Theol. et Asceticos habet tres gradus perfectionis. *Primus* est, Deum propter summam ejus bonitatem appretiare super omne bonum creatum, cujus possessio Deum graviter offenderet: vi hujus amoris homo paratus est, potius omni bono creato privari, et perpeti omne malum, quam peccare mortaliter. *Secundus* est, amando ita appretiare divinam bonitatem propter se, ut vi amoris illius homo paratus sit omni bono creato potius carere, quam deliberate leviter offendere Deum. *Tertius* est, vi cujus Deum amans ita se conformat et subjicit divinae voluntati in prosperis et adversis, ut nihil omnino velit, nisi Deum, et propter Deum, ideoque semper eligat propter amatum, quod est perfectius. Hic gradus excludit non tantum peccata, sed etiam voluntarias imperfectiones.

» *Q.* 1. An detur amor disinteressatus.

» *Nota.* Semper adhuc amor triplex agnitus fuit: videlicet 1. *Concupiscen-*
» *tiae*, qui intendit bonum proprium amantis. 2. *Benevolentiae*, qui bonum
» proprium amati solius. 3. *Amicitiae*, qui est amor benevolentiae mutuus, et

» post se trahit, aut conjunctam habet ipsam amicitiam, seu mutuam bo-
» norum communicationem, ut ex S. Th. 1. 2. q. 65. a. 5. habetur, cum nu-
» per Recentior ex Bossueto *purum* amorem benevolentiae negat, dicens:
» ne quidem, saltem ordinarie dari posse amorem *disinteressatum explici-*
» *cite et praecisive*, qui per accidens abstrahat ab intentione boni pro-
» prii, neque *implicite et realiter*, *seu effective*, qui etiam positive exclu-
» dat proprium bonum et sic *amorem amicitiae* esse mixtum ex benevo-
» lentia et concupiscentia, velleque bonum et amico et sibi.

» R. 1. *Actus charitatis non quidem necessario excludit amorem con-*
» *cupiscentiae ab eadem potentia, vel etiam actu*, adeoque... potest amor
» esse justificativus, licet adjunctam secum habeat etiam intentionem pro-
» priae beatitudinis, tum quia motiva horum amorum sunt quidem diver-
» sa, sed non sunt opposita vel incompossibilia, tum quia potest amor con-
» cupiscentiae imperare amorem benevolentiae, et amor benevolentiae con-
» cupiscentiam ordinare ad bonum Dei, ut ostendunt exempla Sanctorum,
» qui desiderabant videre Deum in coelo, quia cum amabant, aut ut eum-
» dem amarent perfecte.

» R. 2. *Nec tamen actus charitatis necessario includit amorem con-*
» *cupiscentiae*, sed potest, vel praescindere ab illo, vel positive excludere
» ut in affectu s. Xaverii: O Deus, ego amo te, nec amo te, ut salves me etc.,
» quia 1. non apparet implicantia, cum amor possit conformari cognitioni,
» cognitio autem possit Deum hic et nunc repraesentare praecise ut omni a-
» more propter se dignissimum: qui amor, si post se trahat amorem mutuum
» ex parte Dei, erit amor amicitiae, seu justificativus. 2. Saepe amamus ho-
» minem, qui non potest nobis prodesse: ergo et Deum possumus amare
» gratis, amore magnanimo, quin per hunc actum quaeramus mercedem ae-
» ternam, quae tamen sequetur, licet non intenta. S. Chrysost. ho. 5. in c.
» 2. Ep. ad Rom., *Omnia propter Christum agenda, non propter merce-*
» *dem*. S. Bernard. de dilig. Deo: *Non sine praemio diligitur Deus, etsi ab-*
» *sque praemii intuitu diligendus sit*. Bened. XIV. *in Beat. Serv. Dei* lau-
» dat Sanctum, qui semel voluit servire Deo sine praemio vitae aeternae,
» sic enim diligimus Deum super nos ipsos.

» *Dices* 1. Natura amoris est, velle *videre amatum*, et illi conjungi in-
» time. 2. Est *innatum* homini, ut appetat propriam beatitudinem. 3. Qui ni-
» hil aliud quaerit, quam Deum possidendum, jam amat *gratis*. 4. Amor
» excludens desiderium coeli et spem, damnatus est ab Innoc. XII. in prop.
» *Franc. Fenelonii* Ep. Camerac.

» R. *Ad* 1. Amor vult unionem cum amato talem, quae in ipso actu amoris
» consistat, vel saltem intendatur ut bona amato, et ad eam referatur. *Ad*
» 2. Est innatum appetitu necessario, sicut est innatus appetitus conservan-
» di vitam, et tamen potest appetitus elicitus libere contravenire, et pro
» patria vitam immolare, imo quandoque homo illius non recordari. *Ad* 3.
» Amat gratis sine alia mercede temporali, non tamen sine aeterna et su-
» pernaturali. *Ad* 4. *N.* Propositiones solum loquuntur de statu habituali ex-
» cludente omnem spem et desiderium beatitudinis, non de actuali. Prima
» enim est: *Datur habitualis status amoris Dei, qui est charitas pura, et si-*
» *ne ulla admixtione motivi proprii interesse*. Maxime cum spes et timor tem-
» pore tentationis saepe videantur necessario requiri contra lapsum. Actum
» amoris, quem s. Xaverius rhytmo Lusitanico composuit et Pet. Possinus
» fidelissime in latinum vertit, habet R. D. Amort: *Si cesset inferni, tol-*
» *latur et spes gloriae, ego etc. gratis merentem diligam.*

» *Q.* 2. An detur actus bonus distinctus a charitate.

» *Nota.* Quesnellus cum nonnullis vult, nullum dari actum positive au
» negative bonum, nisi solum amorem Dei perfectum, reliquos omnes ess

» peccata, ut in *Trutina sua* Viva docte declarat ex prop. 47. 48. 49. etc. » Pasch. Quesnelli.

» R. *Datur actus intermedius inter peccatum et amorem Dei.* Nam 1. » datur supernaturalis actus spei, religionis etc. 2. naturalis actus miseri- » cordiae erga indigentem, pietatis erga parentes, obedientiae erga praepo- » situm militiae, justitiae erga creditorem solvendo debita, actus Romanorum » et Gentilium fortitudinis etc. determinate quoad amorem, datur amor » concupiscentiae erga Deum, utique non inhonestus etiam se solo, amor » moderatus sui, amor proximi propter se, quin referatur ad bonitatem Dei » absolutam actu, aut virtualiter: ideo 4. damn. est prop. 7. ab Alex. VIII. » *Omnis actio humana deliberata est Dei dilectio vel mundi: si Dei, chari-* » *tas Patris est; si mundi concupiscentia carnis, hoc est, mala est:* et » 23. *Si quis etiam intuitu aeternae mercedis Deo famulatur, charitate* » *si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur:* » idem habet 10. Denique haec sententia proscripta est a famosa Bulla: *Uni-* » *genitus*, Clementis XI.

» *Dices* 1. Bulla: *Unigenitus* est solum constitutio regni, vel Ecclesiae » simplex, non *dogmatica*, quae sit regula fidei. 2. Ideo jure *appellarunt* ali- » liqui ad concilium futurum generale; maxime cum aliud sit Pontificem » esse infallibilem, aliud Sedem Apostolicam esse infallibilem. R. *Ad* 1. N. » Habet omnia requisita ad Constitutionem dogmaticam: materiam videli- » cet pertinentem ad fidem, auctoritatem Pontificis loquentis ex cathedra » et consensum Ecclesiae quoad majorem partem, cum eamdem receperint » per Europam Episcopi 800., Universitates 90., Generales Ordinum 60., » Curati ultra 200000. caeteris per orbem tacite consentientibus: specialiter » autem in Gallia ultra 100. Episcopi et Archiepiscopi; 19. Academiae, 300. » Capita, 43000. Parochi, millia complura domorum Religiosarum, non » computatis 1356. Abbatiis, ut collegere Danes, et Collet *Inst. Theol.*, sicut » de Jansenio Platellius *p.* 2. *Theol.*, P. Petitdidier Ord. S. Bened. 1727., P. » Spreng. S. J. *Bulla Unigenitus vindicata* etc. contra Dupin et Launoium. » Ad 2. N. Appellantibus istiusmodi jamdudum intentatum est anathema » a Concilio Ephesino etc. Quatuor autem appellantium classes nume- » rat Ecclesia: *Pelagianorum* saeculo 4., *Michaelis Caesenatis* Monachi » saeculo 14., *Lutheri*. saeculo 16., quatuor Episcoporum *Jansenistarum:* » denique inter Papam ex Cathedra docentem, et sedem Apostolicam, non » datur distinctio.

» *Q.* 3. An detur actus vitae aeternae meritorius sine charitate.

» R. Inter quatuor sententias, quas refert *Laymann* L. 2. tr. 3. c. 1. et » *Sporer*, valde probabilis videtur illa, quod actus salutaris debeat esse vel » *actus amoris perfecti, vel ab hoc formaliter aut virtualiter influente im-* » *peratus, e. g*, intentio gloriae Dei propter se dilecti debet in actum obe- » dientiae per se, aut per virtutem a se relictam influere, ut per hunc ho- » mo justus mereatur gloriam. Ita *Bellarminus*, *Laymann* cum 7. aliis, qui » dicunt esse communiorem. 1. Quia opus debet esse proportionatum prae- » mio, quod consistit in amore Dei fruitivo. 2. Homo iis actibus meretur » gloriam, quibus meretur augmentum gratiae sanctificantis: sed iis acti- » bus hoc meretur, quibus producentis concurrit habitus charitatis. 3. Gal. » 5. *In Christo valet fides, quae per charitatem operatur: coronam promi-* » *sit diligentibus se: omnia in gloriam Dei facite etc.*

ARTICULUS II. *De Vitiis Religioni oppositis*

408. Ex dictis ante n. 349. primum praeceptum, prout est affirmativum pro materia propria habet actus Religionis, qua cultus Deo debitus exhibe- tur. Objectum materiale Religionis sunt actus interni et externi, quibus

creatura rationalis testatur Dei excellentiam; formale est specialis honestas in eo, quod Deus tanquam supremus dominus propter infinitam excellentiam suam colatur a creatura rationali. Actus immediatus ac primarius Religionis est *Devotio*, quae est prompta voluntas, qua nos paratos Deo offerimus ad ei serviendum, et ea omnia praestanda, quae ad illius honorem et cultum pertinent; hac enim animi submissione infinitam Dei excellentiam profitemur et veneramur. Inde alii actus Religionis oriuntur; quibus Deus secundum se ac directe colitur, v. g. *Oratio*, *Adoratio*, *Sacrificium*, *Observatio voti*, *aut juramenti*, *Usus Sacramentorum* etc.

» *Q.* 1. Quid et quotuplex adoratio.

» R. 1. Sicut *gloria* laudi verbali addit notitiam, diciturque *vera cum* » *laude notitia*, ita *adoratio*, honori, facto externo constanti, superaddit » submissionem internam tanquam formam erga alienam excellentiam tanquam conditionem essentialem, definiturque: *Actio externa protestativa* » *submissione internae erga alterius excellentiam*, cujus potissimum tum » recipiendae, tum exhibendae capaces sunt substantiae intellectuales, ut » sunt Deus, Angeli, Sancti, et homo viator.

» R. 2. *Divisio* fit in quatuor membra. 1. Adoratio seu *cultus latriae*, » qui in objectum fertur ratione excellentiae cujusdam increatae: hic soli » Deo convenit. 2. *Hyperduliae*, qui in excellentiam quandam creatam, » sed eminentem fertur: hic debetur Matri Dei. 3. *Duliae*, qui attingit » praerogativam sanctitatis supernaturalis: hoc Sancti coluntur. 4. *Poli-* » *tiae*, qui debetur ob naturales dotes e. g. Principibus, Majoribus etc. » *Subdivisio* fit in cultum *absolutum*, qui objecto ob propriam suam ex- » cellentiam exhibetur, et *respectivum*, qui objecto tribuitur ob respectum, » quem habet ad alterum, e. g. exhibetur quidem famulo, imagini etc. in » hac tamen non sistit, sed ad personam relativam refertur, e. g. herum, » prototypum etc.

» *Coroll.* 1. Adorationem in communi neutiquam soli Deo tribui. 2. » Daemonibus tamen, damnatis etc. non posse licite exhiberi, cum sint » inimici Dei, et reprobi. 3. Laudem et honorem posse alicui exhiberi ob » praerogativas quascumque, etiam secundarias, adorationem vero solum » ad supremam in objecto praerogativam dirigi. 4. Imaginem alicujus ea- » dem specie cultus respectivi coli, qua persona colitur cultu absoluto, e. » g. imagines Christi cultu respectivo latriae, imagines B. V. hyperduliae, » imagines Sanctorum duliae etc.

» *Q.* Quae adoratio in specie tribuenda.

« R. 1. *Humanitas Christi Domini*, considerata ut conjuncta Verbo co- » litur adoratione latreutica, absoluta quidem, sed simultanea cum Ver- » bo, seu *coadoratione:* idem est de speciebus panis et vini in Eucharistia, » ut sensus sit: Humanitas *ut terminata a Verbo*, species *ut unitae* Chri- » sto coadorantur. Ita *Vasquez* opusc. spec. de cultu adorationis. *Ratio* 1. » Illud coadoratur, quod colitur ut aliquid alterius instar partis. 2. Epi- » phanius ait: *Humanitas non tam adoratur, quam coadoratur.* Quare con- » siderata separata a Verbo nec colitur latria, quia non continet excellen- » tiam increatam per se; nec hyperdulia, quia cum ut juncta Verbo ado- » retur cultu superiore, non decet ut sit objectum cultus inferioris; sa- » crificium tamen humanitati nunquam offertur, quia hoc considerat so- » lam rationem supremi dominii, et soli personae, supposito etc. non » composito tribuitur. Ita *Vasquez* et *Palao.*

» R. 2. *Sanguis Christi* in terris relictus probabilius adoratur solum la- » tria respectiva, quamvis in superiore ordine, quam *crux Christi*, *corona* » *spinea* etc. ob unionem hypostaticam olim habitam cum Verbo, cum crux » sit tantum sanctificata a Christo per contactum. Ita *Suarez*, *Lugo* cum com- » muniore. *Ratio:* illud adoratur latria solum respectiva, quod non est pars,

» aut quasi pars suppositi Theandrici, sed habet solum peculiarem respe-
» ctum ad illud: sed talis est sanguis relictus et crux Christi etc., neque
» enim retinet de facto unionem hypostaticam, neque videtur reassumen-
» dus denuo ab humanitate; sed postquam satis ad solatium nostrum in ter-
» ra conversatus fuerit, vel igne consumetur, vel in alia corpora converte-
» tur. Certe illud: *Quod Verbum semel assumpsit nunquam dimisit*, so-
» lum concernit partes primarias, et notabiles. Porro hic cultus respecti-
» vus debetur cruci Christi tam originariae, quam ectypae, modo haec
» ultima assumatur *immediate ad Christum* ipsum exhibendum, et non
» tantum ad repraesentandam crucem originariam, utpote quae non ha-
» bet in se excellentiam increatam.

» R. 3. Reliquiae Sanctorum et imagines *eorum* coluntur dulia respectiva,
» quanquam in genere suo majorem gradum mereantur reliquiae corporis
» Sancti, cum olim fuerint pars illius. Ita *Lugo*, *Palao* etc., quia hae co-
» luntur propter personam, quae in his ultimato, et magis honoratur:
» *Nam propter quod unumquodque tale, illud magis tale*, ut adeo cul-
» tus *intrinsece* terminetur tam ad imaginem etc. quam ad Sanctum, sed
» modo diverso: quae explicatio videtur praeferenda explicationi *Suaresii*,
» qui putat, Sanctum esse solum terminatum extrinsecum, et *Vasquesii*,
» qui defendit, cultum externum dumtaxat ad imaginem dirigi, et internum
» ad Sanctum. Caeterum ad licitum alicujus personae vel reliquiarum cul-
» tum requiritur *certitudo saltem late talis* de sanctitate personae, et verita-
» te reliquiarum, eaque *proportionata cultui*; ut sit certitudo publica per
» canonizationem Ecclesiae, aut generalem approbationem Sanctitatis, aut
» auctorizationem Episcopi *ad cultum publicum*, ut e. g. possit nomen San-
» cti Litaniis inseri, ejus imago imponi Arae, in quo fit Sacrificium, Mis-
» sa celebrari in honorem illius etc. Et certitudo privata *ad cultum priva-
» tum*, ut e. g. possint ad eum privatim preces dirigi, ejus imago (sed
» sine radiis vel aureolis) in cubiculo coli, dies obitus jejunio honorari,
» gestari ejus reliquiae etc.

409. *Oratio* est mentis in Deum elevatio, per quam vel mala deprecamur, vel bona nobis, aliisque petimus, vel Deo benedicimus. Ita Ven. *P. Canisius ex S. Joanne Damasc.* Haec ut fructuose fiat, requirit saltem aliquam intentionem laudandi Deum, alias esset pure materialis, qualis solet esse in dormiente aut ebrio. Vide *La Croix* p. 4. n. 1341. Porro aliqua oratio homini viatori absolute necessaria est. Hinc Lucae 11. *Petite, et dabitur vobis.* Quo autem determinato tempore teneamur orare ex praecepto Religionis, certo statui non potest; necesse tamen est, ut non nimis diu ab oratione desistamus. *Laym.* L. 4. t. 1. c. 1 n. 3. cum *S. Thom.*, *Suar.* et aliis. Hoc sensu explicatur illud Luc. 18. *Oportet semper orare, et non deficere.* Per accidens obligamur orare, quando gravis tentatio non aliter superanda est in qualibet gravi necessitate publica aut privata, praesertim in periculo mortis etc. Denique iis, qui multis distractionibus in oratione obrui solent, suadendum, ut praemittant bonam intentionem laudandi Deum, una cum humili protestatione contra distractiones; rogent Deum, ut mundet cor ab omnibus vanis et alienis cogitationibus; hoc modo oratio non fiet in peccatum. Haec regula desumitur ex illo Eccl. 18. *Ante orationem praepara animam tuam, et noli esse quasi homo, qui tentat Deum.* Sub oratione meminerit orans, cum et coram quo loquatur, et facile resistere poterit distractionibus. Prout hoc praeceptum est negativum, praeter vitia fidei, spei, et charitati opposita, prohibet adhuc vitia Religioni opposita; alia quidem opponuntur per *excessum*, ut superstitio, quae est falsa religio, vel vitiosus cultus veri aut falsi numinis. *Taberna* t. 3. c. 12. Hic tamen excessus non est secundum quantitatem cultus absolute: quantumcumque enim homo colat Deum minus est, quam ei debeatur, sed excessus est vel secundum objectum, si

alius ut Deus colatur, qui Deus non est: vel secundum modum et circumstantias, si verus Deus colatur modo indebito *S. Th.* 2. 2. q. 92. Ideoque superstitio est vel cultus falsus aut superfluus Deo, vel cultus indebitus creaturae exhibitus. Alia opponuntur per defectum; haec ad irreligiositatem pertinent.

§. I. *Principia de Superstitione*

410. *Princip. I.* Superstitio (prout est falsa religio ob excessum ex parte modi colendi verum Deum) vel est *falsus* cultus Deo exhibitus, quem *S. Thom.* etiam vocat *perniciosum*; hic committitur 1. Si quis hodie Deum coleret per circumcisionem immolationem Agni Paschalis, sacrificia, aut caeremonias Judaicas: haec enim significant; Filium Dei nectadum esse incarnatum, et gratiam futurum per Christum, quae tamen jam exhibita est. *Laym.* L. 4. t. 10. c. 1. n. 2. Hoc est peccatum ex se grave: quia omnis falsitas, et omne mendacium in materia Religionis Deo injuriosa, et maxime perniciosa est. *S. Aug.* L. de mend. c 10.... 2. Si laicus tanquam publicus minister Ecclesiae, v. g. tanquam Sacerdos sacrificet, absolvat etc. 3. si quis falsus reliquias publico cultui exponat: item si quis fingat miraculum factum esse per aliquam imaginem, aut se habuisse has vel illas revelationes, sive ad lucrum faciendum, sive ad devotionem augendam: item si Sacerdos per excommunicationem ab Ecclesiae praecisus sacramenta administret. *Laym.* l. c. n. 4. Haec sunt peccata ex genere suo mortalia. 4. Si quis ad movendum populum fingat aliquam historiam vel miraculum reperiri in sacra Scriptura. Et haec superstitio ex genere suo est mortalis: primae enim veritati irrogat injuriam, et Religionem fundat in mendaciis, enervat vel certe in periculum adducit auctoritatem Ecclesiae: aperit viam etiam vera miracula negandi etc. Juxta *Less.* L. 2. c. 43. dub. 1. *Busemb.* L. 3. t. 1. c. 1. dub. 1. et alios saepe excusat a mortali ignorantia et simplicitas in ultimo casu.

411. Superstitionem, prout est cultus superfluus, committit, qui Deum colit modo ab Ecclesia non approbato, atque ab ejus praxi plane alieno, v. g. qui nollet orare, nisi ante solis ortum, aut nonnisi candelis accensis tali ordine, colore et numero positis: vel qui tantum vellet audire Missam Sacerdotis, qui vocatur Joannes, qui habet staturam Christi etc. item quae non vult nere die sabbati in honorem beatae Virginis, cum tamen alia opera servilia eo die peragat: item qui adderet in Missa novas, et ab Ecclesia non approbatas Collectas, plures genuflectiones, cruces etc. quam ordinatae sunt ab Ecclesia. Haec tamen, si absit grave scandalum aut contemptus, et fiant ex simplicitate, sunt venialia, tum quia materia est levis, et actio ex se non mala, tum quia saepe ipsa simplicitas excusat. Ita *Laym* L. c. n. 5. cum *Lessio*. Quod si vero cultus vel actio non tantum vana sit, sed ex se mala, v. g. si quis intenderet Deum colere immolatione hominis, oblatione rei furtivae, cantu turpium verborum in templo, et ad lasciviam provocante etc. sic non est excusandus a mortali. *Laym.* l. c. n. 5. cum *Suarz*, *Sanch.* L. 2. c. 37. n. 7. Regula generalis esto: Toties superstitio committitur cum pacto saltem implicito, quotics adhibentur ad quemcumque effectum media impertinentia, vana, et manifeste falsa ac improportionata. 3. Quotics ex se quidem bona ac sancta, si tamen habeant circumstantias, vel caeremonias vanas, et inutilis ad effectum expectatum admixtas. 4. Si tantum bonum sit ac sanctum, si tamen effectus certa cum fiducia ab ipsa rei virtute intrinseca infallibiliter, et non principaliter a Deo expectetur. *Ratio* est, quia certo vis hujus vel illius effectus producendi neque ex natura rei, neque ex institutione Dei, neque Ecclesiae inest: ergo aliunde peti censenda est: atqui nec a Deo, nec ab angelo bono: ergo ab illo, qui se transfigurat in angelum lucis, ut

sub pietatis specie decipiat. *Sporer* t. 2. in Prim. praecept. c. 9. n. 27 cum *Suar.*, *Less.*, *Delrio* L. 3 disq. mag.

412. *Princ. II.* Superstitio (prout est vitiosus cultus ex errore circa objectum, quatenus non verus, sed falsus Deus colitur) tres continet species: Idolatriam, divinationem, et vanam observantiam. *s. Thom.* 2. 2. q. 92. a. 2. I. *Idololatria* est cultus sive servitus, quae soli Deo debetur, alicui creaturae exhibita. *Laym.* I. c. c. 2. n. 2. Alia est *materialis* vel *simulata*, dum quis sine affectu interno colendi ex solo metu mortis, creaturae cultum latreuticum exhibet. Est mortale peccatum, quia est mendacium graviter perniciosum contra religionem, saepe etiam contra obligationem gravem profitendi fidem externe. *Azor* p. 1. L. 9. c. 11. Haec in foro interno ab excommunicatione immunis est; quia fides in corde retinetur. Vide n. 350. Alia *formalis*, quae subdividitur in perfectam et in imperfectam. *Formalis perfecta est*, quando quis cultum divinum exhibet creaturae, v. g. idolo, cui falso credit inesse divinitatem: haec est consuncta cum infidelitate. *Imperfecta* dicitur, dum quis sciens creaturae nullam inesse divinitatem, ei tamen divinum honorem exhibet vel ex odio in Deum, vel ex desiderio aliquid ab idolo, daemone, vel alia creatura obtinendi. Haec est peccatum gravissimum; includit enim insignem Dei contemptum et majorem malitiam voluntatis, quam idololatria perfecta, quae secum trahit aliquam licet culpabilem ignorantiam. *Laym.* l. c. n. 5,

Hic quoque notandum est, nullo modo idololatricum esse apud Catholicos cultus sacrarum imaginum, ut olim contendebant Iconomachi damnati in VII. Synodo Gener. sive Nicaena II. anno 787. Constantinopoli inchoata, et deinde Nicaeam Bythiniae translata sub *Hadriano I.* et in *Conc. Trid.* sess. 25. in decreto de invoc. et ven. et reliquiis sanctorum, et sacris imag. in quo statuit; *imagines Christi, Deiparae Virginis, et aliorum Sanctorum in templis praesertim habendas et retinendas, eisque debitum honorem et veneration em impertiendam, non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas vel virtus, propter quam sint colendae, vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda; veluti olim fiebat a gentibus, quae in idolis spem suam collocabant; sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quae illae repraesentant: ita ut per imagines quas osculamur, et coram quibus caput aperimus et procumbimus, Christum adoremus, et Sanctos, quorum illae similitudinem gerunt, veneremur.* Hinc etiam merito damnata est ab *Alexandro VIII.* propositio 25. *Dei Patris simulacrum nefas est Christiano in templo collocare.* Cum enim Scriptura testetur, Deum frequenter sub figura corporea apparuisse, uti *Genes.* 3. *Exodi* 33. *et Daniel.* 7. Pater aeternus in figura senis sedentis. *Matth.* 3. Spiritus Sanctus sub specie columbae apparuit, hinc non est indignum Deo, hanc Dei apparitionem in imaginibus exprimere. Alias imagines Dei sub figura nullibi in Scriptura expressa improbat Benedictus XIV. Tom. I. Bullarii ad Episcopum Augustanum pag. 560. Neque superstitiosus est in Ecclesia Dei cultus Sanctorum; siquidem iis non impendatur cultus latriae, neque eos invocemus, aut colamus tanquam supremos dominos, sed amicos supremi Domini Dei. Sic Josue adoravit Angelum. *Josue* 5. Idem fecere Abraham et Lot. *Genes.* 18. et 19. Idem decernit *Synodus V.* act. 1 sess. 25. Hinc recte damnata est ab *Alex. VIII.* propos. 26. *Laus, quae defertur Mariae, ut Mariae, vana est.* Merito enim ex perpetuo usu et traditione, colimus B. Virginem cultu hyperduliae non tantum propter dignitatem ineffabilem Deiparae, sed etiam propter abundantiam gratiarum, qua Sanctos omnes antecellit. Sic Archangelus Gabriel B. Virginem, antequam, superveniente Spiritu Sancto, conciperet Filium Altissimi, salutavit *gratia plena, benedictam in mulieribus*; quae insignis laus manifeste Mariae ut Mariae attributa est: vana proinde sine gravi injuria et temeritate dici nequit.

413. *Adverte* I. Signa cultus exterioris alia sunt propria latriae soli Deo tanquam supremo Domino debitae, v. g. offerre sacrificium, erigere templa et altaria. Ita *S. Aug.* L. 20. contra Faustum cap. 21. ait: *Nulli Martyrum, sed ipsi Deo Martyrum, quamvis in memoriam MM., constituimus altaria. Ratio* est: quia talia signa ex communi hominum usurpatione tantum instituta sunt ad protestandam supremam Dei excellentiam. Alia sunt indifferentia, ut capitis inclinatio, genuflexio, incensum, quae determinantur ad certum cultum ex intentione agentis. Haec enim si fiant Deo, pertinent ad cultum latriae; si B. Virgini, ad hyperduliam; si Sanctis, ad duliam; si Regi, vel alteri homini, ad cultum mere politicum. Ad quem autem cultum hujusmodi signa hic et nunc referenda sint, plerumque ex circumstantiis determinatur.

414. *Adverte* II. Idololatriam non committit, qui in theatro ritus Gentilium repraesentans, thus offert ficto idolo etc., ex circumstantiis enim constat, haec non fieri ex animo colendi, sed potius illudendi, aut pure repraesentandi.

415. *Adverte* III. Qui proprio sanguine, aut aliter se daemoni subscribit, speciem idololatriae committit: Item qui ejus dictis fidem adhibet firmam; excipe tamen ea, quae per exorcismos coactus edicit; quamquam ne tum quidem facile credendum sit, si dicat, hanc vel illam esse sagam, Titium haec vel illa peccata commisisse etc. *La Croix* L. 3. p. 1. n. 24. ibid. cum *Gobat* ait, quod si desint indicia alia, non liceat incarcerare aliquem a daemone accusatum. Porro quae liceat ex daemone quaerere, vide *Sanch.* L. 2. c. 42., *Delrium* etc.

416. II. *Divinatio* (prout hic sumitur) est significatio occultorum ex pacto cum daemone. *Delrius* L. 4. disq. mag. c. 2. q. 1., *Laym.* l. c. c. 3. n. 1. Dicitur 1. *Significatio:* quia non consistit in sola notitia interna, sed verbis, vel aliis signis exterioribus perficitur. Unde ex diversitate signorum varia oriuntur species divinationis. 2. *Occultorum*, hoc est, procul remotorum ab humana cognitione, sive ea sint praesentia, sive praeterita, sive futura. 3. *Ex pacto cum daemone*: sic differt tum a prophetia, quae dependet a revelatione Dei, tum a naturali conjectura, quae a scientia physica, et humana observatione gignitur. *Pactum expressum* fit vel verbis, et expressa daemonis invocatione, vel saltem explicito proposito ac voluntate aliquid a daemone discendi, ut ait *Laym.* L. 4. t. 19. c. 3. n. 2. vel factis, aliquid usurpando, aut agendo in quo scis, vel existimas daemonem respondere, et cooperari. Haec divinatio semper est peccatum mortale ex genere suo; cujus malitia in eo consistit, quod homo ad assequendam occultorum notitiam non ad Deum, sed ad ejus infensissimum hostem diabolum, se conferat, quod in diaboli honorem, summam vero Dei contumeliam et contemptum cedit, unde homo quodammodo apostasiae, et laesae majestatis divinae reus efficitur. *Laym.* l. c. n. 1. *Pactum implicitum* vel *tacitum* est, quando quis intendit aliquid scire per signa aut facta, ex quibus tamen expectata notitia occultorum nec naturaliter haberi, nec etiam a Deo vel bono Angelo sperari potest. Etiam haec divinatio per tacitum pactum ex genere suo est peccatum mortale; fit vero veniale 1. propter ignorantiam saltem non crassam et affectatam; licet enim hujus quoque divinationis malitia secundum se gravis sit, non tamen ut talis omnibus apparet, ut in pacto expresso. 2. Propter imperfectionem actus, quando certa fides non adhibetur, sed tantum timor aut suspicio concipitur eventus secuturi. 3. Si quis levitatis aut joci causa per vanum signum inquirat rem occultam. Ita *Babenst.* t. 5. d. 2. a. 4. n. 23. cum *Sanch.*, *Laym.* l. c. ibid. additur: propter parvitatem materiae superstitio, si serio fiat, non potest excusari a mortali, quia includit formalem Dei contemptum; idem maxime tenet in pacto expresso.

417. III *Vana observantia* est applicatio medii improportionati, sive na-

turaliter non connexi, nec a Deo aut Ecclesia instituti ad consequendum aliquem effectum, v. g. sanitatem, pecuniam etc. Convenit cum divinatione per hoc, quod pariter nitatur pacto vel expresso, vel tacito cum daemone; differt ab illa, quod ordinetur ad habendum effectum externum, divinatio vero ad cognoscenda occulta. Huc pertinet *magia superstitiosa*, quae est ratio efficiendi mira opera ministerio daemonis per signa ab eo instituta, ut ait *Laym.*l. c. c. 4. n. 1. differt a magia naturali, quae est ratio patrandi mira per applicationem naturaliter agentium sine ministerio daemonum. Si effectus magiae cedat in damnum proximi, vocatur *maleficium*: si ad excitandum carnalem amorem, vel ad odium, vocatur *philtrum* seu *veneficium*. Vanae observantiae, si vel invocationem diaboli, vel pactum implicitum cum eo contineant, vel si proximo graviter noceant, aut ad alium finem graviter malum ordinentur, sunt peccata mortalia, imo per se loquendo, etsi pactum tantum implicitum intercedat; saepe tamen tunc excusat ignorantia saltem non crassa et affectata, actus imperfectio, et bona fides, ut n. praeced. dictum. *Babenst.* l. c. n. 64. cum *Filliuc.*

Casus I.

De Superstitione prout Deum respicit

Arbogastus inopia pressus, orationem (ut vocant) s. Christophori ad accipiendam pecuniam persolvit, hac non impetrata, adhibet orationem s. Coronae. Idem ad accelerandam amico suo mortem, per plures dies orat psalmum 108.; *cum vero is sanus persisteret, clam eum occidere et omnia bona surripere parat. Hoc facinus ut feliciter succedat, vovet dare templo* 20. *imperiales: commisso homicidio et furto, cum inquireretur in auctorem, iterum vovet dare* 10. *imperiales ne deprehendatur: non deprehensus, adhuc offert* 15. *florenos.*

418. *Q.* I. An oratio Christoforiana, et sanctae (ut vocant) Coronae sit superstitiosa. R. *Affirmative.* Ideoque harum orationum usus nullo modo est licitus; praeterquam enim, quod falsissima sit persuasio, s. Christophorum, et s. Coronam (cujus nomen etiam inter Catholicos minus notum hucusque fuit) esse custodes occultorum thesaurorum, ipsae orationes nihil aliud sunt, quam invocationes daemonis, ut patet ex ignotis ac barbaris Angelorum nominibus, variis circulis, aliisque superstitiosis circumstantiis ibi praescriptis: accedit, quod ejusmodi modus petendi pecuniam a Deo, sit contra omnem praxin Ecclesiae; item maxime inconveniens est, expectare a diabolo beneficium, orare ut Deus per diabolum largiatur pecuniam, sicut expresse in oratione s. Coronae petitur a spiritu thesaurorum, qui per Deum et Coronam adjuratur. Denique Deus manifestis poenis nostro adhuc tempore ejusmodi superstitiosos homines solet punire.

419. *Q.* II. An Arbogastus peccaverit recitando psalmum 108. ex fine ut amicus moreretur citius. R. *Affirmative*; tum quia nullibi legitur, a Deo huic psalmo inditam esse vim alteri accelerandi mortem, tum quia ipse finis ex se graviter malus est. Eodem modo superstitiosum est, legere Missam Defunctorum, sive Requiem pro vivo ad ipsius interitum. Vide c. *Quicumque* causa 26. q. 5.

420. *Q.* III. An peccaverit vovendo. R. Primo voto peccavit graviter, quia per hoc imploravit opem divinam ad committenda gravia peccata, quod non est colere, sed blasphemare Deum. Secundo voto non peccavit, quia sicut licet implorare Deum ad avertendum quodcumque malum imminens, ita etiam ad hoc, quamvis ex peccato proveniens. Quoad tertium pariter non peccavit, si praecise obtulerit ex suo 15. flor., quia supposita caede evasit periculum imminens; secus si ex ea intentione, quod Deo specialiter adjuvante commise-

rit peccatum, ideoque se gratum illi vellit exhibere: quia hoc idem esset, ac Deum profiteri tanquam primarium auctorem et adjutorem feliciter commissi peccati, quod itidem non caret plasphemia.

421. Ad similes casus resolvendos *observa* I. Non est superstitiosum, Sacra aut orationes certo numero offerre, si id fiat in honorem mysterii, quod pie in Ecclesia colitur, v. g. quinque Sacra legi curare in honorem 5. sacrorum Vulnerum, haec non est superstitio, sed laudabilis devotio; superstitiosum tamen est, praecise certo ac determinato numero orationum aut Sacrorum effectum adscribere.

422. II. Bibere benedictionem s. Joannis non est superstitiosum, quia per hunc potum significatur desiderium mutuae charitatis christianae, quam tantopere commendavit s. Joannes: vel significat votum, ut haustus sit innoxius, sicut s. Joannes venenum innoxie bibit: secus si quis per potum intenderet colere s. Joan.

423. III. Jejunare die Paschae, non comedere de capite animalis festo decollationis s. Joannis, aut non comedere assaturam festo s. Laurentii per se loquendo superstitiosae divotiones sunt. *Ratio* 1. est, quia Ecclesia etiam ipso tempore quadragesimae dies dominicos a jejunio excipit, et per annum Vigilias in Dominicam incidentes solet anticipare: ergo etiam non videtur approbare jejunium die sancto Paschae. *Ratio* 2. quia ejusmodi heteroclitae devotiones sunt contra omnem praxin Ecclesiae, et prorsus nihil conferunt ad honorem Dei ac Sanctorum. *Babenst.* l. c. n. 5. Plerumque tamen peccaminosae non sunt, quia potius ex errore judicii, quam malitia voluntatis proveniunt, aut ex speciali mortificatione licet indiscreta suscipiuntur. *Sanch.* L. 2. moral. c. 37 n. 10.

424. IV. Orationes s. Birgittae (ut vocant) vi quarum promittitur, ut qui per annum eas recitaverit, non sit moriturus subitanea morte, aut ante mortem visurus sibi apparentem B. Virginem, aut non sit aeternum damnandus, quamvis videantur sanctae, superstitione non carent, si cum certa credulitate et firma ac infallibili spe recitentur: tum quia falso adscribitur talis vis ejusmodi precibus ex putatitia revelatione s. Birgittae facta; tum quia per hanc inanem fiduciam tollitur timor Dei, homines retrahuntur ab usu Sacramentorum, audacius peccant, orationi vim tribuentis infallibilem a Deo non promissam. Idem sentiendum de illis precibus, crucibus etc. vi quarum aliqui certo sperant, se fore invulnerabiles invisibiles etc., quia isti effectus per tales preces et signa non sine temeritate petuntur et expectantur a Deo, nec etiam aliunde naturaliter sequuntur: ergo procul dubio oriuntur a diabolo, qui hac ratione homines in ausus temerarios inducit, et petita facit non sine ingenti suo lucro. Pariter superstitiosum est uti textibus s. Scripturae, eosque recitare pollice inserto manui dextrae ad reddendos canes mutos.

425. V. Bene instruendi sunt rudes, quomodo adhibendae sint res alioquin sacrae: 1. Ne mediis de se bonis, sacris ac licitis in Ecclesia admiscent caeremonias ac circumstantias vanas ac inutiles ad effectum expectatum. 2. Ut applicent res in Ecclesia usitatas, v. g. ceram, aquam vel salem benedictum, imagines contactu Ss. Reliquiarum sacratas una cum humili deprecatione et fiducia in Dei bonitate, non vero certa cum fiducia expectent ex ipsis rebus, nec adscribant infallibilem effectum soli virtuti ejusmodi rerum, tanquam ex opere operato. Vide *Jansen.* P. 1. casu 65. n. 11.

Casus II.

De Divinatione.

Asterius nuper somniavit, se in templo a cane vulneratum iri, ac propterea sequenti die dominica non audivit Sacrum. Idem anxie semper

timens, ex astrologis et cingaris fata sibi impendentia quaerit: saepe etiam sortibus divinatoriis uti consuevit, simul tamen protestatur, se nullam cum daemone societatem intendere.

426. *Q.* I. Quaenam sint praecipuae divinationis species. R. 1. Divinationis per invocationem sive pactum expressum cum daemone novem praecipue numerantur species, imo tot, quot sunt modi, quibus daemon solet revelare occulta. 1. Vocatur *Praestigium*, quando daemon respondens apparet sub forma hominis, aut capri, aut felis etc. corpore vel aliunde asportato, vel ex aere compacto, vel tantum ficte illudendo sensui. De quibus vide *Delrium*. 2. *Divinatio per somnia*, dum in somnio expectatur revelatio occultorum a daemone. 3. *Necromantia*, dum adhibito sanguine certisque carnibus et aliis signis evocati mortui videntur resurgere, loqui ac decere ignota. 4. *Pythonismus*, quando diabolus per homines arreptitios occulta manifestat. 5. *Geomantia*, dum daemon docet per signa apparentia in corporibus terrestribus, v. g. in ligno, metallo etc. 6. *Hydromantia*, dum per signa apparentia in aqua. 7. *Aeromantia*, dum per signa apparentia in aere. 8. *Pyromantia*, quando per signa apparentia in igne. 9. *Aruspicium*, dum per signa apparentia in intestinis animalium immolatorum daemon docet occulta. Hae species materialiter tantum differunt, et quaelibet est graviter peccaminosa juxta n. 416.

427. R. 2. Species divinationis per pactum implicitum juxta *Laym.* l. c. C. 3. n. 5. praecipue sunt. 1. *Astrologia judiciaria*. 2. *Physiognomia* 3. *Divinatio per somnia* 4. *per sortes*.

428. *Q.* II. An Asterius graviter peccaverit omittendo Sacrum die festo propter somnium. R. Per se loquendo peccavit graviter, ut patebit ex seq. Somniorum quatuor sunt genera. 1. Alia sunt *naturalia*, quae oriuntur ex causis naturalibus, v. g. ex occupationibus aut cogitationibus ante somnum habitis, vel ex temperamento, commotione humorum, constitutione corporis etc. Ex his conjectare complexionem corporis, praesentem valetudinem aut morbum futurum, item bonam vel pravam animi affectionem, non est superstitiosum: inter haec enim vere intercedit connexio naturalis. Sic phlegmatici somniant aquas, submersiones, natationes etc. Cholerici ignem, lites, bella etc. Sanguinei volant, saltant etc. Melancholici somniant spectra, mortes etc. Poetae in somno carmina pangunt.

2. Alia *casualia*, quae ex diversa specierum phantasticarum combinatione oriuntur; his firmam fidem dare vanissima superstitio est, hoc ipso quod sint casualia. Praesertim superstitiosa divinatio foret, si quis ex somniis naturalibus aut casualibus praediceret futura contingentia libera, aut ea praedicentibus crederet; talia enim somnia nec connexionem naturalem, nec vim a Deo inditam habent, futura contigentia praesertim libera significandi. Non tamen videtur peccare mortaliter, qui propter somnium praecedens ponit vel omittit aliquam actionem *indifferentem* praecise ex timore mali in somno ostensi, v. g. si quis omittat navigationem, eo quod somniaverit, se altero die submergendum; quia talis potius ex semplicitate aut levitate animi, sive nimia timiditate omittit, ad quod aliunde non obligatur, aut aliquid de se indifferens operatur, ut evitet malum, quod somnium minatur, non tamen omnino credit, rem in somno ostensam esse infallibiliter futuram, quia in somnio ostensa fuit, sed quia aliunde evenire potest. *La Croix* L. 3. p. 1. n. 10. cum *Suarez*. Unde nec peccavit graviter is, qui in somno saepius admonitus, ut certo in loco terram effoderet, sicque reperiret ollam auro plenam, quamvis fodiendo deceptus invenerit ollam carbonibus refertam. *Tambur.*, *Sporer* t. 2. c. 9. n. 19. Is tamen graviter peccaret, qui ita dependeret a somniis ut plerasque actiones suas secundum illa dirigeret; hoc enim indicaret nimiam ac superstitiosam credulitatem.

3. Alia somnia immittuntur a Deo, ut habetur Num. 12. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium lo-*

quar ad illum: etc. 1. et 2. S. Matth. de S. Josepho et Magis ab Oriente. Hisce somniis, si adsint sufficientia signa, ea esse a Deo, adhibenda est fides eo ipso, quod sint a Deo nonnisi vera significante. *Laym.* l. 4. t. 10. c. 3. n. 6.

4. Alia a diabolo hominis phantasiam commovente excitantur. Juxta *Laym.* l. c. his somniis credere est peccatum mortale ex genere suo, quod duplici modo potest committi. 1. Si quis expresse desideret per somnium doceri a daemone, vel ideo certo corporis situ somnum capiat, ut aliquid occultum sibi reveletur. 2. Quando ex somnio temere conjectatio fit de effectu libere eventuro aut mere casuali ac fortuito; cum enim somnia non habeant vim naturalem significandi hujusmodi occulta aut futura contingentia, sequitur ea postulari et acceptari tanquam signa instituta et immissa aliunde: atqui prudenter censeri non possunt fuisse immissa a Deo vel Angelo bono (supponimus enim, non adesse indicia somnii divini): ergo nonnisi a diabolo profecta acceptantur.

429. *Q.* III. Unde possit cognosci, an somnium sit a Deo vel a daemone. R. Certa regula vix potest dari: duo tamen sequentia juvat observare. Juxta *Valentia* t. 3. d. 6. q. 3. *Primo*, an somnium impellat ad bonum, v. g. ad fugam alicujus peccati, ad opus charitatis etc., vel ad malum, vel ad aliquid indiscretum; si ad malum aut aliquid indiscretum, a diabolo est; Deus enim ad malum impellere nequit, cum sit *intentator malorum*. Jac. 1. c. 13. Si ad bonum, poteris tenere illud esse a Deo, at cum humilitate et timore; saepe enim daemon *se transfigurat in Angelum lucis*. 2. Cor. 11. 14. *Secundo*: si quis post somnium se alacriorem et promptiorem sentiat ad bonum, licet prudenter aestimare, somnium esse a Deo: secus si quis se perturbatum et minus promptum ad bonum advertat. In dubio, an somnium sit a Deo vel diabolo, praestat illud tanquam a diabolo immissum vel tanquam omnino casuale contemnere. Vide *Delrium* L. 4. c. 1. et 3. *Multos errare fecerunt somnia, et exciderunt sperantes in illis*. Eccl. 5. 6. Hinc. Jerem. 29. v. 8. *Ne attendatis ad somnia vestra*.

430. *Q.* IV. An sit superstitio ex astris futura praedicere. R. Non est superstitiosum ex motu, situ, cursu, conjunctione vel oppositione astrorum, *primo* certo praedicere effectus naturales necessario eventuros. v. g. eclipses: *secundo*, probabiliter praedicere contingenter futuros effectus, v. g. ventos, pluvias, siccitatem, serenitatem, sterilitatem, tempestates: *tertio* conjectare generatim temperamentum et propensionem naturalem prolis ex aspectu astrorum in puncto nativitatis, quae tamen conjectura se non extendat ad effectus particulares; propensio enim naturalis cum gratia divina et ope virtutum vinci potest, quae victoria ex aspectu astrorum praedici nequit. Vid. *Pet. Nav. de resit.* C. 2. n. 28. et 80. Juxta *Sanch.* L. 2. Moral. c. 38. n. 29. et *Laym.* l. c. n. 5. qui effectus ejusmodi contingentes, praesertim propensionem hominis majori cum certitudine asseveraret, quam ex astris et puncto nativitatis, haberi potest, potius committeret peccatum temeritatis ac mendacii, quam divinationis; inclinatio enim et temperamentum hominis non pendet ex solo influxu astrorum, sed multo magis ex materia conceptionis et nutritionis: quid quod punctum sive momentum illud nativitatis exactissime (ut exigunt ejusmodi Astrologi) et certo deprehendi nequeat ob rapidissimum coeli motum, ut observat *S. Aug.* L. 2. de doctr. Christ. c. 22. Alii autem effectus, v. g. variae mutationes aeris licet connexionem cum astris vere habeant, facile tamen per concursum aliarum causarum possunt impediri: ergo. *Quarto: Astrologia judiciaria* praedicens ea, quae ex sola libertate hominis, vel ex solius Dei arbitrio dependent, superstitiosa et graviter prohibita est. *Prob.* 1. ex Jerem. c. 10. v. 2. *Juxta vias gentium nolite discere, et a signis coeli nolite metuere, quae timent gentes*. Vide c. 4. Deut. et c. 47. Isaiae. Item c. 1. *causa* 26. *q.* 3. Item Bullam Sixti V.

anno 1586. contra astrologiam judiciariam editam, quae incipit: *Coeli et terrae.* Haec ars prohibetur in Conc. Tolet. 1. can. 16., in Conc. Mediol. 1. P. 1. *tit. de mag. artibus.* Vide *Pontas V.* Astrologia. Hinc graviter peccant 1. qui ex *astrologia revolutionum* certo conantur praedicere totius anni belli pacisque vicissitudines, mortes Principum etc. 2. Qui ex *astrologia Genethliaca* singillatim praedicunt homini in vita eventura, v. g. matrimonium cum hac persona, hoc numero infortunium etc. 3. Ex *astrologia electionum*, quid in singulis actionibus agendum vel omittendum, v. g. hac ora manendum domi, illa egrediendum ut res feliciter succedat. Vide *Delrio* L. 4. disquis. mag. c. 3. *Ratio horum* est, quia praedicti effectus nullam habent connexionem cum influxu astrorum. Hinc recte cum *S. Th.* 2. 2. q. 95. a. 1. in corp. concludimus: *Si quis ergo consideratione astrorum utatur ad praecognoscendos futuros casuales vel fortuitos eventus, aut etiam ad cognoscendum per certitudinem futura opera hominum, procedit hoc falsa et vana opinione, et sic operatio daemonis se immiscet: unde erit divinatio superstitiosa et illicita.* Excusat *Sporer* t. 2. in primo praecep. c. 9. n. 16. a gravi peccato illum, qui non ex solis astris, sed simul ex aliis circumstantiis et qualitatibus personae aliquid contingenter futurum probabiliter assereret. Nec videtur graviter peccare, qui potius ex timore, quam certa credulitate ex praedictione Astrologi unam alteramve actionem de se indifferentem ponit vel omittit. *La Croix* l. c. n. 10. cum *Gobat.*

431. *Q.* V. An Asterius peccaverit, quando futura a Cingaris sibi fecit praedici. R. Si futura libera, vel alia, v. g. de fortuna aut rebus plane occultis et quidem cum firma fide id fecerit, peccavit graviter; secus si talia praedici fecerit, quorum notitia potest haberi ex physiognomia; vel si inquisiverit tantum curiositatis aut risus gratia, peccavit venialiter tantum; nihilominus raro abest peccatum scandali, quia alius inducitur ad divinationem, tum quia alii astantes saepe graviter scandalizantur. *Sanch.* L. 2. Mor. C. 38. n. 48.

432. *Q.* VI. Quaenam physiognomia licita sit. R. Haec scientia (cujus duae sunt partes, scil. *metoposcopia*, quae ex vultu et corporis constitutione, et *chiromantia*, quae ex manuum lineamentis varia praedicit) quatenus probabiliter tantum conjectat de corporis valetudine et temperamento, et consequenter de ingenio animique propensione, naturalis et licita est; quia haec ex vultus manuumque lineamentis conjecturaliter possunt cognosci. Illicita vero et superstitiosa est, quatenus praedicit ex his eventus libere contingentes, prosperam vel adversam fortunam etc.; nihil enim horum ex dictis lineamentis et habitu corporis pendet. *Sanch.* l. c. a. n. 44. et seqq. cum *Delrio*, *Azor* etc.

433. *Q.* VII. An licitus sit usus sortium. R. 1. *Sortes divisoriae*, (quae adhibentur, ut cognoscatur quid cuique tribuendum sit in electionibus, haereditatibus et litibus etc.) licitae sunt, *praeterquam in electionibus Ecclesiasticis. Ratio primi* est, quia tale sortilegium nihil aliud est, quam contractus, per quem partes ad rem aliquam jus habentes ex mutuo consensu subeunt aequalem conditionem acquirendi vel perdendi, in quo nulla malitia per se loquendo apparet. *Ratio secundi* est, quia illud expresse prohibitum est in c. *Ecclesia* de sortil. Quamvis autem hoc capitulum generaliter loquatur de electionibus, intelligi tamen debet juxta subjectam materiam, nempe electiones Ecclesiasticas, de quibus ibi sermo est, non vero de saecularibus. *Babenst.* t. 5. d. 2. n. 28. cum *Suarez.* de Relig. t. 1. L. 2. c. 12. Hic usus sortium etiam licitus est, quando tempore pestis lis aliter dirimi non potest, qui a Sacerdotibus aut Medicis infirmorum curam debeat suspicere.

R. 2. *Sortes Consultoriae* (per quas indagatur divina voluntas, ut sciatur, quid agendum, vel omittendum sit) licitae sunt, sed raro, scil. 1. si fiant

Dei jussu aut speciali instinctu, ut *Josue* 7. et 1. *Reg.* 10. sic etiam Apostoli sortes miserunt super Mathiam, et Joseph. *Act.* 1. 26... vel 2. si nullum aliud consilium suppetat, necessitas ac negotii gravitas exigat, ut consilium a Deo cum reverentia petatur. *Laym.* L. 4. t. 10, c. 3. n. 9. Recte 3. monet *Babenst.* l. c. n. 39. ne consilia a Deo petita convertantur ad res vanas et saecularia lucra, nec circa electiones Ecclesiasticas, ut dictum est. Deficientibus his conditionibus istae sortes sunt illicitae, quia Deus non vult suam voluntatem indagari sortibus, sed doctrina Ecclesiae et petito a viris prudentibus consilio. Vide c. *sortes* 26 q. 5. *Sanch.* l. c. n. 85.

434. R. 3. *Sortes divinatoriae* (quibus rei occultae manifestatio, vel consilii directio non a Deo sed vel expresse, vel tacite a daemone imploratur, ut ait *Suar.* T. 3. de Rel. l. 12. c. 2. n. 27., *Laym.* l. c. n. 9.) illicitae sunt: aperte quidem superstitiosae sunt, si mittantur petendo a daemone, ut eas dirigat, et fidem illi adhibendo, vel signum sortium ab ipso accipiendo, et illo tanquam regula actionum utendo. Sortes pacto tacito tunc inniti censentur, quando manifestatio rei occultae ab ipsa sortium varia dispositione expectatur, quam vim cum non habeant ex natura sua, nec a Deo, nec ab institutione Ecclesiae, ideo necessario a daemone tacite ea vis expectatur. *Suar.* l. c. ubi n. 29. addit, si sistatur in sola notitia rei occultae per sortes manifestandae, v. g. quis obtenturus sit hanc vel illam dignitatem, esse peccatum simplicis superstitionis: si vero illa cognitio referatur ad aliquid agendum, v. g. ad puniendum malefactorum occultum, simul committi peccatum injustitiae; saepe enim sors iniqua cadit super innocentem, et tunc aperta committitur injustitia, quia innocenter infamatur, saepe super nocentem, qui si puniatur, antequam aliunde probetur nocens, injuste punitur: per sortes enim juste non probatur nocens, quia per eas ipse daemon tanquam testis solus adhibetur, cui tamen tanquam pari mendaciorum fides neutiquam adhibenda est. Praeterea notandum hic est Decretum S. Universalis Inquisitionis editum 5. Aug. 1745. habeturque in Tom. II. Bullarii *Bened XIV.* in Appendice *pag.* 46. vi cujus Sacerdotes tam sacculares, quam Regulares, sacrificio Missae abutentes ad sortilegia, praeter poenas a jure, et Apostolicis constitutionibus, ac signanter sa: mem. *Sixti V.* et *Gregorii XV.* contra eosdem inflictas, perpetuam etiam inhabilitatem incurrunt ad praefati sacrificii celebrationem.

435. *Q.* VIII. An Asterius excusandus sit a superstitione ex eo, quod utendo vel credendo signis vanis, et ex natura sua inutilibus protestetur, se nullum cum daemone pactum intendere. R. Non est excusandus propterea, quia potestatio contra facto non excusat. Vid. *Laym.* l. c. n. 3.

Casus III.

Ampelius scrupulose superstitiosus quoties ad mensam ab amicis invitatur, attendit ad numerum invitotorum; quando advertit 13. *esse convivas, ipse abit, certo credens hunc numerum esse fatalem, unumque ex iis brevi moriturum, uti e convivis tredecim in ultima coena Judas interiit.* 2. *Tenaciter adhaeret arti punctatoriae, dicens celeberrimam hodie inter doctos esse hanc artem.*

436. *Q.* I. An quoad *primum* superstitionis reus sit Ampelius. R. *Affirmative*, quia certo credidit, hunc numerum esse fatalem; cum tamen nulla sit connexio inter causam et effectum, qui timetur superstitiose; cur hi divinatores non praesagiunt unum et 13. convivis se brevi suspensurum, sicut Judas se suspendit? Vide *Sporer* l. c. n. 25., *Tambur.* tamen excusat illum a peccato gravi, qui non credens numero, sed ex vano timore aliunde incusso, quem non vult superare, discedit a convivio.

437. *Q.* II. Quid sentiendum de arte punctatoria. R. A superstitione excu-

sari non potest: quia ipsae quaestiones, quas punctatores infallibiliter resolvere conantur, artem superant humanam. Sic libellus, qui de hac arte impressus spargitur, ex domo Arictis resolvendum proponit, an quis diu sit victurus, an aetatem felicem consecuturus; ex domo Capricorni; an Rex vel principes felix ac diuturnum regimen sit habiturus, ex domo Cancri, an quis mortem felicem vel infelicem sit obiturus. Quid? quod punctatores determinatos vitae annos Magnatibus praedicere ausi sint: atqui hi eventus maxime dependent a divina dispositione, a libera voluntate hominis: ergo. *Confirm.* Regulae et modus resolvendi praedictas quaestiones ex punctis, numeris, et figuris tanquam mediis omnino improportionatis ad ejusmodi eventus non minus superstitiosus est, quam modus resolvendi, et praedicendi futura ex astrologia judiciaria; ergo pari jure ad idem musaeum diabolicum ars punctatoria amandanda est, ad quod jam pridem tum a Jure Civili, tum Canonico astrologia judiciaria proscripta fuit. Vide cit. c. *non observatis caus.* 26. q. 7. ubi punctatores tanguntur illis verbis: *sive qui per quosdam numeros literarum .... futura inquirunt.*

438. Porro *adverte I.* A gravi peccato superstitionis excusandus non est, qui jubet praedici, vel ea credit, quae ex speculis magicis praedicuntur. Usus enim hujusmodi speculi ex omnibus circumstantiis non nisi meras fraudes diabolicas sapit; nec ulla ratione probari potest, eam vim inesse naturaliter speculo, ut ope illius ea possint cognosci, quae ex se vel sunt occulta, vel absentia, vel futura, quis bene vel male sentiat de te etc. nec a Deo tale speculum eam virtutem habet, ergo a diabolo. Item quare puerulus praemissa confessione et communione adhibetur ad consulendum speculum? scil. ut sub pietatis specie opera diaboli eo audacius ac tutius admittantur.

439. II. Vanae observantiae tres praecipue sunt species, sc. 1. *Ars notoria*, per quam adhibitis certis verbis, aliisve signis variae scientiae, et doctrinae absque labore comparantur. Hanc artem, ajunt Anabaptistis esse familiarem. Est ex genere suo peccatum mortale, et per usum mediorum improportionatorum continet tacitam invocationem daemonis. Licitum tamen est uti scientia, quam quis ope daemonis acquisivit de virtute naturali alicujus rei, v. g. herbae, dummodo conservatio, aut usus talis scientiae non requirat actualem adhuc concursum daemonis, quia talis cognitio ex se bona est, et peccatum, quo male acquista est, per accidens se habet respectu actualis usus. *Suar.* t. 1. de Relig. L. 2. c. 15. n. 24., *Bonac.* et alii.

2. *Observantia sanitatum*, quando per benedictiones in Ecclesia inusitatas, incantationes, insufflationes, scripturas, ligaturas, et similia, quae vim naturalem medendi non habent, sanitas, vel immunitas a vulneribus hominum, vel animalium procuratur. Haec superstitio ex sequentibus dignosci potest. 1. Si verba inepta aut ignota, aut characteres ignoti adhibeantur. 2. Si interserantur falsa, apocrypha et incerta, v. g. de febri, de spasmo Christi. 3. Si circumstantiae adhibeantur tanquam per se efficaces ad impertrandam sanitatem, quibus tamen nulla inest efficacia. Hanc superstitionem vetulae illae committunt, quae adhibitis ineptis caeremoniis, et oratiunculis febrem curant etc. Huc pertinent plurimi abusus rerum sacrarum, et cultus sanctorum, v. g. gestare secum talerum imagine s. Gregorii insignitum contra periculosum lapsum ex equo: ad sistendum sanguinem e naribus stillantem ponere stramen in formam crucis, ne caro laesa intumescat, apprimere ei cultrum cruce insignitum etc. Si quis tamen haec peragat ex mera devotione, ac more orantis, vel cum fiducia ad intercessionem sancti Gregorii, vel ad s. Crucem, nec infallibiliter ex sola applicatione expectet effectum, aut aliam circumstantiam superstitiosam addat, non peccat.

3. Est *Observantia eventuum*, qua quis ex observatione rerum impertinentium mala vel bona sibi vel aliis eventura conjicit, ideoque aliquid facit, vel omittit, vide *S. Th.* 2. 2. q. 96. a. 3., v. g. si quis inter calceandam sternu-

tavent, redeat ad lectum, quia credit sternutationem esse omen infaustum: item si quis recedat ab incepto itinere, eoquod occurrat anus, vel transiliat lepus per viam: item si quis die lunae nolit quidquam dare mutuum ex firma credulitate, mutuum hoc praecise die datum nunquam restitutum iri etc. Haec quidem firmiter credere, grave foret peccatum, eoquod talia signa nullam habeant vim naturalem, vel supernaturalem ad nuntianda prospera vel adversa. Saepe tamen a simplicibus peccatur in iis venialiter 1. propter ignorantiam saltem non crassam; 2. propter imperfectionem superstitionis, dum quis certam fidem non adhibet; 3. propter defectum seriae intentionis, ut si quis levitatis aut joci gratia ex vana observantia aliquid agat vel omittat. *Babenst.* l. c. n. 61. De variis hucusque relatis speciebus superstitionis, aliisque, de quibus eodem modo sentimus v. g. de auguriis, energice tractat c. 16. *Non observetis* caus. 26. q. 7.

Casus IV.

Albanus contra morbum remedium quaerit apud carnificem, a quo accipit pulverem sympathicum; ab alio accipit schedulam variis crucibus insignitam, ut eam deglutiat; antequam adhibeat utrumque remedium, dubitat, an non lateat superstitio.

440. *Q.* I. An liceat consulere Medicum, vel Chirurgum, vel alium v. g. carnificem suspectum de mediis superstitiosis. R. cum *Sanch. et Laym.* Si prudenter adhuc credantur scire media licita, licet eos consulere, cum animo tamen non admittendi alia media, nisi licita; sic enim petitur, quod alter licite dare potest. Secus est si quis sciret, alterum non alia nisi media illicita praescribere. Vide n. 445.

441. *Q.* II. Quid agendum, si dubitetur, an res ad effectum causandum applicanda habeat vim naturalem, nec ne. R. Si prudenter dubitetur ob rationes aliunde satis graves, ante applicationem deponendum est dubium, et judicandum, inesse huic rei virtutem naturalem: cum enim plurimae in rebus naturalibus lateant virtutes viris etiam doctis incognitae, non est sufficiens ratio, cur ex eo praecise, quod virtus illa alicui particulari personae sit incognita vel dubia, eam mox diabolicam dicamus. *Laym.* l. c. c. 4. n. 6. ubi monet, suadendum esse illi, qui ejusmodi re dubia uti vult, ut protestetur, nolle se effectum, si subsit ulla vis diabolica. Idem suadendum est Albano circa usum pulveris sympathici, cujus vis naturalis saltem ad aliquam distantiam defenditur a quibusdam philosophis Catholicis. Vide *La Croix* L. 3. p. 1. n. 32. et 35. ubi de virga divinatoria. Praeterea notandum: in rebus mere naturalibus v. g. herbis, radicibus, salibus etc. plerumque minor est suspicio fraudis; plus doli subest in artefactis, v. g. in schedulis variis crucibus insignitis. Hinc *Delrius* absolute monet, si media dubia sint, non facile ea esse suadenda.

442. *Q.* III. Quid si satis constet virtutem, vel effectum non esse naturalem, dubitetur autem, an sit a Deo, an a diabolo. Respondet *Babenst.* l. c. n. 55. cum comm. praesumendum esse, tunc esse a diabolo. Rationem dat ex *S. Thom.* quia, cum res illa, vel medium, quod adhibetur, non sit causa naturalis effectus, qui speratur, erit tantum signum, quo posito vel Deus vel daemon effectum producit: constat autem, Deum non operari ejusmodi effectum nisi in sacramentis et sacramentalibus, simulque temerarium est, expectare miraculum: ergo tantum praesumendum est, ejusmodi effectum nonnisi a medio in apotheca diaboli elaborato produci.

Casus V.

Æmiliana confitetur 1. *Quod saepe usa sit superstitionibus* 2. *Quod, cum nuper filius suus pediculis scateret, ad hoc malum avertendum tria ejusmodi animalcula calamo inclusa in camino suspenderit.* 3. *Quod adierit sagam pro maleficio tollendo, et alio inferendo.* 4. *Quod ab eadem ad artes diabolicas seducta a duobus annis saga fuerit.*

443. *Q.* I. Quid Confessarius judicare debeat quoad primum. R. Quaerat, an sciverit, vel dubitaverit de superstitione; et tum peccavit mortaliter. Si praeterea damnum illatum proximo, peccavit simul contra justitiam, et obligatur damno secuto ad restitutionem; si quoque abusa sit rebus sacris, etiam commisit sacrilegium. Ita comm.

444. *Q.* II. An quoad secundum superstitiose egerit. R. *Affirmative*; tum quia illa suspensio dictorum animalculorum neque ex natura rei, neque ex institutione Christi, aut praxi Ecclesiae habet ullam virtutem tollendi a filio malum: ergo effectus expectatus non potuit aliunde, quam a diabolo profluere; tum quia ipse numerus trium praecise animalculorum, et locus in camino sapit apertam superstitionem: quare enim non potius in libero aere, quare non plura vel pauciora animalcula suspenduntur?

445. *Q.* III. An liceat petere a saga vel malefico, ut dissolvat maleficium, et consequenter an Æmiliana peccaverit quoad secundum. Ante resp. *observa:* Maleficium duobus modis potest solvi. 1. Destruendo simpliciter signa, ex quibus maleficium per daemonis pactum dependet. Hic modus est licitus; sic licet comburere pollicem furis suspensi sub limine domus opera daemonis defossum etc. etc. 2. Per novum maleficium, adhibendo nova signa, quibus ex pacto daemonis maleficium destruatur: hic modus nunquam est licitus. Jam R. 1. Nunquam licet petere a malefico, ut maleficium alio maleficio dissolvat, etiamsi ille ad hoc paratus sit. Ita comm. *Ratio* est: tum quia maleficium est actio intrinsece mala, quae ex nullo fine honestari potest, ad quam alter per petitionem induceretur; tum quia petens hoc modo reipsa communicaret cum daemone, sine quo ipse maleficus non posset operari. R. 2. Si saga possit sine novo maleficio dissolvere maleficium, licet petere ut dissolvat illud; quia sic nihil aliud petitur, quam id, quod saga potest facere licito modo, removendo illud, vel ponendo sine nova arte diabolica, quo posito, vel remoto daemon nocere cesset. Sic etiam licet abradere sagis capillos, si iis relictis non sentiant torturam: licet repercutere sagam, a qua quis percussus est, ne illa noceat. R. 3. Si dubitetur, an maleficium novo maleficio, an vero simplici pacti destructione a mago tolli possit, non licet eo uti; quia in dubio facti, quando agitur de periculo peccandi formaliter, et Deum inhonorandi, pars tutior eligenda est. Ita *Cajet.*, *Delr.*, *Laym.* Quid, si adsit suspicio, quod magus non sit adhibiturus modum, quem scit licitum, sed illicitum? Respondet *Babenst.* l. c. n. 77. cum *Suar.*, *Sanch.*, *Tamb.*, *Laym.* L. 4. t. 10. c. 4. n. 10. Licite adhuc posse peti dissolutionem maleficii, quamvis suspicio sit, maleficum id facturum modo illicito, *dummodo certo vel probabiliter sciatur, quod possit modo licito pactum dissolvere. Ratio* horum est, quia petens utitur jure suo, nec inducit alium ad malum, sed tantum petit id, quod alter licite praestare potest, estque per accidens, quod ille usurus sit sua malitia. *Confirmant* ex eo, quod quis licite mutuum petat ab usurario, et juramentum ab infideli quamvis praevideatur uterque usurus sua malitia, quae ipsis imputanda est, non petenti rem ex se bonam, vel indifferentem; imo petentem excusat praesens necessitas, ut non censeatur moraliter cooperari peccato. Sic illi: at *Cajetanus*, *Delrius* et alii contrariam sententiam tenent, recte adhuc negantes id licere, non quidem ex eo, quasi petitio esset formalis cooperatio ad peccatum magi, excusat enim justa causa

potendi, v. g. necessitas; sed ex eo, quia petens vel admittens se exponeret periculo habendi commercium cum daemone, et ab illo admittendi beneficium. Quid? quod adversarii fateantur, in tali casu esse obligationem monendi magum, ut medio licito utatur. Haec posterior sententia videtur in praxi suadenda; siquidem in tali casu potius confugiendum sit ad media spiritualia. *Bosco* de Sacram. D. 1 3. 8. n. 70.

446. *Q.* IV. Quid sit agendum, si quis se offerat ad pactum dissolvendum. R. Prius examinandus est de modo dissolvendi, qui si videatur superstitiosus, admittendus non est; si nolit manifestare, repellendus est; quia hinc satis colligitur, ipsum ignorare media licita. *Delrius* disq. mag. L. 6. c. 2. Sect. 1. q. 2. Notat *Laym.* l. c. cum *Suar.*, *Sanch.*, et *Lessio* quod de eo, qui maleficii auctor fuit, facilius praesumi possit, eum signa, quae ipsemet posuit, sine novo maleficio destructurum esse, ad quod praestandum ex justitia tenetur, ideoque minis ac verberibus ad id adigi potest.

447. *Sed quid*, si suspicio sit, quod alius modum licitum dissolvendi maleficia didicerit a daemone. Respondet *Laym.* l. c. adhuc ab eo peti posse, ut dissolvat; nam arte bona, quam male didicit, bene uti potest.

448. *Q.* V. Quaenam sint media contra maleficia. R. Alia sunt *naturalia* quae vel desumuntur a pharmacis; haec tamen daemon, facile eludit, si Deus permittat; partim a destructione pacti remotis signis, a quibus duratio pacti pendet, ut supra dictum est: de hac destructione *Delrius* l. c. q. 3. Alia *supernaturalia* ac 1. Sincera et fiducialis commendatio sui in divinam providentiam, et custodiam s. Angeli custodis. 2. Exorcismi Ecclesiae. 3. Devotus usus aquae benedictae. 4. Devotus usus aquae in honorem s. Ignatii benedictae, olei s. Walburgis, cerae Innocentianae, item cerae benedictae in honorem s. Francisci de Paula. 5. Devotus usus Imaginum B. V. immaculate conceptae, s. Ignatii, et alia multa in Ecclesia usitata. De his *P. Stoiber* in P. 2. Armamentarii Ecclesiastici.

449. *Q.* VI. Quomodo peccaverit Emiliana adeundo sagam pro maleficio inferendo. R. Peccavit graviter tum peccato superstitionis, tum injustitiae, si maleficium sit illatum; ac proinde tenetur curare, ut tollatur, sed sine novo maleficio, damnumque reparetur. Ita comm.

450. *Q.* VII. Quid agendum sit Confessario, dum poenitens se accusat, quod saga, vel magus fuerit. R. Interroget *primo* an pactum inierit cum daemone? Hoc enim poenitens debet dissolvere, et ejurare antequam absolvatur; dissolvitur autem sufficienter agendo seriam poenitentiam (quae cum rara sit, non est facile credendum ejusmodi hominibus, sed prudenter tentanda est eorum fides et constantia), neque necessarium est, ut poenitens petat sibi reddi chirographum a daemone, in quo forte se illi subscripsit. Si tamen saga vel magus apud se habeat chirographum, vel aliud signum initi pacti, v. g. schedam, nodum ligularum, glomum capillorum, ollam etc. debet illa comburere, vel alio modo destruere. 2. Quaerat, an Deum, et fidem abnegarit, vel blasphemaverit, daemonem adoraverit, hostiis consecratis abusa fuerit, an maleficium confecerit ex rebus sacris? talia enim sacrilegia et apostasiae plerumque a sagis committuntur; si consecratas hostias adhuc retineat, tenetur eas tradere sacerdoti. 3. An si fidem necdum abjuraverit, saltem crediderit, daemonem non esse damnatum, sacramenta suscipientibus nihil prodesse etc. ex quibus colligitur pacto cum daemone etiam haeresin fui se conjunctam. 4. An commiserit cum daemone peccata luxuriae. 5. An damna intulerit per maleficia; haec enim tenetur resarcire. 6. An maleficia illata adhuc durent, quae tenetur tollere, si possit sine novo maleficio. Neque facile prius absolvendi sunt malefici, quam huic obligationi satisfaciant. Vide *Suar.*, *Sanch.*, *Filliuc.*, *Bonac.*, *Lessium* de L. et J. L. 2. c. 44. dub. 4. n. 27., *Babenst.* l. c. n. 83.

451. Porro *adverte* I. Saepe simpliciores accusant se esse sagas, eoquod exercitia quaedam magica didicerint, vel exercuerint, absque commercio ex-

plicito cum daemone: hisce ostendat Confessarius gravitatem criminis, et si advertat poenitentem ab eo abhorrere, illudque serio detestari, facilius illum potest absolvere; suadeat autem frequentem confessionem, et communionem, actus fidei, spei, et charitatis etc. alias facile redibit ad damnatas artes.

452. II. Si quis pecuniam a daemone acceperit, nec constet, quod alicui eam surripuerit, licet eam retinere, quia daemon illam potuit extrahere e fundo maris, vel ex occulto thesauro ad neminem pertinente. Secus si constet, cui fuerit ablata (*Suar.*, *Sanch.* L. 2. mor. c. 41. n. 2.); nec licet tali pecunia uti, si sit adulterina. Ibid.

III. Si maleficus aut divinator alicui operam suam praestitit accepta mercede, ad hujus restitutionem in conscientia non tenetur, quia talis opera et impensa diligentia est pretio aestimabilis. *Laym.* l. c. c. 8. contra alios.

§. II. *De Tentatione Dei.*

453. *Nota. Irreligiositas* est defectus cultus Deo debiti; alia directe tendit ad irreverentiam Dei, ut tentatio Dei, blasphemia et perjurium. Alia ad irreverentiam rerum sacrarum, ut sacrilegium et simonia. De blasphemia, et perjurio agemus in praecepto secundo. Hic primo de Tentatione Dei agemus, non prout sonat seductionem vel inductionem ad peccatum; sic nec active, nec passive cadit in Deum: *Ipse enim neminem tentat*, h. e. neminem inducit ad peccatum. *Jac.* 1. Neque ipse potest induci ad peccatum: sed prout sonat probationem: sic Deus Job tentasse legitur, item Israelitas *Deut.* 13. *v.* 3. Hic dicemus, quale peccatum sit, hoc sensu Deum a nobis tentari.

454. *Principium I. Tentatio Dei est dictum, vel factum, quo quis absque justa causa explorat, an Deus habeat hanc, vel illam perfectionem*, petendo scil. vel expectando extraordinarium effectum, signum, vel auxilium, quo divina potentia, sapientia, misericordia, vel alia perfectio manifeste cognoscatur, et quasi experimentum de ea capiatur. *S. Thom.* 2. 2. q. 97. Juxta *Suar.* T. 1. de Relig. t. 3. L. 1. c. 2. tentatio Dei propriissime talis oritur ex infidelitate, vel dubitatione de aliqua Dei perfectione v. g. praesentia Dei. Sic de Israelitis Exod. 17. v. 7. legitur: *Tentaverunt Dominum dicentes: estne Dominus in nobis, an non?* Tentatio Dei minus propric talis oritur potius ex praesumptione, aut nimia confidentia quando quis sine utilitatis aut necessitatis causa a Deo petit miraculosam declarationem alicujus perfectionis divinae, ut ait *S. Thom.* cum. *S. Aug.* L. 16. de civ. c. 19. Hoc dupliciter potest contingere, scil. *expresse et interpretative. Tentatio Dei expressa et formalis* est, quando quis expresse dubitans de aliqua perfectione Dei aliquid dicit, vel facit animo eandem explorandi, v. g. si quis dubitans de aliquo articulo fidei petat a Deo miraculum, ut patefiat veracitas Dei loquentis; vel si quis ex alta turri se praecipitet experturus, an Deus sit potens servare ab interitu. *Tentatio implicita vel interpretativa* est, quando quis expresse quidem non dubitat de aliqua Dei perfectione, nec directe intendit de illa capere experimentum, petit tamen, vel agit aliquid, quod ad nullum alium finem, quam ad explorandam aliquam Dei perfectionem ex sua natura referri posse videtur, vel quod ex se requirit extraordinarium Dei auxilium. Unde hoc dupliciter contingit: 1. Quando quis media ordinaria absque justa causa negligit, et extraordinarium auxilium ac effectum a solo Deo temere expectat, v. g. si periculose decumbens respuat omnem medicinam, et a solo Deo temere expectet sanitatem. 2. Quando quis sponte et citra utilitatem ac necessitatem in grave periculum se conjicit, ex quo nullatenus aut vix eripi potest, nisi per miraculum, v. g. si quis per totam quadragesimam vellet omni cibo et potu abstinere ad exemplum Christi (nisi id fieret ex speciali, et manifesto Dei instinctu) certo expectans extraordinariam a Deo vitae conservationem.

455. *Princip. II. Tentatio Dei ex genere suo est peccatum mortale. Laym.*

l. c. c. 5. *Reiffenst.* cum comm. *Ratio* est: quia tum formalis, tum interpretativa tentatio est gravis irreverentia erga Deum. 1. *De formali* constat, quia ex dubitatione velle explorare divinam perfectionem est despectus divinae excellentiae. Neque hic locum habet parvitas materiae, ut docet *Babenst.* t. 5. d. 2. a. 5. n. 8. cum *Valent.*, et *Sanch.* hinc Deut. 6. et Matth. 4. *Non tentabis Dominum Deum tuum.* 2. Interpretativa tentatio saltem est implicita petitio, ut Deus contra ordinem suae providentiae absque necessitate operetur: ergo pariter cedit in irreverentiam erga Deum. *Illsung* t. 5. d. 3. a 2. n. 287. Tentatio tamen Interpretativa frequentius est peccatum veniale, tum ob imperfectionem actus, ignorantiam, simplicitatem, tum ob levitatem periculi, cui tentans se exponit. Tum vero nullum est peccatum, si fiat ex gravi causa, et humili confidentia in divina bonitate. Hinc *Laym.* l. c. n. 6. recte cum *Suar.* ait, ut ejusmodi temeritates sint peccata tentationis Dei, necesse est intentionem operantis aliquo modo ad Deum dirigi, tacite ab ipso implorando extraordinarium auxilium sine causa utilitatis ac necessitatis.

Casus *De Tentatione Dei.*

Ægidius disputans cum acatholicis de reali praesentia Christi in Eucharistia, cum illi nollent acquiescere, et credere, in haec verba erumpit: Si sis Deus catholicorum, confirma hanc veritatem miraculo. Alias innocenter accusatus de gravi furto, probaturus suam innocentiam petit afferri carbones ignitos, quos dum nudis manibus apprehendere, et sinui immittere attentat, mox vim ignis sentiens manus retrahit, et graviter irascitur Deo, quod innocentiam non confirmet miraculo. Judex hoc praecise eventu commotus procedit ad torturam.

456. *Q.* I. An Aegidius Deum tentasse, et graviter peccasse censendus sit, dum petiit miraculum ad confirmandum articulum fidei, et convertendos acatholicos. R. *Affirmative*; nulla enim urgebat necessitas, cum non desint alia signa, motiva, et notae sufficientes verae fidei in Ecclesia Dei. Imo nec coram Gentilibus licet petere miracula, quando inde non est spes conversionis. Si vero viri sancti aliquando similia petiisse legantur credendum est ex speciali Spiritus S. impulsu petiisse. *Suar.* l. c. n. 13. Sic etiam petierunt Apostoli *Act.* 4. Gedeon *Jud.* 6. *v.* 7. Achaz *Isaiae* 7. *v.* 11.

457. *Q.* II. An Aegidius quoad secundum tentaverit Deum. R. *Affirmative.* Pertinet hic modus ad purgationes vulgares (sic dictas, quod nullo jure, sed populari inventione, et fabricante sunt omnino fictae invidia c. *Mennam* 7. q. 5.) quae olim fiebant per ferrum candens, aquam ferventem, vel frigidam, item per monomachiam, quae omnes graviter prohibitae sunt in Jure Can. *Causa* 2. q. 5. et L. 5. Decret. t. 35. Legitur quidem nonnunquam Deus miraculo ejusmodi purgationes confirmasse; sed tum, quando ex speciali instinctu ad eas impulit, ut refertur de *s. Cunegunde.* Juxta *Lessium.* L. 2. c. 15. n. 4. id factum vel ob simplicitatem illius saeculi, et antequam ab Ecclesia fuissent prohibitae, vel quia innocentes suspecti ad eas cogebantur: quid? quod effectus etiam saepe non responderit, ut refertur c. 2. *de purg. vulg.*

458. *Q.* III. An judex peccet graviter judicando ex tali purgatione vulgari. R. *Affirmative:* quia judex in processu contra accusatos debet niti probationibus ac indiciis, quae humano modo deprehendi possunt. Ita *Laym.* l. c. n. 5

459. Porro *adverte* I. Tentat Deum, qui temere et sine justa causa se offert ad martyrium; talis enim interpretative vult capere experimentum vel de Dei providentia hoc ipso, quod se absque necessitate, aut speciali utilitate exponat periculo, a quo nonnisi a Deo eripi potest, vel de Dei potentia, eo quod expectet sine justa causa constantiam, et victoriam supernaturalem. Tunc autem censeretur esse justa causa, quando adesset vel praeceptum, vel

consilium martyrii. Praeceptum adest, quando subeundum esset martyrium ad servandam multorum fidem, vel salutem, aut vitandas blasphemias: consilium, quando nihil ex eo aliud sequitur, et expectatur quam gloria Dei, simulque sentitur peculiaris Dei instinctus. *Sanch.* L. 2. mor. c. 34. n. 15.

460. II. Non tentat Deum, qui in gravi necessitate devote orando humiliter a Deo petit, ut manifestet suam divinam voluntatem vel per Confessarium, aut per internam illustrationem: quia talis nec dubitat de aliqua Dei perfectione, nec per media improportionata voluntatem Dei explorat. Non tamen licet petere ut Deus per aliquod signum externum determinatum manifestet suam voluntatem, quia regulariter non solet ita manifestare, sed vel per internam inspirationem, vel per alios pios ac doctos viros, quos vult consuli.

461. III. Nostra fiducia in Deo tum ordinata est, quando in gravi necessitate constituti primario quidem Dei opem expectamus, ita tamen ut media ordinaria non negligamus, et simus parati ad omnem eventum etiam expectationi nostrae contrarium, dicentes cum Isaia c. 50. v. 5. *Dominus Deus aperuit mihi aurem: ego autem non contradico, retrorsum non abii.* Juxta *Laym.* l. c. n. 6. velle a Deo aliquid impetrare sine animi humilitate et reliqua dispositione videtur esse quaedam tentatio Dei, non tamen semper graviter peccaminosa; hinc orans sequatur monitum Eccles. c. 18. *Ante orationem praepara animam tuam*, ut dictum est n. 389. Ita *S. Thom.* 1. 2. q. 97. a. 1. in corp. docet: *Quando ergo propter aliquam necessitatem, seu utilitatem committit se aliquis divino auxilio in suis petitionibus, vel factis, hoc non est Deum tentare ... quando vero hoc agitur absque utilitate, et necessitate, hoc est interpretative Deum tentare.*

462. IV. Juxta *Suar.* T. 1. de Relig. t. 3. L. 1. c. 2. n. 2. graviter peccat is, qui postulat a Deo auxilium ad grave peccatum perpetrandum. Vide n. 420.

§. III. *De Sacrilegio*

463. *Nota.* Τὸ sacrilegium primitus derivatum censetur juxta *Suar.* T. 1. de Relig. t. 3. L. 3. c. 1. a *sacro* et *lego*, quod hic idem est, ac furari. Hinc illud *Isidori: Sacrilegus dicitur ab eo, quod sacra legit, id est furatur.* Hodie a TT. passim definitur: *Violatio* h. e. irreverens, et indigna *rei sacrae* tractatio. *Res sacra* dicitur illa, quae publica institutione, auctoritate, et ritu ad Dei cultum deputata est. *Suar.* l. c. n. 1. Porro sicut universim tria sunt genera rerum sacrarum, scil persona, locus, et res aliae ad divinum cultum specialiter ordinatae, ita sacrilegium est triplex. 1. *Personale.* 2. *Locale.* 3. *Reale.*

464. *Princ. I. Sacrilegium personale* est personae sacrae violatio, sive indigna tractatio. Potest autem homo duobus modis specialiter et publica auctoritate Deo dicari, et inde sacrari, scil. vel per sacram ordinationem, vel per statum Religionis, vel quamdam ejus participationem, qualis est per votum simplex castitatis, aut alium modum dedicationis ad cultum Dei perpetuum ab Ecclesia approbatum, ut ait *Suar.* l. c. c. 2. n. 1. Haec violatio sacrilega personalis committitur quatuor modis. 1. Inferendo manus violentas in Clericum, vel Religiosum, injuriose illum percutiendo, mutilando, occidendo, etc. contra privilegium Canonis. *Si quis suadente* 17. q. 4. ex motivo Religionis concessum, addita excommunicatione latae sententiae. 2. Subjiciendo personas ecclesiasticas judicio saeculari contra privilegium exemptionis, et immunitatis ecclesiasticae. 3. Ab iisdem extra casum publicae necessitatis tributum exigendo contra eandem immunitatem a tributis, et servilibus oneribus. 4. Luxuriose violando personam Deo per votum castitatis perpetuae sacratam; peccat autem sacrilege tam persona, quae contra proprium votum peccat, quam quae turpitudinis complex est. *Laym.* L. 4. t. 10. c. 7. n. 5. ubi n. 4. contra *Suar.* et *Sanch.* ait: Si Clericus in sacris ordinibus constitutus vel Religiosus utriusque

sexus fornicetur, duplicem malitiam contrahit, unam violationis voti, alteram sacrilegii proprie dicti, ita ut non sufficiat in confessione dicere: peccavi carnaliter contra votum castitatis, sed necesse sit circumstantiam ordinis sacri, vel religiosi voti exprimere. Secus si quis peccet contra votum continentiae privatum, nec in approbata religione emissum: quia sacrilegium proprie tale est rei sacrae violatio; persona autem sacra non efficitur nisi ex publico jure cultui divino dicata sit, scil. vel per sacrum ordinem, vel per statum religionis. Certum tamen est, quod peccans contra votum castitatis duplex peccatum committat, primo contra praeceptum sextum, et simul contra votum.

465. *Princ. II. Sacrilegium locale* est violatio loci sacri, qui ab Episcopo consecratus, aut publica auctoritate Episcopi deputatus est ad publica officia divina, missas celebrandas, et sacramentorum usum. *Laym.* l. c. n. 6. ubi ex c. ult. de consc. Eccl. probat, sacrilegii crimen committi etiam ab eo, qui locum nondum consecratum, publica tamen Episcopi auctoritate ad sacra mysteria deputatum (quod fit per quamvis benedictionem aut crucis erectionem etc.) violat: quia per ejusmodi deputationem locus sacer, et a profanis usibus secretus efficitur: cujusmodi sunt Ecclesiae, coemeteria, oratoria et sacella privata, *si* ab Episcopo benedicta sint, et ad divinum cultum perpetuo deputata. Dixi supra, *publica auctoritate:* quia oratoria, vel sacella privata non consecrata, nec benedicta inter loca sacra hic non numerantur, etsi Episcopus licentiam dederit ibi Missas celebrandi; haec enim ad nutum fundatoris in profanos usus converti possunt. Alias in ordine ad immunitatem ecclesiasticam nomine loci sacri non tantum Ecclesia, et coemeterium, sed etiam monasterium, et xenodochium auctoritate Episcopi erectum intelligitur. Si vero xenodochia sine Episcopi auctoritate erecta sint, non censentur religiosa, et solus fundator seu patronus de eorum redditibus disponere potest. *Laym.* l. c.

466. Porro sacrilegium, violando locum sacrum, tripliciter potest accidere. I. Violando Ecclesiae, aut loci sacri immunitatem, scil. fores effringendo, malitiose destruendo, evertendo altaria, despoliando Ecclesiam, eo confugientes, et *legitimo* asylo gaudentes violenter extrahendo ad judicium.

467. De hoc *adverte* sequentia. Asylia, seu asylum *est jus, sive privilegium, quo malefactoribus ad Ecclesias, loca sacra, et religiosa confugientibus securitas praestatur, ne inde vi extrahi possunt, praesertim ad poenam in vita aut membris irrogandam.* Finis hujus immunitatis est favor Religionis, et honor locis sacris habendus. Subjectum, sive locus hac immunitate gaudens sunt 1. Ecclesiae auctoritate Episcopi destinatae ad divina officia in iis celebranda c. 9. de immun. Eccl. Nec opus est, ut sint consecratae aut benedictae, nec ut in illis officia divina celebrata jam sint, nec ut servetur ibi Eucharistia: nec refert, quod sint pollutae, aut interdictae, aut dirutae, modo sine auctoritate Episcopi, et cum spe reaedificationis, imo et modo coeptae aedificari, quamprimum jactus est lapis primus approbante Episcopo, in quo casu area designata erit loco asyli. *Laym.* L. 4. t. 9. c. 3. n. 2. Imo non tantum pars interior Ecclesiae, sed etiam exteriores gaudent jure asyli, quales sunt Porticus, Capellae, Parietes, Sacristia, Turris, Tectum, Cryptae subterraneae, Campanile, scalae ad templum, porta manu apprehensa etc. 2. Oratoria, et sacella publica, quae auctoritate Episcopi ad divina officia deputata sunt perpetuo: talia censentur, quando indifferenter omnibus ad illa aditus patet pro audiendis sacris, praesertim si campanam habeant, quae publice pulsetur. 3. Coemeteria etiam ab Ecclesiis separata, modo sint fidelium sepulturae deputata c. 5. de Imm. Eccles. 4. Palatium Episcopi in reverentiam et decorem dignitatis Episcopalis c. 36. caus. 17. q. 4. Testatur etiam *Mathoeuccius* offic. Eccles. c. 24. n. 25. Decretum s. Congr. emanasse, quod etiam domus Parochi gaudeat immunitate; maxime hoc verum est, si

sit conjuncta Ecclesiae. 5. Domus vel Conventus Religiosorum, et quidem quoad omnia aedificia, hortos, stabula, horrea etc. intra eumdem ambitum, et murum conclusa. 6. Juxta *Diana* et *Delb.* domus clericorum in communi viventium auctoritate Episcopi erecta. 7. Hospitalia auctoritate Episcopi erecta, et sacellum ad celebrandum habentia; quia quoad privilegia aequiparantur Ecclesiis l. *omnia* 35. Cod. de Episc. et Cler. 8. Tabernaculum Ss. Eucharistiae; hinc qui confugit ad Sacerdotem illam ferentem in platea, capi non potest: *excipe*, si in carcere confugeret ad Sacerdotem illuc deportantem, tunc enim non gauderet. *La Croix* l. 4. n. 1392., *Pichler* in tit. 39. l. 3. Decret. n. 9. Hoc tamen in jure non exprimitur, sed habetur ex consuetudinem, et communi sensu in aequitate fundato comprobatur.

Beneficio asyli gaudent 1. Omnes baptizati cujuscumque conditionis et status sint in criminibus non exceptis. 2. Etiam non baptizati Judaei, et Pagani, si serio converti velint; nam l. 2. Cod. *de his, qui ad Eccles.* excipiuntur tantum illi Judaei, *qui reatu aliquo, vel debitis fatigati simulant se Christianae legi velle conjungi, ut ad Ecclesias confugientes evitare possint crimina, vel pondera debitorum.* Juxta probabilem plurium apud *La Croix.* l. c. 1393. quicumque non baptizati gaudent hoc privilegio, quia non est privilegium personae, sed loci. 3. Gaudent illo suspensi, et interdicti ab ingressu Ecclesiae, item excommunicati. 4. Exules, banniti, et condemnati ob crimen non exceptum, fugientes e carcere, aut e manibus satellitum dum educuntur ad supplicium.

Octo autem crimina excepta recenset *Greg. XIV.* in Const. *Cum alias*, sequentibus verbis: *Laicis ad Ecclesias confugientibus, si fuerint* 1. *publici latrones;* 2. *viarumque grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, et viatores aggrediuntur ex insidiis;* 3. *vel depopulatores agrorum;* 4. *quive homicidia, vel mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, earumque coemeteriis committere non verentur;* 5. *qui proditione proximum suum occiderunt*, h. e. qui per insidias, et sub specie amicitiae occidit incautum, et impotentem sibi cavere (huc pertinet juxta *Delb.* contra *Bonac.* mater, quae occidit infantem, aut foetum animatum); 6. *aut assassinii*, qui interveniente pacto vel pretio aliquem conducunt ad occidendum, vel qui pretio conductus occidit proximum incautum, quamvis sit infidelis; 7. *aut haeresis;* 8. *vel laesae majestatis reis in persona ipsius Principis, immunitas Ecclesiastica non suffragetur.*

His *Benedictus XIII.* per Constit. in Conc. Romano editam anno 1715. sequentes adhuc asylo excludit: 1. Qui confugientibus ad locum immunem vim inferunt, aut ipsos violenter extrahunt, et abducunt. 2. Mandantes assassinium et mercedem aliquam sive in pecunia, sive rebus aliis tradentes, aut promittentes nondum etiam secuta traditione; modo assassinium re ipsa patratum fuerit. 3. Qui proximum animo praemeditato, et deliberato interficiunt. 4. Qui falsificant literas Apostolicas. 5. Qui tanquam ministri Montis Pietatis, aut alterius publici telonii, aut Banci pro depositis Principum, privatarumque personarum destinati furtum, aut falsitatem in praedictis committunt, cujus ratione arca pecuniaria ita minuatur, ut poenae ordinariae locus sit. 6. Qui tondent, conflant, adulterant quascumque monetas aureas, vel argenteas etiam Principum exterorum, quoticscumque in loco criminis liberum habent usum et commercium. 7. Qui tales pecunias scienter ita expendere praesumunt, ut participes fraudis censeri possint. 8. Qui sub nomine curiae se se introducunt in alienas domos, rapinas reipsa committunt cum homicidio, vel mutilatione sive domestici, sive alterius ibi commorantis. Huc pertinet etiam recens Constitutio *Bened. XIV.* de Duellantibus, quam vide in P. 2. n. 1429.

De Poenis injuste extrahentium confugam e loco immuni *observa* 1. Jure civili l. 1. et 6. Cod. *de iis, qui ad Eccles.* in tales statuta est poena mortis: haec tamen usu non est recepta: ubi adhuc vigeret, haberetur inter crimina

excepta a *Bened. XIII.* 2. De jure Can. praeter poenam pecuniariam, et poenitentiam injugendam juxta can. 20. et 21. caus. 27. q. 4. peccant graviter et incurrunt tam physice, quam moraliter per mandatum extrahentes, excommunicationem majorem ipso facto. An talis excommunicatio sit reservata summo Pontifici, vel absolutio competat Episcopo, controvertitur inter DD. Qui affirmant reservationem, nituntur tum constitutione Gregoriana, quae statuit easdem poenas et censuras, quas Bulla Coenae, tum praxi Curiae Romanae; qui vero negant, dicunt easdem quidem poenas et censuras statutas esse in Gregoriana, qualitatem autem censurarum, nempe reservationem, non esse expressam; in odiosis autem non debere fieri extensionem supra id, quod expressum est.

De modo extrahendi, et extradendi reum ex asylo *nota sequentia.* Praemissa cognitione judiciali, an reus gaudeat asylo, et obtenta licentia ab Episcopo, vel ejus officiali, ad quos, etsi locus exemptus sit, pertinet privative cognitio talis causae, reus extradatur etiam renitens. Praedicta licentia juxta communem contra *Covar.*, et *Pirrhing* per se necessaria est judici saeculari, ob clara verba Const t. Gregor., non item Rectori Ecclesiae juxta probabilem *P. Pichler* et aliorum contra *Palao*, et *Haunold.* Praeterea extraditio fieri debet in praesentia personae Ecclesiasticae ad id per Episcopum vel ejus Vicarium deputatae. Ipse Rector loci immunis per se non extradat reum, sed extractionem tantum non impediat, modumque investigandi et educendi reum libere relinquat judici saeculari habenti ab Episcopo facultatem, de qua certum se faciat, ne sine licentia eum extradat. In casu injustae extractionis factae, ante omnia injuste extractus restituendus est Ecclesiae, et quidem (juxta *Pignattelli* et *Reiffenst.*) eidem utpote laesae, contra *Bonac.* et *Palao*; quia Ecclesia laesa jam acquisivit jus, ut sibi satisfiat. Insuper omnes actus judiciales in taliter extractum ante restitutionem suscepti ipso jure sunt nulli, et judex injuste extrahens tenetur ad omnia damna resarcienda.

Denique *adverte* cum *La Croix* l. c. n. 1396.... 1. Peccat graviter, qui impedit reum, ne confugiat ad immunitatem, aut ex hac expellit, quia qui immunitatem dedit loco, dedit reo jus ad illam confugiendi. Si tamen se indecenter gerat in loco sacro, aut culpa sua turbet disciplinam regularem, et monitus non emendetur, expelli poterit: *Quod enim ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum*; reg. 61. J. in 6.... 2. Confugae alendi sunt ex bonis loci immunis; poterunt tamen ab iis repeti factae expensae. Rectoribus loci immunis licet suadere, ut discedat confuga, maxime si fugam securam praestet. Judici autem saeculari licet custodiam militarem constituere extra locum asyli ad capiendos reos si forte egressi velint fugere.

468. II. Sacrilegium locale committitur polluendo Ecclesiam aut coemeterium, quod quinque modis fieri potest. 1. Per injuriosam sanguinis effusionem c. ult. de consec. Eccl. et c. eod. in 6. Necesse autem est, ut vulnus infligatur homini existenti in Ecclesia, non in turri, aut subtus speluncam Ecclesiae, etsi vulnerans extra Ecclesiam existat. Item requiritur, ut factum notorium sit juris aut facti notitia. Denique ut non tantum aliquae guttulae, v. g. ex naribus percussis eliciantur, quia *effusio* plus significat. *Laym.* l. c. n. 8... 2. Per homicidium injuriosum et notorium. 3. Per illicitam et notoriam humani seminis intra Ecclesiam effusionem c. ult. cit. de consec. Eccles., sive ea fiat per voluntariam pollutionem, sive per carnalem copulam etiam conjugalem. *Excipe*, si haec ob urgentem necessitatem a culpa mortali excusetur, v. g. si conjuges longo tempore in Ecclesia cohabitare cogantur. *Sanch.* l. 9. de Matr. d. 15. n. 9.... 4. Per sepulturam hominis excommunicati non tolerati. 5. Per sepulturam non baptizati, tametsi is infans sit. Si tamen in utero matris fidelis mortuus est, una cum matre in loco sacro sepelliri potest. *Laym.* l. c. NB. Ad tres primas violationes requiritur actio culpabilis, ad duas postremas non requiritur culpa, sed sufficit factum, scil. quod corpus excommunicati

non tolerati, vel non baptizati sepultum sit in loco sacro. 6. Sacrilegium locale committitur exercendo in templo actionem profanam, quae vel ex natura sua, vel prohibitione juris repugnat sanctitati loci, *licet per eam Ecclesia non polluatur*. Talis actio est 1. Cognitio sive sententia judicii saecularis, maxime actio criminalis c. *decet* 2. de immunit. Eccles. in 6. Causas autem Ecclesiasticas in Ecclesia agere decens est. c. *qua fronte* 25. de appellat... 2. Actio sacrilega est negotiatio et mercatura solemnis in templo, cit. c. *decet*. Christus ipse vendentes et ementes e templo ejecit *Matth.* 21.... 3. Actio sacrilega in Ecclesia sunt tripudia, clamores, et ludi profani, ut colligitur ex c. *cum decorem* de vita et honest. Cleric. Comoediae tamen honestae, quae ad pietatem movent, a loco sacro alienae non sunt; ut habet glossa in c. cit. et *Suar.* l. c. c. 6. n. 4. Denique contra Ecclesiae reverentiam sunt publicae comessationes c. *non oportet* 2. dist. 42. Vide *Laym.* l. c. n. 11.

469. *Princip. III. Sacrilegium reale* est violatio rerum publica auctoritate ad cultum divinum sacratarum, et ordinatarum: sunt autem earum quatuor potissimum genera juxta *S. Thom.* 2. 2. q. 99. a. 3. ubi ait: *Primum et summum locum inter res sacras obtinent sacramenta*. Circa haec sacrilegium committitur 1. ea *invalide ministrando*, scil. defectu debitae materiae, formae, intentionis etc. 2. ea *indigne ministrando*, scil. in cognito statu peccati mortalis, vel in eodem statu sacramenta vivorum suscipiendo: 3. tangendo illicite et irriverenter Ss. Eucharistiae sacramentum, quod juxta *Sporer* l. c. n. 30. utique est peccatum grave, seclusa necessitate; veniale vero, si seclusa contemptu, vel praecepto Ecclesiae tangatur a laico calix, patena, ciborium, corporale, purificatorium etc. imo a veniali excusat laicos quaevis necessitas ea tangendi.

Secundum locum inter res sacras tenent vasa consecrata ad sacramentorum usum et susceptionem: item altaria, aedes sacrae, crux et imagines Christi, ac Sanctorum, eorumque Reliquiae; quia etiam ista secundum usum Ecclesiae aestimantur esse instrumenta cultus divini, et ideo sunt sacrae non tantum in ordine ad Sanctos, sed etiam ad Deum, ut ait *Laymann.* cum *Suar.* Huc etiam pertinet sacrum chrisma, oleum, aqua, et alia benedicta. Item Nomina Dei, Christi, ac Sanctorum, Ss. Evangelia, et omnis scriptura Canonica.

Tertio ad res sacras ea numerantur, quae pertinent ad ornatum altarium, et ministrorum, quae indigne violata ad sacrilegium spectant. *S. Thom.* l. c.

Quarto a *S. Thom.* inter res sacras recensentur bona omnia tam mobilia, quam immobilia, quae deputata sunt ad sustentationem ministrorum Ecclesiae, templorum fabricam, ac pauperum sustentationem. Huc pertinent pia legata, deposita in Ecclesiis, jura Ecclesiastica etc. Haec qui inique supprimit, detinet, occupat, defraudat, qualificatam injustitiam committit, quae qualitas necessario in confessione explicanda est. *Laym.* l. c. n. 15. Vide c. 4. caus. 17. q. 4.

470. Dictarum rerum sacrarum sacrilegium committitur tribus modis: 1. *Eas indigne tractando*, scil. vasis sacris, et paramentis abutendo ad profanos usus, v. g. calice sacro ad profanas compotationes, sacrae Scripturae textibus ad jocos insulsos et illiberales, mendacia, aliave peccata, praesertim lasciviam. A mortali excusat *Sporer* l. c. n. 30. abusum sacrae scripturae ad jocum honestum inter viros prudentes, v g. si amicus amico dicat: *Sede a dextris meis*. Sacrilegium grave est abuti rebus sacris ad superstitiones. 2. *Eas injuste usurpando*, quod dicitur furtum sacrilegum, hoc juxta c. *quisquis* 17. q. 4.... 3. Committitur *auferendo sacrum de loco sacro*, (v. g. calicem e templo, ciborium e tabernaculo, quod juxta *Sporer* l. c. n. 31. contra alios continet duplicem malitiam, tum propter violationem rei, tum loci sacri): *vel non sacrum de sacro*, scil. auferendo res in templo depositas, et in ejus fidem, atque immunitatem susceptas sub speciali custodia, imo etiam per accidens ibi existentes juxta probabiliorem sententiam, ut ait

Laym. l. c. n. 18., *Sporer* l. c. contra *Victoriam*, *Sotum*, *Lessium* et alios, juxta quos crumenam alicui abscindere in templo est tantum furtum simplex eo quod non violetur per hoc specialiter locus sacer, sed tantum generaliter sicut per quodvis aliud peccatum: *vel sacrum de non sacro* (auferendo v. g. calicem ex privato oratorio, cista domestica etc.) juxta *Laym.* Tales quidem fures mitius puniuntur in foro externo, in foro tamen interno verum committunt sacrilegium.

471. *Principium IV.* Sacrilegium ex genere suo est peccatum mortale. Ita *Reiffenst.* 1. 5. de Relig. dist. 3. q. 2. n. 14 cum communi. Neque (ut ait *Laym.* l. c. n. 14.) necesse est ad sacrilegii crimen, ut quis directe intendat, res sacras inhonorare, quod proprium est haereticorum, sed sufficit quaevis indigna earum usurpatio et tractatio, si advertenter et satis deliberate ob quemvis alium finem sive utilitatem fiat: directa quidem inhonoratio semper est peccatum grave; virtualis autem tum ob imperfectionem actus, tum ob materiae levitatem potest esse veniale peccatum *Laym.* l. c. cum *Valent.*, *Suarz*, et comm.

Casus I.

Abdias Subdiaconus saepe delectatur turpibus cogitationibus, motibus obscoenis etc. non reputans haec peccata continere duplicem malitiam, ideoque nunquam in confessione addit, quod sit in majore ordine constitutus. Idem tum se, tum Sacerdotes, aliosque saepius plene inebriat.

472. *Q.* I. An praedictae delectationes venereae sint sacrilegia. R. *Affirmative*; quia quidquid in saecularibus extra conjugium est peccatum contra castitatem, id in Religiosis, et iis, qui uno vel pluribus majoribus ordinibus initiati sunt, est duplex peccatum, ita ut malitia sacrilegii sit mortalis in iis actibus, in quibus malitia libidinis est mortalis; directe enim quodlibet horum peccatorum repugnat dignitati talis personae in ea ratione, sub qua Deo specialiter dedicatur, et sacratur: hinc ordines majores ob votum castitatis annexum dicuntur ordines sacri. *Reiffenst.* l. c. n. 15. cum *Syl.*, *Less.*, *Laym.*

473. *Q.* II. An omne peccatum a persona sacra, vel in personam sacram commissum sit proprie ac formaliter sacrilegium. R. *Negative*; quia non omnia directe repugnant speciali ejus sanctitati, sicut peccata contra castitatem, et percussio gravis ac injuriosa, juxta constitutionem Ecclesiae. *Herincx* Disp. 8. de Relig. q. 2. n. 12. ideoque Abdias, se, aliosque plene inebriando non commisit sacrilegium, quamvis juxta n. 328. et seq. graviter peccaverit contra temperantiam et simul peccato scandali.

474. *Q.* III. An sit sacrilegium percutere illum, qui prima tonsura tantum initiatus est. R. *Affirmative*; quia per primam tonsuram quis consecratur publica auctoritate Deo, et eximitur a statu saeculari, ac proinde gaudet privilegio Canonis, si tamen gerat habitum et tonsuram clericalem. Non peccant parentes et praeceptores, qui justa de causa castigant juvenes prima tonsura initiatos, quia id non contingit suadente diabolo. Pariter pueri prima tonsura initiati dum se invicem pugnis caedunt, plerumque non committunt sacrilegium grave, quia illa percussio non est gravis in se, nec respectu personae, quae inde non censetur graviter inhonorata. Vide dicta n. 312.

Casus II.

Abdon dum in coemeterio prope templum venales habet varias merces, furem argenteorum numismatum et rosariorum deprehendit; fugientem extra coemeterium lethaliter vulnerat: fur undique sanguine madens fugit ad templum, ibique moritur.

475. *Q.* I. An sit gravis irriverentia loci sacri res venales exponere in coe-

meterio. R. 1. Si res vendendae ad populi devotionem serviant, v. g. rosaria, cerei etc. non committitur irreverentia: hinc ejusmodi venditio tanquam honesta consuetudo quibusdam in locis toleratur; quamvis praestaret, omnem mercaturam extra locum sacrum fieri; imo nunquam permittenda est, si non sine magno strepitu, tumultum, atque turbatione divini servitii prope Ecclesiam exerceri soleat. *Laym.* l.c.n.9. Maxime cavendum, ne vendantur superstitiosae oratiunculae, libelli suspecti; arcendi etiam sunt non tantum a locis sacris, sed ab ipso foro clamosi cantores qui miracula vel ficta, vel non satis approbata carminibus ineptis descripta decantant, et in vulgus spargunt; quia haec maxime cedunt in contemptum religionis catholicae.

R. 2. Cum *Laym.* in coemeterio officinam aliarum rerum de se honestarum constituere, saltem est peccatum veniale, qui non videtur esse gravis irreverentia.

476. *Q.* II. An per hoc templum fuerit pollutum, quod fur ex vulnere inflicto in templo mortuus sit. Respondet *Laymann* l. 5. t. 5. c. 5. n. 8. *Negative*: quia ad hoc, ut polluatur templum, necesse est ut percussio fiat in templo. Ubi addit, quod tum quoque polluatur templum, quando homicidium etiam sine sanguinis effusione committitur intra Ecclesiam v. g. per strangulationem; quia *c. proposuisti* L. 3. tit. 40., item c. *si motum* dist. 1. de Consecr. generaliter de homicidio fit sermo.

Casus III.

Alanus Parochus fortem baptismalem ex supina negligentia ab immunditiis longo tempore non custodit; laceras Albas, Casulas, et sacra vasa fracta refici non curat; purificatoria, et corporalia sordibus obducta ad sacrificium Missae adhibet. De gravi et sacrilega irreverentia admonitus respondet, haec tantum esse levia peccata omissionis, non vero commissionis, ideoque nec inter sacrilegia numeranda.

477. *Q.* An recte senserit Alanus. R. Pessime sensit: quamvis enim plerumque sacrilegium sit peccatum commissionis, in dictis tamen casibus vere est peccatum omissionis, quia omissio debitae curae non minus cedit, in irreverentiam gravem rerum sacrarum, quam quaevis alia indigna tractatio earundem. Ita *Laym.* L. 4. t. 10. c. 7. n. 14. cum *Suarez.* Vide c. *relinqui noluimus.* L. 3. Decr. tit. 44. de custod. Euchar., ubi energice ita habetur: *Sunt et alii, qui non solum Ecclesias dimittunt incultas, verum etiam vasa ministerii, et vestimenta ministrorum, ac pallas altaris, nec non ipsa corporalia tam immunda reliquunt, quod interdum aliquibus sunt horrori...* Sub finem additur: *Praecipimus, ut oratoria, vasa, corporalia et vestimenta praedicta munda et nitida conserventur; nimis enim videtur absurdum in sacris sordes negligere, quae dedecerent etiam in profanis.*

ARTICULUS III. *De Simonia.*

Ad sacrilegium reale pertinet Simonia, ut probat *Suarez* T. 3. de Relig. L. 3. c. 1. Fuse haec materia agitatur in Jure Can. Nos hic breviter de ea agemus.

§. I. *Quid et quotuplex sit Simonia.*

478. Praenotandum I. *Simonia* (quod nomen trahitur a Simone Mago, de quo Act. 8. legitur: *Pecuniam Apostolis obtulit dicens: Date et mihi hanc potestatem, ut, cuicumque imposuero manus; accipiat Spiritum S.*) definitur *studiosa voluntas emendi aut vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum. Suar.* l. c. n. 9. cum *S. Thom.* 2. 2. q. 100. a. 1. quam definitionem *S. Antonin.* 2. p. tit. 1. c. 5. §. 1. sic explicat: Studiosa dicitur, id est, de-

liberata: nam sola deliberatione rationis potest committi istud peccatum, sed non punitur judicio Ecclesiae, nisi procedat ad extra.... Nomine exemptionis, et venditionis intelligitur omnis contractus non gratuitus.

479. II. Simonia 1. alia est *juris divini*, vel *naturalis*, quae prohibetur jure divino propter intrinsecam suam malitiam, quando scilicet pro temporali datur res proprie, et in se spiritualis, ut gratia sanctificans, Sacramenta, consecrata hostia, sacri Ordines, Ss. Reliquiae etc. Alia est *juris Ecclesiatici*, quae non intrinsece, sed tantum ideo mala est, quia ab Ecclesia prohibita.

480. 2. Simonia utraque iterum triplex est, *Mentalis*, *Conventionalis*, et *Realis*. *Mentalis* non est propositum tantum internum, sed actio externa facta ex intentione simoniaca, exterius tamen non manifestata, v. g. si quis alteri exhibeat temporale, ut eum ad spirituale reddendum tacite obliget, vel si spirituale conferat, ut alium obliget ad temporale, vel qui temporale dat, quasi id debeat ex justitia pro spirituali, vel vice versa, ita tamen, ut pactum expressum nec intercedat, nec antea intercesserit. *Laym.* L. 4. t. 10. c. ult. §. 6. n. 67. *Conventionalis* est pactio simoniaca expressa, sed necdum executioni data; quando ex neutra parte traditio facta est, dicitur *pure conventionalis*; si tantum ex parte unius, dicitur *mixta*, v. g. si beneficium collatum sit, non tamen traditum pretium. *Realis* est pactio simoniaca ex utraque parte completa tum per traditionem rei spiritualis, tum pretii temporalis.

» *Munus, lingua, timor, caro cum fama populari,*
» *Non faciunt gratis spiritalia dari.*

481. 3. Ex Jure Ecclesiastico alia est simonia *Confidentialis*, quae committitur, si quis propria auctoritate, et absque expresso Pontificis consensu beneficium sive simplex, sive curatum alteri quocumque modo procuret eligendo, praesentando, confirmando, instituendo, resignando cum certa confidentia, h. e. expresso vel tacito pacto, ut is, cui procuratur, idem beneficium ipsi procuranti, vel alteri resignet, aut pensionem vel fructus ex eo praestet. Vide *Laymann* l. c. §. 8. Haec specialis simonia a Pio IV. in Bulla *Romanum Pontificem*, et a Pio V. in Bulla, quae incipit: *Intolerabilis*, ut perniciosissima damnata est

§. II. *Principia generalia de Simonia.*

482. *Principium I.* Ad peccatum simoniae requiritur 1. Ut materia sit spiritualis vel spirituali annexa. 2. Ut pretium, vel quasi pretium sit temporale (excepta simonia confidentiali). 3. Emptio vel venditio, quibus verbis intelligitur quodlibet pactum, vel contractus non mere gratuitus.

483. *Q.* I. Quid intelligatur nomine materiae spiritualis, quae est objectum, circa quod simonia versatur. R. Intellig tur id omne, quod vel ex se, aut ex institutione Dei vel Ecclesiae ad animae salutem, et ordinem bonorum supernaturalium spectat. Alia quidem sunt *spiritualia in se et formaliter*, ut gratia sanctificans, dona Spiritus S., character sacramentalis etc. Alia *causaliter*, quae sunt causae donorum supernaturalium, ut sacramenta, et sacramentalia, v. g. Benedictiones nuptiarum, aquae, olei etc., consecratio Ecclesiae, Altaris, Calicis etc.; item officia ecclesiastica et divina, et functiones sacrae, orationes tum publicae, tum privatae etc. Alia *effective*, quae tanquam effectus procedunt a causa, vel potestate spirituali, ut patratio miraculi, collatio Baptismi, Confirmationis, Ordinum etc. Vide *Laym.* l. c. §. 4.

484. *Q.* II. Quid intelligatur per annexum rei spirituali, quod pariter est objectum sive materia simoniae. R. Tripliciter potest aliquid esse annexum,

1. *Antecedenter*, ut jus patronatus, electio, praesentatio, collatio, quae praesupponuntur, et ordinantur ad beneficia, et officia ecclesiastica. 2. Annexum *concomitanter*, quod scil. intrinsece conjunctum est cum re spirituali, ut est labor corporalis in administratione sacramentorum, in sacrificando etc. 3. Annexum *consequenter*, quod tanquam causam aliquid spirituale praesupponit; sic jus percipiendi redditus ecclesiasticos, decimas, jura stolae etc. praesupponit officium ecclesiasticum tanquam radicem. Vide *P. Engel* de simon., *P. Laym.* l. c.

485. *Q.* III. Quid intelligatur per pretium in ordine ad committandum simoniam. R. Communiter vocatur munus, quod juxta *S. Thom.* 2. 2. q. 100. a. 5. et c. *sunt nonnulli* 1. q. 1. dividitur in munus a manu, munus a lingua, et munus ab obsequio: per munus autem hic non intelligitur donum liberale ac mere gratuitum, sed debitum justitiae commutativae, inducens gravamen aliquod ac onus. *Laym.* l. c. §. 3. n. 25. Per *munus a manu* intelligitur non tantum pecunia, aurum, argentum, vestes et similia, quae emi, aut vendi solent, sive sint mobilia, sive immobilia, sed etiam quaelibet res temporalis pretio aestimabilis. item remissio debiti, promissio remittendi, solutionis dilatio, mutui datio (*Laym.* l. c.) imo et anticipata solutio juxta *Spor.* hic n. 43. ut si quis alteri conferat beneficium cum pacto vel conditione, ut remittat debitum c. *veniens* 10. de testib. *Munus a lingua* dicitur laus, commendatio, patrocinium pro aliquo interponendum vi pacti expressi vel taciti, ut res spiritualis conferatur, vel vicissim, v. g. si quis paciscatur ita: Commendabo te apud Principem, si ecclesiasticum beneficium mihi conferas. *Laym.* l. c. n. 26. Per *munus ab obsequio* intelliguntur quaecumque obsequia alicui praestita vel praestanda sub obligatione conferendi beneficium ecclesiasticum, vel aliam rem spiritualem. *S. Thom.* l. c. *Laym.* hic addit, simoniam non esse gratis alicui servire cum spe, ut in obsequiorum remunerationem ad ecclesiasticum beneficium quis praesentetur, aut instituatur: neque ab Episcopo, aut patrono simoniam committi, si ob talium remunerationem, vel ob perspectam hominis industriam, jus aliquod spirituale beneficii conferat.

486. *Q.* IV. Quale pactum requiratur ad hoc, ut committatur simonia. R. Requiritur expressum vel saltem tacitum, h. e. deliberata voluntas obligandi alterum ad spirituale dandum pro temporali, aut vicissim. Id quod *Lessius* de simon. dub. 6. bene explicat his verbis: *Non tantum fit verbis expressis et directis sed etiam obscuris et obliquis, interdum nutibus, vel sola pretii oblatione in speciem donationis, tamen ex circumstantiis adverti potest.* Quod si vero ex alio titulo vel motivo v. g. ex gratitudine pure naturali aliquid promittatur, aut pro accepto beneficio detur aliquid temporale, non est simonia. Frequentissime tamen titulo gratitudinis palliatur tantum et committitur vera simonia, quia intercedit pactum saltem implicitum; dum partes expresse quidem non contrahunt, ex circumstantiis tamen satis colligitur, quod dans spirituale velit obligare ad retribuendum temporale, uti contingit per sequentes formulas: Ero tibi gratus; gratias reales referam; ero tibi obstrictus, si conferas hoc vel illud beneficium. Sub his vel similibus terminis latet simonia 1. Si per eos exprimatur intentio se aut alterum obligandi ad dandum spirituale pro temporali, et vicissim. 2. Si promittatur, detur, vel accipiatur temporale tanquam proportionata compensatio rei spiritualis, et non in signum purae gratitudinis antidoralis. 3. Si promittatur, vel detur temporale pro spirituali, aut vicissim, non quidem ut pretium, sed ut motivum dandi spirituale. Vide prop. 45. *ab Innoc. XI.* damn. item c. 18. et 39. de simon. Vide etiam prop. 22. *ab Alex. VII.* damn.

487. *Princ. II.* Simonia ex genere suo est peccatum mortale. *Reiffenst.* hic n. 21. vocat certam omnium. Patet 1. ex illis verbis Act. 8. *Pecunia tua*

tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri. 2. Ex ss. canonibus, ubi appellatur simonia execrabile vitium, turpissimum lucrum, simoniaca pestis, haeresis etc. Vide c. *reperiuntur* et c. *quicumque* c. 1. q. 1. Malitia hujus vitii consistit in eo juxta *Herzig* P. 2. n. 183. quod res sacra et spiritualis ita vilipendatur, ut censeatur hominum arbitrio subjecta, nec pluris aestimanda, quam temporale. Addit *Sabenst.* de simon. n. 39. gravissime injuriosum Deo esse hoc vitium, ut peculiari auctori rerum sacrarum spiritualium. Neque in isto vitio excusat parvitas materiae, quia rem quamcumque spiritualem acquiparare temporali, est eam ordinare ad rem longo ordine inferiorem. Hinc tantum ob inconsiderationem, vel ignorantiam facti vel juris leviter culpabilem simonia veniale peccatum est. *Filliuc.* tr. 45. c. 13. n. 13.

488. *Princ. III.* Poena ab Ecclesia in simoniam *realem* statutae sunt sequentes. 1. Ob simoniacam collationem, et susceptionem ordinum ipso facto incurritur excommunicatio Papae reservata, juxta Extravag. *cum detestabile* 2. de simonia inter commun. Praeterea ordinans per triennium suspenditur a collatione quorumcumque ordinum, et ab exercitio munerum Pontificalium juxta c. *si quis ordinaverit* 15. de simonia. Ordinatus autem tam ab ordinibus receptis, quam recipiendis suspenditur c. *si quis* 8. l. q. 1. item c. *per tuas* 37. de simonia. Ex his *Franc. Schmier* L. 5. t. 2. c. 1. n. 235. advertit, hac ipsa suspensione denotari, ordines simoniace susceptos esse validos; item si non ipsemet ordinatus, sed ipso ignorante alius pretium ordinanti dederit, nullam ab ordinato censuram incurri tum quoad ordines receptos juxta c. *simoniace* 22., tum quoad recipiendos ex paritate rationis. Ita sentiunt *Less.*, *Suar.*, *Henriq.* contra *Sylvest.* Confirmat. *P. Laym.* hic n. 71. Quotiescumque suspensio in jure fertur, censenda est propter culpam imposita, nisi contrarium expresse significetur: atqui in ejusmodi ignorante nulla supponitur culpa: ergo. Aliud est circa beneficia, ut infra dicetur. Denique nomine ordinum *Laym.* etiam hic intelligit primam tonsuram.

489. 2. Quando simonia realis committitur circa ingressum in Religionem, dantes et recipientes, si personae sint singulares, excommunicationem summo Pontifici reservatam ipso facto incurrunt juxta Extravag. 1. de simon.: haec tamen excommunicatio raro incurritur, tum quia *Lessius* affirmat, istam Extravag. Urbani IV. non esse receptam, tum quia varii tituli sunt, qui in tali casu excusant a simonia, ut in resol. cas. videbimus. Conventus autem vel Capitulum qua tale, si temporale pro ingressu recipiat, incurrit ipso jure loco excommunicationis suspensionem ob officio, et illius executione quoad actus capitulares et jurisdictionales, ut probat *Franc. Schmier* l. c. n. 219. ex c. *veniens* 19. de simon. cum *Suar.*, *Pirrhing*, *Konig.* Denique simoniace professus redditur inhabilis ad manendum in illo monasterio, quamvis ipsa professio ex se valida sit, ut probat *Suar.* de simon. c. 57. n. 7. Hinc obligatur, ut vadat ad aliud sui ordinis monasterium c. *veniens* 19. c. *de regularibus* 25. c. *quoniam* 40. de simon. juxta *Suar.* l. c. n. 8.; nihilominus potest tam diu in suo monasterio persistere, donec per sententiam expellatur.

490. 3. Quando committitur simonia realis in collatione, praesentatione, institutione, electione, postulatione, vel alia quacumque provisione in dignitatibus, officiis, et beneficiis Ecclesiasticis, 1. tam conferens, quam obtinens, et omnis quomodocumque concurrens ad simoniam (ut ait *Franc. Schmier* l. c. n. 228.) incurrit excommunicationem summo Pontifici reservatam juxta Extravag. *cum detestabile* 2. . . . 2. Collatio, et provisio ipso jure est nulla, ideoque provisus sibi nullum jus acquirit, nec fructus lucratur, nec facit suos, et tenetur restituere jam perceptos ipsumque beneficium dimittere, etiamsi crimen sit occultum, ut ait *Jansen.* hic n. 325. Vide cit. Extravag. Pauli II. Addit *Schmier* l. c. n. 231. cum *P. Friderich*, quod in hoc casu nequidem suffragetur triennalis possessio ex regula Cancellariae de triennali possessore.

Si vero talis adhuc alia beneficia habeat, quae legittima via absque simonia obtinuerit, tunc iis non privatur ipso jure, sed per sententiam judicis, nec ante hanc fit inhabilis ad alia. Vide *Suar.* de simon. c. 58. n. 6. Porro communior et probabilior est sententia contra *Fagnanum*, quod provisio tunc etiam sit invalida, quando non ipse beneficiatus, sed ipso nesciente alius quidam coemit suffragia pro beneficio electivo, aut collatorem pecunia corrupit (nisi ab alio ex odio, vel inique id contigisset) uti probat *Laym.* ex c. *ex insinuatione* 26. c. *sicut tuis* 33. §. *quamvis*. Item ex c. *si alicujus* 59. de elect., ubi excipitur; si beneficium simplex sit, et provisio ignorante, ac ratum non habente, simonia ab aliis commissa sit; post liberam resignationem Episcopum dispensare posse, quae exceptio firmat regulam.

491. Dixi hucusque *simonia realis:* nulla enim poena juris incurritur: 1. Propter simoniam mentalem, quamvis per hanc graviter peccetur, si sufficienter deliberata sit, ut constat ex c. *sicut tuis* 33. sub finem, c. *tua nos.* 34. c. ult. de simon. *Franc. Schmier* n. 246. de simon. vocat hanc receptissimam sententiam. 2. Neque propter alias simonias reales, quam propter tres dictas, quae scil. committuntur *circa collationem et susceptionem ordinum, circa provisionem beneficiorum et circa ingressum in religionem*; quamvis etiam per alias reales simonias deliberate commissas graviter peccetur, et quidem peccato sacrilegii. 3. Nec propter simoniam fictam, quando quis fi[illegible]que animo se obligandi vel implendi promittit temporale pro spirituali, [illegible]tra; sicut enim haec non est vera simonia, ita nec inducit poenas. Ita [illegible] cas. 66. q. 12. n. 6. Nihilominus ficte promittens peccat graviter, et [illegible] tit mendacium sacrilegum, habeturque in facto externo pro vero S[illegible] donec fictionem probet. 4. Neque ob simoniam pure conventionalem [illegible] conjuncta sit confidentialis) incurritur poena, et censura juris ut comm[illegible] tenet cum *Suar.* de sim. c. 55. num. 12. . . . 5. Neque propter mixtam, qu[illegible] completa tantum est traditione rei temporalis, ut ait *Laym.* hic n. 68. cu[illegible] consensu DD. Ratio *Suaresii* de simon. c. 55. n. 16. est, tum quia Canones semper requirunt traditionem rei spiritualis, tum quia non est satis completa irreverentia, donec res spiritualis tradita sit. Econtra sententia valde probabilis est, quae affirmat, quod illa conventionalis subjaceat poenis juris, quae completa est traditione rei spiritualis, quamvis nondum soluto pretio temporali. Ita sentiunt *Cajet. Sotus, Tolet. Nicol., Garzias.* Contrariam tamen sententiam *Laym.* vocat in praxi tutam ex eo, quod poenae praesertim tam graves debeant esse strictae intepretationis. Vide utrumque *Nav., Binsfeld, Covarr.* et alios.

492. 4. Poena simoniae confidentialis sunt 1. Episcopi et alii Praelati superiores incurrunt interdictum ab ingressu Ecclesiae, inferiores autem poenam excommunicationis summo Pontifici reservatae. 2. Resignatio vel collatio beneficii per simoniam confidentialem irrita est, et provisus evadit inhabilis ad idem beneficium postea possidendum. 3. Inducitur privatio omnium beneficiorum, ac pensionum prius obtentarum, non tamen exequenda a reo, nisi post judicis sententiam. 4. Beneficia in confidentiam collata et acepta Sedi Apostolicae reservantur, ita ut ab inferioribus conferri non possint; fructus etiam male interim percepti Camerae Apostolicae applicari debent. Vide *Laym.* l. c. an. 76. ex mot. prop *Pii IV. et Pii V.* n. 481. citatis.

Adverte cum *Laym.* n. 78. ad poenas istas incurrendas necessarium esse, ut simonia confidentialis opere impleta sit dato et accepto beneficio, licet accipiens vicissim suam promissionem non impleverit. Denique excommunicatio etiam incurritur a mediatoribus simoniae confidentialis, quando ab utraque parte tam accipientis, quam dantis completa est. *Suarez* hic c. 45. n. 15.

493. *Principium IV.* A simonia reali, et confidentiali, et excommunicatione per eam incursa *per se* loquendo, absolvere potest solus summus Pontifex juxta Extravag. 1. et 2. de simon. Si tamen delictum non sit publicum,

nec ad forum contentiosum deductum, potest etiam absolvere Episcopus. *Trid.* sess. 24. c. 6. de reform. Possunt etiam Religiosi Mendicantes, ac cum iis participantes, sed nonnisi pro foro conscientiae, si simonia non sit pubblica. *Palao* de simon. punct. fin n. 2. Juxta *Reiffenst.* in L. 5. Decret. n. 334. nullus praeter Papam potest absolvere ab excommunicatione, suspensione, interdicto, vel aliis poenis, quae ob simoniam in susceptione, et collatione Ordinum incurruntur, etiamsi simonia sit occulta, ut probatur ex Bulla Sixti V. *Sanctum et salutare.* A simoniis aliis, v. gr. mentali, conventionali, et reali (exceptis supra dictis n. 488. 489. 490. et 492.) absolvere potest quivis Confessarius approbatus. *Herzig.* p. 2. n. 201.

2. Si beneficiatus invincibiliter ignoraverit, beneficium simplex simoniace a se fuisse obtentum dispensare potest Episcopus, ut illud, postquam libere resignavit, retineat, vel potius de novo acquirat, ut colligitur ex c. penult. *de Elect.* Si vero sit curatum, dignitas, vel Praelatura, non potest dispensante Episcopo illud retinere, nisi postquam collatum alteri, denuo vacaverit, ex supposito tamen, quod electio, vel collatio per sententiam fuerit reprobata. Vide *Reiffenst.* l. c. n. 337. Secus si necdum sit publice reprobata.

3. Si quis sciens vel consentiens beneficium simoniace obtinuerit, Episcopus nec pro foro interno nec externo dispensare potest, ut illud retineat, etiamsi simonia sit occulta. *Jansen.* n. 37. de sin.

4. Si simonia sit publica, ideoque necessaria dispensatio, pro foro externo recurrendum est ad Datariam Apostolicam, et supplicatio consignari supremo Datario: praeter causas impetrandi dispensationem (inter quas praecipue sunt scandalum in dimissione beneficii, et paupertas supplicantis) exprimendi sunt fructus ex beneficio percepti. *Reiffenst.* l. c. n. 343. Si vero simonia sit occulta, et consequenter dispensatio petenda sit pro foro interno, supplicare debet s. Poenitentiariae, inscribendo supplicam Cardinali summo Poenitentiario. Vide *Reiffenst.* ibid. num. 344.

494. *Princip. V.* Circa restitutionem rei simoniace acceptae observandum est. 1. Excepto beneficio *nihil spirituale simoniace* acceptum est restituendum; quia caetera vel non possunt restitui, vel non debent ante sententiam judicis, eoquod Canones tantum mandent restitutionem beneficii. Ita *Reiffenst.* de simon. n. 286. cum *Suar.* de simon. c. 59. a n. 28. contra alios.

2. Pretium temporale pro re mere spirituali, qua non habet annexum commodum temporale, ex jure naturali debet restitui ante sententiam judicis, nisi alter sponte remittat; quia res mere spirituales, v. g. Sacramenta, Consecratio, Benedictio non sunt pretio aestimabiles, nec vendibiles, et ministri Ecclesiae non sunt domini, sed ministri ejusmodi rerum: ergo pro his rebus non suis, non possunt juste accipere, et retinere pretium temporale. *Laym.* de simon. n. 79.

3. Si vendatur simoniace res non mere spiritualis, sed quae habet conjunctum jus, aut commodum temporale, v. g. calix consecratus, castrum, cui annexum est jus patronatus, h. e. jus nominandi, seu praesentandi aliquem instituendum ad beneficium Ecclesiasticum vacans, tunc pretium quod accipitur pro auro, vel argento, vel alia materia calicis, aut pro fundo, retineri potest. Vide *Suar.* de simon. c. 59. n. 42., *Laym.* l. c. n. 82. et 83. *Ratio* est, quia licet talis venditio simoniaca sit, injusta tamen non est, si temporale commodum, quod in alterius gratiam dimittitur, justo pretio compensetur.

4. Licet beneficium Ecclesiasticum non sit mere spirituale, sed conjunctum habeat commodum temporale, pretium tamen pro eo acceptum ex jure positivo debet restitui, juxta c. *de hoc* 11. de simon. At cui restituendum? R. Juxta communiorem restituendum est, non danti, sed Ecclesiae illi, in cujus injuriam simonia commissa, sive in qua est beneficium simoniace collatum. Ita *S. Th.* 2. 2. q. 62. a. 5. ad 2. et q. 100. a. 6 ad 4. *Suar.* de simon. c. 60.

n. 8. probat ex cit. c. *de loc.* Juxta alios licet dare pauperibus, ubi consuetudo, viget, ut ait *Laym.* l. c. n. 82. Denique quidam probabiliter defendunt cum *Sa* V. Simonia, ante judicis sententiam restituendum esse ei, qui dedit, eo quod nulla lex ecclesiastica diserte praecipiat, Ecclesiae restituendum esse ante sententiam. Vide *Laym.* l. c. Si vero pactum rescissum sit ante collationem beneficii, debet pretium restitui illi, qui dedit, quia ob simoniam non completam poenas non incurrit: ergo nec privandus est suo pretio. Quod autem contra justitiam agat, qui non gratis confert beneficium ecclesiasticum, etsi conferens illud, pecunia interveniente, non exigat illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod alteri conferre non tenebatur, patet ex propos. 22. damnata ab *Alex. VII.* Unde recte infert *Suar.* l. 4. de simon. c. 59. quod beneficia sic conferens simoniace agat, quia beneficium revera vendit, etsi id se vendere non dicat. Vide *Viva* hic n. 5.

§. III. *Resolvuntur Casus*

Casus I.

Bartholomaeus Curatus ad urgendam admissionem Barbarae neptis suae ad Parthenonem offert Priorissae pinguem summam pecuniae, insuper monialibus senioribus praebet varia munuscula, ut Barbarae faveant, quae vicissim eam adhuc magis alliciunt ad suum monasterium variis munusculis. Bartholomaeus interim ut paratam habeat promissam pecuniam, jura stolae accuratissime, imo a ditioribus pro sepultura, pro Missis legendis et caeteris sacris functionibus plus solito exigit.

495. *Q.* I. An Bartholomaeus simoniam commiserit offerendo pecuniam pro admissione ad ordinem Religiosum. R. *Affirmative*, per se loquendo, si se obligaverit ad dandam pecuniam pro ipsa admissione vel ingressu religionis, quia haec esset commutatio Religionis, quae est res sacra, cum re temporali. Patet ex c. *non satis* 8. h. t. Si vero sine obligatione, ac sponte pecuniam obtulerit non peccavit. *Laym.* n. 70. de sim. Nec est simonia, dum Superiores vel Priorissae aliquid exigunt titulo dotis vel sustentationis, aut pro oneribus temporalibus sustinendis a domo Religiosa in gratiam supplicantis, ubi concessit Clemens VII. et Innocentius VIII. declaravit, teste *Tamb.* de jur. Abbatiss. d. 5. q. 2. et 3., quod moniales in receptione ingredientium non committant simoniam, nisi paciscendo, vel exigendo temporale pro ipso ingressu, vel recipiendo inhabilem, spe habendi temporalia. Addit *Pellizarius* t. 10. c. 3. n. 401. in religione considerandum esse statum Religionis, et onus alendi susceptum, sicut igitur de dote pro sponsa terreni sponsi quamvis divitis ob onera matrimonii pacisci licet, sic etiam de dote pro sponsa Christi. *Reiffenst.* l. c. n. 163. Idem sentit de monasteriis non sufficienter fundatis: at n. 172. id absolute negat de monasteriis sive virorum sive mulierum opulentis vel habentibus sufficientes redditus pro honesta sustentatione, cui sententiae favent canones, et graves rationes: sola vero repugnat consuetudo, et benigna (saepius laxa) canonum interpretatio; addunt et alii prudentem excusationem, quod iniquis hisce temporibus valde minuantur primae fundationes, unde ne peritus corruant alinnde succurrendum est. Attendant autem Superiores, et Superiorissae, an et quando divitiae sint causa tantum impulsiva, an vero motiva et principalis admittendi Baudelium potius, quam Bassianum, Bibianam prae Barbara.

496. *Q.* II. An Bartholomaeus simoniace egerit dando munuscula monialibus. R. *Negative*; quia videtur tantum eas voluisse reddere benevolas nepti suae, non vero obligare simoniace. Multo minus peccarunt moniales munusculis magis alliciendo Barbaram, quia hoc non est velle obligare ad rem spiritualem pro temporali.

497. *Q.* III. An Bartholomaeus peccaverit quoad *secundum*. R. Exigendo jura stolae, quae vel jure ecclesiastico, vel consuetudine dioecesana, aut legitime praescripta parochiani dare debent, non peccavit, nisi forte cum scandalo exegerit violenter a pauperibus, vel si absolute prius noluerit baptizare, sepelire etc. quam solvantur jura. Vide c. *in tantum* 36., c. *audivimus* 41. h. t. Quando plus pro sacris functionibus exegit, quam consuetudine, aut Episcopi approbatione taxatum fuit, simoniam commisit, item si exegisset pro iis functionibus sacris, pro quibus juxta consuetudinem et Ordinarii voluntatem nihil solet dari, quia in iis casibus defuisset omnis justus titulus exigendi temporale. Vide *Reiffenst.* l. c. n. 194. et 196. et seq.

498. *Q.* IV. Quibus titulis licitum sit dare, aut accipere aliquid pro functionibus sacris, v. g. pro sacrificio missae, precibus, concione, administratione Sacramentorum, et aliis. R. 1. Pro *labore* functioni sacrae *intrinseco*, et sine quo ministerium sacrum absolute fieri non potest, v. g. pro verborum pronuntiatione, oblatione panis et vini etc. in sacrificio missae, simoniacum est aliquid dare, vel exigere: quia hic labor intrinsecus ab ipsa actione sacra non distinguitur, sed cum ipsa unum opus efficit, ac totus sacer est. De hoc vide can. *si quis objecerit* 7. caus. 1. q. 3. Licitum vero est acceptare et exigere temporale pro *labore functioni sacrae extrinseco*, et per accidens tantum conjuncto, scil. sine quo ministerium sive functio spiritualis in se adhuc fieri potest: sic absque simonia, et licite exigitur aliquid pro itinere, quod Sacerdos deberet conficere ad legendum in loco distante Sacrum, item pro extraordinaria incommoditate, damno emergente, aut alio licito lucro cessante, dummodo plus non exigatur, quam juxta prudentum aestimationem talis labor extrinsecus. NB. *aliunde non debitus* valet. *Ratio* est, quia hoc ipso, quod hic labor per accidens tantum conjunctus sit cum re spirituali, v. g. cantus cum Missa, non perdit per hanc conjunctionem valorem suum, quem ex se habet tanquam quid temporale: ergo etiam pro eo potest exigi aliud temporale. Vide *Reiffenst.* l. c. n. 305. R. 2. Licet aliquid dare vel acceptare gratis sine ullo pacto explicito vel implicito. R. 3. Licet pro functionibus sacris dare vel recipere aliquid temporale titulo stipendii h. e. justae et congruae sustentationis: quia hoc sensu pretium temporale non datur, ut commensuraturum functioni sacra, sed tantum ut quid jure divino, et naturali debitum personae ministranti spiritualia, ad necessariam et honestam illius sustentationem: *Dignus est enim operarius mercede sua.* Luc. 10. Item: *Qui altari deserviunt, cum altari participant.* 1. Cor. 9. 19. Vide can. *ex his* 22. caus. 12. q. 1.

Casus II.

Bachides se accusat in genere, quod commiserit simoniam. Quaerit Confessarius: In quo genere? respondet confitens, quod non sit necesse ulterius quaerere, eo quod habeat causam excusantem a simonia, seque accusarit tantum ex scrupulo, quem extra confessionem promittit proxime se explicaturum, ac proinde pergit alia peccata exponere.

499. *Q.* I. Quid agendum Confessario, si poenitens in genere suo se accuset de simonia: item an Confessarius debuerit acquiescere excusationi Bachidis. R. *Ad* 1. inquirendum, qualis fuerit simonia ut agnoscatur an vere, et qua specie simoniae deliquerit, item an incurrerit poenas simoniae, a quibus forte absolvere nequit, potissimum an simoniacus ad restitutionem urgendus sit. Ita *Herzig p.* 2. n. 194. R. *Ad* 2. Confessarius in hoc casu prudenter potuit praesumere, quod poenitens rerum intelligens sit, praesertim cum ultro se obtulerit ad rem melius explicandam alio tempore.

500. *Q.* II. Quaenam sint causae vel tituli excusantes a simonia. R. cum *Reiffenst.*. *Primus* titulus excusans est, si temporale pro spirituali, aut e contra omnino gratis sine ullo explicito vel implicito pacto, imo nequidem mo-

tivo detur. Sufficit autem ad simoniam contractus saltem ex una parte intentus: ut patet in Simone Mago, qui obtulit quidem pecuniam pro dono Spiritus S., S. Petrus vero non acceptavit. Vide dicta n. 486.

2. Si post acceptum spirituale detur temporale ex sola gratitudine, tanquam merum donum antidorale. Vide can. *quidquid* c. 1. q. 1. et c. *Dilectus* 30. de sim. Exceptis tamen iis, ob quae jam accepta etiam gratis aliquid acceptare jura specialiter prohibent; sic *Trid.* sess. 24. de reform. c. 18. prohibet, ne examinatores venientium ad concursum pro parochia ante vel post etiam gratis oblata recipiant: idem sess. 21. de reform. prohibet, ne gratis oblata recipiantur pro collatione Ordinum.

2. Si ministris Ecclesiae per modum stipendii ad honestam sustentationem pro sacris functionibus, missis, sepulturis etc., temporale detur, ubi bene notandae sunt propositiones ab *Alex. VII.* damnatae, scil. 8. 9. et 10. de quibus plura in P. II.

4. Titulus est ignorantia invincibilis, non vero crassa, supina vel affectata. Recte hic notat *Reiffenst.* n. 304. Num autem quis revera habeat ignorantiam invincibilem, cujusvis conscientiae relinquitur. Illi, quod sibi timeant certo habent, qui de simonia nec audire, nec legere aliquid volunt, nolentes intelligere, ut bene agant, vel qui legunt quidem, aut ab intelligentibus rem audiunt, tamen statim excutiunt, aut parum curando rident et contemnunt.

5. Est labor extrinsecus, ut dictum n. 498.... 6. Est redemptio vexationis injustae.

501. *Q.* III. Quando a simonia excuset redemptio vexationis. R. 1. *Non est simonia pretio temporali redimere injustam vexationem circa jus jam acquisitum*, sive quod quis jam habet in re *S. Th.* 2. 2. q. 100. ad 5., *Palao* de sim. p. 20. *n.* 1., *Pyrrhing.* h. t. n. 105. Sic potes dare pecuniam Principi acatholico, ne te impediat ab usu parochiae, vel alterius beneficii a te jam plene obtenti: item alteri, ne injuste te diffamet, accuset, vel talia proponat ob quae beneficio, quod actu licite et valide possides privari possis. *Ratio* est, quia hoc modo non datur temporale pro jure spirituali, utpote quod jam juste acquisitum supponitur, sed pro tollenda, vel impedienda injuria, quae censetur esse quid temporale. Secus *si justa sit vexatio*, v. g. si quis te accuset ob delictum, propter quod beneficium est auferibile, simonia est pretio hanc vexationem redimere, quia jus tuum tunc non est firmum: ergo redimendo vexationem pretio emis jus firmum quod est quid spirituale. *Jansen.* de simon. n. 32.

502. R. 2. *Si in jure acquirendo injuste vexeris ab iis, qui prodesse, sive jus illud concedere possunt, simoniam committis, iis dando aliquid temporale eo fine, ut a vexatione desistant. Suar.* de sim. c. 50. n. 18. et 27. ex c. *Matthaeus* 23. h. t. *Ratio* est, quia dum quis alteri dat temporale, ne votum, confirmationem, collationem, institutionem injuste deneget, hoc ipso dat temporale, ut spirituale sibi conferat; injusta enim negatio voti, confirmationis etc. non tollitur, nisi concessione voti, confirmationis etc., ergo hoc ipso, quod intendas, dato pretio alios obligare, ut desistant negare votum etc. simul intendis eos obligare, ut illud tibi concedant: ergo vere emis spirituale. E contra si jam institutus aut confirmatus es, et sola possessio tibi injuste negetur, vel impediatur, hanc vexationem pecunia redimere licebit; possessio enim non est spiritualis, nisi ratione tituli vel juris, cui annexa est; ergo cum jus vel titulus juste jam acquisitus sit, temporale non datur pro spirituali, sed tantum pro impedimento injusto possessionis. Eodem modo loquere de aliis materiis distinctis a beneficiis; sic excusatur a simonia qui Curato nolenti baptizare, sepelire etc. priusquam hoc vel illud pretium solvatur, aliquid dat in casu necessitatis, quia hoc non expendit tanquam pretium actionis sacrae, sed tanquam medium ad satiandam Curati avaritiam, et redimendam injustam vexationem. *Suar.* loc. cit.

503. R. 3. *Non est simonia etiam circa jus beneficii acquirendum, injustam vexationem pretio redimere ab iis, qui obesse, possunt, non autem prodesse, sive conferre ad obtinendum beneficium;* v. g. si quis per diffamationem electores, vel collatorem impediat, quo minus te eligant, potes dare pretium ut cesset a diffamatione, vi, vel fraude etc. quia hoc est tantum redimere famam, et tollere vim aut fraudem, qua sublata electoribus, et collatoribus adhuc liberum est eligere, quem volunt. *Suarez* de sim. c. 50. n. 23.

Compendium Resolutionum.

504. I. Non committit simoniam 1. Qui ss. Reliquias cum ss. Reliquiis permutat, quia sic non datur temporale pro spirituali. Idem est de aliis rebus sacris exceptis beneficiis Ecclesiasticis, quorum permutatio propria auctoritate facienda, prohibita est ab Ecclesia, ut supra dictum. 2. Qui vendit ceram benedictam, ss. Reliquias pretiosis capsulis inclusas, rosaria indulgentias habentia; quia haec non venduntur secundum rationem rei sacrae, sed secundam materiam et pretium. Secus si propterea majori pretio venderentur ista, quia annexam habent rationem rei sacrae. Si calices, sacrae vestes etc. laicis vendantur, quia ea ad nullos sacros usus adhibere possunt, prius dissolvenda sunt, ut sic amittant consecrationem vel benedictionem. 3. Sacram sepulturam emere aut vendere simoniacum est, c. *audivimus* 41. de sim. Secus si quid detur praecise pro honoratiore loco sepulturae, item pro scamno commodiore in templo. Vide *Burgh.* cent. 3. cas. 12. Praesertim hoc excusatur a simonia, si ex diuturna consuetudine id, quod datur, impendatur ad conservandam Ecclesiae fabricam.

505. II. Per se loquendo simoniacum est 1. exigere aliquid temporale pro dispensationibus in impedimentis matrimonii, votorum etc., quia dispensatio est actus spiritualis tum ratione principii sive potestatis spiritualis, tum ratione finis scil. salutis animarum; idem est de absolutione a peccatis, vel censuris, de concessione indulgentiarum, aliisque actibus jurisdictionis spiritualis. Hinc tantum per accidens in sustentationem officialium, et pro aliis piis usibus ac necessitatibus Ecclesia sublevandis sabinde exigitur aliquid pro ejusmodi actibus, frequenter etiam in poenam delicti praecedentis, v. g. irregularitatis ex voluntario homicidio, in dispensatione circa impedimentum ex copula fornicaria ortum etc. 2. Remanente penes Ecclesiam jure decimandi directo, vendi potest jus utile, sive ipsa perceptio fructuum, si hoc vel auctoritate Papae, vel consuetudine diuturna a jure directo separatum sit, qua ratione etiam laicis id non raro competit. *Laym.* l. 4. t. 6. c. 6.

506. III. *La Croix* l. 3. p. 2. n. 1096. cum *Rodriq., Bonaespei Diana* excusat a simonia, et peccato lusores, quorum unus in ludo exponit pretium temporale, v. g. capitellum, alter vero missam, eoquod hac ratione res spiritualis non aequiparetur temporali, sicut non aequiparatur, quando missa legitur pro stipendio; sed tantum offertur executio rei spiritualis loco temporalis alioquin tradendae. Item sicut licitum est alicui offerre 100. missas pro eo legendas, ut remittat debitum 100. florenorum. Contrarium tenet *Lugo.* Raro etiam talis lusus caret gravi scandalo, ac proinde semper dissuadendus.

507. IV. Committit simoniam, qui emit titulum ordinationis jam constitutum, v. g. onus aliquot missarum, cui annexum est stipendium honestae sustentationis, quia hic titulus jam constitutus est quid spirituale, jus enim ad illos fructus, quod hic emitur, est annexum antecedenter spirituali; ergo vendi non potest. Econtra simonia non est, emere ex alterius praedio censum annuum, v. g. 100. imperialium, aut emere mensam apud Praelatum, vel Nobilem, propter quem censum, vel mensam postea quis petit ordinari; quia ejusmodi census vel jus mensae sunt quid mere temporale nulli spirituali an-

nexum, antequam ab Episcopo in titulum ordinationis assumantur. *La Croix* de sim. n. 151., *Jansen.* de sim. n. 30. Caeterum constat ex consuetudine, quod liceat solvere victum, et vestitum in seminariis sufficienti fundatione destitutis, in ordine ad suscipiendum clericatum: secus si pretium pro victu certo sciatur non impendi in bonum seminarii; sed in usum privatorum.

508. V. Simonia confidentialis potissimum 4. hisce pactis innititur. 1. *Cum reservatione accessus*, h. e. si quis resignet alteri beneficium sub conditione, ut vel procuranti, vel alteri determinato liber accessus suo tempore ad istud beneficium pateat, intellige, si hoc fiat propria auctoritate, et absque consensu Pontificis. 2. *Cum reservatione ingressus*, ita ut officium, quod quis obtinuit, at necdum ejus possessionem adiit, cedat alteri cum pacto, ut vel post mortem cessionarii, vel post ejus resignationem, beneficii illius possessionem capiat. 3. *Cum reservatione regressus*, dum quis beneficium, cujus possessionem jam adiit, cum pacto cedit alteri, ut post mortem cessionarii vel resignationem liceat ad illud regredi. 4. Si certae beneficii pensiones aut procuranti, aut alteri dandae reserventur. *La Croix* de sim. n. 64.

CAPUT II. *De secundo praecepto Decalogi.*

Non assumes Nomen Domini Dei tui in vanum. Exodi 20. v. 7.

Prohibetur hoc praecepto omnis irriverentia in sanctissimum Dei nomen, quae potissimum committitur per blasphemiam, per illicitum juramentum, et per violationem votorum. Praecipitur autem laus et honor Dei absolute; conditionate, si jurandum per nomen Dei, ut id fiat rationabiliter et reverenter; item si quid juratum, Deoque promissum sit, id religiose praestetur. Quatuor modis potissimum honorari potest sanctum Dei nomen. 1. Illud cum reverentia pronunciando. 2. Invocande et laudando. 3. Vovendo et promittendo. 4. Per illud justis de causis jurando. De vitiis oppositis mox agemus.

ARTICULUS I. *De Blasphemia*

§. I. *Principia generalia de Blasphemia.*

509. *Princ.* I. *Blasphemia* (directe opposita laudi Dei) communiter dicitur *Verbum contumeliae adversus Deum*; sive contumelia in Deum vel mente, verbo, vel opere facta. Haec quidem praecipue consistit in verbis irreverentibus, injuriosis, et divinum honorem laedentibus; committi tamen etiam potest facto, v. gr. si Deus opere vel signo contumeliose vilipendatur, expuendo in coelum, calcando crucifixum etc. Porro sicut Deus sola mente laudari potest, ita et blasphemari solum interne; hinc juxta *S. Th.* 2. 2. q. 13. a. 1. Blasphemia 1. alia est cordis, alia oris, utraque tamen essentialiter non distincta juxta *Laym.* L. 4. t. 10. c. 6. n. 2... 2. Blasphemia alia est *directa*, quae Deum in se ipso inhonorat, ideoque Deum ipsum directe aggreditur ex intentione Deum inhonorandi, haec vocatur etiam *diabolica.* Alia *indirecta*, quando quis advertenter loquitur verba, quae ex propria significatione, modo proferendi, et aliis circumstantiis continent imminutionem divini honoris, quamvis homo eam non intendat; ut si quis contemptim irrisorie, aut modo detestativo loquatur contra Sanctos, Sacramenta, cultum Dei etc. Item si quis contumelias fundat in Sacramenta, sanguinem, vulnera, et mortem Christi, res sacras etc. si proferatur cum advertentia ad contemptum, quem verba continent, etiamsi expressa et directa maledicendi intentio absit. 3. Blaphemia alia est *haereticalis*, quae continet haeresin, eo quod per eam de Deo aliquid negetur, quod illi proprium est,

vel aliquid tribuatur, quod ei non convenit, v. g. si deliberate diceres, Deum esse injustum, tyrannum, auctorem peccati etc. Talis blasphemia esset reservata in Bulla Coenae. Alia *imprecatoria*; qua quis Deo malum imprecatur, v. g. si quis dicat: Pereat Deus, peccata hominis nesciat, approbet etc. Alia *simpliciter dehonestativa*: quando quis de Deo quidem vera, sed irreverenter, per contemptum, ex ira vel odio Dei dicit; talem blasphemiam cum vita evomuisse legitur *Julianus* Apostata dicendo: *vicisti Galilaee! vicisti!* Huc denique reducitur illa blasphemia, qua aliquid tribuitur creaturis, quod Deo convenit, v. g. si quis diceret: Daemon est Deo fidelior etc. Hoc modo etiam juxta *Babenst.* t. 5. d. 3. a. 1. n. 3. peccant lascivi, qui suas meretrices vocant Deas, omne bonum suum etc. Vide *P. Stoz* L. 1. p. 3. a n. 170.

510. *Princ. II. Blasphemia ex genere suo est peccatum mortale.* Ita *S. Th.* l. c. a. 2. in corp. Colligitur etiam ex gravitate poenae juxta illud Lev. 24. 16. *Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur: lapidibus eum obruet omnis multitudo populi. Ratio* est, quia omnis blasphemia directa infinitam Dei majestatem positive dehonorat: ergo ex se est gravis injuria et contemptus Dei, ita ut nec excusetur a gravi peccato ob levitatem materiae.

Indirecta autem cum redundet in Deum, ex genere suo aeque est peccatum grave: ideo *S. Th.* l. c. a. 1. ad 2. ait: *Sicut Deus in Sanctis suis laudatur, in quantum laudantur opera, quae Deus in Sanctis efficit;* ita et blasphemia, quae fit *in Sanctos, ex consequenti in Deum redundat.* Itaque blasphemia veniale peccatum fieri nequit, nisi ex defectu requisitae advertentiae et deliberationis *Th. Sanchez L.* 3. Mor. c. 32. n. 40., *Burgh.* Cent. 3. cas. 49. Porro juxta communam blasphemia haereticalis specie distinguitur a simplici, quia illa simul opponitur fidei, haec autem tantum Religioni. Juxta *Sanch.* l. c. n. 38. blasphemia simplex in Deum, et Sanctos non differunt specie, quia utraque contraria est eidem virtuti Religionis. Contrarium tenet *Azor* ex eo, quod sicut cultus latriae, et duliae differunt, ita etiam blasphemia in Deum specie differat a blasphemia in Sanctos. Probabilitas utriusque sententiae subinde deservire poterit Confessario quoad poenitentes hanc diversitatem ultro non exprimentes. *Reiff.* in Theol. moral. t. 5. dist. 3. n. 64.

§. II. *Resolvuntur Casus.*

Casus I.

Burgundofora se accusat, quod Deum et B. Virginem saepe blasphemaverit. Quaerit Confessarius, quo modo? reponit illa, quod ad obvia quaeque Ss. Jesu et Mariae nomina pronunciarit. Item quod alias ex consuetudine nomen daemonis dixerit.

511. *Q.* I. An sit peccatum blasphemiae, ad res obvias identidem proferre Ss. Jesu et Mariae nomina. R. *Negative;* quia non est dictum contumeliosum in Deum, sed vana usurpatio divini nominis, adeoque, si absit formalis contemptus, tantum peccavit Burgundofora venialiter peccato irreverentiae; quia sanctum et terribile Dei nomen velut quid profanum usurpavit, non tamen cum gravi irreverentia.

512. *Q.* II. Quaenam assumptio divini nominis censeatur licita, quaenam illicita. R. 1. Assumptio licita est, si fiat cum *reverentia* et *veritate.* Cum *reverentia* assumitur in contestationem affectus nostri. 1. Quando pronuntiando sanctum Dei nomen coram hominibus confitemur, ipsum esse Dominum supremum. 2. In contestationem fiduciae nostrae erga Deum, invocando Deum in necessitatibus nostris, id quod subinde contingit ex affectu since-

ro in subito terrore etiam non deliberate. 3. In contestationem amoris nostri erga Deum, uti saepius subito pii erumpunt cum S. Francisco in illa verba: *Deus meus et omnia.* 4. In contestationem nostrae devotionis erga Deum. Cum *veritate* assumitur, quando invocato divino nomine aliquid juramus vel promittimus, de quo in artic. seq.

513. R. 2. *Assumptio illicita est* 1. Quando quis sanctissimum Dei, et Sanctorum nomina profert ex *nullo fine*, absque omni affectu reverentiae, ex mera loquacitate, et prava consuetudine. 2. *Ex fine prorsus inutili*, dum nulla est ratio necessitatis, utilitatis, aut congruitatis: sic errant illi, qui ad singulos fere sensus dicunt: *Bey Gott*, per Deum: *Weist Gott*, scit Deus: *Straff mich Gott*, puniat me Deus. Plerumque haec fiunt indeliberate, ideoque etiam raro sunt peccata mortalia. 3. Graviter vero peccatur si perverso fine proferatur sanctum Dei nomen in contestationem pravi affectus vel contra fidem, vel ex desperatione, vel ex odio Dei, vel ad confirmationem falsitatis in juramentis. Vide *Sporer* in expl. 2. praecepti.

514. *Q.* III. An Burgundofora graviter peccaverit pronuntiando ex consuetudine nomen daemonis. R. Si id factum sine imprecatione, et gravi scandalo, peccavit venialiter, quia saltem est contra decentiam Christiani nominis hostem tam frequenter nominare: non vero graviter, quia talis pronunciatio ordinarie non fit ex aliquo affectu erga daemonem, sed potius ad horrorem animi manifestandum. Personas tamen sacras magis dedecet frequens pronunciatio daemonis, quia raro abest scandalum.

Casus II.

Blasius auriga in genere se accusat, quod blasphemaverit. Quaesitus, quomodo? respondet: Cum equi lentius procederent, mox erupi in sequentes blasphemias: Vah mille Sacramenta! Ihr Sacraments--Bestien, *vos bestiae sacramenti*: tausend Sacrament, *mille Sacramenta*: Mord--hell--Jesuiter--Capuciner--Sacrament etc. *mortalia, pura, Jesuitarum, Capucinorum Sacramenta etc. At volui tantum hisce verbis excitare equos.*

515. *Q.* I. Quid agendum Confessario, si poenitens in genere se accuset: Ego blasphemavi. R. Attendat 1. An verba prolata vere sint in se blasphema; frequenter enim inter se confunduntur imprecationes, maledicta, juramenta, et blasphemiae. Sic rudis aliquando de verbis blasphemis quaesitus respondit: Blasphemavi, quia vocavi sororem meam *Eine filzlaus*, sordida cimex. Praesertim quaerat Confessarius, an Sacramenta tantum simpliciter, vel cum addita majori expressione irreverenti fuerint pronuntiata. 2. An, si vere sint blasphema, prolata sint ex intentione Deum inhonorandi, vel ex alio maligno in Deum affectu, aut saltem cum advertentia blasphemiae; sic enim graviter peccasset. An prolata quidem fuerint sine advertentia, et ex consuetudine. Ad hunc casum respondet *Pontas* V. blasphemia cas. 2. sub fin. Si quis blasphemias proferre assuetus, horrendum hunc habitum eradicare non serio contendat, tot admittit mortalia, quot profert blasphema verba: at si pravam consuetudinem in melius emendare laboret, ex indeliberatis blasphemiis non fit reus peccati saltem mortalis. *Ratio* est, quia nisi serio velit deponere consuetudinem, haec erit causa voluntaria blasphemiarum etiam indeliberatarum: ergo et hae censentur esse effectus in causa voluntarii. Vide *S. Th.* 1. 2. q. 77. a 7 in corp.

516. *Q.* II. An valeat excusatio Blasii, ita ut non censendus sit peccasse mortaliter. R. *Negative.* Juxta regulam *Laymanni* l. c. n. 12. et *Sporer* t. 2. in prim. praecept. c. 10. n. 24. si poenitens dicat, quod affectum indignationis nullo modo extendere voluerit adversus Deum, sed adversus hominem vel jumentum, nihilominus attendendum est ad verba, quibus homo usus est; si enim talia vel tali modo prolata sint, ut enormem contu-

meliam Dei aut Sacramentorum ex se significent, v. g. *ganz Vollen galleen Sacrament*, ab imo ad summum triremes Sacramentorum plenae, et similia, excusandus non est a gravi peccato, nisi ex defectu omnis advertentiae et voluntarii, nec talis debet absolvi (ut ait *Sporer* l. c.) nisi concepto firmo proposito. Si vero verba non contineant adeo enormem contumeliam Dei, vel Sacramentorum, v. g. simpliciter nominando Sacramenta, Crucem etc. a peccato mortali, non tamen veniali excusari poterit; monendus insuper est, ut serio studeat sub gravi obligatione deponere consuetudinem ob periculum blasphemiae formalis. Ex his eruitur Blasium per ultima verba peccasse mortaliter venialiter vero simpliciter pronuntiando Sacramenta.

517. Pro aliis casibus resolvendis *observa* I. Non peccat graviter per se loquendo, qui dimidiat, vel immutat verba sacra, v. g. dicendo loco *Sacrament, Saperment, Salament* etc., quia sic evitatur pronuntiatio rei sacrae irreverens, et ad significandam iram, vel admirationem adhibetur vox non significativa. Dixi, *per se;* si enim audientes non intelligerent illam mutationem, adhuc posset subesse scandalum. *Tambur., Gobat, La Croix* hic n. 252.

518. II. Si poenitens dicat: indignatus sum propter tempestatem: saepe sensus est, quod indignatio fuerit in Deum, ut illius causam, sic graviter peccasset; si vero in solam tempestatem, nonnisi veniale peccatum foret.

519. III. Qui ex impatientia dicit: Videtur Deus mei plane oblitus esse: immerito tam multa patior a Deo, maledicta sit dies in qua natus sum etc.: si per *primum* deliberate significare vellet, Deo inscio, haec sibi mala obvenire, esset blasphemia haereticalis. Plerumque autem hic sensus non intenditur, sed ex inconsiderantia talis querela modo loquendi humano ex gravitate doloris vel pusillanimitate profertur. Quoad *secundum* blasphemiae peccatum committeretur, si deliberate ista dicerentur, sensus enim est: Deus injuste me punit immittendo hoc malum. Quoad *tertium;* si indignatio vel maledictio diei non tendat in Deum, sed praecise in diem, non est blasphemia: sic *Job* maledixit diei nativitatis suae propter culpam originalem, quam nascendo contraxit, et propter sequentes poenalitates. Ita *s. Th.* 2. 2. q. 76. a. 2. ubi addit hanc regulam generalem: *Maledicere rebus irrationalibus, in quantum sunt creaturae Dei est peccatum blasphemiae: maledicere autem eis secundum se consideratis est otiosum et vanum, et per consequens illicitum.*

520. IV. Varias blasphemandi formulas Germanis usitatas *Sporer* hic n. 18 cum *Gobat* ita explicat: 1. *Potz Herr gott*, papae Domine Deus: *Potz Hundert Herr gott*, papae centum Domine Deus. Primum non sonat blasphemiam, quia illud *Potz* est tantum signum admirationis; est tamen talis loquela irreligiositas venialis: alterum, si proferatur eo sensu, quem verba praeseferunt, esset blasphemum, quia serio affirmaretur, centum esse Deos: plerumque autem non attenditur ad significationem, sed verba mere materialiter tanquam signum admirationis pronuntiantur; hoc modo tantum peccatur venialiter. Desistendum tamen est ab hisce formulis loquendi.

2. *Gotts Sacrament, gotts Creux, gotts Wunden, gotts Leiden, gotts Blut,* Sacramenta Dei, Crux Dei, vulnera Dei, Passio Dei, Sanguis Dei, et similia proprie quidem non sunt blasphemiae, sed irreligiositates contra reverentiam divini nominis, ex se quidem venialiter peccaminosae, juxta *Sporer* l. c. cum *Cajet., Sanch., Laym:* saepe tamen gravia peccata ob periculum blasphemandi formaliter, et ob scandalum. Juxta *Suar.* et alios ex se sunt peccata mortalia; cujus sententia respectu eorum vera est, qui ista tanquam levia contemnunt, cum ordinarie gravissimum scandalum conjunctum sit.

3. *Dass dich gott schande,* infamet te Deus: *dass dich gotts Sacrament, Blut Christsam schande,* te Sacramenta Dei, te Christi sanguis infamet.

Hae formulae per se sunt formales blasphemiae et gravia peccata ex genere suo, quia graviter laedunt honorem divinum in se, et in Sacramentis; passio, sanguis Christi non sunt ordinata ad perdendum, sed ad salvandum.

4. *Bluts Donner, strahl, Stern, Sacrament*, sanguinis tonitru, radius stella, sacramentum, et ejusmodi impiae loquelae facile non possunt excusari a gravi peccato; praeterquam enim quod cedant in gravem contemptum Sacramentorum, gravissime simul omnium piorum aures offendunt. Multo minus a gravi blasphemia excusandae sunt sequentes absurdissimae formulae ob nimis contemptibilem combinationem, v. g. *Du Sacraments Hur*, tu Sacramenti fornicator: *du Sacraments Schelm*, tu sceleste Sacramenti etc. de his specialiter consule *P. Gobat* in Alphabeto quadruplici P. 3. de blasph.

521. V. remedia adversus blasphemias sunt duplici generis: alia pro castigandis praeteritis noxis; inter haec praeter consueta scil. orationem, jejunium, eleemosynas etc. utiliter injungetur, ut toties, quoties poenitens blasphemavit, ad pedes Crucifixi precetur veniam, eliciendo affectum, v. g. Laudetur sanctissimum Sacramentum, laudetur Deus, Gloria Patri... vel ex his affectibus rosarium sibi concinnet per aliquod tempus quotidie recitandum. Ita *P. Herzig* p. 2. n. 213.

Alia media sunt ad impediendas futuras blasphemias. 1. Ponatur ante oculos malitia blasphemiae; hoc enim vitium diabolo et damnatis proprium est juxta illud *Apoc.* 13. 6. *Et aperuit os suum* (draco infernalis) *in blasphemias ad Deum, blasphemare nomen ejus.* Hinc linguae blasphemorum a *s. Chrysost.* recte vocantur vehicola diaboli, blasphemiae autem canini et stygii latratus. Vide *P. Drexelii Phaet.* c. 6. §. 5. *s. Hier.* ait, *nihil horribilius esse blasphemia, quae ponit in excelsum os suum.* 2. Proponat Confessarius poenas gravissimas blasphemis statutas tum a Deo, tum a magistratu civili: *Maledicti erunt qui contempserint te, et condemnati erunt omnes, qui blasphemaverint te.* Tob. 13. 16. Argentoratensis magistratus anno 1569. uni e praesidiariis militibus suis, eo quod blasphemasset, linguam per cervicem extrahi jussit. Vide *Paedagog. Christ.* p. 1. c. 5. §. 2. Si ullum vitium certe blasphemiam ferro et igne magistratus civilis persequi teneretur, *quia per hanc non creata res, ut fit in furto, homicidio etc. sed ipsa Dei majestas in se ipsa laeditur*, ait *S. Ephrem.* 3. Ostendat, quod per blasphemias non minor irreverentia irrogetur Ss. Sacramentis, et Sanguini Christi, quam si pedibus conculcarentur, quae tamen sola sunt media solvendi debita nostra, et miseriam aeternam avertendi. 4. Denique credant blasphemi, certius reprobationis et infelicitatis futurae signum non esse, quam consuetudinem blasphemandi; quemadmodum enim filii Dei divinis laudibus assueti eos psalmos addiscunt in terris, quos cantabunt in coelis; ita filii diaboli ea cantica (blasphemias) discunt in mundo, quae cantabunt in inferno, ait *Peraldus.*

ARTICULUS II. *De Juramento.*

§. I. *Quid, et quotuplex sit Juramentum.*

522. *Q.* I. Quid sit Juramentum. R. Juramentum est *invocatio divini nominis in testimontum alicujus rei S. Th.* 2. 2. q. 89. a. 1. cum *S. Aug.* Alias etiam appellatur *Sacramentum*, quia est sacra quaedam, et religiosa invocatio divini testimonii ad fidem dictis, vel promissis faciendam. Unde ad juramentum essentialites requiritur, ut fiat per Deum vel *directe et expresse*, quando ad ipsum Deum testem immmediate recurritur, quod praecipue ab intentione jurantis pendet, et ex forma jurandi, v. g. Juro per Deum, Deus sit testis, veritatem dico in Christo Jesu. *Rom.* 9. Item quoties veritas fidei adducitur ad confirmandum dictum, v. g. quam vere Deus vivit, et illud olim usitatum: Vivit Dominus: *So War Gott im Himmel ist*, quam verum est

Deum in coelis esse: *So War Gott Mensch Worden ist etc.* quam verum est Deum hominem factum fuisse etc. Per quas formulas non intenditur omnimoda comparatio inter nostram et divinam veritatem, hoc enim esset blasphemum, sed tantum aliqualis secundum modum confirmandi firmissimum. Vel *tacite* et *indirecte*, quando juratur per creaturas, non absolute sed relative ad Deum spectatas, quatenus in iis specialiter elucet Dei bonitas, majestas, sapientia. Ita Moyses juravit Deut. 4. *Testes invoco coelum et terram.* h. e. testem invoco Deum, qui sua potentia creavit coelum et terram. Simili modo jurari solet per crucem cum ordine ad Christum, qui pro nostra salute in cruce mortuus est: ita per sancta Evangelia juxta *Laym.* L. 4. t. 3. c. 1. n. 6. Juramentum eo decentius est per creaturam, qua haec nobilior est, in qua divina vis clarius resplendeat, adeo ut si quis creaturam ignobilem in testimonium dicti sui adfert, v. g. juro per has paleas, censeri debeat jocosum seu illusorium.

523. Q. II. Quotuplex sit juramentum. R. 1. Aliud est *solemne*, quod fit cum aliqua solemnitate, v. g. coram testibus et Notario, contactu Evangelii. Aliud *simplex* quod fit sine solemnitate. 2. Aliud est *contestatorium*, quo Deus simpliciter vocatur in testem, v. g. *Testor Deum.* Aliud *execratorium* vel imprecatorium, quo Deus simul in testem, et vindicem vocatur, v. g. *Puniat me Deus, nisi ita sit.* Aliud *assertorium*, quo juratur aliquid ita esse, aut non esse, vel fuisse. Aliud *promissorium*, quo aliquid futurum promittimus. Hoc juramentum semper firmat duo, unum de praesenti, quod jurans de facto habeat seriam voluntatem id faciendi quod jurat; alterum de futuro, quod suo tempore sit impleturus, quod promittit. Denique juramentum *comminatorium* est, quod quis cum juramento minatur, se aliquid facturum. Aliae species juramenti pertinent ad judicium forense.

§. II. *Principia generalia de Juramento.*

524. *Princ. I. Juramentum cum debitis requisitis de se est licitum, et honestum.* Dixi *licitum:* patet ex Scriptur. *Deut.* 6. *Illi soli servies, ac per nomen illius jurabis:* et psal. 62. *Laudabuntur omnes, qui jurant in eo.* Sic juravit Apost. ad Rom. 1. *Testis enim mihi est Deus:* ad Gal. 1. *Ecce coram Deo, quia non mentior.* Dixi etiam *honestum*: tum quia est actus Religionis, quo Deum tanquam summe sapientem, et omniscium profitemur, tum quia finis est honestissimus, qui est ad confirmandam rem dubiam seu controversam, juxta illud ad Hebr. 6. 16. *Omnis controversiae finis ad confirmationem est juramentum.* Nec ad plenam confirmationem sufficit testimonium humanum, utpote quod est mendacio obnoxium. Nec obstat illud Matth. 5. *Ego autem dico vobis non jurare omnino*, scil. si desint necessariae conditiones. Requisita ad licite jurandum sunt *Veritas, judicium*, et *Justitia*, juxta illud Jerem. 4. *Jurabis, vivit Dominus, in veritate, judicio, et justitia. Veritas* exigit, ut res, de qua juratur, sit vera, ne veracissimi Numinis testimonium adducatur in confirmationem mendacii; unde materia sive objectum *juramenti assertorii* est omne factum, quod ex certa vel rationabili causa absque prudenti formidine coram Deo judicatur esse verum; de incognitis enim vel dubiis jurare impium est. In juramento promissorio veritas intentionis exigit, ut jurans habeat animum implendi rem promissam. *Judicium*, ut non temere, et non leviter, sed cum reverentia, discretione et seria intellectus consideratione, ex rationabili causa necessitatis, vel utilitatis juretur. *Justitia* exigit, ut testimonium Dei non adducatur in confirmationem rei inhonestae, sive dicti iniqui atque peccato obnoxii, ex animo majorem illi fidem faciendi. *Laym.* l. c. c. 3. n. 3., *Stoz* L. 1. p. 3. q. 3. n. 187. Denique forma jurandi consistit *in expressa vel tacita invocatione divini nomi-*

nis ex intentione Deum vocandi in testem: per hoc differt ab oratione, per quam vocatur Deus in auxilium.

225. *Principium II.* Materia juramenti promissorii, sive id quod jurato promittitur. 1. Debet esse *honestum* et licitum, quia juxta c. 18. de jurejur. *Juramentum non est vinculum iniquitatis*, et juxta reg. 58. in 6. *non est obligatorium contra bonos mores praestitum juramentum.* Hinc juramentum de re etiam tautum venialiter mala factum in se est peccatum, nec obligat ad praestandum promissum. 2. Debet esse de re *possibili*, quia Deum vocare in testem rei, quae nunquam futura creditur, est nugatorium, et gravis irreverentia. 3. Non debet esse in praejudicium tertii, alias esset invalidum, si vero simul in damnum proximi esset, peccaminosum, c. *quamvis* 2. de pactis in 6.... 4. Si juramentum soli Deo fiat, non tantum debet esse de re licita, sed etiam de meliore bono, quam sit oppositum, ut dicetur de voto. Effectus juramenti promissorii libere facti est obligatio *Religionis* erga Deum, et justitiae erga illum, cui aliquid jurato promittitur, si hic acceptaverit promissionem: obligatio religionis est personalis, ideoque non transit in haeredes vel successores jurantis, obligatio autem justitiae in tali juramento est realis ideoque transit ad haeredes, quia est pactum vel contractus inhaerens rei; hinc tenetur haeres Titio praestare id quod Cajus pater in vivis licite Titio promiserat. Utraque obligatio gravis vel levis est pro gravitate vel levitate materiae; quamvis enim jurans circa rem levem intendat se iutuitu divini testimonii firmare ad non mutandam voluntatem, id tamen probabilius non nisi proportionate ad exigentiam materiae intendit. Juxta probabiliorem ex juramento de facienda vel omittenda re indifferenti, quatenus est indifferens, nulla oritur obligatio; quia talis actio manet otiosa, adeoque moraliter mala; ergo non potest esse materia juramenti obligatorii. Ita *Suar.* T. 2. de Relig. L. 2. c. 16. n. 1., *Laym.* l. c. c. 6. n. 3. unde si jurasti, v. gr. te festucam levaturum, ad aedes alicujus non accessurum etc. non teneris servare juramentum, quia id quod jurasti, sic manet indifferens. Quod si vero actio vel omissio actionis ex se indifferens ad finem honestum, vel alterius utilitatem referatur, oritur obligatio, quia induit honestatem alicujus virtutis. Hinc si jurasti, te alicujus aedes non ingressurum, non lusurum ibi, ut evites peccatum, teneberis juramento. *Laym.* l. c., *Bonac.*, *Babenst.* hic n. 50.

526. *Princip. III.* Qui jurat deficientibus conditionibus n. 524. allegatis, peccat 1. quidem deficiente veritate semper graviter, etiamsi in re levi id fiat. Vide prop. 24. *ab Innoc. XI.* damnatam. *Ratio:* quia semper gravissima irreverentia est, adducere Deum in testem falsi; adeoque hic non excusat levitas mendacii, vel parvitas materiae, sed solus defectus advertentiae; sicut enim generaliter ad peccatum mortale requiritur voluntarium, et sufficiens deliberatio, ita etiam hic. Ejusmodi juramentum vocatur *perjurium*, quod juxta *Mastrium* et *Reiffenst.* Theol. mor. T. 6. dist. 2. n. 28. est juramentum de falso in opinione jurantis. Peccaret etiam graviter, qui dubitaret de rei veritate, et tamen juramento eam confirmaret, quia se exponeret manifesto periculo adducendi Deum in testem falsi. *Reiffenst.* l. c... 2. Qui jurat ex defectu judicii, venialiter peccat per se loquendo (et vocatur *juramentum incautum*), quia tunc non latet gravis irreverentia, cum Deus adducatur in testimonium rei verae, quamvis imprudenter ex defectu justae causae juretur, v. g. in re levi, modo absit scandalum, et fiat sine praejudicio tertii. *Reiffenst.* l. c. n. 13. Monet hic *Stoz* n. 190. cum *Sanch.* quod ii, qui inveteratam habent consuetudinem jurandi indiscriminatim sive verum sive falsum, peccent graviter, si ex magna negligentia omittant investigare veritatem, propter periculum falso, aut injuste jurandi, cui se advertenter exponunt: secus si negligentia levis tantum sit, et imperfecta. 3. Si ex defectu justitiae res moraliter mala confirmetur, juramentum est moraliter malum; veniale vero pec-

catum est, si res leviter mala confirmetur (hoc vocatur *juramentum temerarium*). Ideo si gravem famae detractionem juramento confirmes, peccas mortaliter. Eodem modo juramentum promissorium vel execratorium graviter vel leviter malum erit, prout malum volitum grave, vel leve fuerit, idque debet explicari in confessione, quia tale peccatum habebit duplicem malitiam, ratione mali desiderati et perjurii, vel juramenti temerarii. Ita *Herzig.* l. c. n. 216. cum *Suar.*, *Laym.*, et aliis. 4. Si juramento promissorio desit animus exequendi id, quod promissum est, peccatur graviter peccato perjurii ex defectu veritatis primario requisitae, quantumvis res jurata levis sit, juxta dicta hoc n. *Stoz* l. c. n. 188. cum *Lessio* ubi n. 188. addit: Si promissio jurata de re mala, v. g. de homicidio patrando, seu de re vana, aut minus honesta, quam melius est non praestare, quam praestare (ideoque non est implenda) impleatur tamen ex intentione, quasi Deo placeret opus peccaminosum, blasphemia committeretur: si vero impleatur quasi ex obligatione juramenti, pertineret ad superstitionem, et zelum non secundum scientiam; et haec circumstantia in confessione explicanda est. Denique qui jurat, se non facturum ea, quae sunt consilii, v. g. religionem se non ingressurum, peccat venialiter, quia est aliqua, licet levis irreverentia, adducere Deum in testem contra ipsius consilia. *Th. Sanch.* de jurament. c. 4. n. 30. De ficto juramento in resol. cas. 527. *Princip. IV.* Obligatio juramenti cessat 1. Si res promissa mutetur, h. e. si ab initio licita fuerit et possibilis, postea fiat illicita, impossibilis, vel inutilis. 2. Si adjecta conditio non impleatur. 3. Per remissionem promissarii. 4. Si juramentum factum sit soli Deo, cessat per relaxationem, commutationem aut dispensationem. Vide dicenda de cessatione voti.

§. III. *Resolvuntur Casus.*

Casus I.

Barbatianus se accusat, ut saepe juraverit. Instat Confessarius, quomodo? Respondet poenitens: 1. *Fidem dictis facturus saepe dixi, revera, profecto, quam vere vivo, res ita est, in rei veritate: sim fur, magus etc., si res ita non sit.* 2. *Alias rem confirmavi per animam, per conscientiam, per fidem meam: Deus scit, hoc ita esse: coram Deo loquor.* 3. *Aliquoties dixi: bey meinem End*, per finem meum: *sic me Deus: adjuvet: juro per Deum, per Sanctos, Evangelium, crucem, et vulnera Christi: nolo venire ad Deum: Deus in me non habeat partem: daemon me et te auferat: moriar subito, nisi hoc ita sit.*

528. *Q.* I. Quid agendum Confessario, si poenitens absolute dicat, se jurasse. R. 1. inquirat in verba. 2. An habuerit intentionem jurandi, h. e. Deum vocandi in testem; saepius enim verae jurandi formulae adhibentur, quin tamen adsit intentio jurandi, ac inde colliget, nequaquam fuisse juramentum. Econtra saepe ex erronea conscientia existimatur verum sub certis verbis contineri juramentum, quibus tamen secundum significationem suam nullatenus exprimitur invocatio testimonii divini, hinc poenitens instruendus est, ut deponat conscientiam erroneam. 3. Cognita intentione, et verborum sensu inquirat, an verum vel falsum juraverit et si quid in re gravi, an cum judicio, et justitia. Si sit juramentum promissorium, an implenda promissio, nec ne. Necesse tamen non est quaerere, an juramentum factum per Deum, an vero per creaturas; haec enim specie non distinguuntur, cum utrobique Deus vocetur in testem. Ita *Herzig* hic n. 222. cum *Suar. Bonac.*, et aliis.

529. *Q.* II. Quia, si dubium sit, an verba sint juratoria. R. cum *Stoz* l. c. n. 191. et *Tambur.* Attendendum est ad intentionem verba proferentis; ab ea enim tota res pendet quoad forum conscientiae. Si ergo quis per prolata verba positive intendat invocare testimonium Dei, certo jurat; si positive non

invocet Deum testem, sed tantum assertive, vel narrative proferat verba juratoria, non jurat. Si vero nec cogitet invocare, nec positive intendat, idque sive advertenter, vel ignoranter, se plane praescindat ab ejusmodi invocatione, iterum non jurat hoc ipso, quia ab ea abstrahendo id non adhibet, quod essentialiter requiritur ad juramentum. Dixi, *pro foro conscientiae;* in foro enim externo judex te reum condemnabit, si verba prolata juramentum vere contineant, vel contra. Ita *Spor.* de Jur. n. 9.

530. *Q.* III. An verba Barbatiani, quae continentur numero 1. sint vera juramenta. R. *Negative;* quia istae formulae nec sunt tacita, nec expressa invocatio Dei in testem rei alicujus. Peccant tamen saepe rudiores ejusmodi veraisrem falsam confirmando, dum ex conscientia erronea putant esse juramenta. Idem dicendum de similibus dictis, v. g. tam verum est, quam sol lucet; quam vere hic sto, sedeo etc., quia hae non sunt invocationes, sed tantum comparationes; unde si comparatio falsa sit, committitur mendacium, non perjurium, quia nullus vocatur in testem. Idem affirmat *Busemb.* L. 3. t. 2. c. 2. n. 9 de his dictis, quod dico, est Evangelium: est instar fidei etc.: item, tam verum est, quam Deus est, quam Christus est in Venerabili: tam innocens sum quam B. Virgo, quia communiter animus proferentis est significare aliquam similitudinem, scil. hoc suo modo, verum esse, sicut alterum suo, licet longe perfectiore modo. Vide dicta de blasph. Monendus est poenitens, ut abstineat ab his expressionibus.

531. *Q.* IV. An formulae in secundo numero contentae sint juramenta vera. R. Juxta *P. Stoz* l. c. n. 191. communiter, qui ejusmodi verbis utuntur, non intendunt invocare divinum testimonium, sed tantum hisce phrasibus volunt confirmare, tam vera esse dicta, quam verum est, esse animam in corpore etc. Quia igitur variantibus AA. dubia sunt juramenta res pendet ex intentione loquentis. Sic etiam explicatur a *Laym.* formula illa: per conscientiam meam; vi enim verborum censetur aliud non exprimi, quam testem esse conscientiam. Qui jurat per animam suam, interponendo eam, tanquam clarissimam Dei imaginem, utique vere juraret, item qui aliquid affirmat per fidem suam, sive in fide Christiani, Religiosi, Sacerdotis, *auf Cavaliers, Paroll*, fide Principis, Regis, per se loquendo vi verborum non jurat: quia non intelligitur fides Catholica, se fidelitas humana asserentis, ita ut sensus sit: res tam vere ita se habet, quam vere ego sum Nobilis, Rex, Sacerdos etc. NB. Si tamen Sacerdos in fide Sacerdotali, Princeps in fide Principis in iis circumstantiis, in quibus solet exigi juramentum, aliquid affirmet, vera juramenta censerentur facere. *Laym., Sporer* l. c. n. 8. ubi addit: Talia dicta, licet non obligent ex virtute religionis tanquam juramenta, obligant tamen ex virtute fidelitatis vel justitiae, et eo gravius, quo major excellentiae fides interponitur. Denique dicere: Deus scit, coram Deo loquor, Deus mihi est testis etc. per se loquendo non est jurare, cum hee tantum assertive, vel narrative, non vero per invocationem testimonii divini proferantur. Secus si quis per haec intenderet jurare, vel putaret se jurare. *Busemb.* l. c. n. 5. In sensu sacrae Scripturae juramentum est dicere: Coram Deo, Deus est testis, non in sensu vulgi.

532. *Q.* V. An tertio loco posita sint juramenta. R. Communius haec ex se censentur esse verae formulae jurandi; nihilominus debet attendi ad intentionem jurantis. Specialiter de primo modo ait *Laym.* l. c. c. 2. verba illa, *Bey meinem End*, per finem meum; in vulgari etiam sermone plerumque juramentum continere, eo quod videtur esse consuetudo apud Germanos, ut formula illa verborum pro juramento accipiatur: ergo qui iis verbis utitur praesumendus est velle jurare, nisi de alia intentione constet; quia juxta regulam *Sanch.* L. 3. C. 2. n. 1. ad juramentum satis est, velle usurpare verba in eo sensu, in quo pro aliorum jurantium consuetudine usurpari solent, ideo insuper circa has jurandi formulas habenda est ratio consuetudinis patriae.

Casus II.

Barlaam mercator licitantibus frequenter cum variis juramentis affirmat: Non possum (per Deum juro) merces minoris vendere, tanti constant etc. 2. Invitatus ad convivium oblato loco primario frequenter jurat: Testor Deum, quod non sim occupaturus primum locum. 3. Quoties famuli vel proles delinquunt, in juramenta comminatoria erumpit: Diabolus me auferat, nisi statim collum tibi obtorqueam, hanc vel illam poenam infligam, quam postea non infligit.

533. *Q.* I. An Barlaam peccet graviter quoad primum. R. A gravi peccato excusari potest, modo absit mendacium et restrictio pure mentalis, nec intendat graviter decipere emptores, aut extorquere per juramenta velit, supra justum, pretium summum. *Ratio* est, quia sic non jurat absque veritate et aequitate. Plerumque tamen ejusmodi mercatores venialiter peccant, quia saepe jurant absque judicio seu citra necessitatem. A restrictione pure mentali excusantur per hoc, quod sciantur significare velle, se non posse cum honesto lucro merces aliter vendere; item quod non intelligant nude pretium pro re empta, sed computent etiam expensas vecturae et proportionalem partem sumptuum, quos toto anno faciunt in suam communem negotiationem. Ita *Herzig.* p. 2. n. 224. cum *Gobat.*

534. *Q.* II. Quomodo peccaverit quoad secundum. R. A mortali excusari potest, tum quia communiter subintelligitur in iis circumstantiis conditio: Quantum in me est, non sedebo primus, non ibo ad dexteram, non intrabo prius etc. nisi vincar comitate aut voluntate alterius: tum quia plerumque non intenditur in tali occasione juramentum. Ita *Marchant.* c. 2. n. 5. Nihilominus venialiter saepe peccatur ita jurando, quia formulae jurandi vane usurpantur, et citra necessitatem Deus in testem vocatur. *Herzig.* l. c. n. 223. Idem dicendum de iis, qui ex consuetudine advertenter res quascumque, veras tamen, formulis juratoriis confirmant, v. g. per Deum res ita est.

535. *Q.* III. An Barlaam juramentis comminatoriis erga filios et servos peccet, quando non infligit poenam intentatam. R. Communiter tantum peccatur propter scandalum; per se autem loquendo Barlaam non peccavit graviter; quia ex communi interpretatione et recepta consuetudine tacita conditio subintelligitur, v. g. nisi nascatur inde gravius incommodum, vel nisi delinquens deprecatus fuerit culpam, et emendationem promiserit, vel nisi aliud expediens visum fuerit. Praesertim autem tum non obligatur pareus, si ex zelo quodam inordinato, et ex passione, aut poena inordinata filios a se castigandos juraverit. *Marchant.* l. c. n. 5. Secus si ex zelo ordinato juraverit, et non subsit aliqua ex praedictis conditionibus.

Casus III.

Babylas confitetur 1. Jurans saepe usus sum restrictione mentali. 2. Juramentum promissorium non implevi. 3. Juravi hostem Barnabae occidere accepto pretio. 4. Meretrici pro facto turpi jurato promisi ducatum, sed nondum dedi.

536. *Q.* I. An Babylas peccaverit mortaliter jurando cum restrictione mentali. R. 1. Si usus fuerit restrictione pure mentali, sive amphibologia pura, ita ut nec ex circumstantiis, nec ex ipsa locutione, neque ex alio signo exteriore animus jurantis, sive id, quod retinetur in mente, colligi potuerit, peccavit mortaliter: quia cum tali restrictione in nullo casu licet jurare. Vide propos. 26. 27. 28. ab *Innoc. XI.* damn. Ex his propositionibus talis restrictio manet proprie dictum mendacium: ergo etiam ipsa manet intrinsece mala. *Viva* in prop. 26. et 27. cit. *Duarte* V. juramentum n. 375.

537. R. 2. Si juraverit cum restrictione non pure mentali (quae tunc habetur, quando occultatur sensus, ita tamen, ut ex signo aliquo, vel ex circumstantiis deprehendi possit) ex gravissima causa, non peccavit; v. g. si ante semiplenam probationem de homicidio a se commisso fuerit interrogatus, an occiderit Petrum, Babylas respondisset: non occidi, non peccasset; quamvis enim haec verba in aliis circumstantiis prolata essent falsa, in his tamen ad mentem interrogantis vera sunt; nam in circumstantiis in quibus crimen est adhuc occultum, nec sine periculo vitae manifestandum, potuit prudenter praesumere, quod alius interroget, an ita occiderit, ut constet, ut probari possit, ut fateri debeat etc. (interrogatio enim de crimine simpliciter commisso esset illegitima; velle autem obligare, urgente gravissimo periculo et cum certa jactura vitae, ad apertam confessionem, nimis durum videtur, et superans humanam imbecillitatem) unde ad mentem interrogantis respondisset: non occidi, scilicet ita, ut jam fateri debeam; ad hoc autem significandum determinatur responsio partim per verba, partim per illas circumstantias, in quibus fit interrogatio, et quas alter scire potest ac debet. Porro causae gravissimae censentur, si aliter quam per restrictionem realem externam, h. e. non pure mentalem non possit evitari mors, aut aliud malum morti aequivalens, mutilatio, perpetuus carcer: item ad salvandum secretum Principis, sigillum confessionis etc. *Ratio* est, quia licet talis restrictio per accidens et sine causa usurpata mala sit, et serviat infinitis fraudibus, et obsit humano commercio; ubi tamen gravissimae causae eam cohonestant, irreprehensibilis merito censetur, praesertim quia per se non est mendacium, nec directe intenditur deceptio alterius, sed tantum occultatio veritatis. Si tamen judex vel alius suam interrogationem manifeste ulterius extenderet, et omnem restrictionem excluderet, non liceret mentiri, sed deberet aliis effugiis potius eludi. *La Croix* L. 3. p. 1. n. 288. cum *Cardénas, Suar., Lugo* et aliis.

538. R. 3. Si Babylas sine causa gravi usus fuerit restrictione non pure mentali, adhuc peccavit graviter. *Ratio* est, quia deficiente causa gravi non intenditur directe occultatio veritatis, nec deceptio pure permittitur (quod licitum est) sed directe per verba intenditur deceptio, adeoque non evitatur mendacium consistens in falsa vocis significatione cum intentione fallendi; consequenter, si juramento confirmetur, nec effugitur perjurium. *Confirm.* Si usus ejusmodi amphibologiae passim et absque justa causa esset licitus, nemo vellet aut posset alteri credere, quod cederet in eversionem humani convictus atque commercii. *Viva* l. c. n. 10.

539. *Adverte.* Eodem modo resolvendum est de aequivocatione, quae a restrictione non pure mentali differt per hoc, quod in aequivocatione verba ipsa habeant duplicem sensum, v. g. si de Andrea domi existente interrogatus, an domi sit, respondeas: non est domi, sumendo *τό est* pro *edit:* in restrictione autem verba ratione sui tantum unam habent significationem, sed ratione circumstantiarum adhuc aliam. *Duarte* loc. cit. n. 377.

» Regulae in praxi observandae a Confessario.

» I. Cum justa interveniente causa licitum sit jurare verbis aequivocis, » sequitur, Confessario hujusmodi juramenta bene posse permittere, et » quandoque etiam suadere suis poenitentibus, quando necessarium esset, vel » utile ad conservandam salutem, et corporis indemnitatem, vel honorem etc. » Neque obstat ex juramento facto cum aequivocatione induci posse alterius » deceptionem; nam eam impedire non tenemur cum gravi nostro incommo- » do. II. Potest permittere poenitenti verba aequivoca, quando conferant ad » actum virtutis, sive expediens sit occultare veritatem ad aliquem finem ho- » nestum. Exemplum sit in eo, qui vult abstinere ab aliquo cibo sibi ni- » mis grato, et nollet adstantes cognoscere suam abstinentiam. Ilic potest » dicere: mihi sunt damno; quae verba habent duplicem sensum, quatenus

» scilicet significare possunt damnum corporis et animae; et in hoc se-
» cundo sensu possunt intelligi ad abstinentiam occultandam.

» Hac regula stabilita: si Confessarius interrogaretur, an audierit aliquod
» peccatum; si judex interroget aliquem, qui non teneatur fateri veritatem;
» si maritus interroget uxorem, an fidem violaverit; si sciens aliquid sub
» naturali secreto, de illa re interrogaretur; isti omnes possunt absolute
» dicere se nescire: ita respondendo ad mentem interrogantis. Qui enim de
» aliqua re interrogat, praesumitur interrogare de illa, in casu, quo quis
» posset eam revelare vel sine peccato, vel sine suo gravi incommodo.

» Sed quid dicendum, si aliquis urgeret Confessarium ad id dicendum,
» si sciat peccatum Petri, ut minister Christi? Si maritus instaret apud
» uxorem adulteram, ut dicat, an fidem violaverit etiam ea notitia, quam
» non teneatur communicare? Et sic de caeteris.

» In his circumstantiis adhuc respondent Theologi posse personam inter-
» rogatam absolute respondere se nescire, seu se non fecisse id, de quo
» interrogatur; cum non teneatur respondere ad mentem formalem interro-
» gantis, sed ad debitam, hoc est, eam quam debet habere, si non vult
» inique interrogare. Sed meo videri, clarius explicari potest haec doctrina,
» et excludi pura mentalis restrictio damnata a summis Pontificibus. Jam
» igitur diximus, non intervenire praefatam restrictionem mentalem, quoties
» ex circumstantiis vel personae, vel loci, vel temporis, satis dignosci pos-
» sit quem sensum habeant verba, quamvis non percipiantur ab interro-
» gante. Dum proinde unusquisque jus habeat occultandae veritatis, quoties
» non manifestatur sine peccato, sive (ordinarie loquendo) cum gravissi-
» mo incommodo; hinc est, quod Confessarius interrogatus, an sciat pec-
» catum Petri etiam ut minister Christi, si respondeat, nescio, satis patet
» externe, ex circumstantia personae se nescire ad dicendum; et idem di-
» cas de uxore modo praefato a marito interrogata, et respondent se non
» fregisse fidem. Stante ergo quod circumstantia personae satis explicet sen-
» sum responsionis, tollitur pura restrictio mentalis, adeoque tali respon-
» sioni potest sine perjurio addi juramentum. Ex regula respondendi ad men-
» tem interrogantis plura alia salvant Theologi a mendacio et perjurio. Qui
» e. g. habet justam causam occultandi Fisco aliqua bona, interrogatus po-
» test cum juramento dicere, se nihil occultasse, quia praesumitur judex in-
» terrogare de bonis, quae non potuerit licite occultare. Qui aliquid clam
» surripuit in justam compensationem, a judice interrogatus potest respon-
» dere, se nihil rapuisse, quia intelligitur interrogare de re furto ablata.
» Si aliquis non possit mutuo dare nummos sine gravi incommodo, po-
» test cum juramento dicere petenti, se non habere nummos; nam intel-
» ligitur petere mutuo nummos, si sine gravi incommodo mutuare possit.
» Quod si posset dare sine gravi incommodo, non deberet respondere, se
» non habere nummos, intra se intelligendo ad mutandum, quia haec
» esset pura restrictio mentalis.

» Alius modus celandi veritatem sine mendacio (urgente semper gravi
» causa) est aliquid externe facere, per quod verba generalia determinen-
» tur ad aliquem sensum particularem verum. Afferri solet exemplum S.
» Francisci, qui interrogatus a latronibus, num quidam per viam, in
» qua erat, transisset, positis manibus intra manicas vestis, respondit:
» Nullus huc transivit; et eamdem responsionem dare potuisset, si pe-
» dem posuisset super lapidem.

» Tribus igitur modis vitari potest restrictio pure mentalis. 1. Verbis
» aequivocis. 2. Respondendo ad mentem interrogantis. 3. Faciendo ali-
» quid externe, per quod verificentur verba prolata, si non satis verificari
» possint ex circumstantia personae interrogantis, sive respondentis, seu ex
» circumstantiis temporis et loci. Vide *Roncaglia* Theolog. mor. hic.

540. *Q.* II. An et quomodo Babylas peccaverit non implendo juramentum promissorium. R. Si juramentum fuerit de re illicita, non peccavit, imo peccasset, si illud implesset, hoc ipso quod aliquid prohibitum elegisset; si vero juramentum fuerit de re levi, probabilius peccavit venialiter; si de re gravi, graviter. *La Croix* l. c. n. 405. Item si partem modicam non impleverit, etiam tantum peccasset venialiter. Sic qui juravit non bibere vinum, parum bibendo non peccat mortaliter, quia tunc excusat parvitas materiae. Item qui juravit se daturum alicui 20. flor., si det tantum 19., non peccat graviter. *Busemb.* hic dub. 5. n. 3. cum *Sanch.*, *Laym.*, *Bonac.* at aliis.

541. *Q.* III. Ad quid obligetur Babylas ex juramento de inimico occidendo, accepto peculio. R. Hoc juramento peccavit graviter: absit, ut de flagitio perpetrando cogitet: pecuniam autem opere non completo restituat. Vide praecept. 7.

542. *Q.* IV. An teneatur tradere ducatum jurato promissum pro turpi facto. R. Ante patratum crimen debuisset rescindere juramentum; eo patrato tenetur solvere pretium, quia haec solutio in se non est mala; secus est de solutione pretii simoniaci; haec enim manet in se mala et prohibita. *La Croix* l. c. n. 317., *Jansen.* hic n. 18.

543. Pro aliis casibus resolvendis *observa* I. Jurare per Deos falsos, vel per religionem falsam non esse verum juramentum, quia non est invocatio testimonii Dei veri: hinc si fiat tale juramentum serio, est grave peccatum; tribuitur enim honor, proprius vero Deo, daemonibus, vel religioni falsae; secus si id fiat ex joco et irrisorie, et circumstantes id intelligant. *Jansen.* l. c. n. 10. cum *Bonac.*, et *Palao.*

544. II. Juramentum gravi metu injuste incusso extortum, v. g. a latrone ad dandam pecuniam, vel ab usurario ad dandam usuram, est validum et obligat, quia adhuc est sufficienter voluntarium. Potest tamen facile rescindi in judicio pro foro externo, et dispensari facile pro foro interno, tum ab Episcopo, tum ab aliis, qui habent privilegium dispensandi in votis, ita quidem ut hic non requiratur consensus illius, cui praestitum est juramentum, idque partim in poenam criminis ab eo commissi, cui juratum est, partim ratione gravis injuriae, quam jurans passus est. Vide *Laym.* L. 4. t. 3. c. 11. n. 5. *Excipe* ab hac resolutione contractum matrimonii metu injusto extortum, de quo in P. II.

545. III. Juramentum de non petenda relaxatione juramenti per se loquendo invalidum est, quia dum justa petendi causa est (absque ea enim peti non potest) melius est illam petere, quam non petere.

546. IV. Nunquam licet jurare ficte, vel sine animo jurandi, ut patet ex propos. 25. *ab Innoc. XI.* damn. Et *ratio* est, quia sic jurans nunquam potest excusari a mendacio. Hinc qui jurat falsum sine animo jurandi in materia gravi, peccat graviter. Communis cum *Suar.* t. 2. de Relig. l. 3. c. 17. n. 3. Imo etiam, juxta *Babenst.* t. 5. d. 3. a. 2. n. 25., *Duarte* l. c. n. 368., in materia levi. Et *ratio* est, quia invocatione externa adducitur Deus ad confirmandum falsum, quod sine gravi irreverentia fieri nequit etiam in re levi. Patet ex propos. 24. damnata ab *Innoc. XI. Confirm.* In Idololatria, blasphemia et infidelitate non datur parvitas materiae, quae a mortali excuset, licet desit animus litandi idolo, blasphemandi etc.; ergo nec in perjurio. Jurare autem verum sine animo jurandi non est peccatum mortale, sed veniale (excipit *Duarte* l. c. n. 469. dummodo juramentum fictum non fiat in contractu, aut in judicio legitimo). *Ratio* est, quia illud juramentum fictum, quod profert ficte jurans, neque Deo est graviter injuriosum, neque homini. *Non Deo*: cum invocetur non ad confirmandum falsum, sed verum: juramentum enim non cadit super fictionem, quia non jurat se serio jurare, sed semper rem veram affirmatam vel negatam, quam-

vis aliquo modo abutatur divino testimonio. *Non homini* : quia supponimus id fieri extra casum, in quo ex ficto juramento alius aliquod damnum patiatur. In iis tamen casibus, ubi judex vel superior juste praecipit jurare, aut ubi gravis justusque contractus vel promissio firmanda, tenetur quis sub mortali vere et ex animo jurare. *Babenst.* l. c. n. 27. cum *Suar.*, et *Viva.*

547. V. Juramentum fictum quodcumque, si dolosum sit, licet non obliget ex virtute religionis, quum non sit juramentum; obligat tamen ex justitia ad id, quod alteri per dolum ficte juratum fuit. *Ratio* est, quia sic juraus alteri proprie dictam injuriam intulit, quam non potest compensare, nisi praestando id, quod praestare debuisset, si vere jurasset. Juxta alios apud *Sanch.* L. 3. Mor. c. 10. n. 14. obligat ratione scandali exterioris vitandi, quod ex talis juramenti transgressione oriretur. *Babenst.* l. c. n. 32. et 33. cum *Filliuc.*, *Sanch.*, et *Tamb.* Dixi, *si dolosum sit:* absente enim dolo, et secluso alio damno et scandalo, nec oritur obligatio religionis nec justitiae.

548. VI. Ex justa et gravi tantum causa, v. g. ad avertendum grave damnum vel injuriam, et non alias, licet exigere juramentum ab illo, quem timeo pejeraturum, aut juraturum per falsos Deos, quia utor meo jure, et alter a perjurio vel invocatione Dei falsi potest abstinere, et adest gravis causa exigendi juramentum; ergo si ipse hoc male praestet, quod recte petitur, ejus malitiae imputandum est. *Sporer* de juramento n. 158. Non autem licet inducere alium, ut juramento confirmet hoc tanquam verum, quod inducens scit esse falsum; quia licet respectu hujus jurantis propter ignorantiam tantum esset perjurium materiale, esset tamen perjurium formale respectu inducentis; sicut respectu illius esset peccatum formale, qui ebrium induceret ad homicidium vel blasphemiam, licet respectu ebrii sit tantum materiale peccatum. *Jansen.* hic n. 14. cum *Suar.*, et *Bonac.*

549. VII. In quolibet juramento promissorio, quamvis absoluto, tacitae quaedam conditiones subintelliguntur. I. *Si potero.* Ad impossibile enim nemo tenetur. II. *Salvo jure et auctoritate Superioris*, juxta c. *ad nostram* 21. *de jurejur.* III. *Nisi is, in cujus gratiam et utilitatem juratum est, obligationem remittat:* quia hoc ipso alter cederet juri suo. IV. *Dummodo res in eodem statu permanserit*; quia notabilis mutatio rei quasi aliud objectum facit, ad quod ex prudenti praesumptione jurantis intentio se non extendit. *Reiffenst.* in Theol. mor. l. c. n. 23. cum *Pirrhing* tit. de jurejur.

550. VIII. Juramentum, ex dictis, variis quidem, potissimum tamen quatuor modis fieri potest. 1. *Mente*, si sola mente aliquid spondeas, Deumque tanquam testem in confirmationem invoces. 2. *Nutu*, v. g. si tibi dicatur: jures per Deum, et tu oculis vel capite annuas. 3. *Facto*, si oblatum tibi Evangelium tangas ad jurandum. 4. *Verbo* etiam unico, dicendo vel scribendo *Juro*, praesertim in his circumstantiis, quando sic intelligitur, quod Deus vocetur in testem. *La Croix* l. c. n. 275. cum. *Tamb.*, et *Dicast.*

551. IX. De dubiis circa juramenta vel obligationem eorum vide dicta n. 55. de Consc. dub. De interpretatione juramentorum vide dicenda in seq. art. de interpretatione votorum. Hic tamen observandum 1. quod promissio jurata, quam observari vel non observari non multum interest ejus, cui facta est, nunquam tam dure sit interpretanda, ut etiam cum gravissimis incommodis obliget; quia praesumendum non est, quod mens jurantis vel accipientis fuerit, ut in omni eventu subsistat obligatio. *Lessius* in Auct. V. Juram. cas. 4. . . . 2. Juramentum interpretandum est secundum consuetudinem et communem sensum doctorum, praesertim ita, ut non sit cum detrimento et gravi incommodo, unde qui juravit, se servaturum secretum, non tenetur servare, si id sibi vel aliis graviter noxium esset. *Sanch.* L. 3. Mor. c. 17. n. 25.

Appendix de Adjuratione.

» I. Adjuratio est invocatio Dei, vel rerum sacrarum, aut Sanctorum, » ad inducendum aliquem ad quoddam agendum, vel omittendum. Ita S. » Th. 2. 2. q. 90. a. 1. Alia est *deprecativa*, prout fuit illa Principis Sa- » cerdotum erga Christum Matth. 26. Alia *imperativa*, quae competit tan- » tum Superioribus erga subditos, et Exorcistis erga daemones.

» II. Ut adjuratio sit licita, tria requiruntur, sicut in juramento, scilicet » 1. *Veritas*, id est, ut adjurans vere intendat assequi quod petit, et vera sit » causa ob quam petit; carentia autem hujus veritatis raro erit plusquam ve- » nialis, nempe si fictus pauper per Deum petat elecmosynam, ut dicunt » *Sanch.* Dec. I. 2. cap. 42. n. 5. *Spor.* de 2. praec. c. 1. n. 263. . . . 2. » *Justitia*, ex ejus carentia certe graviter peccaret rem petens graviter » malam, ex communi DD. Quid si rem petat leviter malam? Tenent esse » veniale *Salman.* de 2. praec. cap. unic. n. 4., *Spor.* cum *Suar.* etc. Sed » melius *Elbel* Cons. 6. n. 97. dicit esse mortale, quia satis gravis videtur » irreverentia inducere alterum ad rem malam ope divinae auctoritatis. 3. » *Judicium*, id est debita discretio, cujus carentia certe non est nisi venialis.

» III. Tantum creaturae intellectuales possunt directe adjurari, ut ho- » mines, et daemones. Indirecte autem etiam irrationales, ut sal, nubes, lo- » custas etc. adjurando vel Deum, ut eorum usu nos adjuvet; vel daemones, ut » per eas desistant nocere, prout docet *S. Th.* 2. 2. q. 90. a. 3. cum communi.

» IV. Privatim omnibus quidem licitum est adjurare; solemniter autem » tantum Ecclesiae ministris ad id constitutis, et cum Episcopi expressa » licentia. Ita communiter *Salm.* cum aliis ex Luca 10. 19. *Ecce dedi* » *vobis potestatem calcandi serpentes et scorpiones, et super omnem vir-* » *tutem inimici:* et ex Marc. 16. *In nomine meo daemonia ejicient.*

» V. Praesertim autem circa *adjurationem daemonum*, duo praecipue » hic sunt notanda. 1. Ut cum eis adjuratio sit imperativa, non vero de- » precativa. 2. Ut fiat tantum ad amovenda damna, et vexationem obses- » si, non autem ad vanitatem vel curiositatem; hinc dicunt DD. com- » muniter cum *Salm.* non posse excusari a peccato gravi, qui multos » sermones inutiles haberet cum daemone obsidente. Sed

» *Q.* 1. An sit mortale quaerere a daemone unam vel alteram rem cu- » riosam. Affirmat *Palaus*, quia tunc exorcista potius videtur depreca- » tive quaerere, quam imperative. Sed probabilius est tantum veniale, » si revera adjuratio fiat imperativo modo. Ita *Sanch.*, *Cajet.*, *Suar.*, *Na-* » *var.*, *Sot.*, communiter cum *Salm.* n. 55. et 56.

» *Q.* 2. Quae liceant exorcistis a daemone interrogare.

» R. Licet quidem interrogare omnia, quae ad ejus expulsionem condu- » cant. *Salm.* cum *S. Thom.* et commun. Hinc possunt quaerere numerum, » et nomina eorum, qui in obsesso habitant, et a quanto tempore, ut habetur » in Rituali Rom.; item causam sui ingressus; item signum sui egressus, ut » communissime contra *Sotum* permittunt *Sanch.*, *Salm.* cum *Palao*, *del* » *Rio* etc. An autem liceat quaerere imperative a daemone manifestationem » alicujus veritatis? Negat *Elbel* Conf. 6. n. 156. quia (ut ait) non videntur » Ministri aliam habere potestatem, nisi interrogandi tantum ea quae ad eum » expellendum conferunt. Sed probabilius et communissime affirmatur licere, » si id conducat ad divinam gloriam. Ita *Sanch.*, *Cajet.*, *Sot.* cum *S. Thoma.*

» Quid si daemon assignaret pro causa sui ingressus, obsessum invalide » fuisse baptizatum, an hic rebaptizandus esset saltem sub conditione. Ex » una parte videtur esse negandum, quia nulla daemoni praestanda est fides. » Ex alia videtur affirmandum, quia daemon ex vi exorcismi tenetur patefacere » veritatem. In hac difficultate rationabiliter opinantur *Salm.* n. 69. hunc non

» esse rebaptizandum, nisi aliunde adsint validae conjecturae non accepti » baptismi, nempe si baptizans fuerit maleficus, vel haereticus, vel mu» liercula parum instructa, vel acer inimicus parentum baptizandi, qui » dixerit, velle ulcisci, et similia.

» Exorcista autem ut obsessus vere liberetur, sedulo curet sequentia ob» servare. 1. Prius bene exploret, an ille revera obsideatur a daemone. » 2. Muniat se fide, fiducia, et charitate, insuper et oratione, et jejunio, » et maxime humilitate, alias parum proficit. 3. Inducat obsessum ad con» fessionem, confidentiam, et orationem. 4. Utatur exorcismis in Eccle» sia Romana, vel saltem in sua dioecesi approbatis. Utatur etiam invo» catione nominum Jesu, Mariae, item signo S. Crucis, ac Reliquiis San» ctorum, aut aqua benedicta, Agnus Dei etc. 5. Caveat, ne cum dae» mone jocetur, sed potius pauca proferat, et non permittat ei plura lo» qui, sed imperet tacere. 6. Caveat etiam, ut advertit *Rituale*, ne ob di» ctum daemonis, confugiat ad Magos, ut maleficium dissolvant. Jubeat » tamen daemonem dicere, an ibi sit ob maleficium, et ut signa male» fica reddat, vel revelet. 7. Regulariter exorcismum faciat in Ecclesia, » januis apertis, nisi honesta adsit causa (ut dicitur in Rit.) ut fiat domi. » 8. Excludat mulieres, pueros, et viros otiosos, quorum modica fides ex» pulsioni obstare potest. 9. Repetat pluries comminationem, et verba, » quibus observat daemonem magis angi, semper augendo poenam. De» mum advertat nulla adesse signa infallibilia egressus: probabilia tamen » signa sunt, si per longum tempus obsessus sit a molestiis immunis; » item daemonum confessio, ingens vomitus rerum putridarum, vel ha» litus valde foetidus: item magni clamores, qui ibi audiantur; item si ob» sessus remaneat in terram dejectus et quasi mortuus, ac similia. Probabi» lius non licet concedere daemoni, quod invadat aliud corpus hominis, vel » bestiae, ut exeat ab energumeno, sicut ille promittit, ut censet *Elbel* etc.

» Communiter autem dicunt DD. exorcismos habere vim infallibilem ex» pellendi daemones tanquam ex opere operato. Nec obstat, quod plures » exorcismi effectum non habeant; nam, ut dicunt *Salmaticenses*, sem» per aliquem effectum sortiuntur, si non complete, saltem imperfecte, » vires daemonum attenuando. Vide alia apud *Del Rio*, *Stoiber etc.* fuse » de hac materia tractantes.

ARTICULUS III. *De Voto.*

§. I. *Quid et quotuplex sit Votum.*

552. *Q.* I. Quid sit votum R. *Est promissio deliberate Deo facta de bono meliore.* Ita *S. Th.* 2. 2. q. 88. a 1. et 2., *S. Antonin.* et communis. Explicationem vide n. 554. et seq.

553. *Q.* II. Quotuplex sit Votum. R. 1. Aliud est *absolutum*, aliud *conditionatum. Illud* est, quod fit sine adjecta conditione, v. g. voveo eleemosynam. *Hoc* autem, quod fit cum conditione apposita, v. g. voveo eleemosynam, si restituar sanitati. Huc reducitur *votum poenale*, quando conditio additur in poenam, v. g. voveo eleemosynam, si posthac aleis lusero. 2. Aliud est *solemne*, quod fit cum solemnitate, scil. vel per susceptionem sacri ordinis, vel per professionem religiosam. Juxta *Busemb.* solemnitas in eo consistit, quod ut tale admittatur ab Ecclesia; hinc ejusmodi votum non tantum ex intentione voventis, sed etiam ex speciali acceptatione Ecclesiae perpetuitatem, et maximam firmitatem habet. *Palao* t. 15. d. 1. p. 10. Aliud *simplex*, quod talem solemnitatem non habet. Votum solemne reddit personam jure inhabilem ad contractus vel actus contra votum, v. g. ad matrimonium, vel dominium bonorum temporalium habendum. De votis simplicibus Soc. Jesu vide Bullam

Greg. XIII. Ascendente. 3. Dividitur votum in Reale, Personale et Mixtum. *Reale* est, quando pecunia vel res alia externa pretio aestimabilis, v. g. calix promittitur. *Personale* est, quando aliqua actio humana, vel omissio actionis in propria persona promittitur, v. g. jejunium, peregrinatio, abstinentia a lusu. *Mixtum* est, quando res et actio promittitur, v. g. si quis voveat peregrinari Lauretum, ibique offerre calicem argenteum.

§. II. *Principia generalia de Votis.*

554. *Principium 1.* Juxta *S. Th.* l. c. a. 1. in corp. *ad votum tria ex necessitate*, h. e. essentialiter, *requiruntur: Deliberatio, Propositum voluntatis, et Promissio, in qua perficitur ratio voti.* Hinc primo loco in definitione ponitur promissio, h. e. firma et constans voluntas se obligandi ad aliquid agendum vel omittendum, ita ut a promissario videl. Deo jus acquiratur; sic votum differt a nudo proposito, quod est simplex voluntas aliquid faciendi vel omittendi sine animo se obligandi. Ita *Comm.* Vide c. *literaturam* 3. de voto et voti redempt. *Ratio* est, quia votum est quaedam lex privata, quam vovens sua sponte sibimet imponit, eaque se obligat Deo. Ideo ex defectu voluntatis sive intentionis se obligandi 1. Nullum esset votum, dum quis exterius tantum profert verba votum significantia absque animo promittendi, v. g. si positive excludat obligationem, quia absolute non vult obligari, vel si se habeat negative hoc sensu, quod nec expresse, nec implicite velit obligari, quia ob invincibilem ignorantiam nescit voto essentialiter annexam esse obligationem; incogniti enim nulla voluntas, et error circa substantiam rei vitiat actum: atqui voluntas se obligandi est de substantia voti validi: ergo eam obligationem ignorans, adeoque eam nullo modo, nec directe, nec indirecte volens, vel positive excludens destruit essentiam voti: ergo nec emittit validum votum. *Laym.* L. 4. t. 4. c. 1. n. 1. cum *Sanch.*, *Suar.*, et *Valent.* 2. Si quis conscius obligationis ex promissione exurgentis, verba votum significantia proferendo, tantum negative se haberet non eliciens actum volendi se obligare, valide voveret; quia hoc ipso, quod voluntarie emittat votum conscius annexae obligationis, censetur virtualiter, et implicite velle ipsam obligationem. Ita *Sporer* t. 3. in 2. praecept. Decal. c. 2. n. 7. ubi addit, quod si quis conscius obligationis promittendo ex malitia positive nollet obligari, juxta probabiliorem valide non voveret, quia contraria voluntas positiva destrueret essentiale voti, scil. intentionem se obligandi. 3. Qui vovet cum intentione se obligandi, at non implendi votum, vovet quidem valide, sed illicite, ideoque talis vere obligatur. Hinc is, qui sacris ordinibus initiatur, animo tamen non servandi castitatem, voto sacris ordinibus annexo vere obligatur. *Laym.* l. c. n. 2. cum *Soto, Suarez* et aliis.

555. In definitione 2. loco ponitur *deliberate*, quae particula indicat, ad votum requiri deliberatum et liberum voluntatis consensum, et talem quidem, qualis sufficit ad peccatum mortale. Ita *Laym.* l. c. n. 3. cum gravissimis AA. *Sporer*, *Babenst.* contra *Valent.*, *Sayr.* qui requirunt diuturnam, et plenam et maturam deliberationem intellectus expendentis omnes circumstantias. Pariter ea aetas et usus rationis ad vovendum sufficit, quae satis est ad peccatum mortale, juxta *Gloss.* enim in c. *mulier* c. 23. q. 2. qui se potest obligare diabolo, potest etiam se obligare Deo: *excipe* professionem religiosam, quae ante decimum sextum aetatis annum emissa invalida est, juxta *Trid.* sess. 25. c. 15. de Regul. Itaque 1. requiritur deliberatio, tum quia votum est actus humanus, tum quia obligationem gravem nemo censetur sibi velle imponere, nisi eam cognoverit et elegerit. 2. Non requiritur major deliberatio, quam quae sufficit ad peccatum mortale: tum quia ad essentiam voti eadem deliberatio sufficit, quae sufficit, ut sit actus perfecte humanus; atqui ad hoc sufficit talis deliberatio, quae satis est ad peccatum mortale: ergo.

Nimirum satis est, ut quis sciat obligationem voti, et advertenter judicet, hanc materiam esse voto competentem, et velit Deo facta hac promissione placere. *Sporer* l. c. n. 21. *Confirm.* ex c. *dudum* de convers. conjug., ubi innuitur votum ex calore iracundiae conceptum esse validum, modo talis passio rationis usum non auferat, licet facultatem plenius ac perfectius deliberandi impediat. Vide etiam c. 2. *de voto*, ubi *Alexander III.* votum peregrinationis Hierosolymitanae in puerili aetate, facilitate potius, quam discretionis arbitrio factum commutat; ergo hoc ipso fuit validum: ergo ad votum non requiritur tam exacta deliberatio, ut perpendat vovens omnes circumstantias; sicut non requiritur, ut peccans prius exacte turpitudinem offensae, poenarum aeternitatem etc. examinet, sed satis est, si sciat, hoc esse graviter prohibitum, quod libere eligit. Vide dicta n. 283. Ex his patet, quod vota ebrii, dormientis, amentis nulla sint. An facta timore et ignorantia valeant, dicemus in resol. cas.

556. Tertia conditio requisita est, ut *promissio fiat Deo*; hoc etiam actu mere interno fieri potest, dummodo deliberate fiat. *Ratio* hujus conditionis est, quia votum proprie dictum est actus religionis, et quidem latriae, quo homo speciali cultu se principaliter Deo obligat ad aliquid agendum, vel omittendum. Hinc qui vovet B. Virgini vel Sanctis, censetur implicite vovere Deo hoc sensu: Promitto vel voveo Deo omnipotenti coram B. Virgine, Sancto Patrono meo, aliisve Sanctis tanquam testibus, advocatis, et intercessoribus apud Deum. Ita *Suarez.* Vel hoc sensu (*S. Thom.* l. c. n. 5. ad 3.) *ut promissio facta Sanctis vel Praelatis cadat sub voto materialiter, in quantum scil. homo vovet Deo se impleturum, quod Sanctis vel Praelatis promittit.* Vel clarius juxta alios: Vota fiunt Sanctis non absolute, et in se, sed ut relatis ad Deum, et quatenus in eis specialiter Deus relucet; sic revera primario votum fit soli Deo, secundario autem tantum in honorem alicujus Sancti. Vide dicta n. 413. de templ. et altarib.

557. *Princip. II.* Ad materiam voti tria necessario requiruntur: 1. ut illud quod promittitur, sit voventi *possibile:* quia ad impossibile non datur obligatio. Ita *Laym.* l. c. n. 1. et *Comm.* Hinc invalidum est votum directe emissum de facto alieno, v. g. voveo Petri nomine, ut is ingrediatur religionem. *Ratio* est, quia factum liberum alterius non est in potestate voventis. Valet tamen votum indirecte de facto alterius emissum, v. g. si parentes sub voto offerant filios suos huic vel illi religioso ordini, sensus est, quod velint curare, quantum in ipsis est, et disponere ac persuadere filiis, ut ingrediantur religionem; sic non alienum, sed proprium factum promittitur; filii tamen non obligantur tali voto a parentibus emisso, nisi vel intelligentes consentiant, vel postea ratificent. *Laym.* l. c. c. 3. n. 7. Invalidum quoque est votum de facto moraliter vel physice impossibili, v. g. nunquam toto vitae tempore peccandi, ne venialiter quidem, quia spectata fragilitate humana post lapsum hoc videtur moraliter impossibile, et ad hoc exigitur extraordinarium Dei auxilium, ut quis evitet omnia peccata, quae fiunt ex subreptione, vel cum deliberatione imperfecta. *Laym.* l. c. c. 2. n. 1. cum *Suar.*, *Sanch.*, *Azor.*, et aliis contra *Angles.* Valet autem votum vitandi omnia mortalia, item non consentiendi plena animi deliberatione in veniale, vel vitandi certa peccata venialia in specie determinata, v. g. nunquam mentiendi, nunquam sine gravi necessitate jurandi, et similia; NB. quorum evitatio non est nimis ardua, secus si ea esset valde ardua, v. g. nunquam habendi distractionem in oratione, cogitationem otiosam etc. *Ratio* est, quia illa possibilia sunt homini cum ordinaria Dei gratia, quamvis iis non expediat, talia vota edere, quibus nimis difficilia sunt.

558. 2. Ex parte materiae requiritur, ut res promissa sit *moraliter bona* et honesta vel absolute, et in se, vel ex fine voventis, vel ex circumstantiis. Comprehenduntur hic actus positive boni, v. g. actus variarum virtutum,

omissiones actuum malorum, item actus circa consilia evangelica, imo etiam actiones vel omissiones, quae sunt de praecepto. *Ratio* est, quia necessitas praecepti observandi non est, nisi sub conditione finis, si homo peccatum evitare et salutem consequi velit; ergo voluntas manet simpliciter libera ad opus praeceptum faciendum vel omittendum: ergo homo prudenter potest se magis determinare per votum ad observationem praecepti, ut duplici obligationis vinculo adstrictus non nisi bene agat, et intra terminos honestatis contineatur. Nec implicat, debitorem ex diversis titulis ad idem obligari. Porro qui vovet Deo rem indifferentem, ita ut maneat indifferens, nec ex motivo alicujus virtutis fiat honesta et bona, venialiter peccat (ipsum autem votum nullum est), quia res indifferens non est Deo positive ingrata, sed tantum non grata. Qui vovet rem mortaliter malam, vel propter finem mortaliter malum, peccat graviter (et ipsum votum pariter irritum est) quia est gravis irreverentia, offerre Deo id, quod ipsi summe displicet. Ex eadem ratione non pauci affirmant, illum peccare graviter, qui Deo vovet rem venialiter malam, quia vovens ipso facto videtur dicere, ideo se hanc rem promittere, quia Deus eam approbat tanquam sibi gratam, si quis vere ita cogitaret promittendo, non videtur excusandus a gravi peccato; plerumque tamen *τὸ voveo* in re vel fine turpi non significat votum, sed juramentum: hac ratione si materia sit levis, peccatum erit leve. *La Croix* hic n. 424.

559. 3. Id quod promittitur debet esse *de meliore bono:* h. e. actio, quae promittitur, debet esse melior per se loquendo, Deoque gratior, quam ejus omissio; item id, quod vovetur, debet esse melius per se loquendo, quam ejus oppositum. *Ratio* est, quia cum Deo magis placeat majus bonum, quam oppositum minus bonum, illi acceptum non erit, si homo se obliget ad minus bonum; hoc ipso enim se obligaret ad omittendum majus bonum, quod Deo acceptum non est: ergo nec censeri potest, ejusmodi promissionem tanquam validam et prudentem acceptare. Intelligitur autem melius bonum non absolute et simpliciter (alias votum semper deberet esse de re perfectissima) sed de meliore comparative ad oppositum. Ideo, quia per se melius est servare consilia Evangelica, quam non servare, non valent vota his opposita, v. g. de non danda eleemosyna, de non ingrediendo religionem, de ineundo matrimonio etiam cum paupere sub titulo pietatis, quia per se melior, Deoque gratior est coelibatus cum castitate. Validum tamen esset hoc votum conditionatum: Si matrimonium inire voluero, contraham cum hac paupere; quia supposita voluntate nubendi, Deo gratius est nubere pauperi, quam alteri. Ita *Schmalzgr.* l. 3. t. 34. n. 30. Dixi, *per se loquendo:* quia per accidens res melior, quam ejus omissio, aut oppositum potest ex circumstantiis esse minus bona: sic vovere eleemosynam, vel ingressum religionis minus bonum est, si tenearis prius solvere debita, aut alere parentes pauperes. Ita *Jansen.* de voto n. 5. cum *Sanch.* et communiori.

560. *Principium III.* Omne votum validum obligat ex virtute religionis ad praestandum id, quod Deo promissum est, ideoque transgressio voti est peccatum ex genere suo mortale. *Primum* est de fide, juxta illud Psal. 75. v. 12. *Vovete, et reddite Domino Deo vestro:* et Deut. 23. 22. *Si nolueris polliceri, absque peccato eris; quando autem semel egressum est de labiis tuis, observabis.* Sic definitur ab *Innoc. III.* c. *licet* 6. de voto. *Ratio secundi* est, quia obligatio voti oritur ex virtute religionis, et fidelitatis Deo praestandae; ergo ex se gravis est, ejusque transgressio ex genere suo potest esse mortalis.

561. *Principium IV.* Pro interpretatione voti, an graviter vel leviter obliget, *observa* sequentes regulas. *Prima.* Votum obligat secundum intentionem voventis. *Ratio* est, quia votum est lex privata a vovente sibi voluntarie imposita: ergo sicut lex non obligat ultra intentionem legislatoris, ita nec votum ultra intentionem voventis. *Excipe* vota solemnia, et simplicia Socie-

tatis Jesu, quae cum non a solo vovente, sed simul a constitutione Ecclesiae dependeant, non est in potestate voventis, illorum obligationem mutare, ideoque haec in materia gravi obligant graviter, in levi leviter. Ubi *excipe* iterum votum castitatis, in quo non datur parvitas materiae. In reliquis vero votis simplicibus vovens se potest obligare tantum sub veniali, vel etiam sub sola poena ad materiam gravem: ad materiam autem *simpliciter* levem non potest se obligare graviter; disp. est, tum quia Deus non acceptat materiam levem ad obligationem gravem; non enim conduceret ad salutem, sed ad periculum animae, adeoque Deo gratum esse nequit; tum quia materia levis non est capax obligationis gravis, materia autem gravis gravem obligationem sustinet, ergo etiam levem. *La Croix* hic n. 429.

562. *Secunda.* Si de intentione voventis non constet, attendendum est ad materiam: si illa gravis sit, votum obligat sub mortali; si levis, sub veniali: ea autem materia censetur gravis, quae sub peccato gravi a lege divina, vel ecclesiastica praecipi solet, v. g. jejunium unius diei, confessio, communio, auditio missae etc. *Laym.* l. c. c. 3. Materia autem levis respectu legis, etiam est levis respectu voti, v. g. tres Pater et Ave, Litaniae B. V. etc., quia quilibet promittens censetur eo modo se voluisse obligare, sicut rei promissae natura postulat. *Laym.* l. c. n. 3. cum *Soto*, *Navarr.* et comm. contra *Card.*, *Cajetanum* et *Toletum*, qui defendunt, quod votum etiam de re levi obliget graviter, ex ea ratione, quod infidelem esse Deo, semper sit grave.

563. *Tertia.* Si nec ex intentione, nec ex materia dubium resolvi queat, obligatio secundum verborum, quibus vovens usus est, proprietatem, et usitatam acceptionem, interpretanda est. *Laym.* l. c. n. 3. Vide dicta Tr. 1. n. 62. et 63.

564. *Quarta.* Si nec ex intentione, nec ex materia, nec ex verbis dubium resolvi queat, votum et juramentum benigne, h. e in favorem voventis, est interpretandum; ita ut possit eligere, quod minus est; quia libertas est in possessione. *Confirm.* ex L. *quidquid adstringendae* 99. ff. de verb. oblig.

565. *Quinta.* Si vovens certum tempus non designaverit, debet implere votum, quamprimum (moraliter loquendo) congrue et commode, h. e. sine notabili incommodo, obligationi satisfacere potest, juxta illud Deuter. 23. 21. *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus; et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Quamdiu autem sine peccato differri possit executio voti, ex circumstantiis, et prudenti judicio determinandum est. Sufficiens causa differendi tale votum est, si spes sit, fore ut votum postea commodius, utilius, et devotius implcatur; id enim cedit ad majorem Dei honorem, et beneplacitum, quo tendit votum. *Sporer* l. c. n. 112. Quando autem vovens certum tempus determinavit praecise ob peculiarem connexionem cum tali die, vel tempore, obligatio est pro determinato tempore, ita ut peccet tunc non implendo promissum; obligatio tamen extinguitur cum die, ut postea non teneatur implere. *Sanch.* c. 4. mor. c. 14. n. 25. *Ratio* est, quia hoc votum per modum unius copulatim comprehendit rem promissam, aeque principaliter ac circumstantiam temporis tanquam voto intrinsecam; ergo cum illo tempore transacto impossibile sit votum observare cum hac intrinseca circumstantia, tota obligatio cessat, v. g. vovisti sacram communionem festo s. Apolloniae ob devotionem contra dolores dentium, vel vovisti anno sancto peregrinationem ad limina Apostolorum, transacto illo die, vel anno cessat obligatio voti: si voto culpabiliter non satisfecisti, peccasti mortaliter. *Spor.* l. c. n. 102. et 103. Si vero obligatio non fuerit affixa diei ob specialem aliquam rationem, et connexionem cum determinato tempore, tunc obligatio cum die non extinguitur; quia determinatio temporis non fuit finis aeque principalis voti, sed secundarius tantum, ne nimis diu differatur executio. Ideo juxta *Laym.* et

Sanch. ejusmodi votum non comprehendit circumstantiam temporis, et rem promissam per modum unius, sed virtualiter sunt duo vota, scil. de hac re facienda, et non differenda: ergo quando non impletur hoc tempore, peccatur, ita tamen ut res debeat adhuc praestari. Juxta *Jansen.* de voto n. 15. dilatio executionis voti probabiliter non excedit veniale, nisi ea, quae fit usque ad periculum oblivionis vel impotentiae implendi.

566. *Sexta.* Si voto nullus finis, vel nullum certum tempus praefixum sit, v. g. voveo deinceps castitatem, abstinere a vino etc. censetur votum perpetuum. *Palao* hic p. 12. n. 22.

§. III. *Resolvuntur Casus.*

Casus I.

Beatrix se accusat, quod votum violaverit. Quaerit Confessarius, quodnam illud? respondet Beatrix: Nuper aegrota dixi: O Domine, redde sanitatem, et vivam caste. Item coram imagine B. V. dixi: O purissima Virgo, promitto tibi meam virginitatem in perpetuum. Hucusque autem seducta fui ab adolescente valde divite, cui etiam libenter nuberem.

567. *Q.* I. Quid agendum Confessario, si poenitens absolute dicat, quod votum violaverit. R. Cum simplices, et juniores frequenter erronee existiment, serium propositum esse votum, ad cognoscendum, an poenitens vere votum emiserit, necesse est, ut inquirat: 1. Quibus verbis usa fuerit Beatrix. 2. Qua intentione verba protulerit, an videlicet vere se obligare voluerit. 3. Spectatis verbis, et intentione an votum ex alio capite invalidum sit. Pro memoria sequens compendium observet, scil. *nullum esse votum* 1. *Sine voluntate aut potestate se obligandi.* 2. Si *involuntarium* vel alio ex errore circa substantiam, ut probabitur infra. 3. Si *indeliberatum*, v. g. ex motibus primoprimis. 4. *Ex ignorantia*, quid sit votum, et quod obliget. 5. Si *promissio nec expresse, nec implicite facta sit Deo.* 6. Si *de re mala*, vel *indifferente* ut tali, vel *bona quatenus impeditiva melioris.* His adde sequentes regulas. Votum *dubium* non obligat, *certum* obligat secundum proportionem materiae convenienter dictis n. 561.

568. *Q.* II. An Beatrix vere voverit dicendo: o Domine, redde sanitatem, et vivam caste. R. Resolutio pendet ex intentione Beatricis. Juxta *Sanch.* L. 4. mor. c. 1. n. 35. quantum verba sonant, videtur esse votum, quia pactum continent non secus, ac si diceremus: Faciam hoc, si feceris illud, vel promitto me facturum, si feceris; adeoque si sit dubium an utens hisce verbis habuerit intentionem se obligandi, praesumendum est habuisse, quia dixit verba, quae de se pactum significant. *Confirm.* ex communi sensu fidelium; qui si quid in gravi necessitate constituti facere decreverunt, postea e periculo erepti conscientiae sibi ducunt, non solvere promissum, etsi expresse non dixerint, promitto, voveo, me obligo etc. Negari tamen non potest, quod plurimi nesciant, haec, aliave similia verba continere pactum: hi si dubitent, an intentionem se obligandi habuerint, censeri possunt, non vovisse. Sic facile conciliantur diversi AA.

569. *Q.* III. An secunda promissio Beatricis sit verum votum. R. cum *Gobat*, Alph. quadrupl. p. 1. de voto, casu 10. n. 237. et *Sanch.* in hoc frequenti casu poenitens debet reflexe interrogari, an ejusmodi verba proferendo tantum cogitaverit de B. V. vel alio Sancto, et non de Deo: si ita affirmet, non fuit votum proprie dictum, ergo nec reservatum summo Pontifici, sed dispensabile ab Episcopo, vel Privilegiato, quia saltem est promissio sacra, et actus hyperduliae vel duliae: si enim B. Virginem et Sanctos licite possum colere cultu sacro in contestationem eorum excellentiae supernaturalis, et gloriae, cur non liceat eis aliquid promittere ad honorandam eorum

excellentiam supernaturalem? Ergo tale promissum sacrum etiam cadit in debitum sacrum. *Sporer* hic n. 32. Si vero poenitens dicat, se quidem cogitasse de Deo, sed solum intendisse promittere B. Virgini, iterum non est votum proprie dictum juxta dicta; in dubio praesumendum est verum votum, quia secundum communem usum talia verba diriguntur ad Deum in honore Sancti.

570. Pro resolutione dubiorum circa intentionem promittendi *adverte*. I. Quando quis statim post prolata verba quaecumque dubitat, an voluerit vere promittere aliquid, an vero tantum proponere, potest probabilius judicare, se non vovisse; voluntatis enim deliberatae se obligandi ad aliquid nemo tam facile, et cito obliviscitur; hanc regulam tradit *Sporer* hic n. 19. ex *Valentia* in 2. 2. d. 6. q. 6. p. 1.

571. II. Non requiritur ad votum validum semper actualis intentio, sed sufficit virtualis. Sic Novitius post Novitiatum illa die, qua ad emittenda vota religiosa admittitur, mane faciens intentionem actualem vovendi, valide vovet, etsi post actualem intentionem distrahatur, angatur, et coram Superiore suo tam distracte verba votorum ex tabella legat, ut nullam amplius habeat actualem intentionem vovendi; quia actualis intentio, quam prius habuit, et non revocavit, virtute adhuc perseverat in effectu, scil. in accessu ad altare, et votorum lectione. Non autem valet votum indirecte tantum volitum in causa, v. g. si quis sciat, quod soleat in ebrietate multa hominibus, vel Deo promittere, et nihilominus se inebriet; si ante ebrietatem non consentiat in obligationem; posito, quod in ebrietate voveret, non tenetur voto; quia tum nequidem adest virtualis intentio vovendi. Ita *Laym.* de vot. c. 1. n. 4. Addit *La Croix* de vot. n. 368. cum *Gobat* et *Illsung*: Si vero ante ebrietatem jam consentiat in obligationem, tenetur voto; quia tum adest directa, licet virtualis tantum voluntas se obligandi.

Si dicas: Qui praevidet, se occisurum esse hominem in ebrietate, vere committit homicidium, si in ebrietate occidat hominem; ergo a pari. R. *N. C.* Quia ad peccatum sufficit, ut sit indirecte, et in causa voluntarium: malum enim oritur ex quolibet defectu, bonum autem, quale est votum, debet esse tale ex integra causa. Hinc qui vult actum malum, cui praevidet annexum esse aliud malum, prudenter censetur velle utrumque; qui autem vult tantum promissionem verbalem, non propterea coram Deo censetur velle obligationem, neque per hoc habet intentionem vovendi. Ita *Suarez*.

Casus II.

Benedictus religionem vovet ex metu mortis, quam intentavit ejus frater, nisi repudiata haereditate religionem voveret: postea consulit Confessarium, an hoc voto teneatur. Paulo post Benedictus in morbum lethalem incidit, iterumque ex metu mortis vovet ingredi ordinem Carthusianorum. Morbo liberatus dum audit, in hoc ordine perpetuo abstinendum esse ab esu carnis, horret, inquiens: Si hoc scivissem, nunquam vovissem.

572. *Q.* I. An Benedictus teneatur voto ingrediendi religionem, quod ex gravi metu emisit. R. Jure positivo ecclesiastico est invalidum. Patet ex c. *perlatum* 1. de his, quae vi, metusve causa fiunt. *Ratio* est, quia si hoc votum esset validum, obligaret ad professionem invalidam; esset enim coacta, sicut votum: atqui ad invalidum actum non datur obligatio: ergo. Vide *Trid.* sess. 25. c. 18. de Regul. ubi anathemati subjiciuntur illi, qui quomodocumque virginem, vel aliam mulierem injuste coegerint ad ingrediendum monasterium, vel ad emittendam professionem. Ibid. c. 19. statuitur, ut is, qui ex metu gravi injuste incusso, emisit professionem, et religionem iterum vult deserere, intra quinquennium a die professionis Superiori suo et

Ordinario rite probet incrum juste incussum, nec habitum sponte, ac inscio Superiore deponat.

573. *Q.* II. An votum ex metu mortis ab aegroto Benedicto factum sit validum. R. *Affirmative*; quia nec injuste, neque directe ad extorquendum votum est incussus ille metus, sed ipse aegrotus illud voluntarie elegit: ergo. Vide dicta n. 227. Universim de metu *observa.* 1. Si quis metu adimente usum rationis, et necessariam discretionem ad vovendum coactus fuerit, jure etiam naturali irritum est votum, quod tamen facile praesumendum non est, quia raro tollitur sufficiens usus rationis. *Laym.* l. c. n. 3. . . 2. Si votum fiat ex metu ab intrinseco vel a causa naturali, v. g. morbo, naufragio, valet; hinc si voveas religionem, vel castitatem extra religionem, ut evadas mortem, infernum, vel infamiam etc. teneris voto, utpote quod tibi est simpliciter voluntarium. Metus enim iste a propria apprehensione excitatus nec aufert libertatem, nec injuste, nec directe est incussus ad extorquendum votum. 3. Si votum fiat ex metu *ab extrinseco* incusso, ita tamen ut *directe* non extorqueatur votum, adhuc valet, v. g. si ad evadendum manus latronis, vel inimici mortem intentantis, Deo voveas perpetuam castitatem, validum erit votum; quia hic metus non fuit incussus eo fine, ut voveas, sed occasione metus injuste incussi tu sponte elegisti votum, ut medium evadendi. 4. Nullus metus injuste et directe incussus ad extorquendum votum, illud reddit invalidum, spectato jure naturali, vel divino, ut docet probabilior sententia apud *Sanch.* L. 4. in Decal. c. 3. n. 9. contra probabilem *Soti* ibi cit.; quia metus quicumque actum voventis simpliciter relinquit voluntarium. Vide *Pichler* L. 3. Decret. t. 3. n. 4. . . . 5. Jure tamen positivo ecclesiastico vota religiosae professionis ex metu injuste incusso irrita sunt juxta dicta n. 572. Probabiliter id non videtur extendendum ad alia vota, quia de iis ibi nulla fit mentio. Ita *S. Antonin.*, *Sotus*, *Palao*, et alii. Nihilominus in praxi tuta videtur esse sententia, quod etiam reliqua vota ex metu injuste incusso facta sint irrita. Ita *Sanchez* l. c. n. 11. cum plurimis gravissimis AA. Non enim praesumendum videtur, quod Deus ejusmodi vota acceptet; alias vim daret injustae coactioni.

574. *Q.* III. An Benedictus obligetur ingredi ordinem Carthusianorum. R. Non obligatur, quia ignorantia et error versatur circa circumstantiam magni momenti, qua cognita (ut supponitur) ille non emisisset votum. *La Croix* hic n. 378. In similibus casibus attendendum est ad sequentes regulas. Invalidum est votum 1. Si quis ignoret, aut erret etiam culpabiliter circa substantiam voti; 2. vel circa circumstantias magni momenti, quas si nosset, non voveret: *excipe* votum professionis solemnis, quod instar matrimonii ob nullum errorem nisi ad substantiam rei promissae pertinentem infirmatur. Idem affirmat *Laym.* l. c. n. 8. cum *Sanch.* de votis simplicibus Societatis Jesu. 3. Vel circa causam finalem, sive motivum vovendi, v. g. si voveas Paulo dare eleemosynam, quem erronee putas esse pauperem, cum tamen dives sit, irritum est votum; quia finis intrinsecus eleemosynae est sublevatio miseriae proximi: ergo cum in dato casu cesset finis eleemosynae, etiam nullum est votum de danda eleemosyna. *Ratio* horum est, quia valor voti dependet a voluntate voventis, et quidem directa: atqui hunc tollit ignorantia vel error in dictis casibus, cum non relinquat nisi voluntarium indirectum, et in causa: ergo. *Filliuc.* t. 26. c. 1. n. 21. contra *Sanch.* Econtra valet votum ex errore vel ignorantia emissum, si error tantum versetur circa accidentalia rei promissae, vel circumstatias exigui momenti (ex supposito, quod vovens suam intentionem iis non alliget expresse) vel circa causam mere impulsivam, v. g. vovens eleemosynam dare Petro, quem putas esse pium, sed postea experiris illum esse improbum, teneris voto; quia circumstantia improbitatis non afficit substantiam eleemosynae, quae dari potest probo aeque ac improbo. Aliud foret, si dixisses: Voveo Petro eleemo-

synam, si sit probus, quod votum conditionatum non substitisset non subsistente conditione. *La Croix* l. c. n. 378. Porro illa circumstantia est tanti momenti, ut votum infirmet, juxta *La Croix* hic n. 377. cum *Gobat*, quae homines paris conditionis solet retrahere a vovendo: vel si vovens ex fine voti, aut aliunde verosimiliter possit conjicere, se ita constitutum fuisse quando promisit, ut promissurus non fuisset, si haec vel illa circumstantia cognita fuisset. Recte tamen *Babenst.* t. 5. d. 3. a. 3. n. 24. ait cum *Suarez*, certam ac generalem regulam dari non posse, sed opus esse pro variis hominum conditionibus prudentis arbitrio.

Casus III.

Beda vovit jejunium integrae hebdomadis; at die Martis propter duros labores jejunare non potest. Alias vovet jejunium in pane et aqua, quod tamen inadvertenter bibendo vinum apud amicum, violat. Idem ante semestre vovit peregrinationem Walthuram, quam propter negotia hucusque distulit, cui voto nunc per alium satisfacere cogitat.

575. *Q.* I. An Beda contra votum peccaverit non jejunando propter graves labores. R. Si vere fuerint tales labores, qui per se a jejunio excusant, non peccavit; quia prudenter praesumitur votum jejunii non aliter fecisse, nisi ad modum, quo obligat jejunium ecclesiasticum: atqui hoc non obligat eos, qui gravibus laboribus defatigantur: ergo. Ex eadem ratione, qui vovet singulis anni diebus jejunare, non obligatur ad jejunandum diebus Dominicis, nec die Nativitatis Christi, aut dum attigit annum sexagesimum, nisi expresse aliter se obligare intenderit: ordinarie autem non censetur se voluisse obligare contra receptam Ecclesiae consuetudinem. *La Croix* hic n. 438. cum multis.

576. *Q.* II. An Beda hoc ipso, quod die Martis non potuerit voto satisfacere, reliquis diebus liberetur ab obligatione. R. Beda tenetur diebus reliquis jejunare, quibus potest. Pro ratione tradit *Laym.* l. c. c. 2. n. 3. sequentem regulam ex *Suar.*, et *Sanch.* si votum sit partim de possibili, partim de impossibili, attendendum est, an partes voti sint divisim promissae, et sine dependentia inter se, ita ut partes singulae, v. g. singuli dies hebdomadae in nostro casu, fuerint per se materia voti virtualiter multiplicis, tunc facta una parte impossibili, vel inepta, v. g. jejunio pro die Martis, votum adhuc obligat secundum partem aptam et possibilem, v. g. jejunium possibile pro reliquis diebus, quia juxta reg. jur. 37. in 6. *utile per inutile non debet vitiari.* Sic qui vovit recitare decem rosaria, si nequeat orare omnia, tenetur ad ea quae potest, nisi constet, aliam fuisse mentem voventis, quae primario semper respici debet. Econtra si partes totius collective, et per modum unius fuerint promissae (quod tunc censetur contingere, quando partes inter se vel ex natura rei, vel ex usu hominum ordinarie copulari solent) tunc facta una parte inepta, illicita, vel impossibili, cessat tota obligatio etiam quoad reliquas partes, quia non fuit intentio voventis observare unam partem absque altera. Sic, qui vovit aedificare Ecclesiam, postea superveniente paupertate non tenetur ad partem possibilem, v. g. ad aedificandam capellam; qui vero vovit mille aureos dare ad pias causas, si postea non possit largiri totum, debet dare quantum potest. *Laym.* l. c.

577. *Q.* III. An Beda peccaverit inadvertenter bibendo vinum contra votum; item an nihilominus teneatur adhuc jejunare. R. *Ad* 1. non peccavit, quia ad quodlibet peccatum requiritur advertentia ad obligationem. R. *Ad* 2. tenetur adhuc jejunare, quia abstinentia a vino est tantum accessorium ad jejunium, quod censetur esse principale respectu talis voti. Hinc in ejusmodi casibus observanda est sequens regula: si cesset principale, cessat et accessorium, nisi expresse alia fuerit mens voventis; econtra cessante accesso-

rio non cessat principale, quia principale directe et primario praesumitur intendi a vovente. Ita *Jansen.* de voto n. 13. cum *Suarez*, *Sanch.*, *Palao*, et *Laym.*

578. *Q.* IV. An Beda peccaverit mortaliter tamdiu differendo peregrinationem. Item an possit per alium obligationi satisfacere. R. *Ad* 1. non peccavit graviter, ex dictis n. 565. nam quilibet vovens talia vota censetur sub conditione tacita emittere: Hoc proxima occasione faciam, nisi aliunde rationabiliter ero impeditus. Aliud tamen est de votis perpetuis, quia haec per dilationem minuuntur; tantum enim de opere promisso detrahitur, quantum differtur votum; hinc obstrictus voto religionis sine mortali non potest ad 7. vel 8. annos differre propria culpa, quia notabile tempus subtrahitur divino servitio. Qui autem jam est annorum 60. sine justa causa non potest ultra annum differre executionem voti; imo brevius tempus sufficiet ad peccatum mortale, si adsit periculum omittendi votum. Vide *La Croix* n. 446. R. *Ad* 2. Non satisfacit voto per alium, quia votum peregrinandi supponitur fuisse personale; adeoque, si non possit in persona propria peregrinari, non tenetur constituere alium: secus si intentio expressa fuisset, quod in suo defectu vellet alium mittere peregrinaturum.

579. Porro *observa* I. Si quis gratis in se suscipiat votum reale alterius, v. g. de ardendo paupere, probabilius peccat graviter, non exequendo votum. Eruitur ex c. *licet* 6. de voto. Et *ratio* est, quia suscipiens in se votum gravare alterius, censetur hoc ipso totam obligationem suscipere, adeoque se vel le obligare graviter, sicut alter graviter obligabatur. Ita *Jansen.* contra *Cajet.*, et *Henriq.*

580. II. Votum reale transit quidem ad haeredes, ut patet ex c. *Si haeredes* 6. de testam. Haeres enim eo ipso, quod acceptet haereditatem, etiam cum commodis acceptat onera defuncti: ergo tacito ex pacto, et titulo justitiae obligatur ad ea; non tamen tenetur haeres solvere vota defuncti, nisi ex eo quod deductis aliis debitis, et expensis funebribus superest de haereditate, quia de hoc solo potest defunctus disponere, vovendo vel distribuendo ad pias causas. Haec rite exponit *S. Antonin.* P. 2. Summ. Theol. tit. 11. c. 2. §. 5. *Si est votum tantum reale, ut fundandi monasterium, vel dandi tantum pro Deo ... tunc haeres tenetur, sicut in aliis debitis. Si autem est tantum personale ut jejunare ... haeres non tenetur, nisi sponte obligaverit se ... Si autem est simul reale et personale, et expressum utrumque, tunc tenetur ad reale, ut si vovit ire ad s. Jacobum et ibi offerre unum equum, haeres non tenetur ire, sed offerre unum equum ... Si autem est personale et reale, sed personale est principaliter expressum, reale tantum accessorium, ut ire ad s. Jacobum, non tenetur haeres expensas, quas fecisset ille eundo, offerendo et redeundo, dare, sicut nec tenetur ire.*

581. III. Qui vovit peregrinari, potest id praestare eques vel pedes, quia utroque modo vere peregrinamur; imo satisfacit obligationi, quamvis simul peregrinetur ex curiositate aut rationabili invisendi amicum, vel negotiorum causa, modo simul adsit voluntas invisendi locum sacrum, et revera devote visitet. *Palao* hic p. 12. n. 9.

Casus IV.

Bonosus vovet castitatem, quamvis ob consuetudinem luxuriae judicet tutius sibi fore matrimonium: hinc postea dubitat de valore voti. Item plura vota circa materiam exiguam emisit, scil. quotidie orare De profundis, *visitare Venerabile Sacramentum, dare exiguam eleemosynam etc. quae tamen aliquoties omnia neglexit. Denique ad evitandam ebrietatem et lusum, vovet: Toties dabo pauperi ducatum, quoties me inebriavero;*

item voveo non amplius ludere, et si posthac lusero pictis foliis, altera die jejunabo.

582. *Q.* I. An primum votum Bonosi consuetudinarii in luxuria sit validum. R. *Affirmative*: quia castitas est absolute majus bonum etiam consuetudinario, potestque talis adhibere media, quae abunde suppetunt ad refraenandam libidinem, et vovendo castitatem ad ista media adhibenda implicite se obligavit: ergo. Porro verba Apostoli 1. Cor. 7. *Melius est nubere, quam uri*, intelligenda sunt conditionate; si quis non velit adhibere media, sicut potest ac debet. Ita *La Croix* hic n. 481. cum *Sanch.*, *Palao*, *Moya* et aliis. Contrarium quidem resolvit *Burghaber* cent. 1. cas. 66. cum *Trullenchio*, *Ledesma*, *Bonac.* et aliis; nostram tamen resolutionem dicit esse communiorem et probabiliorem, additque cautissime Confessarium procedere debere in declaranda nullitate talis voti, ne, dum unum vult juvare, plures in perniciem trahat: itaque tali suadendum est, ut petat dispensationem, quae pro voto non solemni facile conceditur. *Confirm.* Si adversariorum sententia in praxi teneret, ergo is qui per culpam contraheret proclivitatem ad luxuriam, et quo magis fornicaretur, eo facilius deobligaretur a voto, quia ob consuetudinem relabendi votum desineret esse de meliori bono: atqui hoc videtur absurdum, daretur enim multis occasio et illicium luxuriandi, ut tandem excuterent votum.

583. *Q.* II. Quomodo peccaverit Bonosus negligendo vota plura circa materiam exiguam. R. Examinanda *primo* est intentio voventis, an compensare voluerit altero die, quod praecedente omiserat: sic non peccavit, sed tenetur adhuc satisfacere obligationi. 2. An vota parva uniantur in eodem voto per modum unius materiae, v. g. si unico voto pro eodem die vovisset 200. Pater et Ave, vel viginti pauperibus dare duos Imperiales, sic totum negligendo videtur peccasse mortaliter, nisi expresse aliam habuerit intentionem. 3. Si vero res parvae promissae sint disparatae (uti in nostro casu sunt) aut diversis diebus annexae, adeoque nec unibiles, non peccavit mortaliter, sed venialiter. In dubio praesumitur, quod tantum sub veniali se voluerit obligare, etiamsi levia disparata longo tempore omitteret. Ita *Jansen.* de voto n. 11.

584. *Q.* III. Quid observandum sit de voto poenali. R. Votum poenale potest 1. obligare vel *ad poenam tantum*, v. g. voveo dare florenum, quoties me inebriavero; ex his praecise verbis Bonosus censetur simplici voto se obligare voluisse ad poenam, adeoque se inebriando non peccavit contra votum: peccat autem non dando pauperi florenum. 2. Vel *simul ad rem et poenam.* Tale fuit votum Bonosi de non ludendo, ideoque peccat ludendo, et non jejunando post lusum, quia est duplex votum. *Quaeres.* Quid, si Bonosus immemor voti, et praeter intentionem se inebriasset, an obligaretur ad poenam. R. *Negative*; quia non peccasset formaliter contra votum; ita *Sanchez* L. 4. Decal. c. 22. n. 20. Juxta *Tamb.* universaliter, quando quis excusatur a voto, etiam excusatur a poena. Si memor fuisset voti, at immemor poenae, respondet *Laym.* de voto c. 5. n. 3. talem ad poenam obligari; sicut qui novit legem latam, licet ignoret vel obliviscatur poenam, eam tamen incurrit. Deinde quomodo quis potest esse memor voti poenalis, et non cognoscere poenam? Contrarium resolvunt *Diana*, *Illsung* et alii. Quid, si se inebriasset non plene, sed tantum sub levi culpa? R. Non tenetur ad poenam, quia gravis poena non censetur volita pro levi culpa. *La Croix* hic n. 472.

585. *Q.* IV. An Bonosus teneatur tantum jejunare prima vice, quando pictis foliis lusit, an vero toties, quoties. R. Quod toties, quoties luserit, obligetur ad jejunium; quia sicut votum principale Bonosi de non ludendo ad omne tempus refertur; ita et votum accessorium de solvenda poena videtur intelligendum. Sic *Laym.* l. c. n. 4. de duplicibus ejusmodi votis uni-

versaliter respondet. De simplicibus vero, et mere poenalibus, si dubia sit intentio voventis, an se obligaverit toties, quoties, vel tantum pro prima vice, *Sanchez* l. c. n. 21. contra *Emman. Sa* tradit hanc regulam: Si poena statuta a vovente sit gravissima, quae iterari non solet, v. g. peregrinatio transmarina, censetur tantum pro prima vice ad eam se obligasse; si vero poena sit moderata, quae iterari consuevit, v. g. jejunium, eleemosyna ordinaria, tenetur toties, quoties; sic enim communiter vovent homines, ut se efficacius a delicto praeservent, id quod praecipue intendunt; ex communiter autem contingentibus est prudens praesumptio. Ita etiam *Palao et Illsung.*

586. Ad plurimos alios casus resolvendos *observa* I. Qui vovit absolute non ludere, non cogitando, an lusu tantum immoderato, an vero etiam moderato velit abstinere, non tenetur abstinere a moderato; quia votum in dubio in favorem voventis explicari potest, ut docet communis cum *Bonac.*, *Tamb.*, *Diana*, *Laymann*; secus si expresse intellexerit lusum etiam moderatum, quia etiam ab hoc abstinere perfectius est propter mortificationem, aliosque fines honestos. *La Croix* loc. cit. n. 453.

587. II. Circa dubia varia de obligatione voti observa, quae dicta sunt de Consc. dubia, praesertim Principia n. 36. et n. 40. quando sit melior conditio possidentis, ex quibus 1. resolves, quod is qui scit, se vovisse, dubitat autem, an voto satisfecerit, teneatur adhuc satisfacere: qui dubitat, an possit satisfacere, debet tentare, aut relaxationem petere, quia votum est in possessione. 2. Ut saepe dictum, et in confessionibus rudiorum semper observandum: qui dubitat an voverit, vel tantum proposuerit, non obligatur, quia libertas est in possessione. Plura vide n. 55. et seq.

588. III. Circa dubium commune, si quis voverit abstinere a vino, quaenam portio vel quantitas vini censenda sit gravis, ut constituat peccatum mortale, respondet *Stoz* L. 1. p. 3. q. 3. n. 349., cum *Palao* et *Sanch.*, et assignat eam quantitatem, quae moderate bibentibus vinum sufficit pro prandio, determinate assignat mediam mensuram (si intellexerit Franconicam, consentio) ita ut, quidquid notabiliter infra hanc quantitatem est, non excedat peccatum veniale.

589. IV. Votum conditionale non obligat prius quam conditio posita impleatur: si conditio unice pendeat a voventis arbitrio, potest ea non poni absque peccato, nisi aliunde praecepta sit, v. g. qui vovet religionem, si per totum annum se non inebriaverit, non tenetur voto, si se inebriaverit; peccat tamen se inebriando, quia hoc aliunde prohibitum est. Si vero positio conditionis ulterius arbitrio commissa sit, adhuc impediri potest, modo vis, fraus, dolus aut metus non interveniat, v. g. qui vovit Religionem, si pater non contradixerit, poterit bonis artibus, v. g. precibus non importunis impedire consensum. Ita *Stoz* l. c. n. 352. Aliqui cum *Suarez* L. 4. de vot. c. 17. a n. 20. affirmant, votum non valere, etiamsi consensus, vel alia conditio posita a vovente per fraudem impediatur, tum quia conditio non est impleta, ergo non exsurgit obligatio voti: tum quia ipse non vovit, quod non velit ejusmodi fraude impedire consensum. Sed praeferenda prima responsio, quia prudentius praesumitur, quod quilibet sub conditione voveat: Si penes ipsum fuerit, nec justa causa adfuerit impediendi, ne penes ipsum sit. Vide *Laym.* circa finem c. 6. de vot. Si pater moriatur, mors habetur pro consensu. *La Croix* hic n. 469. Denique si conditio non pendeat a voluntate voventis, vovens debet exspectare, quamdiu conditio est probabiliter futura. *Jansen.* l. c. n. 18.

590. V. Anxiis, junioribus, et rudioribus suadendum est, ne unquam votum emittant, nisi prius consuluerint Confessarium, vel alium virum prudentem: sic omittentur multae infideles et stultae promissiones, quae displicent Deo, uti innuitur Psal. 49.

§. IV. *Quibus modis tollatur obligatio voti.*

Nota. Obligatio voti dupliciter tolli potest: 1. nulla auctoritate humana interveniente: 2. interveniente tali auctoritate, per irritationem, commutationem, vel dispensationem.

591. *Principium I.* Obligatio voti extinguitur 1. *ob notabilem mutationem materiae*, v. g. si ex possibili fiat impossibilis, ex licita illicita, ex bona indifferens, aut majoris boni impeditiva: *nam obligatio extinguitur, si in eum casum incidat, a quo incipere non potest.* L. *pluribus.* §. *Etsi placeat, ff. de verb. oblig.*, v. g. vovisti peregrinari pedes; non amplius obligaris, si factus sis claudus, vel ob aetatem decrepitam iter confícere nequeas. NB. Si major difficultas vel periculum non oriatur ex ipsa re, sed ex malitiosa voluntate voventis, non cessat obligatio voti. Sic nova et major difficultas post emissum votum castitatis ex frequentibus lasciviae actibus orta non excusat a voto, quia haec se non tenet ex parte materiae promissae, scil. castitatis, sed ex parte habitus viticsi et voluntatis perversae, quam quilibet debet corrigere. *Jansen.* cas. 70. n. 1. Vide dicta n. 582.... Aliud est, si tua culpa materia, sive res promissa facta sit impossibilis, vel plane inutilis, tunc adhuc cessat obligatio, et sufficit dolere de culpa. *Busemb.* de vot. dub. 5. ... 2. Extinguitur obligatio voti per cessationem finis sive motivi principalis: sic mater, quae vovit peregrinationem pro impetranda sanitate filii, si is ante peregrinationem moriatur, voto non amplius obligatur. *Laym.* l. c. c. 8. n. 2.... 3. Quotiescumque tanta intercedit mutatio, novum impedimentum, aut inopinatus casus, qui si ab initio occurrisset, voti valorem impedivisset: vel si rationabiliter praesumi possit, voventis intentionem ad hunc specialem eventum se non extendisse, tunc cessat obligatio voti. Ita *Suarez* L. 4. de vot. c. 19. n. 4., *Laym.* l. c. Sic is qui vovit peregrinari ad locum aliquem votivum, si postea experiatur, viam esse infestam latronibus, durante hoc periculo, excusatur a voto, quia id non fuit praevisum: secus si incommodum vel periculum rationabiliter potuit praevideri, v. g. si quis voverit in nosocomio servire infirmis, tenetur exequi votum, licet sit periculum infectionis; hoc enim ejusmodi obsequia ordinarie comitari solet.

592. Principium II. *Irritatio est annullatio voti facta proprio nomine ab eo, a cujus potestate dominativa dependet vel voluntas voventis, vel res de qua fit votum.* Eruitur ex *S. Thom.* 2. 2. q. 88. a 8. et 9., ubi agit de iis, qui impediuntur a vovendo. Dicitur 1. *Annullatio voti*, hoc est, ablatio obligationis alias ex voto implendae. 2. *Proprio nomine*, sic differt irritatio a dispensatione, quae fit nomine Dei, qui dedit potestatem jurisdictionis Ecclesiae ad remittenda vota sibi facta, si causa subsit; irritatio autem fundatur in potestate dominativa, sive illius cui vovens persona, vel res, quam promisit, ita subjecta est, ut sine consensu domini firmiter obligari nequeat: ideoque omnia vota alicujus ab alterius potestate ita pendentis includunt hanc conditionem: *Si ille, cui subjectus sum, consentiat.* Ergo hoc ipso, quod ille non consentiat, tollitur voti vel juramenti obligatio, etsi votum factum esset in favorem tertii. *Laym.* l. c. c. 8. n. 21. Secus est in dispensatione, ut dicemus. 3. Ex postremis verbis irritatio alia est *directa*, alia *indirecta. Directe* vota potest irritare is cujus potestati voventis voluntas subjecta est; sic filii impuberes pendent a potestate patris. *Indirecte* autem is, cujus potestati non quidem alterius voluntas, sed materia voti subjecta est, in quantum haec ipsius juri praejudicat, contra quod nemo potest aliquid promittere. Sic servi pendent a potestate dominorum. Vide cas. 1. infra.

593. *Principium III.* Dispensatio est totalis relaxatio obligationis ex voto contractae, facta ex justa causa nomine Dei ab eo, qui in voventem habet jurisdictionem spiritualem. Dicitur 1. *Relaxatio totalis:* sic differt a commu-

tatione, per quam non tollitur tota obligatio, sed transfertur in aliam materiam. 2. Additur *ob justam causam*; unde iterum differt ab irritatione: dispensatio enim in votis sine causa, illicita et invalida est; quia potestas dispensandi in jure Superioris (scilicet Dei) Praelatis Ecclesiasticis, qui non sunt domini, sed dispensatores, collata est in aedificationem, non vero in destructionem, ut ait *S. Th.* 2. 2. q. 88. a. 12. ad 2. *Suarez* L. 6. de vot. c. 17. num. 2. Rescissio autem vel irritatio voti facta sine justa causa, illicita quidem est, sed valida; quia qui irritat votum, proprium jus exercet; jure autem suo vel dominio valide quis uti potest etiam sine causa: ergo. Ut valida sit dispensatio, requiritur 1. justa causa, ut modo dictum est. 2. Potestas vel ordinaria, vel delegata. *Ordinariam*, sive annexam officio aut dignitati habet *Papa*, et quidem universalem tum respectu omnium votorum, tum respectu omnium fidelium; item *Episcopus* quoad vota suorum dioecesanorum (praeter ea, quae summo Pontifici sunt reservata, de quibus n. seq.); item *Sede vacante Capitulum*, ut ait *Laym.* l. c. n. 61.; *Legatus Pontificius* in Provincia, ad quam missus est; Praelati Ordinum exemptorum cum suis Regularibus etiam Novitiis, idque circa vota tum in saeculo, tum in Novitiatu facta. Denique Superiores locales respectu suorum Religiosorum. *Ratio* est, quia hi omnes jure ordinario habent jurisdictionem spiritualem externam; econtra defectu hujus jurisdictionis in foro externo. 1. Parochi non habent potestatem dispensandi aut commutandi vota, nec consuetudo eam illis concessit, uti circa festa et jejunia, ut ait *Stoz* l. c. n. 357. . . 2. Multo minus eam habet simplex Sacerdos. 3. Nec Abatissae respectu suarum Monialium. Superiores, qui habent potestatem ordinariam, probabilius mediate secum dispensare possunt, dando jurisdictionem Confessario suo. *Jansen.* de vot. disp. n. 4. cum *Sanch.* contra *Suar.*

594. *Delegatam* dispensandi potestatem habent Confessarii Ordinum Mendicantium in votis saecularium, in quibus dispensare possunt Episcopi, secundum concessionem et moderationem suorum Superiorum, ut ait *Busemb.* cum *Lessio*; quod privilegium Ordinibus Mendicantibus concessit *Innoc. VIII.* specialiter RR. PP. Benedictinis *Martinus V.* quo gaudet Societas Jesu, ut habetur in ejusdem Compendio Privil. V. *Dispensatio* §. 9. *Per facultatem Benedictinis concessam a Martino V. possunt nostri Confessores deputati dispensari in votis, etiam Episcopo reservatis.* Ibidem subjungitur: *Haec facultas communicatur omnibus Superioribus, et aliis Confessariis, quibus ipsi eam commiserint.*

Concessum etiam est Provincialibus nostris, et iis Confessariis juxta normam Trid. approbatis, quibus ipsi vel per se, vel per alium concesserint privilegium dispensandi in petendo debito, a quo conjux ob votum castitatis non solemne impeditur, admonito poenitente, ut si conjugi supervivat, votum servet. ibid. §. 8.

595. *Q.* Quaenam vota summo Pontifici sint reservata. R. Haec quinque: 1. Votum castitatis perpetuae, et integrae. 2. Votum ingrediendi Ordinem Religiosum ab Ecclesia approbatum. 3. Peregrinandi Hierosolymam ad s. Sepulchrum. 4. Peregrinandi Romam ad limina sanctorum Apostolorum Petri et Pauli. 5. Peregrinandi Compostellam ad s. Jacobum. Vide *Laym.* l. c. n. 7.

595. *Principium IV.* Commutatio voti est substitutio alterius operis honesti in locum illius, quod promissum est, sub eadem obligatione. Haec triplex est. *Prima* est commutatio operis voto promissi in melius; haec potest fieri propria auctoritate voventis, nec praeterea alia causa requiritur, v. g. Petrus cereum vovit offerre in Ecclesia; idem poterit hoc votum, nemine requisito, mutare in oblationem calicis; quia hoc opus manifeste melius est Deo gratius: ergo prudenter praesumitur a Deo id acceptari loco alterius minus boni. *Confirm.* ex c. *Pervenit* 3. de Jurejur.; *Non enim propositum aut promissum infringit, qui in melius id commutat. Sanch.* L. 4. Decal. c. 49. num. 4.

Excipe tamen vota summo Pontifici reservata, quorum objecta non licet mutare in meliora, praeterquam in ingressum religionis. *Babenst.* t. 5. d. 3. a. 4. n. 87. Item quando opus minus bonum cedit in utilitatem tertii, *isque per acceptationem jus acquisivit id promissum*, non licet illud mutare in melius propria auctoritate; homines enim saepe rem minus praestantem malunt; Deo vero semper gratius est id, quod est praestantius. *Sanch.* l. c. In dubio, an hoc vel illud sit melius, possessio est pro voto prius emisso. *Sporer* hic c. 3. n. 81.

Titius vovet, se daturum pauperi 20. *ducatos, postea petit a Confessario commutationem hujus voti.* Quaeritur, an possit hoc votum commutari. R. ut supra. Si pauper acceptaverit promissionem, non potest fieri commutatio, quia pauper per acceptationem acquisivit jus: ergo commutatio non potest fieri salvo jure tertii. Si autem pauper nondum acceptaverit, potest commutari votum, quia pauper nondum habet jus: ergo commutatio fit nullius laesione juris.

Si dicas: Deus acceptat hoc votum. R. Acceptat pro se, et tanquam actum religionis C.; pro paupere, conferendo illi jus in promissum. N. Ideoque talis tantum obligatur ex titulo religionis, non autem ex titulo justitiae, deficiente acceptatione.

597. *Secunda* commutatio fit in opus aequale. Probabilius haec non potest fieri propria voventis auctoritate; quia non potest aliud pro alio solvi, nisi constet de promissarii consensu: atqui non satis constat, Deum consentire in talem mutationem: ergo. Accedit quod commutatio sit actus jurisdictionis Ecclesiasticae: ergo cum vovens nec ordinarium, nec delegatam habeat jurisdictionem in se ipsum, etiam non potest commutare hoc in aliud aequale; adeoque requiritur ad hoc auctoritas legitimi Superioris, ut n. seq. dicetur. *Laym.* l. c. n. 19. concl. 3. cum *Suar.*, *Sanch.* et aliis. Contrariam sententiam *Sporer* l. c. n. 83. adhuc judicat certe probabilem. Placet prior sententia pro praxi, quia plerumque vovens nescit, an aliud opus sit vere aequale.

598. *Tertia* commutatio fit in opus minus bonum. Ut licite et valide fiat in aequale, vel minus bonum, requiritur 1. causa rationabilis. Ad commutationem in opus aequale sufficit, si vovens existimet, quod opus substituendum majori cum fructu et alacritate sit peracturus. *Babenst.* cum *Illsung* l. c. n. 89. . . 2. Requiritur legitima potestas vel ordinaria, vel delegata in commutante. Porro *observa* 1. Si opus substitutum sit notabiliter minus, quam antea promissum, tunc intervenit in commutatione dispensatio. *Filliuc*... 2. Qui possunt dispensare, etiam possunt commutare vota, non tamen econtra; in novissimis enim Jubilaeis datur Confessariis approbatis potestas commutandi vota et juramenta, praeter vota castitatis et religionis, non vero dispensandi. *Laymann* l. c. n. 20. confirmat ex reg. 53. in 6., *Cui licet quod est plus, licet utique quod est minus*: atqui plus est dispensare, quam commutare: ergo. 3. Qui habet potestatem commutandi, et non dispensandi, debet commutare in aequale; quia si in minus mutetur, hoc ipso quoad partem dispensatur. *Laymann* l. c. n. 24. ubi monet, quod aequalitas non scrupulose et mathematice, sed moraliter accipi debeat, secundum prudens judicium Confessarii, nec parvus defectus pro culpa reputari poterit. 4. *Paulus III.* anno 1545. Confessariis Societatis Jesu concessit facultatem commutandi vota, exceptis quinque summo Pontifici reservatis. Vide Bullam: *Cum inter*. Eamdem facultatem extendit *Gregorius XIII.* anno 1575. in Bulla: *Decet Romanum*, ad vota jurata; dummodo commutatio hujusmodi in alterius praejudicium non fiat. Vide Compend. Privileg. S. J. *V. Commutatio.* 5. Probabiliter dispensatio et commutatio fieri potest etiam extra confessionem, quia nullibi praescribitur ut tantum fiat in confessione. *Nec obstat*, quod in quibusdam Bullis Jubilaei soleat addi: *Confessionibus auditis, valeat absolvere* a peccatis, et *commutare vota*; nam *to confessionibus auditis* pertinet ad *absolvere*, quod

mmediate sequitur, non vero ad *ro commutare vota.* Vide *La Croix* de voto n. 507. cum *Suarez, Sanch., Vasq., Palao, Laym.* etc.

§. V. *Resolvuntur Casus.*

Casus I. De irritatione voti.

Bonaventura paterfamilias advertit, quod filiae quotidie toto tempore matutino haereant in templo, filii vero frequentes peregrinationes instituant: item quod famuli et ancillae, neglecto servitio domestico, varia pia opera exerceant. Denique sciscitatur originem insolitarum devotionum? respondet Basilissa uxor: Ego ex voto omnes induxi, ut et ipsi sub voto se obligaverint ad haec pietatis exercitia. Placide subridens Bonaventura reponit: amodo scitote, quod nulla sint vota vestra.

599. *Q.* An Bonaventura potuerit irritare vota uxoris, prolium et famulorum, famularumque. R. *Affirmative. Ratio* patebit ex seqq.

600. I. Maritus potest irritare ea vota uxoris, quae juri conjugali, educationi prolium, vel gubernationi domus praejudicant. Ita *Communis;* juxta alios quidem directe, juxta *Suarez* cum multis L. 6. de voto c. 4. n. 3. indirecte tantum fit talis irritatio, ita ut alia vota, quae dicto modo non praejudicant, probabilius non possint irritari a marito. *Suarez* l. c. n. 4., *Sylv., Navarr., Laym.* cum *S. Antonino. Ratio* est, quia tota subjectio uxoris fundatur in contractu matrimonii: atqui hic contractus tantum obligat, ut alter alteri conjugii jura tribuat, et mulier viro tanquam capiti subdita sit in vitae societate, liberorum educatione, ac familiae administratione, non vero ut uxor subjecta sit simpliciter in omnibus actionibus alioquin liberis: ergo. Hinc uxor potest vovere eleemosynam de bonis paraphernis, moderatam orationem, sacram Communionem, unius diei jejunium etc., quia haec non afferunt praejudicium juri maritali. Si tamen maritus etiam haec ferat iniquo animo, desinunt obligare, quia tunc majus bonum pacis impediunt. *Laym.* l. c. n. 12. ubi etiam solvit argumenta adversariorum *Soti, Rosellae, Sanchesii* L. 4. mor. c. 34. n. 2. qui docent, uxorem subditam esse non tantum quoad materiam voti, sed etiam quoad voluntatem gubernandam, adeoque a marito irritari posse omnia vota uxoris.

601. II. *Observa* sequentia. 1. Pariter uxor vota mariti irritare potest, quae matrimonio praejudicant, *personalia* quidem, quae juri suo derogant, quod habet in corpus mariti, v. g. ne abstinentia immoderata affligatur, aut ne longa peregrinatione abstrahatur: excipe *peregrinationem Hierosolymitanam in subsidium Terrae sanctae*, ut patet ex c. *ex multa* 9. de voto §. *in tanta. Realia* vero, si cedant in detrimentum dotis, vel aliorum bonorum suorum, quae administrat maritus. *Laym.* ibid. 2. Vota indirecte irrita vel potius suspensa iterum reviviscunt, quando desinunt alteri praejudicare. 3. Votum uxoris non petendi debitum a marito irritari non potest, quia conjux non tenetur petere, sed reddere debitum; quamvis ejusmodi votum hic et nunc actu non obliget, quando discordiae causam praebet, sic enim esset impeditivum majoris boni. *Laym.* l. c. n. 16. Merito ejusmodi vota tanquam indiscreta conjugibus, nisi senes sint, sunt dissuadenda. 4. Si conjuges mutuo consensu voveant castitatem, ipsi postea propria auctoritate hoc votum irritare non possunt, quia ambo renuntiarunt juri suo. *S. Anton.* p. 3. tit. 1. c. 22. §. 3., *Sylv. Navarr.* et alii. Denique si conjux conjugi absolute dederit licentiam vovendi castitatem, postea consensum revocare non licet, nec petere debitum, quia cessit juri suo. Vide c. *Manifestum* c. 33. q. 5. *cum glossa Gratiani.* Secus si pure permiserit, reservando sibi jus suum. *Laym.* l. c. n. 15. Irritationis leges in V. T. latas vide *Numerorum* 30.

602. III. Omnia vota tam realia, quam personalia etiam aliis reservata quoad

dispensationem summo Pontifici, et facta in favorem tertii a prolibus emissa ante pubertatem (h. e. a masculis ante decimumquartum, a foeminis vero ante decimumsecundum aetatis annum completum) potest directe irritare pater, tutor, curator, deficiente vel longe absente patre, avus ex parte patris, non matris, denique mater. *S. Th.* 2. 2. q. 88. a. 9. in corp., *S. Anton.* et comm. *Ratio* s. Th. est, *tum quia patiuntur rationis defectum, ut in pluribus, et sunt naturaliter sub cura parentum*, scil. non tantum secundum materiam promissam, sed etiam secundum personam. In defectum horum probabiliter quidem eamdem potestatem irritandi *Lessius*, *Laym.* l. c. num. 10. concedunt magistris, aliisque, sub quorum gubernatione impubes existit; contrarium tamen videtur probabilius, quia haec potestas ex nullo jure ostendi potest. Vota ab impubere facta non tantum durante impubertate, sed etiam postea irritari possunt, *nisi puber factus, vel ipse pater ea confirmarit*; quia votum impuberis non tantum ob dominium paternum, sed etiam ob immaturitatem judicii et imperfectionem aetatis dependebat ab initio a consensu patris: ergo nisi accedat nova confirmatio habita pubertate, conditio consensus paterni tractu temporis non aufertur. *Suar.* tr. 6. de vit. et statu Relig. L. 6. c. 6. n. 8. hanc sententiam vocat probabiliorem.

Quid, si constet, impuberem jam doli capacem cum perfecta deliberatione emisisse votum perpetuae castitatis: an nihilominus pater tale votum poterit irritare? Respondet *Hugo*, tunc votum non esse irritabile. *Vivalda* in Candelab. 3. p. c. 4. n. 99. ait, patrem posse quidem irritare omnia vota realia filii impuberis, non tamen omnia personalia, sed illa tantum, quae patri vel matri praejudicant. Contra hos *Suar.* l. c. n. 5. resolvit, quod haec sententia ab omnibus reprobetur, et statim num. 6. diserte asserit, quod pater possit irritare omnia vota filii impuberis sine ulla exceptione, et quod haec irritatio non fundetur in conditione materiae, sed in dependentia voluntatis voventis a patris potestate, infert: ergo cum haec dependentia reperiatur in omni materia, etiam in omni voto impuberis includitur illa conditio, *nisi pater repugnaverit*, ergo ex ea parte irritabile est votum. *Confirmat* suam assertionem 1. ex eo, tum quia jura juxta c. *Ad nostram*, de Regular., et juxta c. *Postulasti*, eod. tit. simpliciter subdunt voluntatem filii impuberis voluntati patris in negotio se obligandi. Addit ibid. licet dicta jura loquantur de voto solemni, inde tamen sumi optimum argumentum ad simplicia vota. 2. Ex eo probat, quia deficiente ratione legis in particulari non cessat concessio legis, quae absolute disponit. Idem satis clare docet. *S. Th.* 2. 2. *q.* 88. a 9. in corp.: *Est ergo dicendum, quod si puer vel puella ante annos pubertatis nondum habeat usum rationis, nullo modo potest ad aliquid se voto obligare. Si vero ante annos pubertatis attingit usum rationis, potest quidem, quantum in ipso est, se obligare, sed votum ejus potest irritari per parentes, quorum curae remanet adhuc subjectus... post annos autem pubertatis possunt se voto Religionis obligare vel simplici vel solemni absque voluntate parentum.* Idem sentit *Laym.* l. c. de tutore. 3. Vota a pubere emissa, si sint realia, possunt irritari a patre, secus si sint personalia, v. g. Petrus quindecim annorum vovit eleemosynam ex bonis patri subjectis, et ingressum Religionis; pater poterit votum primum de eleemosyna irritare, non secundum. *Ratio* est, quia filius post pubertatem quoad suam personam est sui juris, reliqua vero bona, exceptis castrensibus vel quasi castrensibus, subjacent potestati patris usque ad emancipationem, vel curatoris usque ad annum vigesimum quintum completum.

603. IV. Dominus indirecte tantum potest irritare vota servi vel ancillae, quatenus sunt impeditiva debiti servitii; hinc etiam finita servitute denuo obligant. Ita *Comm.* Ideo dominus etiam non potest irritare votum castitatis quod emisit famulus.

604. V. Superiores Regulares possunt directe irritare vota suorum Religio-

sorum, exceptis votis essentialibus paupertatis, castitatis, et obedientiae, et voto transeundi ad Religionem strictiorem, in quo tamen Praelatus vel Superior potest dispensare, quia non est reservatum Papae. *Laym.* l. c. n. 6. *Ratio* est, quia quilibet Religiosus ita dependet a voluntate Superioris, ut reliqua vota omnia tacitam hanc conditionem contineant, *nisi Superior re cognita contradixerit.* Vide *S. Th.* l. c. a. 8. ad 3.

Casus II. De dispensatione.

Birgitta vovit virginitatem, postea graviter aegrota ex metu mortis ita vovet: si restituatur integra valetudo, promitto, me ingressuram ordinem monialium ad S. Claram. Admissa ad parthenonem e Novitiatu egreditur, et paulo post sponsalia contrahit, petita prius a Confessario dispensatione.

605. *Q.* I. An primum votum de virginitate servanda sit reservatum summo Pontifici. R. Examinanda est intentio voventis: si intenderit abstinere perpetuo ab omni delectatione venerea tam interna quam externa, tam in, quam extra matrimonium, tunc esset reservatum; quia sic foret perfectum et absolutum votum omnimodae castitatis. Si vero tantum intendisset abstinere ab actu externo venereo, quo perditur virginitas, non esset reservatum, quia sic non voveretur castitas perfecta et integra. Hinc *Moya* t. 2. d. 1. q. 2. n. 7. recte addit, si vovens cognovit differentiam inter virginitatem et castitatem, ac dixerit: Voveo virginitatem: non erit reservatum; si vero non cognoverit, uti communiter non cognoscunt illiterati, plerumque est reservatum, quia sub nomine virginitatis castitatem intelligunt. Qui vero dubitat, an emiserit votum partiale castitatis, sive solam virginitatem, an totale, potest resolvere in favorem suae libertatis quod voverit id quod minus est, adeoque non habet votum reservatum, quia certitudo tantum est pro hoc vel illo voto: atqui votum ita disjunctivum relinquit possessionem pro libertate eligendi, quod vovens voluerit: ergo *La Croix* hic n. 548. et n. 561. Addit *Burgh.* cent. 1. cas. 59.; Verba legum proprie sunt accipienda: ergo cum votum sit lex particularis, et virgo proprie tantum illam significet, quae carnis integritatem non amisit, vovens virginitatem ad hanc solum carnis integritatem se obligasse censenda est. Contrarium vide apud *Palao.*

606. *Q.* II. An votum secundum ex metu et sub conditione emissum sit reservatum. R. Probabiliter non est reservatum. *Ratio* est, quia reservatio est odiosa; ergo non est intelligenda, nisi de iis votis, quae sunt omnino libera, perfecta, plene obligantia, et certo valida: atqui votum in nostro casu fuit ex metu factum: ergo non est perfecte liberum. Idem est conditionatum, ita quidem ut vovens non intenderit directe ingressum religionis, sed liberationem a morbo, qui si abfuisset, votum non fuisset factum: ergo res promissa non fuit directe volita: accedit, quod tale votum non contineat consensum absolutum, nec pariat obligationem absolutam, sed suspensam ex impletione conditionis adhuc futura: ergo ex triplici capite est imperfectum. Ex iisdem rationibus *Laym.* l. 4. t. 4. c. 18. n. 10. idem sentit, quod hujusmodi votum ante impletam conditionem non sit reservatum: affirmat tamen esse reservatum post impletam conditionem, quia tunc fit absolutum: ergo etiam tunc parit omnes obligationes non secus ac omnes promissiones, et contractus conditionati impleta conditione. At R. Fit absolutum, et parit omnes obligationes, quae per se conjunctae sunt cum voto C.; quae tantum per accidens essent conjunctae etiam tunc, quando ab initio fuisset absolutum N. Reservatio non oritur ex ipsa natura voti, sicut obligatio ad id, quod promittitur: ergo paritur quidem post impletam conditionem obligatio ingrediendi religionem, reservatio autem prudenter non censetur esse conjuncta cum tali voto, quod nunc quidem absolutum est, sed antecedenter fuit conditionatum. Sicut votum con-

ditionatum poenale impleta conditione fit absolutum, nec tamen est reservatum, ut *Suarez*, et *Laym.* l. c. n. 9. fatentur. Vide *Sanch.* L. 4. mor. c. 40. n. 99. ubi ait, quod ad cognoscendam reservationem votum debeat spectari, quale sit in radice et ab initio: atqui votum conditionatum sub initio scil. ex imperfecto consensu est imperfectum: ergo. Aliud foret si post impletam conditionem nova voluntas absoluta se de novo obligandi accederet. *Gomez* in Bullam Cruciatae clausula 10. vocat nostram sententiam frequentissima praxi receptam. Vide *Reiffenst.* L. 3. tit. 34. n. 33. P. II. n. 1361.

607. *Q.* III. Quaenam vota reservatis similia, communiter tamen non sunt reservata summo Pontifici, ita ut ab Episcopo, vel ab alio habente privilegium dispensari possint. R. cum *Laym.* l. c. n. 8. et seq... 1. Non est reservatum votum castitatis tantum ad certum tempus, v. g. ad biennium emissum, votum non nubendi, non petendi debitum conjugale, non fornicandi etc. 2. Nec, votum suscipiendi sacros ordines, aut vovendi aliquando castitatem. 3. Votum ingrediendi religionem strictiorem potest relaxari per dispensationem ab Episcopo, vel alio habente privilegium ut vovens possit ingredi minus strictam, quia sic non dispensatur in voto religionis secundum se, sed tantum secundum circumstantiam; universaliter enim reservatae non sunt qualitates et circumstantiae votorum alias reservatorum. 4. Nec reservatum est votum poenale, v. g. si inebriatus fuero, voveo ingredi religionem. 5. Nec votum alternativum, aut disjunctivum, v. g. voveo castitatem, vel pro quolibet peccato contra castitatem pauperi dabo tres ducatos: quia tale votum non est determinate factum de re reservata, neque ad illam simpliciter obligat. 6. Nec votum metu injusto etiam levi extortum. Item quotiescumque est prudens dubium de valore voti. 7. Non est reservatum votum castitatis a conjugibus emissum *revocabiliter*, si alteruter sibi jus suum reservet, secus si *irrevocabiliter*: item esset reservatum summo pontifici, si uxor ex consensu conjugis juri suo perpetuo renuntiantis continentiam simpliciter et in perpetuum voveret; quia est perfectum votum castitatis integrae et perpetuae. *Laym.* tom. 2. l. 4. tr. 4. c. 18. n. 15. contra *Rodriq.* et *Vera Crux.* 8. An votum v. g. perpetuae castitatis ab impubere doli capace, et cum sufficienti deliberatione et notitia obligationis emissum, sit reservatum summo Pontifici, non conveniunt AA. *Guttierez* L. 2. quaest. canon. c. 22. n. 49. asserit, tale votum non esse reservatum, eo quod non sit votum perfectum et firmum, cum possit irritari a parente. *Suarez* vero L. 6. de voto c. 26. n. 3. dicit; Si pater nolit irritare ejusmodi votum castitatis vel religionis, non propterea Episcopus poterit dispensare, quia tunc est votum validum et simpliciter perfectum, ideoque reservatum. Ibidem contra regulam *Guttier.* ait, ex eo quod pater possit irritare tale votum, non sequi, quod dispensare possit, vel commutare alius, praeter Pontificem; quia reservatio non opponitur irritationi, cum illa non tollat potestatem dominativam, sed opponitur jurisdictioni, quam tollit vel limitat. Ideoque vel talis impubes debet remitti a Confessario ad patrem, ut ipse irritet votum, vel si nolit irritare, examinet Confessarius, an non in parvulo deprehendat defectum rationis, an adfuerit sufficiens deliberatio et cognitio obligationis ex voto; si enim dubium prudens subsit, non est reservatum; secus si constet de voti perfectione. Vide etiam c. *Venientis* 2. de voto et voti redempt. L. 1. tit. 33. *Alex. III.* commutat votum a parvulo emissum. Vota trium peregrinationum non sunt reservata, nisi sint emissa devotionis causa. *La Croix* l. c. n. 570. cum *Tamb.* et *Illsung.* Plurimos casus circa hanc quaest. vide apud *Th. Sanch.* in opere mor. de praec. L. 4. c. 40.

608. *Q.* IV. An Episcopus possit dispensare in votis vere reservatis, si sit urgens necessitas, et difficilis accessus ad summum Pontificem. R. *Affirmative:* quia tunc rationabiliter praesumitur, quod in ejusmodi circumstantiis summus Pontifex velit, ut ad proprium Episcopum devolvatur potestas dispensan-

di. *Laym.* l. c. n. 16. ibidem negat id posse fieri ab aliis privilegiatis, quia hi non sunt ordinarii pastores post Papam, sicut Episcopi. Contrarium vide apud *Reiffenst.* L. 3. tit. 34. n. 40.

Casus III. De modo et causis dispensandi.

Benignus neo-Sacerdos rogatur a poenitente, ut vel ipse, si habeat facultatem, dispenset in votum ingrediendi certum religiosum ordinem, vel Romae procuret dispensationem, eo quod parentibus in gravi necessitate constitutis debeat succurrere. Benignus anxius haeret, cum ipse nesciret modum petendi dispensationem Romae: denique jubet redire poenitentem post 9. vel 14. dies.

609. *Q.* I. An Benignus habens privilegium dispensandi, potuerit dispensare circa hoc votum. R. Huic poenitenti non opus erat dispensatione ad remanendum in saeculo, si fuerit probabilis spes, fore ut in saeculo manens parentibus subvenire valeat, nec eis aliter subveniri possit. Ita *s. Th.* 2. 2. q. ult. a. 6. *Dicendum est, quod parentibus in necessitate constitutis, ita quod eis commode aliter, quam per obsequium filiorum subveniri non possit: non licet filiis, praetermisso parentum obsequio, religionem intrare. Si vero non sint in tali necessitate, ut filiorum obsequio multum indigeant, possunt, praetermisso parentum obsequio, filii religionem intrare, etiam contra praeceptum parentum; quia post annos pubertatis quilibet ingenuus habet, quantum ad ea, quae pertinent ad dispositionem sui status, praesertim in his, quae sunt divini obsequii.*

Confirm. 1. ex *Conc. Gangrensi* a *Leone IV.* approbato, quod anathematizat filios, qui deserunt suos parentes necessitate pressos occasione divini cultus. 2. Quia nefas est negligere praecepta propter consilia.

610. Porro *adverte* I. Si sit dubium, an adsit gravis necessitas parentum, licet filio ingredi religionem, quia tunc ejus libertas manet in possessione. II. Si filius extra religionem vivere nequeat absque certo peccandi periculo, liceret praetermisso parentum in necessitate constitutorum obsequio ingredi religionem; quia tunc ordo charitatis exigit propriam salutem animae praeferre necessitati temporali parentum. Tanta non est obligatio succurrendi fratribus aut sororibus, quanta est erga parentes. III. Qui vovit *primario* ingredi religionem *determinatam*, si ad hanc post diligentem supplicationem non admittatur, non obligatur ad aliam: si quis se obligasset principaliter ad ingressum religionis, postea autem elegisset hanc religionem vel locum, si non recipiatur ibi, tenetur aliam religionem intrare. *S. Th.* 2. 2. q. 88. a. 3. ad 2. Qui vero indeterminate vovit religionem, satisfecit voto, si in eodem regno quinque vel sex monasteria adierit, nec fuerit admissus; quia sic moraliter summam diligentiam adhibuit, et rationabiliter conjicere potest, se etiam ab aliis non admissum iri: ad exteras autem omnino nationes juxta voventium consuetudinem pro admissione confugere probabilius non tenetur. Vide *Sanch.* l. c. c. 16. n. 44. IV. Non satisfacit voto, qui ingreditur religionem promissam, animo iterum statim egrediendi, quia hoc vovendo non praesumitur intendisse, ideoque tenetur saltem experiri, an sibi expediat remanere, et dare operam, ut Deus immutet cor. *S. Th.* 2. 2. q. ult. a. 4. ad 3. Si vero adhibita morali diligentia egreditur cum justa causa, satisfacit voto, secus si absque justa causa, h. e. tali quae non excuset a levitate, v. g. si ex sola displicentia egrediatur. Nec justa causa est culpa, ob quam dimittitur, nisi saltem mediocrem diligentiam adhibuisset ad eam evitandam.

611. *Q.* II. Quaenam sint legitimae causae dispensandi in voto. R. 1. Est imperfecta deliberatio voventis, aut dubium de illa, quod solet oriri ex defectu aetatis, turbatione mentis, ob metum, dolum vel errorem accidentalem. 2. Damnum spirituale, vel corporale, v. g. si voto castitatis obstrictus ob

nimiam proclivitatem in venerem sit in continuo periculo peccatorum etc. 3. Notabilis difficultas exequendi id quod promissum est. 4. Majus bonum ex dispensatione oriturum. In dubio, an adsit sufficiens causa, conjungenda est commutatio in aliud opus pium. Si quis dispensando bona fide judicasset, hanc vel illam causam esse legitimam, postea autem resciat, non fuisse sufficientem, tunc praesumere licet de bonitate Dei, quod dispensationem suo nomine bona fide factam acceptet. Ita *Sporer* cum *Sanch.* et *Lessio.*

612. *Q.* III. Quid a Confessario sit observandum circa executionem literarum ad dispensationem a s. Poenitentiaria obtinendam.

R. I. Diligenter debet inquirere in qualitatem casus, vel voti circumstantias, item in causas commutationis, vel dispensationis, ut vel poenitens, vel Confessarius pro poenitente casum cum his adjunctis et causis bene exponat: caveat autem, ne quod occultum est, publicum faciat, praesertim impedimenta occulta matrimoniorum, publica autem vel ad publicum redacta non pertinent ad s. Poenitentiariam. Modus scribendi literas talis servetur secundum Instructionem 1707. Moguntiae impressam juxta exemplar Romanum. Intus inchoatur supplicatio sic:

Eminentissime et Reverendissime Domine.

Barbara (vel Cajus) *e Dioecesi Herbipolensi, emisit votum simplex castitatis, manet in periculo incontinentiae nisi nubat* (si alia foret causa petendi dispensationem, illa fideliter hic debet exprimi) *supplicat sibi votum commutari ad effectum contrahendi matrimonium, ut debitum conjugale sibi exigere, et reddere liceat. Quam gratiam studebit suis ad Deum precibus pro possibili demereri. Dignetur Eminentia Vestra rescribere ad N.* v. g. *Petrum Muller, ad oppidum N., per civitatem N.* (juxta stylum Curiae Romanae civitas tantum vocatur ille locus, ubi residet Episcopus) *et dirigere Breve Confessario Doctori Theologiae, vel Ss. Canonum.* NB. Si in loco non sit Doctor Theologiae, vel Ss. Canonum, nec alius privilegiatus, sic scribendum: *Et quia in oratricis* (vel oratoris) *loco nullus reperitur Confessarius in Theologia Magister, vel Ss. Canonum Doctor, vel alius ad exequendum privilegiatus, dignetur Eminentia Vestra providere, et disponere, ut etiam Parochus, cui poenitens suam conscientiam aperuit,* vel alius approbatus Sacerdos *exequi valeat.* Si ipse scribens sit Confessarius oratoris, sic deberet scribere: *Et quia oratrix* (vel orator) *ad me tanquam Confessarium, cui conscientiam suam aperuit, specialem habet confidentiam, dignetur Eminentia Vestra disponere, ut concessam gratiam liceat mihi infrascripto exequi.* Postea subscribitur modo epistolari: *Eminentiae Vestrae servorum infimus Petrus Muller in dicto oppido Sacerdos curatus,* vel Soc. Jesu approbatus Sacerdos, vel Magister in Theologia. *Herbipoli* 3. *Julii* 1764. Extra inscribitur epistola: *Eminentissimo et Reverendissimo Domino D. Cardinali Majori Poenitentiario.* Infra: *Romae.*

613. R. II. Impetrata dispensatione haec observanda sunt. 1. Literae s. Poenitentiariae mittuntur ad petentem (qui solet dici orator) quae ab eo non debent aperiri, sed extradi Confessori cui inscribuntur, qui illis resignatis, et lectis secundum commissionem dispenset: si tamen forte ab alio reserentur, literae suo effectu non carent, ut ait *Herzig* p. 2. n. 2 3. cum *Sanch.* et aliis. 2. Confessor vel executor, cui dispensandi potestas committitur, debet esse approbatus ab Ordinario territorii, ubi dispensaturus est: idem debet esse Magister vel Doctor Theologiae aut juris Canonici promotus in Academia, et non tantum Magister Ordinis, vel Doctor Juris Caesarei, vel Professor, aut Licentiatus. *Excipe* Religiosos habentes speciale privilegium, quale concessit *Greg. XIII.* anno 1582. 3. Aprilis in Bulla: *Exponi nobis,* Confessariis Soc. Jesu, quos Generalis, vel alius Superior de ejus licentia ad id desi-

gnarit, dictae conditiones necessario requiruntur ad hoc, ut valida sit dispensatio. *Sanch.* L. 8. de matrim. d. 34. a n. 10. Denique ad exercitium dispensandi debet esse ab oratore electus. 3. Confessor ad dispensandum electus debet inquirere, an causa quae in Brevi exigitur, subsistat, nec tamen opus est testibus, aut juramento, sed credendum est poenitenti eam allegandi. *Sanch.* l. c. n. 19. . . 4. Causa diligenter cognita, manifestanda sunt opera in Brevi praescripta, quae non condonare, sed temperare potest, si id exigat major poenitentis fructus, ut ait *Herzig* l. c. n. 264. . . 5. Licet specialis verborum forma non sit de essentia dispensationis, conveniens tamen est, ut servetur sequens praescripta in Rituali Rom. post injuncta opera pia loco voti, et post injunctam sacramentalem poenitentiam. Dicit: *Dominus noster Jesus Christus* ... Deinde: *Ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris* ... *Item Auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata tibi votum* v. g. Religionis vel Castitatis, *quod emisisti, ad effectum, ut matrimonium legitime contrahere, et in eo debitum conjugale reddere, et exigere licite valeas in opera pietatis, quae tibi praescripsi, dispensando commuto. In nomine Patris etc.*

614. R. III. Post dispensationem instruendus est poenitens. 1. literas dispensatorias omnino gratis esse concessas, nec licet dispensanti aliquid admittere. 2. Ut constat ex clausula literarum, eae debent lacerari, praesertim sigillum; praestat eas combuiere integras, ne serviant pro foro externo, ideoque non praestat eas tradere poenitenti; imo nec de facta dispensatione testimonium dandum est, ne gratia pro foro tantum conscientiae concessa suffragetur in foro externo. *Trid.* sess. 22. c. 5. de reform. intelligendum tantum est de dispensationibus pro foro externo concessis, quod praesentandae sint Ordinario, non vero de iis, quae a Curia Romana pro foro tantum interno committuntur.

» Quod spectat ad votum defendendi *Immaculatam Conceptionem B.* » *V.* quod Ludov. Muratorius sub nomine *Lamindi Pritanii, Lampridii,* » *aut Valdesii* votum sanguinarium vocitat, est illud validum et pium, » licet materia illius non sit articulus fidei; neque intelligi potest aut *con-* » *ceptio causalis*, in quantum B. V. generando Christum fuit initium no- » strae sanctitatis; aut *materialis*, quae est commixtio seminum in An- » na matre; aut *spiritualis*, quae foret sanctificatio animae Marianae, » sed die nobis incerto facta, atque ideo ad diem conceptionis celebrata; » aut *formalis* quidem, seu ipsa infusio animae in materiam, non ta- » men pro tunc sancta, sed relate ad futuram sanctitatem honorata; sed » *conceptio formalis tunc, et pro tunc sancta*, ut Theologi probant mul- » tis, et *Alex. VII.* in Bulla *Solicitudo omnium* 1661. satis declaravit, ubi » ait, veterem esse fidelium opinionem, animam B. V. *in primo instan-* » *ti creationis, et infusionis in corpus fuisse peccato originali immunem* » *etc.* prohibetque libros hunc cultum in dubium revocantes. *Sixtus* au- » tem *IV.* Constit. *Cum praecelsa* 1467., et *Grave nimis* 1481. festum, » officium, et missam instituit sub nomine *Conceptionis*, abolita voce *San-* » *ctificationis*, qua nullibi utebantur; quod ipsum postea *Gregorius XV.* » renovavit, prohibens non tantum libros, conciones publicas etc. sed » etiam *privatos sermones* contra Immaculatam Deiparae conceptionem. » Vid. lib. cujusdam e Soc. J. sub nomine *Candidi Parthenotimi* anno 1741. » de duplici voto hujusmodi editum: item P. Bened. Plazza: *Causa Immac. etc.* » *Dices.* Votum hoc non est *pium*, sicut enim ss. Innocentibus parum no- » cet eorum conceptio, poenitentibus eorum lapsus etc. ita Deiparae alias » sanctissimae parum obest, quod ex 38. millionibus minutorum, quibus juxta » *Vericelli* ejus vita concluditur, unum habuerit maculatum. 2. *Non ratione-* » *bile*, quia est opinio dumtaxat illius originalis innocentiae, orta denique ex » chronico Flavii Dextri, Laminis Granatensibus, apparitione a s. Thoma

» facta Dominico a Jesu Maria etc. 3. *Non licitum*, cum illicitum sit prodige-
» re vitam, cujus jus certum habemus, pro re incerta, non definita per
» Ecclesiam, quae tantum silentium indixit uni parti ob pacem publicam.
» *Ad* 1. N. A. Sicut magnum mali genus est esse filium irae, servum
» peccati etc. ita magna praerogativa immunitas etc. quae in negativis po-
» test esse summa sine processu in infinitum. *Ad* 2. N. A. Non est opi-
» nio tantum, sed *sententia*, eaque Ecclesiae, ac definibilis; certe eam
» *Alex. VII.* octies vocat sententiam, bis piam. Rationes sententiae hu-
» jus ducuntur ex traditione, quam per cuncta saecula deduxit *Salazar*;
» ex consensu Academiarum et Regnorum, quem *Raynaudus* in *pietate*
» *Luyd.* collegit ex argumentis, quae post *Scotum*, *Thyrs. Gonzalez* et
» alii coacervarunt. *Ad* 3. N. A. Cum hic actus religionis voluntatis po-
» tissimum sit negotium, ejus naturam declaro his propositionibus. 1. Vo-
» vens non moritur pro *testimonio veritatis* hujus sententiae, sed pro exer-
» cendo actu virtutis moralis. 2. Hic actus fundatur immediate in *pia affe-*
» *ctione*, cujus objectum est *honor*, qui redundat in Deiparam ex hac pia
» *sententia*, modo haec sit prudenter credibilis, sicut in adoratione de-
» terminatae hostiae, morte militis pro Rege in bello probabilius justo etc.
» 3. Judicium formatur sic: juxta *D. Thom.*, *Cajetanum* et DD. passim
» licet mori pro actu virtutis: votum defendendi Immaculatam Conceptio-
» nem usque ad sanguinem est actus virtutis, utpote pertinens ad spe-
» ciem religionis, honorificus Deiparae, et supponens eam certitudinem
» sententiae, ut prudenter hodie de ea dubitari nequeat: ergo etc.

CAPUT III. *De tertio praecepto Decalogi.*

§. I. *Praenotanda.*

Praeceptum tertium: *Memento ut diem Sabbati sanctifices.* (Exod. 20. 8.) prout praecipit tempus aliquod impendi culti divino, est naturale, quatenus vero determinate designat diem septimum, est caeremoniale, et in novo testamento abrogatum; pro die sabbati designatus est dies dominicus, et festivus. Nos hic agemus de hoc praecepto, quatenus est negativum, sive prout prohibet opera servilia: de auditione Missae agemus in P. II. Tract. II. c. 3. a. 3.

§. II. *Principia practica de Sanctificatione diei Dominici.*

615. *Principium I.* Tertium praeceptum, ut modo determinatum est ab Ecclesia, obligat omnes fideles vacare integro die dominico et festo ab omnibus operibus servilibus. 1. Dixi, *obligat omnes fideles*, scilicet septennio majores, et rationis capaces, et quidem sub mortali. Vide propos. 52. ab *Innoc. XI.* damn. Et *ratio* est, quia haec obligatio ex virtute Religionis ad debitum Dei, Sanctorumque cultum est imposita: ergo gravis est ex genere suo. Juxta *Trid.* sess. 25. c. 12. de Regul. Regulares conformare se tenentur saecularibus in observatione festorum dierum, qui servantur per dioecesim: *Dies etiam festi, quos in dioecesi sua servandos ... Episcopus praeceperit, ab exemptis omnibus etiam Regularibus serventur.* 2. Dixi, *vacare integro die festo vel dominico*, hoc est, toto die naturali viginti quatuor horarum ab hora duodecima nocturna dominici vel festi usque ad duodecimam noctis sequentis. Ita consuetudo et praxis fidelium docet observari festa quoad vacationem a laboribus servilibus. Vide *Laym.* L. 4. t. 7. c. 2. num. 1. Hic admittitur parvitas materiae et temporis, unde juxta *Suar.* T. 2. de Relig. l. 2. de festis c. 31. venialiter tantum peccat, qui unica hora serviliter laborat die dominica, si absit scandalum, quod adesset, si foret labor tumultuo-

sus; imo qui per duas horas juxta *Tambur.* L. 4. in Decal. c. 3. §. 2. quia spatium duarum horarum comparatione 24. horarum non censetur esse pars notabilis. Ultra duas horas laborans serviliter absque justa causa non videtur excusandus a gravi peccato. Vide *Sporer* t. 3. in 3. praecept. c. 4. n. 38., *Stoz*, et alios. 3. Dixi, *ab omnibus operibus servilibus*, hoc est, iis, quae et versantur circa materiam externam, et vel mechanica et illiberalia sunt, ut suere, fabricare etc. vel requirunt tantum laborem corporis, atque a mercenariis, et servis fieri solent, ut fodere, arare, vincta colere, metere etc. de quibus expresse ait *Concil. Suessionense.* Opera vero liberalia, quae ad animum excolendum primario pertinent; non sunt prohibita, qualia sunt legere, scribere, docere etc. neque prohibita sunt opera media inter servilia, et non servilia, v. g. iter facere pedibus, equo, curru, vel navi, quia haec non tantum ad servos pertinent, sed omnibus sunt communia, ut ait *Laym.* l. c. n. 5. Nec servile censetur, ducere jumenta sine oncre, cum id sit iter facere; servile autem est, ducere jumentis currus, vel navigium mercibus onustum; si tamen ante festum iter sit receptum, continuatio illius permittitur, maxime si id exigat publica utilitas, vel damnum, quod alias oriretur. *Suarez* de fest. c. 27.

» Septem artes liberales, seu ingenuae, et honestae hoc carmine com-
» plectuntur:

» *Lingua, tropus, ratio, numerus, tonus, angulus, astra.*

» Artes vero mechanicae, seu humiles, vel vulgares, his versibus com-
» prehenduntur, quasi sordidae et serviles.

» *Rus, nemus, arma, rotes, vulnera, lana, faber,*
» *Mercatura, forum, nec non transvectio mercis,*
» *Pingere, piscari, venari, et radere barbas.*

616. *Princip. II.* Licita sunt ipso jure ac consuetudine opera, quae videntur servilia, sed requiruntur ad quotidianum usum, victum, necessitatem, et dispositionem corporis, vestium, et domus, v. g. coquere cibos, sternere lectos, verrere conclave etc. Haec enim tanquam illicita reputare die festo, *ad Judaicam magis, quam ad Christianam observantiam pertinere probatur*, ut habetur in Concilio Aurelianensi III. Caeterum illa opera servilia diebus dominicis manent prohibita, quae commode possunt, ac solent differri, quamvis ad quotidianam necessitatem pertineant, v. g. vestes, vel calceos consuere, et sarcire etc., quia horum confectio non est necessario quotidiana, sed confectorum usus, ita *Marchant.*

617. *Principium III.* Praeter opera servilia etiam diebus dominicis et festis prohibentur 1. actiones judiciales, quae spectant ad decisiones causarum tam civilium quam criminalium, tam saecularium quam ecclesiasticarum, et fiunt cum strepitu judiciali. Sicut autem judicium constat tribus potissimum partibus, scilicet *inchoatione causae* per citationem rei, *processu* per cognitionem causae examinatis et juratis testibus, ac *termino* per sententiae prolationem; ita non licet die festo citare reum, examinare testes, exigere juramentum judiciale, proferre aut exequi sententiam, quae si feratur, est irrita. *Laym.* l. c. n. 7...2. Prohibetur mercatus, et negotiatio, quae fit cum strepitu. Vide c. 1. et ult. de feriis. Et *ratio* est, quia ista valde distrahunt animum et avocant hominem a cultu divino, et sanctificatione diei. Permittitur tamen distractio quarumdam rerum necessariarum ad victum quotidianum. Consuetudo etiam licitas facit quibusdam in locis solemnes nundinas festis et dominicis diebus; eas tamen moderari convenit, quantum fieri potest, ne saltem fiant ante rem divinam peractam. *Suarez*

de fest. c. 19. Denique die festo licet excommunicare, dispensare, absolvere a censuris, exercere alios actus voluntariae jurisdictionis; item judicem privatim informare, advocatum consulere etc.

618. *Principium IV.* Causae excusantes, per quas sunt licita opera alias diebus dominicis prohibita sunt sequentes septem. 1. *Dispensatio* legitima Episcopi, Superioris pro subditis Religiosis, non pro famulis saecularibus, ut ait *La Croix* L. 3. p. 1. num. 584., Parochi, praesertim quando non datur facilis accessus ad Episcopum, vel consuetudo hanc facultatem iis tribuit. 2. *Consuetudo a Praelatis cognita et tolerata*, ut dictum est de solemnibus nundinis, emptionibus rerum parvi momenti etc.; sic per consuetudinem quibusdam in locis licitum est molere, non tamen advehere frumenta, vel advehere farinam, tempore messis sub vesperum Dominicae parare necessaria pro labore sequentis diei, acuere falces etc. *Stoz* L. 1. p. 3. q. 3. num. 272.... 3. *Pietas in Deum*: per quam licita sunt opera, quae proxime (non quae remote tantum) pertinent ad Dei cultum, v. g. pulsare campanas, circumferre imagines vel cruces, vexilla in supplicatione: ornare autem altaria, verrere templum etc. debent anticipari; si tamen differantur in festum, sunt tantum venialia peccata. *Filliuc.*, *Bonac.* 4. *Charitas erga proximum*, per quam licet expedire causas pauperum, orphanorum, et miserabilium personarum; similiter licet festo die succurrere pauperibus et infirmis, fodere sepulchrum die festo pro mortuo eodem adhuc die sepeliendo. 5. *Necessitas* publica vel privata, propria vel aliena; hac ratione saepe excusantur, qui debent reficere fontes, pontes, vias publicas; item qui parant illa, quae pertinent ad communem populi festivitatem, v. g. in adventu vel electione principis; monet hic *Suarez* et *Bonac.* praestare in his casibus petere veniam a Parochis. *Laym.* l. c. c. 4. n. 2. Huc pertinet regula *S. Th.* 2. 2. q. 122. a 4. ad 3. *Opus corporale, quod ordinatur ad imminens damnum rei exterioris vitandum, non violat sabbatum.* Sic excusantur rustici, qui die festo, tempore messis foenum aut fruges jam messas domum vehunt, quando alias ob tempestatem, et pluviam probabile damnum paterentur. 6. Item Chirurgi, et Pharmacopolae laborantes pro aegrotis; pariter conflatores vitri, coctores calcis, laterum etc., quorum opus semel coeptum sine damno interrumpi nequit. 7. Denique excusat saltem a gravi peccato parvitas operis, seu temporis, ut dictum est n. 615.

§. III. *Resolvuntur Casus*

Casus I.

Baldomerus sartor se accusat, quod diem festum non sanctificaverit. Urget Confessarius, ut rem clarius explicet: reponit poenitens, quod saepe post medium noctis usque ad horam sextam vel septimam festi laboraverit, sed absque scandalo, ut promissas vestes perficeret.

619. *Q.* I. Quid agendum, si poenitens in genere se accuset; Non sanctificavi diem festum. R. Quaerendum est, an omiserit Sacrum, an laboraverit serviliter et absque causa excusante: saepius enim rudiores non audiendo concionem, saepe laborando ex necessitate erronee putant, se peccasse.

620. *Q.* II. An Baldomerus graviter peccaverit laborando per mediam noctem diei festi. R. Si culpa sua per incuriam, vel desidiam, vel alios labores non necessarios se in eam necessitatem conjecerit, peccavit graviter. Ita *Herzig* l. c. n. 279. Si vero bona fide putaverit, vestem ante diem festum adhuc posse perfici, nec se commode excusare potuerit, non peccavit graviter. *Ratio* est, quia non perficiendo vestes excitant ejusmodi opifices magnam offensam, et inde notabile damnum incurrunt, eo quod ii,

quibus laborant, vel subtrahant notabilem partem mercedis, vel postea ad alios res suas conficiendas deportent. *Laym.* l. c. n. 2., *La Croix* hic n. 592. Haec incommoda si absint, non facile excusandi sunt tales opifices. Certo excusantur, si vestes sint necessariae pro funere, pro instantibus nuptiis etc. In his enim circumstantiis ob urgentem necessitatem non obligat lex.

621. *Q.* III. An labor alias prohibitus die festo praecise excusetur per hoc, quod fiat sine scandalo. R. *Negative* Vide prop. 52. ab *Innoc. XI.* damnatam. *Ratio* est, quia lex ecclesiastica, quae ordinatur ad animarum salutem, per se obligat sub mortali, si contineat materiam gravem ad bonum animarum conducentem; sed lex ecclesiastica praecipiens observantiam festorum, continet talem materiam: ergo. *Duarte* V. Jejunium n. 314.

Casus II.

Berda ancilla saepe diebus dominicis vestes sibi solet reficere, alias etiam cum domicella sua laborante ob vitandum otium solet acu pingere discendi, et se exercendi gratia, non raro etiam per plures horas in vicino hospitio saltare.

622. *Q.* I. An Berda reficiendo vestes diebus dominicis graviter peccet. R. Si aliis diebus id ei per negotia, et voluntatem domini sui non liceat, non peccat; quia sic excusat necessitas privata. *Laym.*, *Stoz.* l. c. Idem est de aliis mulieribus, quae alieno labore pro necessaria sustentatione sua per hebdomadam occupantur. *Herzig* l. c. n. 378.

623. *Q.* II. An Berda peccaverit acu pingendo. R. Juxta *Tannerum* et *Dianam* excusatur quidem ancilla a gravi peccato, dum exercitii tantum causa acu pingit die festo, quia cum id alio tempore non liceat, grave pateretur damnum ob neglectum exercitium, unde plane oblivisceretur, quod antea didicerat: nihilominus praedicti auctores videntur supponere, quod talis labor non duret notabili tempore.

624. *Q.* III. An liceat domicellis die festo acu pingere, nere etc. otii vitandi causa. R. *Probabilius* non licet, nisi vinci et vitari aliter non posset gravis tentatio; alias etiam liceret laborare quibusvis opificibus, ne otiosi essent, aut ne ad popinas, aut alias pravas occasiones irent. *La Croix* l. c. n. 587. cum *Suar.*, *Steph.* et aliis. Quid? quod otium aliis honestis occupationibus, v. g. adeundo templum, ubi occasio est, legendo librum spiritualem etc. satis vitari possit. Contrarium resolvit *Burgh.* cent. 1. casu 77.

625. *Q.* IV. An specialiter in confessione debeat exprimere Berda, quod die festo saltaverit. R. Per se loquendo non est speciale peccatum, cum saltus non recenseatur inter opera servilia. Dixi, *per se*: quia si fieret expresse cum contemptu Festi vel Dominicae, utique deberet id exprimere in confessione. Raro tamen sine peccato talis saltus succedit, ideoque monendae sunt, et objurgandae istae saltatrices. Aliud est de honesta recreatione inter bonos amicos. *Herzig* l. c. n. 281.

626. Porro ex his *resolves* I. Famuli et ancillae non peccant, si jubeantur ab hero diebus festis laborare, dum absque gravi incommodo imperium detrectare nequeunt: si tamen id saepius fiat, debent dominum deserere potius, si alium habere possint. *Laym.* l. c.

627. II. Dominus, qui famulis die festo laborem injungit, peccat graviter vel leviter pro ratione notabilis vel exigui temporis, quo durat labor; quia, quod quis facit per alium, per se censetur fecisse. Nec refert, quod famulus sit haereticus; hic enim cum sit subditus Ecclesiae, etiam tenetur ejusdem legibus, imo respectu famulorum haereticorum saepe majus est peccatum propter scandalum, dum herus catholicus nulla habita ratione festi de laboribus servilibus magis solicitus est, quam de cultu divino. Famulis quidem infidelibus juxta probabilem sententiam *Dianae* injungere licet die festo labores,

quia Ecclesiae non sunt subditi: in praxi tamen suadenda est contraria *Tamburini*, quod id non liceat, quia domino jubenti moraliter imputatur labor, et inhonoratio diei. Vide dicta n. 209. et *La Croix* hic n. 579. Ibidem n. 581. contra *Sanch.*, *Bonac.*, *Palao* cum *Arsdekin* ait. a mortali non esse excusandum dominum, qui die dominica sex famulis mandat, ut singuli una hora laborent. Si sex horis successivis perficeretur labor, utique non videtur excusandus dominus a gravi peccato, quia mandando faceret ut dies dominica notabiliter inhonoraretur: si vero una, eademque hora a sex famulis perficeretur, probabiliter nonnisi venialiter peccaret.

628. III. Praeter ea, quae ex dictis requiruntur ad hoc, ut labor alias servilis sit licitus die festo, tria adhuc sunt observanda. 1. Ut peragatur sine scandalo. 2. Ut, si fieri possit, peragatur pridie, aut differatur. 3. Si causa excusationis manifesta sit, non opus est dispensatione: secus si dubia sit excusatio. Denique opus, quod die festo licitum est, v. g. scribere, studere, musico istrumento ludere, juxta *Sylv.*, *Cajet.* etc. per hoc fit illicitum, quod fiat lucri, aut recreationis causa; quia lucrum non facit opus esse servile, sicut e contrario opera servilia propterea non cessant esse talia, si fiant sine lucro aut mercede.

629. IV. Pingere probabilius non est servile, adeoque nec prohibitum die festo, ut ait *Laym.* l. c. cum *Medina*, *Lopez* et aliis; quia pingere perinde ac scribere tantum consistit in ducendis lineis ac figuris. Etsi vellemus probabilem contrariam sententiam *Suaresii*, *Bonac.*, *Palao*, suadere, consuetudine obfirmata praxis resistere; colores vero ad pingendum necessarios terere servile est, adeoque die festo illicitum. Idem judicat *Laymann* de typographis, quod licitum sit characteres ordinare, illicitum vero imprimere chartae, quod mere servile censetur.

630. V. Saltem per consuetudinem licitum est die festo venari, aucupari, piscari, si fiat sine magno strepitu et apparatu, quo retia, aliaque necessaria aptantur, et ad sylvas, vel piscinas deportantur. *Laym.* l. c. n. 6. Pariter consuetudine passim tolerata, barbitonsores excusantur a peccato, barbam radendo, et venam secando diebus festis. Nihilominus pessima consuetudine introducitur, ut toto tempore matutino dici dominicae laborent barbitonsores, laniones, pistores, et praecipue capillamentorum fictorum concinnatores, quibus vel unicum Sacrum nimis longum videtur, quin per totum annum vel unicae intersint concioni.

CAPUT IV. *De quarto praecepto Decalogi.*

§. I. *Praenotanda.*

Hactenus egimus de iis, quae pertinent ad dilectionem Dei; nunc agemus de praeceptis secundae Tabulae, continentibus, quae spectant dilectionem proximi inter quae primum locum tenet secundum ordinatam charitatem illud Exodi 20. v. 12. *Honora patrem tuum, et matrem tuam, ut sis longaevus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.* Parentum nomine primario hic intelliguntur ii, ex quibus aliquis secundum carnem est genitus, secundario Ecclesiae praesides et pastores. 3. Magistratus saeculares. 4. Omnes illi, qui aliorum curam gerunt, quales sunt tutores, curatores, heri, magistrati, et instructores.

§. II. *Principia generalia de quarto praecepto.*

631. Principium I. *Vi praecepti quarti liberi tenentur exhibere parentibus amorem, obedientiam, et reverentiam*, ita ut si notabilis horum sit defectus in re gravi, mortaliter peccetur. 1. Tenentur *amare* parentes amore

tum interno, hoc est, iis bene velle, eos non odisse; tum externo, omne malum et injuriam notabilem a parentibus propulsando, etiam externa benevolentiae signa eis exhibendo, in necessitate constitutis subveniendo etc. idque non tantum ex charitate omnibus debita, sed ex justitia speciali, quae vocatur pietas. Haec obligatio lumine naturae nota est, ideoque graviter peccant liberi, qui *deliberate* et *serio* atque in *materia notabili* quovis affectu pravo, v. g. odio, malevolentia, gravi indignatione feruntur in parentes. Hinc Exodi 21. v. 16. *Qui maledixerit patri suo, vel matri, morte moriatur.* Peccant quoque graviter, si parentibus in gravi necessitate sive corporali, sive spirituali existentibus non subveniant: si non impleant eorum testamenta et legata, ex supposito quod haeredes sint: si grave malum, v. g. mortem optent. Vide propos. 14. et 15. ab *Innoc. XI.* damnatas. *Navar.*, *Regin.*, *Babenst.* t. 5. d. 5. a 1.

632. 2. Tenentur filii obedire parentibus in omnibus licitis et honestis ad eorum curam pertinentibus, adeo ut omnis inobedientia et contumacia contra *expressa*, *seria* ac *justa* mandata parentum sit peccatum grave ex genere suo, v. g. si filius non obediat parentibus praecipientibus, ut vitet hanc vel illam pravam conversationem, ludum prohibitum etc. *Sporer* t. 3. in 4. praecept. c. 5. n. 12. cum *Toleto*, *Marchant*, et *commun.* Hanc obedientiam inculcat Apostolus ad Ephes. 6. *Filii obedite parentibus vestris in Domino, hoc enim justum est.* Obligationem gravem indicat Ecclesiasticus c. 3. v. 2. *Judicium patris audite filii, et sic facite, ut salvi sitis.* Gravitas inobedientiae exprimitur ad Rom. c. 1. v. 30. item 2. ad Timoth. 3. v. 2. Vide Deut. 21. a v. 20. Excusat a gravi peccato *levitas materiae*; nam praeceptum in re levi, vel indifferenti communiter non obligat graviter: idem dicendum de consilio tantum, secluso contemptu formali parentis. Saepe etiam excusat inadvertentia et juvenilis quaedam incuria, quae caret malitia formali et contemptu; si tamen ordinarie et saepissime filius agat contra praeceptum patris, tunc accederet virtualis contemptus et pertinacia, quam sub gravi obligatione tenetur corrigere. *Marchant.* Dixi, *in omnibus licitis* et *honestis:* sicut enim pater inhonesta et a Deo prohibita non potest praecipere; ita nec filius talia praecipienti potest obedire: *Obedire enim oportet Deo magis, quam hominibus.* Act. 5. v. 29. Sic debent filii odisse parentes juxta praeceptum Christi Matth. 10. v. 37. Lucae 14. v. 26. Hinc patri praecipienti, ut filius furetur, obediendum non est.

633. 3. Tenentur liberi parentibus exhibere reverentiam tum internam, tum externam. *Reverentia interna* in eo consistit, ut filius cognoscat parentes tanquam superiores, et inde timorem reverentialem erga eos habeat. *Externa* sita est in verbis, signis et factis. Hinc Eccli. 7. v. 9. *In opere et sermone et omni patientia honora patrem tuum.* Contra hanc obligationem graviter, vel leviter pro ratione materiae quatuor modis peccant filii. 1. *Verbo*, qui duris, asperis, inurbanis verbis, contumeliis, maledictionibus parentes praesentes, vel absentes afficiunt. 2. *Signo*, qui iis illudunt risu, subsannatione, juxta illud Prov. 30. v. 17. *Oculum, qui subsannat patrem... effodiant eum corvi de torrentibus et comedant eum filii aquilae.* Juxta *Navarr.*, *Tol.*, *Filliuc.*, graviter peccant ii, qui evecti ad dignitates, vel divites facti, parentes *ex superbia* despiciunt, abnegant, nosse recusant, vel erubescunt etc. Secus si id fiat non ex contemptu ac superbia, sed ob justam causam, v. g. ad vitandum grave incommodum, quod filius incurreret ex eo, si parentes noscerentur: nihilominus deberet in corde retineri debitus reverentiae et amoris affectus. 3. *Facto* peccant graviter filii, qui parentes deliberate, et cum sufficienti advertentia etiam leviter verberant. Exodi 21. *Qui percusserit patrem suum, aut matrem, morte moriatur.* Imo qui levant brachium, vel istrumentum ad percutiendum, percussione etiam non secuta, nisi forte brachium suum filius attollat ictus declinandi causa, ut ait *Gobat*, Vide p. 2. de cas. reserva-

tis. Item peccat graviter, qui patrem accusat in judicio sive criminaliter, sive civiliter; hoc enim omni lege prohibetur, sicut et testem agere contra eos. *Excipe* casum laesae majestatis divinae per haeresin, vel humanae per conjurationem in Principem, vel per proditionem: licet tamen filio simpliciter implorare officium judicis, si a patre injuste sit laesus, v. g. alimentis privatus. *Babenst.* l. c. n. 14. cum *Sayr.*, *Filliuc.* et *Comm.* 4. *Defectu* peccatur, quando filius consueta juxta morem patriae reverentiae signa *studio* non exhibet, v. g. non assurgit, non salutat, caput non detegit. In his saepe inadvertentia secluso pravo affectu excusat a peccato gravi: ideoque Confessarius poenitentem examinare debet, utrum ejusmodi defectus processerit ex maligno affectu, odio, vel contemptu, sic enim foret grave peccatum. Verbo: *Maledictus, qui non honorat patrem suum et matrem, et dicet omnis populus: Amen.* Eccli. 3. v. 16. Huc pertinent illi filii vel filiae, quae invitis parentibus, absque justa causa, ex malitia parentes deserunt, et malunt servire alienis, quam subditi esse parentibus. *Quam malae famae est, qui derelinquit patrem, et est maledictus a Deo, qui exasperat matrem.* Eccl. 3. v. 18. Denique huc pertinent filii fures: nam *qui subtrahit aliquid a patre suo et a matre, et dicit hoc non esse peccatum, particeps homicidae est.* Prov. 28. v. 24.

634. *Principium* II. Jure divino et naturali tenentur parentes filios amare et educare. Utrumque natura docet bruta ipsa, quae foetus suos diligunt, eisque necessaria conquirunt ad vitam conservandam. *Amor* debitus obligat parentes, ut filiis bene velint. Idem excludit omne odium, aversionem, rancorem etc. Hinc parentes peccant graviter, qui liberos gravi et injusto odio prosequuntur, iis *serio* (ut eveniant) gravia mala imprecantur, in gravi necessitate non succurrunt. *Educatio* duplex est, corporalis et spiritualis. *Educatio corporalis* exigit triplicem providentiam a parentibus, scil. providentiam *vitae, victus, et status:* h. e. 1. Tenentur parentes ab ipso conceptu sedulam prolium curam gerere et avertere id, quod prolis vitae obesse possit. 2. Procurare ea, etiam spuriis, quae necessaria sunt ad victum, et vestitum statui et conditioni suae congruum. 3. Ita educare eos, ut honeste secundum statum suum aliquando vivere possint. *Ad educationem spiritualem* requiritur 1. *Doctrina*, ut parentes vel per se, vel per instructores erudiant filios in bonis moribus, observationem mandatorum Dei, in fide et omnibus ad salutem necessariis: *Filii tibi sunt, erudi illos, et curva illos a pueritia illorum.* Eccli. 7. v. 25... 2. Requiritur *exemplum*, scil. ut parentes filiis bono exemplo praecant, et caveant pravo exemplo eis occasionem praebere ruinae. Recte *S. Hier.* in epist. ad Laetam ait: *Mementote vos parentes magis exemplo docere filios, quam voce.* 3. Requiritur *correptio*, ut parentes *serio*, sed *discrete* et *prudenter*, sive fortiter et suaviter emendent peccata liberorum. Unde monet Apostolus ad Ephes. 6. *Et vos, patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros, sed educate eos in disciplina et correptione Domini. Noli subtrahere a puero disciplinam: si enim percusseris eum virga non morietur. Tu virga percuties eum, et animam ejus de inferno liberabis.* Prov. 23. v. 14. NB. Virga corrigendi sunt filii, non blasphemiis, et imprecationibus. Praesertim autem *super filiam luxuriosam confirma custodiam: ne quando faciat te in opprobrium venire inimicis.* Eccli. 42. v. 11. Unde ratione sui officii illi parentes peccant graviter, qui filios in necessariis ad salutem nec ipsi per se instruunt, nec ab aliis instrui curant: item qui ex indulgentia nimia vitia prolium corrigere notabiliter negligunt, aut permittunt filios vel filias frequentare suspecta consortia. Pariter peccant graviter parentes, qui nimia severitate utuntur, minimos errores gravissimis verberibus, et imprecationibus frequenter puniunt; unde filios stupidos reddunt, variis morbis per totam vitam subjectos. Addit *Sporer* l. c. n. 46. omnium consensu illos peccare graviter, qui filios vel filias contra voluntatem cogunt vel ad ingre-

riendam religionem, cum vellent nubere; vel ad matrimonium ineundum, dum vellent religionem ingredi etc. Vide *Trid.* sess. 25. c. 18. de Regular.

§. III. *Resolvuntur Casus.*

Casus I. De obligatione liberorum erga parentes.

Benno filius discolus se accusat 1. *Odio habui parentes, irreverens erga illos fui quotidie.* 2. *Aliquoties eos ad gravem iram commovi.* 3. *Rixas seminavi inter eos revelando ea, quae mater de patre absente ignominiose dixerat.* 4. *Denique matrimonium contraxi invitis parentibus.*

635. *Q.* I. Quid judicandum Confessario, si poenitens in genere se accusat odii, irreverentiae vel inobedientiae erga parentes. R. Observanda est aetas et indoles poenitentis: de parvulis plerumque supponi potest, eos non graviter deliquisse ex defectu advertentiae, plerumque tamen peccant venialiter: si vero notabilem aetatem attigerint, et audacioris sint indolis, interrogandi sunt de modo irreverentiae et de materia, quae a parentibus imperata fuit, an fuerit leve tantum opus praeceptum, tunc leviter deliquerunt; an vero materiae gravis, vel actio gubernationi domesticae valde utilis aut necessaria, et tunc graviter deliquissent. De odio inquirendum, an fuerit levis tantum, et brevis aversio animi, quod esset peccatum veniale; an vero deliberate vel animo, vel verbis gravia mala imprecati sint: sic foret grave peccatum. *Herzig.* c. 4. a. 10. n. 295. Vide dicta n. 633. sub finem.

636. *Q.* II. Quid judicandum de eo, quod Benno ad iram commoverit parentes. R. Si id factum sit praeter voluntatem Bennonis, ob errorem vel delictum ex levitate tantum commissum, leviter tantum peccavit: si vero studiose ad iram provocarit, pertinaciter et deliberate resistendo, verbis asperis et contumeliosis parentes afficiendo, peccavit graviter; quia hoc directe est contra debitam reverentiam, et juste parentes inde se graviter offensos fuisse conqueruntur, ac valde contristantur.

637. *Q.* III. Quomodo Benno peccaverit rixas seminando inter parentes. R. Si factum fuerit ex levitate puerili, nec intenderit secuturas rixas, a gravi peccato excusari potest. Secus si vel positive rixas intenderit, vel eas facile praeviderit; hoc enim officium diaboli, non Christiani, multo minus probi filii est erga parentes.

638. *Q.* IV. An Benno graviter peccaverit contrahens matrimonium invitis parentibus. R. Si contraxerit cum indigna, item si praeviderit praeter dissensionem parentum alia gravia mala sequi, v. g. publica scandala, grave dedecus familiae, item quod connubium sibi damnosum sit corporaliter vel spiritualiter etc. peccavit mortaliter. Ita *Sporer* l. c. n. 26. cum *Navarr.*, *Soto*, *Corduba*, *Sanch.*, *Bellarm.*, tum quia in re gravi et justa non obedivit parentibus, et eos offendit absque justa causa, tum quia saltem ex charitate tenebatur avertere ista mala. Sic graviter censetur peccasse Esau, dum quadragenarius cum gravi offensione Isaac et Rebeccae accepit uxores de filiabus Chanaan. Genes. 26. Si vero nullum sequatur grave incommodum, praeter indignationem parentum, et ipse contraxerit cum persona digna, et quidem petita prius facultate a parentibus, etiamsi eam non impetraverit, non peccavit. Ita *Kugler* p. 1. de matrim. cap. 2. n. 133., ubi affirmat cum *Sanch.*, *Coninck*, *Filliuc.* et aliis, filium teneri sub gravi culpa in hoc negotio a parentibus petere consilium; eo quod amor, pietas, reverentia, et subjectio parentibus jure naturae debita, apud omnes gentes recepta, et ipsa rei gravitas pro totius vitae statu id exigat, quamvis non teneatur (secluso scandalo, vel nisi parentum multum interesset) consilium illud sequi. *Ratio* est, quia in electione status filii non subjiciuntur parentibus, sed jure naturae liberi sunt: ergo parentes immerito se reputant offensos, si filii hac in re non obe-

diant. Ex eadem ratione *Sporer* l. c. n. 27. idem respondet de eo, qui ducit indignam: supponit autem si absint incommoda praedicta, quae in tali casu rarissime absunt. Addit *Burgh.* cent. 3. cas. 55. filium teneri consulere patrem, saltem si commode fieri possit et non longe absit, aut si non timeat impedimentum malitiose a parentibus ponendum.

639. Eodem modo si filius animadvertat, se vocari a Deo ad Clericatum, vel statum Religiosum, et prudenter timeat, ne directe vel indirecte a parentibus sit impediendus, potest etiam invitis et inconsultis parentibus Deum vocantem sequi; secus si non sit cur id timeat; tum reverentia exigit, ut consulantur parentes. De primo casu intelligendus *S. Hier.* ad Heliod. *Per calcatum perge patrem, per calcatam perge matrem, ad vexillum crucis evola.* Vide tamen dicta n. 609.

Casus II. De obligatione parentum erga liberos.

Barbara nimis benigna mater, quoties pater filias liberiori conversationi deditas reprehendit, rixas movet, inclamans, eum esse tyrannum, nescire modum educandi filias, eas nolle fieri moniales, unde plus libertatis iis concedendum esse: Quid juvat, ait, eas esse pulchras et eloquentes, nisi videantur et audiantur a procis?

640. *Q.* An Barbara graviter peccet, perorando rixose pro libertate periculosa filiarum. R. *Affirmative*; et quidem ex duplici capite; tum quia defendendo filias, eas reddit audaciores, ut sine rubore quibusvis periculis liberrime se exponant cum ingenti scandalo plurimorum, id quod quotidiana experientia testatur; tum quia pertinaciter resistendo justissimis monitis, et correctionibus paternis, filiabus animum addit, ut etiam ipsae non sine gravi irreverentia patris monita spernant etc. etc. Unde tanquam certum judico, ejusmodi matrem, si aliquoties a Confessario monita errorem non corrigat, sine absolutione dimittendam esse.

641. Porro *adverte* I. Matres, quae infantes in lecto proxime lateri suo admovent, si praeviderint periculum oppressionis, peccati gravis reae sunt, etsi in somno infantem opprimant. *Sporer* l. c. n. 40. Imo probabiliter peccant graviter, quae scientes hoc periculum, quod frequentissimum est, nihilominus infantes secum in eodem lecto retinent. II. Patres peccant graviter, qui uxores praegnantes dure tractant, percutiunt etc. quia hoc cedit in manifestum damnum foetus in utero existentis. *Idem* l. c. ubi addit, quod parentes graviter peccent, quando tempore menstrui exercent impuras commixtiones cum evidenti periculo abortus, aut prolis monstruosae, infirmae, fatuae etc. concipiendae. III. A peccato gravi excusari nequeunt negligentes parentes, qui dissipant bona temporalia, quia causa sunt paupertatis, qua filii post mortem parentum prementur, et multorum inde consequentium malorum. Unde ait Apostolus 2. Cor. 12. v. 14. *Nec enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis*, scil. quantum potest fieri salva justitia. IV. Graviter peccat mater, quae prolem infantem ante templum hospitale, vel in platea exponit; *excipe* gravissimam causam, v. g. si absolute non posset eam alere, vel si eam non posset retinere sine gravissimo damno famae, tum quia pietati naturali repugnat deserere propriam sobolem, tum quia hoc proli probrosum et graviter ignominiosum reputatur. In gravi necessitate adhuc tenetur mater in expositione infantis curare, ne frigore pereat, aliove modo damnum salutis sive corporalis, sive spiritualis patiatur. V. Matrem per se loquendo tenetur infantem alere per triennium; si absque justa causa tradat eum nutrici bonae, non nisi venialiter peccat, secus si tali, unde probabile damnum grave imminet proli. *Sayr.* L. 7. c. 7. n. 5.

» Huc spectant hi versiculi vulgares;

» *Mater alit puerum trimum trimoque minorem*;

» *Majorem vero pascere patris erit.*

Casus III. De obligatione tutorum erga pupillos, et vicissim.

Barnabas tutor pupilli sui bona valde negligenter curat; non modicam partem eorum sua culpa sinit perire. Quoties acerbius exposcit pecuniam eam liberrime concedit ad usus minime necessarios, nec utiles, dicens: Quid ad me: prodigat pecuniam suam, sic liber ero a cura.

642. *Q.* I. An Barnabas peccet graviter negligendo bona pupilli, et concedendo pecuniam ad usus non necessarios, nec utiles. R. Si ea negligentia tanta sit, ut damnum grave inde patiatur pupillus, peccat graviter, et tenetur ad restitutionem; quia tutor ex officio, et omni jure tenetur administrare bona pupilli tali diligentia, qualem gnavus pater solet adhibere in propriis bonis. *Confirm.* ex L. *Tutori* 20. Cod. *de negotiis gestis*, ubi statuitur, quod tutor et curator etiam culpam sive negligentiam levem praestare teneantur. *Laym.* T. 1. L. 3. t. 4. c. 7. n. 5. Ex eadem ratione graviter peccat quoad secundum.

643. *Q.* II. Ad quid in genere obligentur tutores respectu pupillorum et vicissim. R. Tutores tenentur amare pupillos, et curam illorum gerere tum in corporalibus, tum in spiritualibus, ut bona eorum juste et fideliter administrent, et ipsi in fide et bonis moribus rite instruantur. Pupilli vero tenentur tutoribus exhibere amorem, reverentiam et obedientiam in iis, quae pertinent ad tutelam, adeo ut peccent graviter, si in re notabili deliberate non obediant jussis tutorum. *Ratio* est, quia tutores ex officio suo succedunt parentibus, adeoque ex omni jure eamdem, quam parentes, obligationem contrahunt. *Sporer.* l. c. n. 63.

Casus IV. De obligatione famulorum erga heros, et vicissim.

Bajulus servus se accusat, quod herum suum gravissimis saepe calumniis offenderit, et praecipienti justa obsequia tergum obverterit: item quod per integros saepe dies absente domino nihil laboraverit in vindictam, eo quod dominus partem mercedis subtraxerit, cum nuper per anni quadrantem aegrotaverit. Denique addit: Nunc ad lucrandam domini benevolentiam obedio in omnibus, heri modo adjuvi, ut potuerit grave flagitium patrare.

644. *Q.* I. Quid famuli vel ancillae teneantur praestare dominis suis. R. 1. *Reverentiam*, juxta illud 1. Timoth. 6. v. 1. *Quicumque sunt sub jugo servi, dominos suos omni honore dignos arbitrentur.* 2. *Obedientiam:* hinc monet Apost. ad Ephes. 6. v. 5. *Servi obedite dominis carnalibus cum timore, et simplicitate cordis vestri, sicut Christo.* 3. *Fidele obsequium*, juxta illud ad Titum 2. v. 9. et 10. *Hortare servos dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes, sed in omnibus fidem* (fidelitatem) *bonam ostendentes.* Ideoque peccant servi *pro ratione materiae* graviter vel leviter, quando irreverentes sunt erga dominos, illos contemnunt, ad iracundiam provocant, vel ad blasphemias, quando eis non obediunt in rebus licitis et pertinentibus ad debitum servitium, quando otiantur, non laborant fideliter, defraudant, damnum inferunt, vel inferri patiuntur, cum possint impedire, si absque gravissima causa famulatum deserant ante terminum elapsum. *Filliuc.* t. 28. c. 3. q. 10. *Sayr.* L. 7. c. 8. n. 12.

645. *Q.* II. Quomodo Bajulus in singulis punctis peccaverit. R. *Quoad* 1. Si deliberate gravibus calumniis offenderit dominum, mortaliter peccavit contra debitam reverentiam. *Quoad* 2. Si jussa cum levi aliqua aversione, et tergiversatione exceperit, leviter deliquit: si vero in rebus magni momenti non obediverit, graviter peccavit. *Quoad* 3. Mensura gravitatis peccati propter otium, et neglectum laborem desumi debet a damno inde exorto: vindicta illa probabilius est injusta, quia herus non tenetur ex justitia dare famulo

mercedem, qui sive ex culpa, sive citra culpam per notabile tempus debitum non praestat obsequium. *Babenst.* l. c. n. 17. cum *Filliuc.* l. c. num. 84. De reparatione damni a servis illati vide in praecepto 7. *Quoad* 4. Positive concurrendo ad perpetrandum grave peccatum, peccavit graviter. Vide propos. 51. *ab Innocent. XI.* damnat.

646. Porro circa propositionem hanc damnatam *Cardenas* notandum recte asserit 1. *vò scienter:* famulus enim, qui foeminae ingredienti aperit, et tantum dubitat de flagitio perpetrando cum domino, non debet praesumere illius ingressum tendere in malum finem. 2. Licet actiones ibi expressae de se sint indifferentes, proxime tamen in iis circumstantiis adjuvant herum ad turpitudinem exercendam. 3. In verbis illis in propositione damnata expressis: *Aut quid simile cooperando*, intelliguntur actiones, quae de facto adjuvant herum ad exercendam luxuriam, quamvis in aliis circumstantiis de se sint indifferentes, cujusmodi sunt, ferre vel scribere literas ad concubinam, eamque invitare etc. eam ducere ad locum constitutum etc. Denique in propos. damn. triplex metus non excusans a peccato exprimitur: an vero talis cooperatio famuli ad flagitium domini licita sit, si ab eo iracundo timeret famulus gravissimum malum, v. g. lethale vulnus, mutilationem, mortem etc. *Cardenas* non audet ibid. decidere; probabilius tamen illicita videtur, ut ait *La Croix* L. 2. n. 254. quae resolutio conformior est propositioni damnatae. Contrarium tenet *Illsung.* t. 3. n. 114.

647. *Q.* III. Quaenam sit obligatio dominorum erga famulos. R. 1. Domini tenentur justam mercedem, et sustentationem congruam praebere servis: *Si quis autem suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior.* 1. Timoth. 5. v. 8. *Domini, quod justum est et aequum, servis praestate, scientes, quod et vos Dominum habetis in coelo.* Ad Coloss. 4. v. 1. ... 2. Debent iis amorem et convenientem benevolentiam. Hinc peccata dominorum pro ratione materiae gravia vel levia sunt: iracundia, nimia austeritas, percussio gravis et injuriosa, subtractio injusta mercedis, omissio correctionis etc. etc. Audiant domini verba Eccli. c. 4. v. 35. *Noli esse sicut leo in domo tua, evertens domesticos tuos, et opprimens subjectos tibi.*

Casus V. De obligatione Praepositorum spiritualium.

Ludolphus de Saxonia refert, fuisse Religiosum, qui postridie ad Praelatos Ecclesiae et Parochos verba facturus praecedente nocte ad dicendum sollicite se praeparabat: pia meditanti apparuit daemon jussu Dei dicens: Haec solum dices, et praeterea nihil: Princeps inferni Ecclesiae principes salvere jubet: gratias illis agimus, quod propter eorum incuriam fere totus orbis ad nos confluat. Dixit, et disparuit.

648. *Q.* I. Quae sit obligatio Superiorum spiritualium erga subditos. R. Episcopi, Praelati, et Sacerdotes animarum curam gerentes tanquam patres Spirituales tenentur subditis tanquam filiis spiritualibus exhibere 1. *Paternum amorem*, juxta illud Joann. 10. v. 11. *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.* 2. *Curam*, ne animae ex pastoris negligentia pereant, juxta illud Act. 20. v. 28. *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Item 1. Petri 5. v. 3. *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntarie.* 3. *Doctrinam*, juxta Apost. 2. Timoth. 4. v. 2. *Praedica verbum, insta opportune, importune: argue, obsecra, increpa in omni patientia, et doctrina.* 4. *Bonum exemplum*, ut monet idem 1. Tim. 4. v. 12. *Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate.* Et 2. Cor. 6. 3. *Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperе-*

tur ministerium nostrum. Ideoque Pastores peccant mortaliter negligendo animas in cura, et administratione sacramentorum, praesertim in necessitate eis non succurrendo, conciones et catecheses diu omittendo, scandala non tollendo, nimium connivendo, maxime vero scandala praebendo. *Sporer* t. 3. c. 5. n. 73.

649. *Q.* II. Quaenam sit obligatio subditorum respectu Superiorum spiritualium. R. Tenentur iis exhibere 1. *Reverentiam: In tota anima tua time Dominum, et Sacerdotes illius sanctifica.* Eccl. 7. v. 21: . . . 2. *Amorem: Rogamus autem vos, fratres, ut noveritis eos, qui laborant inter vos, et praesunt vobis in Domino, et monent vos, ut habeatis illos abundantius in charitate propter opus illorum.* 1. Thessal. 5. v. 12. . . 3. *Obedientiam: Obedite Praepositis vestris, et subjacete illis: ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Hebr. 13. v. 17. . . . 4. *Subsidium necessarium: Qui bene praesunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo et doctrina . . . dignus est operarius mercede sua.* 1. Tim. 5. v. 17. Ideoque peccant graviter vel leviter secundum rationem materiae subditi, qui Praepositos spirituales odio habent, contemnunt, injuria afficiunt, aut illis non obediunt in iis, quae pertinent ad animarum curam, subsidium de jure vel consuetudine debitum subtrahunt etc.

650. Ex iis porro *inferes* sequentia. I. Superior regularis tenetur 1. tanquam pater subditis suis regularibus cum amore providere de spiritualibus, et corporalibus. Religiosi enim propter Deum actu heroico patrem et matrem, et omnia bona temporalia reliquerunt; justum proinde est, ut Superiorem, quem Dei loco habent subditi, experiantur esse sollicitum patrem. 2. Tenetur religiosam disciplinam cum *fortitudine* ac *suavitate* urgere, delinquentes paterne monere ac corrigere; ideoque Superior posset peccare graviter, si non ex amore, sed inordinata passione minimos defectus eorum, quos aversatur, gravissime semper et acerbe puniret; gravissimos vero defectus eorum, quos benevole amat, et caeco amore prosequitur, vel impunitos non corrigeret, vel per conniventiam foveret. Praeterquam enim quod hic modus sit contra finem omnium Ordinum Religiosorum, maximorum etiam malorum causa et origo esse solet. II. Pariter subditi Regulares tenentur suos Superiores amare, revereri, iisque in honestis et licitis obedire secundum regularum, et instituti rationem. Ideoque subditus juxta pleraque statuta Ordinum Religiosorum peccaret graviter, qui Superiori justa praecipienti sub obedientia, resisteret, nolletque obedire, diuturno odio Superiorem haberet: item qui data opera negligendo regularem disciplinam causa esset, ut sensim in aliis amor disciplinae regularis extingueretur. III. Praeceptores, sive instructores 1. tenentur sollicite promovere profectum discipulorum in literis. Hinc absolute necessarium est, ut et ipsi bene periti sint eorum, quae alios volunt docere. 2. Tenentur *prudenter* corrigere peccata discipulorum. 3. Iis praelucere bono exemplo. Hinc pejores diabolo sunt illi, qui animas sibi commissas verbis, opere, vel exemplo corrumpunt. IV. Discipuli debent instructoribus amorem, reverentiam, et obedientiam. Quamvis in his discipuli non tam facile peccent graviter, sicut filii, ut supra dictum; nihilominus discipuli jam adultiores a peccato gravi non excusantur, si crassis dicteriis et contumeliis reverentiam violant.

APPENDIX

De Beneficiis Ecclesiasticis, et Beneficiatorum, necnon Religiosorum obligationibus.

» *Q.* I. Quid sit Beneficium Ecclesiasticum.

» R. Proprie tale ut *Jus perpetuum percipiendi fructus ecclesiasticos pro-*
» *pter ministerium spirituale, auctoritate Ecclesiae constitutum*, ut adeo hoc

» jus spiritualizetur per bona Ecclesiae, personas ecclesiasticas, et maxime » per ministerium ad cultum Dei immediate deputatum, sicque a laico acqui- » ri, et praescribi nequeat. Quare 1. *Beneficium manuale* ad nutum dantis » revocabile non est proprie beneficium, eo quod careat perpetuitate tituli, » quod solum ab Episcopo tolli posset, et Beneficiati, qui solum amoveri ob » causas in jure expressas debet. 2. *Sub distinctione tantum* beneficia sunt » *Vicaria*, si sit perpetua, stabiliter curam animarum exercens; *Cappellania*, » si sit collativa, auctoritate Episcopi erecta et ab hoc conferenda: *Commen-* » *da*, si sit praeceptoria Equitum Teutonicorum aut Melitensium, qui licet » stricte Clerici non sint, eo quod tonsura et ordinibus careant, sunt » tamen Religiosi; *Hospitalia*, si ab Episcopo solis Clericis, et ob spi- » rituale officium concedi soleant, aut alteri beneficio accessorie unita sint: » et *Praestimonia*, si sint proventus annui de bonis ecclesiasticis detracti » cum obligatione ad horas canonicas. 3. *Absolute* vero beneficia sunt *Di-* » *gnitates Ecclesiasticae*, quae jurisdictionem habent in foro externo, » qualem Episcopus, Archidiaconus, qui hodie passim Vicarius genera- » lis est, Archipresbyter, qualis hodie censetur Decanus urbicus, et ru- » ralis etc. *Personatus*, qui solam habet praeeminentiam in choro, ses- » sione, suffragiis etc. ut Senior etc. *Officium*, qui solam administratio- » nem, ut Primicerius seu primus in tabula cerata olim scriptus, hodie » Scolasticus, Cantor, Thesaurarius. *Curatia*, quae jurisdictionem in fo- » ro interno exercet, et *Beneficium simplex*, quod praeter privatam, aut » publicam recitationem Horarum, vel Sacri celebrationem nihil requirit, » sive dein hoc sit *Saeculare* quod solis Clericis Saecularibus, sive *Re-* » *gulare*, quod Regularibus, sive *Patrimoniale*, quod solum alicui ex » certa familia, parochia, aut patria conferri debet. Ita *Palao*, *Biner* etc.

» Q. 2. Quae via acquirendi beneficium.

» R. Triplex, vel *Electionis*, qua Clericus a toto Capitulo, vel uno ex » Capitularibus per turnum seu ordinem eligitur, ab Episcopo confirma- » tur, et ab hoc, aut deputato corporaliter investitur; vel *Praesentatio-* » *nis*, qua a Patrono laico aut ecclesiastico nominatur aut praesentatur, » ab Ordinario instituitur, ab aliquo corporaliter investitur; vel *Colla-* » *tionis*, qua libere ab Ordinario alicui confertur beneficium, et ab ali- » quo corporaliter investitur, e. g. introducendo Beneficiatum in templum, » aut stallum chori, porrigendo illi claves Ecclesiae, annulum, librum » etc. ut adeo triplex distingui beneficii species possit. *Electivum* ubi ele- » ctio dat Beneficiato jus ad rem, confirmatio jus in re, investitura cor- » poralis actualem possessionem; *Patronatum*, ubi rursus praesentatio » tribuit jus ad rem, institutio jus in re, investitura actualem possessio- » nem; et *Collativum*, ubi libera Episcopi collatio immediate transfert jus » in re, installatio possessionem. In his tamen promotionibus *debet Be-* » *neficium vacare*, et quidem ita ut promissio beneficii nondum vacantis, » aut proxime vacaturi sive certi, sive incerti ipso jure sit nulla cum du- » plici poena annexa, ut Trid. sess. 24. c. 19., titul. *de concess. praebend.* » *non vac.*, regulae Cancel. 21. et 31. atque ipsa ratio docet, ne detur ansa » captandae mortis, et non foveantur importunae extorsiones beneficiorum.

» *Dices.* 1. Praxis habet, *Episcopos* promittere passim Beneficium proxime » vacaturum. 2. Gratiae *expectativae* sunt passim in usu. R. *Ad* 1. Non » esse proprie promissionem, sed tantum expressionem factae spei ad bene- » ficium aliquod indeterminatum quoad tempus et locum. *Ad* 2. Has gratias » a solo Papa concedi hodie posse, quia *Trid.* sess. 25. c. 21. de reform. dicit, » decreta ita sumi, *ut salva semper auctoritas Sedis Apostolicae sit.* Papa » enim potest quatuor modis conferre beneficia: *Jure concursus* cum Epi- » scopis, quod raro facit, ne inferiores collatores praecipitent suas col- » lationes, provisi litigent: *Jure praeventionis*, dando expectativam, aut

» mandatum de providendo: *Jure devolutionis*, quando ordinarii provi-
» sores indignum postulant, aut elabi sinunt tempus providendi, sex menses
» pro beneficio simplici aut Praepositura Collegiatae, tres menses pro electio-
» ne Abbatis aut Episcopi: et *Jure reservationis* quod triplici loco continetur; in corpore juris ob simoniam confidentialem, in regulis Cancellariae
» ob promotionem Papalem alicujus, prius habentis beneficium, ad Episcopatum, vel Abbatiam, et in Concordatis Germaniae inter Nicolaum
» V. et Fridericum III. Imp. ubi reservantur Papae prima dignitas post
» Episcopum, Canonicatus alternative mensibus Ian., Martio, Majo etc.

» *Q.* 3. Quae requisita in Beneficiando.

» R. Ex *Trid.* sess. 24. c. 12. et *Lessio* octo colligo. 1. *Torus legitimus*, pro
» Ordinibus minoribus, et beneficio simplici, cui nullus Ordo sacer sit annexus, dispensat Episcopus. 2. *Caelibatus*, adeo ut per matrimonium ipso
» facto vocet beneficium. *Amort* vult, illum peccare graviter, qui acceptat
» beneficium minores solum Ordines exigens sine animo manendi perpetuo
» in Clericatu; *Laymann* cum multis negat. 3. *Ætas*, ad beneficium simplex
» annus saltem 14., ad dignitatem vel personatum annus 22. completus, ad
» curatum 24. completus, ad Episcopatum 30. completus; Papatus tempus
» certum non habet. 4. *Clericatus*, ut pro praesenti omnis Beneficiatus habeat tonsuram, et animum intra annum suscipiendi Ordinem requisitum,
» Episcopus autem pro praesenti habeat Subdiaconatum, et animum intra
» sex menses recipiendi consecrationem: datur nempe Episcopo electo mensis ad deliberandum, an acceptare electionem velit, ab acceptatione tres
» menses ad petendam confirmationem, ab hac rursus tres ad consecrationem.
» 5. *Scientia debita*, adeo ut tunc invalida censeatur promotio, quando praeter defectum scientiae adest etiam defectus capacitatis ad scientiam. 6. 7. 8.
» *Absentia irregularitatis, censurae, et beneficii alterius incompatibilis;*
» quando enim Beneficiatus tantum habet corporis, aut probitatis defectum,
» ut propterea contrahat irregularitatem ex defectu, vel delicto, vel infamia; quando irretitus est censura majore, aut habeat beneficium ex
» natura sua incompatibile, promotio ipso facto est *irrita*; cum jura passim his conditionibus destitutos dicant *inhabiles*, sicut sponsos impedimentis dirimentibus ligatos in ordine ad matrimonium, nisi statuant
» illico petere dispensationem, aut sub titulo cessionis recedere a beneficio etc.; haec tamen promotio est solum *irritanda*, si Beneficiandus
» habeat duntaxat excommunicationem minorem, aut beneficium incompatibile tantum ex dispositione juris, seu secundi generis.

» *Dices.* Non est *discrimen* inter incompatibilitatem ex natura, et
» dispositione juris. 2. Si aliqua beneficia sunt incompatibilia ex natura,
» sunt hoc ipso *indispensabilia.* 3. Si in Beneficiando deficeret una ex
» his conditionibus, juxta nos deberet *restituere fructus*, quos interea
» reciperet, cum promotio esset nulla.

» R. *Ad* 1. N. Incompatibilia primi generis, seu ex natura differunt *in*
» *causa*, quia sunt talia propter ministerium, aut residentiam incompossibilem, e. g. duo uniformia beneficia sub eodem tecto, duae Vicariae perpetuae, duae Abbatiae etc., et *in effectu*; quia dispensatio requirit majorem
» causam, est rarior, et per assecutionem secundi ipso jure vacat primum.
» At incompatibilia ex dispositione juris sunt talia ob sufficientiam utriusque scorsim ad sustentationem, sunt facilius dispensabilia; et accedente secundo cessare incipit alterutrum, vel per sententiam judicis, vel perarbitrium Beneficiati, cui liberum est, quale velit admittere. *Ad* 2. N. Quia
» sunt tantum incompatibilia naturaliter ex hypothesi, quod non sint affecta
» dispensatione illius, qui habet potestatem disponendi de beneficiis pro bono Ecclesiae; neque enim hic attenditur sola natura secundum se. *Ad* 3.
» Debet restituere fructus nisi conditio talis *ab Ecclesia* acceptetur ut suffi-

» ciens; acceptatur autem e. g. intentio Ordinem requisitum acceptandi con-
» ditionata, nisi nova circumstantia, vel causa notabilis accesserit mutandi
» intentionem; *item* si quis initio non haberet hanc intentionem, superadde-
» ret eam tamen intra annum et acceptaret Ordinem, retro traheretur haec
» suppletio ad primam collationem etc.

» *Coroll.* 1. Si alterutrum, vel utrumque est *seorsim insufficiens* ad con-
» gruam sustentationem, non opus est dispensatione. 2. Invalide provisus
» habet remedium *triennalis possessionis* ex Reg. 36. Cancell. quae tribuit
» Beneficiando jus beneficii retinendi, si accedat haec quadruplex *condi-*
» *tio:* bona fides, titulus coloratus sine simonia aut violenta intrusione ac-
» quisitus, possessio pacifica per triennium, et beneficium non sit reser-
» vatum Papae reservatione generali in corpore juris, ut docet *Sanchez*
» in Consil. Moral. Quid autem sit intrusio, deducit Haunoldus p. 1. tr.
» 5. c. 7. de jure.

» *Q.* 4. Quomodo cessent beneficia.

» R. Quoad Beneficiatum cessant tribus modis. 1. *Per sententiam judicis*,
» quam fert ob crimina quaedam, non tamen summe enormia, e. g. sacrile-
» gium, perjurium, adulterium, homicidium simplex etc. 2. *Per dispositio-*
» *nem juris* ipso facto ob crimina quaedam magis enormia, quae sunt haere-
» sis, simonia, assassinium, et falsificatio literarum Apostolicarum; ob initum
» matrimonium, professionem in Religionem emissam, assumptam militiam
» saecularem, et acquisitum beneficium ex natura sua incompatibile; ob pos-
» sessionem beneficii vi aditam, administrationem coeptam ante confirmatio-
» nem, dilationem petendae confirmationis, aut consecrationis ultra tempus,
» et alienationem bonorum Ecclesiae sine solemnitatibus. 3. *Per dimissio-*
» *nem spontaneam beneficii*, quae quinque viis peragitur; vel *commutatione*
» cum alio beneficio, ubi sufficit et requiritur consensus Ordinarii utriusque
» beneficii; vel *resignatione pura* in manus Episcopi, monito tamen prius elec-
» tore, aut praesentatore, quamvis supplicari possit pro pensione successori
» imponenda ad tempus; vel resignatione *cum reservatione pensionis* tan-
» quam conditione sine qua non, ad quam requiritur consensus Papae, cujus
» solius est conferre beneficia cum diminutione sic petita; vel resignatione
» *in favorem tertii*, seu cum clausula, *non aliter*, quam ut e. g. nepoti confe-
» ratur; ubi motus proprius Pii V. *Quanta Ecclesiae*, necessario exigit con-
» sensum Papae, cum subesse saepe soleat affectus simoniacus, species suc-
» cessionis haereditariae, restrictio libertatis in conferendis beneficiis, exclu-
» sio personarum utiliorum etc.; vel denique resignatione *cum reservatione*
» *accessus, ingressus, aut regressus.* Accessus quidem fit, quando *destina-*
» *tur* beneficium resignatum alicui *nondum habenti jus* ullum ad benefi-
» cium, e. g. Petrus resignat beneficium suum Paulo, ut hic suo tempore resi-
» gnet Joanni consanguineo Petri, nondum habenti debitam aetatem; ingres-
» sus vero fit, quando *repetitur* beneficium, *collatum* quidem, sed nondum
» possessum suo tempore rursus resignandum, e. g. Petrus beneficium sibi
» nunc collatum resignat Paulo, ut hic id denuo suo tempore resignet Petro:
» et regressus contingit, quando *repetitur* rursus beneficium *jam possessum*
» suo tempore resignandum, e. g. Petrus resignat Paulo suum beneficium per
» plures jam annos habitum cum omnibus fructibus, ut hic id rursus Petro
» priori possessori resignet: ad quam resignationem duplicatam vel maxime
» requiritur consensus Pontificis, isque difficulter obtinendus.

» NB. Incapaces beneficiorum his versibus continentur.

» *Debilis, ignarus, male conscius, irregularis,*
» *Quem mala plebs odit, dans scandala, cedere possit.*

» *Q.* Quid sit jus patronatus, et quotuplex.

» R. Jus patronatus est jus nominandi, seu praesentandi clericum idoneum promovendum ad vacans beneficium ecclesiasticum. Aliud dicitur *haereditarium*, quod transit ad haeredes: aliud *familiare*, in quo succedunt consanguinei, aut de familia fundatoris: aliud *personale* quod personae: aliud *locale* quod ullo loco affixum est: aliud *ecclesiasticum* quod personis ecclesiasticis ratione ecclesiae, aut beneficii ecclesiastici debetur: aliud *laicale* quod alicui sive laico, sive etiam clerico competit ratione patrimonii, vel successionis paternae, aut alterius tituli saecularis, non ecclesiastici; ideoque jus praesentandi mixtum conflatur ex titulo ecclesiastico, et saeculari.

» *Q.* Quot modis acquiratur, et an etiam foeminis competit.

» R. Acquiritur tribus modis, nimirum *fundatione*, *aedificatione*, ac *dotatione* juxta versus juris:

» *Patronum faciunt dos, aedificatio, fundus.*

» Foeminae quoque juris patronatus capaces censentur ex jure c. *ex literis* cod. etc. Jura denique, quae patrono sive ecclesiastico, sive laico competunt, his verbis exprimuntur.

» *Patrono debetur honos, onus, utilitasque.*
» *Praesentet, praesit, defendat, alatur egenus.*

» *Q.* 5. Quae obligatio Curatorum.

» R. Cum inter personas sacras recenseantur Curati, Beneficiati simplices, et Religiosi, tenetur Parochus 1. vi Bullae Benedicti XIV. *Cum semper* 1744. et Trid. sess. 23. c. 1. de reform. singulis diebus dominicis, et festis *pro parochianis suis applicare Sacrum*, cum gemina tamen limitatione, scil. ut prospiciatur Vicario Ecclesiae de congrua sustentatione, et si illi die festo offeratur stipendium pro Sacro faciendo, poterit intra hebdomadam supplere Missam pro parochianis. 2. Tenetur *verbum Dei praedicare* sub gravi, adeo ut si per mensem integrum, aut per decursum anni duobus tribusve mensibus discontinuatim omittat, juxta *Bonacinam* vi Tridentini peccet mortaliter, sub quo tamen maxime continetur obligatio cathechizandi. 3. Tenetur *administrare Sacramenta* suis in quatuor casibus, nempe quoties in communi urget praeceptum recipiendi Sacramentum, aut necessitas alicujus privata, aut utilitas, aut subditus id postulet jure suo. Si simul habeat *administrationem bonorum temporalium Ecclesiae*, nec valide, nec licite alienare potest bona Ecclesiae immobilia, aut mobilia pretiosa sine justa causa, et solemnitatibus debitis, quae sunt, ut fiat tractatus praevius Praelati cum Capitulo collegialiter congregato, consensus partis majoris et sanioris capituli, hujus subscriptio et auctoritas Superioris immediati. Ita Gregorius X. in c. *hac consultissima* 2. de Reb. Eccl. non alien. in 6., et Paulus II. in Extrav. *ambitiosae*, et Bulla Urbani VIII. 1624. 7. Sept. *Excipitur* tamen elocatio ad triennium, concessio in hypothecam generalem, et res ab annis 40. alienari solita, modo adsit necessitas e. g. ad solvenda debita, vel utilitas e. g. lucrum, vel pietas e. g. redemptio captivorum, sic *Biner* cum aliis etiam defendit repudiationem haereditatis, Ecclesiae delatae, sine solemnitatibus esse penitus nullam. Officium Parochi his versibus continetur:

» *Assideat, doceatque, roget, Sacramenta ministret,*
» *Succurrat, servet tradita quaeque sibi.*

» *Q.* 6. Quae obligatio Beneficiati simplicis.

» R. 1. Si Beneficiatus vi fundatoris teneatur quotidie *pro fundatore* » *beneficii* celebrare aut tempore, ac loco certo, potest sine mortali ali- » quoties per annum pro se, aut amico valde conjuncto gratis applicare » Sacrum; neque enim fundator praesumitur esse graviter invitus, nec » quantitas materiae est gravis respectu totius anni. *La Croix* cum aliis. » 2. Si literae fundationis nil exprimant de applicatione Sacri, tenetur illud » pro fundatore, et ejus familia applicare Beneficiatus, quando in per- » petuo beneficio similia praescribuntur: *Beneficiatus ter celebret in septi-* » *mana: fundo Missam pro omni die Veneris.* Nisi contraria mens fundato- » ris colligi queat vel ex eo, quod Missas solum petat pro commodo audien- » tium, vel quod certum Missarum numerum pro se petat, de reliquo nume- » ro taceat, ut declaravit S. Congregatio. 3. Si beneficio tenui *per benefactores* » *facta est accessio reddituum,* si de mente benefactorum non constet, nulla » datur specialis obligatio applicandi pro benefactoribus: sed sufficit eorum » frequentius meminisse: cum jura non eodem modo de benefactoribus, quo » de fundatoribus loquantur. *Gobat* et *La Croix* n. 834... 4. Si fundatio exi- » gat Sacrum *in festis celebrioribus,* intelliguntur festa ex praecepto etiam in » foro. Ita praxis. 5. Si Beneficiatus deprehendat, hactenus contra fundatio- » nem lecta esse *pauciora Sacra,* si per tempus immemorabile hoc factum » sit, pergit licite in incoepto; si vero deprehendat justo *plura* esse lecta, fun- » dator autem statim initio sit mortuus, non tenetur pergere; cum fun- » dator non vivens non habeat possessionem requisitam ad praescriben- » dum. *Ita Notae in Reiffenstuel.*

» *Q.* 7. Quae obligatio residendi.

» R. 1. *In genere:* aliqua praesentia in loco beneficii vel personalis per se, » vel Vicaria per alium idoneum est in omnibus beneficiis curatis jure natu- » rali et divino necessaria, ita *Palao* in hac re insignis cum 9. aliis ex *Tri-* » *dent.* sess. 6. c. 1. et sess. 23. c. 1. de reform. Curatus enim, nisi resideat, » pascere oves nequit et exequi fideliter suum officium: unde residentia de- » terminate personalis probabilius est jure dumtaxat ecclesiastico praecepta, » ut *Biner* cum aliis, cum alias dispensari in ea, aut illi praescribi non pos- » set. 2. Pro ordinaria absentia personali concedantur Episcopo ad summum » tres, Parocho autem duo menses ex causa rationabili c. g. relaxationis etc. » ut adeo Parochus *pro extraordinaria absentia* ultra duos menses debeat » habere causam gravem, facultatem Episcopi scripto obtentam, et Vicarium » idoneum ab eodem approbandum; pro *ordinaria* causam minus gravem, » probatam tamen, saltem pro securitate, ab Episcopo oretenus; *pro brevi* a- » liquot dierum causam levem sine approbatione Episcopi: ita *Schmalzgr.* » ubi Vicarius ita semper necessarius est, vel adjutor, ut si periculum proba- » bile adsit, operam illius requiri, etiam modica absentia possit esse mortalis, » utpote quae non tam a tempore, quam necessitate ponderetur. 3. Canonici vi » *Trid.* tenentur novem mensibus residere; pro consuetudine locorum quan- » doque sufficiunt tres aut duo etc. habentur tamen pro praesentibus quoad » *fructus grossos,* si absint ex privilegio, vel causa justa; quoad *distributio-* » *nes quotidianas* etiam si absint ob utilitatem Ecclesiae suae, gravem infir- » mitatem, aut necessitatem, modo absentiam significent Superiori, et alias » interesse choro consueverint.

» *Dices* 1. In Beneficiato censetur electa *industria personae:* ergo non » sufficit praesentia per alium. 2. Consuetudo pro absentia a Trid. voca- » tur *corruptela.*

» R. *Ad* 1. C. A. D. C. sine dispensatione, et nisi substitutus sit aeque in- » dustris, et saepe plus prosit C. C. secus N. C. tenetur tamen Principalis » semper supremam curam de ovibus, et ipso substituto gerere, ne in mero

» otio redditus consumat. *Ad* 2. Est corruptela, si per absentiam Ecclesia » patiatur damnum.

» *Q.* 8. Quae obligatio Religiosorum.

» R. Cum status Religiosus sit *fidelium per tria vota paupertatis, castitatis et obedientiae ad perfectionem tendentium stabilis vivendi modus ab Ecclesia approbatus*, quam approbationem Innocentius III. c. *ne nimia* 9. de Relig. dom. soli deinceps Sedi Apostolicae propriam fecit, sequitur 1. Religiosum *peccare graviter*, si haberet animum non tendendi ad perfectionem per observationem trium votorum substantialium. 2. In specie *contra paupertatem* peccare graviter, si independenter a voluntate Superioris usurpet, aut alienat etc. eam quantitatem, quae gravis foret contra justitiam *in materia furti absolute spectata*, e. g. ablata familiae mediocriter diviti. Ita *Schmalzgr.* in consil. etc. Certe absurdum esset, metiri gravitatem in paupertate respective ad divitias monasterii, cum idem Religiosus in hoc domicilio plus, in alio minus usurpare sine mortali posset etc. 3. *Contra castitatem* Religiosus etiam votis dumtaxat simplicibus ordini mancipatus, committit sacrilegium per actum tam internum, quam externum *luxuriae*; estque stante voto inhabilis ad matrimonium valide contrahendum, ut etiam de voto Scholasticorum Societatis disposuit et declaravit Ecclesia. 4. *Contra obedientiam* tunc peccatur graviter, quando non obtemperatur Superiori legitimo, et per vim plenam obedientiae aliquid praecipienti, quod plerumque fit per verba: *Praecipio sub obedientia: in virtute sanctae obedientiae.* Casus autem reservatos suadente Bellarmino Clemens VIII. reduxit ad undecim, ut non possit Superior Religiosus novos inducere sine consensu Capituli generalis vel provincialis. Vide P. II. n. 786.

» *Coroll.* 1. Posse Religiosum peccare simpliciter, aut etiam graviter *contra justitiam*, quin ita peccet contra paupertatem, et vicissim, e. g. si usurpet rem furto ablatam alteri cum licentia Superioris id ignorantis, aut furetur acum sartori summe indigenti, aut re a sacculari permissa utatur sine facultate Superioris, aut Regi furetur duos florenos. Neque etiam est paritas Religiosi usurpantis *cum filiofamilias*, cujus erunt aliquando bona patris; cum monasterium potissimum curet damnum disciplinae Religiosae, habeatque plures Religiosos, quam pater filios.

» 2. *Novitios* per se non obligari reservatione casuum Religionis, nec statutis, aut regulis, quamvis per accidens peccent, si sua non observantia inducant scandalum, laxitatem, turbationem etc. possunt tamen semper puniri ob transgressionem, cum haec poenae tolerantia sit una ex probationibus.

» *Q.* 9. Quae facultas Superioris requiratur.

» R. In materia paupertatis ad vitandam *proprietatem* non est semper necessaria *licentia expressa*, qua Superior verbo vel scripto in specie concedit; neque *tacita* quae vel ut pars aut connexum continetur in generali, vel datur tunc, cum Superior videt aliquid fieri et nec interius nec exterius dissentit; sed sufficit etiam *rationabiliter praesumpta*, quae prudenter credit, Superiorem, licet ignorantem, non habere actu voluntatem contrariam, sed habere propensionem interpretativam, quod daret licentiam, si sciret, et rogaretur; ita *S. Thom.*, *Palao* cum 6. aliis; nam sic usus rei non jam est indepedens a voluntate Superioris, sed subordinatus; quod sufficit ad evitandam speciem proprietatis. Quare sufficit a fortiori *consuetudo* aliquid acceptandi, quae ab aliquibus ad tacitam, ab aliis ad praesumptam facultatem revocatur; imo universim si Superior commode adiri possit, et non accedatur, fere semper intercedet peccatum veniale propter modum observantiae Religiosae contrarium juxta *Suarez* et *Palao* tr. 16. dist. 3. pun. 23. Juxta *Lugo* et *Illsung* vero Superior erit invitus etiam quoad

» substantiam rei usurpatae. Tr. 4. dist. 2. n. 199. et seqq. aliter tamen » non nihil loquendum de Societate Jesu.

» *Dices* 1. Licentia praesumpta non est *actualis* ; quia in Superiore » non datur. 2. Superior est certe *invitus* , quod non petatur licentia , » cum posset. 3. Non sufficit *ad jurisdictionem* obtinendam pro confes- » sionali : ergo neque etc. 4. Est origo *laxitatis*.

» R. *Ad* 1. Non est actualis expressa, est tamen actualis praesumpta, et » datur actu moraliter in judicio subditi. *Ad* 2. Est invitus quoad modum » fortassis. non quoad substantiam. *Ad* 3. Potestas jus dicendi concernit va- » lorem Sacramenti , et est difficilioris acquisitionis. *Ad* 4. N. si prudenter » praesumatur. Regulae prudenter praesumendi sunt 1. Ubi Superior passim » sine difficultate dat licentiam, in hac specie rationabiliter praesumitur. 2. » Major est praesumptio pro subdito benemerito, sene, officiali, quam pro » alio. 3. Facilius praesumitur pro accipienda re sacra , quam profana ; » facilius pro esculentis, quam pecuniis. 4. Quo strictior est Religio, eo » minor est locus praesumptioni. Vid. *Mangionium* de paupertate Rel.

» *Q.* 10. Quid requiratur ad ingressum Religionis.

» R. Ut detur *aetas debita*. et non detur *impedimentum* ratione parentum, » vel matrimonii, vel servitutis, vel officii publici ad ratiocinia obligati, nec » speciale respectu Religionis, e. g. morbi caduci, in aliquibus descendentia » a Judaeis etc. Itaque 1. *Ad inchoationem Novitiatus per se sufficit tempus* » *pubertatis acquisitae*; quamvis usu hodierno expectetur annus 15. comple- » tus: ita, teste *Lessio* opusc. de statu vitae, docet praxis Ecclesiae per plures » quam 1000. annos, quae a Spiritu S. regitur, nec legitur a Tridentino quid- » quam immutatum: tunc enim homo fit sui juris in negotio concernente » statum vitae, et curam propriae salutis. 2. Filius non potest ingredi Reli- » gionem, aut in Novitiatu permanere, *quando parentes illius sunt in ma-* » *gna, hoc est gravi, aut valde gravi aut extrema necessitate:* ita *Antoine* c. » 4. de obligat. m. et *Sanchez* L. 4. *c.* 20. op. mor. cum 23. aliis ; quia prae- » ceptum charitatis et pietatis praevalet consilio , quale est ingredi , vel » manere in Novitiatu adhuc sine votis ; nec procedit hic ordo ille cha- » ritatis , vi cujus Novitius possit bonum spirituale proprium praeferre » alieno corporali : aliter in gravi necessitate loquendum de professo, in » quo non est res amplius consilii. 3. *Ratione matrimonii* res ita se ha- » bet : Sponsi de futuro possunt ingredi Religionem per se , cum sponsalia » imbibitam habeant conditionem: *nisi statum Religiosum elegero.* Spon- » si de praesenti in matrimonio rato possunt duobus mensibus deliberare » de ingressu Religionis, et invita etiam altera parte ingredi : conjuges in » consummato possunt ingredi , si altera pars committat adulterium no- » torium , aut consentiat , possitque vivere sine periculo incontinentiae.

» *Q.* 11. Quid ad valorem professionis.

» R. 1. Ex parte *admittentis* potestas , consensus majoris partis capituli, » et absentia metus gravis juxta *Lessium*. 2. Ex parte *ipsius professionis*, » ut fiat in Religione approbata et ejusdem sexus, ut complectatur omnia tria » vota, ut praesupponat annum probationis mathematice completum a su- » sceptione habitus. 3. Ex parte *professi*, ut sit liber a servitute, metu in- » justo gravi, et errore substantiali, ut annus aetatis 16. sit completus in utro- » que sexu, ut apud foeminas specialiter praecesserit geminum examen Epi- » scopi : ita *Trid.* sess. 25. c. de regul. Quod si quid defuerit ex praedictis , » tenentur professi *intra quinquennium* reclamare, quamvis autem interea » censeantur ratificasse professionem suam initio nulliter factam, si tamen » causam legitimam allegent dilatae reclamationis, e. g. ignorantiam nul- » litatis , durationem metus etc. etiam post quinquennium audiendi sunt. » Porro *privilegia professionis* sunt 1. Remissio omnium peccatorum, etiam » quoad poenam. Paulus V. *Romanus Pontifex*. 2. Extinctio omnium votorum

» prius emissorum, nisi facta sint in favorem hominis, c. 4. *de voto*. 3.
» Sublatio irregularitatis ob natales, sed solum ad ordines non ad Prae-
» laturam. 4. Dissolutio sponsalium, et matrimonii non consummati.
» *Coroll.* 1. Differentia juris *antiqui cum novo* est triplex, quod olim
» licitum fuerit renuntiare anno probationis, quod professio valuerit an-
» no aetatis 12. et 14. quod valida fuerit professio tacita, gestando ni-
» mirum habitum per triduum cum animo ibi vivendi, aut in habitu
» peragendo opus professis proprium, e. g. suffragium dando in capitu-
» lo, ut *Lessius* de statu vitae.
» 2. Qui discontinuasset Novitiatum per dimissionem a Superiore factam
» cum depositione habitus, aut per spontaneum egressum ex monaste-
» rio deposito habitu et animo manendi, vel una hora ante annum 16.
» completum emisisset vota; vel vir inter foeminas etiam occulte profi-
» teretur, aut vicissim etc. *nulla* esset professio.
» 3. *Praxis reclamandi* exigit 1. Certitudinem de nullitate professio-
» nis; secus interpretandum pro valore actus. 2. Allegationem rationis,
» cur post quinque annos reclametur. 3. Agitationem causae simul co-
» ram Superiore Religionis, et Ordinario loci, vel coram Pontifice. 4.
» Habitus retentionem interea, nisi cum illo ad legitimum Superiorem
» perveniri non posset. 5. Metus gravis probationem, e. g. inclusionem
» arctam, minas graves etc. per testem saltem unum, per juramentum,
» per conjecturas, quod parens alias severus etc. *V. Gobati Ebrios.*
» *Q.* 12. Quis rigor Clausurae.
» R. Tantus, ut violatio excommunicationem post se trahat. *Locus* est
» monasterium, licet nondum aedificatum integre, modo clausum sit, et
» ibi habitet Communitas Regularium; item officinae, horti intra septa
» monasterii; Sacristia tunc, quando solus in eam ingressus per mona-
» sterium, non tamen domus, ubi pauci e. g. quatuor habitant. Quae
» sit *facultas* admittendi personas principes cum decenti comitatu, an
» capiat parvitatem materiae ad duos passus etc. videri potest *Sylvius*
» Prof. Duaci et *Pignatelli* apud *La Croix*: item c. un. *de statu Regul.*
» in 6. Pius V. in Bulla data 1566. et 1570., Gregorius XIII. anno 1575.
» et 1581., et Benedictus XIV. *Regularis Discip.* ac *Salutare* 1742.

Casus VI. De obligatione magistratus saecularis erga subditos.

Quidam jam tertii homicidii reus accessisse fertur ad Ludovicum XII. Regem Galliae, veniam delicti rogans: cui Rex: Tune, inquit, adhuc veniam sperare audes, qui tertium jam homicidium commisisti? Mox reposuit Morio aulicus: Falleris, o Rex, nonnisi unicum hic commisit homicidium, reliqua duo tu ipse: primum enim si pro tuo officio punivisses, duo reliqua commissa non fuissent.

651. *Q.* I. Ad quid obligetur magistratus saecularis respectu subditorum. R. Debet subditis exhibere benevolentiam et amorem, administrationem justitiae, impedire communia damna et publica eorum scelera, ac scelerum occasiones, aliaque mala ab iis avertere pro viribus. Ubi non raro peccatur graviter per negligentiam, conniventiam, et maxime per injuriam, oppressionem innocentum, per tolerata publica scandala. *Sporer* l. c. n. 74. Peccat quoque graviter talis Superior, si ipse, dum potest, non gerat subditorum curam, sed eam relinquat solis ministris; praesertim si sciat, quod eorum dexteritati, prudentiae, fidei ac conscientiae tuto ac satis fidere non possit.

652. *Q.* II. An ejusmodi Superior semper graviter peccet, non puniendo reum gravis delicti, v. g. homicidii, ut in casu ponitur. R. Si advertat, ex im-

punitate delicti augeri audaciam, turbari rempublicam, peccat graviter, fitque particeps peccati alieni: si vero justa subsit causa, non peccat parcendo.

653. *Q.* III. Ad quid teneantur subditi. R. Magistratui legitimo debent amorem, reverentiam, et obedientiam in iis, quae spectant ad eorum officium, et quidem graviter vel leviter pro ratione materiae praesertim accedente contemptu formali.

Quae sit obligatio mariti erga uxorem et vicissim, vide de matrimonio.

APPENDIX

De Officiis, Judiciis civilibus et criminalibus, nechon de quibusdam aliis obligationibus saecularium.

» *Q.* 1. An officia debeant dari dignioribus.

» *Nota. Acceptio personarum* est respectus ad circumstantias personae impertinentes ab eo, cui impositum est debitum in distribuendo: ita *Lessius* et *Lugo* quoad substantiam; quare qui solum libere distribuit suas e. g. opes, gratias etc. non potest acceptione personarum delinquere.

» R. Sicut in beneficiis ecclesiasticis est mortale conferre beneficium quodcumque *positive indigno*, aut conferre dignitates, vel beneficia curata *minus digno* praeterito digniore: ita peccat graviter administrator reipublicae, qui officium saeculare dat positive indigno, vel officium majus habens annexam jurisdictionem vel administrationem justitiae, vel functionem majoris momenti dat minus digno, teneturque ad compensationem damni inde emergentis, non quidem dignioribus praetermissis, sed reipublicae; quia haec sola habet jus rigorosum adversus administratorem, non digniores. Ita *Lugo* cum 13. aliis, et plures apud *Dianam* to. 1. p. 2. tr. 1. res. 66. et to. 3. tr. 4. res. 172. *Ratio* 1. Trid. sess. 24. c. 1. et prop. 47. Innoc. XI. *Cum dixit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, et Ecclesiae utiliores ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent etc.* et c. un. *de Eccles. Benef. sine dimin.* 2. Ab Officialibus et Beneficiatis hisce dependet status reipublicae, salus animarum, gloria Dei etc. 3. Per acceptionem personarum laeditur jus aliquod minus strictum in dignoribus, alienantur animi subditorum, cessant membra reipublicae se apta facere, cum pro his avertendis jurent principibus fidelitatem, dent tributa etc.

» *Dices* 1. Ergo idem dicendum de beneficiis *simplicibus*, officiis *minoribus* etc. cum non fiat distinctio. 2. Non potest saepe determinari tam exacte, quis sit altero *dignior* absolute. R. *Ad* 1. N. modo, qui assumitur, sit idoneus, hoc est simpliciter dignus; idem sentiendum de *resignatis, et praesentatis a laico*, cujus non est tam exacte discernere inter clericos; et ideo praesentatori laico dantur solum quatuor menses a vacatura, ecclesiastico sex. Certe *Trid.* loquitur de Episcopatu, Cardinalatu, et Curatis. *Propositio damnata* refert se ad Trid. et cap. un. de Cancellariatu seu dignitate. *Ad* 2. N. si loquamur de notabili differentia, cum parum etiam parum reputetur. *Deinde* aptitudo non a sola scientia desumitur, sed saepe a virtute, nobilitate, aliisque praerogativis, quae multum prodesse ad beneficia et officia possunt.

» *Q.* 2. An liceat officia saecularia vendere.

» R. Quamvis practice loquendo *officia majora* plerumque illicite vendantur, ut *Lessius* cum aliis docet, tamen speculative loquendo vendi possunt cum quatuor conditionibus. 1. Ut vendens sit vel respublica, quae habet proprietatem in suis officiis, vel supremus a republica constitutus administrator. 2. Ut vendantur uni ex dignioribus, aut his deficientibus, absolute digno. 3. Ut pretium sit moderatum, ne emptor malis artibus stu-

» deat sibi compensare pretium expensum. 4. Ut adsit necessitas reipubli-
» cae, e. g. ob aerariа valde exhausta etc. vel utilitas (ita *S. Thom.*, *Ca-*
» *jetanus* cum 24. apud *Luqo*, et pluribus apud *Dianam* tom. 3. tr. 5.
» res. 108.) et praxis, quam semper peccati gravis arguere videtur difficile.
» Unde colligitur, faciliorem esse licentiam vendendi officia minora, e. g.
» Belliducum inferiorum etc. item Toparcham posse pro sua Toparchia libe-
» rius agere circa praefecturas suas, quam administratorem reipublicae.

» *Dices* 1. Ergo officia sunt *in patrimonio Principis*. 2. Non licet ju-
» dici vendere arbitria: ergo neque Principi officia. R. *Ad* 1. Neque esse
» proprie bona communia reipublicae; alias deberent tantum civibus dari,
» non extraneis: neque proprie in patrimonio Principis, immediate ad ejus
» sustentationem deputato, sed intermedia. *Ad* 2. N. C. quia partes in ju-
» dicio habent jus rigorosum ad materiam litis, non item cives ad officia:
» et specialis est obligatio judicis vi *quasi contractus* cum communitate.

» *Q.* 3. An judex licite accipiat munera.

» R. 1. Vel judex debet *sustentari ex stipendiis* suarum causarum, et po-
» terit recipere aequam laboris mercedem. 2. Vel habet *salarium fixum*, et
» quamvis res practice sit periculosa, theorice tamen poterit accipere sub
» his conditionibus. 1. Ut *gratis* offerantur, e. g. non cogendo partes sua
» mora, aut signis, intractabilis agendi modi etc. 2. Ut sint *modica*, quae
» non sint apta ad pervertendum ejus animum. 3. Ut *non ab extrinseco*
» *prohibeantur* lege speciali, juramento, scandalo etc. quare non licet de
» quota litis cum litigante pacisci, nec Visitatori Ecclesiastico aliquid mu-
» neris accipere ob specialem prohibitionem; et universim loquendo: *ex pa-*
» *cto accipere munera propter actum ex justitia aliunde debitum, aut ut*
» *pretium talis actus, illicitum est*, et restitutioni obnoxium: aliter de ope-
» re debito ex alia virtute; qui enim vendit aliquid sive rei, sive actionis
» alteri ex justitia debitum, vendit rem non suam, e. g. judex accipiens
» pecuniam, ut ferat sententiam justam; latro, ut non occidat; uxor, ut
» reddat debitum; depositarius, ut depositum etc. *aliter*, si accipias pecu-
» niam, ut die praecepto jejunes, pauperi exhibeas misericordiam, te non
» inebries etc.

» *Q.* 4. Quomodo procedere possit judex.

» R. In causis civilibus potest 1. *motu proprio*, e. g. dando pupillis,
» furiosis, prodigis, miserabilibus personis tutorem, curatorem, advocatum,
» sequestrando possessionem litigiosam, exequendo sententiam prius latam
» etc. 2. *Ad implorationem officii sui nobilis*, e. g. minorem laesum resti-
» tuendo in integrum; praecipiendo patri, ut alimenta det filio: jubendo ad-
» versarium desistere a gravamine inferendo alteri etc. 3. *Ad petitionem acto-*
» *ris intentantis actionem stricte talem*, qua ratione exercet judex officium
» mercenarium. In criminalibus 1. *via inquisitionis, sive generalis*, ubi
» nec de crimine, nec de persona certo constat, nec requiritur infamia prae-
» via; cum sic nemo diffametur, et communitati sit utile inquiri, an le-
» ges serventur, nec irrepant abusus; sive *specialis*, ubi auctor et crimen
» determinantur, et requiritur infamia praecedens; sive *mixtae*, ubi vel so-
» lum crimen, vel solus auctor determinatur; et requiritur indicia praeces-
» sisse, aut infamiam. 2. *Via denuntiationis*, ubi illud observandum: si
» denuntiatur, denuntiatione etiam solum Evangelica, crimen publicum et
» enorme, e. g. laesio majestatis, cusio monetae falsae, tractatio cum hoste,
» proditio consiliorum Principis etc. potest judex qua judex procedere, ac
» punire; aliter in delictis privatis, qualia statuuntur a jure, furtum, ra-
» pina, damnum et injuria. Est autem juxta Mauzium *crimen publicum*, quod
» olim a populo judicabatur; hodie vero, quo directe publica utilitas lae-
» ditur, et quilibet de populo agere potest in judicio, ac plerumque agi-
» tur ad vindictam publicam, sicque a lege publicum effectum est, e. g. *pla-*

» *gium*, quo quis hominem liberum, vel servum alienum dolo malo sup-
» primit, celat, vel abducit: *peculatus*, quo quis pecuniam sacram, reli-
» giosam, publicamve furtive aufert, ac in suam rem vertit: *crimen repe-*
» *tundarum*, quo quis in officio publico constitutus aliquid accipit, ut of-
» ficio suo fungatur, plus vel minus ex officio faciat: *crimen falsi*, quo
» quis vendit rem adulterinam, vel mutat, fingit, supprimit publica instru-
» menta, vel privatas literas imitatur, aptat sigilla, vel supponit partum
» alienum, vel cudit monetam etc., abradit aurum etc. 3. *Via accusatio-*
» *nis*. Remedia vero, quae reus habet, sunt praeter alia 1. *Supplicatio* in
» duobus supremis imperii dicasteriis. 2. *Appellatio*, quae est a minori
» judice ad majorem provocatio, estque *illicita* si fiat praecise ad moram
» trahendam a sententia justa, *licita* autem in criminalibus, quando adest
» spes clementiae obtinendae, in civilibus vero, quando novae probatio-
» nes emergunt, aut opiniones sunt aeque probabiles, adeoque spes al-
» terius opinionis in Superiore praevaliturae.

» *Q.* 5. Quomodo delinqui in judicio possit.

» R. *Judex delinquit* 1. acceptando officium sine debita *scientia*, aut 2.
» non servando *juris ordinem*, condemnando non subditum etc. 3. inqui-
» rendo in crimen *inductive*, seu blanditiis, spe impunitatis, ficto vestitu
» v. g. Sacerdotis expiscando. 4. quaerendo *suggestive*, seu proponendo quae-
» stiones nimium particulares quoad locum, tempus etc. ut reo quodammo-
» do suggeratur affirmatio. 5. infligendo *torturam* aut nimis inhumanam,
» aut personis exceptis e. g. impuberibus, senibus, nobilibus, horumque fi-
» liis, aut antequam habeatur semiplena probatio per testem idoneum, aut
» semiplenae aequalis, idest talis, quae non habeat indicia solum *magna*,
» quae factum reddunt dumtaxat probabile, et sufficiunt tantum ad com-
» prehensionem; neque etiam *maxima*, quae factum plene probant, et suf-
» ficiunt ad sententiam; sed *majora*, quae factum faciunt plus quam pro-
» babile. *Caeterum* habet judex jurisdictionem vel ordinariam, vel delegatam,
» vel ex consensu alterius arbitrium, vel ratione domicilii, delicti aut
» contractus, rei sitae, aut injuriae, si subditus unius principis acceperit
» injuriam a subdito alterius, qui interpellatus nolit punire suum subdi-
» tum, vel denique praeventione in causis mixti fori, quales sunt sodo-
» mia, incestus, adulterium, blasphemia, et usuraria pravitas.

» 2. *Delinquit Notarius* 1. Si secretum violet, e. g. ante publicationem
» testium alteri parti eorum testimonia aperiendo; si testimonium aliquod
» unius rogatu, vel alterius damno non exhibeat; si acta et protocolla non
» fideliter inscribat, aut inscripta negligenter custodiat, aut transcribi ab
» altero cum periculo erroris permittat: si testamentum hominis ratione de-
» stituti scribat, aut solemnitates necessarias omittat, aut vero amisso aliud
» simile fingat. 2. *Delinquit Advocatus*, si sciens suam insufficientiam tale
» munus in se suscipiat: si causam improbabilem recipiat, aut non statim
» admoneat clientem; si agat animo vexandi alterum, aut noceat parti di-
» latione causae, subornatione iniqua testium, rationibus fucatis, si utri-
» que parti serviat, causamque sua incuria perdat etc. 3. *Delinquit Refe-*
» *rendarius*, si per incuriam, aut inscitiam aliquid substantiale omittat in
» referendo; si studio partium actus unius partis fundamenta valde exage-
» ret, alterius deprimat; si ante evulgationem sententiam uni parti mani-
» festet cum notabili incommodo alterius. 4. *Delinquit Accusator* triplici
» modo: calumnia, imponendo alteri crimen falsum ex malitia; praevarica-
» tione, reticendo fraudulenter post accusationem coeptam probationes cri-
» minis; et tergiversatione, desistendo penitus sine causa ab accusatione;
» addi potest quartus modus, omissio scilicet accusationis, ubi crimen ver-
» git in grave detrimentum reipublicae, nec adest causa excusans. 5. *Delin-*
» *quit Testis*, si nolit testari de innocentia alterius, cum sine notabili in-

» commodo possit; sive sua sponte, sive citatus, eludat exceptione aut » fuga testimonium: quamvis probabilius solum peccet contra charitatem » et obedientiam, non autem contra justitiam, ut docent *Cajetanus, Sylvester, Molina, Lessius* c. 3. dub. 8. Requisita testium:

» *Conditio, sexus, ætas, discretio, fama:*
» *Et fortuna, fides, in testibus illa requiras.*

» 3. *Reus*, si non prius deposuit juramentum de permanendo, potest in » causa capitali vel quasi capitali perrumpere carcerem et vincula, ac fu- » gere; neque enim traditur carceri, ut sponte ibi sit etc. Alii etiam pos- » sunt ad hoc illi dare instrumenta, vel consilium (nisi sint ministri ju- » stitiae) non tamen effringere carcerem, aut vincula; cum alias nihil foret » justitiae satis firmum. 2. Potest accusatori criminali, saltem non plene pro- » banti, dicere, eum calumniari; potest, si spes sit evadendi, ad excipien- » dum contra illum, manifestari crimen illius occultum verum, non tamen » affingere falsum, ut prop. 44. *Innoc. XI.* 3. Si metu torturae fassus est cri- » men falsum, si de alio fassus est, tenetur in banco juris revocare; si de » seipso, probabilius juxta *Illsung* non tenetur cum metu novae torturae » ante mortem revocare, quia tempus delicti praeteriit, et de facto nec tene- » tur ad revocationem ratione justitiae erga Deum, cum Deus non exigat » conservationem vitae cum tanta difficultate; nec ratione charitatis sui » ipsius, quia videtur ipsi infamatio sui, et mors minus malum; nec ratione » obedientiae erga judicem; hic enim non prohibet confessionem etc. 4. De- » nique *si crimen capitale est tantum semiplene probatum, et spes adest eva- » dendi, etiam sub juramento juridice interrogatus, non tenetur fateri cri- » men.* Ita *Hannoldus, Lugo, Cardenas* cum 25. auctoribus: 1. enim dicens: » *non commisi hoc delictum*, intelligendo: *ut publicum juridice, ut suffi- » cienter probatum in foro externo ad necem inferendam* etc. non men- » titur, sed restringit sensibiliter: 2. praeceptum fatendi in hac spe vi- » tae conservandae a judice impositum esset nimis difficile universim lo- » quendo moraliter inobservabile; *maxime* cum alias leges humanae non » obligent cum periculo vitae, et reus citatus in tali casu non tenere- » tur sponte comparere, aut incarceratus facta fugae via manere etc.

» *Dices* 1. Obligatio fatendi crimen hic oritur *a jure naturae*, ne sce- » lera maneant impunita, licentia peccandi augeatur spe sic evadendi etc. » 2. Judex habet jus interrogandi, hoc est, *exigendi responsum*: ergo » et reus obligationem respondendi; *neque enim dari potest bellum utrin- » que materialiter justum*, ut unus armata manu possit petere satisfa- » ctionem, alter tamen non teneatur eam reddere. 3. Judex potest reum » torturae subjicere *in poenam* non factae confessionis; ergo jam ante » torturam dabatur obligatio, ut *Illsung* et *Antoine* etc.

» R. *Ad* 1. N. quia haec mala sunt remota, et raro timenda, cum » saepe adsit plena probatio, ut saltem reus ut convictus, si non con- » fessus condemnari queat; et plerumque per torturam eliciatur confes- » sio: deinde datur naturalis instinctus conservandi vitam suam. *Ad* 2. » Judex vel habet jus exigendi aliquod responsum, ne reus sit contu- » max, vel exigendi responsum disjunctive, hoc est, vel torturam, vel » responsum. *Ad* 3. N. Tortura non est poena delicti, sed remedium » jure gentium introductum ad inquirendam veritatem. Et *hoc probabi- » lius*, salva tamen probabilitate contrariae sententiae.

» Novem species probationum:

» *Aspectus, sculptum, testis, notoria, scriptum,*
» *Juramentum, confessio, praesumptio, fama probavit.*

» Q. 6. Quid de aliis obligationibus dicendum.

» R. *De bellidicibus.* 1. Cavere isti debent, ne agant contra jus gentium, » inficiendo puteos, farinam, arma etc. veneno aut alia re mortifera e. » g. calce viva, ut olim Graeci etc. 2. Sicut bellum solum licitum est » propter necessitatem, ut Aug., c. *Noli* q. 1. *pacem habere debet vo-* » *luntas. bellum necessitas;* ita captam civitatem sine gravi necessi- » tate militibus dare in praedam propter scelera et mala secutura omni- » no vetitum. 3. Potest miles uti insidiis et stratagematibus; sed quando » satisfactio offertur ab hostibus, finienda est hostilis molitio. 4. Bona im- » mobilia bello capta cedenda sunt Principi, mobilia vero dividenda in- » ter milites (quamvis etiam Principi pars, e. g. cassa, annona, tormenta » etc. obveniant) tunc cum sunt in quieta possessione rapientis militis, » et ex insequentium forte hostium manibus elapsi. 5. Peccant officiales » bellici per se loquendo, si inscio, non consentiente Principe pauciores » habent milites, quam in solutione exhibent. 6. Si non dent stipendium, » dent militi commeatum corruptum. 7. Si in transitu accipiant pecunias » a pagis, ne milites rapinas agant, vel istic pernoctent aut moreutur, » ut sic alii graventur. 8. Si vi pacti dimittere milites a militia nolint.

» *De officialibus, et opificibus universim.* 1. Tenentur officii et artis » suae peritiam habere. 2. Exercere functiones sine damno, fraude et » negligentia, ne opera imperfecta ac vitiosa efficiant.

» *Medici* ex Decreto Conc. Lat. IV. tenentur infirmos monere de ad- » vocando medico animarum, et ex Constit. Pii V. ut tertio die periclitantem » de vita non visitent, nisi animae suae consulat: excipitur tamen, si » Confessarius longius tempus infirmo concesserit, et si morbus gravis sit » ita, ut sine medico mors immineat, medici autem ope spes sit conva- » lescentiae, et resipiscentiae in aegroto. Ita *Suarez*, *Antoine etc.* quo- » rum aliqua tamen etiam ad justitiam commutativam referri debent.

CAPUT V. *De quinto praecepto Decalogi.*

§. I. *Praenotanda.*

654. I. *Expresse* praeceptum quintum, *Non occides*, prohibet homicidium, sive injustam hominis occisionem: *implicite* vero omnem injustam laesionem sui ipsius, vel proximi in bonis corporis per mutilationem, bellum injustum, duellum etc. Praeterea prohibentur omnia illa, quae proxime disponunt ad injustam hujusmodi laesionem, cujusmodi sunt odium, vindicta, ira, calumniae, inimicitiae, rixae, dissensiones etc. *Reductive* huc pertinet scandalum; de quibus nunc agemus.

655. II. Homicidium hic sumitur pro violenta et injusta exanimatione hominis ab homine facta: occisio enim hominis facta a bruto in jure vocatur *pauperies*: sub termino *hominis* etiam comprehenditur homo nondum natus, sive foetus in utero materno animatus. *Primario* dividitur homicidium in voluntarium et casuale. *Voluntarium* est, quod fit cum culpa aut dolo, sive quod vel directe, vel saltem indirecte intenditur, ideoque homicidium voluntarium duplex est: 1. *directe tale*, quando ponitur aliqua actio, per quam directe intenditur, ut mors alterius, vel sui ipsius sequatur, v. g. dum quis pugione transfodit alium ex intentione et animo illum occidendi. 2. *indirecte voluntarium*, quando ponitur actio, vel causa adeo propinqua, ut ex ea mors certo secutura praevideri potuerit, quamvis illa directe non intendatur, v. g. si maritus uxorem praegnantem graviter percutiat, unde mors infantis sequatur. *Casuale* homicidium est, quod accidit sine culpa, aut dolo, utpote quod nec in se, nec in causa fuit intentum, v. g. si venator volens occidere feram, occidat hominem, quem inculpabiliter nescivit ibi esse.

656. III. *Homicidium voluntarium* iterum duplex est, simplex, et qualificatum. *Simplex* dicitur, quod non habet conjunctam qualitatem vel circumstantiam specialis malitiae. *Qualificatum* dicitur, quod circumstantiam specialis malitiae habet conjunctam vel ratione personae, vel ratione loci, vel modi, quo alter occiditur: cujusmodi sunt 1. *Homicidium proditorium*, quando quis alium nihil tale metuentem sub specie amicitiae occidit. Sic *Joab* interfecit *Amasam* 2. Reg. 20. v. 10. . . 2. *Insidiosum*, dum quis alium ex improviso venientem, et securum aggreditur, atque occidit. *Assasinium*, quando quis alterum occidit per tertium pretio ad id conductum; quo casu ipse conducens et conductus pretio committit Assasinium. 4. *Veneficum* committitur clam porrecto veneno. 5. *Maleficum* per artes magicas. 6. *Sacrilegum*, dum quis personam sacram, vel profanam quidem, sed in loco sacro occidit. 7. *Latrocinium*, quando quis alium perimit spolii gratia. 8. *Parricidium*, dum quis patrem, aut matrem, vel prolem, aliumve ex ascendentibus, vel descendentibus, imo etiam collateralibus usque ad quartum gradum inclusive vita injuste spoliat. 9. *Crimen laesae majestatis*, dum quis necat Papam, Imperatorem, Regem, Principem, aut custodem, qui actu latus Principis stipat.

657. IV. Certum, et de fide est contra Waldenses, quod magistratus juste et licite per justitiae ministros morte afficiat malefactores, de quorum delictis non mere civilibus, sed vere coram Deo gravibus sufficienter constat; hanc enim potestatem legitimo magistratui supremus vitae et membrorum Dominus concessit, juxta illud Exodi 22. *Maleficos non patieris vivere.* Et *S. Paul.* ad Rom. 13. v. 4. de potestate publica loquens ait: *Non enim sine causa gladium portat; Dei enim minister est;* idque exigit reipublicae salus. *S. Th.* 2. 2. q. 64. a. 2. et 3. in corp. Ex eadem ratione magistratus jus habet subditos exponendi mortis periculo, c. g. in bello justo, si recta ratio ostendat, necessarium esse ad tuendam rempubl. *Laym.* L. 3. t. 3. p. 3. c. 2. Pariter magistratus juste malefactores proscribit publico edicto, quod *Bannum* vocant, promisso stipendio illi, qui vel vivum apprehenderit, vel eum occiderit: hinc talis Bannitus, si expresse permittatur a potestate publica, a quolibet potest occidi. Ordinarie tamen observanda sunt *primo*, ut non occidatur extra territorium proscribentis, neque in loco asyli, nec pendente appellatione, neque a Clerico, qui fieret irregularis, neque a patre, filio, aut alio propinquo. *Dian.* t. 1. de immunit. Eccles. resol. 92. *Secundo*, ut ex zelo justitiae, non ex odio privato talis proscriptus occidatur. *Tertio.* Juxta legem charitatis, si possit fieri, potius capi debet, ut per viam juris puniatur, quia hoc modo saltem consulitur saluti animae. *Pichler* in L. 5. Decret. tit. 12. n. 6.

§. II. *Principia generalia de homicidio et mutilatione.*

658. *Princip.* I. Prohibetur hoc praecepto directa sui ipsius occisio, uti et mutilatio, utpote quae primario est contra charitatem sui ipsius; ita ut nunquam licitum sit *directe* h. e. ex proposito, et intentione occidere se ipsum. *Excipe* unicum casum, quo Deus ipse hoc juberet. *S. Th.* l. c. a. 5. *Ratio* est, quia solus Deus sicut est auctor et conservator vitae ac membrorum, ita etiam ipse solus eorum Dominus est. *Tu es Domine, qui vitae et mortis habes potestatem.* Sap. 16. v. 13. Ipse solus sibi reservat illud Deut. 32. v. 39. *Ego occidam, et ego vivere faciam.* Hinc si qui ex Sanctis legantur directe cooperati fuisse ad propriam mortem vel mutilationem, id fecerunt speciali Dei instinctu, uti legitur de S. Pelagia, S. Apollonia etc. ita etiam *S. Th.* l. c. ad. 4. cum *S. Aug.* L. 1. de Civ. c. 21. excusat Samsonem, contra Donatistas Circumcelliones. Hic tamen instinctus in aliis propter periculum fraudis diabolicae non est facile praesumendus sine gravissimis indiciis.

Juxta alios quidam ex invincibili ignorantia, qua pie crediderunt, in gravi necessitate, aut ex pio motivo licitum esse, occiderunt se ipsos. Dixi, nunquam licitum esse *directe se ipsum occidere*, aut proxime active concurrere ad mortem, vel mutilationem suam: *indirecte* enim justa et gravi de causa in certis casibus licet, quod nihil aliud est, quam facere aliquid, permittere, vel omittere, ex quo mors propria certo sequatur, quamvis ea non intendatur; quia praeceptum conservandi, vel defendendi vitam est affirmativum, ergo non obligat semper pro semper, sed desinit obligare propter necessitatem, vel magnam utilitatem. Exempla vide infra in resol. cas. 1.

659. *Princip. II.* Pariter prohibetur omnis *injusta* proximi occisio, vulneratio, mutilatio, omnisque violentia in corpus proximi. *Innocentem* quidem nulla auctoritate humana *per se* ac *directe* licet occidere. Constat ex praecepto divino, Exodi 23. *Insontem et justum non occides. Confirm.* 1. Potestas gladii tradita est magistratibus adversus eos, qui male agunt, et non contra innocentes. *Confirm.* 2. Vita hominis sub dominio solius Dei; ergo cum ex nullo capite probari possit, Deum cuiquam dedisse potestatem tollendi vitam innocentis, nemini licet occidere innocentem. Dixi, *prohibetur omnis injusta occisio proximi.* Justa autem censetur 1. Si plectatur impius auctoritate publica servato ordine juris. Vide n. 657... 2. Si in bello justo milites occidant hostes, aliosque nocentes, et in armis stantes; in obsidione per explosionem tormentorum contra urbem, vel navem, vel subversionem urbium, conflagrationem domorum nocentes cum innocentibus licite occiduntur, quia justa victoria aliter obtineri nequit. Vide *Less.*, *Laym.*, *Lug.* et alios. 3. Licet privata auctoritate occidere *injustum* aggressorem, qui inique tibi conatur eripere vitam, ita tamen ut talis occisio fiat tantum ex animo se defendendi, et cum moderamine inculpatae tutelae, h. e. non inferendo majus damnum, quam necessarium est ad arcendam injuriam, ut ait *Busemb.* L. 3. p. 1. d. 3. vel juxta *Laym.* L. 3, t. 3. p. 3. c. 3. num. 1. Hoc moderamen in eo consistit, si quis consideratis circumstantiis loci, temporis, et personarum etc. contra aggressorem modo faciliore et benigniore se defendere non posse rationabiliter existimat, quam ita praeveniendo, vel ipsi ita resistendo: ideoque si invasus possit se liberare fugiendo, clamando, percutiendo, vulnerando, licite non potest occidere invadentem. Ita *S. Th.* 2. 2. q. 64. a. 7. in corp. ubi expresse ait: *Et ideo, si aliquis ad defendendam propriam vitam utatur majori violentia quam oporteat, erit illicitum: si vero moderate violentiam repellat, erit licita defensio.* Vide c. *interfecisti* 2. de homicidio vol. vel cas. et c. *si vero* 3. de sent. excom. ubi expresse innuitur: *vim vi repellere, omnia jura, omnesque leges permittunt.* Itaque in tali casu invasus directe intendit vim vi repellere, et se defendere ad quod jus habet a natura, indirecte vero et per accidens tantum aggressoris laesionem, vel occisionem.

660. *Princip. III.* Monomachia sive *duellum* est certamen singulare inter duos, aut subinde plures ex condicto susceptum. Aliud est *solemne*, quod fit cum certa solemnitate et forma, scil. adhibitis patrinis, vel testibus sive *secundantibus*, et ex condicto ad certum tempus et locum securitatis privilegio praeditum (quem vocant *campum francum*): saepe provocatio fit per literas, quas vocant *Chartell.* Aliud est *privatum*, quod quidem etiam ex condicto ad certum tempus et locum, sed absque aliis solemnitatibus circa securitatem loci et sine adhibitis patrinis fit. *Reiffenst.* L. 5. Decret. tit. 14. n. 2. et 3. Utrumque *regulariter* loquendo jure divino et humano tam ecclesiastico, quam civili sub gravissimis poenis prohibitum est, imo et jure naturali juxta *Pichler* in tit. 14. L. 5. Decret. n. 4. *Jure divino* Exodi 20. v. 13. *Non occides.* Vide dicta n. 659. *Jure ecclesiastico* can. *Monomachiam* 22. c. 2. q. 5. Praecipue ex *Trid.* sess. 25. c. 18. de reform., ex Bullis *Julii II. Leonis X. Clementis VII. Pii IV.* ex Constit. *Greg. XIII.* quae incipit; *Ad*

tollendum et *Clem. VIII.* in Constit. *Illius vices:* in quibus Tridentinum extenditur etiam ad duella privata. *Jure Civili* in L. un. t. 43. c. de Gladiat. Speciali sanctione monomachiam anno 1668. severissime prohibuit *Leopoldus* Imper. cum consensu Statuum in Comitiis Ratisb.

661. Poenae duellantium sunt 1. Excommunicatio ipso facto incurrenda. 2. Infamia perpetua. 3. Proscriptio bonorum omnium. Poenae contra homicidas latae. 5. Privatio sepulturae ecclesiasticae in duello decedentis. Vide *Trid.* l. cit... 6. Clerici duellantes sunt privati beneficiis ecclesiasticis. 7. Et ad illa inhabiles. 8. Duellantes sunt rei criminis laesae majestatis. 9. Inhabiles ad condendum testamentum. *Reiffenst.* l. c. n. 5. NB. ad excommunicationem, interdictum, et privationem sepulturae sacrae in casu *notorii* duelli non est opus sententia declaratoria criminis, quamvis ea requiritur ad amissionem bonorum, jurisdictionis, dominii, atque ad infamiam juris incurrendam. Si vero duellum non sit notorium, debet Parochus rem primus deferre ad Episcopum, antequam excludat a sepultura. *Pichler* l. c. n. 10. Praedictas poenas incurrunt non tantum solemniter, sed etiam privatim duellantes, tum provocans, tum acceptans, ut constat ex constit. *Pii IV. Ea quae Gregor. XIII. et Clem. VIII.* supra cit. Praeter duellantes his poenis subjacent *secundantes* sive patrini, ferentes consilium, auxilium, arma, et favorem ad illud; item qui *ex industria* sunt spectatores duelli, non vero illi, qui duellantes comitantur ad conductum locum animo impediendi duellum, vel qui ex improviso ad locum duelli veniunt, vel qui subito a fenestris, aut janua domus congredientes spectant. *Sanch.* L. 2. mor. c. 39. n. 31. Vide P. II. n. 1430. Const. Bened. XIV.

APPENDIX.

De Bello

» *Q.* An et qualiter licitum sit bellum.

» R. 1. Bellum, quod est pugna externa inter principes, et respublicas, non » solum defensivum (quod fit solius defensionis causa) sed et offensivum » (quod ad vindicandam vel compensandam injuriam suscipitur) est licitum » et honestum, si adsint conditiones requisitae. Patet id ex veteri et novo te- » stamento. *Ratio* 1. est, quia jure naturae licitum est vim vi repellere. *Ratio* » 2. est, quia quandoque expedit injuriae vindictam sumere, aut laesionis » compensationem obtinere, quod non potest fieri sine bello, cum damnifi- » cantes requisiti nolunt aliter satisfacere. Quae in contrarium afferuntur, » tantum volunt non licere privata auctoritate ulcisci injurias.

» 2. Omnibus Clericis sacris ordinibus initiatis, immo et tantum tonsuratis, » si beneficium habeant, jure ecclesiastico prohibitum est propria manu bel- » lare extra casum urgentis necessitatis. Dicitur, *propria manu;* quia possunt » hortari milites ad fortiter pugnandum pro patria, justitia, religione, non ta- » men dicere: Occide, macta. Similiter si aliis militibus deficientibus necesse » sit pro defensione patriae, pro consequenda insigni victoria, ex qua salus » Ecclesiae vel reipublicae multum dependet, liceret ipsis pugnare, quia » adesset necessitas, nec tunc incurrerent irregularitatem, quia hanc non » incurrunt, si occidant aliquem in defensionem propriae vitae, ut con- » cedunt omnes; ergo minus pro necessaria defensione reipublicae.... » *Nec obstat* stylus Romanae Curiae, quia saepe dispensatio petitur ad » majorem securitatem, et propter opinionem magis tutam.

» 3. Ad indicendum bellum offensivum requiritur 1. *legitima auctoritas*, » quae debet esse suprema nullum alium in civilibus Superiorem agnoscens, » quia qui Superiorem habet, debet hunc implorare, ut de re controversa ju- » dicet et injuriam vindicet; qui vero non habet, potest ipsemet de ea judica- » re, et justo modo injuriam vindicare. Dixi, *offensivum*; quia cuilibet a

» natura licitum est vim sibi injuste illatam vi debito modo repellere. 2. Requiritur *causa praeponderans malis ex bello secuturis*, qualis est ad recuperandum regnum, ad propulsandam gravem injuriam Principi vel Reipublicae factam, nec aliter quam per bellum commode reparabilem, ad reprimendos subditos injuste rebellantes, et similia. Hinc requiritur 3. *moralis certitudo de justitia belli*, cum ex hoc sequantur gravissima incommoda: ideoque debet Princeps cum consiliariis suis tum suas, tum adversarii rationes mature discutere; ubi autem omnibus consideratis, res manet dubia, et una pars est in certa et legitima possessione, haec praevalet rationi licet magis probabili. In dubio, an adsit justa bellandi causa, Princeps, consiliarii, omnesque cooperatores peccant tot peccatis, quot homines caeduntur, aut graviter in bonis suis laeduntur, tenenturque ad omnium compensationem. 4. Requiritur *recta intentio*, ut non fiat ex odio, vana gloria, privata vindicta, sed amore boni communis; defectu tamen hujus conditionis, si priores adsint, non erit obligatio restitutionis. Unde gravissime errant, qui putant ampliationem regni, gloriam nominis, imminuendam potentiam Principis vicini vel partis adversae, ne aucta valeat, et nocere possit, esse justam causam bellandi, quod s. Augustinus recte vocat grande latrocinium; non enim licet occidere homines, ne nocere possint, alias caedibus miscerentur omnia. 5. Requiritur *debitus bellandi modus*, ita ut ante bellum a parte adversa petatur condigna satisfactio, quae si offeratur, offensus tenetur ex justitia acceptare (ubi enim bellum desinit esse necessarium, desinit esse justum) ideoque et ab inchoato bello desistere, si offeratur condigna simul pro expensis jam factis: si negetur, potest bellum prosequi et inferre hostibus omnia mala, quae ad debitam satisfactionem et compensationem necessaria juxtà rectam conscientiam judicantur.

» *Coroll.* 1. Licite occiduntur etiam post victoriam omnes nocentes, si hoc ad vindicandam injuriam, ad pacem et securitatem stabiliendam necessarium judicetur, nisi sub promissione vitae se dederint; tunc enim pactum est servandum.

« 2. Innocentes, uti pueri, mulieres, et alii nihil ad bellum conferentes, specialiter ecclesiastici et religiosi directe occidi non possunt, neque peregrini exteri, nisi constet hos esse belli socios, ex generali Dei mandato *Exod.* 23. *v.* 7. *Insontem non occides:* indirecte occidi possunt, si ita sint permixti nocentibus, ut hi sine illis interfici non possint, et hos occidi necesse sit.

» 3. Innocentes, qui sunt pars reipublicae hostilis, possunt spoliari bonis in quantum, ut supra, requiritur; quia respublica potest puniri in iis omnibus, quae subsunt ejus dominio generali, et haec est consuetudo jure gentium introducta: non sic extranei, nisi hostibus faveant, ideoque spoliari possunt annonis, armis et similibus, quae deferunt ad hostes; spoliari non possunt Ecclesiastici, Ecclesiae, monasteria, quia non sunt vere pars populi hostilis.

» 4. Privati milites peccant, et ad restitutionem tenentur, si sine consensu saltem tacito ducis damna inferant; tunc enim bellum geruntsine legitima auctoritate.

» 5. Ubi militibus licet spoliare hostes, possunt quoque Clerici et Religiosi in spiritualibus servientes militibus gaudere spoliis hostium; quia tales exercitui sunt utiles, imo et pars exercitus, ideo gaudere debent commodis belli, sicut periculis expositi sunt. Cavendum tamen scandalum.

» 6. In bello licet uti insidiis, modo fiat absque mendacio, et violatione promissi. Patet id ex *Josue* 5. v. 2.; ideo licet uti vexillis hostium, simulare fugam etc. non ex intentione significandi exterius, quod revera non est, (hoc enim foret mendacium, licet officiosum tantum, ubi bellum est ju-

» stum) sed ex intentione occultandi quod in mente habetur: quia non » tenemur semper consilia nostra aliis praesertim hostibus aperire.

» 7. Pacta publica licet ex metu injusto, vel quae post apparent Prin- » cipi perniciosa, cum hostibus etiam infidelibus inita servari debent nisi » hostis prior fidem fregerit, quia alias nunquam esset finis bellorum; » cum enim regulariter bellantes, sicut litigantes, putent jus pro se stare, » quilibet diceret sibi vim injustam illatam, et resumptis viribus bellum » instauraret. Neque potest in his pactis dispensare Papa, nisi cedant in » grave praejudicium Religionis; quia dispensatio est contra jus gentium, » et praesertim infidelibus scandalosa, qui si scirent Papam posse dispen- » sare, nunquam inirent pacta cum catholicis, quod cederet in grave prae- » judicium reipublicae Christianae; dummodo tamen pacta non sint ex » objecto mala, adeoque nec obligatoria.

» 8. Si aliqui ad Ecclesiam confugiant, et inde pugnent, possunt ex ad- » verso invadi, occidi, extrahi, quin violetur immunitas, quia illi inde » pugnantes fecerunt se immunitatis exsortes.

» 9. Potest Princeps Catholicus in auxilium vocare infideles et haereticos, » vel eos juvare: sic enim cum Romanis fecerunt Machabaei: attamen nisi ur- » gens necessitas sit, est illicitum propter gravissima mala, quae inde sequun- » tur; sacris enim nec locis, nec personis, nec rebus reverentiam habent, er- » roribus suis simul cohabitantes imbuunt, eos verbo et exemplo pervertunt.

» 10. Bellum non potest esse *materialiter* justum ab utraque parte, » quia res vel competit uni vel alteri; potest tamen esse justum ex par- » te utriusque *formaliter* ex invincibili ignorantia vel bona fide.

» 11. Represalia sunt licita, si concurrant conditiones sequentes. 1. Si ma- » nifeste constet de injusta damnificatione subditorum unius Principis illata a » Principis alterius subditis. 2. Ut Princeps damnificantium pro justitia inter- » pellatus nolit administrare justitiam, et suos subditos compellere ad com- » pensationem damni injusti. 3. Ut Princeps damnificatorum suis subditis » concedat Represalia erga subditos alterius Principis damnificantium. 4. Ut » per Represalia non inferatur plus damni quam satisfactio pro damno et ex- » pensis exigat. 5. Ut Represalia, quantum fieri possit, fiant potius erga per- » sonas damnificantes, quam alias personas innocentes. 6. Ut praeda capta ap- » plicetur pro indemnizatione damnificatorum, et pro expensis Represaliuni.

» 12. Princeps supremus tenetur ducibus serio inculcare disciplinam mili- » tarem, et ut militibus debita stipendia, victualia et vestimenta debito tem- » pore solvi curent. Duces aliique subordinati tenentur verbo et exemplo ur- » gere hanc disciplinam, ideoque peccant graviter, si negligant coercere mi- » lites a rapinis, furtis, incursionibus, si non curent, ut praecepta Dei et Ec- » clesiae observentur, quantum fieri potest, nisi dissimulatio quandoque fiat » ex vera necessitate, ne e. g. a militibus deserantur; si sua negligentia per- » mittant praevalere hostem, Principem et patriam non strenue defendant, » milites temere exponant internecioni; si sine necessitate in locis insalubri- » bus castra figant, infirmos deserant; si non provideant militibus de justo » stipendio, idem est de victualibus, aut si dent corrupta; si minorem nume- » rum militum habeant, et pro majori accipiant stipendium, nisi adsit tacitus » consensus Principis; siquid accipiant ad impediendas vexationes militum, » quia ex officio, adeoque ex justitia ad id tenentur; si munerum oblatorum » intuitu unum locum vel civem prae alio gravent.

» 13. Milites peccant graviter, si duci non obtemperent, fortiter non pu- » gnent, arcem sibi commissam deserant, quamdiu spes superest; quia sunt » conducti, ut ista praestent etiam cum vitae periculo: si transeundo terras e- » tiam non hostiles incolas vexent extorquendo pecunias vel victualia ultra » debitum; nec excusat dissimulatio ducis, parvum nimis stipendium, aut » hujus injusta dilatio; non enim ideo licet spoliare innocentes, nisi sume-

» rent praecise necessaria urgente necessitate ; nec ordinarie excusat, » quod ultronee dentur, quia dantur ex metu plerumque majoris mali.

Resolutiones Casuum.

Casus I.

Refert Nicephorus S. Euphrasiam Antiochenam, cum a milite ad luxuriam cogeretur, nec aliter posset evadere, dixisse ad lascivum hominem: Si peperceris mihi, docebo te artem, vi cujus in bellis laedi non poteris: En hoc unguento ungo collum meum: jam stringe gladium, et certum artis meae habebis experimentum. Miles feriens uno ictu Euphrasiae caput amputavit.

662. Q. An Euphrasia licite egerit. R. Per se loquendo illicite egit: praeterquam enim, quod petendo id, unde non tantum praevidebatur, sed intendebatur mors, directe censeatur, cooperata fuisse ad sui occisionem, etiam illicite egit positive inducendo alium: per accidens autem non peccavit, quia ad hoc consilium divina inspiratione mota fuisse, vel saltem bona fide processisse videtur.

663. Ad resolvendos plures casus de occisione sui, vel mutilatione suorum membrorum *observa* I. Virgini quidem non licet ad servandam castitatem directe se occidere, *quia*, ut ait *S. Th.* 2. 2. q. 64. a. 5. ad 3. *non debet in se committere crimen maximum quod est sui ipsius occisio, ut evitet minus crimen alienum.* Nec ipsa propterea peccat, si vim invita patiatur. Hinc recte *S. Lucia* tyranno respondit: *Si invitam jusseris violari, mihi castitas duplicabitur ad coronam*: licet tamen ei certo mortis periculo se exponere pro sola integritate corporali, utpote quae habet rationem eximii boni. Ita *Busem.* hic n. 1. quia sic directe non cooperatur ad sui occisionem, sed eam tantum permittit, aut contra vim injustam se non defendit, quod ex gravi causa licitum est: praesertim pro fidei conservatione, aut Reipublicae salute, quae praeferenda est vitae privatae. *Laym.* l. c. n. 4. Pariter non licet se, vel alium castrare ad servandam castitatem, vel sedandas tentationes, tum quia nemo est dominus membrorum suorum, tum quia alia restant media, per quae *saluti spirituali semper potest aliter subveniri, quam per membrorum praecisionem, quia peccatum subjacet voluntati*, ut ait *S. Thom.* 2. 2. q. 65. a. 1. ad 3. ubi explicat cum *S. Chrys.* illud Math. 19. *Sunt eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter regnum coelorum*, scil. *non per membrorum abscissionem*; *sed malarum cogitationum interemptionem.* Ex eadem ratione non licet sibi amputare nasum, vel eruere oculum ad impediendum stuprum, vel turpem amorem ; si quidam id fecisse perhibeantur, egerunt vel ex altiori instinctu, vel bona fide, aut ex simplicitate, ut supra dictum. Peccant quoque parentes, qui filios (etsi hi consentiant) castrari faciunt, ut serviant Regi, vel ut sint aptiores ad cantum. *Laym.* l. c. c. 1. n. 2.

664. II. Carnem vigiliis et jejuniis *moderate* affligere, non est illicitum, sed virtutis opus. Exemplo suo id docuit S. Paulus 1. Cor. 9. v. 27. *Castigo corpus meum et in servitutem redigo.* Addit *Laym.* l. c. cum *Sayro* et *Navar.*, illum peccare mortaliter, qui indiscrete jejunia, vigilias etc. continuando adverteret iis vitam *notabiliter minui.* Porro juvat attendere ad regulam, quam tradit *P. Gobat* in Quint. t. 5. c. 1. n. 30. cum *Sanch.* quod omnibus hominibus imposita sit obligatio conservandi vitam, non autem prolongandi; quia *prolongare illam* importat singulare studium, ad quod nemo tenetur, nisi quis bono publico valde utilis, aut necessarius esset: alias multae curae, studia etc. quae defatigant hominem et sanitati nocent, deberent omitti. *Conservare* autem vitam importat tantum commune studium, ad quod tenemur. Hinc licite quidem manus, vel pes gangrena, vel alio malo periculose infe-

ctus abscinditur, ut servetur vita, nemo tamen tenetur ad ea media *extraordinaria, et nimis dura* adhibenda, etiam in casu, quo Superior illa praeciperet. Vide *Burgh.* cent. 2. cas. 39. Ideo etiam virgo excusatur a peccato, quae renuit admittere chirurgum ad sanandam partem verecundam, quando id ei gravissimum est, et magis horret, quam mortem ipsam. *Busemb.* cum *Escob.* Pariter excusantur, qui pro vita conservanda ex consilio medicorum nolunt ducere uxorem, uti legitur de *S. Casimiro.*

665. III. Graviter peccant, qui nolunt se a certo mortis periculo liberare, quando possunt *facili* medio, v. g. sumendo in lethali morbo medicinas ordinarias; ad media autem nimis sumptuosa, vel difficilia non tenentur, ut dictum est. *Less.* L. 2. c. 9. dub. 13. n. 96. Porro si aeger non nisi per summum cruciatum ob vehementem nauseam possit sumere medicinam, non peccat, si renuat sumere, quia adest moralis impossibilitas. Item graviter peccant, qui per gulam, aut magnam frequentemque intemperantiam sibi vitam abbreviant. *Jansen.* t. 1. cas. 33. n. 3.

666. IV. Mulier non potens parere licite potest admittere excisionem, ut infans baptizetur, ad hoc tamen non obligatur. Si vero infans in utero mortuus sit, mater non tenetur ejus pati excisionem, ut vitam propriam conservet, quia tale medium et ipsum periculosum et nimis arduum est. *La Croix* L. 3. p. 1. n. 784. cum *Boudew.*

667. V. Juxta c. 12. causa 23. q. 5. is, qui *voluntarie* se ipsum occidit, ecclesiastica sepultura, et suffragiis privandus est: non item qui ex furore, amentia, aut nimia melancholia id fecit, nec ille, qui ante mortem vere de tali facto doluit. Si dubitetur, an ex deliberata voluntate, aut ex amentia, aliave causa excusante factum sit, juxta praxim Ecclesiae in loco sacro sepeliendus non est; praesumitur enim ex opere externo, occisionem fuisse voluntariam, nisi adsit praesumptio in contrarium, v. g. si viri graves testentur, eum antecedenter jam fuisse obnoxium melancholiae morbo etc. vel si antea fuerit vir spectatae virtutis et famae, de quo tale factum voluntarium prudenter praesumi non potest. Remanente dubio, praestat rem deferre ad Ordinarium. Denique si dubitatur, an talis fuerit occisus a se vel ab alio, v. g. fuerit inventus in puteo mortuus, in tali dubio non est praesumendum delictum tam atrox, et a natura alienum, nisi graves conjecturae praecesserint. *Laym.* c. n. 9. cum *Covarr.*

Casus II.

Burckarda post diuturnam luctam per stuprum violentum impraegnatur: postea suasu turpissimi lenonis ad evitandam infamiam sumit poculum ad procurandum abortum.

668. *Q.* I. An Burckarda ad evitandam mortem, vel infamiam saltem ante animationem foetus potuerit licite procurare abortum. R. *Negative.* Vide propos. 34. ab *Innocent. XI.* damnatam. *Ratio* est, quia procuratio abortus gravius est peccatum, quam pollutio; proximius enim opponitur generationi a natura intentae, et non est expulsio unius seminis, sed duplicis ad generationem proxime dispositi: ergo cum nunquam licita sit pollutio, imo nequidem ad mortem vitandam, multo minus unquam licita est procuratio abortus. *Card.* in dicta propos.

669. *Inferes* 1. Non valet procuratio abortus ad vitandam infamiam communitatis, familiae nobilis, aut parthenonis, eoquod talis infamia vitari possit aliis modis. Nec propterea, quod in propositione damnata non fiat mentio monialis, fieri potest benigna interpretatio; nam axioma, quod *odia sint restringenda*, non stat contra leges naturae, nec in doctrinalibus, ubi certa definitur doctrina. *Carden.* l. c. . . 2. Nec abortus licite potest procurari statim post conceptionem, propterea quod semen ipso instanti violentae infusio-

nis fuerit *aggressor violentus:* sicut enim non licet occidere fornicatorem violentum post opus patratum, quia haec non esset defensio, sed ultio, sic nec expellere ipsum foetum sive semen. Ita *Viva* hic n. 17. ubi addit ex *Sanch.* probabile esse, quod foemina ad summum in ipsa iniqua oppressione, violenta quoque resistentia possit licite semen continuo expellere tanquam injustum aggressorem castitatis ad infamiam vitandam, id quod potius est impedire perfectam conceptionem, quam procurare abortum. 3. Non licet impedire hominis conceptionem quacumque ex causa; hinc si mulier *prudenter* timeat sibi mortem imminere ex partu, non tenetur quidem reddere debitum: non tamen potest reddere illud, ut conceptionem impediat. *Viva* hic n. 16. Denique non solum directe, sed nequidem indirecte, licet procurare abortum per medicamenta, per quae directe intenditur evitanda infamia ab extrinseco inferenda, quia talis medicina non prodest ad impediendam mortem vel infamiam, nisi quatenus occidit vel expellit foetum: ergo qui illam sumit, simul directe intendit expulsionem foetus; qui enim vult finem, vult etiam media. Contraria argumenta bene solvit *Jansen.* casu 33. n. 17.

670. *Q.* II. Quas poenas incurrat procurans abortum. R. 1. Juxta Bullam *Sixti V.* excommunicationem incurrit, qui ope, consilio, vel alia ratione sive per se, sive per alios abortum procuraverit, intellige *abortum foetus animati effectu secuto*, juxta declarationem *Gregor. XIV.* ita tamen, ut a quovis Confessario habente facultatem absolvendi ab omnibus censuris absolvi possit. *Viva* l. c. n. 18. ubi num. 19. addit, quod procurans abortum foetus animati effectu secuto, etiam in dubio, an fuerit animatus, nec ne, incurrat irregularitatem: item in dubio, an medium certo adhibitum fuerit causa abortus, an vero ille aliunde obvenerit. *Ratio* est, quia etiam in dubio homicidii incurritur irregularitas. Cum autem juxta *Arist.* et *Plinium* masculus die quadragesimo, foemina vero die octogesimo animetur, non incurrit irregularitem, qui ante hos dies abortum procurat: quod si dubitetur procurato abortu, an mas sit, praesumitur esse et incurritur irregularitas, et secuto effectu, privatio beneficii, dignitatis, et inhabilitas ad ea obtinenda absque dispensatione papae, juxta *Dianam*, prout etiam servat S. Poenitentiaria. Contrarium resolvit *Bardi.* Denique hodie non amplius probabile est, omnem foetum, quamdiu in utero est, carere anima rationali, ut patet ex propos. 35. ab *Innoc. XI.* damnata. Probabilior sententia tenet animationem foetus fieri circa quadragesimum diem, non modo in foetibus masculis, sed et foemellis vegetioribus; paulo serius in debilioribus utriusque. Unde carmina:

Sex in lacte dies, ter sunt in sanguine terni,
Bis seni carnem, ter seni membra figurant.

671. Pro resolvendis aliis casibus *observa* I. Praegnans, si immodico saltu, labore, intemperantia, deliberata ira foetui noceat, gravissime peccat, etsi hoc non intendat, sed solum praevideat, vel aliunde certo sciat; ad servandam tamen vitam, vel sanitatem potest licite adhibere medicinam per se non ordinatam ad expulsionem foetus, v. g. balneum, sectionem venae, etiamsi per accidens sequatur abortus; quia si ejusmodi medicina non sumatur, vita matris et infantis in periculo manet. Si vero medicina non conduceret ad sanitatem, nisi expellendo foetum, eam non liceret sumere, quia directe intenderetur expulsio foetus, quod est intrinsece malum, nisi valde probabile esset, absque tali medicina et vitam matris, et infantis periclitaturam esse. II. Medici, chirurgi, pharmacopaei peccant graviter contra praeceptum, *Non occides*, quoties ex culpabili ignorantia, negligentia, aut avaritia causa sunt, ut aegrotus citius moriatur, aut morbus ex negligentia diu protractus notabiliter ingravescat, praesertim si *studio* diu morbo non medeantur, ut impleant bursam pecunia, hi plerumque simul implent caemeteria mortuis; juxta *Ca-*

ram. et *Henno* isti tenentur ad restitutionem pretii pro opera et medicina accepti.

Casus III.

Bessarion se accusat: Triplex homicidium commisi: 1. *quidem domum redux a fideli famulo audivi, statim adulterum adventurum; mox ingressum conanti gladium opposui, ut emaneret : adulter viam vi facturus stricto gladio me aggressus est, quem proinde feliciter transfixi.* 2. *Furem in actuali furto deprehensum globo trajeci, ne fuga elaberetur.* 3. *Denique calumniatorem gravia de me crimina spargentem occidi.*

672. *Q.* I. An Bessarion juste occiderit adulterum. Respondet *Carden.* dissert. 12. c. 2. a. 4. *affirmative*, ex supposito quod factum fuerit cum moderamine inculpatae tutelae; primo enim ad tuendum honorem, et jus thalami licite stricto gladio conatus est se opponere adultero; postquam autem hic opposuit gladium, non solum fuit aggressor honoris, sed etiam vitae: unde Bessarion, cum aliter non potuerit, defensione etiam occisiva ad vim avertendam licite usus fuit: secus si non fuisset simul aggressor vitae.

673. *Adverte* hic 1. marito, etsi sit judex, non licet uxorem in adulterio deprehensam propria auctoritate occidere, ut patet ex propos. 19. ab *Alex. VII.* damnata. *Confirm.* ex eo, quod nulla lex conferat hanc potestatem marito. Vide c. *inter haec.* causa 33. q. 2. Leges civiles id permittentes non tollunt rationem culpae, sed tantum volunt, quod talis maritus postea in foro externo non puniendus sit, sicut alii homicidae ob ingentem et justum dolorem acceptum; unde etiam talis non excommunicatur, licet Clericum adulterum occidisset, juxta c. *Si vero* 1. de sent. excomm. *Viva* hic cum *Sanch.* et comm. 2. Juxta eumdem uxor, aut adulter licite se defendere possunt etiam defensione occisiva contra aggressorem, cum aggressio occisiva sit injusta. 3. Si defloretor virgini vim inferre attentet, si aliter nequeat vim arcere, v. g. clamando etc., licite potest occidere invasorem; sic enim non tantum defendit honorem, sed etiam integritatem corporis sui.

674. *Q.* II. Quid porro observandum circa aggressores vitae. R. Ut vitae aggressoris occisio licita sit, requiritur 1. Ut vera, et non tantum dubia sit aggressio, et quidem *injusta:* hinc malefactori non licet occidere milites missos ad se capiendum, quia sunt justi aggressores. 2. Ut defensio fiat in ipsa aggressione; unde si aggressor inflicto vulnere fugiat, non licet eum in fuga occidere. *Jansen.* cas. 33. n. 6. NB. Quando me juste defendo, aggressorem occidendo, etiam alius eodem modo me posset defendere contra injustum invasorem. *Ibid.* 3. Requiritur moderamen inculpatae tutelae, ut supra dictum. Porro vir nobilis, vel persona militaris non tenetur fugere invasorem iniquum, quoties per fugam incurreret gravem ignominiam, ut probat *La Croix* L. 3. p. 1. num. 803. ex gravissimis AA. quia in hoc casu respectu talis personae censetur adesse moralis necessitas se defendendi. Clericis vero, Religiosis, imo laicis plebejis fugere non est probrosum; imo nemini vel nobili, vel ignobili fuga vitio vertitur, si aggressor sit amens, ebrius, (cui juxta Germanorum axioma plaustrum onustum cedere debet) pater, vel Superior, ideoque tunc erit fugiendi obligatio. *Jansen.* l. c. n. 8.

675. *Q.* III. An Bessarion juste occiderit furem. R. Si eum fores adhuc effringentem, vel antequam bona surripuerit, occiderit, peccavit (nisi fur simul fuisset actualis aggressor vitae) quia sic adhibuisset vim plusquam necessariam ad justam defensionem bonorum suorum; sufficeret enim in tali casu clamor vel vulneratio ad fugandum invasorem. Si vero bona magni momenti actu jam surripuisset, et fugisset, ita ut non fuerit spes, et modus ea aliter recuperandi, juxta probabilem non peccasset illum occidendo; secus si abstulisset rem parvi momenti, ut patebit ex sequentibus.

676. De aggressore bonorum temporalium tenendum. 1. Non licet pro conservatione rei exigui momenti, vel pro jure inchoato, aut re nondum possessa occidere invasorem bonorum temporalium, patet ex propos. 31., item ex 32., item ex 33. ab *Innoc. XI.* damnatis. In 31. propos. juxta *Carden.* dissert. 21. n. 76. virtualiter damnatur, quod liceat occidere pro re parvi momenti. *Ratio* est, quia ejusmodi res aliis mediis recuperari possunt, vel saltem ad servandam vitam proximi plerumque in peccato morituri, contemni debent ex charitate, imo talis occidendi licentia rempublicam turbaret. Sic intelligendi sunt SS. PP.

677. Probabilius ibi non damnatur, quod liceat rem temporalem magni momenti, si aliter defendi et recuperari nequeat, contra invasorem defendere defensione occisiva. *Ratio* est, quia temporalia per se sunt necessaria ad vitam conservandam, et charitas non exigit facere magnam jacturam temporalium pro vita proximi, nisi in gravi vel extrema necessitate; invasor autem non est in tali necessitate, sed magna malitia: ergo. etc. *Confirm.* 1. ex eo, quod communis securitas id exigere videatur. *Confirm.* 2. Consuetudo orbis jure gentium introducta concedit, ut bella gerantur solorum temporalium causa cum caede plurimorum hominum: ergo a pari. Ita docent plures quam centum AA. a *Taberna* citati. Quae vero res temporalis tanti momenti censenda sit ut propter eam recuperandam vel conservandam licita sit occisio furis, facile determinari nequit: certum est, quod ea summa debeat esse multo major, quam quae est materia gravis furti. *Cardenas* statuit pro divite 40., pro paupere aureos 3. 4. vel 5. *Sporer* t. 5. c. 2. num. 154. ea bona magni momenti esse statuit, sine quibus vita commode secundum vitae ac status conditionem duci nequit. Deinde juxta *Lugo* d. 10. n. 175. talem furem licite etiam Clericus vel Religiosus potest occidere, quia hi aeque ac laici jus habent ad tuenda sua, vel monasterii bona. Huic resolutioni contrarius est *Pontas*, qui V. *Occidere* cas. 9. post Decretum *Innoc. XI.* vocat Casuistas coecos, qui defendunt, quod liceat occidere hominem ad servanda bona temporalia, quantumvis magna, eoquod vita hominis bonis temporalibus longe praestantior sit. Verum ex sententia *Pontasii* sequeretur, omnia bella esse injusta, quae geruntur pro rebus temporalibus. Item sequeretur, leges tum civiles, tum canonicas esse injustas, quae permittunt, furem nocturnum impune interfici, ut L. 4. ff. ad L. Aquil. et c. *interfecisti* 2. de homicid. voluntar. Stante hac controversia inter auctores supradicta necessario tenenda sunt, quod nunquam liceat occidere furem propter unius aurei, vel aliud gravius, quod tamen non post se trahit ingens detrimentum familiae. Item si alio modo, v. g. clamore, vel forti persecutione possint bona surrepta recuperari.

678. Q. IV. An Bessarion peccaverit occidendo aggressorem famae R. *Affirmative.* Patet ex propos. 17. et 18. ab *Alex. VII.* damn., item ex 30. ab *Innoc. XI.* damn. *Ratio* est, quia occisio infamatoris non est aptum medium aeque ad propulsandam infamiam, sicut ad servandam vitam, vel bona temporalia furi fugienti eripienda: ergo fit absque moderamine inculpatae tutelae. *Prob. ant.* Vel enim calumniam in judicio idonee potes probare, sic absque homicidio auctoritate judicis honorem tueri debebis: vel non potes probare, sic occidendo majorem incurris infamiam, quia a judice tamquam homicida condemnaberis. Accedit, quod occisio infamatoris dicta non convincat falsitatis; ergo est ineptum medium. Denique privatum jus occidendi calumniatorem vergeret in perniciem reipublicae; multi enim plus aequo honoris tenaces propugnatores quaevis dicta paulo acerbiora pro maximis calumniis haberent, aliis idcirco vitam eriperent.

Casus IV.

Braulius, decurio generosus ut sit, mira de se spargit facinora. Bonifacius hujus arrogantiae impatiens, utpote decurio vere generosus, facete quaerit, an saltem possit numerare hostes a se occisos. Mox Braulius ira exardescit, eumque ad duellum extra portam Carolinam provocat. *Bonifacius negat, se unquam tale scelus patraturum: conjurant astantes officiales, se non amplius conversaturos, multò minus consuetis officiis bellicis cum ipso functuros, nisi honorem suum defendat: imo propter tumultum inter officiales proximo periculo privationis officii sui exponitur.*

679. *Q.* I. An Bonifacius licite potuerit acceptare duellum praecise ob punctum honoris, sive ad declinandam ignominiam, aut notam timiditatis. R. *Negative.* Vide propos. 2. ab *Alex. VII.* damnatam. *Ratio ulterior* est, quia acceptatio duelli nec est medium necessarium, nec idoneum defendendi honoris. 1. *Necessarium* non est; honor enim aliis modis defendi potest, scilicet apud competentem judicem, vel si provocatus publice protestetur, se duellum non recusare ex timiditate aut ignavia, sed ex debita reverentia erga leges, divinam et humanam: paratum se esse cuicumque aggressori obviare, uti decet virum fortem. 2. *Idoneum* non est, quia summa dementia est, et summa in Deum, rempublicam, et seipsum injuria, vitam propriam, et animae salutem aeternam certo periculo exponere. Deinde vel duellans erit *victor*, et sic tanquam infamis transgressor LL. reus homicidii incidet in manus carnificis, aut hujus metu, relictis bonis et officio, aufugere cogetur alibi misere victurus: vel erit *victus*, sic tanquam infamis praeda diaboli sepelietur sepultura rabidi canis. Ergo duellum in tali casu manet intrinsece malum. Pariter illicitum est ad duellum provocare vel acceptare 1. Ad ostentationem virium, armorum peritiae. 2. Ad spectantium oblectationem. 3. Ad vindicandam injuriam, vel ex odio. 4. Ad manifestandam veritatem, vel ad objecti criminis purgationem.

680. *Q.* II. An Bonifacius potuerit licite acceptare duellum ex eo, quod facta provocatio non tantum sit actualis aggressio honoris, sed officii ac dignitatis, quae inter temporalia magni momenti reputantur. R. *Negative.* Vide in P. II. n. 1430. propositiones damnatas a Benedicto XIV.

§. III. *Principia generalia de scandalo*

681. *Praenotanda.* Scandalum (quod alias vocatur peccatum occasionatum) aliud est activum, aliud passivum. *Activum est dictum vel factum* (subintellige etiam omissionem externam) *minus rectum praebens occasionem ruinae*, scilicet spiritualis, sive peccati. *S. Th.* 2. 2. q. 43. a. 1. Dixi, *minus rectum*, hoc est dictum vel factum, quod vel in se est malum, vel saltem habet speciem mali. Merito scandalum activum vocatur occisio spiritualis; cum quodlibet grave peccatum sit mors animae. *Passivum* est ipsa ruina, sive peccatum proximi; hoc si oriatur ex occasione ab alio data, vocatur *datum*, sive *pusillorum*, vel infirmorum, v. g. si quis turpem delectationem hauriat ex turpiloquio alterius. Si oriatur ex sola peccantis malitia ob alterius dictum vel factum irreprehensibile, dicitur *acceptum* et *pharisaicum*, a Pharisaeis, qui ex sanctissimis Christi actionibus sumebant occasionem peccati. *Activum* iterum aliud est directum, aliud indirectum. *Directum* est, quando quis jussu, suasu, sollicitudine, vel exemplo intendit aliquem inducere in peccatum, idque vel formaliter, dum intenditur ipsa ruina spiritualis, vel offensa Dei, quod proprium est daemonum, et hominum pessimorum; aut materialiter, quando tantum intenditur ipsa actio peccaminosa alterius, ut sibi utilis vel delectabilis, v. g. furtum, fornicatio etc. *Indirectum* est, quando interpreta-

tive praebetur occasio peccandi, v. g. dum quis exercet actionem, quam cognoscit esse aptam, ut per eam proximus hic et nunc inducatur in peccatum, eam tamen non omittit, quamvis directe non intendat peccatum alterius, v. g. dum quis coram junioribus cantat impudica. *Babenst.* t. 5. d. 1. a. 6. §. 1.

682. *Principium I. Scandalum activum* ex genere suo est peccatum mortale; veniale autem propter parvitatem materiae, aut ex defectu advertentiae, sive deliberationis. Ita *comm.* Primum patet ex Matth. c. 18. *Vae homini illi, per quem scandalum venit.* Et *ratio* est, quia inducere alium in peccatum, quod est malorum omnium maximum, directe opponitur charitati. *Ratio secundi* est, quia peccatum veniale in ordine damnorum spiritualium est tantum quid leve; ergo etiam inductio in illud est tantum leviter peccaminosa. *Nec refert*, quod peccatum veniale causet majus damnum, quam sit omne damnum temporale; nam damnum, ut censeatur leve vel grave, debet considerari in proprio ordine sine comparatione damnorum alterius ordinis. Accedit, quod damnum peccati venialis sit facilius reparandum, quam damnum grave temporale. *Palao, Babenst.* l. c.

683. Dixi, *directe scandalizans*; de scandalo enim activo indirecte, an sit speciale peccatum contra charitatem, non conveniunt DD. *S. Th.* 2. 2. q. 55. a. 3. in corp. ait: *Scandalum per accidens tale, quando est praeter intentionem agentis, ut puta, cum aliquis facto suo vel verbo inordinato non intendit alteri dare occasionem ruinae, sed solum suae satisfacere voluntati: et sic scandalum etiam activum non est speciale peccatum.* Unde *Paludanus, Durandus*, et alii concludunt, scandalum activum indirectum non esse grave peccatum in confessione exprimendum, hoc ipso, quod in tali casu peccatum non intendatur, sed tantum non impediatur. Contrariam *S. Anton., Navarri, Soti, Valentiae, Suaresii* de char. disp. 10. sect. 2. *Laymann, Sporer*, et *Babenst.* dicunt esse communiorem et probabiliorem, quia sicut is vere committit peccatum detractionis, qui temere aliquid dicit, ex quo fama proximi damnum patitur, quamvis hoc damnum non intendat directe, sed sufficit, non abstineat a sermone, ex quo illud secuturum praevidet: ita a pari. Ideoque pro praxi *Laym.* L. 2. t. 3. c. 13. n. 5. recte tradit sequentes regulas. Prima: *In confessione necessario exprimenda est species peccati mortalis, ad quod exemplo, suasione, aut jussu alterum induxerat: insuper exprimendus est numerus personarum, quas ad tale peccatum traxisti, vel probabiliter trahere potuisti.* Secunda: *Non semper peccatum scandali committitur, si quis coram aliis peccet, sed tunc solum, quando probabile periculum est alterum quoque ad peccandum commovendi*, v. g. si videntes, vel audientes tam prudentes, et in virtute constantes sint, ut nemo eorum pravo exemplo moveatur: item si praesentes ejusdem farinae socii per se jam ad peccandum parati et instructi sint, ideoque exemplum unius ad peccatum alterius nihil conferat etc. Ad scandalum activum non requiritur, ut passivum actualiter sequatur, sed sufficit, positam esse actionem, ex qua passivum suapte natura possit oriri. Tertia: *Si quis exemplo suo alterum induxerit ad furandum, aliudve damnum injustum inferendum, non obligatur ad ejus compensationem, secus si jussio aut suasio efficax antecesserit*, quia exemplo suo movens ad peccatum non cooperatur alterius peccato, sed tantum peccat contra charitatem: qui vero jubet, suadet, vel arma subministrat ad damnum inferendum, peccat simul contra justitiam, et cooperatur alterius peccato. Scandalizans tamen bono exemplo saltem debet corrigere errorem. Ita *Sa.*

684. Ex his resolvuntur sequentes casus. I. Operatio secundum se venialiter mala, ratione scandali quod per illam praebetur, potest fieri graviter mala, v. g. si quis coram marito valde zelotypo uxori saepius in aurem dicat tantum jocosa, unde gravis dissensio postmodum oritura praevidetur. *Babenst.* l. c. n. 15. Sic etiam illicitum est judici munera offerre (quamvis hoc de se

quid indifferens sit) eo fine, ut intuitu munerum sit patronus injustae causae: quia hoc est sollicitare, et per consequens proxime cooperari ad peccatum.

685. II. *Brandanus*, qui induxit Bertam ad fornicandum, non tenetur explicare circumstantiam hujus scandali, quia Confessarius ex communiter contingentibus praesumit, virum induxisse. Berta vero si induxisset Brandanum, id deberet exponere in confessione, quia hoc non communiter contingit: ergo nequit innotescere Confessario, nisi explicetur. *Laymann*, *Filliuc.* t. 28. c. 10. n. 231.

686. III. A peccato mortali excusari non possunt histriones et alii, qui verba turpia in comoediis proferunt: item spectatores obscoenarum comoediarum. 2. Qui obscoena carmina, libros, et cantilenas componunt, evulgant etc. 3. Qui faciunt statuas, aut pingunt imagines valde obscoenas, aut eas publice exponunt. Nec exemplum plurimorum foedas imagines publice exponentium excusat, quia hoc non tollit periculum peccati; ergo nec scandali: imo alias excusaret ab observatione mandatorum quotidiana eorum transgressio. 4. Item qui tales fixe intuentur, scientes periculum consensus. 5. Praesertim vero hospites, vel praeceptores, qui pravo exemplo parvulos sibi commissos a parentibus seducunt. Quid expedit scandalizanti unum de pusillis istis? Respondet Christus Matth. 18. v. 6. *Ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris.*

687. IV. Ad intricatam quaestionem, an sit peccatum scandali suadere minus peccatum illi, qui alioquin certo facturus est majus, respondent: 1. *Valent.* et *Sa*, id non licere: quia minus peccatum nihilominus manet peccatum: ergo illud suadere est intrinsece malum. 2. *Laymann*, *Dicast.* et alii respondent sub distinctione, si minus malum contineatur in majori, nec majus aliter possit impediri, licitum esse suadere minus, eoquod sic non suadeatur peccatum minus, nec intendatur, sed tantum ut plene determinatus ad majus malum omittat unam ejus partem. E contra licitum non esse, suadere minus malum, quod in majori nullo modo continetur, v. g. si determinato ad homicidium suadeam ebrietatem; quia hoc esset determinare ad peccatum, ad quod alter non erat nullo modo determinatus. In priori autem casu non suadetur illud malum simpliciter, sed tantum eligitur ut medium ad impediendum majus. 2. *Sanchez* de matrim. L. 7. d. 11. n. 15. cum gravibus AA. ait, licitum esse, suadere minus, quamvis sit diversum, eoquod etiam hoc modo non suadeatur malum ut tale, sed tantum ut impeditivum majoris. In praxi tenemur omni modo impedire malum, ad quod alter determinatus est; vel si suasio juvet, absolute saltem est dissuadendum majus malum absque suasione minoris mali, ad quod si alter se ipsum determinet, et ab eo pariter averti nequeat, sufficiet, illum fuisse impeditum a majori malo absque ulla suasione minoris mali.

668. *Principium II.* Ad dignoscendum, quaenam facere, vel omittere debeamus ad impediendum scandalum passivum, supponitur 1. tanquam certum, quod in nullo unquam casu liceat exercere actionem intrinsece malam ob impediendum peccatum proximi; *nunquam enim facienda sunt mala, ut eveniant bona.* 2. Ex eadem ratione nunquam est licitum, intermittere actionem, ad impediendum peccatum proximi, si intermissio actionis sit intrinsece mala, ideoque nullum opus necessarium ad salutem debet omitti ob scandalum passivum. Manifestum enim est, quod nullus debeat peccare, ut alterius peccatum impediat, quia secundum ordinem charitatis plus debet homo suam salutem spiritualem diligere, quam alterius. Ita diserte *S. Th.* l. c. a. 7. in corp. 3. Opera bona, non praecepta, ob scandalum pharisaicum nunquam omittenda sunt, quia hoc oritur ex mera et libera malitia; ob scandalum autem pusillorum subinde vel occultanda, vel differenda sunt, ubi periculum non imminet, donec reddita ratione hujusmodi scandalum cesset: quia charitas suadet, ut hoc modo subveniatur infirmitati, vel ignorantiae proximi,

ex quibus ejusmodi scandalum oritur. Hinc inter viros doctos et prudentes minus timendum est, ne ex actionibus bonis tale oriatur scandalum. Si propositis rationibus adhuc duret scandalum, incipit esse pharisaicum, quod est contemnendum. *S. Thom.* ibid. Sic ingressus Religionis ob scandalum parentis debet differri, si consensus postea speretur. 4. Juxta *Vasq.* de scand. q. 43. a. 8. dub. 1., *Becanum*, et alios, opus praeceptum nec debet, nec potest omitti ob vitandum scandalum passivum pusillorum; ita ut Bernardus debeat audire Sacrum die festo, etsi praevideat, quod Brictius inimicus in templo ad ejus conspectum sit concepturus novum odium. *Palao* et *Tambur.* dicunt, quod Bernardus possit omittere ex charitate Sacrum, non tamen tenetur. Probabilior *Laymanni* l. c. n. 10. est, quod opus praeceptum semel, aut iterum (non tamen saepius) ob praevisum scandalum passivum debeat omitti: adde, *si circumstantiae brevi mutandae credantur*; quia concurrente duplici praecepto, scilicet naturali de impediendo scandalo, et positivo, v. g. de audienda Missa, majus et fortius est naturale. 5. Opera indifferentia, vel licita de se non tenemur omittere ob vitandum scandalum, *si adsit rationabilis causa*, v. g. necessitas vel utilitas propriae, aut alienae salutis: item si peccatum proximi sine gravi incommodo impediri non possit; suppositis enim his conditionibus opus alias licitum nostro jure ponimus, nec determinamus alios ad peccandum, sed pure permittimus. Secus si non urgeat rationabilis causa; tunc enim tenemur omittere tale opus ex se quidem licitum, ex quo tamen scimus alium esse scandalizandum ex ignorantia vel infirmitate (pharisaicum enim contemni debet); nam quilibet ex charitate tenetur impedire peccatum, si *commode* et *facile* possit. Ita *comm.* Ideoque absque justa causa non licet petere mutuum ab usurario, nec ab infideli juramentum per falsos Deos, nec a Sacerdote excommunicato, licet tolerato, administrationem sacramentorum, nec a concubinario etc., secus si adsit justa causa necessitatis, vel utilitatis. *Laym.* l. c. n. 8.

689. *Princip. III. Nunquam licet cooperari alterius peccato formaliter*, sive per actionem, quae *proxime* et *directe* influit in alterius peccatum; qui enim sic concurrit, vult ipsum peccatum; ergo fit reus peccati. Licet tamen *cooperari materialiter* per actionem, quae *remote* tantum concurrit ad alterius peccatum, si nimirum tres sequentes adsint conditiones. 1. Si actio tua sit de se bona, vel saltem indifferens. 2. Si fiat ex rationabili causa, et ex bona intentione. 3. Si alterius peccatum impedire nequeas, vel saltem non tenearis ex juxta causa. Ita *Busemb.* Gravitas causae certa regula definiri nequit, sed prudenti judicio determinanda est ex circumstantiis; ex his enim actio de se indifferens, et remote tantum concurrens ad peccatum saepe fit proxime adjuvans et illicita, ut patet ex propos. 51. ab *Innoc. XI.* damnata, de qua egimus n. 646.

Resolutio Casuum.

Casus I.

Catharina novit, quod ex sui aspectu Bruno in turpia desideria labatur; hinc timet die festo audire Sacrum in proximo templo, in quo scit Brunonem pariter Sacrum audire; aliud vero templum remotius adire non vult, cum sit delicate educata.

690. *Q.* I. An Catharina teneatur intermittere Sacrum, an vero remotius adire templum. R. Si aliud templum non notabiliter remotius sit, tenetur alibi audire Sacrum, neque delicata educatio est causa gravis excusans ab auditione Sacri ob vitandum scandalum: plerumque enim ejusmodi delicatulas non piget adire comoedias, aut conventiculas in locis remotioribus; cur pigeat adire templum aliquanto remotius? Si vero unicum tantum Sacrum in

eodem loco legeretur, resolvendum ut supra n. 688. scil. quando est spes, fore ut circumstantiae brevi mutentur, v. g. si Bruno brevi alio sit discessurus, ex charitate semel aut iterum deberet omittere Sacrum: si vero nulla sit spes, juxta probabilem deberet audire Sacrum; habet enim justam causam exeundi, nec ille egressus vel auditio missae ex se ad peccatum inducit, sed ex alterius malitia.

691. *Q.* II. An Catharina teneatur manere domi, si timeat plures indeterminate e communitate passuros scandalum ex sui aspectu. R. *Negative*: esset enim nimis difficile, et scrupulorum materiam praeberet, si foemina, quae nullius ruinam intendit, proprio jure ex justa causa egrediendi foras, vel prospiciendi per fenestram privari deberet, ne ex ejus aspectu aliqui e populo scandalum patiantur. *Laym.* l. c. n. 10.

692. *Q.* III. An peccaret Catharina, si ex mera curiositate prospiceret per fenestram, quando scit, quod praetereat Bruno. R. *Affirmative*, quia tum non adest rationabilis causa prospiciendi, e quo prospectu tamen scit oriturum scandalum; pariter juxta *Sporer* de scand. n. 23. §. 2. deberet abstinere ab inutili egressu aliquandiu, non tamen longo tempore, quia hoc esset grave incommodum; quod si enim concupiscentia alterius diu duret, non est amplius infirmitas, sed obfirmata malitia, et scandalum pharisaicum.

Casus II.

Clara virgo valde obscura frequenter ad alloquium admittit Caprasium, negative dubitans, an ab illo turpiter ametur. Eadem plurimum studii impendit, cum in ornando corpore, tum in suaviter alloquendo, ut placeat et honestos habeat procos; denique etiam adhibet ornatum satis scandalosum, quo plures allicit, qui certant eam e templo ducere domum, a quibus admittit compressiones manuum, nutus amatorios, quos et ipsa reddit.

693. *Q.* I. An Clara peccet admittendo Caprasium ad alloquium. R. Si alloquium caeteroquin sit honestum, nec aliunde colligatur inhonestus animus Caprasii, per se loquendo, non peccat. Nec obstat dubium illud negativum, quia in dubio quilibet debet praesumi bonus: secus si ex moribus adolescentis, vel ex verbis venerem olentibus prudenter timeat in illo turpes affectus, motus, vel actus. Ita *Jansen.* t. 1. casu 20. n. 4.

694. *Q.* II. An Clara peccet vestitu, et suavi alloquio, quaerens aliis placere. R. Si vestitus sit statui conveniens, et de se honestus, item si alloquium sit etiam suaviter honestum, non peccat saltem graviter, quia nihil mali intendit, nec medium alliciendi procos de se est malum.

695. *Q.* III. An Clara peccet graviter per ornatum scandalosum etc. R. 1. Si sit notabiliter scandalosus, et per se alliciens ad turpes aspectus, v. g. notabilis denudatio pectoris, peccat mortaliter, nec absolvi facile debet, nisi parata sit ad emendationem. Impudicarum ejusmodi foeminarum fronti inscribi deberet illud Prov. 7. v. 10. *Ecce occurrit mulier ornatu meretricio praeparata ad decipiendas animas.* Regulam generalem tradit *S. Thom.* 2. 2. q. 169. a. 2. in corp.; *Si mulieres hac intentione se ornent, ut alios provocent ad concupiscentiam, mortaliter peccant; si autem ex quadam levitate vel vanitate propter jactantiam quamdam, non semper est peccatum mortale, sed quandoque veniale.* Idem sentit ibid. de fuco et pigmentis. R. 2. Compressiones manuum etc. Clara a Caprasio non potest citra peccatum grave sine resistentia admittere, si notus sit turpis affectus Caprasii, quia haec sunt proxima incentiva luxuriae. *La Croix* L. 2. n. 249.

696. Pro resolvendis aliis casibus *observa*. I. Juxta *Suarez* et *Sanch.* nemo tenetur in propriis bonis gravem jacturam facere vel pati, ne proximus ob actionem tuam de se bonam scandalizetur; quia tum adest justa causa permit-

tendi scandalum. Secus si leve damnum quis debeat pati ob impediendum grave peccatum. Vide *Sporer* de scand. n. 32.

697. II. Non peccat, qui ex justa causa praebet materiam ex se licitam, qua alter ex malitia sua abutetur ad peccandum; id enim contingit praeter intentionem offerentis materiam peccandi; causa autem praebendi talem materiam eo major requiritur, quo gravius est peccatum, ad quod praebetur occasio, item quo probabilius est, peccatum non secuturum, si occasio non daretur. *La Croix* l. c. n. 255.

698. III. Non peccat, qui vendit ornamenta puellae, per quae alios est sollicitatura ad peccatum, praesertim si illa venderentur ab alio; quia ista venditio est quid indifferens, et remote se habet ad peccatum, nec ideo, si non venderet, per hoc impediret peccatum, alius enim venderet. *Sanch.*, *Navarr.*, *Azor* contrà *Palao*.

699. IV. Qui non aufert occasionem peccati eo fine, ut deprehensus corrigatur et resipiscat, non peccat; quia hoc non est inducere ad peccandum, sed permittere unum peccatum tanquam medium ad cavenda plura. Ideoque non peccat pater, qui filio furtis addicto relinquit pecuniam alicubi incustoditam, ut illum ex insidiis deprehensum corrigat. Sic custodes gabellarum, vinearum, hortorum etc. licite se abscondunt, ut viatores defraudantes gabellas, auferentes uvas, aut fructus, deprehendantur, alii vero absterreantur, dum timere debent, ne et ipsi a latitantibus deprehendantur. Nec alius restat modus pro bono communi: alias pro singulis vineis et hortis deberent custodes constitui, aut pater deberet continuo adhaerere lateri furtivi filii. Non tamen licitum est ideo se abscondere, ut quis deprehensus puniatur, et multetur; quia hoc esset intendere poenam et damnum proximi, et simul peccatum, ex quo oritur poena. *Babenst.* l. c. n. 26. cum *Bonac.* et *Tamb.* Non aeque conveniunt AA. an liceat ultro offerre occasionem peccati, v. g. in mensa ponere pecuniam, aperire cistam eo fine, ut fure deprehenso, graviora mala impediantur. Negat id licere *Sa* V. Peccatum n. 7., *Sanch.* Affirmat e contra *Laym.* L. 2. t. 3. c. 13. n. 5. id licitum esse: videtur addendum, si aliud correctionis medium non suppetat.

§. IV. *Principia generalia de odio proximi, imprecationibus etc.*

700. *Praenotandum I.* Lubet ad praeceptum quintum revocare ea, quae ab aliis tractantur de charitate proximi in genere, eoquod pleraque, quae a lege charitatis proximi prohibentur, v. g. odium, imprecationes, vel maledicta recte vocari possint homicidia cordis, vel oris. In genere hic tanquam certum supponimus, quod praeceptum charitatis proximi expressum Matth. c. 22. *Diliges proximum tuum, sicut te ipsum*, prout est *affirmativum*, nos obliget ad diligendum proximum tum actu interno, ut patet ex propos. 10. et 11. ab *Innoc. XI.* damnatis, tum actu externo bene faciendo, quod fit per opera misericordiae corporalia et spiritualia. Christus enim ait Joan. 13. *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Atqui Christus actibus tum internis, tum externis nos dilexit, ergo. Utrumque exprimit s. Joannes in epist. 1. c. 3. *Diligamus opere et veritate.* Debet autem saltem saepius in vita elici actus dilectionis proximi ex motivo supernaturali, v. g. quia Christus id praecipit, quia Christus pro proximo mortuus est, quia est imago Dei etc. *Viva* in dictam propos. Prout vero est *negativum*, nos obligat ad non odio habendum proximum. Per proximum intelligitur omnis creatura rationalis, quae capax est beatitudinis; hinc excluduntur soli daemones et damnati. Modus diligendi proximum continetur in his duobus principiis: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Item: *Quaecumque vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis.*

701. *Praenot. II.* Odium in genere est actus, quo alicui malum volumus.

Dividitur in *odium inimicitiae*, quo aversamur aliquem, ipsique malum volumus praecise, quia ipsi malum est: et in *odium abominationis*, quo aversamur aliquem non secundum se, sed secundum malum aliquod, quod in ipso est nobis, aliisque contrarium vel nocivum. Illud *Azor* recte vocat *odium personae*, hoc vero *odium rei*.

702. *Principium I.* Odium inimicitiae sive personae contra proximum est peccatum mortale ex genere suo, sive foveatur in corde, sive prodeat in verba aut opera. *Prob.* 1. ex Script. *Qui odit fratrem suum, homicida est.* 1. Joan. 3. Item 1. Joan. 2. *Qui dicit, se in luce esse et fratrem suum odit, in tenebris est. Prob.* 2. *ratione.* Quod immediate repugnat charitatis praecepto, quod simile est praecepto primo de dilectione Dei, grave peccatum est; atqui odium inimicitiae immediate repugnat huic praecepto: ergo. Dixi, *est mortale ex genere suo*; quia potest esse veniale ex imperfectione actus, et ex levitate materiae, v. g. dum quis alteri imprecatur leve tantum malum, vel grave non satis deliberate, vel advertenter. *Bonac., Palao* cum comm. Ideoque tanquam regula generalis statuitur, quod *deliberate velle, gaudere, desiderare, imprecari proximo grave malum, v. g. mortem, pestilentiam, infernum etc. sive ex vindicta, sive ex aversione aut displicentia erga ejus personam*, semper sit mortale.

703. Odium abominationis sive qualitatis potest esse bonum vel malum, prout qualitas, quae in proximo odio habetur, bona vel mala est, v. g. si odio habeas in proximo vitae sanctitatem, temperantiam, justitiam etc., odium malum est, et fraternae charitatis invidentia. Vide dicta n. 326. et 327. Si odisti in proximo superbiam, luxuriam etc., odium bonum est: hoc modo ipse Deus odio habet peccatores juxta illud psal. 5. *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem.* Idem ad Rom. 1. *Detractores Deo odibiles.* Ita David ait Psal. 138. *Nonne, qui oderunt te, Domine, oderam, et super inimicos tuos tabescebam? perfecto odio oderam illos.* Cavendum hic est, ne istud odium rei ad personam paulatim se extendat; facile enim solet degenerare in odium inimicitiae. *Valent.* t. 3. d. 3. q. 11. punct. 1.

704. *Princ. II.* Non licet odisse inimicos odio inimicitiae, sed hoc solum in eis possumus odio habere, quod sint nobis contrarii, ut ait *S. Th.* 2. 2. q. 25. a. 8. ad 2. non tamen nobis contrarii sunt, quatenus homines, et beatitudinis capaces, sed quatenus sunt proximi nostri; ergo. *Confirm.* ex verbis Christi Matth. 5. *Ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos.* Modus, quo tenemur diligere inimicos, est juxta *S. Th.* l. c. a. 9. in corp.... 1. Ut affectum vindictae deponamus, et ex animo iis ignoscamus juxta illud Matth. 6. v. 15. *Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* 2. Tenemur inimicis nostris exhibere *communia* dilectionis signa, qualia Christianus Christiano, civis concivi ordinarie exhibere solet; ad *specialia* quidem non tenemur, debemus tamen esse animo parati ad ea exhibenda in casu necessitatis. Hinc *regulariter* loquendo, peccat graviter, qui excludit inimicum ab oratione e communi eleemosyna, expositarum mercium venditione, resalutatione, responsione etc. *Ratio primae partis* est; quia illa, quae communiter omnibus debentur, negare inimico, manifeste indicat vindictam privatis personis illicitam juxta illud Levit. 19. *Non quaeres ultionem, neque eris memor injuriae civium tuorum. Ratio secundae partis* est; quia hoc ipso, quod ejusmodi signa sint specialia, non teneris ea exhibere omnibus; ergo nec inimico, cum is non sit melioris conditionis, quam alii. Est tamen de consilio, specialia inimicis exhibere, nisi aliunde accedat obligatio, v. g. si grave scandalum ex omissione oriretur; item si id requireret spes salutis inimici, aut necessitas temporalis vel spiritualis, aut culpae deprecatio ab inimico facta; in his enim casibus neglectus specialium signorum esset externa declaratio odii. Dixi *regulariter* etc. quia si levitas materiae, aut justa causa excuset,

e. g. si pater filio, superior subdito communia signa dilectionis subtrahat pro correctione, non peccaret graviter. Vide *Laym.* L. 2. t. 3. c. 4.

705. *Princip. III.* Tenemur succurrere proximo in necessitate corporali constituto, ut patet ex Script. *Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare* etc. Matth. 25. Item: *Divitibus hujus saeculi praecipe facile tribuere.* Et Prov. 21. v. 13. *Qui obdurat aurem suam ad clamorem pauperis, et ipse clamabit, et non exaudietur.* Lege etiam Ezech. c. 16. v. 49. Obligatio autem faciendae eleemosynae corporalis ex duplici capite oritur: *primo* ex *parte accipientis*, si in necessitate sit constitutus, quae triplex esse solet: una *extrema*, cui nisi succurratur, homo vita periclitabitur, vel saltem periculo mali morti aequalis exponetur: altera *gravis*, cui nisi succurratur, proximus vitam aegre ac difficulter sustentabit, vel statu ac dignitate sua privabitur: tertia *ordinaria* sive *communis*, quam comitatur aliquod incommodum in necessariis ad vitam et statum, ita tamen, ut vita non reddatur nimis misera vel molesta, qualem patiuntur ii, qui ostiatim mendicant. *Secundo* ex *parte dantis*, si habeat bona *superflua* sive *naturae*, h. e. non necessaria ad vitam suam et suorum sustentandam; sive *personae superflua*, h. e. non necessaria ad statum ac dignitatem tuendam. Hisce praecognitis de modo succurrendi traduntur sequentes regulae.

706. *Prima. De necessariis naturae nemo tenetur largiri eleemosynam. S. Th.* 2. 2. q. 32. a. 6. in corp., quia ordinata charitas exigit, ut quis suam, suorumque vitam anteponat vitae alterius: ibidem excipit *S. Th.*, nisi persona patiens extremam necessitatem sit talis, ut ab ejus vita salus Ecclesiae vel *Reipublicae* sustentetur; bonum enim commune praeferendum est bono proprio. *Cardenas* in Crisi Theol. disp. 20. c. 1. n. 13. addit tanquam certum, etiam ex necessariis naturae succurrendum esse extreme indigenti sub gravi peccato, quando id fieri potest cum modico detrimento.

707. *Secunda reg.* De necessariis personae, sive statui conservando facienda est eleemosyna homini *extremam* naturae necessitatem patienti. *Azor.* t. 2. l. 12. c. 7. q. 5., *Laym.* l. c., *Carden.*, *Bannes* oppositam vocant *inhumanam* opinionem. *Ratio* est, quia ordo charitatis, *per se loquendo*, exigit, ut vitam proximi propriae dignitati praeferamus. Dixi *per se*; nemo enim tenetur pro servanda pauperis vita statu suo excidere, si id majus damnum videatur, quam mors pauperis. Huc pertinet illud S. Ambrosii; *Pasce fame morientem, si non paveris, occidisti.*

708. *Tertia reg.* Proximo in *gravi* necessitate constituto succurrendum est ex bonis ad statum necessariis, si modicum tantum eorum detrimentum inde sequatur; quia id jubet lex charitatis, ut liberatio proximi ex gravi miseria praeferatur levi, ac facile reparabili damno propriorum bonorum. Secus si quis propterea notabile damnum deberet subire; hoc enim aequiparatur gravi necessitati alienae. *Babenst.* l. c. n. 12. cum *Laym.* et communi contra *Gabr.* et *Rosel.*

709. *Quarta reg.* Pauperi gravi necessitate laboranti quilibet tenetur sub peccato mortali subvenire ex bonis naturae et statui superfluis. *Carden.* cum *Suar.* d. 7. de char. sect. 3. n. 6. *Prob.* 1. ex 1. Joan. 3. v. 17. *Qui habuerit substantiam mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* qui textus sine fundamento tantum ad extremam necessitatem coarctatur. Huc revoca textus n. 705. cit. *Probat.* 2. ex *S. Ambr.* L. 1. de offic. c. 31., ubi ait; *Grandis culpa est, si, sciente te, fidelis egeat: si scias cum fame laborare: aerumnam pati* (NB. non ait extremam necessitatem pati); *praesertim si mendicare erubescat. Prob.* 3. Qui ita non succurrit proximo, non diligit opere et veritate, sed lingua tantum contra illud 1. Joan. 3. *Filioli, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere et veritate. Confirm.* Extrema necessitas datur rarissime: ergo praeceptum eleemosynae restringere ad illam, est obli-

gationem ejus efficere rarissimam, contra Scripturam, quae multos damnat ob ejus transgressionem. Juxta *S. Th.* l. c. a. 5. ad 3. tum actu obligat istud praeceptum 1. *Quando apparet evidens et urgens necessitas*, h. e. si gravem alicujus pauperis necessitatem perspectam habeas. 2. *Quando non apparet in promptu, qui ei subveniat*, h. e. si nemo alius adsit, qui gravi miseriae proximi subvenire possit ac velit, ut ait *Laym.* l. c.

710. *Quinta* denique *reg.* Etiam in communi necessitate constitutis est gravis obligatio dandi eleemosynam ex bonis naturae, et statui superfluis, non tamen dandi determinate huic vel illi pauperi. Ita *Babenst.* l. c. n. 19. cum comm. *Prima pars* cruitur ex illo Luc. 11. v. 41. *Verumtamen quod superest, date eleemosynam. Ratio* autem est, quia gravis deordinatio est, divitiis et bonis temporalibus ita esse addictum, ut quis nolit succurrere indigentiae proximi, licet facile et absque ullo damno possit. Huc pertinet propos. 12. ab *Innoc. XI.* damnata. Non tamen est obligatio sucurrendi illis pauperibus, qui suo se labore sustentare possunt, sed malunt otiose mendicare, quam laborare: quia tales non sunt in vera necessitate, sed mera pigritia.

Alteram partem tradit s. Th. quodlib. 8. a. 12. *Quamvis* (dives) *teneatur dare superfluum pauperibus, non tamen tenetur omnibus dare, nec huic dare, sed tenetur distribuere, secundum quod sibi visum fuerit opportunum.*

Adverte. Nomine eleemosynae late comprehenduntur alia opera misericordiae corporalia et spiritualia, quae Theologi complectuntur sequentibus versibus memoriae causa:

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.
Consule, carpe, doce, solare, remitte, fer, ora.

Inter spiritualia primario refertur, *carpe*, h. e. fraterna correctio, sive *correptio*, estque monitio, qua quis ex charitate et misericordia proximum a peccato, vel ejus periculo avertere conatur. De quo sit

711. Princip. IV. *Tenemur ex praecepto tum naturali, tum positivo divino et humano corripere proximum.* Est autem *correptio* nihil aliud, quam admonitio, qua quis conatur alium avertere a peccato, vel ejus manifesto periculo. Ita Commun. TT. Dixi 1. *tum naturali:* constat enim ex lumine rationis, ut quemadmodum quilibet optat averti a se malum, quod facile potest averti, ita et hoc ipsum alteri praestet. Dixi 2. *positivo divino*, ut constat ex Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum.* Dixi 3. *et humano* ut patet ex Jure Can. c. *Providendum.* c. *Consentire.* dist. 83., c. *Facienti* dist. 86. *Confirm.* Tenemur proximo subvenire per eleemosynam in necessitate corporali: ergo multo magis ad idem tenemur per correptionem in necessitate spirituali, ita quidem ut haec obligatio in re gravi etiam sub gravi peccato nobis incumbat. Ad hoc autem, ut actu obliget hoc praeceptum affirmativum (ideoque non obligans pro omni tempore) requiruntur sequentes conditiones. 1. Si peccatum proximi, aut ejus periculum tibi moraliter certum sit: adeoque, stante solo dubio peccati, nondum exurgit obligatio correptionis, nec privata persona tenetur inquirere in certitudinem, sed solus superior, pater, dominus respectu suorum. *Prob.* ex verbis supra cit.; Si peccaverit *in te* frater, hoc est, *sciente te* vel *coram te. Confirm.* Stante solo dubio facile posset contingere, ut quis proximo objiceret peccatum ab eo non commissum, ex qua correctione plus mali, quam boni timendum esset. 2. Si probabile sit, cum nondum emendasse illud, aut nisi moneatur, non emendaturum. 3. Si adsit spes probabilis, correptionem esse profuturam, et proximum per illam emendandum; nam si ex correptione proximum nonnisi irritandum, et tanto audacius peccaturum praevideas, cessat finis correptionis, scilicet emendatio. *Suarez* excipit casum, quo peccator in articulo mortis de salute aeterna, omissa correptione, periclitaretur; huic

adhibenda est correptio, etiamsi aequaliter dubitetur, sitne profutura vel obfutura, quia instans malum alias esset irreparabile. 4. Si non adsit alius, qui aeque, vel magis idoneus sit ad corripiendum, aut qui credatur correpturus. *Bonac.* d. 1. q. 4. p. 7. n. 6... 5. Si sit bona occasio, locus et tempus opportunum, et fieri queat sine gravi suo incommodo. Hinc saepe laudabiliter correptio differtur in aliud tempus, quo omnibus consideratis proximo utilior futura esse creditur. *Filliuc.* t. 28. c. 6. num. 138. Siqua ex his conditionibus desit, *regulariter* privatus non tenetur monere delinquentem. Hinc frequentius tenentur superiores, parochi, parentes, heri monere subditos, quam privati homines, quia raro concurrunt dictae conditiones. Privatus tamen saepius obligatur deferre delictum ad Superiorem. Denique correptio non debet necessario verbis, sed et signis, aut quocumque modo fieri potest, quo moneri quis solet. Regulariter etiam non debet fieri verbis asperis ac duris; sic enim ordinarie non emendantur, nisi durissimae cervicis homines. Nec debet fieri publice et coram aliis, nisi peccatum sit publicum; modum praescribit Christus Matth. c. 18. scilicet 1. fiat correptio *inter te, et ipsum solum*, qui peccavit, vel in periculo existit. 2. Si hoc non sufficiat, *coram testibus*. 3. Si nec hoc sufficiat, res deferatur ad Superiorem. Licet tamen non raro rem immediate deferre ad Superiorem.

Resolutio Casuum.

Casus I.

Crispinus nec sibi, nec aliis bonus se accusat 1. *Quotidie mihi et aliis mortem optavi, imo et parentibus.* 2. *Saepe imprecatus sum prolibus et aliis hominibus, ut eos auferat diabolus, fulmen percutiat etc.* 3. *Saepe de vicini felici sorte, sanitate ac vita tristatus fui, dumque nuper subitanea morte extinctus est, in sinu gaudebam.* 4. *Jamdiu vixi in odio contra novercam pessimam mulierem.* 5. *Aliquoties fui susurro.* 6. *Rixas habui.*

712. *Q.* 1. Quid dicendum ad primum. R. Optando sibi mortem ex prava intentione, et deliberate, peccavit graviter. Secus si ex perturbato animo ob indeliberatos irae motus, aut si ex bono fine, v. g. ne diutius in praesenti periculo peccati, et salutis amittendae vivere debeat. *Palao* etiam excusat eos a gravi peccato, qui sibi ipsis ob gravissima mala optant mortem, v. g. ut liberentur a gravissimis doloribus vel adversitatibus: secus si ob levia tantum mala. Vide *Burg.* cent. 1. cas. 4. Aliis optando mortem deliberate, absolute, et serio, etiam peccavit graviter, quia mors censetur unum ex gravissimis malis, adeoque graviter laeditur charitas. Tum vero non peccasset graviter singulis actibus, quando maledixisset ex subito potius impetu, quam serio animo. Idem tenendum est de aliis imprecationibus num. 2. in casu expressis, quae si fiant deliberate, et serio animo, ut eveniant mala, graviter sunt peccaminosae; levia vero peccata sunt (ex supposito quod absit scandalum, quod tamen raro solet abesse) si ex subita ira oriantur solum ad incutiendum terrorem filiis aut domesticis. Dixi, *singulis actibus:* quia sub gravi obligatione tenentur ejusmodi imprecantes et maledicentes consuetudinem deponere tum propter scandalum, tum propter vitium ex genere suo mortale. Ita *Comm.* ideoque consuetudinarii facile non debent absolvi, si plane nullam se emendandi diligentiam videantur impendere; tenenda hic est regula *S. Thomae* 2.2. q. 76. a. 3. *Contingit tamen verbum maledictionis prolatum esse peccatum veniale, vel propter parvitatem mali, quod quis alteri maledicendo imprecatur, vel etiam propter affectum ejus, qui profert maledictionis verba, dum ex levi motu, vel ex ludo, aut ex subreptione aliqua talia verba profert: quia peccata verborum maxime ex affectu pensantur.*

713. Porro *adverte* 1. Creaturis irrationabilibus, v. g. ligno, lapidi, cani,

bovi, pluviae etc. imprecari, regulariter quidem est tantum veniale, si affectus pravus praecise tendat in tales res secundum se spectatas; quia sic nec sunt objectum charitatis, ergo nec odii. Si vero affectus potius tendat in personam, ad quam illae res pertinent, peccatum grave vel leve erit pro qualitate mali, quod non tam rei, quam personae optatur. *Stoz* L. 1. p. 3. n. 227. cum *Bonac.* Si vero indignatio tendat in ipsum Deum, v. g. dum quis maledicit vento, pluviae, locustis hoc anno ubique irruentibus etc., tanquam Deus iis ceu injustis mediis ad nos puniendos utatur, tunc ad blasphemiam spectat.

2. *Secluso scandalo* non peccat graviter, qui in aestu irae dicit: *Potz, Donner, Hagel Teufel, Schwere. Noth etc.* papae, tonitru, grando, diabolus, gravis indigentia etc.; quia haec mala tantum pronunciando, ea nemini imprecatur: secus si illa intenderet imprecari.

714. *Q.* II. Unde possit quis colligere, quod animo non serio fuerit imprecatus. R. Si statim imprecatus horreat, et poenitudine tangatur. Juxta alios: si quis interrogatus, an gratum ei fuisset, si malum re ipsa evenisset, respondere cum veritate possit, gratum sibi non fuisse. Raro tamen a peccato excusari potest, qui solet vel se, vel alium daemoni devovere, quamvis non ex animo, ut eveniat, ob foeditatem et perversitatem hujus imprecationis.

715. *Q.* III. An Crispinus graviter peccaverit, imprecando parentibus mortem, et gaudendo de morte proximi. R. *Affirmative*, et quidem *quoad primum* peccato specialiter exprimendo in confessione, quia contra pietatem, ut dictum in praecep. 4. Vide propos. 13. 15. ab *Innoc. XI.* damn. Pariter *quoad secundum* peccavit graviter. Vid. propos. 13. ab eod. damn. *Ratio* est, quia ordo charitatis postulat, ut vita proximi praeferatur emolumento temporali proprio; ergo ordo charitatis maxime pervertitur, si quis mortem proximi appetat, aut de ea gaudeat propter emolumentum temporale proprium. *Confirm.* Praecepto charitatis tenemur proximum, et maxime parentes, sicut nos ipsos diligere: atqui nemo absque mortali vellet sibi cripi vitam ob emolumentum temporale: ergo nec potest quis velle proximo mortem, aut de ea gaudere ob bonum temporale. *S. Th.* 2. 2. q. 76. a. 1. dicens: *Si quis optet malum alterius sub ratione boni, sic est licitum,* tantum videtur concedere, quod licite possit desiderari inefficaciter mors alterius ob magnum bonum spirituale illius, vel alterius, vel propter ingens bonum communitatis, aut Ecclesiae. Vide *P. Card.* in dictas propositiones. Itaque gaudium de malo proximi grave, vel leve peccatum censetur, prout malum, sive objectum gaudii grave, vel leve est.

716. *Q.* IV. Quid judicandum sit de odio Crispini erga novercam. R. Si fuerit grave in personam, peccavit graviter contra charitatem: si cum desiderio nocendi, simul contra justitiam; secus si fuerit tantum levis aversio animi. Odium enim, cum sit actus voluntatis, quo alteri volumus malum sub ratione mali, vel tristamur de bono alterius, quia bonum illius est, debemus metiri ex gravitate vel levitate mali: itaque dum poenitens se accusat de odio proximi, inquirendum, an malum voluerit proximo.... Si respondeat, quod non cogitarit de malo, signum est quod fuerit potius aversio animi, unde tamen facile oritur inimicitia, scandalum etc.

717. *Q.* V. Quomodo Crispinus peccaverit susurrando. Ante R. notandum, quod *susurratio sit manifestatio defectus alieni, nata ad dissolvendam amicitiam, et seminandam discordiam*, h. e. aversionem animorum, et displicentiam inter amicos. Differt a detractione, et contumelia; illa enim laedit famam, haec honorem; susurratio vero tendit ad dissolvendam amicitiam: saepe concurrunt in eodem actu, ideoque attendendum est ad diversas species tum concurrentes. *Susurratio ex genere suo est peccatum mortale.* Hinc R. Crispinus per se loquendo susurrando peccavit graviter; venialiter vero, quando levia tantum protulit, nec de se sufficientia ad amicitiam dissolvendam; item si non serio, sed per modum joci, quem alii potuerunt ex circumstantiis col-

ligere, vel ex defectu advertentiae. *Reginald.* L. 24. n. 121. Susurratio tunc vacat omni culpa, si quis manifestat verum defectum ad dissolvendam perniciosam amicitiam, v. g. si quis concubinario dicat, concubinam suam esse publicam meretricem, deformem vetulam etc. modo non intercedat mendacium aut revelatio peccati occulti. *Stoz* l. c. n. 237.

718. *Q.* VI. Quomodo Crispinus peccaverit rixando cum proximo. *Praenotandum*, quod rixa frequenter in confessione confundi soleat cum contentione: haec enim in verbis consistit, illa in factis proximum laedentibus; ideoque definitur *altercatio factis exercita, quibus unus alterum laedit*, v. g. caedendo pugnis, prosternendo in terram etc. unde etiam dicitur quoddam bellum propria auctoritate susceptum. *Ex genere suo est peccatum grave* saltem ex parte invadentis; ex parte vero invasi vel nullum est peccatum, si fit ad justam sui defensionem, nec excedat modum inculpatae tutelae; secus si excedat notabiliter. Ex his patet resolutio ad casum: Si Crispinus alterum invaserit, et factis graviter laeserit, peccavit graviter; secus si ex motu non satis deliberato unum alterumve colaphum infixerit, quae laesio inter plebejos non censetur esse gravis; eo gravior vero reputatur, quo honoratior est persona, quae laeditur. *Filliuc.* t. 28. c. 9. n. 291. *Coninck* et alii. Unde gravius peccatur, si talis percussio fiat inter honoratiores personas.

Casus II.

Cum Burgensis quidam in odium in aliquos usque ad mortem vovisset, post obitum ipsius, dum in templo preces pro eo persolvebantur, Christi crucifixi effigies manus suas retrahens, auribusque inserens diserte dixit: Non pepercit: nec parcam. Ita Spec. Exempl. V. *dimittere* Exempl. 4.

719. *Q.* I. Quaenam potissimum observanda sint a Confessario circa dilectionem inimicorum. R. 1. Poenitens, qui constans et grave odium habet contra inimicum non potest absolvi, praesertim si illud signis externis saepe manifestetur; qua constanter manet in statu gravis peccati, quamdiu odium suum non conatur deponere. Ita *comm.* 2. Quando poenitens monitus, ut ignoscat inimico, respondet: se quidem velle, at non posse oblivisci injuriae, plerumque vult significare illatam sibi injuriam nimis tenaciter inhaerere memoriae, atque ad vindictam vehementer sollicitare, quamvis studeat iram et cupiditatem vindictae reprimere; talis potest absolvi, quia tum non adest malitia voluntatis, sed vehementia naturae. Si vero intelligat, uti non raro fit, se nunc quidem ignoscere, sed suo tempore injuriam adhuc vindicaturum, non potest absolvi, quia sic vere non ignoscit. 3. Si demum poenitens dicat, quod juridice reparationem injuriae petere cogitet, id quidem concedi potest, at moneri debet, in ejusmodi lite deponendum esse odium et vindictae cupiditatem, et nihil quaerendum, nisi quod justum est.

720. *Q.* II. Quid notandum circa offendentem, et offensum. R. 1. Quando duo se mutuo offenderunt, et offensae sunt aequales, ille debet prius veniam petere, qui prior offendit: si vel offensae, vel offendentes sint inaequales, tenetur ille, qui offendit gravius, aut qui inferior est altero. 2. Non peccat offensus per hoc graviter, quod non statim ignoscat, quia hoc subinde nimis violentum, et supra humanam fragilitatem est; longa tamen mora trahenda non est, ut monet Apost. ad Ephes. 4. v. 26. *Sol non occidat super iracundiam vestram.* 3. Qui offendit alium, a quo vicissim non fuit offensus, tenetur ab eo veniam petere, si offensa sit gravis, nec aliud suppetat reconciliationis remedium; item si judex id injungat, et praesertim si offensus respecta offendentis sit superior. 4. Qui veniam petenti non vult ignoscere, peccat graviter tum contra praeceptum divinum *Matth.* 18. 35., tum quia alterum graviter scandalizat, praebendo ei ansam perseverandi in odio, et simul vehementer eum contristat. 5. Signa specialia amicitiae sunt, ultro aliquem

alloqui, salutare, amice conversari, aegrotum invisere, moestum solari, hospitio excipere etc. Haec communiter non tenemur omnibus exhibere: ergo nec proximo, a quo sumus offensi. Si quis tamen inimicum antea semper salutare solitus sit, et jam non salutet, aliis id advertentibus; si salutet alios cum ipso obvios, et ipsum non salutet; si torvis cum oculis aspiciat; si verbis asperis alloquatur; si in ipsius contemptum, dum forte obviam venit, pileum fastuose capiti imprimit, manifesta dat signa odii; imo si inde inimicus graviter exacerbandus praevideatur, peccatur graviter. De resalutatione supra in princ. 2. locuti sumus. *Stoz.* l. c. n. 479. cum *Suar.*, *Laym.* et aliis.

721. *Q.* III. Quae media quis debeat adhibere ad extinguendum odium proximi. R. 1. Efficacissimum est *exemplum Christi*; *Pater dimitte illis.* Luc. 33. v. 24.... 2. Consideret vindictam spirans, quod nullum opus, nulla oratio, durante odio, Deo grata et meritoria sit: *Si ergo offers munus tuum ad altare.... vade prius reconciliari fratri tuo.* Matth. 6. v. 24.... 3. Sicut tu cum proximo, ita tecum Deus justissimus judex aget in judicio; nam *in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Matth. 7. v. 2. *Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos....* Matth. 7. Vide remedia contra iram n. 339. et saepius memento dicti s. Basilii: *Sicut is, qui charitatem habet, Deum habet: sic qui odium habet, diabolum nutrit.*

722. *Q.* IV. Quis ordo sit servandus in charitate proximi. R. 1. Secundum ordinatam charitatem quilibet post Deum (qui primo omnium et super omnia debet diligi) tenetur diligere 1. Se ipsum secundum bona spiritualia. 2. Proximum secundum eadem bona spiritualia. 3. Se ipsum quoad bona corporalia. 4. Proximum quoad eadem. 5. Denique seipsum, et deinde proximum quoad bona externa. Hinc nullius boni consequendi gratia licet peccare etiam venialiter, quia talis vellet sibi malum animae. Item tenetur quilibet proximo in *extrema necessitate spirituali* constituto succurrere etiam cum certo periculo propriae vitae corporalis, dummodo adsit aeque certa spes illum juvandi, neque gravius inde malum immineat. Sic tenetur sacerdos cum vitae periculo absolvere moriturum, si alius non adsit, qui id faciat. Dixi in *extrema necessitate*, v. g. qua certo credatur moriturus in peccato mortali. In *gravi necessitate* obligatur ille, qui ex officio proximi salutem curat, ut Parochus. *Confr.* ex s. Th. 2. 2. q. 26. a. 5. ad 3. ubi ita resolvit: *Et ideo non est de necessitate charitatis, quod homo proprium corpus exponat pro salute proximi, nisi in casu, quo tenetur ejus saluti providere, sed quod aliquis sponte se ad hoc offerat, pertinet ad perfectionem charitatis.* Vide *Reginald.* L. 4. c. 25. sect. 7.

De ordine quoad proximos inter se ait *S. Th.* l. c. *a.* 6. ad 1. *Ex parte ejus boni, quod amico optamus, et quantum ad hoc, omnes homines aeque diligimus ex charitate; quia omnibus optamus bonum idem in genere, scilicet beatitudinem aeternam.* Ibid. in corp. ait, quod non tantum secundum effectum exteriorem, sed etiam secundum affectum debeamus magis diligere unum proximorum, quam alium, secundum quod contingit, unum nobis, vel Deo esse propinquiorem. Ideo 1. magis diligendus, qui melior est, scil. ea charitate, quam comitatur gaudium circa bona possessa; sic plus diligendus est vir sanctus, quam parens improbus, quia ille magis conjunctus est cum praecipuo objecto charitatis, quod est Deus; item illa charitate, quae conjuncta est cum exhibendo honore, cultu et reverentia, magis diligendi sunt parentes, quam filii vel uxor, magis benefactores, quam illi, quibus benefecimus. Illa autem charitate, qua alteri optamus bona nondum possessa cum beneficientia, magis diligendi sunt, qui nobis sunt propinquiores.

Hinc in bonis pertinentibus ad vitam corporalem conservandam succurrendum est, *extra necessitatem extremam* 1. Uxori, quia est una caro cum viro. 2. Filiis. 3. Parentibus, et quidem patri prae matre. 4. Fratribus, sororibus. 5. Propinquis domesticis, et familiaribus. *In necessitate autem extrema* omnibus praeferendi sunt parentes.

In rebus pertinentibus ad civilem communicationem, praeferendi sunt concives, in bellicis commilitones, in spiritualibus spirituales filii, patres, fratres. *Bannes* etiam in hoc genere parentes omnibus praefert. *Laym.* l. 2. t. 3. c. 3.

CAPUT VI. *De sexto et nono praecepto Decalogi.*

§ I. *Praenotanda.*

I. Sextum praeceptum: *Non moechaberis* (Exod. 20. et Matth. 5.) et nonum: *Non concupisces uxorem proximi tui* (Deut. 5. v. 21.) differunt inter se, quod sextum actus externos, nonum vero internos castitati repugnantes prohibeat. De internis Christus Matth. 5. v. 29. expresse ait: *Quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam moechatus est eam in corde suo.*

723. II. Luxuria est *inordinatus amor concupiscentiae circa voluptates venereas.* Actus sive species luxuriae consummatae aliae sunt *naturales*, in quibus servantur conditiones a natura institutae, h. e. diversitas sexus, vas debitum, et identitas speciei, quales sunt *fornicatio, adulterium, incestus, stuprum, raptus, sacrilegium.* Aliae contra *naturam* (quatenus conditiones recensitae non servantur) ut *pollutio, sodomia, bestialitas.* Actus luxuriae non consummatae, et imperfecti sunt oscula, amplexus, aspectus, turpiloquia, desideria mala, delectationes morosae; dicuntur *actus imperfecti*, non quod in iis voluntarie habitis malitia mortifera esse nequeat, sed quod per se tendant, et disponant ad actus luxuriae graviores, et consummatos.

724. III. Duplex in actibus imperfectis, v. g. osculo, distinguenda est delectatio, nempe venerea, sive carnalis, aut sensualis, et mere sensibilis. *Venerea* est, juxta *Galenum* l. 14. de usu partium c. 9., quae oritur, et sentitur ex motu substantiae seminis descendentis ad partes obscoenas ex commotione spirituum vitalium generationi deserventium. *Sensibilis* vero, quam etiam naturalem appellant, est illa, quae percipitur ex tactu, vel aspectu proprii, vel alieni corporis absque ulla libidine, seu commotione memoratorum humorum, ex sola proportione, seu connaturalitate cum organo tactus, vel visus, v. g. si tangatur res mollis, felis, holosericum etc., vel quando videtur res pulchra, v. g. hortus, imago etc. quae naturaliter delectant organa illorum sensuum. His praenotatis de singulis breviter agemus. *Castis omnia casta.*

§ II. *Principia generalia de actibus imperfectis luxuriae.*

725. *Principium I. Oscula, tactus, et amplexus exerciti inter solutos propter delectationem carnalem, quae ex iis oritur, semper sunt peccata mortalia; item si objectum horum actuum sit valde turpe, quale sunt verenda.* Ad rite intelligendum hoc principium, notandum, quod ex tactibus tum proprii, tum alieni corporis, osculis, et amplexibus duplex soleat oriri delectatio venerea; una non sistit in se ipsa, sed tendit ulterius in copulam aut pollutionem; altera ita surgit ex dictis actibus, ut in se sistat sine tendentia in copulam, vel pollutionem. De prima omnino certum est, etiam juxta adversarios, quod sit peccatum mortale, dum est circa copulam intentam a solutis, imo quod sit peccatum grave tam in solutis, quam conjugatis, quando est de pollutione. Ex altera vero delectatione (quae sistit in sola commotione humorum generationi servientium, eaque saepe modica tantum distillatione, absque pollutione) affirmarunt aliqui, oscula et tactus tanquam actus de se indifferentes evadere tantum peccata venialia ob parvitatem materiae. Contra hos puguat principium nostrum tanquam commu-

nis, et certa sententia, quam egregie praeter innumeros AA. defendit *Sanch.* L. 5. in Decal. c. 6. n. 12. ubi refert, quod jussu *Clementis VIII.* et *Pauli V.* Inquisitoribus fidei denuntiandi sint ii, qui defenderint contrarium. *Ratio prima* est. Ephes. 5. *Fornicator, aut immundus, aut avarus non habent hacreditatem in regno Christi et Dei:* atqui nomine *immunditiae* juxta *Lyranum* et alios intelliguntur oscula, tactus etc. quae pertinent ad luxuriam: ergo. *Ratio secunda.* Deliberata complacentia de objecto mortaliter malo est mortaliter mala, ut patet in complacentia de homicidio, furto etc.; atqui complacentia sive delectatio in osculis, tactibus etc. de quibus loquimur, est de objecto mortaliter malo; ergo. *Prob. minor.* Complacentia per oscula, et tactus quaesita consistit in delectatione venerea, sive commotione humorum generationi servientium: atqui hoc est objectum graviter malum, quia talis commotio ex natura sua ordinatur ad pollutionem, vel fornicationem, imo jam est inchoata pollutio: ergo. Ultima prob. *confirm.* ex eo quod ejusmodi actus exerceantur a quibusdam brutis, quando ad coitum se praeparant; tum quod multo vicinius se habeant ad copulam, quam morosa delectatio de fornicatione cogitata; ergo si haec referatur ex natura sua ad copulam, multo magis oscula, tactus etc. Ideo recte damnata est ab *Alex. VII.* propositio 40. quod sit probabilis opinio, quae dicit, esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem et sensualem, quae ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, et pollutionis: ubi per *τό carnalem* et *sensualem* intelligitur venerea delectatio et distincta a pure naturaliter sensibili(de qua n. 724. dixi); ergo sola delectatio venerea deliberate per osculum quaesita, vel libere admissa sine ulteriore consensus periculo jam graviter est peccaminosa. *Viva* in cit. propos. n. III. et IV., *Pichler* in L. 5. decret. tit. 16. n. 42., *Duarte* V. osculum n. 489.

726. *Principium II. Turpia loqui, canere, scribere, legere, audire venereae delectationis causa, vel cum probabili periculo consensus in illam sunt mortalia peccata;* quia licet praedicti actus ex se sint indifferentes, graviter tamen mali evadunt ex fine luxuriae graviter malae, ut diximus de osculis etc.; ideoque si absit prava intentio et periculum libidinosi consensus, abest peccatum, ut patet in iis, qui ex bono fine legunt vel audiunt turpissimos casus etc. Si vero quis unum alterumve ejusmodi verbum turpe proferret, audiret, vel caneret ex sola levitate, per se loquendo tantum venialiter peccaret. Dixi, *per se*: quia raro abest scandalum grave. *Laym.* L. 3. sect. 4. n. 13.

727. *Principium III.* Pro regula communi statuimus, quod omne peccatum luxuriae etiam sola cogitatione, morosa delectatione, desiderio cum plena advertentia et voluntarie admissum sit mortale peccatum, ita ut hic non admittenda sit parvitas materiae. Vide dicta de peccatis in genere n. 293. 294. usque ad 310. De parvitate vide n. 305. Adde, quod omnis etiam minima delectatio circa materiam luxuriae juncta sit periculo majoris; neque ob vehementem naturae in hoc vitium inclinationem sine manifesto majori periculo tali delectationi voluntariae statui potest terminus: sicut injiciens scintillam in acervum pulveris pyrii prudenter non potest dicere: Hucusque pulverem solum accendam. Porro admissa hic parvitate materiae evidenti periculo grandis corruptionis exponeretur genus humanum; cum enim peccata venialia passim exigue curentur, passim quoque huic vitio, et liberius, quam reliquis omnibus indulgeretur sub praetextu, quod veniale non excedat; sic actibus frequentatis ignis luxuriae semper cresceret, et passim integras communitates consumeret. *Herzig* n. 331.

728. *Ex 1. principio* resolvuntur sequentes casus. I. Oscula, et amplexus, si non fiant causa delectationis venereae, sed ut signa amicitiae, benevolentiae, v. g. secundum patriae consuetudinem, non sunt peccata. De his loquitur Apost. ad Thessal. 2. 26, *Salutate fratres omnes in osculo sancto.*

729. II. Delectatio tantum sensibilis n. 724. ex tactu vel visu naturaliter orta per se loquendo, culpa quidem vacat; raro tamen deest omne peccatum, quia moraliter impossibile est, per actiones memoratas *studio* quaesitas non conjungi delectationem carnalem, aut saltem proximum illius periculum; hinc practice non est probabile, tactus, amplexus etc. inter solutos solius delectationis carnalis, et sensibilis causa *studio* attentatos carere culpa mortali, ut dixi n. 725. secus si proficiscantur tantum ex joco, aut animi levitate, non attendendo ad delectationem nec sensibilem, nec veneream. *Babenst.* t. 5. n. 99. cum *Illsung*, *Viva*, et aliis. Sic apud *Laym.* L. 3. sect. 4. n. 10. *tò per se* videtur intelligendum. Ibid. cum *Sanch.* recte excipit: nisi *tactus vel aspectus valde impudicus sit*, videl. partium verendarum inter personas diversi sexus quamvis ex sola curiositate fiant, hi a peccato gravi non possunt excusari; quia et per se scil. ex objecto magnam deformitatem habent, et gravi periculo hominem exponunt; suapte enim natura delectationem veneream valde excitant: hinc etiam protoparentes nostri post lapsum *cum cognovissent, se esse nudos*, erubuerunt, *et consuerunt folia ficus, et fecerunt sibi perizomata.* Genes. 3. 7. Mitius quidem loquitur *Laym.* l. c. de aspectu turpi inter personas ejusdem sexus, et proprii corporis; si tamen fiat sine justa causa, et advertatur periculum delectationis venereae, aeque parum excusari potest a gravi peccato. Denique aspectus ejusmodi, si fiant a chirurgo vel medico ex causa medendi, dum abest periculum consensus, liciti sunt. Item si ancillae vestiendo tangunt impudice pusiones, secluso tamen affectu venereo.

III. Qui partes turpes brutorum animantium ex curiositate contrectant et fricant etiam usque ad pollutionem ipsorum, probabilius non excusantur a mortali; quia talia non tantum sunt valde obscoena, et rectae rationi repugnantia, sed etiam valde excitant libidinem. *Babenst.* l. c. n. 108. cum *Bonac.*

730. IV. Oscula, amplexus, et tactus inter sponsos de futuro videntur excusari a culpa mortali, dummodo absit periculum delectationis venereae, pollutionis, aut consensus in copulam, et non sint impudici ex se, atque turpes ex objecto suo, ut ait *Laym.* l. c. n. 11. cum gravibus AA., ubi tamen addit, quod venialis culpa sit, si fiant ob delectationem, et saepissime mortalis propter periculum pollutionis praevisum. Hinc clarius asserit *Babenst.* l. c. n. 121. cum *Lessio*, *Bonac.* et *Viva* contra *Sanch.* et *Filliuc.* oscula, tactus, amplexus, aspectus, et verba turpia *ob delectationem veneream ex iis habitam* inter sponsos esse peccata mortalia; ideo enim omnino solutis sunt ista prohibita graviter, si ad carnalem delectationem captandam ab iisdem ordinentur, quia ipsis prohibita est copula carnalis, ad quam illa delectatio ex natura sua tendit: atqui etiam sponsis de futuro prohibita est copula sub mortali: ergo. Hinc catenus videtur mens *Laymanni* vera esse, quatenus abest ab ejusmodi actibus animus delectationis venereae.

731. V. Tactus turpes inter conjuges si fiant ut incitamenta ad copulam conjugalem, vacant culpa, quia cui concessus est finis, concessa etiam sunt media ad finem ordinata. Si vero fiant solius voluptatis gratia, culpabiles sunt, sed non mortaliter, quia istorum actuum in matrimonio non prohibitorum inordinatus usus ob solam voluptatem non excedit culpam venialem. *Laym* l. c. n. 12. ubi addit, quod uxor ob solam voluptatem, et non copulae causa se ipsam tangens, etiam cessante pollutionis periculo, peccet mortaliter, quia conjux non habet jus in proprium corpus ad usum venereum.

732. VI. Impudici tactus, oscula etc. inter personas ejusdem sexus graviora peccata mortalia sunt, quam inter personas solutas diversi sexus, quia illa ex sua natura tendunt ad peccatum mollitiei, quod gravius est fornicatione simplici: item si tales actus impudici exerceantur a persona conjugata, vel cum conjugata, pertinent ad speciem adulterii; hinc tales circumstan-

tiae exprimendae sunt in confessione. *Laym.* l. c. n. 13. Denique pro compendio serviat Confessario sequens casus.

Cyrus se accusat 1. *Impuras habui cogitationes.* 2. *Turpia locutus sum.* 3. *Tactus habui impudicos.* 4. *Motus habui impudicos, et praeterea nihil.*

733. *Q.* I. Quid Confessarius ad primum. R. Quaerat *primo*, an voluntarie, et quoties inhaeserit; si ita, Cyrus peccavit graviter. *Secundo*, an cum desiderio peccandi carnaliter, sic gravius peccavit, et est explicanda circumstantia personae, ad quam desiderium tendebat. Si sine desiderio, an saltem cum delectatione carnali, et sic peccavit graviter. Tutius est exprimere personam, de qua fuit delectatio. Certo explicanda est conditio delectantis, an ligatus voto etc.

734. *Q.* II. Quid Confessarius ad secundum. R. Cum saepius rudiores, et parvuli confundant turpia et inhonesta verba, quaerat, an contra castitatem fuerit locutus, an tantum contra bonos mores, verbis germanicis: *ob es grobe, oder ob es unkeusche Redem gewesen?* Si inurbana tantum, et inhonesta, plerumque tantum sunt venialia; si vero turpia, quaerat, an fuerit unum alterumve tantum verbum venereum ex mero joco, et absque scandalo prolatum. Sic Cyrus peccasset leviter; secus si totum et longius colloquium miscuisset. Si non ex joco, et animo libidinoso; peccavit graviter. Si in praesentia juniorum, qui prudenter timentur scandalum esse passi, exprimendum quot personis scandalum fuerit datum. Vide dicta de scandalo.

735. *Q.* III. Quid de tactibus. R. An in partibus verendis, an cum animo venereo, an cum desiderio carnali, et circa quam personam, an in alieno corpore ejusdem vel diversi sexus: sic in singulis graviter peccasset. Moneat, fugiendum esse hoc consortium.

736. *Q.* IV. Quid de motibus. R. Quaerat Confessarius, an fuerint voluntarie procurati? si non, an cum consensu et complacentia. Utrumque per se est mortale. Saepe vel ex malitia, vel verecundia, vel ignorantia sub nomine motuum graviora peccata supprimuntur, quem errorem singulari prudentia cognoscere studebit, ne forte, turpioribus quaestionibus utendo majorem malitiam poenitentes doceat.

§. III. *Principia generalia de actibus naturalibus luxuriae consummatae.*

737. Principium I. *Fornicatio* simplex (quae est concubitus soluti cum soluta, hoc est, quando uterque fornicans nec matrimonio, nec voto continentiae est adstrictus) *est intrinsece mala, et peccatum mortale.* Quod sit grave peccatum, docent omnes PP. et TT. Catholici cum *D. Th.* 2. 2. q. 154. a. 2. in corp. Patet ex Script. ad Ephes. 5. v. 5. *Omnis fornicator aut immundus non habet haereditatem in regno Christi et Dei.* Item 1. Cor. 6. v. 9. *Neque fornicarii ... regnum Dei possidebunt.* Item ad Gal. 3. a v. 19. Quod sit *intrinsece mala*, patet ex propos. 48. ab *Innoc XI.* dam. *Ratio* est 1. quia juxta S. Paulum 1. Cor. 6. *Qui fornicatur, in corpus suum peccat:* hoc est mala est, etsi prohibita non esset. Ita *P. Cardenas* dissert. in dict. propos. ex PP. et Interpretibus textum Paulinum explicat. 2. Fornicatio nocet vitae nasciturae prolis, quia de tali parentes sunt parum solliciti: nocet ejusdem educationi, cum parentes essent incerti, si vagus concubitus liceret; atqui ista repugnant juri naturae: ergo. Vide *S. Th.* l. c., *Carden.*, *Viva*, *et P. Kugler* in Compendio, *P. Carden.*

Casus de *Fornicatione.*

Calepodius se accusat: Ter peccavi contra castitatem cum solutis (peccaverat autem semel cum infideli, semel cum vidua, et semel cum sponsa alterius): praeterea solet mihi aliqua constanter servire: aliquoties fornicando impedivi generationem prolis.

738. *Q.* I. An Calepodius sufficienter se accusaverit, dicendo: peccavi contra castitatem, ex supposito quod fornicationem commiserit. R. Per se loquendo, non satisfecit: quia, omissa mentione copulae, non explicatur malitia fornicationis specifice diversa ab aliis peccatis contra castitatem, germanice tamen illa verba plerumque intelliguntur de copula. Hinc ubi talia verba talem sensum non exprimunt. Confessarius tenetur quaerendo elicere explicationem malitiae specificae. Ita *De Lugo* d. 16. de poenit. sect. 5. n. 238., *Tamb.* et alii. Vide propos. 25. ab *Alex. VII.* damn.

739. *Q.* II. An fornicatio cum infideli, vidua, et sponsa alterius de futuro specie differant. R. 1. Probabilius fornicatio cum infideli non includit novam speciem, quia, *secluso scandalo, periculo subversionis, et contemptu Religionis Catholicae* non probatur, unde oriatur nova malitia. *Filliuc.* t. 30. c. 2. n. 52., *Tambur., Lugo, Babenst.* t. 5. disp. 7. a. 2. n. 7. Dixi, *secluso scandalo* etc.; illa enim si essent conjuncta, specialiter deberent aliunde exprimi. R. 2. Nec fornicatio cum vidua specie distinguitur a simplici fornicatione, quia est tantum concubitus soluti cum soluta: *Mulier* enim, *si mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege viri.* 1. Cor. 7. Ita *Sayr.* in clav. reg. l. 8. c. 2. n. 8., *Tambur.* et alii. R. 3. Etsi concubitus cum sponsa alterius non sit adulterium, sed simplex fornicatio (quia sponso per sola sponsalia nondum competit jus in corpus sponsae, sed per matrimonium ratum): juxta *Sanchez* tamen L. 1. de matrim. d. 2. n. 7. debet haec circumstantia explicari in confessione, tanquam mutans speciem, cum praeter fornicationem committatur injustitia contra fidem sponsalium, quae reducitur saltem ad speciem adulterii, ut ait *Ledesma* q. 43. de matrim. a. 1. dub. ult. cum hoc discrimine, quod in adulterio sit injustitia contra jus perfectum, et in re; in fornicatione autem cum sponsa contra jus imperfectum et ad rem. *Sanch.* ibid. n. 6. ait, talem injustitiam specie distinctam non committi a sponso fornicante, sed ex paritate rationis cum *Ledesma* videtur de sponso et sponsa. Idem dicendum contra *Covarr., Babenst.* et alios.

740. *Q.* III. An satis sit dicere: Ter fornicatus sum, si quis cum distinctis personis solutis peccaverit. Respondet *Tambur.* in Methodo expedita l. 2. c. 2. n. 18. *affirmative*; quia est eadem specie malitia, sive cum tribus, sive ter cum eadem: semper enim manet concubitus soluti cum soluta. Addit ibid. quod tum teneatur explicare poenitens, si quaerat Confessarius, ut occasio proxima tollatur, quae ex frequenti lapsu cum eadem timeri potest.

741. *Q.* IV. Quid Confessarius ad illa verba: *solet mihi aliqua constanter servire.* R. Si non intelligat, urgeat, ut clarius exponatur peccatum; id quod semper observandum ad detegendas fallacias spurcissimorum istiusmodi hominum. Ordinarie autem haec verba significant *concubinatum*, qui definitur *fornicatio frequens et continuata cum eadem foemina soluta*, sive fornicarius eam ut uxorem domi retineat, sive alibi habeat paratam ad concubitum, quoties ipsi libuerit. Concubinatus utroque modo est grave et periculosissimum peccatum; quia concubinarius non tantum peccat, sed etiam perseverat in statu peccati mortalis. De hoc plura in P. II. ubi de Poenitentia agemus.

742. *Q.* V. Quid ad illud, quod Calepodius impediverit generationem prolis. R. Si, coepta copula, se retraxerit, tripliciter peccavit, scilicet per for-

nicationem inchoatam, per mollitiem consummatam, et positivam intentionem impediendi prolem, quod est contra naturam.

743. His resolutionibus adde. Eunuchus, vel frigidus habens copulam, tenetur suum statum Confessario aperire; quia inutiliter provocat semen foeminae, cum ipse verum non habet semen, adeoque duplex adest malitia, scilicet fornicationis, et contra naturam, hoc ipso quod adsit frustratio finis naturalis. *Tambur.* l. c. n. 24. Juxta eumdem n. 26. cum *Sanch.*, quando quis in copula non servat debitum modum, sed vel praepostere, vel sedendo etc. vel viro succumbente, non committit fornicationem specie diversam, modo servetur vas naturale, nec sit periculum effundendi seminis extra illud, quia respectu copulae id est accidentale: hinc etiam in conjugatis est tantum veniale, si ob solam voluptatem; si vero ob necessitatem, nullum est peccatum. Contrarii sunt non pauci, eoquod sit contra modum a natura praescriptum, et sapiat nimiam propensionem in lasciviam.

744. Principium II. *Stuprum est defloratio virginis, ipsa invita.* Ita *Busemb.* Per hoc peccatum malitiae fornicationis superadditur gravissima injustitia, et injuria personae oppressae illata; hanc etiam committit, qui personam fatuam, ebriam, aut dormientem sine praevio ejus consensu opprimit. Imo adhuc est stuprum in confessione specialiter explicandum, si virgo fraude, v. g. per falsam magnae dotis aut matrimonii promissionem, aut gravi metu etiam reverentiali fuit inducta; quia, licet ipsa peccet consentiendo, ille tamen consensus extortus fuit per gravem injuriam, hoc est per injustum metum vel fraudem. Idem dic de adolescente pari modo injusto ad concubitum inducto. *Jansen.* cas. 11. n. 5.

745. Principium *III. Raptus est peccatum luxuriae, quo persona cum violentia abducitur ad turpem actum cum ea exercendum.* Differt a stupro, quod semper est cum virgine, raptus vero de quacumque persona sive nupta, sive innupta, masculo sive foemina; deinde stuprum dicit solum violentiam, at raptus praeter hanc etiam addit abductionem. Est peccatum mortale non tantum luxuriae ratione libidinosae intentionis, sed insuper continet malitiam injustitiae sive contra personam ipsam, quae violenter abducitur, sive contra parentes, aut alios quoscumque, in quorum potestate illa est constituta. *Filliuc.* t. 30. c. 6. n. 108., *Tambur.* et *Comm.* Addit *Busemb.* si quae tamen sponte discedat cum amasio, insciis parentibus, proprie non erit raptus, sed fuga. Plura in P. II.

746. Principium *IV. Adulterium* communiter dicitur *violatio alieni tori.* Committitur tribus modis 1. Dum solutus accedit ad conjugatam. 2. Dum conjugatus ad solutam. 3. Dum conjugatus ad conjugatam, quod postremum dicitur duplex adulterium. Quodlibet ex his tribus specialiter debet exprimi in confessione, praesertim adulterium tertio modo, quod duplicem injustitiam includit, estque unum ex peccatis gravissimis, ut patet ex Script. Deuter. 22. et 27. *Maledictus, qui dormierit cum uxore proximi sui.* Item 1. Cor. 6. *Neque adulteri . . . . regnum Dei possidebunt.* Continet autem adulterium non tantum malitiam fornicationis, sed etiam injustitiae duplici titulo, quatenus est in re gravi contra jus conjugis, et propter alimentationem prolis alienae. Quam gravis haec sit injuria, manifeste docent severa supplicia, quibus omnes gentes, quantumvis barbarae puniunt adulteros. Neque cessat ratio adulterii, quamvis maritus vel uxor consentiat in copulam cum altero, ut patet ex propos. ab *Innoc. XI.* damnata. *Ratio* est, quia conjuges in hoc non possunt valide et efficaciter juri suo renuntiare, sicut non possunt renuntiare statui matrimoniali. Nec obstat illud commune: *Volenti non fit injuria:* quia tum valet tantum, quando consensus non est a lege irritatus: atqui hic est irritatus per legem prohibentem, ne commisceantur conjuges extrancis, Rom. 7.; ergo. Plura apud *Viva* in cit. propos. damn. Huc etiam pertinet *adulterium mentale*, quando conjux concupiscit alienum vel alienam, imo si morose

refundit malitiam novam in talem delectationem morosam, sicut in Sacerdote ratio sacrilegii in eam refunditur. Ita *Vasq.* contra *Hurtadum.*

747. Principium V. *Incestus* juxta *Tambur.* l. c. n. 48. *est peccatum luxuriae commissum, sive per copulam, sive per tactus, aut oscula impudica inter personas cognatione conjunctas.* Est grave peccatum specifice distinctum ab aliis peccatis luxuriae, quae committuntur a non conjunctis. *Prima pars* constat ex Scriptura. Levit. 18. v. 6. *Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedet, ut revelet turpitudinem ejus.* Ibid. c. 20. v. 12. *Si quis dormierit cum nuru sua, uterque moriatur.* 1. Cor. 5. Apostolus execratur turpitudinem incestus etiam cum persona tantum affine. *Ratio* est, quia hoc peccatum graviter et specialiter repugnat reverentiae, quam debemus cognatione nobis conjunctis. Alias rationes vide apud *S. Thom.* 2. 2. q. 154. a. 9. in corp. Est autem haec conjunctio quadruplex. 1. Oritur ex sanguine, et dicitur *consanguinitas.* 2. Oritur ex copula carnali, et vocatur *affinitas.* 3. Provenit ex adoptione perfecta, et dicitur *conjunctio legalis.* 4. Oritur ex Sacramento Baptismi et Confirmationis, quae vocatur *conjunctio spiritualis*; hae conjunctiones superaddunt peccatis luxuriae malitiam incestus respectu omnium personarum, inter quas vel jure naturae, vel lege ecclesiastica prohibetur matrimonium.

748. Quomodo vero differant incestus secundum diversos gradus conjunctionis, non conveniunt AA. *Babenst.* t. 5. d. 7. a. 2. n. 37. quatuor refert sententias. *Prima* est *Valentiae,* quod omnes incestus inter se differant specie. 2. Est *Lessii,* quod incestus cum consanguineo specie differat ab incestu cum affine, et cognato legali aut spirituali, quamvis gradus consanguinitatis vel affinitatis non ita differant inter se. 3. Est *Cajetani* et *Bonac.* quod omnes gradus et incestus sint ejusdem speciei. 4. Est *Tamburini* l. c. n. 51., quae a tertia in eo tantum differt, quod asserat, incestum cum cognatis conjunctione spirituali differre specie ab incestibus reliquis, eoquod incestum inter spiritualiter conjunctos specialis irreverentia Sacramenti afficiat, ratione cujus reducatur ad genus quoddam sacrilegii. Tertia quidem sententia probabilitate non caret, quam *Babenst.* l. c. n. 38. absolute admittit ideo, quia omnes incestus participant unam specie deformitatem contra pietatem ac reverentiam conjunctis debitam. Nec diversitas graduum et conjunctionum aliud importat, quam magis et minus esse conjunctum, ex quo non oritur diversitas specifica. Nihilominus tenendum in praxi cum *Sporer* in Theol. Sacram. p. 4. c. 2. n. 610. quod incestus in primo consanguinitatis gradu lineae rectae debeat explicari in confessione, eo quod incestus, v. g. patris cum filia, matris cum filio ex natura sua horribilem quamdam in se habeat deformitatem. Tenendum quoque, quod incestus secundum diversitatem conjunctionis debeat explicari, eoquod juxta principia de diversitate specifica peccatorum haec diversitas videatur oriri ex diversis formaliter praeceptis.

De *Sacrilegio* vide a n. 463. totum paragraphum.

§. IV. *Principia generalia de peccatis luxuriae contra naturam.*

749. Principium I. *Pollutio* sive *mollities est fluxus sive effusio seminis humani extra concubitum voluntarie procurata.* Est peccatum mortale contra naturam, adeoque nullo casu, nequidem ad servandam vitam, licitum est quaerere, intendere, vel procurare pollutionem, quia habet intrinsecam repugnantiam cum natura, quae emissionem seminis unice ordinat ad generationem prolis. Hinc merito damnata est ab *Innoc.* XI. propos. 49. *Confirm.* ex 1. Cor. 6. *Neque adulteri, neque molles regnum Dei possidebunt:* et ad Rom. 1. *Hi contumeliis afficiunt corpora sua in semetipsis.* Genes. 38. v. 9. et 10. Onam percussit Dominus, *eoquod rem detestabilem faceret:* semen enim fundebat in terram. Dixi; *voluntarie procurata effusio*, de involuntaria in

somno vide num. 309. Adde, pollutionem exortam in somno, vel aliter contra voluntatem non teneris cohibere, nunquam autem reprimere manibus, quia illud inutile et sanitati summe nocivum; hoc autem periculosum est, quia facilis accederet consensus: ideoque tunc obligaris elicere internam displicentiam, et phantasiam, quantum potest fieri, avertere a turpi objecto propter periculum consensus; hic enim si te evigilante accedat, pollutio erit pro tunc voluntaria.

750. Circa pollutionem vel motus per accidens secutos, praevisos tamen ex aliqua actione, sed non intentos, traduntur sequentes regulae a *Laym.*, *Sanch.*, *Lessio et Sporer* l. c. a n. 646. Prima: *Si actio, ex qua praevidetur pollutio vel motus, ex natura sua notabiliter influat in pollutionem vel motum, quales sunt omnes actus venerei mortaliter mali, turpes tactus, aspectus, oscula, delectatio morosa de concubitu, tunc etiam sequens pollutio, etsi non intenta, sed tantum praevisa, est peccatum mortale*: quia lex naturalis prohibens pollutionem etiam obligat ad non ponendas causas notabiliter, et per se influentes: et qui vult talem causam, pariter censetur velle effectum connaturaliter conjunctum. Secunda; *Si actio tantum sit venialiter mala*, v. g. *curiosus aspectus foeminae, verbum turpe ex joco prolatum, secuta pollutio contra voluntatem erit tantum veniale peccatum: mortale, si fuerit praevisum periculum consensus. Ratio* primi est, quia tunc pollutio non est volita in se, nec proprie volita in causa, sed praevisa tantum citra periculum consensus: ergo si actio sit tantum venialiter mala, etiam pollutio in ea praevisa erit venialis. Ita *Sporer* l. c. n. 648. citans *Sanchez*, *Suarez*, *et Henriq. Ratio* secundi est, quia si quis ex jocose tantum prolato verbo turpi praevideat periculum consensus, nec tamen illud omittat, deliberate censetur amare periculum, et consequenter peribit in illo; imo qui ex frequentibus actibus scit, quod ex curioso, deliberato tamen aspectu foeminae soleat pati pollutionem, et tamen non avertit oculos, sed liberrime circumvagatur, a gravi peccato excusari non potest, quia talis deliberate ponit actionem respectu aliorum quidem, et per se non disponentem, respectu sui tamen proxime influentem in praevisas pollutiones. Tertiam regulam *Sporer* l. c. n. 649. tradit ex *Sanch.*, *Vasq.*, *Suarez* et aliis; *Quando actio, ex qua praevidetur pollutio, sed minime intenditur, non est peccatum luxuriae, etsi sit peccatum in alio genere*, v. g. ebrietas, vel intemperantia in cibis, tunc *pollutio secuta contra voluntatem (nisi simul praevisum sit periculum consensus) non est peccatum grave, sed veniale. Ratio* est, tum quia per se non est obligatio gravis evitandi causas plane remotas, ex quibus per accidens praeter intentionem, et magis ex naturae infirmitate, quam ex tali actione mali effectus oriuntur. Quarta regula ex eodem num. 560. est: *Quando actio de se est honesta et licita, et adest rationabilis causa necessitatis vel utilitatis ponendi vel continuandi actionem illam, etsi timeatur pollutio, dummodo non intendatur, et absit periculum consensus in illam, orta pollutio non erit peccatum*; tum quia supponitur justa causa ponendi talem actionem, tum quia actio ipsa de se est licita et honesta, v. g. studio casuum vacare, confessiones excipere, equitare negotii vel recreationis causa, sumere temperate cibos, vel potus calidos etc. ex quibus plane per accidens sequitur pollutio, quae etiam saepe oritur ex subito timore ac terrore, ut testatur *Laym.* L. 3. sect. 4. n. 18. Addit *Jansen.* p. 2. casu 11. n. 11. si vero alicui per experientiam notum sit, quod non obstantibus mediis adhibitis, adhuc soleat in pollutionem inde ortam consentire, nullo casu licitum erit, praemissas actiones exercere, sed potius officio cedendum. Hoc bene notent ii, qui pluribus annis vacando luxuriae, naturam ita corrumpunt, ut maxime proclives ad pollutiones reddantur, et nihilominus se liberrime exponunt conversationibus mulierum, excipiendis confessionibus etc.

751. *Distillatio est fluxus humoris cujusdam medii inter urinam et verum*

semen, habentis cum illo aliquam similitudinem quoad colorem et viscositatem, quamvis non sit verum semen: si fiat hic fluxus praeter intentionem sine commotione spirituum, et sensu carnis, vel eo tantum levissimo, non est peccatum, nec plus oportet esse anxium de eo, quam de alio sudore, ut ait *Laym.* l. cit. Si vero fiat cum voluntario sensu carnali, et commotione spirituum generationi servientium ex turpi colloquio, aspectu etc. tum est peccatum mortale.

Casus de *Pollutione.*

Claudianus confitetur 1. *Procuravi pollutionem.* 2. *Gavisus sum de involuntaria pollutione.* 3. *Fricando eam passus sum.* 4. *Item in ipso usu copulae maritalis id mihi contigit.*

752. *Q.* I. Quid Confessarius ad primum. R. Quaerat. 1. quoties procuraverit. 2. An cum imaginatione alterius personae, et cujus. Si solutae, simul est fornicatio: si conjugatae, adulterium. 3. An poenitens ligatus sit voto castitatis: tunc insuper commisit sacrilegium.

753. *Q.* II. Quid ad secundum. R. Si gavisus sit de pollutione secundum se, peccavit graviter. Si propterea gavisus sit, quod per pollutionem omnino involuntariam cessent tentationes molestae, hoc gaudium secundum se peccaminosum non erit; praestat tamen statim plane avertere animum a turpi objecto propter periculum. Ita *Sanch.*, *Jansen.* l. c. n. 13.

754. *Q.* III. An fricando peccaverit Claudianus. R. Si factum fuerit ad procurandam pollutionem, peccavit graviter: si tantum ad depellendum molestum pruritum, quin ullo modo eam intenderit, item si statim cessaverit, quamprimum turpem motum advertit, non peccavit; secus si advertens motum, perrexerit fricare: quia talis actio in iis circumstantiis directe tenderet ad pollutionem, aut saltem ad vehementiores motus cum cognito periculo pollutionis: ergo hoc ipso volito in causa. Ita *Henno.*

755. *Q.* IV. Quid ad quartum casum. R. cum *Laym.* l. c. n. 19. Si in copula maritali seminis effusio extra vas fiat ex proposito ad impediendam legitimam prolem, est peccatum mortale contra naturam, quia hoc adversatur fini generationis: si vero id contigerit praeter intentionem ex festinatione aut metu, ob senium aut aliam indispositionem alterius conjugis, non peccat. *Sed quid, si saepius id eveniat praeter intentionem ob praedictas causas?* R. cum eodem: Adhuc licitum est conjugibus conari, et tentare copulam, modo adsit probabilis spes seminandi debito modo intra vas.

756. Principium II. *Sodomia perfecta est congressus duorum ejusdem sexus*, hoc est, *maris cum mare, vel foeminae cum foemina. Est peccatum semper mortale.* Gravissime in hoc invehitur Apostolus ad Rom. 1. v. 26. et 27. Levit. 20. v. 13. statuitur: *Qui dormierit cum masculo coitu foemineo, uterque operatus est nefas: morte moriuntur.* Potest etiam habere adjunctas alias malitias, v. g. incestus, sacrilegii etc. Juxta *Sporer* in Theol. Sacram. p. 4. c. 3. n. 626. non sufficit dicere in confessione: commisi sodomiam, sed explicare debet poenitens, an fuerit agens vel patiens, quia agens committit pollutionem. Contrarium sentit *Diana.*

757. *Sodomia imperfecta est concubitus cum debito quidem sexu, scilicet maris cum foemina, sed extra vas naturale.* Si fiat cum conjugata, habet conjunctam malitiam adulterii; incestus vero, si cum consanguinea etc. Ita *Comm.* Dum quis ad se polluendum utitur instrumento inanimato, non quidem committit sodomiam; haec tamen circumstantia ob singularem turpitudinem debet exprimi in confessione praeter pollutionem.

758. Principium III. *Bestialitas est coitus hominis cum bestia.* Est nefandum scelus, et gravissimum inter peccata luxuriae. Hinc Deus Levit. 20. v. 15. statuit: *Qui cum jumento et pecore coierit, morte moriatur: pecus*

quoque occidite. In confessione necessario non debet explicari, qualis fuerit bestia, an capra, an equa etc. quia differentia in genere moris hic non intercedit, sed tantum in genere entis. *Escob.*, *Filliuc.* et comm. Porro mollities, sodomia, et bestialitas non sunt peccata ejusdem speciei infimae, ideoque non sufficit, si dicat Sodomita vel Bestiarius in confessione, se procurasse pollutionem, ut patet ex propos. 24. damnata ab *Alex. VII. Ratio* est, quia delectationes, in quas tendunt haec tria, plus specie ex objectis specie diversis, et modo tendendi inter se differunt, quam duae fornicationes simplices.

§. V. *Remedia contra peccata luxuriae.*

759. Remedia contra turpissimum luxuriae vitium alia sunt positiva, alia negativa.

Positiva sunt I. *Frequens oratio* fusa ad Deum pro impetrando dono continentiae. *Hoc enim genus* daemoniorum *non ejicitur, nisi per orationem, et jejunium.* Matth. 17. v. 21. *Scivi, quia aliter non possum esse continens, nisi Deus det.* Sap. 8. v. 21. Sic *S. Thomas Aquin.* cum procax foemina cubiculum ejus fuisset ingressa, mox ad orationem confugit dicens: *Ne sinas, quaeso, Domine Jesu, et tu sancta Virgo et mater, ut tam immani me scelere obstringam.* Mox robur coeleste obtinuit: accepto enim titione scortum fugavit, et victor cingulo circa lumbos ab Angelo constringi meruit. *Surius* in vita *S. Thom.* II. Ex hoc eruitur alterum praestantissimum medium una cum primo, scilicet constans cultus et invocatio B. Virginis immaculatae conceptae: haec enim est mater pulchrae dilectionis. III. *Frequens confessio* apud eumdem Confessarium, et *frequens devota Communio.* Hic enim Panis Angelicus hominem indissolubili vinculo Deo conjungit: *qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo.* Joan. 6. Lascivi vero ardore libidinis percutiuntur ut foenum, et cor eorum arescit, quia obliti sunt comedere hunc panem vivum. Casti accedunt laetabundi dicentes. *Quid enim bonum ejus est, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines?* Zach. 9. 17. Incasti abhorrent ab hoc cibo coelesti, quia continuo audiunt vocem Apostoli: *Non potestis mensae Domini participes esse, et mensae daemoniorum.* IV. *Mortificatio:* teste enim *S. Ambr.* Lib. I. de poen. c. 14. libido gravis ignis est, et ideo non demus illi alimenta luxuriae; pascitur conviviis, nutritur deliciis, vino accenditur, ebrietate inflammatur. *Castigo corpus meum*, ait Apost. 1. Cor. 9. V. *Memoria novissimorum.* Hoc suadet *S. Isidorus* L. 2. de Sum. Bon. c. 39. *Sicut clavus clavum repellit, ita recordatio ardoris gehennalis ardorem excludit luxuriae.* Huc pertinet accurata custodia sensuum praesertim hoc sacculo, quo viri plane effaeminati, comptuli, nitiduli incedunt, foeminae vero etc. etc.

760. II. Media negativa sunt I. *Fuga occasionum.* Imitare Josephum Ægypti Proregem, ita suadet *S. Aug. Contra libidinis impetum apprehende fugam, si vis obtinere victoriam.* II. *Fuga otii.* Hoc suadet *Greg.* L. 6. c. 1. in L. 1. Reg. *Cum duas res simul cogitare non possumus, fit ut aliquid aliud cogitando, non cogitemus immunda.* III. *Nunquam oblivisci Dei omnia videntis, et audientis.* Hoc suadet S. Basil. discurrens de pugnis contra luxuriam; *Haec omnia ei facilia sunt, qui Deum semper praesentem aspicit.* IV. Nemo in periculis quotidianis nimium confidat suis viribus, vel virtuti. Quis fortior Samsone? quis cum Deo conjunctior Davide? quis sapientior Salomone? Hos vicit libido: quidni et tu trepides inter tot pericula? V. Noli esse familiarior ulli foeminae, etsi videatur devotissima; ita monet Ecclesiasticus c. 9. v. 2. *Non des mulieri potestatem animae tuae, ne ingrediatur in virtute tua, et confundaris.* VI. Fuga ebrietatis: *Nolite inebriari vino, in*

quo est luxuria: ita monet Apostolus ad Ephes. 5. 18. Fuga denique illorum peccatorum, quae dicuntur causae impellentes ad luxuriam, sic apud Ezechielem c. 16. legimus: *Ecce haec fuit iniquitas Sodomae sororis tuae, superbia, saturitas panis, et abundantia, et otium ipsius et filiarum ejus: et manum egeno et pauperi non porrigebant.*

Hinc.... *Subtrahe ligna foco, si vis extinguere flammam.*

CAPUT VII. *De septimo et decimo praecepto Decalogi.*

Praeceptum septimum: *Non furtum facies* (Exod. 29. et Matth. 19. 18.) ut est negativum, prohibet omnem injustam damnificationem proximi in bonis fortunae, quae fit per furtum, aut rapinam, per injustos contractus, et per omnem injustam acceptionem, vel detentionem bonorum alienorum. Haec plerumque dicuntur peccata caudata, quia trahunt post se obligationem restitutionis, quam praecipit septimum praeceptum, prout est affirmativum.

Huc etiam pertinet decimum praeceptum: *Non concupisces domum proximi tui.... non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia, quae illius sunt* (Exodi 20. 17.). Directe hoc praeceptum prohibet actus internos, ne bona proximi injuste appetamus. Vide etiam, quae de invidia dicta sunt n. 326.

ARTICULUS I. *Principia generalia de furto secundum se.*

§. I. *Praenotanda de furto.*

761. *Praenot.* I. Furtum est *injusta et occulta rei alienae ablatio domino rationabiliter invito.* Dicitur 1. *ablatio:* per quod differt a sola damnificatione, quae potest fieri sine ablatione rei, ut patet in eo, qui alterius domum accendit. Dicitur 2. *occulta*: per quod differt a rapina, quae includit violentiam alteri scienti ac invito illatam. 3. *Rei alienae*, sive sit aliena stabiliter, sive ad tempus, aut quasi aliena: ideo furtum committit, qui creditori clam aufert mutuum datum, aut pignus apud alium depositum. 4. Dicitur, *domino rationabiliter invito*: hinc fur non est, qui aufert gladium, quo alter se vel alium esset occisurus; aut librum haereticum quem sine peccato non potest legere; quia in his casibus dominus *rationabiliter* non potest esse invitus.

762. *Praenot.* II. Furtum 1. aliud est simplex, aliud qualificatum. *Simplex* dicitur, quod non habet aliam specie distinctam malitiam adjunctam: *qualificatum*, quod specialem malitiam sibi conjunctam habet, ut *sacrilegium*, v. g. si auferatur res sacra, ut dictum est n. 470. Specie etiam differt rapina a furto simplici ratione specialis injuriae, et contumeliae, qua afficitur is, cui scienti et repugnanti res sua violenter abripitur. De hac *S. Thom.* 2. 2. q. 66. a 4.... 2. Huc etiam revocatur *peculatus*, quando pecunia, vel res ad fiscum Principis, aut Reipubl. pertinens auferatur; item delictum cudendi monetam ex adulterato metallo, vel ex proprio sine licentia Principis: item usus bonorum communium in propriam utilitatem. 3. *Abiegatus* vocatur, quando aliquot animalia simul, vel successive ex grege alieno, imo si vel unicum ex majoribus, v. g. equus, bos, aut mulus abducitur e stabulo, ut ait *Babenst.* 4. *Plagium*, est injusta abductio hominis liberi, vel servi alieni ad vendendum, vel retinendum in mancipium. De his fuse *Juriscons.*

§. II. *Principia generalia de furto secundum se.*

763. *Principium* I. *Furtum ex genere suo est peccatum mortale*; quia manendo in specie furti potest graviter peccari, quin alia peccati species accedat. Patet ex 1. Cor. 6. *Neque fures... neque rapaces regnum Dei possidebunt.* Accedit, quod furto non tantum violetur charitas, sed etiam justitia, utpote quae est constans voluntas suum cuique tribuendi, ergo et relinquendi. Praeterea hoc vitio maxime turbatur pax, et tranquillitas reipublicae, cum nemo quiete sua posset possidere, si licitum foret rapere aliena. Excusat tamen a peccato gravi parvitas materiae. Porro plures sunt gravium AA. sententiae, quaenam censeri debeat notabilis, seu gravis materia *theologice*, h. e. sufficiens ad peccatum mortale; de gravitate enim furti *juridice* spectata, sive in ordine ad gravem poenam a foro externo infligendam hic non quaerimus. Ante resolutionem

764. *Adverte.* Materia furti *absolute gravis*, vel *levis* dicitur, quae respectu omnium a quocumque sive ditissimo, sive divite, sive paupere auferatur, censetur sufficiens quantitas ad constituendum peccatum grave. Respective *gravis* vel *levis* est, quae respectu aliquorum, quibus auferatur, gravis; respectu aliorum vero, v. g. ditiorum, censetur esse levis. Ita *Salmant.* Ex his statuitur.

765. *Princip.* II. *Probabilius materia furti absolute gravis, et respectu omnium, etiam regis et hominis praedivitis, sufficiens ad peccatum mortale est unus aureus, sive ducatus, sive res, aut pretium aequivalens aureo.* Ita *Less.* de Just. L. 2. c. 12. dub. 6. n. 29., *Bonac.*, *Lugo*, *Rheding.*, *Babenst.* t. 7. d. 5. a. 5. n. 11., *Reiffenst.* in Theol. mor. t. 11. dist. 5. q. 1. n. 8., *Stoz* L. 1. p. 3. q. 3. n. 448., *Di Castillo* disp. 8. de restit. dub. 2. n. 36., *Palaus*, *Zetl* p. 1. Cler. cur. instruct. 1. n. IX. contra *Laym.* qui L. 3. de Just. t. 3. p. 1. c. 1. in *dico* III. pro materia absolute gravi statuit duos vel tres aureos etiam respectu regis potentissimi. Alii cum *Navar.* statuunt minorem quantitatem uno aureo. *Prob.* nostra resolutio 1. cum *Babenst.* l. c. Communis hominum persuasio est, valorem unius aurei non esse modicum: ergo unus aureus merito statuitur esse materia furti absolute gravis: communis enim persuasio plurimum valet in moralibus. Praeterea constat, Principes graviter ferre, quando in gabellis unico aureo defraudantur; iidem plerumque ducatum tanti aestimant, quanti mediocriter dives florenum. Nec refert, quod Princeps non admodum indigeat uno aureo; sufficit enim, quod aureus sit materia valde notabilis, qua per mensem ali potest gregarius miles. Hinc *prob.* 2. Nisi unus aureus etiam respectu ditissimorum esset materia graviter prohibita, nimis fortiter allicerentur innumeri fures cum maximo Principum damno ad furta infra aureum committenda, eoquod non curentur admodum peccata venialia. *Confirm.* Ideo voluntaria pollutio in omni casu est graviter prohibita, quia licet semel facta non inferret grave damnum speciei humanae, ex eo tamen illicita manet, quod si vel semel in aliquo casu non esset illicita, homines ad ejusmodi delectationem proclives facile allicerentur ad fingendas frequentes causas illam procurandi: ergo a pari, licet furtum unius aurei semel factum opulentissimo non inferret grave damnum; quia tamen, si semel non esset graviter illicitum, facile allicerentur homines ad illud frequentandum, ideoque semper erit illicitum. Denique haec sententia ex eo videtur praeferenda, quod sit media inter laxiorem, et nimis rigidam, utpote quae nec nimium onerat conscientias delinquentium, nec praejudicat nimium juribus innocentum.

766. *Princip.* III. *Materia furti respective gravis, attendendo ad diversas hominum conditiones, illa est, quae in unum diem sufficit ad victum ejus personae, cui auferitur.* Hinc peccatum grave est, si a Principe

ducatum fureris, a Comite vel alio divite 3. flor., si a mercatore opulento duos florenos, a cive mediocriter divite florenum, ab opifice 6. vel 7. baceos, vel ut ait *Haun.* t. 2. n. 329. quantum solet hujusmodi plebejus opifex intra diem circa aequinoctium lucrari, scil. medium circiter florenum: ab operario autem ex diurno labore victitante 18. vel 20. crucigeros, a mendico paucos crucigeros, quibus uno die utcumque victum sibi comparasset. Ita *Laym.* l. c. in *dico* II., *Bonac.*, *Lugo*, *Sporer*, *Babenst.*, *Stoz*, *Zetl* l. c. n. X. *Ratio* est, quia illa quantitas pecuniae merito judicanda est notabilis, ob cujus injustam ablationem dominus merito censetur graviter invitus: atqui ob injustam ablationem quantitatis, quae alicui secundum conditionem, et communem vivendi consuetudinem ad victum unius diei suffecisset, quilibet merito censetur esse graviter invitus: ergo.

767. *Princip.* IV. *Furtum in materia levi tribus modis solet fieri grave peccatum.* 1. *Per intentionem auferendi successive materiam gravem*; sic qui repetitis vicibus modicum furatur eidem personae animo furandi successive magnam quantitatem per singula furta peccat graviter, quia actus externus desumit malitiam suam ab actu interno; ergo cum actus internus ita furantis sit graviter peccaminosus, et singula furta levia fiant ex intentione auferendi materiam gravem, et inferendi damnum notabile, etiam singuli actus externi, scil. furta levia, erunt graviter peccaminosi. *Sanch.* L. 7. in Decal. c. 21., *Less.*, *Bonac.*, *Lugo.* Addit *Babenst.* l. c. n. 19. cum *Comm.* quod talis fur non obligetur *sub mortali* ad restitutionem pro singulis furtis levibus, priusquam ad notabilem quantitatem pervenerit, quia obligatio restituendi non mensuratur a voluntate damnificandi, sed a damnificatione externa, vel damno reipsa illato: ergo cum damnum levi furto illatum non sit grave, etiam obligatio restituendi praecise respectu furti levis, non erit gravis. Dixi supra: *Qui saepius modicum furatur eidem personae:* idem dicendum, quod ille peccet mortaliter per singula furta minuta, qui intendit ditescere, et paulatim auferendo a pluribus modicum, sibi acquirere notabilem quantitatem; quae intentio accipiendi injuste notabilem quantitatem est graviter peccaminosa; ergo et ipsa furta minuta tanquam continuae executiones pravae intentionis eamdem malitiam participant. Ita *Sanchez.* l. c. n. 13., *Less.*, *Lugo*, *Babenst.* l. c. n. 24. Ideoque graviter peccant in singulis defraudationibus etiam levibus, qui injusto pondere, mensura, vel ulna intendunt se locupletare, quia singulae fiunt ex animo acquirendi injuste materiam notabilem. *Confirm.* Ex hac ratione furandi, remque suam augendi gravissima incommoda humanae societati orirentur: quia si liceret injustissima ejusmodi solertia fraudandi mensuras, falsificandi merces etc. omnis fides et securitas in pactis, contractibus et commerciis tolleretur; ex quo plurimum pateretur bonum publicum. 2. *Per multiplicationem*, juxta dicta n. 284.... non quidem eo sensu, quod plura peccata levia simul sumpta faciant unum mortale, sed quod illud furtum, quo ultimo completur materia gravis, sit peccatum mortale, quia cum praecedentibus complet grave damnum.

3. Si plures communi consensu, et consilio se determinent, ut quivis modicum auferat, ita tamen ut furta levia simul sumpta constituant materiam gravem, peccant singuli graviter, quia singuli suo consilio et consensu cooperantur moraliter ad totum damnum, ideoque etiam singuli tenentur ad restitutionem in solidum, scil. in defectu aliorum, ut dicemus *de restit.* Dixi, *si plures communi consensu etc.*; quod si enim plures modica auferendo grave damnum eidem domino inferant, ita tamen, ut nullus de alterius subtractione habeat notitiam, nullus eorum peccat mortaliter, nec ullus contrahit gravem restituendi obligationem, quia nullus fuit causa formaliter injusta gravis damni.

768. *Princip.* V. A furto excusat 1. *Necessitas extrema*, quando scil.

est certum periculum amittendae vitae, morbi incurabilis, vel quando timetur malum morti aequivalens. Non autem excusat *gravis* tantum necessitas, quod non extremum, sed grave tantum malum in corpore, fama, vel fortuna timetur. Vide propos. 36. ab *Innoc. XI.* damnatam. *Ratio* damnationis est, quia facile adducerentur plurimi ad furta committenda, qui quamlibet necessitatem gravem sibi fingerent: in extrema autem necessitate subtrahere alienum quid, quantum sufficit ad tollendam extremam necessitatem, non est furari, quia tunc dominus non potest esse rationabiliter invitus; res enim temporales datae sunt a Deo tanquam media conservandi vitam; ergo hac periclitans proximus potest licite hoc vel illo bono temporali sibi summe necessario uti. Hoc sensu in extrema necessitate fiunt omnia communia; praeterea divisio bonorum introducta est jure gentium, obligatio autem conservandi vitam est juris naturae. *S. Th.* 2. 2. q. 66. a. 7. in corp.

769. 2. Excusat a furto *compensatio occulta*, qua creditor ex bonis debitoris clam tollit, quantum sibi debetur: quia per hanc non peccatur *in re*, res enim debetur ex justitia: neque in *modo*, si serventur sequentes conditiones. 1. Ut licita sit compensatio occulta requiritur ut id, quod accipitur, sit *debitum ex justitia*, non tantum ex charitate, vel gratitudine. 2. Ut *debitum sit liquidum* sive certum, non autem dubium, vel probabile tantum; tunc enim melior est conditio possidentis. 3. Ut debitum recuperari non possit via juris, vel alio modo sine notabili damno, molestia, aut sine gravi offensione et inimicitia. Plura in resolutione casuum.

ARTICULUS II. *De Restitutione.*

§. I. *Praenotanda.*

770. *Praenot.* I. *Restitutio est redintegratio juris alieni laesi, qua vel res accepta redditur, vel damnum illatum compensatur.* 1. Dicitur *redintegratio*, per quam intelligitur actus justitiae commutativae, quo constituitur aequalitas, eaque arithmetica inter datum et acceptum, sive inter damnum, ejusque reparationem; ideo *S. Thom.* 2. 2. q. 62. a. 1. in corp. ait: *Restituere nihil aliud esse videtur, quam iterato aliquem statuere in possessionem, vel dominium rei suae.* 2. Dicitur *juris alieni*, scil. quod quis habet vel in re vel ad rem. Res aliena possideri potest vel bona, vel mala, vel dubia fide. *Bona fide* dicitur quis possidere rem alienam, quando invincibiliter existimat esse suam: *mala fide*, quando quis vel scit rem esse alienam, vel ex ignorantia vincibili et culpabili credit esse suam, et non alienam: *dubia fide*, qui vel positive vel negative, et practice dubitat, an res sit sua.

771. II. Injuria minus stricta opponitur justitiae distributivae, vindicativae, et legali: stricte autem dicta opponitur justitiae commutativae; hinc recte definitur *laesio voluntaria juris alieni.* Alia injuria fit *commissione*, agendo aliquid contra jus proprietatis alterius, et dicitur *positiva injuria*, estque contra praeceptum justitiae negativum, quod ita solet exponi: *Nulli alteri, quod suum est, auferto, laedito, retineto.* Huc pertinent fraus, dolus, vis, metus etc. Alia fit *omissione*, si omittas facere alteri, quod ei debes ex justitia stricta; haec dicitur injuria *negativa*, estque contra praeceptum affirmativum, quod ita exponitur; *Unicuique alteri suum sinito, tribuito, reddito.* Injuria Theologis alia est *mentalis*, quae sola mente committitur, scil. vel *dubitatione temeraria*, contraria juri alterius vel *suspicione*, vel temerario judicio, de quibus infra; quilibet enim habet jus, ut non revocetur in dubium, multo minus condemnetur sua innocentia, nisi sufficientibus indiciis delictum, vel ejus suspicio aut dubitatio firmetur. Alia *verbalis*, quae verbo irrogatur, cujus species sunt contumelia, convicium, de-

tractio, maledictio, etc. Denique alia est *realis*, quae fit facto vel quasi facto, scil. vel commissione vel omissione, fraude vel violentia, circa bona corporis vel animi etc. Injuria ex genere suo est peccatum grave. *Ratio* est, quia illud n. 277. diximus esse peccatum grave ex genere suo, quod intra lineam suam potest esse mortale, licet non accedat diversa malitia; leve vero ex genere suo, quod licet crescat intra lineam suam, non tamen fit mortale, nisi contrahat diversam malitiae speciem; atqui licet injuria secundum culpam possit esse gravis vel levis, solum tamen incrementum quantitativum damni vel materiae, circa quam illa versatur, fit peccatum grave intra suam lineam seu speciem injustitiae, si voluntarie et deliberate laedit alterius jus: ergo. Causae gravitatis continentur sequenti versu: *His tribus ex causis injuria redditur atrox, facti, personae, vel ratione loci.* Huc pertinet regula juris 27. in 6. *Scienti et consentienti non fit injuria, neque dolus:* intellige circa jus mobile, cui efficaciter quis cedere potest. Item regula 145. ff. de R. J. *Nemo videtur fraudare eos, qui sciunt et consentiunt*; scienti autem tantum, sed non consentienti, fieri potest injuria, ut patet in injustis violentiis. Item fit injuria consentienti in actionem, sed non scienti, eam esse contra jus suum, quia tunc non habetur consensus plane perfectus; admixtum enim est involuntarium. Dixi, *circa jus mobile:* secus est circa jus immobile, quo quis se pro arbitrio abdicare nequit. Oritur autem haec immobilitas 1. vel *ex lege superioris*, ut patet in pupillo, qui valide nequit cedere juri suo: 2. vel *ex ipsa natura juris ipsi personae immobiliter inhaerentis*, ut fit in conjugibus, qui nequeunt transferre jus quod habent in corpus alterius: 3. vel *ex defectu tituli necessarii ad validam translationem dominii*, uti probabilius contigit in casu solventis usuras per modum pretii pro mutuo. Item in pretio simoniaco.

§. II. *Principia generalia de restitutione.*

772. *Principium I. Restitutio est necessaria ad salutem necessitate praecepti. Prob.* 1. ex Apost. ad Rom. 13. 7. *Reddite ergo omnibus debita*, *Prob.* 2. ex c. 1. casus. 14. q. 6. desumpto ex *S. Aug.* epist. 54. ad Macedonium: *Si res aliena, propter quam peccatum est, cum reddi possit, non redditur, non agitur poenitentia, sed fingitur: si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, sed u dixi, cum restitui potest. Prob.* 3. Observatio justitiae necessaria est ad salutem; neglecta autem restitutione observari justitia non potest: ergo observatio restitutionis pariter necessaria est ad salutem. *Dixi* quod sit necessaria *necessitate praecepti*: quia necessaria non potest dici *necessitate medii* hoc modo, quasi is non possit consequi salutem, qui inculpabiliter non restituit, vel qui absolute non potest restituere: talis enim, si de peccato vere doleat, et voluntatem habeat restituendi si posset, adhuc potest salvari, ut patet ex cit. can. Est autem obligatio restituendi gravis, si sit circa materiam gravem; levis, si circa levem.

773. *Principium II. Obligatio restituendi ex duplici radice naturali* oritur, juxta *Laym.* l. 3. de Just. t. 2. c. 1. n. 2. cum *S. Thom.* 2. 2. q. 62. a. 6. in corp. 1. *Ex re accepta, sive aliena.* 2. *Ex injusta acceptione.* Ex *re accepta* ad restitutionem teneris, quando res aliena ad te sine culpa aliqua theologica pervenit, quum tamen cognoscis, vel postea comperis esse alienam. *Ratio* est, quia res aliena non potest sine injuria retineri invito rationabiliter domino: ideoque res aliena, ubicumque fuerit, clamat ad suum dominum, qui retinet jus sibi eam vindicandi, vel exigendi pretium acquivalens, quamdiu res sua existit apud alium formaliter vel aequivalenter in suo pretio; nemo enim jus suum amittit, nisi vel ob consensum voluntarium, vel ob propriam culpam injustitiae, vel ob dispositionem juris, vel ob casum fortuitum.

Altera radix proxima restitutionis est *injusta acceptio*, qua vel scienter et injuste occupasti rem alienam, v. g. furto, fraude, usura etc., vel quando damnificando proximum re sua privasti, quamvis res aliena ad te non pervenerit, v. g. si domum proximi incendio destruxisti: talis enim injusta damnificatio vere est injusta rei alienae subtractio, quamvis sit subtrahenti inutilis, cum nihil ex re aliena detineat damnificator. *Ratio* est, quia utroque modo laeditur jus alterius, non autem extinguitur; ergo cum maneat jus alterius laesum, reparari debet per restitutionem. *Probatur* hoc principium. Tot sunt radices proximae restitutionis, quot sunt primariae species laesionis: atqui tantum sunt duae primariae species laesionis juris alterius, scil. *laesio materialis*, cui respondet obligatio ex re accepta, et *formalis*, cui respondet obligatio ex injusta acceptione: ergo.

Porro hic non inhaeremus speculationibus, vi quarum *tituli* et *modi*, quibus jus proprietatis est comparatum, dicuntur quidem radix restitutionis, sed remotissima: sic etiam ipsum jus residens in altero dicitur radix restitutionis, quatenus vi hujus exigitur reparatio juris laesi: haec tamen radix non est proxima, sed remota, quia hoc jus secundum se et absolute potius exigit conservationem aequalitatis, reparationem vero actu exigit mediante injusta acceptione, vel re accepta, quas proinde dicimus radices proximas. Pariter alios titulos restituendi huc reducimus, quos assignant Jurisconsulti, quales sunt, *delictum et quasi delictum*, *contractus et quasi contractus*, *ac legis dispositio*. Alii claritatis gratia plures assignant radices restitutionis. 1. *Rem acceptam*: 2. *injustam acceptionem:* 3. *injustam damnificationem:* 4. *injustam retentionem:* 5. *injustam cooperationem:* 6. *ex contractu:* 7. *ex quasi contractu*, scil. ex officio assumpto. Cum tamen hi tituli reducantur ad duos primos, hinc brevius in iis constituitur solius tota ratio restitutionis. Delictum enim seu injusta damnificatio reducitur ex dictis ad injustam acceptionem, quia est injusta quaedam rei alienae subtractio, quamvis subtrahenti sit inutilis. Praestatio debiti ex contractu, vel quasi contractu reducitur ad injustam acceptionem, quatenus non facta solutio est retentio illius, quod debetur alteri; talis autem retentio vere dici potest injusta acceptio. Restitutio autem ex dispositione legis eatenus reducitur ad injustam acceptionem, quatenus restituendi obligatio imponitur vel ad praeveniendam laesionem, vel quia praesumitur praecessisse. Juxta alios solutio debiti ex contractu proprie non est restitutio.

Si quaeras, an res accepta, et injusta acceptio eodem modo obligent ad restitutionem. R. Obligatio ex re accepta non durat, nisi quamdiu res ipsa durat et extat vel formaliter in se, vel virtualiter in aequivalenti, seu fructu et effectu relicto; ex injusta autem acceptione durat obligatio restituendi, licet res interierit, nec virtualiter amplius extet: quia iniquitas debet nocere soli inique agenti non autem patienti innocenter.

774. *Princ. III. Ut ex injusta acceptione oriatur obligatio restitutionis in foro conscientiae ante sententiam judicis, requiritur culpa theologica, ita ut non sufficiat mere juridica.*

Ante prob. *adverte*. Nomine culpae theologicae intelligitur a TT. quaevis offensa Dei sive peccatum mortale, aut veniale. Nomine culpae juridicae intelligitur omissio diligentiae, qua proximi damnum impediri potuisset, sive coram Deo, et in foro conscientiae sit peccatum, nec ne. Culpa juridica alia dicitur *lata*, quae est omissio diligentiae, quam homines ejusdem conditionis in talibus circumstantiis communiter solent adhibere. *Latior* dicitur *dolus praesumptus*, sive omissio debitae diligentiae, ex qua etsi non omnino manifeste colligatur malus nocendi animus, prudenter tamen potest praesumi; talis est in eo, qui damnum proximi non intendit quidem, illud tamen praevidet futurum ex actione sua, vel ejus omissione. *Latissima* vocatur *dolus apertus*, sive omissio diligentiae debitae ad damnum alterius praecavendum, ex

qua manifeste colligitur malus nocendi animus ; haec culpa est in eo, qui aliquid agit, vel omittit damni inferendi causa, quod praevidet inde secuturum. Culpa juridica *levis* dicitur omissio diligentiae, quam homines diligentiores, et accuratiores similis conditionis solent adhibere. *Levissima* culpa est omissio diligentiae exactissimae, quam nonnisi accuratissimi, et diligentissimi solent impendere. His praecognitis

Prob. Principium tertium. Damnum sine culpa theologica datum, non voluntarie, nec cum ulla injuria formali, sed quasi casu pure fortuito est illatum, sicut inferri solet a fulmine, vel furioso: ergo aeque parum potest obligationem restitutionis inducere, ac si ab infante, vel amente esset illatum. *Confirm.* 1. Aequitas naturalis, et jus non magis gravat, ut reparetur jus laesum alterius, quam ne laedatur: ergo sicut non gravat, ne laedatur inculpabiliter, et per injustitiam tantum materialem, ita neque gravat, ut reparetur laesum laesione, et injustitia tantum materiali, et theologice inculpabili. *Confirm.* 2 Ex contractu vel voto non oritur gravis obligatio, nisi sit perfecte voluntaria: ergo nec ex damnificatione involuntaria. *Confirm.* 3. ex c. fin. l. 5. Decret. tit. 37. de injuriis, et damno dato, ubi expresse innuit *Gregor. IX. Si culpa tua datum est damnum, vel injuria irrogata, seu aliis irrogantibus opem forte tulisti, aut haec imperitia tua, sive negligentia evenerunt, jure super his satisfacere te oportet, nec ignorantia te excusat, si scire debuisti: ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere, vel jacturam.* In fine subditur: *Secus est tamen in illo dicendum, qui ut non acciderit, de contingentibus nil omisit.* Ubi Pontifex per verba: *Si scire debuisti*, loquitur de culpa per ignorantiam vincibilem commissa: atqui haec non est culpa mere juridica, sed theologica: ergo. *Confirmatur* id maxime ex postremis verbis cit. ... *Babenst.* t. 7. d. 4. a. 3. n. 2. hanc vocat communem: vide etiam *Sotum*, *Less.*, *Rheding.* et alios. *Confirm.* 4. In casu, quo damnum illatum est ex culpa mere juridica, non tenemur illud reparare *ex re accepta*, quia supponimus, rem apud nos nullo modo extare: deinde nec ex *injusta acceptione*, cum nulla intercedat injuria formalis; ergo *ex jure naturae* non tenemur reparare damnum ex culpa mere juridica illatum. Tenemur tamen in conscientia ad reparandum tale damnum ex legibus positivis humanis et civilibus; quae tamen probabilius non ante, sed post sententiam judicis obligant, ut mox dicemus.

Ex eadem ratione nec oritur obligatio gravis restituendi ex culpa theologica, quae ob indeliberationem tantum est levis; quia etiam hoc casu damnum grave non satis est voluntarium; ergo nec inductivum tam gravis obligationis. Adde, quod culpa venialis ex indeliberatione actus non sit simpliciter delictum, et injuria; ergo nec potest esse radix gravis obligationis; nec laesus videtur tunc juste et rationabiliter esse invitus, cum actus ejusmodi indeliberati moraliter sint inevitabiles, ideoque nec potest exigere restitutionem sub gravi culpa in conscientia. *Lessius* l. 2. c. 7. dubit. 6. n. 27., *Lugo*, *Tambur.*, *Illsung* t. 4. d. 3. q. 1. a. 3. n. 10. contra *Vasq.* et *Molinam. Confirm.* 1. ex eo, quod obligatio restituendi ex delicto imitetur naturam poenae: ergo sicut defectus culpae gravis excludit poenam gravem, ita defectus culpae gravis ob indeliberationem excludit gravem obligationem compensationis damni non satis deliberate illati. *Confirm.* 2. ex paritate de voto indeliberate edito, ut supra. *Confirm.* 3. Tales actus facile cuilibet subrepunt: ergo accenseri debent casui fortuito.

Denique juxta communiorem, et probabiliorem tunc ad incurrendam obligationem restitutionis sufficit culpa juridica 1. quando ex contractu oritur obligatio restitutionis, v. g. quando aliquis se obligavit ad rem alterius custodiendam, servandam, integre reddendam. 2. Ex legibus positivis humanis et civilibus, quales sunt *Lex Aquilia* L. 4. Instit. tit. 3. L. 9. ff. t. 2. et c. 3. t. 35. aliaeque de quasi delictis et damnis vel nostra vel nostrorum culpa per

animalia nostra illatis; quarum legum finis est tum consulere indemnitati proximi, tum curam et cautelam aliorum acuere, ne damnum proximo inferatur. Ergo cum hae leges justae sint, et tendant ad bonum communitatis, non obligant in conscientia ad reparandum damnum saltem *post sententiam judicis*. Actio autem quae in jure datur damnificatis ex culpa juridica est triplex. *Prima* est *actio ex delicto*, seu *lege Aquilia*; et haec est actio poenalis, qua vindicatur damnum per rei corruptionem illatum. Haec a JCtis subdividitur in directam, et utilem. *Secunda* est *actio in factum ex quasi delicto*, qua vindicatur damnum datum ex dejectis vel effusis ab inhabitantibus aedes, ex imperitia judicis judicantis, vel notarii imperite conficientis instrumentum etc. *Tertia* est *actio noxalis*, quae datur adversus dominum *servorum*, qui damnum, et *animalium*, quae pauperiem fecerunt. Dixi supra: *post sententiam judicis*: quia juxta dicta ex jure naturae non tenemur reparare damnum ex culpa *mere juridica* illatum, sed ex legibus positivis: quod autem hae non ante, sed post sententiam judicis obligent in conscientia, inde cruitur, quia cives sufficienter stimulantur ad cautelam damni fortuiti (qui est finis harum legum) si post sententiam judicis restituere teneantur; item quia major obligatio nec ex verbis, nec ex fine legis, nec ex interpretatione DD. aut praxi subditorum deducitur: ergo. Ita *Molina*, *Lessius*, *Laymann*, et alii contra *Vasq.* et *Turrian.* qui defendunt, quod haec lex ex actione noxali obliget in conscientia ante sententiam judicis, tum contra *Haunold* et *Rebell.* qui negant obligationem etiam post sententiam judicis ob damnum culpa mere juridica datum.

775. *Princ. IV. Ad restitutionem obligantur, quicumque positive et efficaciter cooperantur ad damnum proximi; ex negative autem concurrentibus illi tenentur ad restitutionem, qui ex contractu, vel quasi contractu sunt obligati ad avertendum damnum.* Ante probationem

Adverte. S. Th. 2. 2. q. 62. a. 7. novem causas cooperantes ad damnum proximi his versibus comprehendit:

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.
Quilibet in solidum reddat prius injuriato.

Positive et directe concurrunt sex priores in cit. vers. scil. *mandans*, *consulens*, *consentiens*, ante factum *palpans* sive *laudans*, *dans recursum*, et *participans*, quatenus mandato, consilio, suffragio etc. moraliter movent, et positive inducunt ad damnum injuste inferendum proximo, vel physice participant cum eodem. Tres posteriores (scil. *mutus*: h. e. qui ante damnum illatum non monet, non clamat, non impedit, *non obstans*, qui, dum fit damnum, non defendit, non prohibet, non custodit rem; *non manifestans*, qui post damnum non admonet, non revelat, ut ait *La Croix* l. 3. p. 2. n. 41.) dicuntur concurrere negative et indirecte, quatenus praecise non impediunt damnum injustum. His praemissis

Prob. prima pars ex propos. 39. ab *Innoc. XI.* damnata. *Ratio* est, quia omnes positive et efficaciter concurrentes juxta sex primos modos sunt causa moralis damni; ergo idem est, ac si ipsi damnum intulissent. *Prob.* etiam secunda pars. Quia extra contractum, vel quasi contractum nemo tenetur ex *justitia* ad impediendum alterius damnum, sed tantum ex charitate, si possit impediri absque notabili incommodo; ergo qui juxta tres postremos modos negative tantum concurrunt, non impediendo damnum, ex supposito, si non teneantur ex officio, contractu, vel stipendio, peccant quidem contra charitatem, non tamen contra justitiam: ergo nec tenentur ad compensationem damni, utpote quae est actus justitiae commutativae. Ita *Comm.* Exempla occurrent in resol. cas.

776. Dixi, *de quasi contractu:* omnes enim, qui ex officio aliis obligati sunt, dicuntur teneri ex quasi contractu: communiter autem quinque species ex quasi contractu numerantur ex L. 3. Institutionum tit. 29. *de obligationibus, quae quasi ex contractu nascuntur:* scil. 1. *Negotia gesta:* sic qui negotia absentis gerit, dicitur quasi contractum habere cum absente cujus negotium gerit. 2. *Tutela* et *cura:* tutor cum pupillo, et curator cum furioso, aut minorenni. 3. *Communio rerum:* sic habentes rem aliter quam ex contractu societatis communem, ultro citroque ex quasi contractu tenentur. 4. *Aditio haereditatis:* sic tenetur haeres adiens haereditatem erga legatarios, et creditores defuncti. 5. *Solutio indebiti:* sic tenetur, qui recipit indebitum solutum per errorem. Denique juxta communem ex quasi contractu tenentur gubernator, judex, advocatus, medicus, parochus, artifex etc.; hi enim, dum ejusmodi officia in se suscipiunt, tacite saltem et virtualiter se obligant ad debitam diligentiam, alias a republ. nunquam ad haec munia admitterentur.

777. *Princip. V.* De circumstantiis restitutionis, quae his versibus complectuntur.

Quis, cui restituet, quid, quantum, quomodo, quando,
Ordine, quove loco, quae causa excuset iniquum,

tene sequentia.

1. Recte ait *Pontas.* V. restitutio. Inter eos omnes, quos urgere potest restitutionis obligatio, coriphaeus omnium habetur, qui iniquus rei possessor est, sive qui detinet rem alienam: cui deinde succedunt quasi secundarii, qui fuerunt injustitiae perpetratae, aut detrimenti illati socii, atque participes.

2. Quando res injuste ablata in integra sua natura non amplius extat, altera res ejusdem valoris restituenda est. Neque vero sola res, quae possidetur iniquc, reddenda est, sed insuper quaecumque damna rei proprietario ex ejusdem privatione emerserunt, ei sunt integre rependenda.

3. Debita vel bona certa, quorum dominus scitur, regulariter debent restitui ipsi domino, quia ipsi competit jus primarium ad rem. *Excipe* 1. Si dominus sit defunctus, omnia debita realia sive ex contractu, sive ex delicto, reddi debent haeredi; hic enim succedit in omnia jura defuncti: si vero defunctus de rebus suis non disposuerit, nec haeredem ab intestato reliquerit, ejus bona et jura dicuntur vacantia, et derelicta, juxta l. 1. 4. et 5. Cod. *de bon. vacant.*; ergo debitor ea potest retinere. Jure civili autem cedunt fisco saltem post sententiam judicis. 2. Si vero alteri debeatur rei a te acceptae possessio, huic immediate restituenda est, v. g. accepisti rem apud Titium depositam, ab eo conductam, illi commodatam, aut emphyteuticam, eam teneris restituere Titio depositario, commodatario etc. non vero domino; quia Titius sine injuria privari non potest jure custodiae, usus, vel possessionis, nisi vel consentiat, vel certo sciatur re inique abusurus; ex hac ratione bona Ecclesiae non sunt restituenda Praelato dissipatori, sed Capitulo. 3. Si acceperis rem a possessore malae fidei, v. g. horologium emisti a fure, *per se* non furi, sed domino reddi debet, quia hic solus in illud habet jus, non vero fur tanquam iniquus possessor. Dixi, *per se*; quia si fur tibi vendiderit horologium, vel aliam rem furto ablatam, nec possis aliter recuperare tuum pretium, poteris tuum pretium repetere, permittendo, ut fur horologium recipiat; tum quia habes jus ad tuum pretium, pro quo nihil accepisti, tum quia te non obligasti ad conservandam rem domini cum tanto damno. *La Croix* l. 3. p. 2. n. 99. hanc sententiam vocat communem, n. tamen seq. limitat hanc sententiam, quod tunc res ablata possit furi reddi, quando prudenter fur judicatur velle restituere rem, non autem eo casu, quo creditur non redditurus, aut dominus aliter, aut cum minore periculo non recepturus rem suam.

778. II. *Bona incerta comparata ex delicto,* v. g. *furto, usura, iniqua mensura, pondere etc. si facta diligenti inquisitione dominus sciri, vel conveniri nequeat, restitui debent pauperibus. Ratio* est, quia res, quae dominum habet, non potest retineri illo non consentiente, aut si dominus reperiri nequeat, expendi debet secundum voluntatem domini prudenter praesumptam: atqui talia bona incerta ex delicto dominum habent, nec praesumi potest prudenter, quod dominus velit ea retineri ab injusto possessore, ne lucrum ex delicto reportet, sed prudentius praesumitur, quod, si sibi, vel haeredibus restitui non possint, velit ea impendi ad pias causas, v. g. dando eleemosynas, ut saltem in bonum animae suae cedant; ergo sic restitui debent. Ita *S. Th.* 2. 2. q. 62. a. c. ad 3. ubi addit: *Si vero dominus sit multum distans, debet transmitti, quod ei debetur, et praecipue si sit res magni valoris, et possit commode transmitti; alioquin debet in loco tuto deponi, ut pro eo conservetur, et domino significari.* Vide *Illsung t.* 4. d. 3. n. 250., *Scot., Vasq., Sanch. Confirm.* ex c. *cum tu* de usur. Si dominus in particulari quidem ignoretur, sciatur autem in communi, uti sciunt mercatores, caupones, pistores, laniones etc., qui mensura, vel pondere iniquo defraudarunt concives, etsi nesciant, quibus in particulari damnum sit illatum, restitutio potius facienda est communitati laesae minuendo pretium, vel augendo pondus et mensuram. *Bona incerta ex contractu, vel inventione* (v. g. si mercator loco cupri tibi tradidit aurum, vel si invenisti annulum pretiosum) juxta tutiorem, ut ait *Laym.* l. 3. de Just. t. 1. c. 5. n. 24. si eorum dominus post diligentem inquisitionem non compareat, pauperibus eroganda, vel ad aliam piam causam applicanda sunt, ex rationibus modo allatis. Contrariam, quod inventor rem inventam possit retinere, si post moralem diligentiam adhibitam non possit rescire dominum, ibidem vocat valde probabilem. Ad praxim idem monet observandum: 1. Si dominus compareat, antequam res consumpta est ab inventore, absque dubio illi restituenda est. Huc tendit dictum *S. Aug. Si quid invenisti, et non reddidisti, rapuisti* (hom. 9. ex 50.). 2. Prudentis arbitrio ex circumstantiis, et praesertim ex valore rei inventae aestimandum esse, quamdiu expectare debeat inventor, donec rem inventam alienare, vel absumere possit: si vero post alienationem vel absumptionem bona fide factam, dominus compareat, nihil ipsi restituendum est, *nisi quatenus* inventor locupletior inde factus est. 3. Similiter nec pauperes, si in eos rei inventae distributio facta sit, aliquid restituere debent, nisi res in specie extet, dominusque repetat.

779. III. *Si obligatio restituendi proveniat ratione rei juste vel injuste acceptae, possessae, aut destructae, restitutio fieri debet quam primum moraliter fieri potest post delictum, vel notitiam rei alienae;* quia praeceptum negativum non detinendi rem alienam, item non differendi solutionem debitam omni tempore obligat. Ita *Laym.* l. 3. de Just. t. 2. c. 10. n. 2. ibid. monet cum *Molina*, si quis certum habeat restituendi propositum, sed restitutionem ex gravissima et justa causa aliquo tempore (non admodum longo) differat, non esse facile peccati mortalis damnandum, nec sacramentali absolutione privandum. NB. Si ex tali mora nullum omnino damnum laeso inferatur; licet enim ista dilatio injusta sit, non tamen censetur esse gravis injuria, si nullum inde damnum oriatur; id quod magis verum videtur, si obligatio ex contractu descendat. Causae autem restitutionem juste differendi sunt: 1. Si creditor non sit praesens, nec aliquem constituerit, qui accepiet solutionem. 2. Si creditor etiam tibi debeat, et non solvat. 3. Si solutio fieri non possit sine scandalo, vel notabili damno in bonis animae, famae, vel fortunae, ut infra docetur.

780. IV. *Qui tenetur restituere ex delicto, debet rem injuste ablatam, vel detentam propriis sumptibus in eo loco restituere, ubi laesus, vel creditor eam habiturus fuisset:* nisi ei ablata, destructa, vel inique detenta fuis-

set, deductis tamen expensis, quas ipse laesus rem servando, vel alio deferendo facere debuisset, v. g. si Titio equum abstulisses, quem ille Moguntiam debuisset ducere, teneris ei mittere equum Moguntiam, deductis expensis, quas Titius in equum fecisset. *Ratio* est, quia restitutio orta ex injusta damnificatione in integrum debet fieri, adeo ut laesus, vel creditor omnino indemnis debeat servari. Ergo. Ita *Laym.* l. c. n. 3., *Less.*, *Vasq.* et *Comm. Excipe:* nisi transferendo in locum domini multo majores expensas ex proprio facturus sis, quam res restituenda valeat; tunc ad deferendum non obligaris. Interim si spes sit restitutionis faciendae ipsi domino, vel haeredibus, res interim in loco tuto debet servari: si spes non sit, potes dare pauperibus. *Laym.* ibid.

2. *Debitor ex sola re accepta tenetur restituere in loco, ubi res de facto exisiit*, v. g. viator in domo tua reliquit suam sarcinam, teneris eum per litteras monere; si petat sibi transmitti, transmittenda est, sed expensis domini, quia aequum non est, ut debitor citra culpam suam ex re aliena damnum patiatur; si rem bajulus sibi retineat, vel apud illum citra tuam culpam pereat, ad nihil ultra teneris, quia res regulariter perit suo domino. Vide *La Croix* l. c. n. 363., *Jansen.* cas. 45. n. 17. et L. *argentum* 20. ff. *Commodati.* 3. *Restitutio*, vel potius solutio ex contractu debet fieri in loco, de quo expresse vel tacite inter partes conventum est: in dubio, ubi solutio fieri debeat, spectanda est consuetudo loci, ubi contractus est initus; item natura contractus, et variae circumstantiae, ut ex iis mens contrahentium colligi possit. *Laym.* l. c. n. 5.

781. *Princip. VI.* De ordine restitutionis observandum est generaliter: *Si debitor habeat bona sufficientia ad solvenda omnia debita, omnibus creditoribus satisfacere tenetur:* ut patet. Si vero non sit par solvendo, 1. restitui debet res aliena adhuc extans apud debitorem; v. g. Titius debitor habet pecuniam tuam apud se depositam, vel sibi commodatam, vel a se inventam, furto sublatam, vel aliam rem sibi locatam, hanc tibi, et non aliis creditoribus quomodocumque privilegiatis tradere debet; res enim mansit tua, neque aliis restitutio debet fieri ex bonis alienis.

2. Si debitor pro re empta ab Ecclesia, fisco, vel minorenni, et sibi tradita pretium non solverit, tunc ex constitutione legum Ecclesia, fiscus, et minorennis retinent dominium rei venditae, donec solvatur pretium. L. *Si procurator.* 5. de jure fisci. Item si res empta apud debitorem in specie extet nondum soluto pretio, illa certo domino integre debet restitui, quia reliqui creditores nullum in re jus habent. *Laym.* loc. cit. c. 11. n. 2.

3. Ex bonis debitoris ante omnia debita etiam hypothecata solvi debent funeralia, medicamenta, et alimenta sibi, uxori, et liberis impensa. Item quod pro inventario, pro custodia supellectilis, et confectione testamenti expressum fuit l. pen. ff. *de relig. et sumpt. fun.* Item merces operariorum, et famulorum *ad necessarios usus* conductorum; haec enim debita contrahuntur ex necessitate, et potius in utilitatem, quam fraudem creditorum; si enim nemo debitori serviret, is fieret magis impotens.

4. Debita certa prius solvenda sunt, quam incerta, scil. quorum creditor sciri, aut conveniri non potest; quia dominis certis proprium jus competit ad debita sua exigenda, non item pauperibus ad postulanda debita incerta, ut ait *Laym.* l. c. n. 1. Juxta alios *ratio* est, quia creditor absens vel ignotus prudenter praesumitur velle, ut, cum restitutio sibi fieri nequeat, fiat creditoribus certis.

5. Creditores hypothecarii (h. e. qui non solum personam debitoris, sed etiam rem ejus vel immobilem, quae vocatur hypotheca, vel mobilem, quae vocatur pignus, obligatam habent in securitatem debiti) praeferendi sunt aliis creditoribus, qui vel chirographo, vel instrumento publico, vel testibus, vel debitoris confessione tales esse probantur, ut habetur, l. *eos* Cod. *qui po-*

tiores in pignore. Item quia juxta reg. 25. ff. *plus cautionis in re est, quam in persona.* Inter ipsos autem creditores hypothecarios praeferendi sunt, qui priores sunt tempore, juxta reg. jur. 54. in 6. *Qui prior est tempore, prior est jure.* An haec regula habeat locum inter creditores mere personales, non conveniunt AA. Affirmant *Gabr.*, *Valent.*; negant vero *Bannes*, *Lessius* c. 15. dub. 16., *Illsung* et alii. Eoquod tales creditores habeant aequale jus, ideoque in plerisque locis cuilibet ex hisce creditoribus plus vel minus solvitur juxta majus vel minus debitum. Plura apud Juristas.

782. *Principium VII.* A restitutione excusat 1. *Impotentia tum physica*, quando quis nec in re, nec in spe habet, unde possit restituere; tum *moralis*, scil. quamdiu durat, quando quis absolute quidem habet unde solvat, sed restitutio valde difficilis redditur propter jacturam animae, vitae, famae, libertatis, justi status, aut bonorum temporalium juxta limitationes sequentes. *Ratio primi* est, quia juxta reg. 6. juris in 6. *nemo potest ad impossibile obligari. Ratio secundi* est, quia durante morali impotentia debitoris, creditor non censetur rationabiliter invitus. Sic 1. probabile *periculum animae* est justa causa restitutionem differendi, et omittendi, quamdiu hoc periculum durat, si debitor ob restitutionem esset lapsurus in desperationem, filii ob inopiam in furta vel latrocinia, uxor vel filiae vitae luxuriosae exponendae etc., quia creditor hic praecipue non potest esse rationabiliter invitus, si differatur restitutio ob bonum animarum longe excellentius.

2. Ad impotentiam moralem pertinet *periculum vitae*, sive extrema necessitas, v. g. si debitor per restitutionem fame esset periturus. *Ratio* est, quia in extrema necessitate licet aliena auferre; ergo etiam retinere. *Excipe*, nisi creditor *ante debitorem* in similem necessitatem jam inciderit, vel lapsurus sit, nisi fiat restitutio; tunc enim creditor titulo justitiae et charitatis praeferendus est. Si vero sint in aequali necessitate *actu*, debitor adhuc potest omittere restitutionem, quia tunc melioris est conditionis.

3. Excusat *jactura libertatis*, vel *famae*, v. g. si restituere nequeas, nisi te ipsum vendendo, vel dando suspicionem gravis et occulti criminis. NB. Si restitutio sine infamia saltem fieri possit per tertium, v. g. confessarium, adhuc esset obligatio restituendi. Infamia autem debet esse gravis et valde notabilis; ideo fur jam infamatus debet restituere, etsi infamia augeatur inde.

4. Excusat *jactura status justi et honesti*, quae est necessitas gravis, v. g. si homo nobilis deberet omnia bona sua vendere, famulos *necessarios* dimittere; aut si civis primarius exercere deberet artem mechanicam, artifex vendere artis suae instrumenta, et mendicare pro facienda restitutione, hi possunt solutionem differre, vel per partes solvere, etiamsi debitum sit ex delicto. Ita *Azor* p. 3. l. 4. c. 39., *Laym.* l. c. c. 12. n. 1. *Ratio* est, quia creditor debitori in gravi necessitate constituto ex lege charitatis tenetur subvenire: ergo rationabiliter non potest esse invitus, si debitor ad gravem suam necessitatem sublevandam differat restitutionem; nisi ipse creditor in simili necessitate gravi esset constitutus. Dixi, *jactura status*; certum enim videtur, quod aliqua ejus diminutio non excuset a restitutione, unde graviter peccant continuo, ideoque absolvi non debent, qui debitis non gravati solum, sed nova addentes, nihil de luxu, splendore apparatus, conviviorum, equorum, canum, famulorum superfluorum, ludorum etc. etc. subtrahunt, quia haec non sunt ad statum simpliciter necessaria, sed solum ad vanum splendorem, imo haec minuere potius est modestiae. Nec excusatio coram Deo valet, quod jam sit saeculum superbum: siquidem superbia, luxus et injustitia contra leges naturales, divinas, et humanas nunquam possunt praescribere. Dixi etiam, *status justi:* si enim status sit injustus consistens in sola opulentia per furta, fraudes, rapinas, vel usuras acquisita, v. g. si mercator ex solis injustis lucris laute vivendo statum honoratiorem sibi comparave-

rit, manet absque dubio obligatio restitutionis cum jactura status, utpote ad quem nullum jus habet, sed ad mendicitatem, vel ad eum vilem statum, in quo antea fuerat. *S. Anton., Scotus, Henriq., Bonac., Laym.* l. c. n. 7.

783. II. *Licite etiam differtur restitutio ob damnum, quod verosimiliter creditori, vel Reipublicae, vel tertio est eventurum. Ratio primi* est, quia restitutio ordinatur ad utilitatem creditoris: ergo hic non potest esse jure invitus, quando eam differt debitor, praevidens ipsi tunc fore noxiam. *Ratio secundi*, quia malum proximi impediri debet, si commode possit: ergo etiam tunc creditor ex charitate consentire in dilationem prudenter credi potest. Idem judicium esto de bono publico.

784. III. *Denique cessio bonorum, vel fori* (quando scil. debitor debitis solvendis impar, creditoribus sua bona relinquit inter se dividenda) non plene se liberat ab onere restitutionis; sed debitor manet obligatus ad procurandam, et praestandam integram solutionem, cum ad pinguiorem fortunam pervenerit. *Ratio* est, quia leges concedentes cessionem bonorum non intendunt privare creditores jure suo; ideo enim flebile hoc beneficium debitori concedunt, ne incarcerari possit ob debita, quae solvere nequit: ergo cessante impotentia debitoris, cessat excusatio a restitutione.

Nec ignominia, quam affert talis cessio bonorum, potest dici substituta in locum restitutionis, ita ut ad nihil amplius in conscientia teneatur talis debitor; quia tantum est in poenam contrahentis debita supra vires suas, et ad deterrendos alios, ne nimis faciles sint in contrahendis debitis. *Laym.* l. c. n. 6.

785. IV. Restitutionis obligatio omnino tollitur 1. *Per perpetuam impotentiam*, ut patet ex dictis. 2. Per *interitum rei juste acceptae, et in individuo debitae*, ex supposito quod eodem modo peritura fuisset apud dominum: secus si per injustitiam eripuisses rem alienam; non enim periisset, nisi abstulisses; ergo censetur culpa tua periisse. Obligationem restitutionis penitus tollit *remissio creditoris libera, et non extorta vi, aut metu, vel fraude;* creditor enim (ubi non obstat specialis exceptio juris) est dominus rei: ergo illam potest donare debitori: ergo hoc ipso cessat obligatio restituendi. Secus si vi, vel metu, vel fraude; tunc enim non est donatio libera, et creditor manet rationabiliter invitus. 4. Tollitur obligatio *per compensationem factam vel ipsi creditori*, si is aequali debito tibi aliunde fuerit obstrictus, *vel creditoris creditori*, quo modo saltem in conscientia solvitur debitum, licet ea non semper valeat in foro externo. 5. Tollit obligationem *auctoritas juris*, ut patet in legitima praescriptione. Quomodo excuset ingressus religionis, supra dictum in praecepto quarto Decal.

ARTICULUS III. *Resolvuntur casus de peccatis caudatis.*

§. I. *De variis furtis.*

Casus I.

Caesarius confitetur 1. *Furatus sum.* 2. *Nuper aliquid surripui Cajo ex joco, non autem animo retinendi.* 3. *Plene ebriatus alterius pixidem tabacariam auream abstuli, quam ebrius contra voluntatem amisi.* 4. *Alias saepe modicum abstuli.*

786. *Q.* I. Quid Confessarius ad primum. R. Quaerat, an quantitatem notabilem surripuerit, ut peccati gravitatem agnoscat; item an rem sacram vel de loco sacro; denique cognito numero furtorum de restitutione prudenter sit sollicitus.

787. *Q.* II. Quomodo Confessarius peccet errans circa restitutionem. R. 1. Si *positive*, cum gravi culpa, non discussa prius causa, nec perpensis circum-

stantiis, vel per crassam ignorantiam deobliget poenitentem ab onere restitutionis, cum tamen sit restituendum, v. g. absolute dicendo, non esse restituendum, tenetur Confessarius in defectum poenitentis ipse restituere; quia tunc positive concurrit ad damnum injustum, nisi postea in confessione alia adhuc posset monere poenitentem, quod teneatur ad restitutionem. Ideoque non erubescat Confessarius, antequam casus intricatos de restitutione ultimato resolvat, denuo ad se vocare poenitentem, et jubere, ut in proxima confessione omnes circumstantias clare explicet; ipse interim probatos AA. consulat, ut possit juvare poenitentem. R. 2. Si vero solum negative se habeat, v. g. tacendo, et non imperando restitutionem, ad summum peccat contra officium suum, vi cujus tenetur procurare bonum sui poenitentis; non autem tenetur ex justitia procurare bonum temporale tertii, aut impedire illius damnum temporale, sicut ad ea ex officio tenetur judex saecularis. *Suarez* 3. p. tom. 4. diss. 32. sect. 6., *Laym.* l. 3. t. 4. c. 7. n. 6., *Bonac.*, *Leonardelli* casu 29. q. 2. Contraria sententia *Navarr.*, *Rosell.* pro praxi est nimis dura.

788. *Q.* III. An Caesarius peccaverit auferendo aliquid ex joco. R. *Per se* loquendo non peccavit; quia tunc proximus non censetur esse invitus; peccasset tamen, si ex ablatione jocosa praevidisset Cajum ad gravem iracundiam, blasphemias etc. excitatum iri. Nec licet diu retinere res jocose ablatas, quia alias praebetur occasio suspicionum, rixarum etc. Pariter non censetur furari, qui aliquid surripit ab amico, non dubius, quin id ab illo acciperet, si peteret: quia sic non surripitur aliquid domino invito. Si tamen praevideatur, invitus fore saltem quoad modum, peccatur contra charitatem. Si postea resciat, amicum esse invitum quoad substantiam, scil. quod haec vel illa res contra voluntatem sit ablata, debet restitui illa; quia tunc reipsa committeretur injustitia, detinendo rem alienam, invito rationabiliter domino, quamvis antea per errorem non putarit, ablationem esse injustam. *La Croix* l. 3. p. 1. n. 946.

789. *Q.* IV. An Caesarius peccaverit graviter peccato furti in ebrietate auferendo pixidem pretiosam. R. Si plene ebrius fuerit, non peccavit; quia ablatio non fuit voluntaria, nec libera; hinc etiam non tenetur ad restitutionem ante sententiam judicis. 1. Quidem non ex re accepta, cum ea non amplius extet. 2. Nec ex injusta acceptione; haec enim non fuit voluntaria: secus si intendisset prius in ebrietate auferre aliquid; tunc enim volens ebrietatem cum tali animo conjunctam etiam censeretur voluisse furtum.

790. Eodem modo, qui alteri infert damnum in ebrietate, tenetur illud reparare, si illud vel intenderit, vel probabiliter praeviderit; volens enim ebrietatem cum tali damno conjunctam interpretative vult ipsum damnum. Si vero non praeviderit, aut moralem diligentiam ad illud praecavendum adhibuerit, non obligatur ad reparationem damni ante sententiam judicis, quia illud nullo modo ipsi fuit voluntarium.

791. *Q.* V. Quid Confessario agendum, si poenitens se accuset quod furatus sit modicum. R. Interroget 1. an habuerit animum aliquid gravius, vel plura auferendi, si fuisset occasio; tunc enim in executione quidem non peccavit graviter, sed in intentione et affectu contra decimum praeceptum: nam juxta c. ult. causa 14. q. 6. ex *S. Hier.* in epist. ad Tit. c. 2. *Fur non solum in majoribus, sed etiam in minoribus judicatur; non enim id, quod furto ablatum est, sed mens furandi attenditur*, scil. in foro conscientiae. Monet hic *P. Laym.* l. 3. t. 3. p. 1. c. 1. n. 3. Si quis modicum auferat, sciat tamen, dominum ea re valde delectari, qualis est imago rara, artificiosa, flos rarus, cujus pretium illi ignorant etc. ita ut ex amissione capturus sit magnam tristitiam; hoc casu talis peccabit graviter non quidem in genere furti gravis, sed potius contra charitatem, quia, ut supponitur, auferens non infert grave damnum in rebus fortunae.

2. Quia Caesarius addit: *saepe modicum abstulit*, quaerendum an pervenc-

rit ad notabilem quantitatem; sic enim graviter obligatur ad faciendam restitutionem. Vide propos. 38. ab *Innoc. XI.* damnatam. Item, an in singulis furtis parvis habuerit animum notabilem quantitatem auferendi, tunc distinctis moraliter vicibus peccavit graviter.

792. *Adverte.* Major quantitas regulariter requiritur (scil. plus dimidio, ut ait *Babenst.* t. 4. d. 3. a 5. n. 26.) ad peccatum mortale per furta parva constituendum, sive quis successive ab eodem, sed longiore interposita mora, sive a diversis modicum furetur, quam est illa quantitas, quae simul ab eodem ablata mortale constituit: quia domini non sunt tam graviteri nviti ob furta levia successive facta, sicut ordinarie ob quantitatem notabilem uno furto ablatam (ita *Sanch.*) praecipue vero haec ratio tenet, si modica surripiantur a diversis. *Laym.* l. 3. t. 3. p. 1. n. 6.

Casus II.

Conradus sartor subinde plus panni exigit, quam requiratur ad vestem conficiendam. Alias saepe retinet diversa fragmenta pannorum, fimbriarum, et filorum, quae a vestibus confectis supersunt, partim in compensationem occultam, partim ut se indemnem servet, et in complementum mercedis alioquin debitae.

793. *Q.* I. Quid agendum Confessario, dum in genere se accusat sartor: Fragmenta panni retinui. R. Quaerendum est, an sint notabilis pretii: sic per se loquendo peccavit graviter. Si *respondeat* sartor: Justam mercedem non accipio a dominis, nec tamen sine gravi damno laborem possum recusare, quia dominus ex sartorum copia decem pro me uno facile reperiet, et sic me, meosque alere non possem. Si vere res ita se habeat, excusant ejusmodi opificem a peccato, et restitutione *Sanchez et Sporer* hic n. 68. Vide dicta de compensatione occulta. Si vero sartor justum pretium a domino accipiat, nec aliunde debitum ab eo non solutum restet, non excusatur a furto, nec a restitutione; quia sic alienum retineretur rationabiliter invito domino. Si vero fragmen a tantum exigua sint, veluti pro derelictis haberi solent, adeoque licite retinentur; quia tam modica et exigua prudenter judicantur non curari a dominis. *Stoz*, *Herzig* p. 2. n. 376.

794. *Q.* II. Quomodo peccaverit Conradus plus panni exigendo, quam opus sit. R. Si id exegerit eo animo, ut habeat, quod sibi retineat sine justo titulo, peccavit graviter, vel leviter, prout levis, vel gravis pretii fragmentum retinuit: si vero bona fide plus exegerit, nec intenderit retinere quidquam, non peccavit quidem; notabile tamen fragmentum, quod superest, tenetur restituere.

§. II. *De furtis domesticorum.*

Casus III.

Caecilia uxor Colmanni praedivitis civis, sed valde ferocis, quoties pecuniam ab eo petit pro honesto vestitu filiarum, pro medicamentis filiorum aegrotorum, bilem leoni movet: hinc clam ex bonis communibus accipit quidquid sibi et familiae ad honestas vestes, et alios usus est necessarium: item contra voluntatem Colmanni distribuit eleemosynas. Denique etiam tantundem sibi a bonis communibus reservat, quantum scit male expendi a marito.

795. *Q.* I. Quotuplicia sint bona conjugum. R. Quadruplicia. 1. *Dos*, sive illa bona, quae uxor dat viro ad sustinenda onera matrimonii; hujus dotis dominium naturale habet uxor, dominium vero civile, seu usumfructum, et administrationem maritus. 2. Bona uxoris *paraphernalia*, scil. illa, quae

uxor praeter dotem marito allatam ex haereditate, legato, aut labore familiae non debito acquirit: quorum dominium, usufructus, et administratio est penes uxorem, nisi consuetudo loci aliud ferat. 3. Sunt bona *antipherna-lia*, sive contradotalia, quae maritus assignat in recompensationem dotis; horum dominium, et administratio est penes maritum, usufructus pro consuetudine loci vel penes maritum, vel simul penes uxorem. 4. Sunt *bona communia*, et superlucrata, quae durante matrimonio accedunt ex communi labore et industria, quorum medietas quoad jus ad maritum, et medietas ad uxorem spectat. De his vide Jurisconsultos. Item *Gobat*, *La Croix* L. 3. p. 1. n. 1020.

796. *Q.* II. An Caecilia peccaverit clam accipiendo ea, quae sunt necessaria ad honestum vestitum, et sustentationem familiae. R. Non peccavit: quia circa ista maritus non potest esse rationabiliter invitus, imo ipse tenetur congrue sustentare uxorem, et proles. Peccant vero illae uxores, quae invito marito nimias faciunt expensas ad filias ultra conditionem vestiendas, quia tunc rationabiliter maritus est invitus; docet quotidiana experientia, quod saepe uno die plus in luxum vestium impendatur ab uxoribus, quam mariti possint suo labore lucrari per integrum annum; inde contingit, ut filiae civium extra domum paternam circumornatae vestimentis nobilium appareant; domi vero saepe prandio mendicorum contentae esse cogantur.

797. *Q.* III. An Caecilia peccaverit distribuendo eleemosynas contra voluntatem mariti. R. Non peccavit servato moderamine status, scil. elargiendo, quantum aliae ejusdem status uxores juste solent elargiri. *Ratio* est, quia ipsa consuetudo ipsi tribuit hoc jus, quo eam non potest privare maritus, nisi ipse velit satisfacere huic christianae obligationi. *Confirm.* Uxor non est mancipium, sed socia viri; ergo non est plane expers administrationis domesticae, etiamsi sit viro tanquam capiti subjecta, ne quid inordinate, aut superflue faciat. Ita *Dicastillo* l. 2. tract. 2. d. 9., *Molina* t. 2. sect. 2. d. 274. Dixi, *servato moderamine status:* si enim invito marito, vel non prudenter praesumpta inscii voluntate ultra statum suum in eleemosynas, donationes itinera etc. notabilem summam ex bonis, quae subjacent administrationi viri, impendat, peccat graviter; quia hoc modo prudenter invitus est maritus, et nisi mariti invigilarent, plurimae familiae perirent ex nimia uxorum licentia.

798. *Q.* IV. An Caecilia peccaverit, et teneatur ad restitutionem, clam ex bonis communibus tantumdem sibi reservando, quantum scit a marito male impendi. R. Non peccavit, saltem ubi per consuetudinem loci certum jus habet ad medietatem bonorum communium; quia hoc modo nihil aliud fecit, quam ut se servaret indemnem, nec proprie potest dici rapere aliena; juxta alios ad summum uteretur licite compensatione occulta. Vide *Zetl* de restit. p. 3. instruct. 6. q. 1. Dico II. cum *Molina*, *Dicast.* contra *Navarr.*

799. Porro *resolves* I. Non peccat uxor, per se loquendo, si accipiat aliqua, quae maritus facile ac certo concederet, si rogaretur; tunc enim adest licentia praesumpta, et justa causa non petendi, ne se ostendat velut ancillam. Item *Jansen.* cas. 30. n. 6. cum *Molina.* II. Similiter quando maritus dilapidat bona propria uxoris, aut communia, peccat graviter contra justitiam cum onere restitutionis ex bonis propriis; id quod notandum a Confessariis, ne habituatos lusores, bibulos etc. facile absolvant, nisi data fide de corrigenda prava ac perniciosa consuetudine. III. Juxta *Leonardelli* casu 2. n. 8. cum *Diana*, *Lug.*, *Less.*, et aliis uxor vidua, si sit pauper et non dotata, post mortem mariti potest tantum subtrahere, quantum sibi ad necessariam sustentationem necessarium est, quia parens ex jure naturae tenetur alere proles, et uxorem. Vide *Haun.* t. 6. c. 8. n. 501.

Idem *Leonard.* cas. 16. n. 88. cum *Sanch.*, *Bonac.*, *Laym.* et aliis, ait non peccare uxorem, si post mortem mariti, qui antea plura contraxit debita, quam par sit solvendo, clam quaedam ex illius bonis subtrahat pro necessaria

sui et liberorum alimonia, ex supposito quod ex propriis bonis dotalibus non habeat, unde se et suos liberos alat; in tali enim casu maritus moriens censetur bona sua relinquere creditoribus, et sicut ipse si fecisset in vivos hanc cessionem bonorum, potuisset licite pro foro conscientiae aliqua occultare, quibus se et familiam *parce* sustentaret, ita idipsum licite pro foro conscientiae talis uxor post mortem mariti potest facere: aequum enim non est, ut uxor, et filii repraesentantes personam patris omni sustentatione priventur; unde nec creditores possunt esse rationabiliter inviti. Idem n. 89. affirmat, talem uxorem non obligari ad praestandum juramentum, quod nihil subtraxerit; si vero cogatur, posse eam affirmare, a se nihil fuisse subtractum, intelligendo, *injuste*, vel *quod tibi in his circumstantiis tenear dicere*: judex enim non *interrogans juridice*, non interrogat tanquam superior, sed tanquam persona privata, cui nemo tenetur *per se* pandere crimen occultum, quod non est famosum, aut semiplene probatum. Vide dicta n. 537. de *jurament.*

800. IV. De obligationibus reparandi damna, et restituendi ex fornicatione *Laym.* l. 3. de just. tr. 3. p. 3. tradit sequentia. *Primo* c. 13. n. 2. ait, quod stuprator virginis consentientis, si nullum dolum, vim, aut injusti metus incussionem adhibuit, nullam vel ipsi vel parentibus ejus restitutionem damni in conscientia facere teneatur, eoquod neutri injuriam intulerit: non *consentienti puellae*, volenti enim non fit injuria; non *parentibus*, quia filia non est possessio parentum, sed illa liberum corporis sui usum habet. Ibid. excipit casum, si stuprator, cum facinus occultum esset, puellam non sine injuria infamasset; tunc enim teneretur damnum inde secutum filiae, et parentibus ejus resarcire: item si judex in foro externo condemnet ad poenam solvendam. *Secundo* ait: Qui stuprum puellae per vim infert, contra justitiam peccat, et omne damnum, quod inde provenit, in conscientia tenetur resarcire. Idem dicendum, si eam per fraudem induxit, v. g. falsis pollicitationibus, vel per precum importunitatem conjunctis minis; secus est, si eam ordinariis blanditiis induxerit, quia sic libere consensit. Ordinarie autem damnum compensatur, si eam vel ducat, vel dotet, ut aeque honestas nuptias adhuc consequi possit. Ibid. affirmat, quod corruptam non teneatur absolute ducere ante judicis sententiam, nisi sub pollicitatione matrimonii vel vera vel ficta eam ad fornicationem induxerit. De hoc in P. II. *Tertio* ibid. n. 4. asserit, si puella ob illatum stuprum per vim, fraudem etc. nullum aliud damnum passa fuit, puta si facinus occultum mansit, et illa aeque honesto viro nupserit, probabile esse, ad nullam restitutionem obligari stupratorem ante judicis sententiam; eo quod tunc puella nullum damnum passa censeatur, praeter virginitatem deperditam, quod damnum reparabile non est, nec pecunia aestimabile.

801. V. De obligatione adulterae docet idem *Laym.* l. c. c. 14. *Primo*, quod adultera enixa prolem spuriam, quae publice existimatur legitima, ordinarie non sit obligata facinus manifestare, ad avertendum damnum mariti, et legitimarum prolium. Arguitur ex c. *Officii* 9. L. 5. tit. 38. de poenit. et remiss. ubi *Innoc. III.* respondet, quod adulterae poenitentia non sit deneganda, quamvis adulterium nolit manifestare marito: atqui si teneretur manifestare, nolenti manifestare esset deneganda poenitentia: ergo. Idem tenet *Gabriel*, *S. Antonin.*, *Cajet.* et alii. Et *ratio* est, quia haec obligatio esset nimis difficilis, parum utilis, et plus noxia. Adde, quod proles spuria, quae hactenus fuit in possessione legitimae nativitatis, matri asserenti, se ex adulterio conceptam esse, fidem habere non teneatur, nisi liquidis et indubiis probationibus id ostendat, puta quia tempore conceptionis maritus absens fuisse certo cognoscatur, ut docet glossa in cit. c. officii. Verb. *deneganda*. 2. Tenetur tamen adultera operam dare, ut marito, legitimisque prolibus quantum fieri potest, illatum damnum compensetur, scil. rem familiarem

diligentius administrando; de cultu corporis sui et sumptibus detrahendo; si habeat bona propria, plus liberis legitimis, quam spurio, relinquendo; et si haec non sufficiant, suadendo ut spurius renuntians haereditati vel in totum, vel secundum partem, statum Ecclesiasticum, vel Religiosum amplectatur, si idoneus sit. Affirmant quidem graves AA. cum *Abbate*, *Sylvest.*, et *Molina*, quod teneatur adultera per se, vel per alium significare spurio natalium defectum, si speret, id fieri posse bono successu, et sine majore vel suo, vel filii secuturo damno. *Laymann* tamen subjungit, in praxi raro ejusmodi obligationem adulterae imponendam esse, si res alioquin occulta sit. Ibid. contra *Mol.* et *Vasq.* resolvit, filium spurium non esse obligatum in conscientia, ut haereditate abstineat, etiamsi mater fide digna illegitimam nativitatem manifestet, sufficientibus tamen indiciis non probet, eoquod jure gentium boni communis causa introductum esse videatur, ad multas hominum astutorum fraudes vitandas, ut nemo unius, quamvis minime suspecti hominis, testimonio debeat credere in grave suum praejudicium; id quod confirmat ex c. *cum a nobis* de testibus.

Denique ibid. cum *Molina* affirmat quidem, adulteram obligari ad revelandum, quotiescumque ex eo, quod spurius pro legitimo habetur, majora vel aequalia damna aliis secutura sunt, quam sit damnum infamiae spurio vel adulterae inde orituro, si defectus natalium palam ostendatur, scil. si fama adulterae, ipsiusque filii jam ante laesa fuit; negat tamen obligandam esse, si ex crimine occulto integra gaudeat fama. Excipit ibid. casum rarum, ut si agatur v. g. de successione in regno, vel ducatu, et spurius sit pessimis moribus imbutus, legitimus autem filius, cui reipsa haereditas debetur, reipublicae valde utilis futurus speretur.

802. VI. Adulter, si ex sufficientibus indiciis et dictis adulterae sciat, prolem ex se genitam esse, tenetur in conscientia restitutionem facere imprimis patri putatitio, qui spurio alimenta praestitit, vel filiae spuriae dotem dedit; praeterea debet compensare damnum reliquis liberis legitimis, quod per successionem spurii patiuntur; quia adulter hujuscemodi damni causa moralis extitit, quando injustam actionem posuit, ex qua suapte natura prolis generatio sequitur, ordinarie conjuncta cum damno mariti et legitimarum prolium. Exceptionem ab hac obligatione vide n. 6. Quid dicendum si dubius sit adulter, an proles ex se genita sit, vide n. 66.

Casus IV.

D. *Canutus studiosus* 1. *annulum pretiosum e cista parentum aufert.* 2. *Idem pro libris scolasticis neo-impressis duos carolinos a patre petit, cum vix constent duobus imperialibus.* 3. *Idem singulis annis hucusque notabilem summam praeter victum ordinarium consumpsit potando, ludendo etc., pretiosum vero tempus mero otio transegit.* 4. *Libros ac vestes saepe vendidit, et collectum pretium in symbolas, et liberrimam vitam impendit.*

803. *Q.* 1. Quid sit observandum circa furta filiorum. R. Peccant filii, si patre invito aliquid surripiant, quod est sub dominio vel administratione patris (ut patet ex *Proverb.* 28. cit. supra n. 633. sub fin.) et quidem graviter peccant, si tantum surripiant, ut parentes quoad substantiam judicent esse graviter invitos: tenentur etiam ad restitutionem vel ipsius rei ablatae, si adhuc extet, vel in aequali ex bonis propriis (de quibus infra): si vero talia non habeant, debent deducere in divisionem haereditatis, ne caeteri fratres vel sorores defraudentur. Excusantur autem a restitutione 1. si fratres caeteri etiam notabilem quantitatem furati sint. 2. Si pater condonaverit. 3. Si pater, et fratres resciant furtum, nec petant compensationem; sic enim censentur condonare, ut ait *Burgh.* cent. 2. cas. 36... 4. Ad-

dunt alii, etiam tum excusari furem filium a restitutione, si parens prudenter praesumatur condonaturus, modo rogaretur, quod prae verecundia non audet; id tamen limitandum est, scil. *modo summa non excedat illam quantitatem, de qua pater disponere non potest citra gravem diminutionem portionis legitimae caeterarum prolium.* Ita *Zell* p. 1. instruct. 1. de oblig. restit. n. 15.

804. *Q.* II. Quomodo peccaverit Canutus in casu posito. R. 1. Annulum pretiosum furando peccavit graviter, quia quoad talia furta parentes ordinarie graviter solent esse inviti quoad rem, et quoad modum. 2. Petendo cum palmari mendacio duos carolinos loco duorum imperialium, *per se loquendo*, etiam graviter peccavit, quia excessus supra necessarias expensas est valde notabilis. Dixi, *per se loquendo*: quia cum juxta omnes major quantitas ad furtum filiorum grave requiratur, attendendum est in ejusmodi furtivis petitionibus ad patris divitias, item an liberalis sit, et quomodo affectus erga filium, praesertim an plures alat proles, ut prudenter possit judicari, quod in his vel illis circumstantiis fuerit graviter invitus. 3. Consumens notabilem summam praeter ordinarias expensas ludendo etc. peccavit itidem graviter, et merito censetur parens graviter invitus non tantum quoad absumendi modum, sed etiam, quoad rem ipsam. *Burgh.* l. c... 4. Ex eadem ratione peccavit adhuc gravius vendendo libros, vestes etc. non tantum contra justitiam, sed etiam contra pietatem erga parentes, quia his injustis vivendi et agendi modis ad iram et tristitiam moventur. De restitutione, quae incumbit Canuto, applica ea, quae dicta sunt num. praeced.

» 805. *Adverte* 1. Filiusfamilias est *filius legitimus, qui nondum est sui* » *juris, sed sub patria* (id est, patris aut paternorum ascendentium) » *potestate in ordine ad aliquos effectus constitutus*, sive sit impubes, » sive pubes. 2. *Effectus potestatis patriae* sunt, quod *pater* acquirat usum» fructum in bonis adventitiis filii: quod loco filii, etiam inviti, adire » possit haereditatem filio delatam: quod testamento suo possit impube» ri assignare tutorem, pupillariterque substituere: quod olim potuerit » filium in necessitate vendere: quod *filius* fiat haeres non tantum ne» cessarius, sed etiam suus: quod sine consensu patris aliquas disposi» tiones nequeat facere etc. 3. Quod quadruplicis generis bona possunt » competere filiofamilias: 1. *Castrensia*, quae filius ratione militiae sa» gatae acquirit; talia sunt stipendia militum, praedae ex hostibus, do» nationes etc. item quod filius in famulatu Principis lucratur. 2. *Quasi* » *castrensia*, quae filius ratione togatae militiae acquirit, v. g. ex publico » officio doctoris, consiliarii, advocati, medici, judicis, item ex functione Sa» cerdotii, vel Clericatus. Horum et priorum bonorum, filius, si sit pubes, » habet et dominium *naturale*, seu proprietatem, et *utile*, quod hic per » usumfructum intelligitur, et *civile*, seu administrationem, vindicationem » etc. 3. *Bona profectitia*, quae filius accipit a patre, vel intuitu patris, vel » quae ex rebus et substantia patris negotiatione, opera, industria lucratur: » horum pater habet plenum et triplex hoc dominium. 4. *Bona adventitia*, » quae filio adhuc sub patria potestate constituto, a matre, materna linea » matrisque intuitu, aut aliunde haereditate, donatione, fortuna, e. g. inven» tione thesauri, adveniunt. Horum pater habet usumfructum, et admini» strationem, filius proprietatem, et hoc dicitur *regulare et ordinarium:* » quandoque filius proprietatem, usumfructum, et administrationem, e. g. si » filio cum hac conditione donatum est, ut etiam usumfructum habeat, si fi» lius una cum patre fit haeres fratris sui ab intestato etc. et hoc dicitur adven» titium *irregulare et extraordinarium.* Ex quibus patet, dari posse justitiam » commutativam inter patrem et filium, si considerentur quoad sua bona for» tunae et famae etc. licet quoad gubernationem, et educationem paternam, » obedientiam et amorem filialem fictione juris considerentur ut una persona.

» *Coroll.* 1. Filiusfamilias *impubes* non potest facere ullam dispositionem » circa bona etiam cum consensu patris, sed requiritur decretum magistra- » tus; in quo differt a pupillo habente consensum tutoris in mobilibus non » adeo pretiosis. 2. *Pubes* vero potest facere dispositiones de bonis castrensi- » bus quidem, et quasi castrensibus per contractus, donationem mortis cau- » sa, et testamentum sine consensu patris; de adventitiis irregularibus au- » tem per contractus, et donationem mortis causa, non item per testamen- » tum; de regularibus vero nullas; multo minus de profectitiis, quia disposi- » tio sine patris consensu praejudicaret in ultimis duobus juri reali patris. 3. » *Majorennis* tamen disponens sine consensu patris in adventitiis regulari- » bus obligatur personaliter in tempus habile, hoc est, ut alienet bona vi » praesentis dispositionis tunc, cum postea erit sui juris; dum minorennis » nec personaliter, nec realiter obligetur, haecque deobligatio sit probabilius » tam *civilis*, ut pro foro externo conveniri non possit, quam *naturalis*, » ut etiam in conscientia non obligetur ad contractus quidem alios *conditio-* » *nate*, nisi inde factus sit ditior; ad mutuum autem vi senatus consulti Ma- » cedoniani *absolute*, etiamsi ex mutuo factus esset ditior, aut nummi mu- » tuo accepti extarent, ut *Haunoldus*, *Ininger* lib. de dominio, cum » aliis probant. De pupillis et minoribus dicetur infra post n. 891.

805. *Q.* An si pater filio in domo paterna instar famuli laboranti non det salarium, filius possit illud sibi clam surripere. R. *Negative*; quia occulta compensatione uti non licet, nisi debitum sit certum: certum autem non est, sed tantum probabile, quod ipsi salarium ex justitia debeatur. *Sylvest.* V. peculium, *Pet. Navarrus*, *Laym.* l. c. n. 12. Si tamen ejusmodi filius assiduus in domo patris subinde aliquid peculii pro honesta recreatione surripiat, non videtur ad restitutionem facile esse obligandus, eoquod pater prudenter possit praesumi illam condonare, nec esse solet invitus, nisi quoad modum.

Casus V.

Celerina ancilla 1. *saepe unum, alterumve crucigerum ex heri pecunia retinet.* 2. *Dum nuper fregit vitrum pretiosum, subtracti ab hero fuerunt de salario duo floreni, ideoque usa est occulta compensatione, uti et alias ob salarium tenue.* 3. *Eadem saepe clam absumit varia esculenta et poculenta; illa saepe donat tum pauperibus, cum iis, a quibus subinde juvatur in laboribus domesticis; quaedam etiam vendit.*

807. *Q.* I. Quo modo Celerina peccet, toties retinendo sibi crucigeros. R. Si notabilem quantitatem sibi acquirere intenderit, peccat singulis furtis graviter, ex dictis. Si vero id non intenderit, sed tamen jam retinuerit notabilemquantitatem, etiam ultima acceptio parva est peccatum grave, *si in hac ultima acceptione meminerit praecedentium furtorum, et agnoscat summam notabilem*; et sic etiam ratione injustae acceptionis tenetur sub gravi peccato ad restitutionem, quia per ultimum furtum completur acceptio integra in ratione acceptionis gravis, et dominus tunc graviter damnificatur, et rationabiliter est invitus. *Suar.* l. 3. de LL. c. 28., *Covarruv.* t. 2. var. resol. l. 1. c. 3. n. 12., *Haunold.* t. 1. tr. 4. n. 156., *Zetl* p. 1. instr. 6. n. XVII. Vide *Burgh.* cent. 1. cas. 32. *Cardenas* id probat ex propos. 38. ab *Innocent. XI.* damnata. Si tamen famuli et ancillae ante ultimam acceptionem seriam habeant voluntatem subtracta levia compensandi ex sua mercede, aut, cum ab heris discessuri sint, humiliter rogandi, ut ejusmodi damna condonentur, a gravi peccato excusantur, quia tunc ultima acceptio nullam amplius cum prioribus habet connexionem, ut ait *Stoz* l. 1. p. 3. n. 450. Nihilominus famuli ab ejusmodi furtis in confessionali omnino absterrendi sunt, etiamsi praedictas excusationes afferant, quia ple-

rumque restitutionem impedit oblivio, vel verecundia vel cupiditas integrae mercedis. Ita *Molina*.

Dixi, *si meminerit in ultima acceptione praecedentium furtorum levium etc.* Si enim plane immemor fuerit, non quidem peccavit graviter, quia a gravi peccato excusat inadvertentia; tenetur tamen sub gravi ad restitutionem, quamprimum agnoscit notabilem quantitatem jam a se esse injuste acquisitam. *Tambur.* l. 8. t. 3. c. 2. §. 5. *Confirm.* ex damn. 88. cit. Regulariter tamen plus requiritur ad notabilem quantitatem in domestico, quam in extraneo, quia dominus circa illum censetur esse minus invitus, quam circa extraneum.

808. *Q.* II. An Celerina licite fuerit usa occulta compensatione. R. Si citra propriam culpam fregerit vitrum, non tenebatur ad restitutionem; ergo licite usa est compensatione, si adfuerint necessariae conditiones. Secus, si ex ira et studiosa malitia fregerit. *Burghab.* cent. 1.

809. *Q.* III. An ob tenue salarium licite compensatione occulta usa fuerit ancilla. R. Per se loquendo, *negative*. Patet ex propos. 37. ab *Innoc. XI.* damn. cum *Lug.* et *Lessio*. *Ratio* est, quia herus habet in res suas jus certum: ergo non potest per jus incertum famulorum deturbari. *Confirm.* Quia alias famulis ingens daretur licentia dominos defraudandi. *Vasq.* de restit. c. 6. n. 83.

Sed quid, si famulus coactus sit pacisci pro inaequali, et valde tenui salario? R. Si sit coactus ab intrinseco, v. g. ob paupertatem suam, tunc non potest sibi compensare, quia cessit juri suo. Secus, si fuerit coactus ab extrinseco. Vide *Card.* hic. d. 23. n. 65.

810. *Adverte.* Salarium *justum* est 1. Si alii eodem pretio servire parati sint. 2. Si ipse famulus dominum pro servitio rogavit, contentus constituto salario. 3. Si famulus partem salarii sponte remiserit. *Viva* hic n. 6.

811. *Q.* IV. Quomodo peccaverit Celerina clam absumendo esculenta et poculenta, aliis ea dando, vendendo etc. R. *ad primum.* Si successive et in modica quantitate residua et ordinaria esculenta, vel poculenta consumpserit, non peccavit mortaliter; quia omnes fere patresfamilias optime norunt, cibos ac potum non tam fideliter custodiri, ut ii, quibus concreditae sunt res domesticae, fere quotidie non aliquid subtrahant; ideoque spectata humana fragilitate non tam inviti sunt circa haec quoad substantiam, quam quoad modum. Ita *Laym.* l. 3. t. 4. p. 1. c. 1. n. 5. Dixi, *esculenta residua etc.* Si enim ancilla vel famulus auferret cibos integros, vel residuos pretiosos, quos dominus cupit asservari, vel si quotidie e cella acciperet vinum pretiosum, aut in loco, ubi vinum rarum et carum est, peccaret graviter, dum ad notabilem quantitatem perveniret; quia in his dominus etiam quoad substantiam rationabiliter est invitus. Denique si certa quantitas cibi ac potus pro singulis diebus porrigatur famulis, *per se loquendo*, famuli non peccant contra justitiam vendendo portionem residuam, vel quam sibi ipsis subtrahunt; quia sic non vendunt rem domini, utpote quae per traditionem spectat ad servos; peccant vero contra justitiam, vendendo portionem sibi determinatam, si nihilominus aliunde esculenta, et poculenta clam a domino surripiant, et consumant; sic enim consumunt vere rem alienam domino rationabiliter invito. Si vero nihil subtrahant, ei nihilominus vendant portionem sibi assignatam contra expressam prohibitionem domini, peccant saltem venialiter contra obedientiam domino debitam; hoc bene notetur etiam pro iis, qui degunt in hospitalibus. R. *ad secundum.* Celerina non peccat dando residua esculenta ordinaria pauperibus vel indigentibus amicis, aut illis personis, quarum opera subinde in negotiis domesticis adjuvatur, quibus illa obeundis vix par est, quia neque in his dominus censetur rationabiliter invitus: imo praesumendum est, quod prudens dominus potius velit, ut residua et modica esculenta dentur pauperibus, quam ut

ex negligenti incuria ancillarum pereant. Peccat vero ancilla graviter et tenetur ad restitutionem, si extraneis justo liberalius esculenta donet; gravius adhuc peccat, si illa aliis vendat, et pecuniam in usum suum convertat. Ita *Laym.* l. c., *Amicus* de Just. t. 38. n. 51. *Ratio primi* est, quia nulla rationabilis causa est, quod domini illis, quibus nullo titulo obstricti sunt, esculenta sua liberalius dispensari permittant: ergo merito et rationabiliter sunt inviti. *Ratio secundi:* quia debitum ancillae statutum est salarium, et nequiquam ullo pacto tacito contractum est cum ancilla, ut e rebus domini ditescat. Quid? quod dominus ejusmodi venditiones facile permittere nequeat, eoquod ancillae et famuli lucro inhiantes ex conniventia facile arriperent occasionem plurima vendendi cum ingenti damno dominorum. Ex hoc capite illae ancillae peccant graviter, quae netrici, sartori, aut sutori compensare solent mercedem ex poculentis et esculentis domini pro vestibus suis, vel calceis refectis, quae ad plures ordinarie florenos ascendit. Ita *Zetl* l. c. n. IX. *Sed quid, si non possit restituere in aere?* R. Tenetur extraordinariam industriam adhibendo conari compensare damnum, quantum potest.

Juxta *Burghaber* cent. 3. cas. 92. famuli e bonis domini licite aliquid pauperibus largiuntur 1. In extrema necessitate. 2. De rebus sibi ad victum concessis, si paucioribus contenti laboribus suis adhuc commode possint fungi. 3. Si detur modicum quid, non admodum frequenter. 4. Quoties adest domini consensus, saltem interpretativus, scil. si videat, aut sciat dominus, et non contradicat. 5. Si prudenter spectur ratihabitio domini. 6. Si dominus non possit esse rationabiliter invitus, v. g. quia alias res male perirent. Si istae aliaeve justae conditiones desint, famulis non licet ex bonis domini dare eleemosynam; haec enim facienda est ex bonis propriis, non alienis, quia injustitia non est committenda, ut charitati subvenias, ut ait *S. August.*

§. III. *De variis titulis restitutionis.*

Casus VI.

Cajetanus emit, et possidet bona fide praedium rusticum ex domo, agris, et vineis constans: domum ruinosam pro commoditate sua immutat; agros hucusque steriles, et vineas pinguiores facit, et copiosos inde fert fructus. Idem frumenta a Callixto emit, et alio deportat, ubi majori pretio ea vendit: postea certo experitur praedium illud de jure pertinere ad Carpophorum, frumenta vero ad Clarentium, a quo fuerant furto ablata.

812. *Q.* 1. Ad quam restitutionem teneatur possessor *bonae fidei*. R. Talis possessor postquam *certo* cognoscit, rem, quam hactenus possedit, esse alienam, tenetur eam restituere, si adhuc extet; si vero eam bona fide consumpsit, destruxit, vel alienavit, et postea experiatur eam fuisse alienam, non tenetur restituere, praeter id, in quo ratione rei alienae factus est ditior, nisi quoad hoc legitime praescripserit. Dixi 1. *postquam certo cognovit:* si enim rem ulterius detineat, postquam certo cognovit eam esse alienam, tunc incipit esse possessor malae fidei, quia ulterior detentio (ex supposito quod sit occasio restituendi) acquivalet injustae acceptioni; ideoque si interim res pereat, etiam citra culpam, tenetur ad restitutionem, quia censetur esse in mora culpabili, ut ait *Lessius* de Just. l. 2. c. 14. dub. 1. n. 2. Dixi 2. *Si vero eam bona fide consumpsit etc.*; quia non tenetur restituere ex injusta acceptione (supponitur enim possessio b. f.), neque ex re accepta, quia supponitur, eam nec in se, nec in aliquo ejus effectu habere, nec potest assignari alius titulus; ergo. *Confirm.* ex l. *item veniunt.* 20. §. *praeter haec.* ff. de haereditatis petitione. Dixi 3. *Praeterquam id etc.*, quia id, in quo factus est

ditior, succedit quoad valorem et effectum rei acceptae: ergo res accepta hac ratione merito dicenda est extare apud possessorem b. f. in aequivalenti: si enim rem b. f. acceptam non habuisset, modo haberet minus ex suis bonis, quam habet (hoc est fieri locupletiorem ex re aliena): ergo cum rem ipsam non possit restituere, aequum est ut restituat id, quod in locum rei successit, et ex quo factus est ratione rei acceptae locupletior.

Q. II. An bonae fidei possessor teneatur restituere fructus ex re aliena perceptos. Ante resp.

813. *Nota.* Fructus alii dicuntur *naturales*, qui ex ipsa rei substantia sine ulla fere, vel mod ea hominis industria proveniunt, ut gramina, fructus arborum, foetus animalium etc. Alii *industriales*, qui non proveniunt ex ipsa rei natura, sed potissimum ex industria hominis re illa utentis tanquam instrumento, qualia sunt lucra ex negotiatione pecuniae, quae de se est res sterilis, item ex frumento etc. Alii *mixti*, qui quidem ex ipsa rei substantia proveniunt, non tamen sine notabili industria hominis, ut segetes, uvae, caseus, butyrum etc. Hisce praenotatis.

814. R. Possessor b. f. tenetur fructus *naturales* et *mixtos* ex re aliena perceptos restituere, si adhuc extent, vel quatenus inde factus est locupletior, *nisi legitime praescripserit*, scil. expleto triennio circa bona mobilia: fructus autem *industriales* non tenetur restituere. Ita *Laym.* l. 3. t. 2. c. 3. et comm. *Ratio* primi est, tum quia quaevis res fructifera domino suo fructificat. apud quemcumque illa existat; tum quia tales fructus sunt adhuc aliquid illius rei: ergo *Confirm.* ex l. 22. c. de rei vindic. *Certum est malae fidei possessores omnes fructus cum ipsa re solere praestare; bonae fidei vero extantes.* NB. Potest tamen inde subtrahere expensas non tantum *necessarias* et *utiles* (scil. sine quibus res vel periisset, vel deterior saltem reddita fuisset, vel fructus in tanta copia, et bonitate non protulisset) imo etiam *voluntarias*, vel *voluptuarias*, ad aestimationem laboris; tum quia potest se omnino servare indemnem; tum quia ex re accepta non plus restituendum est domino, quam in quantum is passus est damnum: expensae autem et pretium laboris non spectant ad damnum proximi: ergo. Dixi, *nisi legitime praescripserit*: praescribuntur enim fructus more aliarum rerum mobilium spatio triennii. *Laym.* l. c. *Ratio* secundi est, quia fructus mere industriales non sunt fructus rei, sed propriae industriae lucra: ergo sicut quilibet est dominus propriae industriae, ita et lucri, quod inde enascitur.

815. Ex his *resolves* casum propositum. Cajetanus tenetur restituere Carpophoro praedium una cum fructibus adhuc extantibus, subtractis expensis, et pretio laboris, Clarentio vero frumentum ejusdem generis et qualitatis, non vero lucrum alibi inde reportatum ex propria industria. *Laym.* l. c. n. 3.

816. *Q.* III. Ad quid teneatur possessor *dubiae fidei*. R. Tenetur inquirere serio, an res sit aliena, vel propria. Si morali diligentia adhibita maneat dubium, potest licite rem retinere vel distrahere practice se resolvendo, quod melior sit conditio possidentis: si velit eam vendere, moneat emptorem de periculo rei, ne is fraudem et damnum patiatur. Qui oborto dubio negligit inquirere in veritatem, et postea comperit dominum rei a se possessae esse Cajum, tenetur Cajo restituere non solum rem illam, sed etiam fructus consumptos vel alienatos ab eo tempore, quo neglexit inquisitionem; quia voluntarie hanc omittens, ad quam ex justitia tenetur, rem non amplius bona, sed mala fide, et contra conscientiam possidere coepit: ergo peccat contra justitiam, et tenetur reparare damna, quae Cajus patitur ex ejus negligentia. *Lessius* l. 2. de Just. c. 14.

817. *Q.* IV. Ad quam restitutionem obligetur possessor *malae fidei*. R. Talis tenetur restituere ipsam rem alienam, si extet; alias non satisfit juri, quod dominus habet ad rem injuste sibi ablatam. Censet tamen *Diana*, quod tum sufficiat restituere valorem rei, si restitutio rei formaliter extantis sine manifestatione criminis, aut alio gravi damno fieri non possit.

818. 2. Si res aliena apud iniquum possessorem pereat casu fortuito, v. g. incendio, incursu hostium, quo similiter periisset apud ipsum dominum, ad nihil tenetur, secus, si res apud dominum non fuisset peritura, vel si quidem periisset apud dominum, sed per injuriam, tunc manet obligatio restitutionis. Sic Titius tenetur restituere horologium injuste ablatum, etiamsi sciat, quod fur Cajus idem horologium surripuisset, nisi ipse jam abstulisset; quia sicut Titius Caji furtum praevenit, ita et praevenit obligationem restituendi. *Laym.* l. c. n. 2. Juxta *eumdem*, si iniquus possessor rem alteri donaverit, absumpserit, perdiderit cum, aut sine culpa, vel si eam vendiderit cum, aut sine lucro, vel damno, tenetur restituere ejus valorem, etiamsi res quocumque casu apud dominum periisset; quia simpliciter fecit, ut res non amplius existat.

819. 3. Iniquus possessor ordinarie debet restituere lucrum cessans, ac damnum emergens, si dominus, e. g. pecunia, vel instrumento probabiliter lucraturus, aut negotiaturus fuisset, nisi per injuriam res sua fuisset ablata. Item tenetur restituere rei meliorationem tum intrinsecam, tum extrinsecam: h. e. si res aliena, dum injuste detinetur, in substantia crescat, ac melioretur intrinsece, v. g. si ex vitulo fiat vacca, aut si pretium rei creverit, v. g. medimnus frumenti eo tempore, quo fur illud abstulit, constiterit 6. flor. tempore consumptionis autem 9. flor., debet solvere 9. flor., quia domino accrescit pretium rei; ergo debet ei illud restitui. Si vero prius valuerit 9. flor. et iterum 6. tempore consumptionis, ad sex obligatur, nisi dominus ante vendidisset, quando constabat 9. flor. Ita *Navarr.* hic n. 17. Juxta *Laym.* l. c. n. 6. variante valore rei intra tempus ablationis, et consumptionis satisfacit iniquus possessor, si rem ejusdem generis et bonitatis restituat, vel ejus pretium juxta taxam temporis, quo restituitur. Vide haec fuse apud *La Croix* l. 3. p. 2. n. 230.

820. 4. Tenetur compensare rei deteriorationem, v. g. si bos pinguis tempore injustae detentionis factus sit macilentus.

821. 5. Debet restituere omnes fructus perceptos tum naturales, tum mixtos, quantum hi respondent naturae, etiamsi consumpti sint, nec ipse inde factus sit ditior; quia res fructificat domino. Tenetur etiam restituere fructus percipiendos, h. e. quos ipse quidem non percepit ex propria negligentia, potuisset autem percipere, et dominus percepisset, nisi res sua ablata fuisset. *Ratio* est, quia dominus sic ex injuria iniqui possessoris patitur damnum, cessante lucro quoad fructus, quos percepturus erat: ergo iniquus possessor debet illud reparare, etsi intulerit sine proprio commodo. Ita *Sanch.* l. 2. in Decal. c. 23. n. 119. Secus si constet, quod neque dominus eos recepisset ex re sua secum habita. *Sanch.* ibid. n. 118. *Ratio* est, quia dominus quoad fructus, quos neque iniquus possessor, neque ipse erat percepturus, nullum patitur damnum; ergo nec oritur obligatio restitutionis. Iniquus possessor restituendo fructus praedictos licite deducit expensas, quae etiam a domino fieri debuissent; his enim subductis is non patitur damnum.

Denique iniquus possessor non tenetur restituere fructus mere industriales, quia non sunt fructus rei, sed propriae industriae.

Casus VII.

Conon creditor acceptae solutionis oblitus, Claudium debitorem suum ad judicem vocat, qui cum non posset probare factam solutionem, a judice condemnatur ad denuo solvendum. Post paucos dies Conon in tabulis accepti certo rescit a Claudio factam fuisse solutionem.

822. *Q.* An Conon resciens factam esse solutionem, teneatur in conscientia pecuniam secundo datam restituere. R. Probabilius tenetur in conscientia. Ita *Sylvest.* V. Sententia n. 11., *Sotus*, *Adrianus* quodlib. 6. a. 1., *Azor* p. 3. c. 16. q.

3., *Molina* tr. 2. de contract. d. 568. et 861. *Prob.* 1. Sententia judicis fundata in praesumptione falsa, nihil prodest conscientiae scientis illam esse falsam: nam sententia judicis fundatur in praesumptione justitiae, et meritorum causae ejus, pro quo est pronuntiatum: atqui sententia in nostro casu non fundatur in praesumptione justitiae, sed falsa, quod Claudius non solverit: ergo. 2. Quod jura faveant expresse huic resolutioni arguitur ex l. *si mater* 11. princ. ff. de except. rei judic. ubi mater post sententiae in rem judicatam transitum ad denuo agendum admittitur. Item ex c. *significantibus* 2. de purgat. vulg. Innocentius III. ei, qui furti in judicio condemnatus fuit, innocentia illius post transitum sententiae in rem judicatam comperta, praecipit omnia restitui, quae praetextu illius criminis ab eo fuerant ablata. 2. Quando obligatio aliqua jure naturae certa est, et deobligatio jure positivo facta est dubia, standum est juri naturae; sed obligatio Cononis restituendi secundum solutionem acceptam jure naturae certa est; natura enim aequum est, neminem cum alterius detrimento fieri locupletiorem (ex l. 14. ff. de condict. indeb.); deobligatio vero jure positivo facta, est dubia, ut patet ex diversitate AA. ergo.

Neque dicas cum oppositae sententiae patronis, scil. *Hostiensi, Gonzal., Rosella, Wiestner* et aliis: Praescriptio transfert dominium: ergo etiam sententia judicis. Nam R. quod praescriptio absolute transferat dominium, sententia autem judicis tantum respective ad merita causae, quae si rescindantur fuisse falsa, etiam revocatur sententia: praescriptio autem legitima, bona fide facta, continuata et legitime completa ex clarissimis verbis LL. *dominium, et plenissimam securitatem* tribuit: ergo.

Nec 2. incertitudo dominii pro sententia judicis quidquam probat, sicut in praescriptione; nam creditor certus est, errore detecto, factam sibi esse primam solutionem; ergo dominium non manet incertum, nisi certis annis esset creditor in bona fide; tunc enim completo tempore per praescriptionem fieret dominus etiam secundae solutionis.

§. IV. *Resolutiones de restitutione ex cooperatione ad damnum alterius.*

823. I. *Mandans. Castor praetor furtivus pastori saepe expresse tum verbis, tum scripto mandat, ut singulis mensibus unam alteramve ovem e grege occidat, sibique mediam saltem partem transmittat, et incuset lupos, ac luem grassantem. Alias implicite mandat furtum, dicens famulis suis: Placeret mihi, si quis Carolo vicino nostro hoc damnum inferret etc. quisquis hoc fecerit a me insigne bonum obtinebit: quibus permovetur Clodulphus, et damnum infert vicino. Resol.* Furtivus hic praetor tenetur tum restituere pretium pro ablatis ovibus, tum compensare damnum illatum (in solidum juxta n. 829. et 830.); quia causa efficax damni tenetur ad ejus compensationem: atqui Castor mandando fuit causa efficax furti, et damni: ergo. Vide propos. 39. ab *Innoc. XI.* damn.

825. *Adverte* 1. Mandans, si ante executionem mandatum serio revocet, idque innotescat mandatario, non tenetur ad restitutionem, si mandatarius nulla habita ratione revocationis mandatum exequatur; quia mandatum sic non influit in damnum proximi, utpote quod per revocationem censetur desinere; ergo etsi damnum sequatur, non tamen sequitur vi mandati, sed ex mandatarii malitia. Secus, si revocatio non innotescat; tunc enim damnum adhuc sequitur vi mandati. *Bonac.* de rest. d. 1. q. 3. p. 6., *Less.* et comm.

2. Si filius nomine patris, vel servus nomine heri *nescientis* damnum intulit, quod postea pater vel herus ratum habet, peccat quidem uterque approbando malum, sed non tenetur ad restitutionem: quia talis ratificatio non est causa damni, sed illud jam supponit esse illatum. *Filliuc.* tr. 32. c. 3.

n. 55., *Laym. Less.* et alii. Nec obstat reg. Jur. 10. in 6. *ratificationem retrotrahi, et mandato non est dubium aequiparari;* loquitur enim haec regula de contractibus, qui nomine alterius nescientis celebrati solent confirmari per subsequentem ratificationem; item de poenis, quae in foro externo infliguntur illi, qui delictum suo nomine patratum ratum habet, ut ait *Babenst.* tr. 7. d. 4. a. 5. n. 15.

325. II. *Consulens. Cajetanus imprimis consilio simplici, h. e. rogando, monendo, promittendo, deinde etiam consilio vestito, h. e. animando per varia motiva, docendo modum artificiose auferendi, persuadet Claudium mercatoris famulum, ut auferat e taberna herbam thee, saccharum, item pro culina sua piper, flores nucis myristicae, et alia aromata. Claudius humanitate consiliarii motus omnigena aromata aufert.*

Resolutio. Cajetanus tenetur restituere ablata, et quidem in solidum juxta n. 829. et 830. quia consulendo et persuadendo fuit vera et efficax causa damni. *Excipe* 1. nisi ante illatum consilium suum revocaverit, et rationes, per quas movit Claudium ad inferendum damnum, contrariis rationibus efficaciter eliserit. *Excipe* 2. Si quis consilium bona fide dederit ad negotium aliquod felicius et utilius curandum, nihilominus grave damnum ex consilio patiatur uterus consilio, consiliarius non tenetur ad restitutionem; secus si datum sit consilium mala fide, dolo, vel fraude. Patet ex reg. 62. Juris in 6. *Nullus ex consilio, dummodo fraudolentum non sit, obligatur.* Vide dicta n. 683. sub fin.

326. III. *Consentiens*, scil. qui suo suffragio, voto, vel sententia alium movet, aut determinat ad illationem damni, v. g. si consiliarius subscribat tributo injusto, necdum tamen plene decreto, vel electioni iniquae necdum sufficienter conclusae, tenetur ad compensanda damna, quia hic consensus est causa efficax damni. Qui postremus fert suffragium vel subscribit sententiae iniquae, postquam sufficiens suffragiorum numerus jam adest, probabiliter non tenetur ad reparandum damnum, etsi peccet graviter consentiendo in rem injustam; quia ultimum hoc suffragium non est causa efficax damni, sed ratificatio tantum damni per sufficientia suffragia jam illati; ergo non causat, sed supponit illud. Ita *Lessius* de Just. l. 2. c. 13. dub. 3. n. 23., *Laym.* l. 3. t. 2. c. 5. n. 6. ubi addit, si hic postremus sperare possit prudenter, alios ex contradictione vel negatione suffragii ultimi revocaturos iniquam sententiam, tum eum teneri ad damnum secutum, nisi contradicat: quia ex officio obligatur ad id praestandum. Secus, si contradicendo nihil esset profecturus.

327. IV. *Palpo*, qui laudando, adulando, imo etiam exprobrando inducit alium ad inferendum damnum, tenetur ad reparationem, si fuerit causa efficax, ita ut alter sine hac palpatione non intulisset damnum. *Laym.* loc. cit. Laudans vero post illatum damnum, peccat quidem; restituere tamen non tenetur, quia damnum jam praecessit.

328. V. *Qui dat recursum*, tenetur ad restitutionem, si damnificatori facultatem, patrocinium, refugium, aut securitatem *positive* praestat, illum recipiendo, defendendo, protegendo, res furis custodiendo, abscondendo, ita ut per haec animetur vel ad inferendum damnum, vel ad illatum non reparandum, vel ad furta continuanda. De his furum patronis c. 1. *Causa IV.* q. 6. Sic habetur ex *S. August. Illud vero fidentissime dixerim, eum qui pro homine ad hoc intervenit, ne male lata restituat, et qui ad se confugientem (quantum honeste potest) ad restituendum non compellit, socium esse fraudis et criminis.* Huc pertinent illi caupones, qui filios contra voluntatem parentum recipiunt, ut pecuniam, quam sciunt furto ablatam esse, potu, lusu etc. consumant. Item advocati, qui causis manifeste iniquis patrocinantur. *Excusatur* 1. a restitutione, qui furem post furtum commissum fugientem recipit et abscondit, ne incidat in manus lictorum. NB. dummodo

non praebeat ei spem refugii in posterum; sic enim recipiens non potest dici moraliter influere in damnum, quia furem non recipit ut furem, sed quatenus homo miser, vel amicus, vel consanguineus est. Vide *Josephum Vogler* de restit. in Gen. q. 19. n. 308., *Less.*, *Lug.*, *Tamb. Excusatur* 2. a restitutione advocatus, qui in judicio defendit furem in iis, in quibus ipse fur se potest jure defendere, scil. quando factum est occultum, non sufficienter probatum in judicio, quando injuste vexatur non servato ordine juris etc. *Tamb.* l. 8. in Decal. t. 4. c. 2. §. 4. *Excusatur* 3. qui ex metu recipit furem, ut contingit iis, qui solitaria in villa habitant, et obruuntur a furibus minitantibus mortem, incendium etc. nisi recipiantur.

829. VI. *Participans.* Hic non intelligitur is qui simul proxime cum altero damnum infert, v. g. cum fure furatur, vel praedae partem accipit: talis enim proprie dicendus est concausa principalis; is vero hic intelligitur nomine participantis, qui iniquae actionis fit consors praebendo auxilium in ordine ad executionem, sive ad actualem illationem damni, v. g. qui furem comitatur praesidii causa, explorat aditum, applicat, vel tenet scalas, per quas fur ascendit, vel ministrat necessaria ad damnum inferendum. Sic participans tenetur ad restitutionem, quia talis formaliter et efficaciter influit in damnum, quoties uno ex dictis modis cooperatur. De his Psal. 49. *Si videbas furem, currebas cum eo:* addit *S. Aug. Si non currebas, concurrebas.*

830. *Excusatur* 1. famulus, qui jussu heri numerat pecunias usurarias; hic enim tantum materialiter, non efficaciter ad damnum cooperari videtur, et secluso tali auxilio herus ipse numeraret. *Laym.* l. 3. t. 2. c. 5. n. 6. *Excusatur* 2. qui gravi metu compulsus participat in damnificatione injusta, dummodo id, quod praestat, non sit per se malum, v. g. si rusticus cogatur injustas militum praedas vehere, pecora furto ablata abducere etc. *Filliuc.* t. 32. c. 3. n. 68. Quia ejusmodi actiones per se non sunt malae: ergo accedente gravi metu inculpabiliter fiunt a coacto.

831. VII. *De cooperantibus negative sufficiunt ea*, quae dicta sunt n. 775. et 776. ex quibus *resolves* sequentia. 1. Si famulus advertat alium famulum, vel domesticum furari ex rebus domini, et taceat, non tenetur restituere, nisi custodia rei specialiter ei esset commissa; si vero extraneus furetur, probabilius tenetur ad restitutionem, si taceat. Ita *La Croix* l. 3. p. 3. n. 46. cum *Illsung*, *Lugo* contra *Rebell.* et *Bonac.* Eoquod ex communi persuasione, et quasi jure gentium famulo commissae sunt res domini sui contra injurias externorum, domesticis vero invigilare tenetur ipse dominus. 2. Inter cooperantes negative restitutioni maxime obnoxii sunt Princeps, magistratus, bellidux, si ex culpa gravi non impediant furta, homicidia, spolia injusta etc. consiliarius non impediens iniquam constitutionem, canonicus non impediens notorie injustam electionem, tutor non impediens damna pupillorum. 3. Custodes pecorum, vinearum, stagnorum, sylvarum etc. probabiliter non tenentur restituere poenas, quas domini accepissent ex delationibus lignantium etc., tenentur tamen compensare damna enata ex omissa delatione eorum, qui caedunt ligna, venantur contra prohibitionem etc. *Ratio* utriusque est, quia eorum officium non est, locupletare dominos ex lucro poenarum, sed tantum conservare res sibi commissas: ergo ex justitia et officio quidem tenentur deferre damnificatores, quia ad hoc sunt conducti, non autem ad restitutionem poenarum ex omissione delationis ortarum. *La Croix* l. c. num. 48. cum *Lugone*. Addit tamen *Banbest.* l. c. num. 51. quod damnum debeat esse magni momenti, et dominus de eo rationabiliter invitus; ideoque non tenentur deferre pauperes, qui ex urgente necessitate ligna moderate in sylva communi colligunt hoc enim praesumpta domini voluntas, ac consuetudo videtur permittere. Eodem modo loquere de gabellarum praefectis.

Q. I. An singuli cooperantes teneantur in solidum.

832. Ante R. *adverte* 1. Alii cooperantes concurrunt *principaliter* ad dam-

num, uti mandans et executor, ex quibus mandans in genere moris, executor in genere physico est causa principalis. Alii *secundario* et minus principaliter concurrunt, ut consentiens, palpo, mutus etc.

833. *Adverte* 2. Non quaeritur, an singuli cooperantes teneantur in solidum *absolute*, h. e. an singuli obligentur ad compensandum totum damnum: patet enim, quod talis obligatio singulis non incumbat, quia alias laeso saepe deberet decuplo plus restitui, quam amiserit. Quaeritur autem, an *vel absolute, vel conditionate* singuli teneantur in solidum, h. e. an quis in particulari debeat compensare totum damnum in defectu aliorum, sive si alii cooperantes non restituant.

834. R. 1. Si plures absque conspiratione et consensu, sed tantum casu concurrant ad damnum inferendum, singuli non tenentur in solidum, sed tantum id quilibet debet restituere, quod ipsemet abstulit, vel resarcire damnum, quod intulit per se. *Ratio* est, quia hoc casu non est causa influens in totum damnum, sed solum in partem ejus. *Laym.* l. c. c. 6. n. 1.

835. R. 2. Tunc singuli mutuo suffragio, consilio, consensu, cooperatione idem damnum inferentes, aut ad inferendum se mutuo juvantes, tenentur ad restitutionem in solidum 1. *Si quilibet ita influat, ut cujusvis influxus se solo sufficiat ad totum damnum*, v. g. si quilibet vulnus lethale infligat; item si plures consulentes suggerant motivum plene inducens ad damnum inferendum, vel si plures admoveant ignem ad domum incendendam etc.

836. Aut 2. *Si influxus singulorum non sit quidem se solo sufficiens ad totum damnum; est tamen causa necessaria, ita ut sine eo damnum non fieret*, v. g. si 6. vel 7. vota sint necessaria ad iniquum tributum, ad condemnandum innocentem, vel si tres auferant cistam, quam duo auferre non potuissent, vel si quatuor latrones spolient viatorem, quem tres spoliare non valuissent. *Ratio* est, quia obligatio restitutionis sequitur causalitatem damni: atqui in dictis casibus singuli movendo, vel concurrendo ad totum damnum acquivalent moraliter causis totalibus; singuli enim potuissent, et debuissent impedire damnum non dando suum concursum, vel auxilium: ergo singuli tenentur in solidum.

837. Econtra si singuli non moveant alios, nec cujuslibet influxus se solo esset sufficiens ad totum damnum, neque necessarius, v. g. si milites inique devastent urbem, plures studiosi diripiant vineam (ex supposito quod mutuis consiliis, et conspiratione non intenderint totum damnum) probabiliter singuli non tenentur ad totum damnum, sed tantum ad partem, quam quilibet abstulit, quamvis mutua praesentia se quodammodo animent. *Ratio* est, tum quia singulorum concursus non est sufficiens se solo ad inferendum totum damnum, tum quia totum damnum absque hoc singulari a reliquis illatum fuisset. *Confirm.* Tota ratio obligationis est causalitas, et influxus in damnum: ergo non debet esse major obligatio, quam sit influxus: ergo cum hi partialiter solum influant in damnum, solum partialiter obligantur. Ita *Lugo* t. 1. d. 19. sect. 1. a. n. 89., *Platelius* hic n. 747., *Sporer* tr. 4. c. 2. sect. 1. n. 68. hanc vocat communissimam sententiam contra *Molina*, *Covarr.* et alios.

838. *Q.* II. Quo ordine teneantur ad restitutionem cooperantes ad idem damnum. R. 1. In damnificatione *lucrativa*, ut in furto: 1. debet is restituere, apud quem res ablata existit vel in se, vel in aequivalenti, ex qua nimirum factus est ditior, vel a quo mala fide est consumpta. *Ratio* est, quia titulus rei acceptae praecedit titulum injustae acceptionis, ut ait *Platelius* hic n. 748. *Confirm.* Æquum est, ut is, qui lucrum prae aliis ex re habuit, etiam prius sentiat onus restitutionis. 2. loco tenetur mandans et alii, ut mox dicetur.

R. 2. In actione pure damnificativa, qualis est combustio domus, si plures *aequaliter* concurrerint, aequaliter debent restituere, quilibet suam partem, et in defectu aliorum totum; *si inaequaliter*, obligatur 1. mandans, vel qui fraude, vi, minis, aut precibus alium inducit ad damnificandum. *Ratio* est, quia hic moraliter est causa principalis illati damni, qui suo nomine vult illud fieri, mandatarius autem vel executor est causa tantum instrumentalis, caeteri cooperantes sunt quasi adminicula. Quod si nemo mandarit, vel si mandans non restituerit, prae caeteris tenetur executor; eoquod hic sit causa principalis respectu reliquorum cooperantium, utpote qui suam cooperationem subordinant arbitrio executoris. Tertio loco, vel his deficientibus tenentur caeteri cooperantes positive, ut consulens, consentiens etc. Post hos, cooperantes negative, idque probabiliter sine ordine *Laym.* l. 3. t. 2. c. 6. et *Comm.*

Casus.

Cantius vendit Carpophoro sex plaustra vini ea lege, ut solvat intra duos menses. Cantius credens hanc pecuniam sibi certo tempore praefixo tradendam, alium contractum init cum Cajo, cujus solutionem non potest praestare ob moram Carpophori, unde damnum ingens Cantius patitur ob cessans lucrum.

839. *Q.* An Carpophorus teneatur reparare damnum ortum ex mora solutionis. R. *Negative*: quia Carpophorus *Cantium* nullo modo incitavit ad ineundum contractum cum Cajo: ergo nec potest dici causa cessantis lucri, quod alias Cajus ex novo contractu percepisset. Ita *Pontas* V. restitutio casu 2. qui hanc resolutionem confirmat ex l. *venditor* fin. ff. de peric. et commodo rei vend. ubi ita: *Venditori, si emptor in pretio solvendo moram fecerit, usuras dumtaxat praestabit, non omne omnino quod venditor, mora non facta, consequi potuit; veluti si negotiator fuit, et pretio soluto ex mercibus plus quam ex usuris, quaerere potuit.*

840. Pro plurimis aliis casibus resolvendis, ac 1. quidem de bonis in bello ablatis observa. *Bona immobilia justo bello* capta fiunt Principis, vel Reipublicae bellum gerentis, nisi sint talia, quae ab hostibus iterum eripiantur; tunc enim priori domino sunt restituenda, ut arguitur ex l. 20. §. 1. ff. de capt. et postlim. *Bona vero mobilia* justo bello capta fiunt capientium. Secus est de captis in bello injusto, in quo hujusmodi bona *probabilius* non fiunt capientium, sed dominis sunt restituenda, adeoque per se loquendo, nec juste possunt vendi, nec emi. *Ratio* est, quia cum bellum sit injustum, quod dominium non transfert, etiam acceptio est injusta. Ita docet *S. Thomas* 2. 2. q. 66. a. 8. ad 1. *Si illi, qui depraedantur hostes, habeant bellum justum, ea quae per violentiam in bello acquirunt, eorum efficiuntur, et hoc non habet rationem rapinae, unde nec ad restitutionem tenentur ... Si vero illi, qui praedam accipiunt, habeant bellum injustum, rapinam committunt, et ad restitutionem tenentur.* Si quaeras, an bona bello injusto capta ab hostibus, iisque rursus justo bello erepta antiquis dominis sint restituenda, an fiant rursus capientium? Respondet *Molina* sub distinctione: scil. jure naturae talia bona esse quidem restituenda prioribus dominis, non autem jure Caesareo juxta L. *si quid bello.* 28. ff. de capt. et postlim., si tamen hostis ea ad loca tuta deportaverit; imo juxta *Hurth.* si ea hostis saltem una nocte possederit. Vide *Tannerum* tom. 3. d. 2. q. 6. Porro juxta *Molinam* dictum privilegium jure Caesareo conceditur solummodo militibus ejusmodi bona hosti eripientibus, non autem aliis, qui ea ab hostibus furto, aut donatione recuperarunt. Nec se extendit ad homines captos, nec ad bona Ecclesiae, et Ecclesiasticorum, quae propterea non fiunt rursus capientium.

841. *Q.* I. An miles particularis, qui in bello injusto cum reliquo exercitu urbem depraedatus est, tantum obligetur ad damnum, quod ipse per se intulit. R. Probabilius *affirmative*, quia de unoquoque milite in particulari verissimum est dicere, quod sine ejus concursu adhuc a reliquo exercitu totum damnum fuisset illatum: ergo miles particularis non tenetur ad totum damnum compensandum, sed solum ad partem ratam. *Confirm.* Ablatio unius militis non erat ex se sola sufficiens ad totum damnum inferendum: ergo etiam hic ad talem restitutionem tenetur, quae simul cum aliis sit sufficiens. Ita *Navarr.* c. 17. n. 20., *Pet. Navarrus* l. 3. de restit. c. 4. n. 13. *Sporer* vocat communem, contra *Molina*, *Sotum*, *Covarr.* et alios, quos citat *Laym.*

842. *Q.* II. An miles particularis, qui cum aliquot commilitonibus domum inique exspoliat, teneatur ad restitutionem in solidum. R. *Affirmative*, ex supposito, quod quilibet horum mutuo consilio, comitatu et adjutorio sit causa damni illati. *Ratio* est, quia obligatio restitutionis sequitur causalitatem damni; atqui in tali casu singulae causae partiales aequivalent totalibus: licet enim singulae non ponant totum effectum physice, moraliter tamen censentur ponere totum, quatenus singulae possent totum effectum impedire, si subtraherent suum concursum, auxilium, vel adhortationem; nullus enim illorum militum accederet ad damnum inferendum, nisi fretus alterius ope, nec praevalerent singuli damnum inferre, nisi comitati accederent. Confirmat *Sporer* hoc exemplo: Duo pondus grave surripiunt, quod unus solus, nec ferre, nec surripere posset. Singuli sunt causae partiales, et tamen singuli tenentur in solidum, quia quilibet est causa, ut totum fiat; in cujuslibet enim voluntate, ac potestate fuit, ut nihil fieret, si se subtraxisset; ergo a pari.

843. E contrario si miles sine communi consilio et adjutorio aliorum vineam aut hortum ingrediatur, et fructus surripiat, tantum pro rata sua tenetur restituere, licet plures alii ingrediantur et damnum gravius inferant; quia hic miles nullo modo concurrit ad damnum, quod alii inferunt. *Si dicas:* hic miles aliis praebuit occasionem sequendi. Respondet *Molina*, quod sola occasio comparatione alicujus effectus propterea non possit dici causa talis effectus.

844. *Q.* III. An miles peccet graviter, et in conscientia teneatur ad restitutionem, qui in hybernis verbera, et alia incommoda minitando extorquet a patrefamilias pecuniam. R. *Affirm.* quia talis patrifamilias gravem injuriam cum gravi damno infert. *Nec dicas* cum adversariis 1. metus injuste incussus tantum est levis; ergo non infertur gravis injuria. R. Metus absolute est gravis, quando mala atrocia, aut ipsa mors intentatur: atqui hoc factum est in casu; ergo. Deinde T. antec. N. cons. quia juxta comm. DD., ut ait *Laym.* l. 3. t. 4. c. 6. n. 4.; *Quae metu levi directe, et injuste extorta sunt, aeque in foro conscientiae, et secundum legem naturae obnoxia sunt restitutioni, ac extorta metu gravi.* Neque dicas 2. paterfamilias in casu potest censeri donasse pecuniam. Respondet *Molina*, *Vasq.*, *Dicastillo* l. 2. t. 4. dub. 3. ad liberalem donationem requiri plenam, et liberam voluntatem, ut transferatur dominium: atqui in casu voluntas fuit injuste, et cum injuria coacta ex metu: ergo etiam non potest censeri adfuisse voluntaria, et liberalis donatio.

§. V. *De restitutione ex injuria in bonis spiritualibus illata.*

845. *Nota.* Quatuor sunt genera bonorum. 1. Bona supernaturalia, eaque animae vel *naturalia*, v. g. usus rationis, ingenium, scientia etc., vel *supernaturalia*, ut gratia, virtus et alia, quae pertinent ad salutem et sanctificationem. 2. Alia corporalia, v. g. vita, sanitas, integritas membrorum etc. 3. fama, honor etc. 4. Bona fortunae. De bonis spiritualibus hic resolvemus.

Claudia vesano amore saucia Clementem, qui alteri nupserat contra expectationem, medicato potu rationis usu privat, ut ab officio amoveri debuerit, ac propterea ad extremam fere egestatem fuerit redactus. Eadem insigni fraude plures adolescentes ad gravia peccata seduxit; aliquos etiam a statu religioso abstraxit.

846. *Q.* Quomodo quoad primum peccaverit Claudia, et ad quid teneatur. R. 1. Peccavit graviter contra justitiam, quia cuilibet non minus competit jus rigorosum in bona animae naturalia, quam in alia bona temporalia; ergo qui in iis graviter laedit proximum, infert ipsi gravem injuriam, et peccat contra justitiam.

Hinc R. 2. Per se loquendo damnum vi, vel dolo injuste causatum in spiritualibus bonis, ex justitia reparari debet, si sit reparabile per bona ejusdem ordinis; dum vero ratio, memoria, et aliae facultates animae, sicut et usus sensuum sint bona altioris ordinis, nec compensari possint bonis fortunae, hinc pro ablato usu rationis, memoriae etc. nequit fieri restitutio; manet tamen obligatio reparandi omnia damna, quae ex ablato usu rationis oriuntur, uti in casu posito Clementi satisfieri debet a Claudia quod factus fuerit incapax ad suum officium, amiserit redditus etc., item pro adhibitis medicinis. *Lessius* de Just. l. 2. c. 8. dub. 1.

847. Eodem modo, qui philtro conjecit proximum in amentiam, vel maleficiis compulit ad aliquid noxium agendum, peccat graviter contra justitiam, et tenetur ex justitia tollere maleficia, si adhuc durent, et remedia adhibere contra perniciosam potionem; item reparare damna inde exorta, quando resarciri possunt. *Illsung*, t. 4. d. 3. *q.* 2. a 2. n. 58., *Sayrus*, *Lugo* de Just. tom. 1. disp. 9. contra *Sotum* et alios, qui probabiliter docent, quod pro ablato usu rationis vel memoriae debeat fieri restitutio pecuniaria, quia pro injuria vera debet satisfieri pro possibili.

848. *Q.* II. Ad quid teneatur is, qui rationem alterius, aut memoriam destruxit moraliter, illum imbuendo variis erroribus. R. Qui proximum imbuit errore mere speculativo, non censetur saltem ordinarie injuriam gravem illi inferre; communiter enim tale damnum non admodum curatur. Ille vero peccat graviter, qui proximum imbuit errore practico, h. e. tali, ex quo alia oriuntur incommoda, v. g. si quis professor Theologiae, Jurisprudentiae, Medicinae doceat *scienter* sententias falsas, ex quibus aliorum damna oriri possunt. Talis tenetur ad compensationem damnorum quia agit contra jus, quod alius habet, nc ab alio *per fraudem* in errorem vel damnum inducatur. Ita *Sanch.*, *Lugo*, *Babenst.* t. 7. d. 5. a 1. n. 4.

849. *Q.* III. Ad quid teneatur is, qui alterum inducit ad peccatum grave. R. Qui absque vi, vel fraude alium ad peccatum (si non sit injustitiae) induxit, non tenetur ex justitia, sed ex charitate procurare, ut damnum spirituale reparetur. *Ratio primi* est, quia qui peccat nulla vi, vel fraude inductus, peccat sciens ac volens; scienti autem et volenti non fit injuria: ergo. *Ratio secundi* est, quia aequitas naturalis juxta leges charitatis exigit, ut actor talis mali suadendo, monendo etc. procuret ejus conversionem; quamvis extra casum necessitatis probabilius ejusmodi obligatio non sit sub mortali, cum ipse seductus teneatur per poenitentiam se juvare. *Less.* de Just. l. 2. d. 8. dub. 2. *Bonac.*, *Lugo* et alii. Dixi, *si non sit injustitiae peccatum*, qui enim induxit ad damnificandum, detrahendum etc. tenetur ex justitia ad restitutionem faciendam non quidem inducto, sed ei, qui passus est damnum; quia est causa damni illati.

850. R. 2. Qui vero vi, vel fraude, vel metu gravi etiam tantum reverentiali ad peccatum grave induxit alium, tenetur ex justitia vim vel fraudem tollere, et quantum potest, procurare media, queis seductus amissam gratiam recuperet; quia talis est injusta causa damni: ergo. *Confirm.* Qui alium vi, vel fraude induxit ad venenum hauriendum, tenetur ex justitia ad

procurandas medicinas contra vim veneni, vel ad illud alio modo tollendum: ergo a pari de peccato, quod est venenum animae. NB. Resolutionem ita intellige: si seductus vel ob ignorantiam, vel aliam causam non habeat in potestate media poenitentiae, quibus gratiam recuperet; si enim illa habeat, iisque sponte non utatur, cedit juri suo, et seductor *ex justitia* ad nil tenetur. *Babenst.* l. c. n. 8. cum *Lessio*, *Bonac.* et aliis. Denique qui alterum aeterna salute privavit, tenetur ad agendam poenitentiam, nisi et ipse ea privari velit; salus autem aeterna semel amissa in aeternum recuperari non potest: ergo privans nec obligatur ad ullam restitutionem, sed ad poenitentiam.

851. *Q.* IV. Quomodo peccat, qui alium abstrahit a statu religioso. R. 1. Qui absque vi, vel fraude, sed solo consilio, *justis de causis* candidatum revocat a sua vocatione, vel novitium e novitiatu, non peccat graviter contra justitiam, nec graviter contra charitatem; tum quia absente vi, et fraude, et alia prava intentione, abest omnis injuria, tum quia abstractio illa nec est inductio ad malum (vivere enim in saeculo non est illicitum) nec aversio a summo bono. Recte tamen addit *Molina*, quod abstractio facta *sine justa causa* sit peccatum grave, praesertim si ea facta sit contra vocationem alterius moraliter certam, eo quod is, qui sine justa causa a sua vocatione abstrahitur, magis animae periculis exponatur. Juxtae autem causae sunt: 1. Si parentes valde indigeant ejusmodi candidati vel novitii auxilio. 2. Si promiserit matrimonium, aut si habeat aes alienum. 3. Si qua corporis infirmitate laboret. 4. Si in illo Ordine, ad quem quis afficitur, non vigeat disciplina religiosa. 5. Si complexio non sit apta ad talem Ordinem. 6. Si mores habeat, ut inde Religioni timendum sit etc. Dixi, qui *absque vi, vel fraude*: qui enim per vim, vel fraudem abducit candidatum, vel novitium a Religione, peccat graviter contra charitatem et justitiam, quia eum avertit a magno bono. Ideoque tenetur 1. ex justitia vim et fraudem tollere; et seductum liberare ab injuria, ut si velit, ingredi possit, vel regredi ad Religionem. 2. Tenetur resarcire damna seducto inde exorta, et procurare media revertendi ad vocationem, nisi seductus ipse ea habeat in potestate; tunc enim si sibi ipsi non consulat, censetur volens pati sua damna. *Filliuc.*, *Lugo*, *Petschacher* et alii.

§. IV. *De obligatione restitutionis ex injuria illata corpori per homicidium, mutilationem.*

1. *Cleophas homo rixosus in encoeniis Cornelio grave vulnus infligit. Accurrit frater vulnerati, volens Cornelium e manibus furibundi eripere, a quo uno ictu exanimis prosternitur; hinc uxor occisi per mortem mariti ad extremam egestatem redacta, petit compensationem damni.*

852. *Q.* I. An pro damno vitae praecise, vel membri mutilatione, vel cicatrice homini illata sit facienda restitutio, an vero tantum pro damnis realibus ex mutilatione vel occisione ortis. R. 1. Probabilius pro cicatricis deformitate, membri, ipsiusque vitae jactura *secundum se* nulla compensatio est facienda ante judicis sententiam. Ita *Laym.* L. 3. de Just. t. 3. p. 3. c. 6. n. 2., *Sanch.*, *Lessius*, *Lugo*, *Illsung*, *Ledesma* et alii contra *Cajet.*, *Sotum*, *Azor* et alios, qui cum *S. Thom.* 2. 2. q. 62. a 2. ad 1. docent, compensationem faciendam esse in pecunia: quia, licet nihil aequale sit restituibile, debet tamen fieri compensatio, qualis possibilis est: atqui possibilis est per pecuniam: ergo. Contrarium AA. primo loco cit. probant ex l. 1. §. 5. ff. de his qui effuderint vel dejecerint, ubi diserte innuitur: *Sed cum homo liber periit, damni aestimatio non fit in duplum; quia in homine libero nulla corporis aestimatio fieri potest*: cujus sensus est juxta *Laym.* quod vita hominis liberi, et integritas corporis sint bona altioris ordinis, quae nec pecu-

mia aestimari. nec ad aequalitatem (quae tamen est finis intrinsecus justitiae) reparari possint.

853. R. 2. Injustus occisor, vulnerator, mutilator tenetur ad compensanda omnia damna realia in bonis fortunae, quae ex injusta illius actione sequuntur. Ita Comm. *Ratio* est, quia quicumque fuit causa injusta damnorum reparabilium, is tenetur ad compensationem illorum: atqui damna realia in bonis fortunae sunt reparabilia, et occisor injustus fuit causa injusta illorum, ut supponitur: ergo. Ideoque talis tenetur 1. ad reparanda damna ante mortem secuta, quales sunt expensae in medicos, medicinas: intellige, expensas necessarias, non superfluas. 2. Tenetur vulnerans restituere lucrum operarum, quibus interea vulneratus carere debuit. Patet l. ult. ff. de his qui effuderint. Porro si laesus vitam non amiserit, ipsi facienda est dictarum expensarum, et lucri cessantis restitutio; si vero mortuus sit ex vulnere, facienda est haeredibus necessariis, hoc est uxori, parentibus, et liberis. *Ratio* est, quia hi soli censentur una persona cum occiso; ideoque ipsis tantum censetur damnum illatum. Probabiliter non tenetur quid restituere haeredibus extraneis, v. g. fratribus, sororibus, et caeteris amicis, excipe expensas ad curationem factas; si nullus sit haeres, haec debita pauperibus sunt distribuenda. *Laym.* l. c., *Bonac.*, *Salmant.* et alii contra *Petr. Navarr.*, *Vasquez* et alios.

854. Porro *adverte* I. Ordinarie nihil est restituendum pro exequiarum sumptibus, quia istae expensae etiam fieri debuissent, si occisus morte naturali obiisset. Dixi *ordinarie:* si enim ratione sepulturae extra patriam, ubi homicidium commissum esset, majores sumptus impendi debuissent, compensandus esset iste excessus. *Less.* L. 2. de Just. c. 9. dub. 24. II. Probabilius homicida non tenetur creditoribus occisi debita ab ipso antea contracta solvere. Ita *Less.* l. c. dub. 26. n. 151., *Lugo*, *Dicast.* contra *Laym.* qui tamen affirmat, quod talis obligatio in praxi non observetur. III. Qui occidit injustum aggressorem, non tenetur compensare damna, quae ejus uxor et liberi inde patiuntur, quia ille suo jure usus est: ergo non intulit injuriam. Quid, quod aggressor injustus censeatur tacite cedere juri suo. IV. Provocans ad duellum, et occidens provocatum, tunc non tenetur ad restitutionem, quando provocatus *sponte* comparuit, vel consensit in pugnam; quia hic censetur renunciasse juri suo; secus si ex metu gravis infamiae, aut alterius gravis mali comparuerit, quia hoc casu non censeri prudenter potest renunciasse juri suo.

§. VII. *De restitutione ex gabellarum defraudatione: item ex inventione, lusu, et impeditione alicujus boni.*

I. De gabellis. *Constantinus rusticus astutus se accusat* 1. *Gabellas et vectigalia saepe non solvi.* 2. *Itidem nec decimas.* 3. *Ligna aliquoties ex sylvis abstuli.* 4. *Ad pascua aliena duxi boves meos.* 5. *Artem capiendi columbas alienas jamdiu exercui.*

855. *Q.* I. Quid sit vectigal, gabella, tributum etc. R. 1. *Vectigal* est pensio pecuniae, quae solvitur pro rebus in civitatem vel provinciam invectis vel avectis. Pensio soluta ex rebus, quae portantur, dicitur *portorium*. *Gabella* est pensio pecuniae ex rebus venditis; pensio solvenda ex vendito vino, carnibus vel pane, vocatur *accisum*. Pensio, quae solvitur a transeuntibus vel equitantibus pro conservatione pontis aut viae, vocatur *pedagium*. *Tributum* late significat omne id, quod Principi vel Magistratui penditur ad onera communia sustinenda: proprie est pensio, quae subditis imponitur Principi vel Magistratui solvenda, ut statum ac dignitatem suam tueri, et communibus necessitatibus atque utilitatibus prospicere valeat: et hoc duplex est; unum, quod singulis personis imponitur sine respectu ad bona,

et dicitur *capitatio*. l. un. Cod. *de capitatione civium*. Alterum solvitur a subditis secundum aestimationem facultatum.

856. *Q.* II. An gabellae, vectigalia, aut tributa solvenda sint sub gravi peccato, etiamsi non exigantur; et an non solventes teneantur ad restitutionem. R. Negant utrumque *Angelus* V. Pedagium §. 6. *Tabiena, Navarr.* c. 23. n. 55. et 60., *Henr. a Gandavo* quodlib. 3. q. 22. quorum *ratio* est haec; lex mere poenalis non obligat, nisi ad poenam post judicis sententiam; atqui lex tributorum, vectigalium, gabellarum etc. est mere poenalis, eoquod Principis vel Magistratus intentio esse videatur, ut subditi, viatores et negotiatores vel solvant tributum, vectigal etc. vel, si deprehendantur non solvisse, puniantur. Contrarium tanquam longe probabilius practer AA. num. 188. cit. docent *S. Antonin., Covarr., Alph. a Castro* L. 1. de Lege poen. c. 11. coroll. 1., *Sotus, Medina, Armilla* V. Gabella n. 6., *Thom. Sanchez, Molina, Lessius* de Just. L. 2. c. 33. dub. 2., *Lugo, Dicast., Pontas* V. Vectigal, et alii. *Prob.* 1. ex s. Paulo ad Rom. 13. *Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal. Prob.* 2. ex eo, quod fundamentum adversariorum sententiae non videatur subsistere, leges nimirum tributorum esse mere poenales; tum quia vectigal vel alia tributa non imponuntur ut mulctae, sed Principes et Magistratus, cum Reipublicae quodammodo serviendo praesint, habent jus strictum illud imponendi; habent enim jus ea exigendi, quae tam ad sustentationem suam, quam ad sustinenda officii onera, et promovendum bonum publicum sunt necessaria. Nec adjectio poenae probat, eas leges esse mere poenales; siquidem plurimae leges tum Ecclesiasticae, tum civiles habent adjectam poenam, et tamen obligant in conscientia.

857. *Q.* III. Quomodo peccaverit Constantinus defraudando decimas. Ante R. *Nota.* Juxta *Laym.* L. 4. t. 6. c. 1. nomine decimarum venit *decima pars bonorum mobilium juste quaesitorum Ecclesiae ministris exsolvenda.* Aliae sunt *praediales*, quae ex fundis, sive bonis immobilibus, scilicet agris, vineis, sylvis, hortis, piscinis etc. penduntur. Aliae *personales*, quae ex lucro personalis industriae, scilicet negotiatione, artificio, venatione etc. solvuntur. Aliae *mixtae*, hoc est, partim praediales, partim personales, quae ex fructibus pecorum aut avium in propriis praediis, concurrente industria personali, videlicet ex lacte, caseis, ovis etc. penduntur. His praecognitis R. Si Constantinus defraudando decimas Ecclesiae aut Parocho damnum notabile intulit, peccavit graviter, teneturque ad restitutionem. Vide *Suar.* tom. 1. de Relig. lib. 1. c. 9. num., 10., *Bellarm.* tom. 1. controv. 5. l. 1. c. 25. Praesertim autem gravis obligatio solvendi decimas eruitur ex *Trid.* sess. 25. c. 12. de reform.: *Qui vero eas*, scilicet decimas, *subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur; nec ab hoc crimine, nisi plena restitutione secuta, absolvantur.* Plura apud Canonistas.

858. *Q.* IV. Quomodo Constantinus in reliquis peccaverit. R. 1. Si sylvis aut pascuis sive propriae, sive vicinae communitatis, notabile damnum intulit, peccavit graviter, et per se tenetur ad restitutionem. *Ratio* est, quia tota communitas rationabiliter est invita; item nec oppidani, nec cives vicini jure suo ceduut in bonum personae privatae. *Nec refert*, quod Constantinus sit pars communitatis; hoc ipso enim non potest sibi plus appropriare de lignis communibus, nisi quantum debita ad alias partes proportio permittit. *Th. Sanch.* L. 1. consil. c. 5. dub. 1. n. 19. Notabile damnum non censetur inferre, qui subinde in suum usum fascem lignorum scinderet, modo non abscindantur arbores, sed rami. Ita *Henriquez*. Porro peccasset Constantinus graviter, si boves suos duxisset in hortos vel agros privatorum hominum; restitutio debet desumi ex quantitate damni. Hoc genus peccati rusticis commune est; ideoque non facile dissimulet Confessarius; inde enim nascuntur ingentia damna, quae plebeji plerumque parum curant.

Huc etiam pertinent varia damna, quae inferantur a venatoribus, dum per messes jam albas canibus et equis debacchantur. Maxime vero culpabiles, et restitutioni obnoxii sunt, qui arbusculas in hortis longo labore plantatas ex malitia vel resecant, vel effodiunt: quod peccatum in nonnullis dioecesibus merito inter casus reservatos recensetur.

859. *Q.* V. Quid dicendum de exercitio capiendi alienas columbas. R. cum *Lessio*. Peccat, et quidem graviter, vel leviter pro ratione damni ex frequenti captura orti gravis vel levis, qui alienas columbas capit, quamdiu illae redeundi ad propria columbaria consuetudinem habent; quia tunc vere sunt res alterius. Secus, si redeundi consuetudinem deposuerint; unde si alienae columbae tuas saepe comitentur, et alimenta tuis columbis projecta consumant, proprietumque columbarium deserant, tuae fiunt; non tamen licet eas per fraudes, et inusitatis, multo minus superstitiosis modis, allicere. Vide *La Croix* l. c. n. 266. Subinde etiam consuetudo, aut mutua dominorum conventio excusat capientes a furto et restitutione.

860. Porro *resolves* 1. Probabiliter feripetae, qui in sylvis apertis moderate venantur, per se loquendo, non peccant contra justitiam, nec tenentur ad restitutionem. Ita *Vasquez* de restit. c. 5. §. 2. dub. 7. n. 28. *Lugo* tom. 1. d. 6. n. 68., *Dicast.*, *Lessius* L. 2. c. 5. dub. 9. n. 44. existimant, transgressorem prohibitionis, ne quis venetur in sylvis communibus, reum esse peccati tantum venialis, per se loquendo, nisi grave damnum inferat, eoquod ferae sint nullius, et sylvae communes. Contrarium sentiunt *Laym.* L. 3. de just. t. 4. c. 1. n. 14., *Haun.*, *Illsung.* et alii. *Ratio priorum* est, quod Princeps non possit subditos obligare ex justitia, ne moderate venentur; et quamvis concedatur, eum id posse, de facto tamen leges venationem prohibentes videntur mere poenales ex praxi, et communi consuetudine. De restitutione *Palao* p. 7. t. 31. punct. 14. n. 4. cum *Lessio*, *Rebell. et Molina* non veretur dicere: Quinimo verisimile est, venantes in locis Principi reservatis ab obligatione restituendi excusari, quia nihil de hac obligatione Princeps curat, contentus tantum ut poenas legibus impositas transgressores deprehensi luant. Dixi tamen. 1. *non peccat contra justitiam:* plerumque enim ex aliis causis peccant graviter; tum quia se suasque familias periculo ruinae et infamiae ob gravissimas poenas statutas exponunt; tum quia feripetae venationis dulcedine inescati, non raro ad insidiantes ex jussu Principis venatores potius vita privandos parati sunt, quam ut se capi, et ad statutas poenas trahi patiantur; cum tamen Princeps justissimas subinde causas habeat sub gravibus poenis furtivas ejusmodi venationes prohibendi, v. g. ne subditi a suis negotiis domesticis abstrahantur in damnum Reipublicae; item ne sub specie venationis exerceantur latrocinia etc. Potest etiam merito venationis reservatio fieri ob honestam Principis, eique debitam recreationem. Dixi 2. in *sylvis apertis*: si enim sylva sit circumsepta, et ferae ita inclusae, ut moraliter sint in manu Principis, eas capere vel occidere non licet citra injustitiam.

861. 2. Eodem modo non peccat graviter contra justitiam, nec tenetur ad restitutionem, qui pisces capit in fluminibus, licet sint assignata personis particularibus ad certam distantiam, quia prohibitiones contra has piscationes communiter censentur esse mere poenales. Peccat autem graviter, et tenetur ad restitutionem, qui pisces capit in aliena piscina, vel stagno minore, tum quia pisces in tali stagno se habent instar ferarum in vivario, tum quia dominus multis plerumque expensis stagnum comparat, pisces non sine magno labore alibi captos vel emptos immittit: ergo notabile damnum patitur, si quis ex tali stagno pisces capiat.

II. De restitutione ex rebus inventis. *Cyriacus invenit pretiosum horologium: quaerit ex familiaribus tantum, an forte perdiderint horologium; iis vero affirmantibus, nunquam se habuisse horologium, laetabundus abit,*

et vendit illud Judaeo. Paulo post in novellis legit, ut, si quis horologium pretiosum invenerit, illud ad Janitorem Monasterii ad S. Antonium ferat. Cyriacus altum silet, contentus peculio a Judaeo accepto. Idem nuper a Christophoro emit agrum pretio vulgari, in quo (nescio qua arte) sciebat latere thesaurum.

862. *Q.* I. An Cyriacus recte processerit. R. *Negative.* Vide dicta n. 778. Inventor enim tenetur sedulo inquirere in dominum rei, et quidem tunc majore diligentia, si res inventa sit magni pretii, curando (pro cujuslibet loci consuetudine) ut vel promulgetur e cathedra, vel ut imprimatur in novellis etc., vel denique id faciendo, quod necessarium videtur ad hoc, ut fama rei inventae ad dominum possit pervenire; atqui hoc non fecit Cyriacus, id verbis tantum ambiguis, aut quaestione generali, an horologium perdiderint, insinuando: ergo. 2. Peccavit retinendo pretium; quamprimum enim innotuit, inquiri in horologium pretiosum amissum, debuisset caute de novo inquirere, an tale horologium quaeratur, quale ipse invenerat (facile enim cuilibet inquirenti non tenetur credere); id cum resciverit ex certis indiciis, tenebatur illud repetere a Judaeo, restituto pretio; et ad constitutum locum deferre. *Ratio primi* est, quia ut sedulo inquirat in dominum, exigit charitas, quae jubet caveri alterius damno; exigit idipsum justitia, eoquod inventor tollendo rem alienam ex quasi contractu obliget se ad curandum, ut ea reddatur domino; si curare id nolit, debet potius rem relinquere in loco, ut per alium id curetur. *Ratio secundi* est, quia post illam notitiam incepit rem inventam possidere mala fide.

863. *Q.* II. An thesaurus ab inventore semper licite retineatur. R. 1. Thesaurus quocumque modo aut loco inventus de jure naturae est inventoris, quia est res domino carens: nomine autem thesauri intelliguntur *condita ab ignotis dominis tempore vetustiori mobilia* (l. un. Cod. de thesauris.) *sive vetus depositio pecuniae, aut similis rei, ut de ejus depositione et dominio nulla cognitio seu memoria extet*, ut ait *Laymann* L. 3. de Just. t. 1. c. 5. n. 23. Juxta eumdem jure Caesareo sequentia sunt statuta: 1. Si thesaurus in fundo proprio inveniatur, totus est inventoris; item si in loco communi, v. g. in via publica, foro, flumine etc. NB. Nisi arte magica quaesitus sit, tunc enim per judicis sententiam cedit fisco in poenam criminis. 2. Si in fundo alieno alicujus privati hominis *casu* inveniatur, v. g. a mercenario conducto, ut fodiat in fundo tuo alia, quam thesauri quaerendi causa, tunc thesaurus partim ad inventorem, partim ad dominum fundi pertinet, et quidem ante judicis sententiam, ut docent *Covarr.*, *Molina*, *Lessius*, *Laym.* l. c. quia haec constitutio non est poenalis, sed secundum aequitatem naturalem lata est; ergo in conscientia videtur obligare ante sententiam judicis. 3. Si vero de industria in fundo alieno quaesitus inveniatur sine consensu domini, totus est domini saltem post sententiam judicis, ita ut quoad dimidiam saltem partem sit obligatio in conscientia illam domino tradendi, eoquod haec lex videatur esse poenalis quoad unam partem, ut ait *Laym.* l. c. cum *Less.* et *Rebell.* 4. Si denique non casu, sed cum consensu domini fodiat quis in fundo alieno, thesaurus est vel solius inventoris, vel domini, vel utriusque pro ratione pacti cum domino initi.

864. Porro *adverte.* Non quaelibet inventio notabilis summae pecuniae debet dici inventio thesauri, maxime si sint monetae novae, nec depositio sit in profundiorem terrae partem aut locum ab oculis hominum remotiorem. Hoc casu, si pecunia recentius cusa in loco satis aperto inveniatur, tenetur inventor sedulo inquirere in dominum, juxta dicta n. praeced. Vide *Burg.* cent. 2. cas. 1. et cent. 1. cas. 68.

865. *Q.* III. An Cyriacus potuerit tuta conscientia emere agrum a Christophoro pretio vulgari. R. Probabilius *affirmative.* Ita *Sotus*, *Navarr.* in Man. c. 17. num. 175. *Lessius Schmalzgrub.* et alii; quia pretium vulgare re-

spectu hujus est justum, et plus dare non tenetur; justum enim pretium non sumitur ex majori utilitate, sed ex communi hominum aestimatione; atqui vulgare pretium communis aestimatio judicat justum: ergo. *Confirm.* Thesaurus reconditus non est fructus fundi, nec pertinet ad alicujus dominium, antequam eruatur; erutus autem a domino fundi, eidem mox acquiritur: ergo cum emptor post traditionem dominus fundi existat, jus habet et eruendi, et dominium thesauri sibi acquirendi. Ita *Laym.* l. c.

III. De lusu. *Cunibertus pictis foliis ludendi peritissimus et avidissimus varios innocentes adolescentes seducit, aliquoties lucrum iis fraudulenter permittens, postea ex arte ludens, divites dimittit inanes.*

866. *Q.* I. Quid sit lusus, et quae conditiones requirantur, ut ludens possit licite rem suam lusui exponere. R. ad *primum.* Lusus juxta *Lessium* est contractus, quo ludentes inter se paciscuntur, ut victori cedat, quod uterque deposuit. Hi contractus secundum se sunt liciti, et pertinent ad virtutem Eutrapeliae pro recreando animo, dummodo non fiant modis prohibitis, et absit periculum blasphemiae, perjurii, rixarum, furti, scandali etc.

867. R. ad *secundum. Prima conditio* est, ut ludens possit alienare rem, quam lusui exponit; alias enim, invito domino, exponeret rem alienam, cujus alter colludens non potest fieri dominus: ergo nec ipse poterit juste acquirere rem colludentis; alias conditio esset inaequalis, nec alter censetur consentire hoc modo. Ideoque uxor, nisi habeat bona paraphernalia etc., filius, nisi habeat propria, non possunt plus exponere, quam maritus vel pater expresse vel tacite concedit; tacite autem censetur concedere, quantum ejusdem conditionis foeminis vel filiis concedi solet.

868. *Secunda conditio.* Ut nemo injusto metu, vi, vel fraude cogatur ludere. Ideoque juxta probabilem is, qui injuste pertrahit alterum ad ludendum, tenetur ei restituere, quod lucratus est; quia sicut alter ludit, ita et perdit involuntarie, vel potius perdit per injuriam, quam patitur: secus si precibus aut suasu pertrahatur; tunc enim censetur consentire. Coactus tamen ad lusum, si quid lucretur, non tenetur illud restituere, quia ex sua parte nulla est injustitia. Vide *Sanch.*, *Less.* et alios.

869. *Tertia conditio.* Ut a lusu absit omnis fraus et dolus pugnans contra regulas hujus vel illius lusus, quia aliter non censetur alter inire hunc contractum, nisi servatis iis, quae constituunt hunc vel illum lusum. Aliquis tamen accidentalis dolus, vel potius astutia non tollit hunc contractum, v. g. quando simulas, te habere deteriores chartas, vel si simules metum, ut alter sponsionem augeat etc.

870. *Quarta conditio.* Ut sit aequale periculum perdendi et lucrandi inter ludentes, vel aequalis peritia et pretium. Ideo qui certo scit, se semper victurum, nec ludere licite potest cum eo, quem scit esse ludendi imperitum, nec retinere lucrum; quia tunc nimia est inter ludentes inaequalitas, quam non patitur ratio lusus: secus si tantum probabiliter credat, se victurum. Si tamen ludendi imperitior scias alterius peritiam, et nihilominus provoces illum ad ludendum, victor non tenetur tibi ad restitutionem; tibi enim volenti non fit injuria, et sponte transfers dominium pecuniae tuae in victorem.

871. Ex his facile *resolves* casum propositum. Cunibertus seducendo alios ad crebriores lusus pro ratione damni, et dispendii temporis peccavit. Si abfuerint conditiones praedictae, tenetur ad restitutionem lucri. *Sed quid, si adfuerint dictae conditiones, lusus vero fuerit prohibitus.* R. Victor ex eo praecise non tenetur restituere, quia ludentium pactum manet, ut qui vicerit, rem sibi lucrifaciat, nisi positiva lege etiam hoc pactum irritum sit. *Sotus*, *Lessius* et alii.

IV. De impediente alterius bonum. *Cyprianus audit Cyrillum haeredem esse institutum a Cyriaco; hinc rogando et consulendo testatorem eo in-*

ducit, ut alium scribat haeredem, eoquod Cyrillus non aeque indigeat haereditate.

872. *Q.* I. An teneatur ad restitutionem, qui alterum impedit a consecutione alicujus boni. R. 1. Qui alium rationabiliter invitum impedit a consecutione boni, quod ei debebatur ex justitia, peccat contra justitiam, et tenetur ad restitutionem, sive ex parte modi impediendi interveniat vis aut dolus, mendacium, detractio, sive non; quia violat jus, quod alter habebat in re, vel ad rem; est enim causa efficax, ut alter non accipiat id, quod suum erat, aut sibi debebatur. Sic qui impedit, vel removet aliquem a beneficio Ecclesiastico propter indebitam causam, ad quod ipsi jus quaesitum vel perfectum per collationem, confirmationem, sive imperfectum per legitimam electionem, praesentationem etc. compensare ei debet damnum illatum. *S. Thomas* 2. 2. quaest. 62. art. 2. ad 4.; *Laymann* L. 3. de Just. t. 2. c. 7. num. 1.

873. R. 2. Si vero bonum illud non debebatur ex justitia, ut eleemosyna, beneficium, vel aliud donum gratuitum, et quis solo consilio, precibus aut dono *sine vi, vel fraude* impediat eum a consecutione illius, non tenetur ad restitutionem. *Ratio* est, quia sic non laeditur alterius jus, quod supponitur nec in re, nec ad rem habuisse. *Sotus, Navarr., Molina.* Ideoque in casu posito Cyprianus non tenetur ad restitutionem; cum enim testator Cyriacus sine injuria voluntatem suam et testamentum mutare possit; nec Cyprianus intulit injuriam per hoc, quod ei consilio vel precibus ex prudenti ratione auctor fuerit, ut voluntatem mutet. *Sed quid, si id fecisset Cyprianus ex odio et animo nocendi.* R. Peccasset contra charitatem, sed non contra justitiam; jus enim non violatur per pravam intentionem, sed per actionem externam contra jus positam; per animum nocendi peccatur contra charitatem. R. 3. Qui vi, ac fraude, mendacio, detractione alterum a consecutione talis boni impedit, is damnum compensare debet arbitrio viri prudentis juxta certitudinem vel probabilitatem, qua ille tale bonum alias assecuturus fuisse existimatur. Ita *Laym.* l. c. n. 3. *Ratio* est, quia licet talis non habeat jus ad bonum indebitum, habet tamen jus, ne vi, vel fraude, aut detractione impediatur boni alias indebiti.

874. Ex his porro *resolves* I. Qui leves alterius defectus exaggerando eum impedit a consecutione boni indebiti, si non exaggeret per mendacia, non tenetur ad restitutionem, quia non violat jus alterius saltem graviter. II. Qui a beneficii consecutione impedit dignum, ut illud conferatur digniori, non tenetur ad restitutionem, saltem si sine fraude, vel vi impediat, quia ille non habet jus, ut praeferatur digniori.

ARTICULUS IV. *De dominio sive jure.*

§. I. *Praenotanda.*

875. Praenot. I. *Jus* (cujus violatio est *injuria*) *est potestas legitima disponendi de re aliqua, licite ab alio non impedibilis:* hoc enim jus activum fundat in aliis obligationem jus illud non impediendi; hinc jus passivum dicitur debitum praestandi, vel omittendi aliquid ut juri activo alterius satisfiat. Jus aliud est *in re*, sive *reale*, quo ipsam rem mihi habeo obligatam. Hoc acquiritur contrahenti post traditionem rei, et fundat *actionem realem*, per quam ipsam rem apud quemcumque detentorem repetere, et mihi vindicare possum. Aliud est *ad rem*, sive *personale*, quo non res ipsa, sed persona aliqua mihi ex delicto vel contractu obligata est ad rem, vel ejus pretium tradendum. Hoc acquiritur ante rei traditionem, et parit actionem personalem, v. g. si quis horologium, quod emisti, vendat et tradat alte-

ri, actionem habes in venditorem; si vero horologium tibi traditum auferatur, actionem habes tum in furem, tum in rem, ad quemcumque devenerit.

876. II. Species juris sunt dominium, ususfructus, usus, habitatio, possessio, servitus, pignus et hypotheca. *Dominium* aliud est *jurisdictionis*, estque potestas gubernandi subditos; aliud *proprietatis*, estque jus disponendi de re aliqua tamquam sua. Hoc *per se* spectat proprium commodum, illud vero commodum subditorum. Porro dominium proprietatis *perfectum* est jus in re ad omnem ejus usum seu dispositionem auctoritate propria, nisi lege prohibeatur, scilicet eam vendendo, donando, destruendo etc. Aliud *imperfectum*, quod continet vel proprietatem sine emolumento, et vocatur *directum*, quale est in iis, qui alteri dederunt quidpiam in emphyteusim, feudum, usumfructum etc. Vulgo dicuntur *proprietarii*, vel quod continet emolumentum sine proprietate, et dicitur *utile*: tale habet emphyteuta, usufructuarius etc. Dominium directum dicitur separatum ab utili, non quod careat omni utilitate, sed quod careat utilitate fructuum. Ita *Platelius* c. 4. de J. et J. num. 520. *Ususfructus* est jus utendi et fruendi, h. e. jus utendi re aliena, et percipiendi ejus fructus, salva tamen rei substantia; in fundo fructus dicuntur segetes, arbores, foenum, metalla, non autem thesaurus; in animalibus vero fructus dicuntur lac, lana, foetus etc. *Usus* est jus utendi duntaxat rebus alienis, salva earum substantia, non percipiendi earum fructum ab usu distinctum; tale est jus habitandi in domo aliena, quin eam alienare, vel fructum elocationis percipere liceat; item qui habet usum equae, potest ea uti ad trahendum currum, non potest tamen ejus pullum, aut elocationis pretium sibi usurpare. *Habitatio* est jus per se, vel alium inhabitandi domum alienam: per hoc habitatio differt a solo usu, quod tribuat jus locandi alteri domum alienam. *Possessio* sumpta pro jure possessionis est jus insistendi rei tanquam suae, non prohibitae possideri; sumpta pro actu possessionis est corporalis detentio vel insistentia rei animo eam habendi tanquam suam: *corporalis* dicitur, quia rerum incorporearum, v. g. beneficiorum aut jurium potius quasi possessio dicenda est. *Servitus* active est jus in re aliena aut persona, ut tibi, tuisve serviat. De pignore infra.

» *Q.* 1. An homo habeat dominium vitae suae.

» R. Non habet, sed vel *usum*, vel *usumfructum tantum*, quemadmodum » et membrorum suorum, ut arbitrio boni viri vitam et membra servare sar- » ta tecta debeat, laesaque ordinariis expensis reparare, donec adveniente » vitalitii hujus termino a Deo vitae et necis domino statione sua migrare com- » pellatur. *Rat.* 1. Auctoritas. Sap. 16. *Tu es, Domine, qui vitae et mortis* » *habes potestatem.* Consentit Augustinus, s. Thomas, communis. 2. Constat » quod Deus habeat dominium, non constat quod communicaverit homini; » imo contrarium docet instinctus naturae, universalis persuasio, utilitas Rei- » publicae, quae cum damno passim diminueretur ob causas exiguas. *Certe* » pollutio est illicita, cum homines passim sectarentur voluptatem sine one- » ribus matrimonii: ergo cum haec sit impedimentum vitae humanae etc.

» *Ex quo sequitur* 1. hominem nunquam posse se *directe* occidere, hoc » est, intendere privata auctoritate sua mortem vel ut finem, vel ut medium. 2. » Ex gravi tamen causa posse se occidere *indirecte*, non intendendo, sed » praecise permittendo mortem suam ut conjunctam alicui omissioni, vel » actioni. 3. Quamvis autem difficillimum sit determinare, quandonam mo- » raliter permitti dicatur mors propria, praeplacet haec regula: *Quando actio,* » *habens conjunctam sibi mortem, tamen consequeretur finem magni mo-* » *menti, licet mors propria non esset conjuncta, tunc mors non intenditur* » *directe.* Ex quo principio *licite posset* Titius 1. ad evitandum incendium, » aut necem crudelissimam ab hoste insequente semet praecipitare de turri. » 2. ad vincendum hostem turrim pulverariam incendere, licet certo obruen- » dus. 3. ad submergendum hostem se cum eo in mare praecipitare, propriam

» navem incendere etc. 4. ad servandum Principem se medium interponere, » licet certo enecandus globo etc. *Illicitum tamen foret* se enecare in car- » cere ad evitandum infame supplicium, abstinere ab alimento ad evaden- » das hujus vitae miserias etc. Vide n. 658.

» *Dices* 1. Multi laudantur a Scriptura, qui *seipsos directe* interemerunt, » e. g. Samson, Eleazarus etc.; idem est de Lucretia, Catone etc. 2. Potest ho- » mo vitam *abbreviare negative*, non subeundo curationes arduas, non su- » mendo medicinas aliquantum pretiosiores etc. et *positive* per abstinen- » tias, poenitentias etc. 3. Homo potest se *mutilare*; hoc enim fecit Ori- » genes: ergo habet dominium membrorum. R. *Ad* 1. Sancti hoc fecerunt ve » ex speciali imperio, aut licentia Dei, vel excusantur propter bonam fidem, » aut conscientiam erroneam. Catonem et Lucretiam S. Augustinus impieta- » tis damnat L. 1. de civ. c. 16. *Ad* 2. Immoderata austeritas est illicita; mo- » derata abbreviatio vitae est licita, tum quia nemo teneturrem alienam con- » servare cum extraordinaria molestia, tum quia Deus dat licentiam ob bo- » num spirituale inde proveniens; maxime, quod ex austeritate moderata non » semper ac certo sequatur abbreviatio, nec ista intendatur, sed solum per- » mittatur. *Ad* 3. Mutilatio propria propter castitatem est illicita, et censurae » Ecclesiasticae obnoxia; propter vitam conservandam est licita, quia ad con- » servandum totum licet subire jacturam partis integrantis. Propter vocis » suavitatem conservandam, an licita sit, disputant; affirmant *Salonius*, » *Pasqualigo* et alii. De eviratione Originis vid. *Billuart* to. 10.

» *Q.* 2. An homo habeat dominium vitae alienae.

» R. 1. *Dominium proprietatis in vitam alienam* nec habet homo privatus, » nec dominus in sua mancipia, nec magistratus in subditos. Sufficit quippe » *jus jurisdictionis* ad bonum commune, et jus proprietatis ob affectus pri- » vatos foret noxium generi humano: hinc vindicta privata debuit interdici » ob nimium ardorem irae, suspicionum frequentiam, occasionem abusus » etc. 2. Licet tamen privata auctoritate *occidere proximum ad justam de- » fensionem* vitae propriae, pudicitiae, ac bonorum fortunae majoris momen- » ti actu possessorum, incontinenti tamen, si actu invasionis, et servato sem- » per moderamine inculpatae tutelae, hoc est, ut non adsit alia via mitior » conservandi praedicta, et adsit causa gravis tentandi hanc viam. 3. *Ad de- » fensionem honoris* numquam licet proximum occidere, nisi forte in unico » casu, quo quis facto ignominioso inique, v. g. infami alapa, fuste etc. pa- » rat virum honoratum aggredi, aut aggressionem prosequi, potest aggredien- » dus ferrum opponere, licet inde sequatur occisio, ut sic praeter honorem » etiam vita defendatur. Ita *Sylvest.*, *Navarr.*, *Sotus*, et alii apud *Mendo* V. Ho- » micid. *Rat.* 1. Deus concedit in his circumstantiis facultatem, cum non cen- » seatur hominem obligare cum tanto suo incommodo ad conservandam vi- » tam proximi. 2. *Vim vi repellere omnes leges et jura permittunt*, secus » multiplicarentur homicidia, et nemo tutus foret ab injustis damnificationi- » bus cum maximo reipublicae detrimento. 3. Vel proximus est invasor pro- » pria sponte, et sic potest avertere facile malum a se: vel non est spontaneus » invasor, et tunc inter duo jura et damna aequalia potest quilibet se prae- » ferre proximo. 4. Damnatae sunt *ab Innoc. XI.* prop. 30. 31. 32. 33., » et *ab Alex VII.* 18. quas vide. Nempe in his casibus occisio alterius vel » non est medium *necessarium*, cum a magistratu afferri remedium pos- » sit ac debeat; vel non *sufficiens* cum per alterius occisionem non de- » claretur innocens, qui calumniam passus est; imo saepius fiat contrarium.

» *Coroll.* 1. Ergo licita est *occisio proximi* in his quatuor casibus: si » fiat ex mandato Dei speciali: si ministerio publico justitiae: si in bel- » lo justo: si in defensione propria inculpatae tutelae contra invasorem » privatum, non specialiter exceptum. Æquo liberius hic sentit *Billuart* » de occisione aggressoris to. 10. a. 5. §. 4.

« 2. Peccat Respublica graviter, si *directe innocentem occidat*, etiam ad » avertendam ab hostibus depopulationem ac ruinam; si hosti petenti il- » lum ad necem extraderet etc. quamvis possit illum extra portas urbis ex- » ponere ad vigilias agendas compellere etc. quae sunt actiones indifferentes. » Peccat victor, si obsides occidat, eo quod victi ad tempus praefixum non » praestent praestanda; si filios Principis obsessi occidat, ut sic facilius pa- » trem compellat ad deditionem etc. quia Deus illimitate prohibuit, Exod. » 23. *Insontem et justum non occides*, ut dictum est n. 659. et directe oc- » cisionis licentia sit desumpta ex illa Machiavelli Gnome: *Nihil est nefas, » quod est utile ad rationem status. Si dicas:* possunt *membra abscindi* pro » conservando toto corpore, et bonum privatum cedere debet publico etc. » R. Membra corporis non habent jura distincta, sed sunt propter bonum totius; » cives e contra habent jus peculiare vitae suae singillatim, et communitas est » potius propter membra, estque occisio haec intrinsece mala, sicut extradere » virginem ad eam stuprandam etc. Dixi, *directe;* indirecte autem, et per » accidens licet in sequentibus casibus. 1. Si in bello justo vinci hostis non » possit, nisi simul innocentes occidantur, ut dictum est in Appendice de » Bello, e. g. potest everti turris hostilis, licet innocentes quidam ibidem » sint. 2. Si equo vectus fugias invasorem, in arctiori autem via necessario » conculcandus sit infans, claudus, dormiens etc. 3. Si invasor se infra in- » fantem collocet, si aliter te nequeas defendere, potes infantem sternere, » aut clypei instar infantem praetendere. Ita *Bonac.*, *Lugo*, et alii passim.

» 3. Multo probabilius non licet judici condemnare secundum allegata et » probata illum, quem privata scientia certo novit esse innocentem; siqui- » dem occidere innocentem est aeque intrinsece malum, ac fornicare, cogno- » scere non suam etc. licet per sententiam ad hoc adigaris; estque haec con- » demnatio contra finem legum, quae ideo requirit probationes, ut judex me- » lius inde rei veritatem deprehendat; sane daretur ansa saepius invertendi » ordinem judiciorum, innocentes opprimendi etc. *Si dicas:* Judex ut per- » sona *publica* debet procedere secundum notitiam publicam, et innocens » privatim est publice et *judicialiter* reus: ergo sicut, si judex privatim sci- » ret eum esse nocentem, non posset condemnare, ita etc. R. Si haec media » publica obtineant finem publicum, qui est, *Judici revera credibilem red- » dere noxam accusati*, C. secus, N. Deum nocentem non semper condemnare » non est intrinsece malum, et jura semper magis favent reo etc.

» 4. Non licet matri *directe* procurare abortum foetus sive animati, sive » inanimati, nequidem ad evitandam mortem, multo minus infamiam. Vide » n. 668. et 669. *Si dicas:* Foetus est *aggressor* vitae matris; ergo etc. R. N. » Aggressor est, qui invadit non per cursum naturae, sed per actionem » voluntariam, quae si cum apprehensione peccati ponatur, erit aggressor for- » maliter injustus; si sine apprehensione, materialiter etc.; *indirecte* vero » tunc licet expellere, quando haec *tria* concurrunt. 1. Ut mater praeter foetum » adhuc aliud patiatur malum periculosum, quod non possit curari, nisi foe- » tus expellatur. 2. Ut medicina adhuc alium faciat effectum, quam praecise « expulsionem foetus. 3. Ut credatur, etiam stante morte matris, foetum ani- » matum non posse vivum pervenire ad baptismum; si dubium de hoc sit, » mater est in possessione vitae suae. Ita Mendo *in statera* etc.

» Q. 3. An homo sit dominus suae famae.

» R. Est dominus suae famae et honoris. Ita *communis* contra *Cajetanum*. » *Rat.* 1. Fama est fructus nostrae industriae, nostris meritis partus. Homo » potest disponere de sua fama, e. g. alteri remittere restitutionem ad pro- » priam humiliationem, vel petendo consilium famam suam diminuere, cri- » men de se revelare. Consentit *S. Thomas* 2. 2. q. 73. a. 4. Per accidens » autem in triplici casu non licet famam suam prodigere. 1. Ob connexionem » cum statu; si redundaret in despectum, e. g. status clericalis, monasterii,

» familiae etc. 2. Ob rationem officii, e. g. Parochus malae famae praejudicat » fructui functionum. 3. Ob charitatem, ne aliis sit scandalo. Imo etsi quis » peccaret famam suam ex levitate prodigendo, posset tamen habere dominium, sicut prodigus est dominus pecuniae suae, licet prodigendo peccet.

» De bonis et dominio uxorum vide n. 895. et filiorumfamilias n. 805. et » infra post n. 891.

» *Q.* 4. An Beneficiati sint domini reddituum.

» *Nota.* Triplex est bonorum genus apud Clericos. 1. *Patrimonialia*, quae » acquirunt jure haereditatis, donationis, contractuum, laboris profani. 2. » *Quasi patrimonialia*, quae tanquam fructus stolae per laborem sacrum obtinent, e. g. baptizando, concionando, celebrando propter stipendium etc. » 3. *Beneficialia*, quae titulo beneficii stabilis acquirunt vel *necessaria* ad » congruam sustentationem, vel *superflua* ultra congruam, quae capit magis » et minus pro diversitate personarum, et beneficiorum.

» R. Probabilius est, Beneficiatos esse *dominos redditauum necessariorum*, » *et superfluorum:* quam vis haec ultima debeant expendere in causas pias *ex* « *lege Ecclesiastica fundata in religione.* Ita 100. facile apud *Diesbach.* » lib. dom. Cler. *Marsilius* numerat 61., *Billuart* 17., *Lugo* 7. inter quos » *S. Thomas, Scotus* et *Sotus.* Bened. XIV. de Syn. Dioec. l. 7. c. 2. affert duas » rationes pro hac sententia. 1. Clerici habebant olim in suam partem fructuum dominium: ergo cum huic parti *subrogatae* sint praebendae, et » subrogatum induat naturam illius, cui subrogatur etc. 2. Non residentes non *faciunt fructus suos*: ergo a contrario residentes faciunt suos: » quod autem suos facere, denotet *dominium acquirere*, patet ex c. de » Cler. non resid. in 6. ubi dicitur: *Rerum sic receptarum dominium non* » *acquirent, ne faciant eas suas.* His addo alias rationes. *Prima* est negativa. Trid. sess. 25. c. 1. de ref. solum interdicit Episcopis, *ne redditibus Ecclesiae consanguineos, et familiares suos augere studeant, sed* » *si pauperes sint, pauperibus distribuant.* 2. Julius III. *cum sicut:* 1550. » fructus beneficiorum, *postquam ad manus Beneficiatorum pervenerint*, » *non amplius in Ecclesiasticis, sed potius in ipsorum Beneficiatorum* » *propriis judicari, et propterea quodammodo pro saecularibus, et pro-* » *fanis haberi.* 3. Sunt *stipendium*, hoc est sustentatio data intuitu laboris: ergo sicut miles est dominus sui stipendii, officialis salarii etc. » Ergo *illi*, quibus Beneficiati superflua dederunt contra legis Ecclesiasticae praescriptum, non tenetur ea ex justitia restituere etc.

» *Dices* 1. Clerici non habent *titulum* dominii in superflua. 2. Superflua » sunt *res Dei, patrimonium Christi, pauperum bona.* 3. SS. PP. vocant tales Clericos *fures*, aut sacrilegos raptores etc. 4. Clerici non possunt *dispo-* » *nere de redditibus suis* ad beneplacitum, non possunt testari de illis. 5. *Pen-* » *sionarii* tenentur expendere in causas pias titulo justitiae: ergo magis Beneficiarii. 6. Est *mens fundatorum*, adeoque pactum tacitum. 7. Clerici dicuntur *patres pauperum etc.* R. *Ad* 1. N. Titulus est *stipendii amplioris*, ut » liberaliori stipendio suos ministros remuneretur Ecclesia, et hi possint » etiam alios virtutum actus exercere, et nunquam deveniant facile in circumstantias, quibus debeant agere in despectum status, *vel* stipendium illimitate concessum, non distinguendo inter superflua. *Ad* 2. dist. Vel istae » denominationes cadunt in bona ut affecta prima *intentione fidelium* offerentium: vel *lege Ecclesiastica* mere praecipiente misericordiam erga pauperes, saltem disjunctive; vel in *primaevo* statu Ecclesiae, dum Clerici voto » paupertatis obstricti vivebant, vel denotant *quartam partem* bonorum » proprie Ecclesiasticorum. *Tria enim tempora* distinguenda sunt. 1. Usque » ad finem saeculi V. vixere Clerici ex aerario communi cum voto *paupertatis.* » 2. Tum facta *divisio* bonorum a Simplicio Papa, et Gelasio anno 471. in quatuor partes, quarum una esset Episcopo destinata, altera Clericis, ter-

« tia pauperibus, quarta Ecclesiae : cujus partis ultimae solum administrato-
« res erant Rectores Ecclesiarum. 3. Saeculo IX erecta *Beneficia in titulum* ;
« erectio autem, juxta Molinam, nihil aliud est, quam bonorum prius com-
« munium ad particulares Clericos, ac beneficia deputatio, ut his fiant pro-
« pria. *Ad* 3. SS. PP. vel loquuntur de primaevo statu, vel de quarta por-
« tione, vel exaggeratione oratoria etc. postquam nempe tertia portio paupe-
« rum impensa est ad erigenda hospitalia, seminaria et alia pia loca, etiam ad
« plura beneficia accrescente numero Clericorum etc. *Ad* 4. Defectus disposi-
« tionis non oritur *ex jure reali* alieno, sed lege praecipiente, quae potissi-
« mum habetur a traditione, vel Tridentino. Caeterum *facultas testandi*
« etiam licite ad causas profanas, teste *Haunoldo*, concessa est Clericis *Roma-*
« *nis* intra aliquot milliaria circa Romam ; de nostris dioecesibus vero affir-
« mant idem alii, e. g. R. D. Michael de *Frisingensi*, Pichler, Zetl, et Schnell.
« *de Constantiensi* ; in Salisburgensi Clericus debet prius habere *licentiam*,
« in Augustana *ratificationem*, in Passaviensi dioecesi *libere* ad profana te-
« statur Clericus. *Ad* 5. N. De distributionibus, et pensionibus liberam di-
« spositionem defendunt 21. auctores apud *Vind. Tabernae* prop. 8. Collect.
« quorum aliqui dicunt esse communem. *Ad* 6. Mens fundatorum *immediata*
« est cultus Dei juxta arbitrium Ecclesiae, *mediata* est pia expensio a Clericis;
« sed ut desiderium tantum, non pactum rigorosum. *Ad* 7. Patres pauperum
« sunt ex titulo functionum spiritualium, dum pauperibus evangelizant; vel
« in horum gravi necessitate etc. secus deberent Clerici etiam ex patrimonia-
« libus expendere, nec satisfacerent dando superflua beneficialia ad ornatum
« templi, vel asservando superflua in cumulum ad faciendam fundationem
« piam. Caeterum *major quantitas* requiritur hic ad mortale : juxta Lugo-
« nem pars vigesima reddituum: juxta Ininger res determinanda arbitrio pru-
« dentis : quae omnia procedunt, licet Beneficiati habeant *patrimonialia*.

« *Q.* 5. An Religiosi habeant dominium.

« *Nota*. Cum paupertas in communi se extendere possit *ad proprietatem*
« *rerum*, quae communiter *bona fortunae* appellantur, quibus homo dives
« proprie efficitur, et *ad jus reale*, quale datur in possessione, usu juris,
« usufructu etc. atque *ad usum facti* indipendentem a voluntate alterius etc.
« ideo triplicis generis vota Ecclesiae in usu successive fuere, ut testatur *Sua-*
« *rez*. Primum quo nec valide, nec licite haberi potest dominium. Secundum
« quo valide quidem habetur dominium, sed non licite. Tertium quo et vali-
« de et licite habetur dominium, sed non usus sine consensu alterius. Omnia
« haec vota sufficiunt ad votum paupertatis constituentis Religiosum, ut ex
« Bulla Gregorii XIII. *Ascendente Domino:* et *Quando fructuosius* de Scho-
« lasticis Societatibus, sub reatus censurae incurrendae, certum est.

« R. I. Religiosi possunt habere *dominium in communi*, ubi communitas
« est persona ficta, penes quam est dominium; sicut dominium stricte Ec-
« clesiasticorum est penes Ecclesiam particularem, per quam intelligitur, vel
« ipse locus pius tamquam persona ficta, vel Capitulum Clericorum, si ali-
« quod datur, vel communitas fidelium ad hanc Ecclesiam pertinentium. Ita
« *Trid.* sess. 25. c. 3. de Regul. ubi excipiuntur solum PP. Capucini, et Mi-
« nores de observantia. Quamvis Religiosus simpliciter possit habere domi-
« nium, Religiosus tamen *solemniter professus* est incapax omnis dominii,
« ex quo vulgatum illud ortum est : *Quidquid acquirit Monachus, non sibi*
« *acquirit, sed monasterio*: quod magis verum est, quam in servo. Occa-
« sione hujus opinionis natae sunt illae controversiae: 1. an dominium rerum
« *usu consumptibilium*, e. g. vini, ciborum etc. separari possit ab usu facti
« illarum. Negabat hoc olim Joannes XXII. et hinc rejecit dominium ejusmo-
« di rerum, quod FF. Min. Sedi Apostolicae concesserant. Extrav. *ad Con-*
« *ditorem*. Nicolaus III. hoc rursus recepit Extrav. *Exiit*, de Verb. signif.
« in 6. *Vid. Nitelam Franciscanae Religionis.*

877. III. Ordinarie dominium solet acquiri *titulo* et *traditione*: titulus est velut radix, origo, et ratio fundandi dominium; sic emptio dicitur titulus, quia est justa causa acquirendi dominium mercis. Non tamen sufficit solus titulus, sed etiam requiritur traditio seu apprehensio rei: hinc si aliquam rem emisti, venditor autem eamdem alteri vendat ac tradat, huic posteriori acquiritur dominium, tu vero ex titulo acquisivisti tantum actionem personalem adversus venditorem. Unde Glossa Baldi in *quoties* Cod. de rei vindic. ait: *Ille est potior in dominio cui res prius traditur, licet alius in titulo praevenerit.* Neque tamen sola traditio etiam sufficit ad dominium, ut constat ex l. 31. ff. de acquir. rer. dom. *Nunquam nuda traditio transfert dominium, sed ita, si venditio, aut aliqua justa causa praecesserit, propter quam traditio sequeretur.* Variis modis acquiritur dominium rerum temporalium, praesertim 1. occupatione: 2. accessione: 3. per praescriptionem: 4. per contractum dominii translativum. Commode ad tres modos revocat *Sporer*, dicens: Dominium acquiritur tribus modis; jure naturali, civili, et jure contractus: *vel enim res sunt nullius*, utpote vacantes, derelictae, aut pro derelictis habitae, et jure naturali fiunt primi occupantis; vel *sunt possidentis praesumptive*, sic jure civili fiunt legitime praescribentis etiam in foro conscientiae; vel *sunt possidentis vere*, et jure contractus fiunt, v. g. ementis, donatarii etc.

878. IV. Ususfructus, usus, habitatio, servitus *acquiruntur lege et conventione.* Amittuntur autem 1. *Rei destructione.* 2. *Si sint ad tempus, eo expirante.* 3. *Morte usufructuarii.* Possessio *acquiritur* apprehensione vera aut ficta, et dispositione legis: *amittitur* 1. *Voluntate nolentis possidere*, nisi sit pupillus. 2. *Oblivione, quod res sit sua.* 3. *Rei ablatione.* 4. *Fuga animalis non habentis consuetudinem redeundi.*

§. II. *Principia generalia de primis modis acquirendi dominium.*

« *Nota. Exercitium* justitiae commutativae consistit in acquisitione, « traslatione, et reparatione juris rigorosi. 1. *Acquisitio juris* fit vel ti- « tulo juris naturalis, qui est occupatio, et accessio; vel titulo juris po- « sitivi humani, qualis est potissimum praescriptio; vel titulo mixto ex « utroque, cujusmodi est successio ab intestato. 2. *Translatio juris* con- « tingit aut dispositionibus gratuitis maxime ultimae voluntatis, aut con- « tractibus onerosis. 3. *Reparatio* fit per restitutionem ex re accepta, et « injusta acceptione, de qua jam supra satis dictum est.

« 1. Aliqua bona *nunquam* fuerunt in dominio alicujus, ut sunt ferae, « pisces, volucres, uniones, et metalla. 2. Aliqua fuerunt, sed *desierunt* « esse in patrimonio seu dominio alicujus, ut thesauri, bona vacantia, et « derelicta. 3. Aliqua sunt in dominio, sed *incerto*, ut res deperditae sine « delicto, vel ignotis ablatae cum delicto. 4. Aliqua sunt in dominio cer- « to, sed *non hominis privati*, ut sunt res sacrae, quae ad cultum divi- « num per consecrationem dedicatae sunt, e. g. templa, altaria, calices, « campanae etc. vel Religiosae, quae piis usibus sine consecratione ab « Ecclesiasticis Superioribus destinantur, e. g. Monasteria, Hospitalia etc. « vel publicae, quae sunt res Universitatum, e. g. portus, viae etc. Res « ergo sub nullius privati dominio hoc versu continentur.

« *Natura, facto, censura, tempore, casu,*
« *Res sub nullius dicitur esse bonis.*

« Natura libera, seu animalia obtinentur *venatione:* facto libera seu de- « relicta, item tempore libera seu thesauri, acquiruntur *inventione:* cen- « sura libera seu sancta, et casu libera seu haereditates vacantes, quas

» moriens reliquit sine haerede necessario ac dispositione ultima, et ja-
» centes, quas haeres adire recusat, habent *specialia*; nam bona va-
» cantia pertinent ad fiscum etc.

879. Princip. I. *Occupatio est rei vacantis* (hoc est, quae nullum habuit dominum, ut ferae sylvestres et vagae, aves in aere etc., item gemmae, lapilli in littore etc.) *vel derelictae* (quae dominum habuit, sed habere desiit) *corporalis apprehensio cum animo eam habendi ut suam.* Res *vacantes* et *derelictae* fiunt primi occupantis. De rebus vacantibus animatis constat ex l. 1. ff. de acquir. rerum domin. Huc non pertinent ferae mansuetae et domesticae, ut bos, ovis, gallina etc., etsi a custodia domini sui longius absint, pertinent adhuc ad dominum suum; ideo ubicumque fuerint repertae, vel etiam incendio, naufragio vel lupo ereptae, restituendae sunt domino.

De rebus vacantibus manimatis constat ex l. 3. ff. de rerum divis. Inter res *derelictas* eae tantum debent recenseri, quas dominus non amplius vult esse e numero rerum suarum, nec curat eas recuperare, cum facile possit; ideo res metu naufragii vel incendii ejectae, vel e tali periculo ereptae non fiunt primi occupantis. *L. Navigia.* Cod. de furtis. De thesauris supra egimus.

880. Princip. II. *Accessio est jus, quo res aliqua fit tua, quia rei tuae tanquam praesuppositae et principaliori accedit.* Accessio *naturalis* fit 1. per *nativitatem*: sic dominus pecoris fit dominus foetuum, dominus fundi fit dominus arborum, quae in illo crescunt: accessorium enim sequitur principale, juxta reg. 42. in 6. . . . 2. Fit per *alluvionem*, quae est incrementum ex eo, quod uni praedio, alluente flumine, demitur, et alteri adjicitur; id si fiat quasi insensibiliter, dicitur *alluvio latens*, et pertinet ad eum, cujus fundo adjicitur; si fiat avulsio per manifestum fluminis impetum, vocatur *incrementum patens*. Si partem notabilem vis fluminis de tuo praedio subtraxerit, manet tua; si vero fundo alieno adhaeserit, et arbores, quas secum traxit, in eo radices egerint, ex eo tempore censetur alieno fundo acquisita. Accessio *industrialis* fit 1. per *plantationem*. 2. Per *implantationem:* unde si quid inaedificetur, aut implantetur fundo alieno, dominus fundi fit dominus aedificii et plantae, sive arbores, postquam radices egerint, cedunt solo tanquam principaliori. 3. Per *intexturam*. 4. Per *scripturam*, *et pictionem*. 5. Per *specificationem*, quae fit introductione novae formae in materiam, ita ut censeatur produci quasi nova species, v. g. quando ex lana fit pannus. Juxta communiorem ad acquirendum dominium rei alienae per specificationem requiritur, ut facta sit bona fide. Vide *La Croix* L. 3. p. 2. n. 135. cum *Haun.*

» Pro accessione industriali sequens serviet regula.

» *Quidquid plantatur, seritur, vel inaedificatur,*
» *Omne solo cedit, radices si tamen egit.*

881. Principium II. *Praescriptio* est acquisitio dominii per possessionem bona fide cum debito titulo, et tempore legitimo continuatam. Juxta *Laymann* l. c. differt ab usucapione, sicut effectus a causa. *Usucapio* enim juxta l. 3. ff. de usurp. et usucap. *est adjectio dominii per continuationem possessionis temporis lege definiti.* Hinc fere pro eodem accipiuntur. Praescriptio transfert dominium non tantum *in foro externo*, ita ut completa praescriptione repetenti rem suam negetur actio, hoc est non audiatur in judicio, sed etiam *in foro conscientiae*; ita ut ille, qui legitime praescripsit, et postea advertit rem fuisse alienam, non teneatur illam restituere priori domino. Ita *Covarr.*, *Haun.* t. 8. n. 164., *Less.*, *Lugo*, *Engel*, *Schmalzgr.*, *Laym.* L. 3. de Just. t. 1. cap. 8., *Plat.* et alii contra *Hugo* et *Rosel.*, qui absolute negant; item contra *Adrianum*, *Medinam*, et paucos, qui ad hoc requirunt negligentiam culpabilem prioris domini. *Prob.* 1. Hic modus acquirendi approbatur a *Jure civili*, ut patet ex l. 1. ff. de usurp. et usucap., item a *Jure ca-*

nonico l. 2. Decret. c. 6. tit. 26. de praescript., et caus. XVI. q. 3. c. 11. Ergo hoc ipso valet pro foro conscientiae: alias jura non obtinerent finem suum, scilicet securitatem possessionis, *et ne possessores ejusmodi prope immortali timore teneantur*, ut habetur l. 7. Cod. de praescript. 30 vel 40 ann. Denique hae leges justae non essent, si observari non possent, nisi cum peccato. Vide *La Croix* L. 3. p. 2. a n. 470.

882. Conditiones requisitae ad legitimam praescriptionem sunt I. *Res apta praescribi*: specialiter jure prohibentur praescribi *res sacrae*, monasteria, Ecclesiae, calices, jura spiritualia, v. g. jus cognoscendi et judicandi causas ecclesiasticas etc. Jus decimandi ex dispositione legum non patitur praescriptionem, ideoque non valet talis praescriptio ordinaria, vel extraordinaria sine titulo: valet tamen, ut hodie multi defendunt, extraordinaria cum titulo, vel immemorabilis. Item praescribi nequeunt *res communes* sive *publicae* ut forum, viae, plateae, pontes, l. 9. ff. de usurp. et usucap. Plura de his vide apud *P. Engel.*

» *Q.* Quae res praescribi non possunt.

» *Nota.* Alia est *praescriptio positiva*, qua alicujus rei dominium aufertur » alteri, et transfertur in praescribentem, e. g. si quis praescribat pecuniam » inventam. Alia *privativa*, qua priori domino aufertur quidem jus activum, » nullum autem praescribenti novum acquiritur, e. g. si ager Caji liberatur a » servitute patiendi transitum Titii: in primo dicitur *jus praescribi*, in se- » cundo *praescribi juri*, seu praescribi immunitatem a jure, extinctionem juris.

» R. Praescribi non possunt quae *non sunt in commercio privatorum, » aut alienari non possunt*, tum quia praescriptio est species alienatio- » nis, tum quia fit mediante possessione; ergo cum ea, quae sunt extra » commercium humanum, possideri non possint etc. Quare praeter res » supranumeratas praescribi nequeunt 1. *Aliqua jura Ecclesiastica*: sic » contra subjectionem erga Sedem Apostolicam jure divino constitutam, » item contra immunitatem ecclesiasticam nulla praevalet praescriptio; » nec contra res Ecclesiae male alienatas a Praelato, quamdiu hic vivit; » nec a laicis jus conferendi Beneficia, aut jus decimandi etc. quamvis juri » decimandi possit praescribi. 2. Nec *jura majestatis intrinseca*, quae Prin- » cipi debentur ratione supremae potestatis, e. g. jus exigendi homagium, fe- » rendi leges, dominium altum in bona subditorum pro exigentia necessitatis, » potestas judiciaria in controversiis civium, jus exigendi tributa in recogni- » tionem supremae jurisdictionis, dirigendi rem annonariam, commerciorum » etc. 3. Nec *res pupillorum*, bona adventitia filiorum familias, bona prodi- » gorum, aut Ecclesiarum, quae destituuntur Rectore etc. 4. Nec *actus me- » rae facultatis*, qui fiunt sine animo obligandi. 5. Nec *res furtivae*, nisi sit » praescriptio extraordinaria 40 annorum, vel ordinaria purgato prius vitio, » quae purgatio fit per hoc, quod res furtiva prius redeat ad dominum, et » tunc primum ad alium bona fide, ut docet *P. Soel* lib. de praescrip. » et *P. Boechon* Append. de praescriptione. Aliud est, si accedat privi- » legium Papae pro praescribendis quibusdam juribus ecclesiasticis, aut » si decimae non possideantur titulo spirituali, sed sint sacculares etc.

» *Dices* 1. Ergo neque poterunt praescribi *jura alia*, e. g. servitutum » etc. quia non possunt possideri, et sunt spiritualia. 2. Nec *jura Episco- » palia*. 3. Nec *exemptio a subjectione* erga Superiorem Ecclesiasticum etc.

» R. *Ad* 1. N. possidentur enim *quasi possessione*, quae habetur *per usum » juris non vi, non clam, non precario exercitum*; et solum sunt spiritualia, » prout haec opponuntur corporalibus, non prout naturalibus. *Ad* 2. *Jura » Episcopalia* solam jurisdictionem requirentia, e. g. instituendi et destituendi » Beneficiatos, ferendi et solvendi censuras, jus sepulturae, quartae de- » cimarum et funeralium etc. posse praescribi cum titulo 40 ann. sine titu- » lo tempore immemorabili docet *P. Boechon* ex regula Bonifacii VIII. qui

« tantum tempus exigit in iis, quibus jus commune fortiter restitit, et « alter habet intentionem fundatam in Jure, c. 1. h. tit. in 6. *Ad* 3. Si « subjectio est juris tantum humani, potest illi praescribi, licet subjectio- « ne stante non possit essentialibus subjectionis praescribi.

883. II. *Bona fide*, quae est credulitas, qua quis sibi rationabiliter persuadet rem, quam possidere incipit, esse suam, aut saltem nescit esse alienam, ut ait *Platel.* hic n. 593. Unde possessor malae fidei, qui scit vel credit rem esse alienam nequidem tempore immemorabili praescribit, juxta reg. 2. juris in 6. *Possessor malae fidei ullo tempore non praescripsit.* Item c. fin. l. 2. Decret. tit. 26. *Synodali judicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide praescriptio tam canonica, quam civilis.* Nec sufficit tantum bona fides ab initio, sed quamdiu currit praescriptio, ita ut haec interrumpatur, quamdiu desinit bona fides, in hoc correctum est jus civile a jure canonico; c. enim cit. porro ita statuitur: *Cum generaliter sit omni constitutioni atque consuetudini derogandum, quae absque peccato mortali non potest observari; unde oportet, ut qui praescribit, in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienae.* Vide ibid. c. *vigilantis.* Haec confirmata vide in Tom. III. Bullarii Bened. XIV. epist. quae incipit: *Urbem Antibarum.* §. 23. Si dubitans possessionem inchoet, nulla est bona fides, quia stante dubio non habetur judicium prudens de re ut sua; ergo talis se exponit periculo occupandi rem alienam, et formaliter peccandi. Qui de re jam bona fide possessa incipit dubitare, tenetur inquirere; si dubium vincere nequeat, licite potest se resolvere ad eam detinendam, quia melior est conditio possidentis. Porro fides requisita debet esse theologice et juridice bona, hoc est, non tantum debet esse absque peccato, sed etiam non debet adesse *ignorantia juris;* bonae tamen fidei non obest *ignorantia facti*, l. 4. ff. de juris et facti ignorantia.

884. III. Requiritur *titulus*, qui triplex est. Alius verus, qui nullo substantiali vitio laborat, v. g. valida emptio. Alius *coloratus*, sive apparens, qui occulta laborat nullitate, v. g. si a Titio emas rem, quam putabas esse Titii: cum tamen sit Caji. Alius *existimatus*, qui prudenter creditur intervenisse, et tamen non intervenit, v.g. si ex haereditate possideas rem, quae a patre tuo dicitur empta fuisse, cum tamen empta non sit. Alius est *praesumptus*, quando nequidem allegari potest certus titulus, sed tantum praesumitur intervenisse ob longitudinem temporis. Haec conditio expresse habetur l. 24. Cod. de rei vind. *Nullo justo titulo praecedente, possidentes ratio juris quaerere dominium prohibet.* Non tamen requiritur titulus verus; hic enim statim se solo sine praescriptione dominium transfert. In praescriptione ordinaria brevis vel longi temporis, scilicet 3, 10, 20 annorum debet posse allegari, et probari certus titulus coloratus vel existimatus. In praescriptione longissimi temporis 30 vel 40 annorum vel extraordinaria praesumitur ex diuturnitate temporis titulus, *nisi jus commune praescribenti resistat;* sic qui contra Ecclesiam Parochialem praescribere vult decimas, praeter possessionem 40 annorum debet vel docere titulum, vel tempus immemorabile.

885. IV. *Requiritur possessio continuata per tempus lege definitum.* Vide dicta n. 863. sub finem. Tempus in jure aliud dicitur *breve*, quod est infra decem annos: aliud *longum*, quod inter praesentes (qui habitant in eodem territorio) est saltem 10 annorum, inter absentes 20: aliud *longissimum*, quod est saltem 30 annorum. Tempus *immemorabile* dicitur, cujus nescitur initium. Ad praescribendum *res mobiles privatorum*, ut sunt pecuniae, vestes etc. requiritur triennium, tum ex l. 2. Instit. tit. 6. de usucap. et longi temp. praescript. init. *Res mobiles per triennium, immobiles vero per longi temporis possessionem (id est, inter praesentes decennio, inter absentes viginti annis) usucapiantur;* tum ex l. un. Cod. de usucap. transform. si praescriptio fiat cum titulo et bona fide; si fiat sine titulo, requiruntur 30 anni.

Eadem praescriptio triennalis etiam procedit adversus res pertinentes ad Ecclesiam. *Laymann* l. 3. de Just. t. 1. c. 8. n. 13. Res vero mobiles sine titulo usucapiuntur triginta annorum spatio: excipiuntur etiam res mobiles furtivae, vel vi acceptae res immobiles, ad quarum praescriptionem requiruntur 30 anni. Inst. l. 2. tit. 6. §. *furtivae:* non eo sensu, quasi fur possit praescribere, cum sit possessor malae fidei, sed hoc sensu, quod alius, qui rem furtivam bona fide emit, vel ejus haeres factus est, spatio 30 annorum possit praescribere, ut habetur ibid. §. 3. Item eo casu, quo ipsi furi supervenerit bona fides, v. g. quia a Confessario ei dictum est, licite tunc rem potuisse accipi vel retineri, ut ait *La Croix* l. c. n. 531.... 2. Res minorennium non praescribuntur, nisi triginta annis. Ibid. 3. *Res immobiles spectantes ad privatos* praescribuntur cum titulo inter praesentes decennio, inter absentes spatio 20 annorum: sine titulo spatio 30 annorum. Excipe etiam, si res immobilis a possessore malae fidei ad te pacto vel contractu translata sit, non poteris, domino ignorante, ante 30 annos usucapere. *Laym.* l. c. Dixi, *res immobiles privatorum:* nam bona tum mobilia, tum immobilia fisco jam incorporata 30 vel 40 annis usucapiuntur: adversus Ecclesiam Romanam, h. e. Lateranensem, et summum Pontificem centum annis praescriptio perficitur, c. *ad audientiam.* c. *illud* de praescript.: adversus Ecclesias inferiores, hospitalia, causas pias, et civitates spatio 40 annorum. Vide *Laym.* l. c. Res pupillorum tantum praescribuntur tempore immemorabili l. 3. Cod. de praescr. 30. vel 40. annorum.

886. Porro juxta reg. 3. Jur. in 6. *sine possessione praescriptio non procedit*; ad eam inchoandam requiritur possessio naturalis et civilis; ad continuandam vero sufficit civilis, L. 1. 6. et 25. ff. de acquir. possess., item l. 4. cod. de acquir. et retin. possess. diserte dicitur: *licet possessio nudo animo acquiri non possit, tamen solo animo retineri potest. Possessio facti* dicitur, qua insistitur rei, praescindendo, an juste, vel injuste: *Juris* vero, qua juste rei insistitur. Possessio facti iterum alia est *naturalis*, qua quis corpore et animo insistit rei; alia *civilis*, qua solo animo res tenetur, etsi alius insistat re, et facto. Denique possessio debet esse propria sive fieri nomine proprio, non alieno; hinc qui detinent rem non ut suam, sed nomine alterius, ut depositarius, commodatarius, locatarius, tutor etc. non possident, nec unquam praescribunt. Probabiliter creditori intra 30 annos debitum non petenti etiam opponi juste potest exceptio praescriptionis. Plura apud J. C.

« *Q.* Quae impedimenta praescriptionis.

« R. Aliqua faciunt, ut *non procedat*, *non currat* praescriptio, hoc est, « ut initio statim defectus se opponat, vi cujus ne quidem inchoari possit, « e. g. antecessor rem furto aut vi possedit, si hoc deprehendat successor, « nunquam potest hic successor inchoare praescriptionem; si vero non de- « prehendat, poterit successor particularis cum bona fide tempore ordinario « praescribere, successor universalis vero solum tempore longissimo: est « autem *universalis*, qui titulo haereditatis immediate auctori fidei succe- « dit: *particularis*, qui titulo alio, e. g. empti, donati, legati etc.

» Aliqua praescriptionem *interrumpunt*, hoc est, inchoatam jam ita extinguunt, ut remoto etiam impedimento tempus praecedens computari » non possit; e. g. si detegatur defectus bonae fidei, si oriatur inhabilitas » possessionis, si lis coram judice desuper fuerit contestata etc.

» Aliqua praescriptionem faciunt *dormire*, id est, inchoatam inhibent interim, ita tamen ut remoto hoc impedimento tempus praecedens, cum subsequente queat computari, e. g. respectu omnium dormit praescriptio tempore belli grassantis, pestis etc., ubi nemo potest in tribunalibus jus suum » persequi: respectu Ecclesiae, quando haec viduatur Rectore; respectu filiifamilias quoad bona adventitia, quando est adhuc sub patria potestate, respectu uxoris quoad bona dotalia, quamdiu vivit maritus etc. Denique

» *rescinditur* praescriptio per restitutionem in integrum, qua gaudent » Minores per 4. annos post adeptam Majorennitatem, Ecclesiae 4. an- » nis ab inito contractu vel sententia, et omnes illi, qui aliena volun- » tate reguntur, ut Communitas, hospitalia etc.

» De successione ab intestato vid. post n. 956.

» *Non usu capies, nisi sint tibi talia quinque.*
» 1. *Sit res apta*, 2. *fides bona*, 3. *sit titulus quoque justus.*
» 4. *Possideas juste.* 5. *completo tempore legis.*

ARTICULUS V. *Principia generalia de dominio ex contractibus.*

§. I. *De contractibus in genere.*

887. *Nota.* Contractus late sumitur. 1. Pro quolibet pacto, aut conventione, sive inde oriatur obligatio sive non, et definitur: *Duorum pluriumve in idem placitum consensus.* L. 1. ff. de pactis. 2. Stricte pro tali conventione aliquorum inter se, ex qua utrinque nascitur obligatio, et dicitur contractus *onerosus.* Sic l. *Labeo* 19. ff. de V. S. definitur: *ultro citroque obligatio*, scil. causaliter; contractus enim causat obligationem. 3. Sumitur modo quodam medio, vi cujus in una tantum parte oritur obligatio: hic vocatur contractus *lucrativus*, ut donatio. Porro pactum stricte tale per se quidem obligat in conscientia sicut contractus; differt tamen ab eo, quod hic simul pariat actionem civilem, pacto autem tantum concedatur actio praetoria. Ex his contractus, de quo hic agemus, recte definitur: *Duorum vel plurium in idem consensus liber et legitimus, quo vel se invicem, vel saltem unus se alteri obligat ad aliquid dandum, vel agendum.* Inter alias divisiones contractus celeberrima est in Nominatum, et Innominatum. *Nominatus* est, qui in jure habet proprium nomen: *Innominatus* venit nomine communi conventionis, pacti, commutationis etc. Hic fit variis modis, v. g. *do tibi, ut des: do, ut facias: facio, ut des: facio, ut facias.* L. 5. ff. de praescript. verb.

888. *Principium.* Ut validus sit contractus, et inducat obligationem in conscientia requiritur I. *Consensus internus*, h. e. voluntas explicita, vel implicita se obligandi. *Prob.* 1. ex l. 3. ff. de oblig. et act. *Non satis est dantis esse nummos, et fieri accipientis ut obligatio nascatur: sed etiam hoc animo dari et accipi, ut obligatio constituatur:* et l. 1. ff. de Pact. *Nam et stipulatio, quae verbis fit, nisi habeat consensum, nulla est.* Prob. 2. Obligatio, quae est ex contractu, nascitur a voluntate se obligantis; ideo enim obligor, quia volui; ergo ubi non est voluntas se obligandi, non est obligatio; ergo cum contractus essentialiter causet obligationem, deficiente voluntate se obligandi, deest essentia contractus. Ita *Sanch.*, *Lugo* hic d. 22. n. 45. et alii contra *Vasq.*, *Dicast.* Dixi, *voluntas explicita vel implicita; explicite* enim se obligat, qui id verbis, signis, aut scriptura exprimit; *implicite*, qui vult aliquid cum tali obligatione connexum. Sic admittens officium judicis se obligat ad ferendas sententias justas.

889. II. Requiritur *consensus liber*, scil. ab inadvertentia, ut fiat cum tali deliberatione, quae sufficeret ad peccatum grave. Item *liber* ab ignorantia, et errore circa *substantiam* contractus: hinc nullus est contractus, si emas vitrum, putans esse gemmam; validus autem est contractus, licet interveniat error vel dolus circa circumstantiam accidentalem; quia manet consensus circa substantiam, nisi contrahens expresse intendat se non obligare non existente hac vel illa qualitate, ut ait *Laym.* l. 3. t. 4. c. 5. n. 3.

890. III. Requiritur, ut consensus sit etiam externe manifestatus, quia contractus est actus humani commercii; homines autem non penetrant inter-

na: ergo ut valeat, et obliget contractus, debet fieri per signa externa. *La Croix* l. 3. p. 2. n. 654. cum. *Lugone, et Dicast.*

891. IV. Reliquae conditiones sunt 1. Ut consensus fiat a persona habente rerum suarum administrationem. 2. Ut sit legitimus, sive lege non prohibitus. 3. Ut sit circa materiam possibilem, et honestam.

» *Q.* Quinam contrahere possint.

» *Nota* 1. *Pupillus* est impubes, qui desinit esse in patria potestate per » emancipationem expressam coram judice, et hodie per tacitam ineun- » do matrimonium, et erigendo peculiarem familiam, per professionem » religiosam, per electionem ad Episcopatum, per mortem patris natura- » lem, aut civilem alterutrius, id est diminutionem capitis maximam vel » mediam; *Minor* vero pubes, qui nondum annum 25. de jure communi » implevit. *Differunt* 1. *aetate*; nam pupillus mas nondum implevit annum » 14. et si nondum attingit annum 10. cum dimidio, dicitur infantiae proxi- » mus; foemella autem 12. et 9. cum dimidio. 2. Pupillis datur tutor ad » eorum *personas*, *et bona*; minoribus solum ad bona curator. 3. Pupillis » *invitis* potest tutor dari ad omnia, minoribus invitis tantum ad litem. 4. Pu- » pillus nondum est *omnino liber* quoad obligationes personales, e. g. vota » personalia, matrimonium, statum religiosum, nec potest ante profes- » sionem religiosam per ultimam voluntatem disponere, prout Minor etc.

» R. *Generatim* illi possunt contrahere, qui habent usum rationis, et » liberam bonorum administrationem. *In specie.* 1. *Pupillus* proximus in- » fantiae nihil potest disponere *sine consensu tutoris*; ob defectum ratio- » nis enim, ait jus, non multum a furioso differt: pubertati vero proxime, » seu ut hodie volunt, usu rationis praeditus probabilius valide contrahit » cum Majore in suum commodum, id est, si, et in quantum factus est » ditior; in contractibus autem onerosis, vel deteriorativis datur claudi- » catio, ut Major obligetur, non item pupillus, et si contractus execu- » tioni datus est, habet pupillus privilegium restitutionis in integrum intra » 4. annos adeptae pubertatis, et non impeditae actionis. Ita *Antoine, Biner, Rosmer cum communi.* 2. Potest tamen *cum consensu tutoris* contractus » etiam onerosos, et alienativos inire circa bona mobilia non valde pre- » tiosa, circa mobilia vero valde pretiosa, aut immobilia solum potest sub » triplici conditione, consensu tutoris, decreto judicis vel magistratus, » cognitione causae. *Ratio* est favor aetatis, et conditionis pupillaris.

» Minor *non habens curatorem* potest valide, et simpliciter contrahe- » re de mobilibus minus pretiosis, aut pretiosis, sed servando non ser- » vabilibus; habet tamen restitutionem in integrum, si ex contractu lae- » sus est. L. 3. c. de integr. rest. 2. *Habens curatorem* sine hujus con- » sensu potest solum valide in suum commodum de dictis bonis contrahe- » re; de immobilibus vero, et mobilibus pretiosis, quae servando ser- » vari possunt, necessarium est decretum et approbatio judicis vel ma- » gistratus. Quare multum interest inter contractus *lucrativos seu melio- » rativos*, et inter onerosos vel deteriorativos.

Casus I.

Damasus ebrius vendit equum; altera die facti poenitens confirmat contractum, si emptor Cajus velit auxilium praestare ad inferendum grave damnum. Davidi. Consentit Cajus; uterque confirmat contractum juramento.

892. *Q.* I. An valeat contractus a Damaso in ebrietate initus. R. In plena ebrietate initus non valet, ob defectum usus rationis, consequenter etiam deliberationis. Eodem modo non obligantur, nec obligant dormientes, furiosi, et fatui, nisi tempore lucidi intervalli. Sunt tamen capaces iltarum obligationum, quae non fundantur in potentia proxime libera, sive ad quas

non requiritur ipsorum consensus; sic amens, si fiat haeres, debet solvere legata: hinc jus providit, ut alii, scil. tutores, curatores, vel administratores, vel ipsae Resp. eorum personas repraesentent. Denique cum vere probabile sit, et in praxi tutum, ut ait *Platel.* hic n. 593. quod pupillus non obligetur in conscientia, si pubertati proximus contrahat sine auctoritate tutoris; hinc in praxi tuta conscientia potest se conformare sententiae sibi faventi, ita ut non teneatur ad solutionem, nisi in quantum factus est ditior. Vide Theol. Schol. de J. et J.

893. *Q.* II. An contractus secundus cum conditione inducente ad peccatum obliget. R. *Negative:* contractus enim de re illicita omni jure est irritus, quia non potest dari obligatio ad peccatum, nec contractus potest esse vinculum iniquitatis. Nihilominus conditione impleta (dummodo pretio sit aestimabilis ob laborem, periculum, commodum, delectationem) contrahens obligatur ad implendum promissum. Item si unus contrahens expleverit suam partem, obligatur alter explere suam partem, *si licita sit*, secus si et illa illicita esset. Vide dicta n. 542. Sic contractus cum meretrice, turpi opere impleto, obligat promissorem in conscientia pactam mercedem dare, et promissaria potest acceptam retinere. *Platel.* hic num 589. cum *Covar.*, *Cajet*, et *Less.* Solutio enim mercedis de se non est mala.

894. *Q.* III. An contractus ad inferendum damnum proximo saltem juramento firmetur. R. *Negative.* Vide dicta n. 525. *Adverte* hic sequentia. 1. Contractus jure naturae aut divino irriti, aut qui vel cedunt in praejudicium tertii, aut reipubl., vel qui sunt de re intrinsece inhonesta, vel qui perpetuam ex parte jurantis, vel etiam creditoris, aut promissarii, turpitudinem continent, ut est pactum de usuris, de prostitutione corporis etc. juramento non confirmantur, quia ubi nulla est substantia contractus, nihil est, quod possit firmari: atqui in dictis casibus non adest substantia contractus: ergo. 2. Nec juramento firmantur illi contractus, qui jure humano absolute prohibiti sunt sub peccato in conscientia, vel irritati ob bonum publicum; hoc ipso enim, quod tales contractus absque peccato iniri nequeant, non tantum ipsi, sed etiam juramentum irritatur ob causas publicas et graves, utpote quod non potest esse vinculum iniquitatis. 3. Nec illi, quos jus humanum non tantum irritat, sed etiam juramentum eis adjectum expresse vult esse sine viribus; tunc enim illud nequidem parit obligationem religionis. *Pichler* l. 2. t. 24. n. 2.

895. *Q.* IV. An juramentum firmet illos contractus, qui a jure humano praesertim civili invalidantur principaliter propter bonum privatorum. R. Affirmativam tenent *Covar.*, *Suarez*, *Azor.*, *Haun.* et plures alii: negativam *Gletle*, *Wistner* de Jurejur. n. 78., *Pichler* l. c. n. 48. Hinc Confessarius potest in favorem poenitentis resolvere, praesertim si sequentibus actibus juramentum sit adjectum: 1. Si alienationi rerum dotalium et donationum propter nuptias. 2. Si pacto, quo filia renunciat haereditati paternae. 3. Si contractui minoris absque auctoritate tutoris. 4. Si donationi omnium bonorum praesentium et futurorum. 5. Si donationi 500 solidos excedenti, et factae absque insinuatione apud judicem. 6. Si promissioni non revocandi testamentum, aut instituendi certum haeredem. 7. Si fidejussioni mulieris renunciantis S. C. Vellejano. 8. Si mutuationi filiifamilias renunciantis S. C. Macedoniano etc. In his et similibus juramentis prudens Confessarius potest suadere relaxationem petendam, ut liberetur ab obligatione religionis; juramentum enim etsi non firmet contractum, servandum tamen est, quoties servari potest sine peccato, non quidem ex justitia, sed ex religione. Sic qui metu mortis aliquid jurato promisit latroni, vel usurario promisit solvere usuras, tenetur solvere, vel petere relaxationem a latrone, vel usurario, qui eam ex justitia dare tenetur, vel si nolint, ab Episcopo. Vide c. 6. 18. et 26. de jurejur., *Suar.*, *Less.*, *Haun.*, *Jansen.* casu 50. n. 15.

Casus II.

Dunstanus nuper contraxit, sed ex errore egregie deceptus est. Idem ex metu iniit contractum; dubitat proinde an obligetur ex utroque contractu.

896. *Q.* I. Quid ad primum. R. Si error vel dolus fuerit circa substantiam, non obligatur, v. g. si aurichalcum emerit pro auro; quia error circa substantiam facit non cognosci substantiam, ergo impedit consensum in substantiam, qui est de essentia contractus. Valet vero contractus, si erraverit circa qualitates impulsivas, etsi error sit antecedens, vel proveniat ab altera parte contrahente, aut aliquo tertio, v. g. si emerit equum decennem, quem putavit esse quinquennem. Si tamen accidens vel qualitas teneat se ex parte motivi, aut materiae primario intentae, error vitiat contractum, v. g. si promittam elemosynam Petro diviti, putans me promittere Paulo pauperi, error afficit substantiam; quia motivum principale erat sublevare pauperem, qualis non erat Petrus. *Laym.* l. c.

897. *Q.* II. An metus vitiet contractum. R. 1. Nullus metus intrinsecus (h. e. ortus a causa naturali, v. g. a morbo, a tempestate, a bestia etc.) nec extrinsecus, scil. incussus a causa libera, si juste incussus sit, invalidat contractum, nec facit rescindibilem, quia stante tali metu simpliciter manet voluntarium; et cum justus sit metus, nulla intervenit injustitia: ergo. R. 2. Metus gravis, qui vehementer conturbat, nec facile superari potest, injuste incussus ab extrinseco non quidem invalidat contractum ordinarie, facit tamen eum rescindibilem ob injuriam, quae per talem metum causatur. *Laym.* l. 3. de Just. tit. 4. c. 6. n. 2. cum *Vasq.*, *Suar.*, *Coninch.* et aliis contra *Molin.*, *Rebell.* et *Sporer*, qui dicunt ejusmodi contractus jure naturae esse nullos, eoquod ex actione injuriosa nemo sibi possit acquirere jus. At negatur suppositum, quod metum incutiens acquirat jus ex iniqua sua coactione; id enim oritur ex alterius consensu simpliciter voluntario. Dixi, *ordinarie*; excipitur enim 1. Contractus matrimonialis. c. 15. de spons. 2. Professio religiosa. c. 1. de his, quae vi in 6. . . 3. Traditio vel promissio de rebus Ecclesiae. c. 2. de jurejur. 4. Absolutio a censuris. c. 1. de his, quae vi in 6. etc.

Quinam contractus ex metu injusto initi, sint profecto irriti; quinam vere irritandi, colligere poteris ex versibus sequentibus.

Tutor, judicium, dos, sacrum, copula, votum:
Haec ex vi facta, de jure scias fore nulla.
Caetera jus patitur, sed postea restituentur.

§. II. *Principia generalia de promissione, donatione, commodato et deposito.*

898. Princip. I. *Promissio est deliberata, et spontanea fidei obligatio facta homini de re quapiam bona et possibili*, addunt alii, *exterius manifestata, et ab altero acceptata.* Promissio nuda probabilius obligat de se ex sola fidelitate sub veniali. Ita *Cajet.*, *Diana*, *Babenst.* t. 7. d. 6. a. 2. n. 11. Dixi 1. *promissio nuda:* si enim vestiatur juramento, chirographo, adhibitione notarii vel testium, obligat ex justitia et sub peccato gravi, secundum quantitatem materiae; quae tamen juxta *Steph.* duplo, juxta *Reginaldum* l. 25. n. 84. cum *Th. Sanch.* quadruplo major contra *Navar.* requiritur ad mortale injustitiae ex liberali promissione, quam ex furto; quia homines magis inviti sunt, et gravius conqueruntur de re sua ablata furto, quam de non impleta promissione liberali. Dixi 2. *obligat sub veniali:* quia nuda promissio manet sub solo debito fidelitatis, juxta *S. Th.* 2. 2. q. 88. a. 3. ad 1.

Atqui sola fidelitas obligat tantum sub veniali de se ad conformanda facta promissis, sicut veracitas ad conformanda dicta menti: ergo. Dixi 3. *de se:* quia si promissor intendat, se ex justitia in re notabili obligare graviter, orietur obligatio gravis; obligatio enim pendet ex intentione promittentis. Ex his resolves sequentia.

Dativa promisit Dafrosae novam vestem: dubitat autem, aut nequidem cogitavit, an se voluerit obligare ex sola fidelitate, an sub veniali aut mortali.

899. *Q.* I. Quo modo obligetur. R. Probabilius sub veniali, etsi materia sit gravis; quia sic promittentes non intendunt, nec censeri possunt, se velle obligare, nisi ad id quod exigit natura promissionis liberalis: atqui haec exigit obligationem tantum levem ex sola fidelitate: ergo. *Confirm.* Promittens in hoc casu est dubia: ergo sicut in lege, quando dubium est an obliget graviter vel leviter, possum eligere quod minus est, ita in promissione, quae est quasi lex privata. *Sporer* t. 6. c. 2. n. 69. cum *Mol.* et *Lug.* Ideo juxta *Sanch.* l. 1. de matrim. d. 5. n. 21. plurimae promissiones excusantur a mortali, quia non intendunt homines se praecise, et simpliciter obligare, sed ex quadam benevola honestate.

900. *Q.* II. Quando promissio non obliget. R. Non obligat 1. Si non sufficienter deliberate facta sit, nimirum deliberatione tali, quae alias sufficeret ad peccatum mortale: semiplena enim non sufficit ad imponendam sibi obligationem gravem. *Babenst.* l. c. n. 2... 2. Si non sit spontanea: ideo promissio fraude vel metu injusto etiam levi extorta, ab eo qui fraudem vel metum passus est, pro libitu potest rescindi, nisi firmata sit juramento. *Jansen.* casu 51. n. 1... 3. Si mere interna sit: nam licet talis sufficiat in voto, quod fit Deo; non tamen sufficit si homini fiat, utpote qui eam non potest cognoscere. 4. Si mere externa absque animo se obligandi. 5. Si non acceptata.

901. Denique promissio cessat 1. Si res promissa fiat illicita, vel promissario inutilis. 2. Ex partium consensu. 3. Si promissarius tuus non stet promisso tibi facto: haec enim prudenter censetur fuisse voluntas promissoris, ut frangenti fidem fides frangatur eidem. Ita *Sa, Babenst.* l. c. n. 15. Generaliter si notabilis facta sit vel promittentis vel rei mutatio, ita ut ante traditionem rei promissae grave et novum obveniat promissori incommodum; quae conditio juxta *Dicast.* etiam locum habet in promissione jurata, quia liberalis promissio prudenter censetur facta sub conditione, nisi status ante traditionem notabiliter mutetur; praevisa enim tali mutatione promissio non fuisset facta. *Bonac.* de contract. d. 3. q. 12. punct. ult.

902. Princip. II. *Donatio est rei propriae collatio nullo jure cogente, sed mere liberaliter alteri facta.* Donatio *antidoralis* fit ex gratitudine ob praestitum beneficium vel obsequium; hinc non est mere liberalis, nec stricte dicta donatio. Dixi, *collatio rei:* quia per donationem transfertur dominium rei in donatarium, eique *post acceptationem* acquiritur jus, et actio contra donantem. Ante acceptationem donatio non parit obligationem; ideoque potest revocari, etiamsi donans voluerit se absolute obligare. Ex his resolves sequentia.

Daniel donavit Domitillae pretiosum annulum pertinentem ad sororem suam. Idem verbaliter donat Daciano horologium aureum, Damiano autem illud donat realiter cum traditione; mox facti poenitens horologium repetit; cum uterque donatarius non acquiesceret, utrique rem pretiosiorem donat, sed mortis causa.

903. *Q.* I. An donatio Domitillae facta valeat. R. *Negative*, quia nemo potest donare, nisi rem suam, de aliena autem disponere nequit: ergo cum ille annulus non fuerit Danielis, sed ejus sororis dominio, et dispositioni subjectus, tenetur illum repetere et restituere sorori.

904. *Q.* II. An Damianus possit retinere horologium antea verbaliter donatum Daciano. R. *Affirmative:* quia hic per traditionem acquisivit jus in re, Dacianus autem per donationem tantum jus ad rem obtinuit; unde habet tantum actionem contra donantem ad restituendum valorem rei, nisi donans revocasset ex justa causa donationem. *Jansen.* casu 52. n. 2.

905. *Adverte* I. *Donatio inter vivos* dicitur, quia quis se vivo rem absolute vult esse alterius: ea regulariter non potest revocari, nisi in tribus casibus in jure expressis. 1. Ob *ingratitudinem*, quae de jure quinque casus comprehendit; scil. 1. Si donatarius verbo vel facto injurias atroces in donatorem effundat, laedendo ejus honorem. 2. Si atrocem injuriam in bonis fortunae. 3. Si per se, vel per alium impias manus injecerit. 4. Si vitae periculum aliquod ei intulerit, etiam morte non secuta. 5. Si conditiones donationi conjunctas non impleverit, l. fin. cod. de revocand. donat. Debet tamen ingratitudo probari coram judice, post cujus sententiam donatarius tenetur rem cum fructibus post litem contestatam perceptis restituere, non vero ante sententiam. *Excipiuntur* donationes ob ingratitudinem non revocabiles. 1. *Donatio facta Ecclesiae, vel loco pio*, v. g. monasterio, quia haec donatio primario facta est Deo, qui ingratus esse nequit. *Barbosa* in cit. c. fin. n. 15.. 2. *Donatio remuneratoria*, quia in odiosis non venit nomine donationis. *Barb.* ibid. n. 17... 3. *Donatio facta filiae in dotem*, l. si dotem 24. cod. de jure dotium. 4. Si donator scivit ingratitudinem, et donationem non revocavit, censetur eam remisisse, nec haeres, vel successor ejus potest revocare; secus si donator lite contestata contra ingratum decesserit, vel ingratitudinem ignoraverit. *Reiffenst.* hic n. 64. contra *La Croix.*

906. 2. Revocari potest donatio, si donator carens prole magnam partem bonorum suorum donarit, eique postea nascatur proles, l. *si unquam* cod. de revoc. don. *Excipe* donationem antidoralem, et factam Ecclesiae, quae tantum revocatur usque ad legitimam filiis jure debitam; quamvis ob aedificationem populi praestet totum refundere.

907. 3. Revocari potest, si sit *inofficiosa* donatio, sive contra officium paternae pietatis in filios, v. g. si pater uni vel alteri ex filiis aut extraneo tantum donarit, ut reliqui filii priventur sua portione legitima. Donatio filio, aut Ecclesiae facta revocari solet per sententiam judicis usque ad legitimam aliorum; facta extraneo revocatur in toto, l. 1. et seq. de inoffic. donat.

908. *Adverte* II. *Donatio mortis causa* dicitur, qua quis sic donat, ut rem velit esse alterius, sed nonnisi post mortem suam, v. g. si dicas *do tibi hoc post mortem, vel cum moriar, vel quia timeo, me nunc moriturum. Busemb.* Revocari haec potest 1. Si donatorem poeniteat expresse, vel implicite, v. g. si rem alteri donet. 2. Si donatio fuit facta ex metu periculi, ex quo donator timuit mortem, v. g. instante praelio, vel gravi morbo, illudque periculum evaserit, censetur tunc tacite revocata promissio. 3. Si donatarius ante donatorem moriatur, ipso jure revocata est. In dubio, an donatio sit facta inter vivos, vel mortis causa, censetur facta inter vivos, quia haec est principalior. Denique si donator mortis causa promittat, se donationem non revocaturum, ea transit in donationem inter vivos. *Less.* hic n. 114., *Laym.* l. 3. t. 4. c. 12.

909. Princip. III. *Commodatum est contractus gratuitus, quo res aliqua mobilis, vel immobilis conceditur ad solum usum pro certo tempore.* Si concedatur pro indeterminato tempore donec revocetur, est *precarium.* Res, quae usu statim consumuntur, ut pecunia, vinum, frumentum, proprie commodari non possunt, nisi forte ad pompam vel ostentationem. Dixi 1. *Gratuitus*, per hoc distinguitur a locato, et aliis contractibus onerosis. Dixi 2. *ad solum usum*, per quod differt a pignore et deposito, quorum usus non conceditur. *Obligationes* commodatarii sunt: 1. Tenetur restituere rem numero, et qualitate eamdem. 2. Ei non licet rem commodatam ad alium usum impendere

quam ad eum, ad quem concessa est; si adhibeat eam ad alium usum, et ipsa pereat, vel si pereat alia ex culpa, tenetur restituere in aequivalenti. 3. Si non restituat tempore determinato, et mora sit culpabilis, tenetur reparare damnum ex mora emergens. 4. Commodatarius tenetur ad expensas *ordinarias*, v. g. ad pabulum, aut soleas equi reparandas; non autem ad *extraordinarias*, quae v. g. in curationem equi infirmi fieri debent; ad has enim tenetur commodans. Nec commodatarius tenetur ad casum fortuitum, nisi sua mora causa sit, quod tali casu res commodata pereat, eodem tempore non peritura apud dominum. Ita *Less.*, *Reiffenst.* et alii. Vide l. fin. ff. commodati.

910. *Q.* Quid? si Titius commodaret Cajo equum morbo contagioso infectum, a quo inficerentur equi ipsius Caji. R. Debuisset vitium aperire; hinc tenetur commodatario de omni damno, quia illius causa est. Ita *Jansen.* cas. 53. n. 8.

911. Princip. IV. *Depositum est contractus, quo rei alienae custodia gratis suscipitur.* Obligationes depositarii sunt 1. Ut depositum statim reddat deponenti, si illud repetat. Si res deposita sit furtiva, eamque et fur, et dominus repetant, si certo constet de jure domini, reddenda est domino, non furi. 2. Tenetur per se loquendo eamdem rem numero reddere, nec licet ea uti, l. 3. cod. depos., nisi bona fide, et prudenter existimet fore ut depositori non displiceat, si ea utatur, maxime si res non consumatur usu, aut saltem in eadem bonitate reddi possit, quamprimum depositor voluerit. Ita *Less. Excipe:* Nisi res deposita inclusa sit arcae. 3. Tenetur ad diligentem rei depositae custodiam; hinc si ea pereat ex dolo, vel alia culpa theologica gravi, tenetur eam compensare depositarius. Ita *Communis.* An vero teneatur ex culpa juridica lata, levi, et ut quidam volunt, etiam levissima disceptatur. *Laym.* l. 3. de Just. t. 4. c. 25. tradit sequentes regulas dicens: In tribus casibus fortuitis tenetur de culpa depositarius. I. *Si ita conventum sit; nam contractus ex conventione legem accipiunt.* II. *Si aliquis deposito se ipsum obtulit; quia majorem prae aliis custodiendi curam promittere videtur*, nisi, ut saepe fit, simul dicat, quod velit quidem id officii in se suscipere, nolit autem damnum praestare. III. *Si depositarius mercedem accipiat sive pro custodia, sive quod rem elaborare debeat*, v. g. *sartor vestem sarciendo, vel aurifaber aurum elaborando; transit enim tunc contractus in locationem etc.* Ideo aliqui volunt, tales teneri etiam ex culpa levi, quia depositio transit in eorum commodum.

912. *Q.* De qua culpa teneantur caupones, nautae, stabularii circa res apud se depositas, item molitores circa frumenta sibi commissa, item balneator circa vestes apud se depositas: respondent quidem graves AA. eos teneri etiam ex culpa levissima, modo viderint, res apud se deponi, nisi praedixerint deponentibus, ut suarum rerum curam gererent, et ii consenserint. Probant ex l. Nauta, ff. *Nautae, Cauponae, et Stabularii*, ibid. ex l. ult. At respondet *Reginald.* l. 25. n. 568. quod hae leges de culpa levissima in conscientia non inducant obligationem, nisi post sententiam judicis eoquod sint poenales, fundatae in praesumptione contra nautas etc., vel intelligendae sunt de eo custode, qui mercede specialiter conductus, aut expressa conventione obligavit se ad exactissimam diligentiam praestandam, qui utique de culpa levissima tenetur: secus est de culpa lata, quae cum acquiparetur dolo, ante sententiam judicis obligat in conscientia. Denique deponens tenetur aperire vitium rei, ex quo depositario potest damnum obvenire, v. g. si res deposita sit peste infecta, item ad expensas forte faciendas in servando, aut reddendo deposito. *Platel.* hic n. 620.

913. Species depositi est *sequestrum*, quo res controversa deponitur apud tertium eo fine, ut post sententiam judicis ea vincenti tradatur. Vide *Laym.* l. c. n. 7.

§. III. *Principia generalia de mutuo, et usura.*

914. *Principium I. Mutuum* (prout hic sumitur) *est contractus, quo rei alicujus numero, pondere, vel mensura constantis dominium transfertur in alium cum onere restituendi similem in specie, et qualitate tempore a mutuante praefixo.* Obligatio *mutuatoris* est, 1. Ut tradat rem absque vitio occulto. 2. Ut non repetat ante tempus praefixum, vel saltem non in continenti, ne videatur illusorie agere. Ita *Patel.* hic n. 622. Obligatio *mutuatarii* est, 1. Ne petat mutuum ab usurario, nisi urgente necessitate. 2. Tenetur reddere tempore praefixo. *Excipe* filiumfamilias adhuc constitutum sub patria potestate, qui mutuam accipiens pecuniam sine consensu patris, non tenetur ipse, nec ejus parentes eam restituere; quod non tenetur *civiliter*, nequidem post mortem patris, aut emancipationem, patet ex l. 1. et seqq. ff. de Maced. Probabilius etiam in foro conscientiae. Vide Theol. Schol. de J. et J., *Molinam* t. 2., *Lessium* l. 2. c. 20. dub. 2., *Laymann* l. 3. t. 4. c. 15. n. 5. contra *Covarr. Excipe*: nisi filius habeat bona castrensia, vel publice putabatur sui juris, vel pecunia sit expensa in utilitatem patris: alias exceptiones vide apud *Laym.* l. c. . . . 3. Tenetur mutuatarius de omni casu fortuito, quia res perit ipsi tanquam domino. *Patel.* n. 623. . . 4. Tenetur restituere rem absque mutuantis damno.

915. *Principium* II. *Usura* communiter sumitur pro *lucro ex mutuo*, hinc definitur lucrum immediate provenions ex mutuo tanquam debitum scil. ex justitia, vel practenso titulo gratitudinis, vel benevolentiae: hinc omne id, quod vi contractus mutui exigitur supra sortem, h. e. rem mutuatam, usura est. *Contractus usurarius* juxta *Sotum*, *Mol.*, *Lug.* est, quo mutuans obligat mutuatarium ad dandum aliquid pretio aestimabile supra sortem solo titulo mutui, seu propter usum ejusdem. Usura alia est *mentalis*, quando quis intendit lucrum ex mutuo tanquam ex justitia debitum, quamvis id in pactum non deducat. *Realis* alia, quando id clare, vel saltem signo aliquo pacto inscritur. Item alia dicitur *aperta*, formalis, sive expressa, quando aliquid in ipso contractu mutui ultra sortem, titulo, sive ratione formalis mutui exigitur: alia *palliata*, seu virtualis, et implicita, quando mutuum accipitur ratione alterius contractus, v. g. venditionis aut emptionis, qui virtualiter in se includit mutuum, v. g. si ob dilatam solutionem aliquid de justo pretio subtrahitur, vel ob anticipatam aliquid supra justum pretium exigitur,

» *Est* Usura, *suos quisquis tradit mihi nummos*
» *Spe lucri*, *foenus duplex* Usura *vocatur.*

916. Usura *mere lucratoria* hucusque descripta non solum ex genere suo est peccatum mortale, sed etiam parit obligationem restitutionis. *Prob.* 1. ex c. *Consuluit.* l. 5. Decret. *de Usuris*, ubi relatis variis speciebus usurae Urbanus III. ait: *Verum quia quid in his casibus tenendum sit, ex Evangelio Lucae* (cap. 6. v. 35.) *manifeste cognoscitur, in quo dicitur: date mutuum, nihil inde sperantes: hujusmodi homines pro intentione lucri, quam habent* (*cum omnis usura, et superabundantia prohibeatur in lege*) *judicandi sunt mala agere, et ad ea, quae taliter sunt accepta, restituenda, in animarum judicio efficaciter inducendi. Prob.* 2. ex Clementina de Usuris: *Si quis in illum errorem incideret, ut pertinaciter affirmare praesumat, exercere usuram non esse peccatum, decernimus velut haereticum puniendum.* Excusat tamen parvitas materiae, sicut in furto, usuram a peccato gravi, ut ait *Babenst.* t. 7. d. 6. a. 4. n. 13.

917. *Q.* An ex nullo titulo liceat unquam aliquid ultra sortem exigere. R. Ratione mutui praecise nunquam id licet, sed ratione alterius tituli justi cum mutuo per accidens, vel (ut ajunt) non ratione, sed occasione mutui conjuncti, et sic vocatur *usura compensatoria. Primus* ejusmodi titulus est, *damnum emergens*, quod mutuans patitur praecise ratione mutui, v. g. si mutuans indigeat pecunia sua ad emenda necessaria familiae suae, quae modo potest emere minore pretio, ex eo autem quod alteri pecuniam suam det mutuo, et aliam non habeat, cogitur postea majore pretio ea emere. *Secundus* titulus est *lucrum cessans*, quod scil. mutuans certo aut probabilissime fuisset consecuturus, nisi pecuniam suam dedisset mutuam. *Ratio* utriusque est, quia hac ratione non accipitur aliquid ultra sortem praecise ratione mutui, sed ratione damni pretio aestimabilis per accidens mutuo annexi, quod mutuans nullo titulo tenetur gratis subire, vel ratione lucri, cujus certa vel probabilissima spes pariter pretio aestimabilis est: ergo ejus compensatio in pactum juste deduci potest. *Confirm.* Sicut ratio dictat, mutuantem non debere fieri ditiorem ex damno mutuatarii, et solo titulo mutui lucrum accipere; ita pariter dictat, mutuantem in beneficio mutui debere servari indemnem: ergo a mutuatario juste potest exigere compensationem damni, quod ob mutuum praevidet sibi oriturum, vel lucri, quod alias fuisset facturus. Hanc doctrinam *Laym.* l. c. vocat communiter receptam contra *Scotum* in 4. d. 15. q. 2. a. 3. *Tertius* titulus est *periculum amittendae, vel difficulter recuperandae sortis*, eoquod nemo pro sorte fidejusserit, aut mutuatarius sit homo non industrius, decoctor, aut pluribus debitis jam obstrictus. Hunc titulum tanquam justum approbant *Joan. Medina, Corduba, Valent., Sa, Less., Lugo, Palao, Laym.*; *Viva*, et alii. *Ratio* est, quia hoc periculum est mutuo extrinsecum, et pretio aestimabile, quod quis se in tale periculum, vel difficultatem conjiciat; ergo quod propter istud periculum exigitur, non exigitur praecise ratione mutui, sed ratione alicujus pretio aestimabilis mutuo per accidens annexi. Negant vero ob periculum sortis amittendae posse aliquid ultra sortem accipi *Covar., Sot., Tolet., Rebell.* et alii. *Platelius* n. 639. utramque sententiam vocat valde probabilem, secundam quidem tutiorem, primam tamen certo probabilem, in qua fundari possit dictamen practice certum de licentia aliquid supra sortem isto titulo accipiendi.

918. *Adverte.* Ut praedicti tituli excusent, requiritur 1. Ut mutuatarius moneatur expresse de praestando damno, sive ut lucrum cessans, vel damnum emergens, vel sortis periculum deducatur expresse, vel tacite in pactum, fiatque contractus innominatus (v. g. desistam ab hoc lucro, aut subibo hoc damnum, vel periculum, ut des mihi quinque) ne decipiatur: forte enim nollet accipere mutuum cum tanto onere. *Laym.* l. c. n. 10... 2. Ne plus exigatur, quam valeat damnum, vel periculum in aestimatione prudentum; mutuans enim tantum habet jus, ut servetur indemnis: si aliam obligationem mutuatario imponat, ab usura non poterit excusari. *Duarte* V. usura. n. 543.

919. Confirmantur hucusque dicta ex lit. Encycl. *Bened. XIV.* de usuris, aliisque injustis quaestibus, quae incipiunt: *Vix pervenit.* Tom. I. ejusd. Bullarii pag. 578. ubi §. 3. ita habetur I. *Peccati genus illud, quod usura vocatur, quodque in contractu mutui propriam suam sedem, et locum habet, in eo est repositum, quod quis ex ipsomet mutuo, quod suapte natura tantumdem dumtaxat reddi postulat, quantum receptum est, plus sibi reddi velit, quam est receptum; ideoque ultra sortem lucrum aliquod ipsius ratione mutui sibi deberi contendat. Omne propterea hujusmodi lucrum, quod sortem superet, illicitum et usurarium est.* II. Ait, quod nec quantitas lucri, scil. *quod lucrum non excedens et nimium sed moderatum, non magnum sed exiguum sit:* nec qualitas mutuatarii, nimirum

quod is, a quo id lucrum solius causa mutui deposcitur, non pauper, sed dives existat, hujusmodi lucrum ab usurae labe liberet. III. Subdit; *per haec autem nequaquam negatur, posse quandoque una cum mutui contractu quosdam alios, ut ajunt, titulos eosdemque ipsimet universim naturae mutui minime innatos et intrinsecos, forte concurrere, ex quibus justa omnino legitimaque causa consurgat quiddam amplius supra sortem ex mutuo debitam rite exigendi. Neque item negatur, posse multoties pecuniam ab unoquoque suam, per alios diversae prorsus naturae a mutui natura contractus, recte collocari, et impendi, sive ad proventus sibi annuos conquirendos, sive etiam ad licitam mercaturam, et negotiationem exercendam, honestaque indidem lucra percipienda.* IV. Monet, vitandos tamen esse excessus contra justitiam. V. Denique animadvertendum esse concludit, *falso sibi quemquam et nonnisi temere persuasurum, reperiri semper, ac praesto ubique esse, vel una cum mutuo titulos alios legitimos, vel secluso etiam mutuo, contractus alios justos, quorum vel titulorum, vel contractuum praesidio, quotiescumque pecunia, frumentum, aliudve id generis alteri cuicumque creditur, toties semper liceat auctarium moderatum ultra sortem integram salvamque recipere. Ita si quis senserit, non modo divinis documentis, et catholicae Ecclesiae de usura judicio, sed ipsi etiam humano communi sensui, ac naturali rationi procul dubio adversabitur .... Quisquis igitur suae conscientiae consultum velit, inquirat prius diligenter, oportet, verene cum mutuo justus alius titulus, verene justus alter a mutuo contractus occurrat, quorum beneficio, quod quaerit lucrum, omnis labis expers et immune reddatur.*

Casus.

Dion minor emit a Domitio chirographum sive debitum mille florenorum, quos nobilis quidam debet Domitio, a quo Domitius aegre, et non nisi post multa incommoda vix tertiam partem solutionis extorquere poterit: facilius autem Dion integram statim extorquet ob gratiam, qua pollet apud eumdem nobilem.

920. *Q.* I. An talis emptio chirographi fieri possit sine usura. Respondet *Leonardelli* in decis. pract. cas. 4. *affirmative* cum *Molina* de Just. tr. 2. d. 361., *Lessio*, et aliis. *Ratio* est, quia pretium rei emptae non debet esse majus, quam quanti res tum in se valet, tum quanti valet ipsi creditori respectu status praesentis, et circumstantiarum, in quibus tunc versatur, quando venditur: atqui in nostro casu chirographum 1000 flor. neque in se, neque ipsi creditori Domitio valet mille florenis ratione difficultatis, molestiarum, expensarum pro extorquenda solutione faciendarum: ergo. Adde quod ipse emptor plerumque se exponat eidem periculo; cum gratia nobilium facile possit excidere. Notandum tamen 1. cum pretium determinatum et taxatum non sit a lege, taxandum illud est (ut ait *Lessius*) judicio prudentum, et Doctorum pro ratione majoris vel minoris spei, ac difficultatis ad obtinendam integram solutionem. Notandum 2. quod in ejusmodi emptionibus facile peccetur contra charitatem, si nimirum venditoribus chirographa vendere coactis justum ac rationabile pretium non detur, et emptor ingens lucrum inde reportet. 3. Notandum, quod ejusmodi chirographa non possint emi ab ipso debitore, vel ejus ministris, quibus ex officio incumbit praestare solutionem; hi enim sunt causa difficultatis, et periculosae solutionis, quam tenentur tollere, ut elapso termino satisfiat creditori.

921. *Q.* II. An licitum sit mutuanti aliquid supra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus. R. *Negative.* Vide propos. 42. ab *Alex. VII.* damnatam. Quia per hoc aperiretur janua usuris palliatis.

922. *Q.* III. An aliquid supra sortem liceat exigere ob majorem aestimationem, quam mutuator facit, pecuniae praesentis, quam futurae. R. Non licet. Vide propos. 42. ab *Innocent. XI.* damn. *Ratio* est, quia etsi respectu aliorum contractuum possit dici numerata et praesens pecunia melior; in ordine tamen ad contractum mutui id locum non habet. Nam in mutuo non spectatur utilitas, quam potest habere mutuator, si non mutuet; alias hoc ipso jam erit respectus ad lucrum cessans, quod tamen ex pecunia in scrinio asservata aeque parum haberet, quam ex futura ibidem inclusa.

923. Pariter illicitus est contractus Mohatrae, juxta propos. 40. ab *Innoc. XI.* damnatam: intervenit autem hic contractus, dictus Hispanis *Mohatra*, Italis *Stocco* seu *Barata*, dum Cajus indigens pecunia numerata adit mercatorem, qui nolens pecuniam dare mutuam offert merces, quibus ille non indiget, ut emat eas pecunia credita 105 flor., ita tamen ut easdem revendat pecunia numerata 100. flor. *Ratio* est, quia hic contractus continet usuram palliatam, sive lucrum ex mutuo palliato sub praetextu venditionis et retrovenditionis; ergo est injustus: mercator enim Cajo indigenti pecunia solvit centum, et imponit onus, ut ille debeat solvere centum et quinque: ergo idem facit, quod usurarius qui lucrum praecise quaerit ex mutuo. *Duarte* V. Mohatra n. 424., *La Croix* l. 3. p. 2. a n. 902.

924. *Q.* IV. An committatur usura, quando ultra sortem aliquid exigitur tanquam debitum ex benevolentia, et gratitudine, et non tanquam debitum ex justitia. R. Committitur usura. Vide propos. 42. ab *Innoc. XI* damnat. *Ratio* est, quia hoc auctarium praecise et immediate exigeretur ex mutuo, quia gratitudo ad nihil determinatum obligare potest. *Confirm.* Si haec sententia licita esset, via panderetur innumeris usuris. *Viva* in cit. propos. Unde sperare tantum aliquid a mutuatario ex benevolentia, vel gratitudine, non est usura, quia haec spes non impedit liberalem donationem, nec imponit mutuatario gravamen: si vero exigatur includitur pactum illam impediens. *Duarte* l. c. n. 545.

925. *Q.* V. Quid sit *mons pietatis.* R. Est aerarium publice constitutum ad mutuandum indigentibus ea lege, ut pro mutuo ipsis dato pignus relinquant, et determinato tempore mutuum restituant recepto pignore, insuper vero exiguum aliquid adjiciant pro ministrorum sustentatione, et publica obligatione: si autem solutio statuto tempore facta non sit, pignus distrahi possit, ut detracta sorte, et exiguo illo adjecto, quod reliquum est, mutuatario restituatur. Hoc aerarium approbatum est a Leone X. in C. Later. sess. 10. Vide *Trid. sess.* 22. c. 8. et 11. de refor.

§. IV. *Principia generalia de emptione et venditione, negotiatione, monopoliis et censibus.*

926. *Princip. I. Emptio, et venditio est contractus consensu mutuo constitutus dandi mercem pro determinato pretio, et pretium pro determinata merce.* Ad valide emendum et vendendum requiritur 1. merx, seu res, quae sit vendentis: 2. pretium, quod sit ementis: 3. pactio, quae sit legitima. Ad licite emendum et vendendum requiritur res sine vitio occulto, pretium justum, pactio sine fraude. Pretium *justum* dicitur, quod rei venalis valori adaequatur. Hoc duplex est, scil. vel *legitimum*, quod lege, vel a magistratu taxatum est; vel *vulgare*, sive naturale, quod spectatis variis circumstantiis communi peritorum aestimatione determinatum est. Notandum inter haec duo pretia esse discrimen, nempe quod pretium legitimum consistat in indivisibili, ita ut non liceat amplius accipere, sed restitutioni obnoxium sit, quod ultra exigitur; vulgare vero non consistat in indivisibili, sed patiatur diminutionem vel excessum, estque triplex, summum, medium, et infimum. *Summum* est supra quod; *infimum* infra quod,

res ab intelligentibus non solet aestimari; *medium*, quod inter illa mediat. Ita *Plat.* hic n. 661. Juxta *Leonardelli* si pretium medium sint decem floreni, infimum erunt novem, summum vero undecim plus, minus; vel si medium sint centum, infimum erunt 95, summum 105.

927. *Q.* I. Quaenam sint obligationes venditoris. R. 1. Debet vendere rem pretio justo legitimo, vel vulgari. Legitimum debet servari etiam a Clericis, et peregrinis ex justitia sub onere restitutionis, nisi taxa a magistratu facta ex circumstantiis fieret iniqua. *Laym.* l. 3. t. 4. c. 17. n. 4., *Reiffenst.* hic n. 132. . . 2. Quando pretium non est taxatum a Magistratu vel Principe, servari debet pretium vulgare; ideoque res sine injustitia potest vendi summo, medio, vel infimo pretio: hinc obligaris ad restituendum id, in quo alterum ultra justum pretium decepisti, quia violatur aequalitas inter datum et acceptum. Excipe, nisi merces sint subhastatae, et publice vendantur plus offerenti. 3. Si res vendenda laboret vitio occulto, v. g. si pannus sit adustus, equus morbidus etc. venditor illud tenetur manifestare. De hoc *S. Th.* 2. 2. q. 77. a. 2. in corp. regulas sequentes sancte tradit: *Dicendum, quod circa rem, quae venditur, triplex defectus considerari potest: unus quidem circa speciem rei, et hunc quidem defectum si cognoscat in re, quam vendit, fraudem committit in venditione, unde venditio illicita redditur. Et hoc est, quod dicitur contra quosdam*, Isaiae 1. v. 22. Argentum tuum versum est in scoriam, vinum tuum mixtum est aqua: *quod enim permixtum est, patitur defectum, quantum ad speciem. Alius autem defectus est secundum quantitatem, quae per mensuram cognoscitur. Et ideo, si quis scienter utatur deficiente mensura in vendendo, fraudem committit, et est illicita venditio. Unde dicitur*, Deut. 25. Non habebis in sacculo diversa pondera, majus et minus, nec erit in domo tua modius major et minor. *Tertius defectus est ex parte qualitatis, puta, si aliquod animal infirmum vendat quasi sanum. . . In omnibus talibus non solum aliquis peccat injustam venditionem faciendo, sed etiam ad restitutionem tenetur.* Plura in seq.

928. *Q.* II. Quomodo venditio rescindi possit. R. 1. *Mutuo consensu.* 2. *Propter laesionem ultra dimidium.* 3. *Per restitutionem in integrum*, quae juxta *Reiffenst.* l. 1. Decret. tit. 41. n. 3. definitur, extraordinarium juris remedium, quo graviter laesus ex naturali aequitate per officium judicis reducitur in eum statum sive jus, in quo fuerat ante laesionem. 4. *Per retractum gentilitium*, qui est jus proximioris consanguinei ad rescindendam venditionem rei immobilis oblato pretio, quo ab extraneo, vel remotiore consanguineo res fuit empta. Haec fieri debet intra annum et diem. 5. Per *evictionem*, quae est rei suae ab altero possessae recuperatio: differt a vindicatione, quod haec sit actio personalis, ista realis. Ita *Platel.*

929. *Principium II. Negotiatio* est quando merces eo animo emuntur, ut carius postea vendantur lucri capiendi gratia. Alia est proprie dicta, quando res empta, v. g. vinum, frumentum etc. non mutata carius postea venduntur quaestus gratia. Altera improprie dicta, qua res empta postea melior effecta venditur lucri faciendi gratia. Utraque de se est licita, praeterquam Clericis et Religiosis. Vide dist. 88. *Excipe* tamen, si eos ratio necessitatis excuset, scil. quando alio modo vitam sustentare nequeunt: item licitum est Clericis et Religiosis, si empta pecora, et in propriis praediis nutrita vendant. Vide *Laym.* l. 3. de Just. t. 4. c. 17. Huc pertinet Constitutio *Benedicti XIV.* in ejusdem Bullarii Tom. I. decima tertia, quae incipit: *Apostolicae servitutis*, vi cujus interdicitur Clericis quaelibet negotiatio: etiam sub alieno laici nomine. Ibid. §. 2. statuit, ut negotia a laicis inchoata, et ad Clericos delata, statim dimittantur; si vero negotium hujusmodi sine ipsius Clerici temporali detrimento statim dimitti nequeat, non continuetur, nisi de licentia congregationis Concilii, aut etiam Ordinarii extra Italiam.

Ibidem contravenientium bona poenae spolii subjicit: §. 3. declarat, quod exempti a spolio ad effectum testandi aut transmittendi non intelligantur exempti quoad bona per interdictam negotiationem acquisita.

930. *Principium III. Monopolium* est, quando unus vel plures e republica consequuntur, ut ipsi soli aliquod genus mercium pretio certo vendant. Vide l. un. Cod. de monopoliis. Si unus vel plures ex rationabili causa, et servata pretii justitia id impetrent a magistratu, non est illicitum; secus, si excedant justum pretium. *Laym.* l. c., *Platel.* hic n. 678.

931. *Principium IV. Census* est contractus, quo quis sibi pro certa pecuniae summa emit jus ex re vel persona aliena recipiendi pensionem annuam: jus ex re aliena, v. g. domo vel agro, dicitur *census realis*, et ordinarie cum re pereunte perit, transeunte illa ad alium transit illud; jus ex persona vocatur *census personalis*, quia immediate obligat personam. Qui emit jus accipiendi pensionem vocatur *censuista*, vel censualista: solvens pensionem vocatur *censuarius*. Census *pecuniarius* dicitur, in quo solvitur pensio pecuniaria; *fructuarius*, in quo solvitur pars fructuum. Iterum alius est census *redimibilis*, qui habet adjunctum pactum revenditionis, vi cujus censualista reddita sibi summa exposita pro censu tenetur cedere juri, quod habet ad pensionem annuam. Porro census realis irredimibilis, vel tantum redimibilis ex parte venditoris est licitus, ut constat ex Extrav. Martini V. Callixti III. de empt. et vend., item ex Bulla Pii V. *cum onus*; quia sic emitur justo pretio jus percipiendi fructus ex alterius re fructifera. Etiam probabilius licitus est census realis et personalis ex utraque parte redimibilis, vulgo germanicus, quia talis census non est palliata usura, sed vera emptio et venditio, qua justo pretio a magistratu, consuetudine, aut judicio prudentum taxato emitur verum jus ad pensiones annuas ex re vel persona censita percipiendas. Vide *Laym.* l. 3. de Just. t. 4. c. 18.

932. *Q.* Quid requiratur, ut census sit justus. R. Requiritur 1. ut census realis constituatur in re fructifera, quae subtractis laboribus et expensis sufficiat ad solvendas pensiones annuas. 2. Pretium census debet esse justum, h. e. non exorbitans a lege, consuetudine, vel judicio prudentum: sic Carolus V. pro imperio Romano in comitiis Augustanis anno 1545 pro censu perpetuo redimibili ex parte venditoris constituit 5 pro 100, quod pretium ex consuetudine pro censu reali et personali utrinque redimibili hodie justum censeatur. Vide *Sporer* hic n. 29., *Tamb.* et *Navarr.*

» *Q.* An Contractus trinus sit usura.

» Nota. 1. Contractus trinus vocatur, in quo concurrunt contractus societa-
» tis, assecuratio sortis, emptio lucri, e. g. Lucius dat 100 aureos in so-
» cietatem, et quia ex iis sperat 15 pro 100 quinque ex lucro cedit Titio,
» ut eidem assecuret sortem, decem speratos reliquos vendit Cajo pro quin-
» que certo solvendos. 2. Contractus societatis (qui definitur *contractus con-*
» *sensualis, quo plures aliquid conferunt ad commune lucrum*) habet, ut
» 1. negotiatio debeat esse honesta, e. g. non ad usuras, lenocinia etc. 2.
» dominium partiale remaneat apud conferentem, adeoque et periculum: 3.
» ut lucra et damna proportionaliter dividantur: 4. praestetur etiam culpa
» levis.

» R. Quamvis hunc trinum contractum licitum defendant *Sylvester*, *Ar-*
» *milla*, *Navarrus*, *Lopez* cum 16. aliis apud *La Croix* l. 3. p. 2. n. 876.
» nec ulla Sedis Apostolicae sententia sit affectus; dico tamen in praxi pe-
» riculosum esse; quia 1. *Benedictus* XIV. de Synodo Dioec. lib. 12. c. 50.
» eum dissuadet, *Sixtus* vero V. in Bulla: *Detestabilis*, reprobat. 2. Na-
» tura societatis est, ut omnium sit commune periculum, nec illud in uno
» tantum resideat. Quare *Covarruvias* dat hanc regulam: Quoties aliquid
» pretio aestimabile, vel pro mutuo, vel pro aliquo, quod est mutuo in-
» trinsecum, vel per quemcumque contractum exigitur, quod alioqui est in-

» debitum, est usura. Atqui si Titius et Cajus pro omni casu debent red» dere Lucio pecuniam, videntur illam habere ut mutuam.

Resolutiones de emptione et venditione.

933. I. *Diogenes oenopola plura et integra vini, sed aqua liberaliter diluti, dolia vendit: aliquantum tamen descendit in pretio.* Resolutio.

Diogenes peccat graviter; sub gravi tenetur ad restitutionem. Ita *Zetl* cum viginti aliis. *Prob.* 1. Constat ab experientia, quod vinum liberali aqua dilutum citius acescat, et longe facilius corrumpatur: ergo periculosum est emptori primo vel secundo, a quibus ordinarie ideo major quantitas vini emitur, ut in plures annos asservetur. *Prob.* 2. Talis emptor praesumit vinum esse purum, sibique utile ad finem suum; cum tamen ipsi vendatur vinum mixtum, et corruptioni facile obnoxium: ergo merito censetur graviter invitus, et dolo inductus ad emendum: ergo Diogenes injuriam facit emptori, qui habet jus, ne decipiatur in re gravi. *Reginald.* l. 25. n. 340, *Filliuc.* tr. 35. n. 133. Neque dicas, vinum sic suavius reddi. R. Hanc artem etiam sciunt emptores, qui tibi nihil aliud solvere intendunt, quam vinum.

933. II. Ait Diogenes: *unam tantum alteramve aquae mensuram singulis vini doliis infudi: certo scivi, vinum ab emptore brevi ad usus communes consumptum iri, ad quos ob nimiam meracitatem utile non esset, nisi aquam affunderem.* R. ad 1. Ratione modicae aquae non quidem peccavit graviter; cum tamen sit aliqua deceptio, merito dissuadendum venit. R. ad 2. cum *Laym.* l. 3. de just. t. 4. c. 17. n. 15., *Lopez*, et *Lessio* in genere, mercatores injustitiae statim damnari non possunt, si merci alienam substantiam, puta, vino aquam, cerae picem admisceant, modo *inde emptoribus damnum* non inferatur, et merx proportione pretii, quo venditur, satis idonea sit ad usum consuetum; nihilominus ibid. *Laym.* addit: Cum merx tali admixtione fere semper reddatur deterior ad usum, ita ut nullus emptor censeri possit contentus, si solvere eam mercedem debeat, ac si pura esset, ideo plerumque injusta fraus committitur, unde facile ista mixtio approbanda non est; et qui ita admiscent sine damno emptoris, debent pretium minuere, vel pondus auctius dare; in duplici tamen causa a peccato et restitutione excusat *Laym.* talem mixtionem. 1. Si emptores abhorrent a vino ob nimiam ejus meracitatem, ita ut, nisi aqua aliquantulum temperetur, ejus valor et praestantia non appareat emptoribus, et ipse emptor aliter non possit consequi justum pretium: quod frequentius accidit iis, qui ad mensuram, vel mensuratim tantum vendunt vinum, ubi nullum aliud damnum emptoribus solet accidere, utpote qui statim illud consumunt, vel si in majore quantitate emant, statim tamen mensuratim vendunt, ut fit a cauponibus. Secus foret, si vinum aqua mixtum venderetur iis, qui illud longiore tempore sunt servaturi; cum enim ejusmodi vinum aqua mixtum citius corrumpatur, manifesta fieret injuria emptori. Vide *P. Zetl* de hospite et caupone n. 25. et 26. et *La Croix* l. 3. p. 2. n. 957. .. 2. Si pretium vini a magistratu injuste taxetur, ut oenopolae damnum pati debeant, nisi aquam admisceant, vel pistores panem minoris ponderis conficiant; id tamen non potest praesumi fieri a magistratu, qui solet accurate examinare circumstantias, ut justum pretium statuat, et plerumque ejusmodi fraudes sub gravissimis poenis prohibentur. Vide dicta n. 179.

935. III. Si vitium occultum rei vendendae ipsum quoque venditorem lateat inculpabiliter, ille non obligatur in conscientia ad praestanda damna, quae emptori inde obvenerunt, v. g. quia ovis morbida gregem infecit etc.; emptori tamen competit actio, vi cujus compellitur venditor reddere excessum justi pretii, seu quanto minus dedisset, si defectum meris non igno-

rasset, ut constituatur aequalitas justitiae inter datum et acceptum. De vitio autem manifesto, et quod facile potest deprehendi, venditor non tenetur monere emptorem, v. g. si equus sit monoculus, dummodo rem justo pretio vendat. Ita *D. Th.* 2. 2. q. 77. a. 3. in corp. Quia emptor sibi debet imputare, quod rem emerit, cujus vitium per se facile cognoscere potuisset. Secus si venditor animadvertat, emptorem ex invincibili imperitia vitium non posse deprehendere, tunc eum admonere tenebitur; quia respectu hujus vitium aeque se habet, ac si esset occultum. *Bonac., Laym.* l. c. num. 14. Denique secundum Constitutiones municipales tenetur manifestare vitia rei vendendae praecipua, vulgo *die Kaupt-mangel.* Imo si res ob quodcumque vitium sit minus utilis, necessario remittendum est aliquid de pretio; alias ob inaequalitatem inter datum et acceptum in foro conscientiae committitur injustitia cum onere restituendi. *Laym.* ibid.

IV. *Dionysius mercator merces suas carius vendit, quam illo tempore valent, partim ob datam emptoribus dilationem ad solvendum, partim ob pretium mercium brevi minuendum: merces autem raras ac novas vendit majore, quo potest, pretio.*

936. *Q.* I. An Dionysius merces licite vendiderit ob datam dilationem solutionis. R. Supra pretium summum, quo poterant vendi pecunia numerata, illicite eas vendidit ob solam dilationem solutionis; secus si eas vendiderit intra limites pretii justi. *Ratio* 1. est, quia dilatio solutionis est implicitum et virtuale mutuum: atqui pro mutuo non licet aliquid accipere supra sortem: ergo. *Confirm.* ex c. *in civitate*, item ex c. *consuluit*, de usuris: item ex propos. 42. ab *Alex. VII.* damn. *Ratio* 2. est, quia nulla committitur injustitia, quando res venditur intra latitudinem justi pretii: atqui summum pretium adhuc justum est, praesertim in tali casu: ergo. Dixi, *ob solam dilationem:* quia si accedat alius contractus vel titulus justus, v. g. ob lucrum cessans, usura non erit, ut diximus supra de usuris. *Palao* d. 5. punct. 12., *Less.*, *Salas*, *Sa*, et alii.

937. *Q.* II. An Dionysius contra justitiam egerit vendendo currente, vel majore, justo tamen adhuc pretio merces, quas privata scientia cognovit vendendas minore pretio. R. Non egit contra justitiam. *Ratio* est, quia Dionysius utitur jure suo vendendo merces justo pretio, quo etiam caeteri vendunt, qui eam notitiam minuendi pretii non habent; nec illa scientia privata illum facit deterioris esse conditionis, nec tollit communem hominum aestimationem, in qua fundatur pretium justum. *Confirm.* ex *S. Thom.* qui 2. 2. q. 77. a. 3. ad 4. ait: *Venditor, qui vendit rem secundum pretium, quod invenit, non videtur contra justitiam facere, si quod futurum est, non exponat: si tamen exponeret, vel de pretio subtraheret, abundantioris esset virtutis, quamvis ad hoc non videatur teneri ex justitiae debito.*

938. *Q.* III. An res novae et pretiosae, nec habentes pretium legitimum, nec vulgare, vendi possint juste tanti, quanti contrahentes inter se convenient. R. Affirmativa quidem sententia tanquam vere probabilis defenditur a *Soto* L. 6. de Just. q. 2. a. 3., *Joan. Medina*, *Petro Navar.*, *Valentia* et aliis, quia cum ejusmodi merces non sint necessariae usui hominum, simulque non habeant pretium legitimum vel vulgare, debent illud sortiri ex contrahentium voluntate. Praeterea si venditor non tenetur has pretiosas merces vendere, poterit eas vendere pretio, quod placuerit, et si hoc non detur, potest illas nolle vendere, sed sibi retinere; emptor autem, cum nulla necessitas cogat ad emendum, si tamen libere velit emere, censetur sponte dare, quod alter exigit, et excessum pretii gratis donare: sed contrariam probabiliorem judicat *Palao* t. 32. d. 5. q. 3. cum *Navarr.*, *Cajet.*, *Less.*, et aliis, ubi asserit, quod illud pretium exigi possit, quod prudentis, et rerum intelligentis arbitrio spectatis circumstantiis justum censetur, non vero quod ex voluntate venditoris, et affectu emptoris constituitur; quia certior

regula justi pretii in iis, quae nec pretium legitimum, nec vulgare habent, constitui nequit, quam judicium intelligentis rem, non vero singularis affectus, aut judicium cujusque, ut habetur in l. 63. ff. ad leg. Falcid. *Pretia rerum non ex affectu, nec utilitate singulorum, sed communiter funguntur*, sive taxantur.

V. *Dativus accipit a Diogene annulum, vendendum decem florenis, quem eodem die viro perito vendit* 15. *florenis*; *decem igitur tradit Diogeni, quinque sibi servat.*

939. *Q.* An Dativus juste sibi potuerit retinere residuum pretium. R. Respondet quidem absolute affirmative *Angelus* V. emptio, tum quia Diogenes plus non petiit, quam 10 flor.; ergo illi non fit injuria tradendo decem: quia majus pretium censeri potest fructus industriae Dativi. Rectius tamen sub distinctione respondendum cum *Molina*, *Sylv.*, *Gabriel*, *Palao* hic d. 5. p. 16. Si Diogenes expresse vel tacite convenerit cum Dativo, ut rem vendat 10 florenis, et siquid ultra acceperit, sibi retineat; hoc pacto Dativus absque dubio juste potest retinere quinque flor.; si vero nec expresse nec tacite talis conventio praecesserit, Dativus tenetur tradere Diogeni praeter decem, quinque flor. Imprimis enim non potest aliquid retinere ratione rei venditae, quia illud est pretium rei: ergo pertinet ad dominum rei: nec ex eo, quod dominus designaverit pretium, quia sine pacto tacito vel expresso retentionis augmenti, illa designatio tantum facta est, ne infra decem flor. venderetur. Denique nec ratione industriae, quia augmentum pretii non fructus qualiscumque industriae, sed est fructus annuli spectantis ad dominum, cujus nomine Dativus tantum vendidit; ergo augmentum spectat ad dominum. Dativus autem pro suo labore et industria competentem mercedem exigere potest, siquidem non gratis se id facturum promiserit.

§. V. *Principia generalia de reliquis contractibus et ultima voluntate.*

940. *Principium* I. *Cambium* est contractus, quo fit permutatio pecuniae pro pecunia cum aliquo lucro supra sortem. Is, a quo petitur cambium, vocatur *Campsor*; qui petit, *Campsarius*. Cambium duplex est: reale et siccum. *Reale* est legitima permutatio pecuniarum servata aequalitate inter datum et acceptum. ita *Platel.* n. 697. Hoc iterum duplex est. 1. Cambium *minutum*, quo pecunia unius formae aut materiae permutatur cum pecunia alterius formae aut materiae, v. g. aurea cum argentea, vetus cum nova, patria cum externa; vocatur minutum, quia frequenter in eo monetae minores cum majoribus, vel contra, mutantur; alias etiam vocatur manuale. Hoc cambium ex justis titulis licitum est, quales sunt labor campsoris et diligentia in monetis omnis generis conquirendis, ut campsariis possit satisfacere, quia de manu ad manum eodem in loco et tempore solet perfici. Item locatio obsequii, expectando et paratum se praebendo ad commutandas pecunias secundum voluntatem campsariorum; pro quo labore et obsequio juste potest exigere compensationem. *Laym.* l. c. c. 19. . . . 2. Cambium *locale*, sive per *litteras*, quod duobus modis fieri solet. 1. Si campsor praesentem pecuniam hic, v. g. Herbipoli, prius cum lucro accipiat, ut postea alibi, v. g. Viennae, per se, vel per suum correspondentem restituat. 2. Si campsor hic pecuniam praesentem prius extradat, ut eam alibi vel per se, vel per suos recipiat cum lucro. Etiam hoc cambium cohonestatur titulo translationis et assecurationis; campsor enim priore modo idem facit, ac si campsario pecuniam alio transferret, posteriore modo, ac si eam huc afferret praesentem. Vide *Laym.* l. c. *Cambium siccum* vel *fictum* dicitur, cui nullus inest titulus justus auctarii capiendi, sed solus titulus lucri. Haec est palliata usura, adeoque prohibita.

941. *Principium* II. *Contractus societatis* est conventio plurium partem suam conferentium ad negotiationem in commune lucrum. Hic contractus duo-

bus modis solet iniri. 1. Quando omnes socii conferunt sortem, sive capitale aequaliter vel inaequaliter. 2. Si unus conferat sortem, alter laborem et industriam. Ad hunc contractum, ut sit licitus, requiritur 1. ut fiat in negotiatione honesta: 2. ut communia sint lucra, damna, et expensae pro bono societatis factae. Juxta *Laym.* tamen l. c. c. 20. saepe juxta varias adjectiones pacti is plus lucri percipit, qui plus pecuniae, vel operae contulit; vel alias, qui plus altero contribuit, duas partes lucri accipit, sed periculum vel totum vel partem majorem in socium rejicit. Vide *La Croix* l. 3. p. 3. a n. 1098.

942. *Principium* III. *Assecuratio* est contractus, quo aliquis rei alienae periculum in se suscipit, obligando se ad eam compensandam, si perierit. Juxta *Bonac.* si assecurans certus sit, rem esse in tuto, inique petit pretium assecurationis. *Fidejussio* est contractus, quo quis suscipit obligationem alterius debiti solvendi, si debitor ipse non solverit. *Pignus* est, quando debitor tradit creditori rem aliquam mobilem in securitatem debiti. *Hypotheca* vero, quando creditori pro debito obligat rem suam immobilem, sed non tradit.

943. *Adverte* 1. Fidejussor licite potest accipere pretium pro fidejussione juxta periculum, quod subit; imo etsi periculum non timeatur, quia hujusmodi obligatio est pretio aestimabilis: ergo fidejussor non tenetur gratis eam suscipere pro debitore, maxime quia plerumque est periculum sortis. Ita *Azor* p. 3. l. 11. c. 22. dub. 6. contra alios. 2. Debitore deficiente obligatur debitum solvere. 3. Debitor autem tenetur de omni damno sua culpa fidejussori accidente; secus, si id sine culpa sua accidat. *Azor* ibid. dub. 10.

944. *Q.* An licitus sit contractus antichreseos, quando scil. in contractu pignoris convenitur, ut creditor fructus ex pignore lucretur, donec debitum ipsi restitutum sit. R. Tum est usurarius, quando creditor ultra sortem aliquid lucratur, solius mutui causa; secus, si interveniant justi tituli, v. g. lucri cessantis, vel damni emergentis, et fructus ex hypotheca percepti non superent quantitatem pensionis, quae jure census super eadem constituti exigi potest cum pacto redhibitionis. *Laym.* l. 3. t. 4. c. 16. n. 17.

945. *Principium* IV. *Sponsio* est contractus, quo duo de veritate, aut rei alicujus eventu certantes sibi invicem aliquid spondent ab eo, qui veritatem fuerit assecutus. Ut licite fiat, requiruntur sequentes conditiones. 1. Ut sponsio fiat super re dubia; alias non est utrinque aequale periculum. 2. Ut uterque eodem sensu accipiat id, de quo certatur. Illicita autem evadit 1. si sit de re turpi: 2. si adhibeatur fraus, v. g. si is, qui certus est, certitudinem dissimulet. Juxta *Platel.* hic n. 713. adhuc licite certat, si certitudinem profiteatur, et alter nihilominus velit certare. Vide *Laym.* l. 3. t. 4. c. 21.

946. *Principium* V. *Locatio* est contractus, quo quis personam vel rem aliquam mobilem, vel immobilem alteri ad certum tempus, infra decennium, utendam vel fruendam concedit, certo pretio, mercede, seu pensione constituta. Usui conceduntur v. g. domus, equus, servus etc., fruitioni vero v. g. vacca, fundus, pomarium etc. Ille, qui concedit rem, dicitur *locator*; qui suscipit, *conductor*. Hinc conductio est contractus, quo usus ille, vel fructus accipitur. Obligatio *locatoris* est 1. aperire vitium rei locatae: 2. solvere expensas ad rei locatae conservationem necessarias, v. g. servare sarta tecta, tributa et onera publica praestare, nisi aliter conventum sit, aut consuetudo ferat: 3. conductorem non expellere ante elapsum tempus locationis. *Excipe* casus in Jure expressos, v. g. si integro biennio non solvat pensionem; si ob casum improvisum res, v. g. domus locata, usibus domini sit necessaria; item si necesse sit rem locatam reficere, et id nequeat fieri conductore inhabitante; denique si conductor in re conducta male versetur destruendo, abutendo, alendo ibi meretrices etc.

947. Obligationes conductoris sunt 1. ne re locata utatur, nisi ad usum

concessum: 2. ne eam deserat ante elapsum locationis tempus: 3. ut rem locatoris servet integram: 4. ut solvat statutam pensionem: 5. si magna incidat sterilitas, minuendum est de pensione pro rata sterilitatis; item si conductor aliunde, v. g. ex coeli injuria, aliave vi extrinseca, seu casu fortuito sine culpa sua affectus sit magno incommodo: nisi cum ubertate praecedentis vel subsequentis anni valeat sterilitas compensari, ut habetur c. *propter.* 3. de *locato et cond.* Excipit *Laym.* l. 3. t. 4. c. 22. n. 4. culpam levissimam, non autem latam, nec levem.

948. *Principium* VI. *Emphyteusis* est contractus, quo alteri in perpetuum, vel saltem ad decennium conceditur rei immobilis dominium utile cum onere, ut quotannis certum canonem, sive pensionem solvat proprietario, sive domino directo. Habens dominium utile cum tali onere vocatur *emphyteuta.* Vide l. 1. et 2. Cod. de jur. emphyt. Speciales obligationes pendent ex varia consuetudine locorum et conventione contrahentium, quae scripto confici debet saltem de jure communi. *Less.* l. 2. c. 24. dub. 8. *Laym.* l. c. cap. 23.

949. *Feudum* est contractus, quo conceditur res immobilis quoad dominium utile sub onere obsequii personalis exhibendi domino directo. Is, qui concedit dominium utile, dicitur *infeudator*, vel dominus feudi; qui accipit, dicitur *feudatarius*, *vassallus*, vel *beneficiarius.* Porro emphyteuta tantum semel solvit *laudemium*, dum investitur. In feudo autem non tantum primus vassallus, sed quilibet successor, etiam haeres ipsius tenetur intra annum et diem petere renovationem investiturae, et praestare juramentum fidelitatis: item si moriatur dominus directus, debet vassallus ab ejus successore rursus petere investituram intra idem tempus. Vide *Less.* l. c.

950. *Libellus*, sive contractus libellaticus, aut datio ad libellum est, quo emphyteuta, vel feudatarius rem illam, quam in feudum, vel emphyteusim accepit, simili contractu tradit tertio; ad hunc tamen requiritur domini directi consensus, si concedatur in decennium.

951. *Principium* VII. *Ultima voluntas* est dispositio de eo, quod quis vult fieri post mortem suam. Ejus species sunt *testamentum*, *codicillus*, *legatum*, *fideicommissum*, *donatio mortis causa. Testamentum* est justa voluntatis sententia de eo, quod quis post mortem suam vult fieri cum directa haeredis institutione. In quantum continet donationem ab haerede post mortem testatoris praestandam, vocatur *legatum:* is, cui fit donatio dicitur *legatarius.* Si haeredi in testamento imponatur, ut haereditatem absolute, aut sub conditione (v. g. si ei non nascatur proles) tradat alteri, vocatur *fideicommissum*, idque vel *universale*, quando tradenda est tota haereditas; vel *particulare*, quando tantum pars haereditatis est restituenda. *Codicillus* est dispositio, qua testamentum corrigitur, vel declaratur, vel etiam sine testamento haeredi ab intestato legatum, fideicommissum, vel aliud quid committitur.

952. *Q.* I. Quotuplex sit testamentum. R. 1. Aliud est *solemne*, sive scriptum, aut clausum, quod habet omnes solemnitates sive conditiones a Jure Caesareo requisitas, scil. ut testator coram septem testibus masculis, puberibus, liberis, distinctis ab ipso haerede, non surdis, non mutis, voluntatem suam declaret, eamque in scripto vel sua, vel alterius manu exarato exprimat, cui omnes et singuli testes subscribunt, proprioque, vel communi omnes sigillo consignant. Si ipse testator se subscribere non valeat, octavus pro eo testis sive subscriptor adhiberi debet. Aliud *nuncupativum*, quod tantum requirit, ut septem testes simul adsint, qui audiant, et intelligant testatoris voluntatem scripto, vel articulata voce prolatam: solet tamen plerumque talis nuncupatio a Notario in scriptum redigi, idque ad majorem securitatem. *Laym.* l. 3. t. 5. c. 1. Vide l. *haec consultissima.* Cod. de test. R. 2. Subdividitur testamentum in *privilegiatum*, quod non requirit omnes juris solemnitates, quale est *testamentum ad pias causas*, ad quod juxta c. *cum esses.* 10. de testam. sufficiunt duo, vel tres testes. Vide etiam c. *relatum.* 14. h. tit. Hinc

Laym. l. c. resolvit 1. Si haeredi certo constet, voluntatem testatoris fuisse, ut aliquid in piam causam expenderetur, etsi id in foro externo probare nequeat, in conscientia tamen hunc haeredem teneri voluntati testatoris satisfacere, eoquod tunc non opus sit probatione, ubi de veritate constat. 2. Ibidem ait: Si parochus proferat schedam a parochiano ante obitum sibi traditam, quae contineat legata ad pias causas, piam testatoris voluntatem executioni mandandam esse, si manus testatoris agnoscatur, vel duobus testibus probari possit. 3. Monet, ne parochi vel confessarii ejusmodi dispositiones ad causas pias excipiant, nisi advocatis duobus testibus (etiam foeminis, si alius testis haberi nequeat) ut in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum, et evitentur variae lites.

953. *Adverte* I. Merito damnata est ab *Alex. VII.* propositio 43. quod annuum legatum pro anima relictum, non duret plus quam per decem annos; quia haec sententia falso nititur fundamento, quod scil. animae in purgatorio non detineantur ultra decennium, et contraria est praxi Ecclesiae, quae anniversaria celebrat per saecula. Praeterea retrahit fideles ab operibus satisfactionis, et missis offerendis pro defunctis. Denique si verba testatoris non restricta sint ad certum tempus, sumuntur rigorose pro tempore indefinito: ergo legatum solvendum est non tantum decennio.

954. *Adverte* II. Ad testamentum sive scriptum, sive nuncupativum militum, vel rusticorum, quinque testes sufficiunt, si plures haberi nequeant, fin. c. h. t. Pariter testamentum inter liberos valet, si illud totum pater manu propria scripserit, etsi nulla alia solemnitas adhibeatur. *Nov.* 107.

955. *Adverte* III. Testari non possunt 1. *Impuberes:* 2. *filiusfam.* pubes, nisi de castrensibus vel quasi-castrensibus: de adventitiis vero possunt testari ad pias causas: 3. *religiosi professi*: 4. *usurarii publici:* 5. *damnati ad mortem*, etiam civilem. Vide *Less.* Haeres institui nequit 1. qui non potest testari ob delictum. Vide l. 1. Cod. de Haered. instit. 2. Spurius sive natus ex coitu damnato, et punibili. Plura apud JC. *Haeredes necessarii* quoad partem legitimam sunt descendentes, scil. filii et filiae, nepotes et neptes, his deficientibus ascendentes, non collaterales: est autem legitima descendentium tertia pars bonorum, et si plures sint quam 4., dimidia ex aequo inter illos dividenda. *Nov.* 18. c. 1.

956. *Q.* An testamentum non solemne ad causas profanas adhuc valeat saltem pro foro interno. R. Cum utraque sententia sit vere probabilis, potest haeres sic institutus illud reputare validum pro foro interno, adire haereditatem, et tuta conscientia retinere, donec per sententiam judicis rescindatur; quo casu tamen tenebitur legata non tantum pia solvere, sed etiam profana. Vide de conscient. n. 104. Econtra haeres ab intestato potest judicare contra haeredem institutum testamentum esse nullum, sibique usque ad sententiam judicis bona defuncti retinere, vel obtenta rescissione absque injustitia haereditatem occupare. Vide *Valent.*, *Vict.*, *Sanch.*, *Laym.*, *Tann.*, *Patel.* hic n. 717. contra *Medin.*, *Vasq.*, *Bonac.* et alios.

APPENDIX I.

Pro pleniore intelligentia ultimae voluntatis

» *Q.* 1. Quae natura testamenti solemnis,

» *Notandum*, quod massa haereditaria seu *as*, vel *assis* in 12 portiones » seu uncias dividatur, quarum aliquae immediate respiciunt totum, quod » dividunt, *e. g. semis*, *seu semissis*, quae est dimidium assis continens » 6 uncias; *triens*, quae est tertia pars assis continens quatuor uncias; » *quadrans*, qui est quarta pars assis tres uncias complectens; et *sextans* qui » sextam partem assis efficit duas uncias comprehendens etc. Aliae autem

» respiciunt immediate partes totius, e. g. quicunx, septunx, deunx etc. » 5. 7, 11 uncias indicantes. *Ordo est* 1. Uncia. 2. Sextans. 3. Quadrans. » 4. Triens. 5. Quicunx. 6. Semis. 7. Septunx. 8. Bes, seu bis triens. 9. » Dodrans. 10. Dextans. 11. Deunx. 12. Assis.

» R. Definitur: *Ultima voluntas directam haeredis institutionem conti-* » *nens juxta legis praescriptum.* Patet itaque, ad testamentum solemne duo » requiri: 1. assignationem haeredis; 2. solemnitatem actus. Est autem haeres » vel *universalis*, qui succedit in omnia bona defuncti, et hoc deficiente » non fit testamentum; vel *suus*, qui et necessarius est, et in patria defuncti » potestate tempore mortis, quo praeterito juxta *P. Pichler* testamentum est » invalidum; vel *necessarius*, qui est ex descendentibus, aut ascendenti- » bus, et titulo institutionis honorari sine ullo gravamine debet, ita ut hoc » praeterito validum quidem sit testamentum, sed rescindibile per querelam » inofficiosi; vel *voluntarius*, aut *extraneus*, ubi haeres universalis debet » institui saltem in quartam partem non tantum *haereditatis*, quo nomine » veniunt omnia post mortem relicta, sed *bonorum defuncti*, quae nimirum » supersunt demptis debitis, expensis, funeralibus, et legatis privilegiatis » etc. ut ipsi liceat ex legatis non privilegiatis *Falcidiam*, ex fideicom- » missis *Trebellianicam* deducere, donec quartam bonorum partem obti- » neat: haeredes vero necessarii debent institui in legitimam juxta ho- » diernam regulam: *Quatuor aut infra dant natis jura trientem: Semis-* » *sem vero dant natis jura, vel ultra.*

» *Solemnitas* tria potissimum complectitur in testamento scripto. 1. Est » *scriptura*, hoc est, ut testator ipse propria manu scribat, et subscribat, » vel alius ejus jussu scribat, et octavus testis coram aliis testibus subscribat » testatoris loco; nisi testamentum sit holographum, id est totum manu te- » statoris nota conscriptum. 2. *Testes*, ut sint septem, rogati a testatore, » qui sua manu nomen suum subscribant, ac sigillo obsignent, sintque de » se idonei, hoc est, masculi, puberes, non damnati propter crimen ali- » quod, non furiosi, non ita propinqui aut interessati ratione testamenti, » ut contra illos excipi queat. 3. *Continuatio actus*, ut totum negotium, » excepta scriptione testamenti, continuato moraliter tempore, et loco fue- » rit confectum. Quod si testator *unum ex liberis haereditate exeludere* vult, » requiruntur quatuor. 1. Ut exhaereditatio fiat justa causa, e. g. ob in- » jectionem violentam manuum, insidias vitae etc. quales 14 refert *Nov.* 115. » c. 3...2. Ut causa in testamento exprimatur. 3. Ut ab haerede instituto » probetur. 4. Ut haec omnia fiant nominatim.

» *Q.* 2. An testamentum solemnitate destitutum sit penitus nullum.

» R. Videtur probabilius testamentum in foro externo nullum, etiam pro » foro interno invalidum esse, adeo ut haeres ab intestato secure retinere bo- » na testatoris possit, nisi ipse privatim sciat testantis voluntatem contrariam, » et hanc confiteatur. Ita *Biner*, *Schmalzgr.* cum 9. aliis. Horum *ratio* est 1. » actus simpliciter irritatus est irritatus pro utroque foro, ut jam alibi etc., » ita fit in impedimentis matrimonii, professione religiosa, contractibus pu- » pillo perniciosis etc.: ergo cum etiam haeredi ab intestato favere natura et » jura velint etc. 2. Secus leges non obtinerent finem, qui est adjudicare » successorem legitimum, quia in foro potiori, hoc est conscientiae, retinere » hic haereditatem non posset, imo nec judex huic juste adjudicare per sen- » tentiam. 3. Oderunt leges divortium inter forum externum et internum: » et lex *hac consultissima.* 2. de testam. ait: *Ex imperfecto testamento* » *voluntatem tenere defuncti non volumus.* Et l. *Si non* 9. ib. *nullo jure* » *testamentum valet.* Billuart cum 7. aliis medium tenet, quod sit simul » validum, et invalidum, quatenus haeres testamentarius potest adire hae- » reditatem, haeres intestatus vero agere ad rescissionem testamenti.

» *Dices* 1. Tale testamentum, si defectus solum sit in *numero testium*,

» est ex voto validum: nam numerus septenarius testium est reprobatus tanquam juri divino difformis c. *cum esses*. 10. de testament. *tanquam consuetudo a generali Ecclesiae consuetudine, et lege divina aliena: quia in ore duorum testium stat omne verbum*, ut pauciores non sufficiant ad plenam probationem, non requirantur plures. 2. Est saltem validum pro foro *interno*, quia jure naturae habet omnia requisita, et jure positivo leges odiosae non debent extendi ab uno foro, scilicet externo, ad utrumque. 3. Si testamentum est nullum simpliciter, haeres ab intestato non tenetur solvere *Legata* in eo contenta, potestque bona defuncti retinere, licet haeres ex ore defuncti audiverit, se alteri disponere sua bona.

» R. *ad* 1. N. A. numerus enim testium est tantum reprobatus, ut non necessarius, et pro foro Ecclesiastico universim, ac speciatim pro temporali territorio Papae: non item tanquam illicitus, aut pro temporali foro universim. Ita Canonistae communiter. *Ad* 2. N. quia est de jure naturali solum permissivo; neque fit extensio quoad jus positivum, si hoc loquitur illimitate et generaliter. *Ad* 3. Jus ipsum l. fin. c. *de fideicommiss.* facit discrimen inter voluntatem ultimam tantum *testificatam* a defuncto, et *confessam* ab haerede intestato, tum quia fortissima est probatio haeredis intestati contra seipsum, tum quia finis 7. testium est ne quid falsitatis incurrat testamentum per duos forte testes compositum: hoc autem periculum cessat, quando contra se in causa propria confitetur haeres intestatus. Deinde legata profana corruunt hic, non item pia, utpote privilegiata.

» *Q.* Quid requirat testamentum ad pias causas.

» R. *Requirit ea tantum ad valorem, quae jure naturae sunt necessaria.* Nempe necessaria est 1. *Libertas plena* in disponente, ut potestas disponendi non sit ei a magistratu adempta, ut mens sit praesens, ut non turbetur vi aut fraude, non precibus importunis *in morbo*, non precibus etiam de se moderatis *in proximo mortis periculo*, quo in statu juxta *Harprecht* et *Schmalzgr.* omnes preces censentur importunae, cum testator solum consentire videatur ad liberandum se a molestia. 2. *Ultimatio voluntatis* in dispositione, ut testator se non referat ad ulteriorem dispositionem, e. g. relinquam pauperi aliquid in meo testamento, memor ero hospitalis, instituam haeredem orphanotrophium, legabo 1000 Ecclesiae ad B.V. etc.; licet enim voluntas non sit perfecta ratione adaequationis, eo quod c. g. defectu virium non potuerit testator absolvere testamentum etc., modo sit perfecta in ratione ultimationis. 3. Talis *manifestatio voluntatis* ultimae, ut sufficienter innotescat, sive haec notitia, e. g. ex nota defuncti manu, duobus testibus etc. sit constitutivum actus, sive tantum probatio. Est autem testamentum ad causas pias, *quod pro haerede instituit aut locum pium*, e.g. Ecclesiam etc. aut *personam piam*, e. g. pauperes, captivos etc., aut *motivum pium* adjungit ut causam inductivam, e. g. consanguineos, sed ex motivo honoris divini, misericordiae exercendae, salutis animae etc. Ita *Collet perfect. Tournelii, Pontas, Cabassutius, et communis hodie, etiam Legislatorum*, unde hoc privilegium est originaliter a jure Pontificio, proxime a consuetudine ad terras etiam Imperiales extenta. Addo reliqua testamenta privilegiata.

» Testamentum *inter liberos* nuncupativum requirit duos vel tres testes mares vel foeminas; scriptum vero nullos exigit testes, sed solum 1. ut praesentes sint liberi: 2. ut subscribatur simul a testatore et liberis, vel ut solus testator manu propria subscribat, exprimatque tempus conditi testamenti, nomina filiorum, et eorum portiones, et hoc non per cifras, sed per verba integra.

» Testamentum *rusticorum* ruri confectum exigit 1. testes quinque, sed sub conditione, si haberi commode septem non possint. 2. Si unus in loco litteratus inveniatur, debet hic pro testibus praesentibus nomina eorum subscribere; si nullus inveniatur, nulla requiritur subscriptio.

» Testamentum *militum* solum est privilegiatum, quando sunt in ex-
» peditione bellica, hoc est per se loquendo expediti ad pugnandum. Quare
» 1. si sunt in actuali pugna, nullam adhibere solemnitatem tenentur, sed
» sufficit, si gladio in arena, aut sanguine in clypeo scribant. 2. Si in castris
» seu in procinctu ad pugnandum, requiruntur duo testes. 3. Si in hybernis,
» requiruntur septem testes, et solemnitates juris.

» Testamentum *tempore pestis* conditionatum habet privilegium, si nem-
» pe plures testes haberi nequeant: 1. Sufficiunt quinque, imo etiam duo.
» 2. Testes non debent esse specialiter ad hunc actum rogati, aut simul
» praesentes. 3. Probabile est, hoc testamentum, si testator finita peste
» vivat, adhuc per annum retinere favorem suum, sicut testamentum mi-
» litis post expeditionem bellicam.

» Testamentum *Principi oblatum* cum precibus, ut id sua auctoritate su-
» stineat, nullis indiget testibus, aut aliis solemnitatibus, utpote quas supplet
» persona Principis, licet Princeps testamentum hoc solum acceptet per con-
» siliarium, et testator id illi offerat solum per procuratorem. Testamentum
» *ad acta* fit coram judice, etiam extraneo, quia est actus jurisdictionis vo-
» luntariae: nec per se exigit testes, modo judex factum hoc in acta referat,
» vel testamentum *apud acta* asservet; solent tamen frequenter adhibere duos
» testes, qui solum testentur de depositione ad acta, si actuarius forte esset
» incurius, non de ipsa ultima voluntate. Caeterum attendi maxime debent
» jura statutaria. Sic teste *Mascardo et Molina* in territorio temporali Papae
» sufficit Parochus cum duobus testibus, aut quatuor testes sine Parocho. 2.
» Venetiis et Viennae in Austria teste *Laymanno* sufficiunt duo testes. 3. Te-
» ste *Elbel* in aliquibus pagis sufficit praesentia Parochi, cooperatoris, et alte-
» rius viri c. g. acciti, in aliis Parochus scribens testamentum coram duobus
» testibus a testatore dictatum. 4. Illud magnopere *in praxi* notandum, ut
» Parochus, assistens moribundo, semper ad voluntatem ultimam aegri
» excipiendam adhibeat duos, vel unum saltem testem alium; cum uni
» soli, etiam jurato asserenti, non facile adhibenda sit fides.

» *Q.* 4. Quae natura codicilli etc.

» R. *Codicillus*, qui olim erat solummodo epistola, nunc parvus quasi co-
» dex definitur, *ultima voluntas minus solemnis carens directa haeredis in-*
» *stitutione*. Quare *convenit* cum testamento in duobus. 1. Quod sit ultima
» dispositio. 2. Quod possit esse tam scriptus, quam nuncupativus. *Disconve-*
» *nit* in tribus. 1. Quod non directe instituat haeredem, sed vel testamento
» jam facto adjiciatur ad mutandum aliquid in illo, etiam circa haeredem, si
» tamen in testamento aliqua relatio ad codicillum facta est; vel se solo fa-
» ctus vim habet haeredi ab intestato designandi substitutionem, aut fidei-
» commissa, aut legata. 2. Quod habeat pauciores solemnitates, e. g. solum 5.
» testes, prout habent substitutio, fideicommissum, legatum profanum, et do-
» natio mortis causa, si haec extra testamentum constituantur; in testamento
» enim sequuntur solemnitates testamentorum. 3. Quod plures codicilli fieri
» possint, modo non sibi oppositi, non item plura testamenta.

» *Substitutio* est designatio secundi haeredis in defectum prioris. Si testator
» ipse immediate substituto confert haereditatem, c. g. instituo haeredem Ti-
» tium, et si Titius haeres non erit, Cajus haeres esto, instituam Terentiam fi-
» liam in legitima, et si haec ob vitam meretriciam exhaereditari mereatur,
» Maevia succedat etc. dicitur substitutio *directa*, et habet duplex commo-
» dum, quod in defectum prioris posterior proprie fiat haeres, sicque de-
» tur trimestre ad deliberandum, an adire haereditatem velit, et possit sibi
» detrahere quartam partem. Si vero testator vult, ut haeres immediatus
» seu fiduciarius cedat postea alteri vel totam haereditatem vel partem, dici-
» tur substitutio *indirecta*, seu *fideicommissaria*, c. g. si moriens in testa-
» mento, vel codicillo, vel per verba, epistolam, libellum verbis simplici-

» bus, post sublatam nempe precatoriam formulam dicat: *Rogo, vel praecipio haeredi scripto vel intestato, ut haereditatem totam, aut partem ex ea tradat Sempronio post adeptam pubertatem, aut absoluta ejus studia.* » Quare

» Fideicommissum particulare est substitutio indirecta particularis, qua » fidei haeredis committitur, ut aliquid ex bonis defuncti consignet alteri, » sive *extraneo*, et est fideicommissum commune, sive *inter familiam* ad » hujus conservationem, et dicitur familiare. Caeterum *hodie* fideicommissum » dicitur, quod ita alteri relinquitur, ut non possit pro libitu de illo dispo- » nere, regulanturque fideicommissa singularia in effectu juxta legata.

» *Legatum* est donatio quaedam a defuncto relicta ab haerede praestanda. » Differt ergo legatum a donatione mortis causa 1. quod illud dependeat ita a » testamento, vel aditione haereditatis, ut hoc corruente etiam legatum non » privilegiatum corruat: 2. quod legatum perficiatur per mortem et post mor- » tem, donatio autem mortis causa sit independens, et per mortem jam ple- » ne perfecta sit. De donatione *inter vivos et mortis causa* vide n. 905. usque » ad 908. inclusive.

» *Q.* 5. Quid de donatione Novitii.

» R. Sicut non valet donatio notabilis inter vivos, quam facit Novitius in » Novitiatu ante duos ultimos menses, ut professio sit quam liberrima, et » egressus ad saeculum non reddatur difficilis (ut decernit *Trid.* sess. 25. » c. 16. de Regul.), ita nec valet ejusmodi donatio, quam facit Candidatus » susceptus ante Novitiatum, ut docet *Lessius* cum 6. aliis (opusc. de statu » vitae relig.) et idem finis, ac verba legis citatae. Accedit declaratio Cardi- » nalium, quam refert *Laymann* l. 3. tr. 5. c. 7. Aliter loquendum de do- » natione notabili mortis causa, aut modica inter vivos. *In praxi* adeundus in » tali casu a Novitio egrediente foret Episcopus tamquam judex competens, et » petenda restitutio in integrum ob contractum factum in fraudem Tridenti- » ni, nisi donatarius sponte redderet. De Novitiis Societatis Jesu donantibus » vide Wex *Epitome canonica* p. 1. c. 5. n. 86. Ascan. Tamburinum Con- » greg. Vallis Umb. et Karchne *de Jure* etc.

APPENDIX II.

De successione ab intestato.

» *Nota.* Haec definitur *Acquisitio haereditatis extra casum ultimae volun-* » *tatis testamento transmissae.* Dicitur *testamento transmissae:* quia codi- » cillus sine testamento relinquit successionem haeredi ab intestato, ut so- » lum habeat vim substitutionis fidei commissariae indirectae. Potest autem » successio haec esse vel *civilis*, vel *praetoria*, vel *feudalis*, vel *statuta-* » *ria*, vel *pactitia*, si nempe ordinetur a lege vel pactis familiarum, con- » jugum etc. quamvis haec pacta passim improbentur, quod dent occasionem » captandae mortis, exceptis his quatuor: *purificatione seu unione prolium* » ex diversis matrimoniis, ut pari modo succedant: *confraternitate*, ut una » familia extincta succedat altera, ut habet domus Brandenburgica, Hassi- » ca etc.: *ganerbinatu*, ut succedat altera familia eum in finem, ut expila- » tiones et hostiles incursiones avertantur: et inter sponsos *pactis dotali-* » *bus.* Nos pauca, quantum Curato utile est, persequimur.

» *Q.* 1. Quae natura hujus successionis.

» R. Tria consideranda: ordo succedentium, qualitas liberorum, modus » successionis. *Ordo* est. 1. Succedunt descendentes: 2. ascendentes: 3. col- » laterales: 4. conjuges: 5. collegium, et fiscus sive ecclesiasticus, sive lai- » calis; ubi tamen quarta pars cedit Episcopo tunc, quando mortui bona re- » linquuntur loco sacro vel religioso non exempto, et pro consuetudine

» loci Parocho *aliquota ex bonis funeralibus* tunc, quando extra parochiam
» defunctus sepelitur. 2. *Qualitas liberorum* est *legitimitas*, *duplicitas vinculi*, *propinquitas sanguinis:* hodiernis moribus pro naturalibus nothis
» habentur illi, qui ex soluto et soluta per fornicationem nati sunt; pro
» spuriis illi, qui prodiere ex tali postribulo, quod ita cum pluribus viris
» consuetudinem habuit, ut nequeat sciri, quis naturaliter pater existat: ex
» damnata conjunctione orti dicuntur nefarii ex linea recta, incestuosi ex
» collaterali, adulterini ex ligata, et sacrilegi ex sacra persona. *Praeterea*
» fratres aut sorores germanae censentur, quae ex eodem patre, et ex eadem
» matre nascuntur; quae vero ex eadem dumtaxat matre, uterinae; quae ex eodem solum patre, consanguineae. *Denique* computatio graduum propinquitatis fit pro numero personarum, ut duo fratres sint in 2 , duo fratres
» in 4. gradu. *Modus succedendi* fit vel *in capita*, quando tot fiunt portiones aequales, quot sunt personae; vel *in stirpes*, quando portionum
» aequalium numerus fit pro numero stirpium, ex quibus descendunt succedentes, adeoque jure non suo, sed repraesentationis succedunt; vel *in lineas*, quando aliqui ex linea materna, alii ex paterna in duas aequales
» partes succedunt, licet in una linea adsint plures aut remotiores, quam
» in altera.

» *Q.* 2. Quae regulae pro descendentibus.

» R. 1. *Legitime nati*, etiam emancipati, etiam posthumi, etiam Religiosi
» sive mares sive foeminae succedunt parentibus et avis suis jure aequitatis naturalis cum exclusione reliquarum classium, et quidem omnes primi gradus
» in capita, ulterioris autem in stirpes; quia hoc et naturae et parentum
« commune votum est, ac debitum quoddam, ut descendentes alantur ex
» bonis eorum, a quibus trahunt originem. LL. potissimae sunt, *Novell.* 118.
» et aliae passim, e. g. Titius moriens reliquit Cajum filium superstitem, ex
» Sempronio secundogenito praemortuo duos nepotes, ex Maevio tertiogenito
» tres pronepotes; haereditas non in 6. sed in 3. partes aequales dividitur,
» quarum prima Cajo jure suo, secunda filiis Sempronii, tertia nepotibus
» Maevii jure repraesentationis obvenit, cum liberi et nepotes parentem et
» avum velut imagines repraesentent. 2. Si tamen existant liberi *ex diversis matrimoniis*, communi parenti succedunt communiter, proprio parenti seorsim, et quod ex priori matrimonio ad communem parentem pervenit,
» acquirunt liberi primi matrimonii soli, e. g. prima uxor Cajo in dotem attulit duo millia, moriens ambo millia assignat duobus liberis ex hoc matrimonio susceptis: Cajus postea ducit Bertam, quae in dotem ei agrum
» et aedem affert, sed rursus moriens Cajo agrum relinquit, duobus liberis ex
» 2. matrimonio aedem; liberi immediate acquirent bona suarum matrum separatim, in agrum vero patris succedent communiter. 3. Quae omnia communia
» sunt *legitimatis* per subsequens matrimonium, aut per rescriptum Principis determinate hunc effectum intendentis; *mere legitimi* tamen, seu adoptivi succedunt soli patri. *De illegitimis* est haec dispositio; nati ex damnato coitu nulli succedunt; debentur tamen illis ex jure Canonico, et aequitate naturali alimenta: spurii succedunt soli matri, et lineae maternae; nisi
» mater esset illustris, et haberet prolem aliam legitimam; quo casu spurio
» solum deberet alimenta. *L.* 5. c. *de S. C. orphitiano.* Naturales nothi (ut
» contradistincti a naturalibus legitimis simul) succedunt matri et maternis
» ascendentibus, ac patri; sed huic solum in sextante una cum matre dividendo, cum reliquae 10 unciae propinquis defuncti adveniant; paternis
» vero ascendentibus succedunt nunquam. *Nov.* 89. *c.* 12.

» *Q.* 3. Quae regulae quoad ascendentes.

» R. 1. In defectu descendentium *succedunt ascendentes*, ita ut nulla fiat
» distinctio bonorum, propior succedens excludat remotiorem, et in primo
» gradu quidem in capita, in ulteriori in lineas, cum nulla hic stirps, nul-

» la repraesentatio detur. Ita *Nov.* 118. e. g. Caja parvula moritur superstite » matre paupere, et avo ac avia paternis, et avia materna: ergo mater succedit in omnia bona Cajae per solam paternam lineam dilatae exclusis omnibus reliquis: post mensem moritur et ipsa mater; ergo emortuae bona » dividuntur in duas aequales portiones, quarum unam accipiunt ascendentes » paterni seu mariti, alteram ascendens materna sola. 2. Si cum parentibus, » aut avis defuncti superstes sit hujus frater aut soror germana, cum ascendentibus concurrit germanus in capita, et reliquorum germanorum liberi » in stirpem, neque tunc ascendentes in lineas distribuuntur. Secus fit, si » vivant solum uterini, aut consanguinei, aut soli liberi germanorum nullo » germano superstite. Ita *Nov.* 127. *c.* 1. quae aliquantum correxit *Novellam* 118. ... 3. *De legitimatis* per subsequens matrimonium aut rescriptum Principis est eadem successionis ratio; *mere legitimo* succedit solus » pater adoptans cum patre ejus naturali, et germano, et tunc tantum, » quando filius adoptivus fuit in patria potestate adoptantis, aut arrogatus » mortuus sit pubes. *Illegitimis* succedunt ascendentes, sicut illi parentibus; » quia reciproca apud hos est successionis ratio.

» *Q.* 4. Quae ratio collateralium.

» R. 1. Fratri defuncto succedunt deficientibus ascendentibus lineae rectae » *sorores et fratres germani* in capita, et horum liberi in stirpes exclusis » unilateralibus, et horum liberis. Ita *Novel.* 118. *c.* 3. quia major creditur » esse affectus erga ambilaterales, quam erga illos, inter quos vitrici et novercae nomen intercedit. 2. Deficientibus ambilateralibus succedunt *unilaterales* in capita, et horum liberi in stirpes, exclusis patruo et avunculo, » ac germanorum nepotibus tanquam adhuc remotioribus; quia jus repraesentationis ultra fratrum liberos non egreditur. Et hac etiam successione non » distinguunt Boekn, Pellegrini etc. inter bona, an obtenta per lineam paternam consanguineis, per maternam autem uterinis adveniant etc., sed illud dubitant magis, an si soli germanorum vel unilateralium liberi succedunt, succedant in capita vel stirpes. 3. *Legitimati* per subsequens matrimonium eamdem prorsus rationem servant; per rescriptum vero Principis » legitimati tunc solum legitime nato fratri succedunt, quando hic non alium » legitime natum fratrem habet, aut post prioris legitimationem primum natus sit. *Adoptivi* solum succedunt fratribus consanguineis, et quidem tunc » tantum, quando in potestatem adoptantis transierunt, et adhuc durat adoptatio. *Naturales et spurii* succedunt sibi invicem, et omnibus ex matre » collateralibus una cum legitimis fratribus uterinis, nisi mater sit illustris; » secus contingit natis ex damnato coitu.

» Tandem post collaterales fratres, et fratrum liberos succedunt reliqui » *conjuncti sanguine* in capita, sine attentione, an sint unilaterales vel bilaterales: post istos *conjux*, imo si haec sit pauper, ne egere in dedecus » familiae debeat, concurrit cum liberis, et acquirit solum fructum portionis » suae ad dies vitae; aut cum aliis sanguine junctis: et acquirit etiam proprietatem portionis, quae est quarta pars, si concurrentes sint solum tres; » si sint plures tribus, est portio virilis, quam 30 annis petere potest. Ita » *Nov.* 117. *c.* 5. Si autem conjux superstes altero praemortuo ad secundas » nuptias transeat, *amittit proprietatem*, et retinet solum usumfructum eorum bonorum, quae a priore conjuge *titulo lucroso*, e. g. donatione, testamento, successione intestata in bonis profectitiis liberorum etc. acquisivit: aliter de bonis *titulo oneroso*, e. g. labore communi etc. acquisitis. » Ita *Nov.* 22. *c.* 23. Et hinc, si mater moriens filio aedes, marito agrum donet, hoc ad secundas nuptias transeunte filius acquirit dominium agri. Post » conjugem succedunt *Collegia*, e. g. Academia in bonis studiosi, legio in » bonis militis, Ecclesia in bonis beneficiati etc. imo si peregrinus in loco » Religioso, e. g. hospitali moriatur, nec haeredes alii propiores compareant,

» Episcopus occupat bona eroganda in causas pias. *Auth. om. peregr. C. communia de success.* Ultimo tandem *fiscus.*

» *Q.* 5. An religio possit petere successionem pro Religioso.

» R. 1. Si religio sit capax dominii in communi, et professus supervivat » patri, succedit monasterium, vel potius retinet bona et jura sui professi, » non item sui novitii, licet hic forte ante absolutum tempus tyrocinii, e. » g. ob morbum, emisisset professionem. 2. Si tempore solito professus » praemoriatur patri, Praelatus non potest exigere haereditatem, aut legiti- » mam sui Religiosi. Ita communiter contra *Schmier.* Quia 1. monasterium » acquirit illud jus praecise, quod habet professus: ergo cum hic tantum » habeat jus conditionatum ad haereditatem: *si nempe supervivat patri etc.* » *viventis enim nulla est haereditas.* 2. Si professus ex monasterio capaci » haereditatis transiret ad Religionem incapacem s. Francisci, illud capax » non posset succedere in bonis patris morientis, quia per transitum pro- » fessi amisit jus succedendi: ergo cum etiam amiserit hoc jus per mor- » tem professi etc.

» *Dices* 1. Monasterium professi defuncti *repraesentat* defunctum, sicut » liberi defunctum parentem: ergo in stirpem succedit. 2. Non tantum jure » repraesentationis, sed etiam *proprio* succedit; nam professus per profes- » sionem omnia sua bona, et jura transtulit in monasterium. 3. *Praxis* pro- » bat jus successionis: cum saepe Praelati malint expectare usque ad mortem » patris, quam cum patre neoprofessi transigere. R. *Ad* 1. N. quia monaste- » rium non participat de sanguine progenitorum professi. *Ad* 2. N. transtulit » tantum jura conditionate etc. *Ad* 3. Praxis haec supponit spem, quod filius » sit supervicturus patri. V. *Tabulas Hoppianas* a D. Hahn emendatas, et » declaratas.

CAPUT VII. *De octavo praecepto Decalogi.*

§. I. *Praenotanda*

Sicut praecepto 5. peccata ex injusta laesione bonorum corporis, praecepto 7. peccata ex injusta laesione bonorum fortunae prohibentur; ita praecepto 8. *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium* (Exodi 20. 15. et Matth. 19.), prohibetur omnis injusta laesio proximi in bonis famae, ac honoris. Agendum itaque de injuriis, quae fiunt per testimonium falsum in judicio publico; item de mendacio, judicio temerario, suspicione; denique de detractione, et contumelia. De juramento, et perjurio egimus t. 3. c. 2. a. 2.

§. II. *Principia generalia de peccatis contra praeceptum octavum.*

957. *Principium* I. Nullo casu licet testari scienter falsum, nec alium ad id inducere: qui vero sciens falsum testimonium dixit, per quod alteri fuit efficax causa damni, tenetur non solum impedire, vel reparare omne damnum, quod causavit, sed etiam revocare falsum testimonium cum pari damno suo, maxime si accusatus vita periclitetur, sitque spes, revocationem esse profuturam. *Filliuc., Babenst.* t. 4. d. 8. a. 2. n. 45. *Ratio primi* est, quia falsum testimonium omni modo prohibetur in Scriptura, Exodi 20. supra cit. Matth. 19. 18. *Ne falsum testimonium dixeris.* Matth. 15. v. 19. falsa testimonia numerantur inter gravissima peccata cum fornicationibus, blasphemiis etc. quae *coinquinant hominem. Ratio secundi*, quia qui est causa efficax damni alterius, tenetur ad ejus reparationem: atqui testis falsus est talis causa: ergo. *Quid, si quis ex errore inculpabili dixerit falsum testimonium?* R. Postquam patescit error, tenetur impedire damnum imminens, vel ammoliri jam impendens, fatendo quod inculpabiliter erraverit, ad re-

stitutionem autem non tenetur. *Filliuc.* t. 40. c. 8. n. 253. et 254.; *Sayr.*, *Less.* Dixi, *cum pari damno*, quia stante aequali damno potior censenda est conditio innocentis.

958. *Princip.* II. *Mendacium*, quod communiter dicitur locutio contra mentem, *est intrinsece malum, nec unquam potest fieri licitum*; quia vocibus uti contra naturalem institutionem, et finem, scil. loquendo velle alium decipere, ex se, et praecisa omni prohibitione legis positivae repugnat rectae rationi; ergo. Mendacio annumerat *S. Th.* 2. 2. q. 111. a. 1. in corp. *simulationem*, qua quis externo opere vel signo exhibet aliud quam in corde sentit, animo fallendi alterum; quia haec aeque opponitur veracitati, quae est virtus inclinans hominem, et obligans, ut quaecumque signa judicii interni significativa menti conformet, alias contradictio erit inter interiora et exteriora in eodem homine.

959. Porro mendacium est triplex: *officiosum*, quod utilitatis alienae causa; *jocosum*, quod vel propriae, vel alienae voluptatis causa profertur; et *perniciosum*, quod proficiscitur ex intentione proximo injuste nocendi. Officiosum et jocosum, per se et ex genere suo sunt peccatum veniale; perniciosum vero ex se est mortale, quamvis possit esse veniale ratione levis materiae, v. g. si exiguum tantum inferatur, vel intendatur damnum. *S. Th.* 2. 2. q. 110. a. 4. in corp. *Ratio primi* est, quia abusus ille verborum, ac signorum externorum in officioso tantum, et jocoso mendacio neminem graviter laedit, nec graviter abhorret a veracitate. Dixi, *per se, et ex genere suo*: quia accedente alia specie peccati, v. g. si inde oriatur grave scandalum, item si adjunctum habeat juramentum, utrumque erit grave peccatum. Vide n. 526. *Ratio secundi*, quia perniciosum simul directe repugnat charitati Dei, v. g. in materia religionis, vel proximi, cui nocet; ergo in se gravem malitiam includit. *Bonac.* d. 10. q. 1. punct. 2., *Sayrus* et alii. De restrictione mentali vide n. 536. et seq.

960. *Principium* III. *Suspicio temeraria* (quando scil. sine sufficienti fundamento aliquid mali de proximo suspicamur) juxta *Laym.* ex genere suo *est tantum veniale peccatum*; quia ob debilitatem judicii non censetur (saltem communiter) graviter laedi bona existimatio proximi. Est autem suspicio actus intellectus non determinate quidem judicans rem absolute ita se habere, sed eam *forte* in his circumstantiis se sic habere. *Temeraria* est, si indicia tam levia sint, ut prudens judicium ex iis formari nequeat. Dixi, *saltem communiter*: quia siquis advertens levitatem judiciorum, nihilominus diutius adhaereat suspicioni in re gravi, mortaliter posset peccare; quia sic graviter laederetur bona existimatio proximi; ideoque ex ea facile oritur contemptus personarum etiam excellentium, odium, detractio etc. NB. Paterfamilias non suspicatur male, si rebus suis caute securitatis gratia prospiciat, occludendo cistas suas, prohibendo, ne filia cum hoc vel illo libere conversetur etc. quia commune periculum juste exigit ejusmodi curam.

961. *Princip.* IV. *Temerarium judicium* (quando scil. sine sufficienti fundamento malum de proximo judicatur) *est peccatum grave ex genere suo*: veniale est in materia levi, vel ob imperfectionem actus, dum saepe non adest plena advertentia, vel etiam ob circumstantias personae parum aestimantis sinistrum de se judicium. *Prob.* 1. Jac. 4. 11. *Qui judicat fratrem suum, judicat legem*, h. e. deficit a lege charitatis, quae praecipit temere de proximo non esse judicandum; huic judicio legis temere judicans suum judicium anteponit. *Prob.* 2. ex Matth. 7. 1. et Luc. 6. 37. *Nolite judicare, et non judicabimini. Prob.* 3. Juxta illud commune: *Quisque praesumendus est bonus, donec demonstretur malus*: ergo quilibet jus habet ad bonam sui existimationem: ergo injuriam infert, qui proximum in corde temere judicat, et ejus famam interne laedit.

962. *Princip.* V. *Detractio* (quae definitur alienae famae occulta et injusta

violatio; fama autem dicitur bona aestimatio aliorum de alicujus vita, et moribus) *ex genere suo est peccatum mortale* contra charitatem et justitiam, sive id quod refertur, verum sit sed occultum, sive falsum; ideoque habet annexam obligationem restituendi famam, seu retractandi coram iis, quibus praesentibus fama laesa est. *Prob.* ex eod. c. 4. sancti Jac. *Nolite detrahere alterutrum fratres: qui detrahit fratri, aut qui judicat fratrem suum, detrahit legi. Confirm.* Detractio est eo majus peccatum injustitiae, quo majore bono proximum injuste privat: atqui illum privat bono majore, quam furtum; *Melius est enim bonum nomen, quam divitiae multae.* Prov. 22. Vide propos. 43. et 44. ab *Innoc. XI.* damnatas. Additur in definitione detractionis 1. *occulta*; detractio enim fit absente illo, cui detrahitur, et sic differt a contumelia, quae praesenti infertur. 2. Additur *injusta*, qualis semper est, quoties affingitur falsum crimen. Occulta vero revelatio non semper est injusta, si scil. fiat ob justam gravemque causam, ut infra patebit.

963. *Adverte.* Detractio leve peccatum esse censetur 1. ex defectu plenae advertentiae. Ita *S. Aug.* (serm. 4. in die animarum ante medium) inter peccata minuta ponit, quando cum omni facilitate, vel temeritate maledicimus, quod pertinet ad detractionem: quod *S. Th.* 2. 2. q. 37. a. 2. ad 3. ita exponit: *Dicendum, quod Augustinus loquitur in casu illo, quo aliquis dicit aliquod leve malum de alio, non ex intentione nocendi, sed ex animi levitate vel lapsu linguae.* Unde ibid. in corp. ait: *Contingit tamen quandoque, quod aliquis dicit verba aliqua, per quae diminuitur fama alicujus, non hoc intendens, sed aliquid aliud: hoc autem non est detrahere per se et formaliter, sed solum materialiter et quasi per accidens . . . . Si autem proferat ex animi levitate, vel propter causam aliquam non necessariam, non est peccatum mortale, nisi forte verbum, quod dicitur, sit adeo grave, quod notabiliter famam alicujus laedat, et praecipue in his, quae pertinent ad honestatem vitae: quia hoc ex ipso genere verborum habet rationem peccati mortalis, et tenetur aliquis ad restitutionem famae.* 2. Si defectus leves proximi narrentur, vel generalibus tantum peccatorum nominibus proferantur, v. g. dicendo de aliquo, illum esse superbum, avarum, iracundum etc. *Excipe*, nisi forte conditio personae talis sit, ut ejusmodi defectus censeantur esse magni momenti, v. g. si de viro gravi vel sacerdote dicas, eum esse mendaciis assuetum. 3. Si manifestentur defectus naturales) nisi inde notabile damnum sequatur) sive sint defectus animi, v. g. si dicas, aliquem esse ignarum, non habere maturum judicium etc., sive sint defectus corporis, v. g. Petrum esse caecum, gibbosum etc. 4. Si ratione conditionis personae peccata, alioqui etiam gravia, non censeantur notabiliter laedere famam, ut si persona sit vilis, vel ita affecta, ut crimen non magno sibi dedecori ducat, v. g. si dicas, hunc militem commisisse duellum, illum deditum esse imprecationibus etc. 5. Gravitas detractionis minuitur ex conditione personae detrahentis, v. g. si haec sit vilis, cui vel levis, vel nulla fides habeatur; ex quo capite saepius excusantur pueri, qui facile solent aliorum vitia detegere. 6. Detractio non est, si quis peccatum alterius occultum, quando ad delinquentis emendationem est necessarium, manifestet illi, qui potest, vel debet corrigere; aut qui grave damnum, quod imminet alicui, avertere potest: vel qui consilium, aut auxilium necessarium hic et nunc dare potest. *Excipe semper*, nisi notitia criminis occulti habeatur ex confessione, uti dicemus de sigillo confessionis. Ita *Stoz* l. 1. p. 3. n. 206. cum *Bonac.*, *Tambur.* et aliis.

964. *Princip.* IV. *Contumelia* qua laeditur honor proximi, *ex genere suo est peccatum mortale.* Tunc autem actu est grave peccatum, quando injuria est notabilis, qua alicui vel verbo, vel facto in faciem objicitur grave crimen, ut si quem voces furem, adulterum, veneficum. Potest autem esse veniale 1. ex defectu plenae advertentiae: 2. ob levitatem criminis, quod ob-

jicitur: 3. ex conditione personae exprobrantis, v. g. si puer ex ira fratri suo dicat: tu es filius meretricis. Sic saepius non sunt graves contumeliae, quae inter personas viles proferuntur, ut inter plebejas mulierculas, viles famulos, pueros, qui rixando conviciis se invicem proscindunt, prout in buccam venit. 4. Si fiat ex joco, ita ut audiens animum jocosum advertat. Denique excusari potest ab omni peccato, si fiat correctionis gratia. Sic Christus Luc. ult. discipulos vocavit *Stultos:* s. Paulus Galatas *insensatos*, ad Gal. 3. Secus si non fiat ex animo correctionis. *Ratio* princ. est, quia contumelia non tantum est contra charitatem, sed quia saepe conjuncta est cum detractione, simul est contra justitiam, et tunc secum trahit obligationem restitutionis famae et honoris; hinc differt a detractione, sicut rapina a furto: nam contumelia fit palam, et coram eo, qui patitur injuriam, detractio autem clam. *Confirm.* ex verbis Christi Matth. 5. *Qui autem dixerit fratri suo* fatue, *reus erit gehennae ignis.*

965. *Adverte* I. Sicut honor (qui est externa aestimationis, quam de alterius bono vel excellentia habemus, testificatio) tum verbis, tum factis exhiberi, ita etiam laedi potest. Si scripto laedatur publice affixo, vel aliter sparso, dicitur *libellus famosus.* De quo vide *Laymann* l. 3. de Just. t. 6. c. 3. II. Contumelia differt ab improperio, et convicio; quia illa proprie fit per verba significantia malum culpae, v. g. dum proximum quis appellat latronem, fornicarium etc. *Convicium* proprie committitur objiciendo defectus vel animi, vel corporis, ut dictum est supra: huc pertinent vulgaria cognomina, *faular Esel, Toepel, Galgenschmengel* etc. *Improperium*, quando alteri objicitur malum indigentiae, v. g. si cui exprobres, quod fuerit vile mendicabulum, obscuro genere natus etc. *Reginald.* l. 24. n. 99.

Ex his resolves.

Didymus se accusat 1. *Narravi occultum alicujus crimen absque propria confirmatione, nocendique proposito, addendo, quod ab aliis id audiverim.* 2. *Crimen alicubi notorium aliis ignorantibus manifestavi.* 3. *Saepe etiam crimen occultum aliis retuli non nominata persona.*

966. *Q.* I. An, et quomodo Didymus peccaverit quoad primum. R. Si eo auctore, et in iis circumstantiis crimen occultum narraverit, ut narratio ex se fidem apud audientes mereatur, vel sinistram suspicionem generet, peccavit contra justitiam cum onere restitutionis: secus, si prudenter praeviderit, non credituros esse, coram quibus narrabatur; quia tunc non esset periculum inferendi notabile damnum: si vero non ex pondere narrationis, sed ex levitate animi fidem adhibeant audientes, peccavit contra charitatem, non contra justitiam, quia narranti tanquam causae fides data adscribi non potest. Ita *Laym.* l. 3. t. 3. p. 2. c. 3. n. 7. cum *S. Antonin.*, *Sylv.*, *Cajet.* et aliis.

967. *Q.* II. An, et quomodo Didymus peccaverit quoad secundum. R. 1. Si fuerit crimen verum, et notorium notitia facti, non peccavit saltem mortaliter. *Notorium facti* est, quod ita se plurium conspectui exhibet, ut nulla tergiversatione celari possit: *notorium juris*, de quo aliquis in judicio condemnatus, vel confessus, vel sufficienter et non tantum semiplene convictus est. *Ratio* R. est, quia talis criminosus tunc censetur spoliatus jure famae suae, quando crimen adeo manifestum est, ut moraliter impossibile sit, quin in aliorum notitiam deveniat. *At quot homines debent cognovisse crimen*, ut notorium censeatur? Respon. *Laym.* l. c. cum *Abb.* et *Molina*, definiendum esse prudentis arbitrio, an eo usque notitia diffusa sit, ut spectata humana fragilitate impossibile videatur, id celare alios; hinc si domus habeat octo incolas, sufficiet si 4. incolae crimen cognoverint, ut domi notorium censeatur. Juxta alios apud *Sylv.* V. notorium q. 4. sufficit, si decem e communitate norint. R. 2. Si crimen notorium juris per sententiam condemnatoriam judicis publicatum sit, aliis etiam locis sine injuria evulgari potest. Ita *Suar.* t. 5. d. 48. f. 1. Ex-

cipit *Laym.* cum *Mol.* 1. c. n. 9. si crimen per solam rei confessionem vel testium depositionem notorium sit, nisi illud paulo post publicandum esset.

968. *Dixi* in R. 1. *Si fuerit crimen verum:* falsum enim, de quo proximus per injuriam infamatus est, ulterius narrare nescientibus, est peccatum grave contra justitiam; quia innocentem infamare semper injustum est. Saepe tamen excusat ignorantia arbitrantem, crimen vel vere esse commissum, vel audientes id jam nosse. *Laym.* l. c.

969. *Q.* III. An peccet mortaliter contra justitiam, qui falso testi, vel accusatori iniquo, habenti tamen magnam auctoritatem, falsum crimen imponit ad eorum testimonium et auctoritatem infirmandam. Item qui alteri falsum crimen imponit, ut suam justitiam et honorem defendat. R. Uterque peccat graviter, et quidem contra justitiam, ut patet ex propos. 43. et 44. ab *Innoc. XI.* damn., quia mentiri in materia gravi, et in damnum alterius semper est peccatum grave et contra justitiam, sive fiat in judicio, sive extra judicium. Contra justitiam autem peccatur, quia laeditur jus, quod talis falsus testis, vel iniquus accusator habet ad propriam famam, et ne imponantur falsa crimina. *Neque dicas*: quod haec sit justa sui defensio; tum quia in tali casu falsum crimen potius imponitur ad vindictam, quam ad defensionem; tum quia haec defensio non est cum moderamine inculpatae tutelae; alia enim suppetunt media convincendi falsum testem vel accusatorem iniquum.

970. *Si quaeras*, an reus falso accusatus possit manifestare crimen occultum, verum tamen, sui accusatoris vel testis. R. 1. Si talis manifestatio sit inutilis ad defensionem rei, peccat reus contra justitiam manifestando, quia sola causa defensionis potest licitam facere manifestationem veri, sed occulti delicti: ergo si illa manifestatio sit inutilis ad sui defensionem illicita manebit. Tunc autem censetur inutilis 1. Si crimen manifestandum non sit tale, quod testem reddat inhabilem ad testificandum. 2. Si reus illud crimen probare non possit. 3. Si alia adsit ratio, per quam reus se possit defendere sine manifestatione occulti criminis. Unde.

R. 2. Quando haec manifestatio est necessaria ad defensionem rei, licitum est reo verum crimen manifestare, non solum quando testis vel accusator dicit falsum, sed probabiliter etiam, quando dicit verum; quia in tali casu reus non habet aliam viam se defendendi; ergo manifestatio est justa defensio. Excipe tamen casum, quo reo parvum damnum immineat, testi autem maximum; tunc enim reus peccaret graviter saltem contra charitatem, si manifestaret occultum crimen testis, vel accusatoris. *Duarte* V. Crimen falsum n. 172.

971. *Q.* IV. An Didymus peccarit referendo occultum crimen suppresso nomine personae. R. Si abfuerit periculum, ita ut audientes criminis auctorem cognoscere non potuerint, non peccavit graviter; secus, si explicata personae qualitate illum facile nosse potuerint, maxime si infamia redundet in coenobium, Ordinem. *Molina* d. 27., *Petr. Navar.* et alii.

972. Porro *resolves* ex dictis sequentia. I. Detractio *directe* fieri potest 1. Falsum crimen imponendo. 2. Amplificando verum. 3. Verum sed plane occultum manifestando. 4. Perperam alterius bonum opus explicando, quasi mala intentione fuisset factum. Hi modi comprehenduntur sequenti versu; *Imponens, augens, manifestans, in mala vertens.* Indirecte detrahit alteri. 1. Qui negat recte facta, et bona alterius. 2. Qui minuit illa. 3. Qui ea reticet eo in loco et tempore, quo caeteri reticentiam alterius pro tacita vituperatione accipiunt. 4. Frigide laudando, ut hoc ipsum cedat in opprobrium. Hos modos tradit sequens carmen: *Qui negat, aut minuit, reticet, laudatque remisse.* Sic detrahentes frequentius peccant contra charitatem; si damnum proximi conjunctum sit, etiam contra justitiam.

973. II. Qui interrogando, applaudendo, animando est causa coeptae, vel continuatae detractionis, peccat contra charitatem, quatenus infamanti praebet occasionem peccati; et contra justitiam, quatenus injuste infamationis causam

praebet; de tali *S. Ber.* l. 2. de Consid. ad Eugen.; *Detrahere, vel detrahentem audire, utrum horum detestabilius sit, non facile dixerim.* Qui gravi detractione per consensum internum tantum delectatur, peccat graviter, quia talis delectatio de jactura alienae famae est peccatum odii. Item qui solum audit eam, licet positive non concurrat, nec interne approbet, sed tantum non impediat, cum facile possit, v. g. sermonem alio divertendo, abeundo, vel signa displicentiae dando, vultum tristem exhibendo, peccat contra charitatem graviter, hoc ipso, quod non impedit damnum proximi, cum facile possit. Ille excusari potest a peccato omissae correctionis, qui prudenter praevidet, monitionem nihil profuturam, vel qui ex ea magnum incommodum merito timet, vel qui rationabili verecundia prohibetur ob auctoritatem detrahentis. Juxta *Less.* tenetur talis signa displicentiae dare; nam juxta monitum sapientis. Prov. 15. *Aquilo dissipat pluviam, et facies tristis linguas detrahentium.* Dicat quilibet cum Propheta: *Detrahentem secreto proximo suo, hunc persequebar.* Psalm. 100.

974. III. Qui ex inadvertentia alteri graviter detraxit, tenetur in conscientia ad restitutionem famae; dispar enim est ratio inter damnificatorem sine culpa, et inter detractorem; quia qui sine culpa detraxit, silentio postea suo libero detractionem moraliter censetur continuare, quam tamen facile posset impedire: e contra damnificator in bonis temporalibus, non censetur damnum moraliter continuare, quod inadvertenter intulit, et modo nequit sine gravi suo damno recuperare. De eo, qui uno actu in diversis materiis, item coram pluribus detrahit, dictum est supra n. 314.

975. IV. Qui detrahit mortuo graviter peccat mortaliter contra justitiam; quia bona opinio, quam habet apud homines, ei aufertur: ergo gravis injuria ei infertur. *Confirm.* Bona fama etiam post mortem est bonum valde aestimabile, cujus gratia homines in hac vita multa agunt praeclara facinora, et patiuntur multa: ergo privatio hujus boni graviter est injuriosa etiam defuncto. *Nec dicas*: mortuus jam non est: ergo nec habet jus, quod per injuriam laedi possit, sed habuit jus, quod modo non respicitur a justitia. R. enim N. ant. quia defuncti voluntas vere adhuc existit, in qua residet jus ad famam. Homini possibili, et futuro inferri injuria non potest, quia talis nec secundum animam, nec secundum corpus existit, adeoque nec capax est juris, quod laedatur. De modo restituendi famam, vide infra n. 982. et seq. Si tamen aliter defuncto fama restitui non possit, censent *Bonac.*, *Rebel.* et alii, quod restitutio fieri debeat per exhibitionem suffragiorum, et bonorum spiritualium.

V. *David sacerdos Dafrosam secum constituit habere famulam, putans ipsam esse fidelem, prudentem ac piam foeminam. Dionysius, fidelis amicus Davidis, certo scit, Dafrosam esse libidini, et furtis obnoxiam, ac proinde dissuadet rationibus generalibus, ne hanc conducat famulam: cum autem Davidem a proposito non possit abducere dictis generalioribus, vitia puellae ei patefacit.*

976. *Q.* An Dionysius committat formalem detractionem. R. cum *Pontas* V. detractio ab init. *negative:* quia Dionysii manifestatio non potest dici injusta violatio honoris, imo justa actio est, quia charitate proximo debita nititur, ac praecipue Sacerdoti, cujus fama ad bonum Ecclesiae, et forte parochianorum maximi est momenti, cui tamen labes inureretur talem habendo famulam.

VI. *Davus aulae minister colloquendo cum Rege frequenter mentionem facit Democriti aemuli sui, semper leve aliquod illius delictum subinde verum, subinde falsum immiscet, donec aemulus gratia Regis ex narratis omnino excidat, suoque privetur officio.*

977. *Q.* An Davus per frequentatas veniales detractiones peccet mortaliter, teneaturque ad restitutionem Democrito faciendam. R. Si intenderit in singulis detractionibus levibus graviter nocere Democrito, absque dubio jam peccavit

graviter ex mala voluntate graviter nocendi. Deinde si ab initio non intenderit graviter nocere, postea tamen id advertat, et pergat leviter detrahere, adhuc graviter peccat, et tenetur ad restitutionem famae, et aliorum damnorum, quorum causa fuit per leves detractiones. *Ratio* est, quia in materia detractionis peccatum evadit grave per gravem famae laesionem: ergo. *Confirm.* 1. Si Davus omnes detractiones per se leves simul proponeret coram Rege, posset utique graviter laedere ejus famam; ergo idipsum potest per frequentatas leviores detractiones, cum singulae in mente Regis uniantur, et simul causent gravem jacturam famae. *Confirm.* 2. a pari cum furtis minutis. *Confirm.* 3. Si quis de viro gravi, et boni nominis dicat, eum esse mendacem, scurram etc., quae levia de se sunt respectu aliorum; tamen peccat graviter, et tenetur ad restitutionem famae, quia graviter imminuit aestimationem talis viri, ut fatentur *Laym.*, *Less.*, *Molina:* ergo a pari.

VII. *Donatilla libidinose vivit. Donatianus vicinus, cui nota est ejus libido, rem omnem narrat Donatillae avunculo, non animo detrahendi, sed perversam corrigendi.*

978. *Q.* An Donatianus committat detractionem. R. *Negative*, si ipsi persuasum fuit, quod, clam ipsam monendo, per se non possit emendare libidinosam juxta dicta n. 936. *Prob.* ex regulis *S. Basilii*, qui in reg. brevior. respons. ad interrog. 25. ait: *Duo ergo esse existimo tempora, in quibus liceat aliquid mali* (nunquam fictum) *de aliquo dicere, videlicet, et quando necesse habet aliquis consultare una etiam cum aliis, qui ad hoc idonei judicati sunt, quo pacto corrigendus sit, qui peccatum commisit: et item quando necessitas poscit, ut periculo consulatur aliquorum, qui saepe ex ignorantia commisceri possent cum malo tanquam cum bono.* Confirm. ex *D. Th.* qui 2. 2. q. 73. a. 2. in corp. ait: *Et, siquidem verba, per quae fama alterius diminuitur, proferat aliquis propter aliquod bonum, vel necessarium, debitis circumstantiis observatis, non est peccatum, nec potest dici detractio.*

VIII. *Doda uxor sciens vicinam sibi puellam occulte prolem spuriam peperisse, marito suo vitium manifestat, stricte imperans, ne rem alicui revelet.*

979. *Q.* I. An sit grave peccatum detractionis grave crimen alterius sine justa causa etiam uni soli manifestando, etiamsi secretum promittat. R. Per se loquendo, *affirmative.* Ita expresse docet *S. Th.* l. c. a. 1. ad. 2.: *Si uni soli aliquis de absente malum dicat, corrumpit famam ejus non in toto, sed in parte. Ratio* est, quia quilibet etiam hanc jacturam famae apud unum solum virum prudentem magni aestimat. Ita *Laym.* L. 3. de Just. tr. 3. c. 3. n. 6. cum *Soto, Molina, Lessio* contra *Cajet. et Petr. Navarr.*, quorum fundamentum dicunt esse falsum, scil. quod talis manifestatio uni soli facta leve sit damnum famae, si nullum aliud damnum ex illa sit timendum.

980. Notandum tamen cum cit. AA. saepe culpam tunc minui, quando quis solatii vel consilii capiendi causa acceptam ab aliis gravem injuriam amico prudenti et taciturno manifestat, quia ejusmodi injuriam in silentio decoquere, et cum nemine communicare valde difficile videtur, dummodo id pluribus non dicatur. Praestat etiam in tali casu non nominare personam, nisi ad consilium vel solatium accipiendum valde expediens sit.

981. *Q.* II. An Doda excusanda sit a peccato, quia imperavit marito silentium. R. *Negative.* Audi *S. Chrysost.* hom. 3. ad Pop. Antioch.: *Hoc*, inquit, *ridiculum magis est, quod talem habentes vitam, et propriam negligentes, cum aliquid arcanum dixerint, rogant audientem, et adjurant, ne cuiquam amplius alteri dicat, hinc declarantes, quod rem reprehensione dignam commiserint. Si enim illum, ut nemini dicat, rogas, multo magis te priorem huic dicere non oportebat, in tuto sermonem habebas; postquam vero alteri prodidisti sermonis custodiam, superflua facis, et inutilia etc.*

982. *Q.* III. Quomodo restituenda sit fama. R. 1. Qui verum quidem, sed occultum alterius crimen manifestavit, tenetur apud audientes, vel quibus illud prodidit, criminis opinionem, quantum potest, abolere, *sed sine mendacio*, dicendo v. g. se male dixisse, injuriam alteri fecisse, se errasse, vel antea deceptum fuisse (omnis enim peccans errat, et decipitur vel a daemone, vel a propria passione): hoc modo permittitur interim, ut alii putent, credantque, crimen non fuisse commissum, nec alius modus restat.

983. R. 2. Si vero quis falsa infamatione alienam famam laeserit, debet revocare et retractare sua dicta coram iis, quibus dixit falsum crimen, etiam adjecto, si opus sit, juramento, aut adhibitis testibus, quamvis aequale, aut paulo minus damnum in sua fama pateretur: secus, si damnum notabiliter majus, v. g. vitae, foret ei subeundum. Si vero infamatum falso in vitae periculum adduxisset, aequitas postularet, ut etiam cum propriae vitae periculo innocentem liberaret, ut ait *Leonard.* cas. 17. n. 99. cum *Lessio.* Adde cum *Laym.* l. c. c. 7. num. 2.: *quamdiu potes crimen, de quo alterum injuste diffamasti, in specie retractare, non satisfacis, si omissa hac restitutione, hominem in aliis virtutum generibus commendas*, scil. laudando, honorando, cum nemo velit commutare famam suam in una materia, vel uno genere virtutis pro fama in alio genere; quilibet enim scit, quod infamatus in uno genere vitii, v. g. quod sit libidinosus, injustus etc. non possit vir bonus ab aliis haberi. Si tamen nullus omnino alius modus suppetat tollendi infamiam, teneberis aliam aequivalentem famae compensationem praestare, scil. laudando, honorando, ejus honorem defendendo etc.

984. *Q.* IV. An detractor, qui nec revocatione, nec alio modo plene potest restituere famam, tenetur ad compensationem pecuniariam pro laesa fama. R. cum *Laym.* l. c. probabilius *negative* saltem ante judicis sententiam; quia non est restitutio facienda in bonis alterius ordinis, quando in ordine bonorum, in quo facta est injuria, restitutio fieri non potest, propter impossibilitatem aequalitatis requisitam a justitia commutativa: pecunia autem non censetur aequivalere famae, quae inter res venales non venit numeranda: ergo. Dixi, *pro fama laesa;* nam alia damna voluntaria ex injusta detractione in bonis fortunae orta tenetur detractor compensare; quia detractor horum damnorum fuit causa injusta.

IX. *Dympna in coetu quodam aures praebuit detractori famae Matronae cujusdam nobilis.*

985. *Q.* An graviter peccaverit. R. Si audiverit absque resistentia, et prona aure, atque libenter, peccavit graviter. Regulam securam pro resolutione casuum similium tradit *S. Th.* 2. 2. q. 73. a. 4. in corp.; *Si aliquis detractiones audiat absque resistentia, videtur detractori consentire, unde fit particeps peccati ejus. Et si quidem inducat eum ad detrahendum, vel saltem placeat ei detractio ejus, cui detrahitur, non minus peccat, quam detrahens, et quandoque magis.... Si vero non placeat ei peccatum, sed ex timore, vel negligentia, vel etiam verecundia quadam omittat repellere detrahentem, peccat quidem, sed multo minus, quam detrahens, et plerumque venialiter. Quandoque etiam hoc potest esse peccatum mortale, vel propter hoc, quod alicui ex officio incumbit detrahentem corrigere, vel propter aliquod periculum consequens, vel propter radicem, qua timor humanus quandoque potest esse peccatum mortale.* Ib. ad 2. tradit, *quod non semper aliquis debeat resistere detractori, arguendo eum de falsitate, maxime si quis sciat, verum esse, quod dicitur: sed debet eum verbis redarguere de hoc, quod peccat fratri detrahendo, vel saltem ostendere, quod ei detractio displiceat per tristitiam faciei.* Vide n. 973.

986. X. A restitutione famae excusatur 1. qui nullo modo potest restituere. 2. Quando quis cedit juri famae suae. 3. Quando infamatus sponte remiserit restitutionem, modo ea donatio tacita vel expressa non cedat in damnum pro-

ximi vel familiae. 4. Quando prudenter judicatur diffamationem jamdiu esse oblivione deletam; tunc enim majus est periculum novae diffamationis. 5. Si fama aliis modis reparata sit. 6. Si crimen occultum, quod dixisti, alia ratione fiat publicum. 7. Si levis fuerit laesio famae, levis etiam obligatio restituendi; loco cujus praestat subinde data occasione leviter diffamato per laudem et commendationem satisfacere. Vide plura apud *Bonac.*, *Less.*, *Tamb.*, *Stoz* l. c. n. 205.

» Quantum ad divisionem, et distinctionem praeceptorum Decalogi non » una semper fuit inter Catholicos sententia. Esichius, semoto praecepto de » sanctificatione Sabbati, eo quod non esset observandum ad litteram secun- » dum omne tempus sic distinguit, ut primum praeceptum ponat: *Ego sum* » *Dominus Deus tuus:* secundum, *Non habebis Deos alienos coram me:* ter- » tium, *Non facies sculptile:* quartum, *Non assumes nomen Domini Dei tui* » *in vanum:* quintum, *Honora patrem et matrem etc.:* sextum, *Non occides:* » septimum, *Non moecaberis:* octavum, *Non furtum facies:* nonum, *Non di-* » *ces falsum testimonium:* decimum, *Non concupisces.*

» Altera sententia fuit Origenis, qui pro primo praecepto ponit, *Ego sum* » *Dominus Deus tuus, non habebis Deos alienos:* secundum, *Non facies* » *sculptile:* tertium, *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum:* quar- » tum, *Memento ut diem Sabbati sanctifices.* Alia sex ut Esichius.

» Tertia et communis sententia est Augustini q. 71. in Exod. qui distinguit » et disponit praecepta Decalogi eo modo et ordine quo in Ecclesia Catholica » distinguunt Theologi et Catechistae. Unde ad primum momentum Esichii » R. quod praeceptum de sanctificatione Sabbati inconvenienter positum fuis- » set inter praecepta Decalogi, si nullo modo ad Decalogum pertineret. Ad 2. » R. quod cum scriptum sit Matth. 6. *Nemo potest duobus dominis servire*, » ejusdem rationis esse videtur, et sub eodem praecepto cadere: *Ego sum Domi-* » *nus Deus tuus*, et, *Non habebis Deos alienos.* Ad tertium *ejusdem*, et secun- » dum *Origenis* R. quod facere sculptile vel similitudinem non sit prohibitum, » nisi secundum hoc, ut non colantur pro Diis. Nam in tabernaculo Deus » praecepit fieri imagines Seraphim. Exod. 25. Unde pertinet ad id prae- » ceptum, *Non habebis Deos alienos*, et, *Non facies sculptile.* Ad ultimum » *utriusque* R. quod cum cupiditas uxoris alienae pertineat ad concupi- » scentiam carnis, et cupiditas rerum alienarum ad concupiscentiam ocu- » lorum, sicut Deus distinctis praeceptis harum cupiditatum actiones prohi- » buit: *Non moechaberis; Non furtum facies*; ita et ipsas cupiditates. De- » nique memoriae causa praecepta Decalogi, et Ecclesiae versibus sequen- » tibus comprehenduntur.

1. » *Unum crede Deum: ne jures vana per ipsum:*
   » *Sabbata sanctifices: habeas in honore parentes:*
   » *Non sis occisor, fur, moechus, testis iniquus:*
   » *Alterius nuptam, nec rem cupias alienam.*

2. » *Festa colas praesens Sacro, jejunia serves:*
   » *Annua sit saltem scelerum confessio Paschae*
   » *Tempore, quo sumes Christi venerabile corpus.*

CAPUT IX. *De praecepto jejunii.*

De primo Ecclesiae praecepto (*statutos Ecclesiae festos dies celebrato*) egimus in praecepto tertio Decalogi: de secundo (*sacrum Missae officium diebus festis reverenter audito*) agemus in P. II., ubi de Sacrificio Missae: de Confessione annua ibid. scil. de Sacramento poenitentiae; de Communione Paschali, ubi de Eucharistia. Restat hic agendum de tertio praecepto Ecclesiae, de quo sit

§. UNICUS. *Principia generalia de jejunio.*

987. *Principium I.* Tertium praeceptum Ecclesiae 1. obligat graviter omnes fideles a septimo aetatis anno completo (juxta dicta n. 208.) ad abstinentiam ab esu carnium diebus veneris et sabbati. 2. Obligat graviter omnes fideles a vigesimo primo aetatis anno completo ad servandum statutis diebus jejunium. De obligatione gravi constat ex propos. 23. ab *Alex. VII.* damn. *Confir.* 1. ex eo, quod haec lex sit in materia gravi: quia plurimum conducit ad animarum salutem, et vitiorum exstirpationem. *Confirm.* 2. a communi judicio fidelium et consuetudine, quae est optima LL. interpres. *Filliuc.* t. 27. p. 2. c. 3. Ad jejunium autem Ecclesiasticum requiruntur tria. 1. *Abstinentia a carnibus*, et caeteris (ubi legitima consuetudo id non permittit) quae sementinam originem a carnibus trahunt, qualia sunt caseus, lac, ova etc. 2. *Unica comestio* per 24. unius diei horas: ex indulgentia tamen Ecclesiae, et legitima consuetudine licet sumere serotinam collatiunculam. 3. *Certum refectionis tempus*, quae refectio sumitur per modum coenae. De tempore ait *S. Th.* 2. 2. q. 147. a. 7. ad 2. *Dicendum quod ad jejunium requiratur hora determinata, non secundum subtilem examinationem, sed secundum grossam aestimationem.* Tempus ordinarium solvendi jejunii olim erat hora diei nona, hoc est, tertia post meridiem, in Quadragesima vero expectabatur usque ad vesperam; hodie communi Ecclesiarum consuetudine anticipatur tempus Canonici Officii, tum coena circa meridiem, vel hora ante meridiem. Vide *Laym.* L. 4. t. 8. c. 1. n. 9.

988. *Principium II.* Causae excusantes a jejunio sunt 1. *Superioris dispensatio.* Vide dicta de dispensatione n. 248. et seqq. Quando Episcopus commode adiri non potest, etiam Parochus dispensare potest cum hoc vel alio particulari Parochiano in lege jejunii: imo ubi *consuetudo viget*, etiam praesente Episcopo, ut ait *Sanch.* de matrim. L. 8. d. 9. n. 27. *Reiffenst.* et alii. Item Superiores Religiosorum Ordinum respectu suorum subditorum religiosorum. *Tamb.* t. 6. in 4. praecep. Eccles. L. 11. n. 5., *Babenst.* t. 6. d. 1. n. 11. et alii. Confessarii, Medici, uti et Abbatissae non possunt dispensare, quia carent jurisdictione spirituali in foro externo, sed tantum pro sua peritia ac prudentia hic et nunc possunt declarare, quod adsit legitima causa non jejunandi. *Tamb.* ibid n. 8. *Reding.*

Secunda causa est *impotentia* tum *physica*, quando quis simpliciter non potest jejunare, tum *moralis*, quando quis non potest sine magno incommodo, v. g. sine periculo gravis infirmitatis, aut notabili diminutione virium jejunare. Dixi, *sine magno incommodo:* sola enim mortificatio et difficultas non excusat a lege, imo hic intenditur. NB. Si impotentia sit certa, etiamsi ex culpa contracta, per se excusat; si vero sit dubia, petenda est dispensatio. Ita disserte *S. Th.* 2. 2. q. 147. a. 4. in corp. Ex hac ratione excusantur infirmi, convalescentes ex gravi morbo, dum notabilem virium defectum adhuc patiuntur, item praegnantes, lactantes, et pauperes. *Duarte* V. jejunium n. 324. De pauperibus *S. Th.* 2. 2. q. 147. a. 4. ad 4. dicit, *quod pauperes, qui possunt sufficienter habere, quod eis sufficiat ad unam comestionem, non excusantur propter paupertatem a jejuniis Ecclesiae, a quibus tamen excusari videntur illi, qui frustatim eleemosynas mendicant, qui non possunt simul habere, quod eis ad victum sufficiat.*

989. *Tertia causa* est *labor*, vel *officium*, cum quo labor non potest conjungi, qualis est agricolarum, item illorum opificum, quorum labor sine notabili defatigatione corporis exerceri non potest, ut fabrorum, pistorum, fullonum, cacmentariorum, coriariorum, textorum, versantium praelum typographicum, non tamen typos componentium, nec sartorum, pictorum et aliorum, quorum labor exiguus est; nec excusantur sutores, si non suant,

sed tantum scindant corium, et praeparent materiam, ut ait *Sanchez*. Quod autem non omnes corporaliter laborantes excusentur ab obligatione jejunii, patet ex propositione 30. ab *Alex. VII.* damnata. *Ratio* est, quia ille tantum labor hic excusat, pro quo exantlando vires unica refectione restauratae non sufficiunt; atqui non omnium opificum talis labor est: ergo. *Neque dicas*, quod ex declaratione *Eugenii IV.* benignior interpretatio sit facienda: nam Bulla *Eugenii* expresse dicit, teste *Sylvest. et Viva*, quod *Artifices laboriosa opera exercentes et Rustici* non teneantur jejunare. *Quid*, si opifices alias excusati a jejunio, uno vel altero die vacent a labore? R. cum *Diana* p. 1. t. 9. respons. 9. *Sanch.* et aliis. Adhuc excusantur, quia ne deficiant illis vires, legitime possunt vel eas servare ad sequentia opera, vel reficere pro antecedentibus. Dixi, *uno vel altero die:* quia, si per plures dies abstinerent a gravioribus laboribus, absque dubio tenerentur jejunare. Non excusantur, qui iter unius diei equitando conficiunt, utcumque iter agant, sive necessarium sit, sive non sit, ut patet ex propositione 31. ab *Alex. VII.* damnata. *Ratio* est, quia sine magno incommodo potest servari jejunium, si iter paucorum dierum agatur curru aut equo commodo. Secus est, qui iter arduum conficiunt, in quo omnes communiter defatigantur, ut est iter pedestre majoris partis unius diei, vel equestre plurium dierum.

990. *Quarta causa* est *pietas*, vel *majus bonum*; unde excusantur ii, qui opera charitatis et misericordiae tam corporalia, quam spiritualia exercent etiam ob mercedem, quando cum jejunio ea non possunt peragere. De his *Viva* in propos. cit., ubi praesertim de concionatoribus favorabiliter loquitur.

991. Casus de jejunio vide num. 41, 45, 48, 207, 216, 223, 242, 244, 262, 263. Praeterea resolves sequentia.

Dunstanus se accusat 1. *In die jejunii saepius modicum quid comedi, et sub vesperum adhuc notabilem quantitatem.* 2. *Aliquoties comedi die jejunii mane buccellam carnis, postea, quia jam violaveram legem jejunii, carnem adhuc eadem die saepius comedi.* 3. *Saepius etiam die jejunii comedi lardum, farcimina, et olera pinguedine anserina cocta.*

992. *Q.* I. An violaverit Dunstanus jejunium quoad primum. R. *Affirmative.* Patet ex prop. 29. ab *Alex. VII.* damnata. *Ratio* est, quia modicae illae quantitates cibi in ordine ad constituendam secundam refectionem eumdem habent effectum, si sumantur per intervalla, quem haberent, si sumerentur simul. Porro juxta *Comm.* quantitas in collatione vespertina statuitur quarta pars ordinariae refectionis. NB. non lauti convivii. Juxta *Stoz* n. 524. permittuntur octo unciae, sive media libra.

993. *Q.* II. An toties Dunstanus peccaverit graviter, quoties in die jejunii comedit carnes. R. 1. Semel buccellam carnis comedendo non peccavit graviter; aliud foret, si notabile frustum carnis uno morsu deglutisset. Eodem modo excusatur coquus, qui parum carnis ad quantitatem nucis avellanae, vel (ut ait *Reiffenst.*) unius unciae praegustaret. R. 2. Toties peccavit graviter, quoties eadem die jejunii comedit carnes. *Ratio* utriusque est, quia hoc praeceptum, licet admittat parvitatem materiae, quoad hanc partem est negativum. Secus est de eo, qui per binam justam refectionem jam violavit jejunium, hic non peccat graviter sumendo tertiam, quia sumpta altera refectione impossibile est amplius servare jejunium: ergo abstinentia a tertia vel quarta refectione non cadit sub praeceptum jejunii. *Antec. prob.* ex eo, quod substantia jejunii importet abstinentiam a secunda refectione. *Laym.* l. 4. t. 8. c. 1. n. 12. et 13.

994. *Q.* III. An et quomodo Dunstanus peccaverit quoad tertium. R. Comedendo farcimina peccavit graviter, quia haec sunt formaliter caro concisa, vel melior sanguis animalium, quorum caro certo prohibita est. Probabilius etiam prohibitus est usus lardi, adipis, pinguedinis anserinae etc. quia consuetudo,

quae post damnatam prop. 32. ab *Alex. VII.* adhuc licitum facit in quibusdam regionibus usum ovorum et lacticiniorum, non permittit propterea usum lardi etc. Adde, quod ex contraria sententia ingens fiat periculum, ne ejusmodi licentia etiam extendatur ad intestina animalium, farcimina, jusculum ex carnibus, quod cederet in praejudicium jejunii Ecclesiastici. Ita *Laym.* l. c., *Babenst.* l. c. n. 5. contra *Sylv.*, *Fagund.* et recentius contra *Burgh.* cent. 3. n. 13. quorum probabilitas speculativa in eo juvat prudentem Confessarium, ut pauperibus, ob aliquam necessitatem ejusmodi adipis, vel pinguedinis usum permittat. Ita prius cit. AA.

Adverte. Si quis vovisset jejunium singulis diebus veneris, etiam festo Nativitatis Christi, teneretur jejunare, si hoc incideret in diem veneris, nisi vovens expresse excepisset hoc festum. Prob. ex c. *explicari*, ubi Honorius III. ait: *Respondemus, quod illi, qui nec voto, nec regulari observantia sunt adstricti, in sexta feria, si festum Nativitatis Dominicae die ipso venire contigerit, carnibus propter festi excellentiam vesci possunt, secundum consuetudinem Ecclesiae generalis. Nec tamen hi reprehendendi sunt, qui ob devotionem abstinere volunt.* Unde etiam resolvendum, quod sexagenarius viribus adhuc gaudens ad jejunium vegetis, si votum jejunii emiserit pro certis diebus, teneatur jejunare, quamdiu pollet viribus, sicut qui ante vigesimum primum aetatis annum tale votum emisit. Vide *Laym.* contra *Sanch.*

995. *Q.* IV. An dispensationem habens circa esum carnium hoc ipso sit liber a duplici refectione. Affirmant *Tamb.*, *Reiffenst.*, *Schmalzgr.*, *Sporer*, et alii, eoquod abstinentia a carnibus sit de substantia jejunii; ergo sublata abstinentia tota lex jejunii solvitur. Contra hos R. *negative* cum *Navar.*, *Cajet.*, *Lessio* et aliis; quamvis abstinentia a carnibus et secunda refectione eodem praecepto jejunii aeque praecipiantur, sunt tamen materiae divisibilis, ut patet ex praxi dispensationum, vi quarum saepius conceditur esus carnium, remanente obligatione abstinendi a bina refectione. Item juvenes, qui nondum compleverunt tertium aetatis septennium, uti et senes excusantur a lege jejunii quoad unicam refectionem, et tamen obligantur ad abstinentiam ab esu carnium: ergo.

996. Quae sententia negativa hodie certior est ex novis Constitutionibus Benedicti XIV. In prima ab anno 1741. 30. Maji, quae incipit: *Non ambigimus*, providetur abusibus contra jejunii quadragesimalis observantiam invectis. Initio is agit de origine, utilitate et scopo dicti jejunii: §. 1. conqueritur de pravis consuetudinibus inter fideles inductis, praesertim *de nimia, nullis legitimis urgentibus causis, ubique indiscriminatim dispensandi facilitate*: §. 2. excitat Episcopos ad eas evellendas; §. 3. statuit, ut dispensatio nemini concedatur sine legitima causa, nec toti populo, civitati, aut genti indiscriminatim integrae sine gravissima et urgente necessitate: §. 4. ita habet: *Gravissimam vero urgentemque necessitatem, etsi non est, cur vobis explicemus, nolumus tamen vos ignorare, cum hujusmodi necessitate, et servandam esse potissimum unicam comestionem . . . et licitas atqui interdictas epulas promiscue minime apponendas esse*: §. 5. Pontifex hac super re onerat conscientias Episcoporum, jubetque moneri dispensatos, ut alia pia opera jejunii loco substituant. Vide tom. I. ejusd. Bull. pag. 48.

997. Eodem anno 1741. 22. Augusti idem Pontifex per Litteras Apostolicas, quarum initium est: *In suprema universalis Ecclesiae*, ita declarat §. 2. *Nos quibuscumque, quacumque occasione sive multitudini indiscriminatim ob urgentem gravissimamque necessitatem, sive singulis ob legitimam causam, et de utriusque medici consilio, dummodo nulla certa et periculosa affectae valetudinis ratio intercedat, et aliter fieri necessario exigat, in Quadragesimae aliisque anni temporibus et diebus, quibus carnium, ovorum et lacticiniorum esus est prohibitus, dispensari contigerit, ab omnibus omni-*

no, nemine excepto, unicam comestionem servandam, et licitas atque interdictas epulas minime esse apponendas, tenore praesentium declaramus et interdicimus. Vide tom. I. ejusdem Bullarii p. 65. Idem in declaratione harum Constitutionum ad Archiepisc. Valentiae anno 1742. 12. Maji data quae incipit: *Cognovimus*, in tom. I. ejusd. Bull. pag. 164. ita habet: *Praecipimus autem Episcopis, eorumque delegatis, ut nemini vescendi carnibus, aliisque cibis vetitis veniam tribuant, nisi, sub gravi, imperata simul unicae comestionis norma. Ita universale istud praeceptum pro tua spectatissima vigilantia Gregi tuo indicendum jubeto.*

Aliam declarationem ejusdem Pontificis ad Archiepisc. Compostellae datam anno 1744. 8. Julii, quae incipit: *Si fraternitas tua*, vide in tom. I. ejusdem Bull. pag. 357.

Anno 1745. die 10. Junii idem Benedictus XIV. denuo universalem edidit Constitutionem de jejunii disciplina conservanda, vel redintegranda, de dispensationibus generalibus pro oppidis aut dioeccsibus integris, nonnisi certa ratione, et justa de causa petendis et concedendis, quae incipit: *Libentissime quidem*, et habetur in T. I. ejusd. Bull. pag. 523. ubi §. 16. causas pro concedendis dispensationibus personalibus assignat regulam Patrum VIII. Concilii Toletani can. 9., qui ita habet: *Quisquis absque inevitabili necessitate, atque fragilitatis evidentis languore, seu etiam aetatis impossibilitate diebus Quadragesimae esum carnium praesumpserit attentare, non solum erit reus resurrectionis Dominicae, verum etiam alienus ab ejusdem dici sancta Communione .... Illi vero, quos aut aetas incurvat, aut languor extenuat, aut necessitas arctat, non ante prohibita violare praesumant, quam a Sacerdote permissum accipiant:* §. 17. subjungit: *Nemo est, qui non intelligat hujusmodi causa satis esse, ut aliqui a jejunii legibus et abstinentia immunes existimentur; non autem ut populus, vel integra civitas idem privilegium obtineat.* §. 18, 19 et 20 declarat, nec caritatem ciborum quadragesimalium, nec militum stationem, nec peculiares morbos causas sufficientes esse pro dispensatione generali: §. 21 et 23 ait, causas legitimas esse 1. defectum piscium, olei etc. 2. morbum epidemicum, ita ut nulla actas ex judicio medicorum libera et incolumis esse queat, et illis ipsis, qui inter cives salvi et integri numerantur, eadem pernicies immineat.

998. *Q.* V. An is excusetur a jejunio, qui se ultro defatigat ludo pilae, venatione, hastiludio etc. eo die, quo urget praeceptum jejunii, praecise ut a jejunio deobligetur. R. *Negative. Ratio* est, quia media sunt ad finem obtinendum necessaria, et sicut lex obligat ad media ad opus praeceptum necessaria, sic prohibet apponere impedimenta cum adimpletione incompatibilia. Ergo Ecclesia, dum praecipit jejunium, simul prohibet, ne libere ejusmodi ponantur. Ita *Laym.*, *Sanch.*, *Palao*, *Viva* in propos. 31. ab *Alex. VII.* damn.

Neque dicas 1. cum *Leand.*, *Joan.*, *Henriq.* et aliis: Talis habet jus ad venandum, ludendum etc. Respondet *Viva*, hoc ipso, quod praecipiatur hoc jejunium, cessat jus ad has actiones, ut sunt actiones impeditivae jejunii actu obligantis; sicut ex ipso, quod die festo praecipiatur auditio Sacri, cessat jus seu libera facultas manendi illo die domi, cum tenearis adire templum ad Sacrum audiendum. Vide dicta n. 257. et 213

Nec dicas 2. Licet juxta multos die festo locali e proprio territorio ire in alienum ad exercenda ibi opera servilia: ergo a pari. *N. Cons.* Quia in primo casu tantum intenditur fuga licita a loco, ubi praeceptum urget, ad locum, ubi non urget: in secundo ludens vel venator intendit non jejunare ibi, et quando praeceptum jejunii urget, quod non est obligationem fugere, sed violare. Vide dicta n. 213. 257. et seq.

999. *Q.* VI. Quantum cibi liceat sumere in collatiuncula consueta. R. *Laym.*

L. 4. tr. 8. c. 1. n. 9. *Id universim dici potest, oportere esse modicam, ne coenula in coenam transeat: speciatim vero attendenda est tum regionum, tum personarum diversitas, et qualitas. Nam regionum aliae aliis frigidiores sunt; inter personas vero aliae aliis majore cibo, seu propter labores, seu propter corporis constitutionem indigent.* Postea ait, non esse improbabilem regulam *Reginaldi*, scil. *tunc excessum fieri coenulae, quando id, quod sumitur, notabiliter majus est quarta parte ejus quantitatis, quae ad integram coenam sufficeret.* Ex qua regula deducitur, quod is, qui indiget pro justa refectione duabus libris, licite possit sumere mediam libram, ut diximus n. 992.

1000. *Q.* VII. Quid circa potum die jejunii sit observandum. R. Teste *S. Aug.* serm. 64. de temp., *S. Basil.* hom. 1. de jejun., *Tertull.* de jejun. c. 6. Christiani primis Ecclesiae temporibus diebus jejunii, praesertim quadragesimalis a vino abstinuerunt; hodie tamen ex recepta consuetudine usus potus cujuscumque proprie dicti quacumque dici hora diebus jejunii est licitus, si moderate et sine excessu temperantiae sumatur. Rationem dat *S. Th.* l. c. a. 6. ad 2. *Non autem intendit Ecclesia interdicere abstinentiam potus, qui magis sumitur ad alterationem corporis et digestionem ciborum assumptorum, quam ad nutritionem, licet aliquo modo nutriat; et ideo licet pluries jejunantibus bibere. Si autem quis immoderate potu utatur, potest peccare, et meritum jejunii perdere, sicut etiam si immoderate cibum in una comestione assumat.* Hoc supposito (ait *Leonard.* cas. 65. n. 446.) AA. passim concedunt, licitum esse, dum quis bibit extra tempus coenae, pauxillum panis sumere, ne haustus noceat; sic enim potius habet rationem medicinae, quam cibi. Intellige tamen cum limitatione, *nisi id saepius repetatur:* quia multa modica alias in effectu nutritionis coalescerent in unam quantitatem gravem sufficientem ad peccatum mortale contra legem jejunii, ut patet ex propos. 29. ab *Alex. VII.* damnata.

Potus Thee, et Caffee non videntur violare jejunium, cum vere habeant tantum rationem potus proprie dicti, et parum vel nihil nutritivi in se contineant, imo certe minus, quam potus cervisiae, nisi potui Caffee notabilior quantitas lactis admisceatur. Idem de potu Cioccolata censet *Illsung.*, contra *Pulao* et *Tamb.* ex judicio *Greg. XIII.*, *Pii V.* et *Pauli V.* Excipe, nisi Cioccolata instar densae pultis cocta in magna quantitate sumatur. *Confirm.* ex paritate cum electuariis, de quibus *S. Th.* l. c. a. 6. ad 3. ita docet: *Dicendum, quod electuaria, etiamsi aliquo modo nutriant, non tamen principaliter assumuntur ad nutrimentum, sed ad digestionem ciborum. Unde non solvunt jejunium, sicut nec aliarum medicinarum assumptio, nisi forte aliquis in fraudem electuaria in magna quantitate assumat per modum cibi.*

1001. *Q.* VIII. Quaenam senectus excusetur a jejunio. R. Quod senectus excusetur a jejunio, satis ex eo patet, quod vere senes ob virium imbecillitatem, humorisque ac caloris defectum frequentiore cibo indigeant. Quodnam vero tempus aetatis determinate excuset a jejunio, certo non constat; talis enim virium infirmitas et corporis mutatio non omnibus circa idem tempus aetatis contingit. Ideo neque universali consuetudine, nec communi DD. consensu certa aetas senibus definita est, sicuti adolescentibus tertium septennium. Nam *Sanch.*, *Angles*, *Sporer*, *Marchant* sexagesimum, *Sylvest.* autem i *Fabr.*, *Azor* septuagesimum annum aetatis senibus assignant, in qua a jejunii obligatione ordinarie eximi debeant. Hinc praeplacet regula *Laymanni*, qui l. 4. t. 8. c. 3. ait: *Licet senectus plerumque accidat anno aetatis sexagesimo, ideoque a jejunii lege eximat, quod proinde in dubio etiam praesumi debet; tamen, sicut si constet, aliquem vere senuisse, ac viribus defecisse circa annum aetatis quinquagesimum, a jejunii lege liber censeri debet: ita et vice versa, si certum sit, aliquem sexagenarium, aut.*

septuagenarium adhuc integris corporis viribus pollere, talis obligatus esse videtur, cum revera senex, sive viribus propter aetatem deficiens non sit; n. seq. tamen favorabiliter addit: interim non nego, sexagenarium habere pro se praesumptionem senectutis, ut in dubio de virium sufficientia, jejunii lege, quatenus praecipit unam refectionem, se liberum censere possit.

» *Dices* 1. Multi *adolescentes* ante 21 annum, et *senes* post 60 completum » sunt satis validi ad jejunandum: ergo tenentur, qui possunt. 2. *Foeminae* » ante annum 60 eximuntur a jejunio; quia sicut citius pubescunt, quam vi- » ri, ita et citius senescunt, imo ob debiliorem naturam anno quinquagesimo » jam eximendae sunt. 3. Si *operarius* alias exemptus uno die in quadragesi- » ma non laboret, tenebitur illo die ad jejunium. 4. Licet *alio abire* in » jejunio locali, in locum, in quo non est jejunium: ergo etiam in loco » jejunii iter suscipere praecise ad se eximendum a jejunio.

» R. *Ad* 1. N. C. quia haec lex attendit, quid ut plurimum fiat, sicut in an- » no professionis religiosae: deinde annum 60, teste *Marchantio*, et *Sporer* » determinavit pro termino Pius V. vivae vocis oraculo. *Ad* 2. N. A. quia » minori etiam alimento indigent, et facilius ferunt jejunium; aliud esset, si » propter proles etc. sint debiliores. *Ad* 3. Si prius laboravit operose, et sta- » tim postea laboret denuo, dies intercalaris est reparatio virium, aliter si » saepius aut diutius a labore cesset. *Ad* 4. C. A. N. C. Ibi evitatur, hic elu- » ditur lex in fraudem. *Evitare* enim legem est adire locum, in quo lex non » obligat in actu primo proximo. *Eludere* legem est, se studiose sine justa » causa impotentem facere ad observandam legem in loco, in quo lex obligat » in actu proximo. Sicut si quis pilae lusu se defatigaret vehementer so- » lum ideo, ut sic noctu posset plenam refectionem sumere, peccaret; » uti etiam is, qui studiose ideo discedit ad matrimonium clandestine » contrahendum, aut ad absolutionem a reservatione obtinendam, quia in » his datur specialis inhibitio.

MANTISSA DE VIRTUTIBUS MORALIBUS

§. I. *De virtutibus moralibus in genere.*

» *Virtus moralis ad officium hominis ex lege naturae exercendum per- » tinet, estque habitus agendi honeste, qui studio et exercitatione com- » paratur. Dividitur ratione ordinis et modi in virtutes principales seu » cardinales, et subordinatas seu annexas; in eas, quae sunt circa pas- » siones in ordine ad ipsum operantem, et quae sunt circa actiones ad » alterum ab operante distinctum.*

» *Virtus* in genere dicitur habitus inclinans ac perficiens potentiam ra- » tionalem ad suum finem et opus proprium. *S. Thom.* 1. 2. q. 55. a. 4. Di- » viditur varie: *ratione subjecti in intellectualem et moralem.* Illa est habi- » tus intellectum inclinans ad verum perfecte cognoscendum: altera est ha- » bitudo inclinans voluntatem ad bonum honeste amandum. *Suarez* disp. » 3. tract. 4. sect. 2. et 3. de virtut. *Ratione principii* virtus dividitur in *ac- » quisitam et infusam, naturalem et supernaturalem: ratione objecti in » theologicam et moralem.* Theologica a morali distinguitur per ordinem » ad objectum formale et immediatum. Illud enim virtutis moralis est ipsa » honestas actionis creaturae rationalis: theologicae vero virtutis objectum » formale est quaedam perfectio divina, quam peculiari ratione respicit. » Sic *Fides* respicit veritatem primam revelantem, seu actoritatem Dei » revelantis: *Spes* bonitatem Dei respectivam, quatenus Deus nobis bo- » nus est, item Dei potentiam, promissionem et fidelitatem: *Charitas* res- » picit quamlibet perfectionem divinam infinite amabilem per se, pro- » pter quam Deus amatur, et illa ut Deo bona.

» 2. *Virtus moralis* dividitur in quatuor principales seu virtutes cardinales, *Prudentiam*, *Justitiam*, *Fortitudinem*, *et Temperantiam*: his enim tota mortalis vita nititur et volvitur, sicut ostium in cardinibus. Actionem ad rectam rationem in se ipsa dirigit *prudentia*: actiones ad alterum moderatur *justitia*: passiones prosecutivas *temperantia*: et *fortitudo* aversativas regit. *Ex his tota bona hominis structura consurgit. S. Greg.* 2. moral. c. 8. His quatuor cardinalibus aliae virtutes sunt *subordinatae vel annexae*, quae tum circa actiones, tum circa passiones refraenandas, partim in ordine ad alterum ab operante distinctum versantur.

» 3. *Circa actiones* sunt hae virtutes. 1. *Justitia* reddit cuique suum. 2. *Religio* cultum Deo debitum reddit. 3. *Pietas* patriae ac parentibus debita officia rependit. 4. *Veritas* seu veracitas in verbis. 5. *Fidelitas* in promissis. 6. *Gratitudo* compensat beneficium. 7. *Vindicatio* moderate ulciscitur injuriam et culpam 8. *Liberalitas* pecunias in aliorum utilitatem largitur. 9. *Magnificentia* versatur in magnis sumptibus ad aliorum utilitatem. 10. *Amicitia* amico officia exhibet.

» 4. *Circa passiones* 1. *Temperantia* moderatur voluptates appetitus concupiscibilis, praesertim circa tactum et gustum. 2. *Liberalitas* ejusdem delectationes circa pecunias. 3. *Philotimia* seu *studium gloriae verae* circa honores; 4. et *Magnificentia* circa magnos sumptus spem et dispensationem moderatur. 5. *Veracitas* se alteri manifestat in verbis factisve decentibus, quatenus hoc est in ipso operante delectabili. 6. *Amicitia*, per quam exhibet se operans alteri jucundum in rebus seriis. 7. *Eutrapelia*, per quam exhibet se jucundum in temperatis jocis et ludis. 8. *Fortitudo* moderatur fiduciam et timorem. 9. *Mansuetudo* regit iram. 10. *Humilitas* appetitum propriae excellentiae refraenat etc.

» 5. Plures aliae sunt divisiones virtutis moralis, inter quas alia *virtus communis*, alia *heroica* dicitur ex Aristotele L. 1. Ethic. cap. 1. *Communis* versatur circa actiones laudabiles, sed minus difficiles, quae non excedunt modum communem operandi humanum. *Heroica* sive ob excellentiam operis, sive ob circumstantiam erumpit in actum difficillimum, qui superat modum communem operandi humanum.

» 6. Tria sunt, quae virtuti opponuntur, *peccatum* scilicet, *malitia et vitium*. *Peccatum* ut actus, *malitia* ut formale consequens, *vitium* ut habitus, virtutis actui, bonitati ac habitui contrariantur. *Vitium*, quod est habitus seu animi habitudo inclinans ad actus moraliter malos vel inhonestos, est vel per *excessum*, vel per *defectum*; virtus autem in medio seu recta mediocritate et rationis ordine versatur. *Vitium* per excessum est, quod materiam virtutis, ejusque officium extendit ultra mediocritatem illius virtutis, sive dein mutetur materia seu objectum virtutis secundum substantiam, sive dumtaxat secundum quantitatem. Sic non solum vitium intemperantiae est per excessum in eo, qui in copia immodica comedit, sed etiam qui comedit res vetitas simpliciter, vel res pretiosiores, quam par sit, ut cum Cleopatra pretiosum unionem deglutiit. Per defectum est *vitium*, quando non solum virtutis actus ex toto vel ex parte omittitur, sed etiam exercetur actus virtutis officio plane oppositus. Ita ignarus per defectum peccat contra fortitudinem, dum omittit actum fortitudinis, qui est velle subire periculum honeste, cum decet, aut dum elicit actum ei prorsus contrarium, qui est velle fugere, cum dedecet. Vitiis recensendis nihil est, cur immoremur. Nam *vitia etiam sine magistro discuntur. S. Aug.* L. 6. de Civ. Dei c. 3.

§. II. *De Prudentia.*

» *Prudentia est virtus specialis practica, morumque directrix. Perficit intellectum judiciis moraliter practice certis, et voluntatem in vero bono eligendo, maloque fugiendo dirigit. Hujus varia sunt munera, partes, et vitia opposita.*

» 1. *Prudentia* rerum expetendarum et fugiendarum scientia dicitur: tota ad actionem refertur. Circa universalia versatur cognoscendo sub ratione veri boni eligendi et mali fugiendi, circa singularia et cognoscendo et agendo: Hinc virtus moralis practica et magistra virtutum appellatur, quae non solum intellectum in dijudicando vero bono ac malo, sed et voluntatem in eligendis et exequendis mediis ad finem quemque honestum, praesertim ultimum conducentibus dirigit, ipsas virtutes morales regit ac moderatur. *S. Thom.* 2. 2. q. 47. a. 6.

» 2. *Munera, actusque proprii* prudentiae sunt 1. Εὐβουλία, *seu recta consultatio*, qua prudens animus de rebus agendis deliberat, et de mediis congruentibus ac honestis ad propositum finem obtinendum consultat, ne quid temere vel inconsulto aggrediatur, sed rectae rationis lumine in actionibus eligendis aut omittendis dirigatur. 2. Σύνεσις, seu *sagacitas* est, qua mens, ubi recte deliberavit et singula discussit, rite intelligit, judicat, et statuit de rebus humanis secundum legem, aequitatem, et rectae rationis principia; quid in his temporis, loci, personae, rerumque circumstantiis sit eligendum, aut omittendum. 3. Γνώμη, seu *sententia* vel *imperium* est, qua imperatur singularis actio vel omittenda, vel exercenda per interiores et exteriores hominis potentias seu vires, aliasque quascumque virtutes, mediique idonei executio ad finem obtinendum praecipitur. Ubi itaque haec moderatrix secundum tria munera ad clavum sedet, felix erit totius vitae humanae cursus.

» 3. *Partes integrantes* sive prudentiae subservientes ad actus perfectos eliciendos a Doctore Angelico 2. 2. q. 48. a. nn. enumerantur octo: *Memoria* ad prudentiam confert, qua memores sumus multiplici experientia rerum praeteritarum et circumstantiarum, easque cum praesentibus comparamus. *Viri enim prudentis est praeteritorum meminisse, praesentia agere, et futura cavere. Senec.* de consolatione ad Marc. c. 9... 2. *Intelligentia* ex cognitionibus principiorum honestatis juvat, ut praesens negotium, omniaque quae illud circumstant, exacte perspiciamus. Ea enim in syllogismis a prudentia factis penetrat assumptum, minoremque propositionem singularem recte inspicit, quae conclusionem parit. 3. *Docilitas* est promptitudo ad aliorum monita et consilia audienda ex intentione bene agendi. 4. *Solertia* est facilitas excogitandi media ad finem promptum debite exequendum. 5. *Ratiocinatio* est facilitas ex principiis notioribus deducere ignotiora agibilia. 6. *Providentia* est, qua diligenter et perspicaciter futura praevidemus, mediaque ad finem ordinamus. 7. *Circumspectio* est exacta consideratio circumstantiarum et mediorum ad obtinendum finem. 8. *Cautio* est cura et diligens animi attentio ad pericula, incommoda et impedimenta proposito operis evitanda.

» 4. Prudentiae opponitur generatim *imprudentia*. Per *excessum* vero adversantur haec: *prudentia carnis* excogitans media ad opera carnis implenda ex pravo voluntatis affectu: *astutia vel calliditas* excogitans media in speciem honesta et fucatam quamdam honestatem praeseferentia: *dolus* verbis, *fraus* factis media per astutiam inventa exequitur: *anxietas* est nimia sollicitudo praesentium et futurorum. Per *defectum* opponuntur *praecipitatio*, *inconsideratio*, *inconstantia et negligentia*. S. Thom. 1. 2. q. 53.

» a. 3. Hinc celebre illud Biantis consilium: *Aggredere tarde agenda, sed aggressus age constanter.* Laert. 1. Leg. 87.

» 5. Denique prudentia varias appellationes sortitur, quatenus ad varia, statusque diversos refertur. Alia dicitur *monastica seu henotica*, quae unius: alia *polyarchica*, quae plurium res agendas curat. Haec rursus vocatur *oeconomica*, qua societatis familiaris, et *Politica*, qua societatis politicae, vel reipublicae, et civitatis actiones diriguntur. Haec denuo dicitur *prudentia legislatrix et judicialis*, *architectonica* pacis et belli, ac *militaris*, quae circa actiones in pace, bello, judicio et curia suscipiendas versatur.

» 6. *Media* prudentiam sibi comparandi sunt plura. Usus et experientia, juxta tritum illud: *Usus me genuit, mater peperit memoria:* familiaritas cum summis viris moderatis ac probis: diligens consideratio eorum, quae gesta sunt, aut geruntur: perfecta illius affectus cognitio, qui in altero dominatur et quocum tractandum est negotium: ipsae demum variae scientiae. *Prudentiae compendium in litteris continetur.* Cassiodor. L. 8. epist. 67.

§. III. *De Justitia.*

» *Justitia est habitus inclinans et firmans voluntatem ad jus suum cuique tribuendum. Hujus varia est divisio, eique plures virtutes sunt annexae, varia quoque vitia opposita.*

» 1. *Justitia* generalissime sumpta est collectio omnium virtutum reddens voluntatem perfecte conformem suae normae, seu legi divinae. Quatenus autem virtus singularis, moralis et cardinalis est, habitus dicitur inclinans voluntatem ad jus suum cuique tribuendum. S. Thom. 2. 2. q. 79. a. 1. Unde *actus ejus proprius* est, jus suum cuique tribuere, id est, ponere aequalitatem inter obligationem unius et jus alterius. *Objectum illius materiale* sunt actiones, quibus aequalitas cum jure alterius ponitur. *Objectum autem formale* est ipsa honestas aequalitatis cum alterius jure. Hujusmodi actio aequalis juri alieno vocari solet jus justum, aequum et bonum. *Munera* justitiae sunt duo: jus suum alteri reddere, et neminem laedere.

» 2. *Justitiae divisio* ex ordinatione unius ad alterum discernitur, prout varie honestatis aequalitas inter hominem unum et alium respici solet. Hinc alia est *justitia universalis seu legalis*, quae partes communitatis aut totius Reipublicae ordinat ad tribuendum jus suum communitati, qua tali, procurando bonum pluribus commune. Haec directrix est in capite, aequas leges condendo; executrix vero in subditis, leges conditas observando. Alia est *justitia particularis*, qua vel communitas, vel persona particularis ordinatur ad tribuendum jus suum alteri parti vel personae particulari, seu aequale, quod alteri debetur. Haec rursus in *commutativam* et *distributivam* dividi solet secundum diversas aequalitates unius cum jure alterius, quas ut formale objectum eae respiciunt, et quae a Grotio Lib. 1. c. 1. de Jur. Bell. et Pac. *justitia expletrix atque attributrix* minus accurate appellatur. *Commutativa justitia* in commutationibus et pactis omnem, quantum fieri potest, servat aequalitatem rei cum re secundum proportionem, ut ajunt, arithmeticam, non attendendo dignitatem et conditionem personae. Comparat enim illa quantitatem cum quantitate, mediumque inter plus et minus in ipsa re, perfectamque aequalitatem in conservatione et reparatione alterius juris attendit. Sic cum debes alteri florenos decem, et totidem restituis, ponis arithmeticam aequalitatem. *Distributiva justitia* aequalitatem servat inter personas communitatis, pro cujusque merito circa bona et onera, et praemia et poenas. Haec aut *remunerativa* est, dum bona, honores, aliaque id genus beneficia pro cujusque dignitate et meritis distribuit: aut *vindicativa* seu *punitiva* constituens aequalitatem inter personas et offensam. Utraque ponit aequalitatem rerum ad personas secundum pro-

» portionem geometricam, remque comparat cum qualitate seu conditio-
» ne, dignitate et merito personae: nempe sicut una persona excedit aliam,
» ita etiam res, quae datur uni personae, excedat oportet rem, quae da-
» tur alteri. Sic ubi pecuniae vim in victoriae praemium Princeps desti-
» nat exercitui, liberalior in duces, parcior in milites distribuitur copia
» pro cujuscumque gradu et conditione. S. Th. 2. 2. q. 61. a. 1.

» 3. Justitiae annectuntur *virtutes*, quae eam aliquatenus imitantur, et
» aliquam ejus partem saltem participant, relatae sunt ad alterum, et de-
» bitum aliquod respiciunt, quod vel est strictum, et non perfecte po-
» test adaequari. Talis virtus est religio erga Deum, et pietas in paren-
» tes: vel debitum illud non est strictum nec obligans ad restitutionem,
» cujusmodi virtus est gratitudo et amicitia. Decem vero numerari solent
» virtutes Justitiae annexae: *Religio, pietas, observantia, obedientia, ve-
» racitas, vindicatio, gratitudo, liberalitas, amicitia, et urbanitas.*

» *Religio* (juxta Lactantium c. 4. de Divin. Instit. c. 28.) a religando
» dicta, quod Deus nos alliget, est virtus moralis, quae Deo ut supremo Do-
» mino et primo principio rerum omnium debitum cultum exhibet. Hujus *ob-
» jectum materiale* est cultus Deo debitus, quo supremam Dei excellentiam
» voluntaria submissione nostra contestamur: *objectum formale proximum*,
» propter quod religio Deum colit, est specialis honestas cultus, quo Deum
» propter suam excellentiam veneramur, eique nos submittimus. Quare ipsa
» Dei excellentia est solum objectum formale religionis remotum, et sic a
» virtutibus theologicis religio distinguitur. *Actus religionis proprii* sunt *in-
» terni et externi*. Interni a S. Thom. 2. 2. q. 82. a. 1. numerantur duo;
» *Devotio et oratio*. Externi sex: *Adoratio, sacrificium, votum, juramen-
» tum, oblatio primitiarum, donorum, decimarum, et adjuratio. Laus vero
» et gratiarum actio*, sunt partes quaedam et species orationis. In his actibus
» contestamur aestimationem nostram de excellentia divina, nostramque
» subjectionem ac dependentiam a Deo: *animi bona* Deo subjicimus devotio-
» ne, oratione, voto et juramento. Per *devotionem* homo seipsum tradit Deo
» et in cultum devovet. Per *orationem* significamus Deum esse auctorem uni-
» versi boni, quod sperare possumus, bona petimus ab eo, vel mala nobis
» aliisque deprecamur: ob ea, quae accepimus, grates agimus, laudamus be-
» nefactorem, judicem timemus. *Voto* deliberatam promissionem supremo
» Domino facimus de meliore bono. *Juramento* divinam veritatem invoca-
» mus testem ad fidem faciendam, aut firmandam promissionem: *bona cor-
» poris* Deo submittimus *per adorationem exteriorem: bona vero externa* in
» obsequium exhibemus per *sacrificium et oblationes*. Adoramus Deum tan-
» quam supremum Dominum tum interna mentis devotione, tum exteriore
» corporis submissione. Per *sacrificium* contestamur Dei supremum domi-
» nium in vitam, mortem, omniaque nostra bona, et nostram subjectionem.
» *Oblationibus* Deo, vel intuitu Dei, Ecclesiis aut Ecclesiae ministris bona
» nostra offerimus. S. Thom. 2. 2. q. 84. a. 2... *Pietas* hic non ut devotio et
» fervor in Dei cultu, aut misericordiae affectus, sed ut specialis virtus circa
» cultum parentum accipitur, et est virtus moralis, qua parentibus, sangui-
» ne junctis ac patriae cultus et debita redduntur officia. Haec respicit secun-
» dum *Lessium* de virt. card. 1. *parentes*, quia hi post Deum sunt praecipui
» auctores ortus et educationis: 2. *consanguineos*, quia in his quadam ratio-
» ne nobis parentes referuntur, cum utrique eadem origine sint prognati: 3.
» *patriam*, quia etiam haec aliquo modo est principium nostri ortus, parentes
» nosque fovet, et opportuna ad ortum et educationem media praebet. Huc
» refertur cultus omnium concivium et patriae amicorum. *Debita pietatis of-
» ficia* liberorum in parentes sunt tria per se, amor, reverentia, obedientia;
» alia per accidens, ut sustentatio aliaque vitae praesidia etc. *S. Th.* 2. 2. q.
» 101. a. 2.

» *Observantia* est virtus, qua personis in dignitate constitutis, vel aetate, » statu, aut alio bono superioribus cultum quendam exhibemus. Talibus enim » honor debetur tanquam merces et praemium laborum, qui bono publico et » civium utilitati student. Huc pertinent *Dulia*, quae cultum religiosum exhi- » bet *Beatis* ob sanctitatem vel beatitudinis statum; et *Hyperdulia* exhibens » cultum creaturae habenti specialem excellentiam et relationem ad Deum, ut » Beatissimae Virgini, quatenus est mater Dei. *S. Thom.* 2. 2. q. 103. a. 4.

» *Obedientia* est virtus inclinans ad aliquid faciendum vel omittendum ex » eo motivo, quod honestum sit imperanti obtemperare. Quatenus vero pro- » cedit ex reverentia Dei, sub Religione continetur, et ad devotionem per- » tinet. Quatenus profiscitur ex reverentia hominis superioris, qui jubet, ad » observantiam reducitur.

» *Veracitas* est virtus inclinans ad dicendum et manifestandum alteri ve- » rum cogitatis nostris signa externa et idonea conformando. Ad hanc tria » spectant: voluntas dicendi verum, sive edendi signum conforme menti: » ipsa locutio; et significatio mentis judicio conformis. Consideratur in hac » virtute debitum morale, quo ex honestate unus homo alteri tenetur ve- » ritatem loqui, sine quo societas humana servari nequit.

» *Vindicatio* est virtus, qua quis ex honesto motivo vindictam secundum « debitam mensuram rationemque ordinatam sumit vel petit, tum quia per se » decens, eum qui male fecit, puniri, tum quia honestum est, fieri punitio- » ne aliquam reparationem boni per injuriam laesi, et satisfactionem. Dum » enim punitur, qui laesit, restituitur quadam ratione honor laeso, et damnum » compensatur. Hinc *judex bonis nocet, dum parcit malis.* Lessius *de virt.* » *card.* Vindicatio proinde licita est ex *D. Thom.* 2. 2. q. 105. a. 1. si fiat de- » bito animo et circumstantiis debitis servatis; si intentio vindicantis feratur » praecipue in aliquod bonum seu honestum, ad quod pervenitur per delin- » quentis poenam, puta ad ejus vel aliorum emendat onem, aut saltem inhi- » bitionem, ad securitatem aliorum, ad justitiae conservationem, et Dei ho- » norem. Si vero intentio vindicantis id solum spectet, ut ei, qui te laesit, » male sit, si ibi quiescas ejusque malum velut tuum bonum intendas, odio » illicito desaevies contra charitatis legem, qua tenemur omnes homines etiam » inimicos diligere. Demum nec fas est, suum sibimet esse vindicem: hinc » vindicta fiat per potestatem publicam, non privatam. Nec appetitio vindictae » ob injuriam privatam suam praecise virtus est (inquit Lessius), quia ex » amore proprii commodi oritur. Secus est de injuriis, quae Deo aut Reipu- » blicae inferuntur, et neutiquam sunt tolerandae. *Discamus Christi exemplo* » *nostras injurias magnanimiter sustinere, Dei autem injurias nec usque* » *ad auditum sufferre.* S. Chrysost. Hom. 5. in Matth.

» *Gratitudo* est virtus inclinans ad beneficii accepti aestimationem ac re- » pensionem, sive, ut ait Lessius, quae respicit debitum ex beneficio natum, » et aliquid benefactori rependit, ut illi aliquo modo satisfaciat. Actus illius » sunt, agnitio seu aestimatio beneficii, grata acceptatio, gratiarum actio, » commemoratio beneficii, compensatio. Gratitudo hominis in Deum tribus » his vocibus continetur, inquit Hugo a S. Victore L. 4. de arc. Moysis c. 4. » *Accipe, redde, cave.* Accipe beneficium, quod offertur; redde gratiam, quae » debetur; cave supplicium, quod ingrato decernitur. Prima vox famulantis, » secunda monentis, tertia comminantis.

» *Liberalitas* est virtus humani affectus moderatrix circa bona fortunae, vel » opes dandas, solo honesti motivo; qui enim majoris lucri, honoris, ostenta- » tionis, voluptatis aut libidinis causa dat, liberalis censeri non debet. Ha- » bet haec virtus medium inter duo extrema: nam si deficiamus, nec tantum, » quantum oportet, tribuamus, *avari* dicimur. Si autem excedamus in dando, » et plus largiamur, quam oportet, et cui, quando, aut qua causa non opor- » tet in vitium labimur, et *prodigi* habemur. Unde liberalitas medium spe-

» ctat modumque recte aliis dandi, ut ratio personae, quantitatis, qualitatis, » loci et temporis habeatur. Haec si versetur circa honestos sumptus Princi- » pibus aliisque personis excellentibus dignos, vocatur *munificientia*, quae » rationem honesti et decori inter plus et minus servat.

Amicitia est benevolentia mutua et manifesta, qua qui alteri ipsius cau- » sa bonum cupit. Haec utrique amico nota est: amamus quidem aliquando » etiam ignotos, sed benevolentia solum est, non amicitia. Illa se prodit » mutua bonorum et commodorum communicatione. Demum illius causa, cu- » jus amicitiam colimus, ei bene volumus; qui enim sui causa id facit, se- » ipsum potius, quam alterum amat. Alia est *amicitia excellentiae*, alia *pa-* » *rium*, qua personae inter se inaequales vel pares se mutuo amant: alia *civi-* » *lis* viget inter concives et unius Communitatis vel Reipublicae: alia *sodali-* » *tia et consanguinea* est: haec in natura et sanguine, illa in pactione aut » conventione fundatur. *Causae*, quae amicitiam ingenerant et conservant, » sunt potissimum benevolentia, concordia, similitudo morum, beneficen- » tia, et beneficiorum repensio. Necessitas illius, honestas, jucunditas, et uti- » litas a Cicerone fusius describitur in *Dialogo de amicit.*; *Sane non aqua*, » *non igne pluribus locis utimur, quam amicitia* etc.

» *Humanitas* est, qua conditionis humanae consideratione in communi ho- » minum consuetudine faciles nos, ut decet, reverentes et benevolos exhi- » bemus. *Comitas* dicitur, si communi humanitatis sensu impulsi suavem » et placidum agendi modum praeferimus. *Affabilitas* vocatur, qua in con- » gressu ad audiendum nos faciles praebemus, nobisque colloquentium ani- » mos conciliamus.

» 4. *Justitiae* oppositum *vitium* est *injustitia*, quae est habitus vitiosus » inclinans ad non tribuendum cuique jus suum. Alia plura vitia adversan- » tur, ut *judicium temerarium*, ubi cogitatione; *detractio*, *calumnia*, *con-* » *tumelia*, *susurratio*, *derisio*, *maledictio etc.* ubi verbis; *homicidium*, » *mutilatio*, *verberatio*, *furtum*, *rapina etc.* ubi factis justitia commutativa » laeditur; *acceptio personarum*, qua justitia distributiva potissimum, saepe » etiam commutativa violatur. Virtutibus justitiae annexis sua correspondent » vitia: religioni *superstitio* per excessum, per defectum *irreligio:* pietati » *immoderatus amor* parentum, consanguineorum, aut patriae per exces- » sum, per defectum *impietas*: observantiae *immodicus cultus* per exces- » sum, per defectum *contemptus:* obedientiae per defectum *inobedientia* in de- » bitis, in illicitis per excessum *inordinata obsecutio*: veracitati *jactantia* per » excessum, *mendacitas* per defectum: vindicationi *crudelitas* per excessum, » nimia *lenitudo* per defectum: gratitudini *ingratitudo* per defectum, per » excessum *prodiga gratitudo*: liberalitati *prodigalitas* per excessum, *ava-* » *ritia* per defectum: amicitiae *adulatio* per excessum, per defectum vero » *litigium:* urbanitati, comitati, et affabilitati *severitas* per excessum, per » defectum *rusticitas* adversatur.

§. IV. *De Fortitudine*

» *Fortitudo est virtus moralis, qua in res magnas, arduas, periculosas* » *gerendas aut sustinendas cum debita moderatione ferimur ex honesti sti-* » *mulo. Habet illa varios actus, virtutes annexas et vitia opposita.*

» *Fortitudo*, Graecis ἀνδρία, virilis et mascula virtus est, qua mens re- » sistit omnibus difficultatibus, quibus a rationis bono impeditur. S. Thom. 2. » 2. q. 123. a 2. *Objectum illius materiale remotum* sunt res arduae periculis » junctae et tales, ut honeste suscipi et sustineri possint, v. g. quae pro Rei- » publicae salute suscipiuntur: *materiale proximum* sunt affectus timoris et » audaciae. *Objectum formale* est honestas mediocritatis circa illos affectus ap- » petitus irascentis, quos fortitudo moderatur, ne voluntas a bono rationis

» retrahatur timore mali, et tum in aggressione, tum in perpessione graviorum malorum non frangatur aut cedat, sed contra moderate audeat.

» 2. *Actus fortitudinis* sunt duo: aggredi difficilia, et tolerare dura. Inde » *virtutes* quatuor adjunctae colliguntur. 1. *Fiducia*, qua cum spe firma » vincendi res arduas agendas et ferendas prompte ac strenue aggredimur. » 2. *Magnanimitas* inclinat ad strenue exequendum id, quod prompte per » fiduciam suscepimus: nam sine fiducia nulla suscipitur voluntas firma » ex virtute agendi, sine magnanimitate etiam suscepta voluntas ad matu- » ritatem non perveniet, sed quasi in medio conatu concidet et emorietur. 3. *Patientia* confirmat animum adversus tristitiam in tolerandis adversis, ne a praescripto rationis recedat, aut indecore aliquid agat. Haec » si moderetur tristitiam ortam ex jactura bonorum externorum, vocatur » *aequanimitas*: si cohibeat ortam a corporis incommodis formidolosis, *constantia*; si ex dilatione rei expectatae, *longanimitas* appellatur. 4. *Perseverantia* virtus est, qua stabilis quisque et firmus in opere honesto coepto ad finem perducendo, vel dolore penitus exantlando permanet, ex » motivo specialis honestatis. S. Thom. 2. 2. q. 138. a. 1.

» 3. *Vitia* fortitudini opposita sunt duo: quatuor vero totidem annexis virtutibus adversantur. 1. *Timiditas* vel *ignavia* per defectum; timidus enim » deficit in audendo et aggrediendo, statimque animo linquitur, actionem vel » non inchoat, vel abrumpit, quoties grave malum impendit. 2. *Audacia* » seu *temeritas* excessus est in audendo et aggrediendo, cum quis, ut repellat malum imminens, quidam aggreditur, quod, vel quomodo, vel quando non convenit rationi. 3. Fiduciae per excessum opponitur *praesumptio*, » qua aliquis suscipit opera viribus majora; et per defectum *diffidentia*, qua » quis non audet suscipere ea, quibus par est. 4. Magnanimitati per excessum adversatur *jactatio animi* in executione rei arduae contra rationis et » virium et convenientiam; per defectum *pusillanimitas*, qua quis ipso conatu rei susceptae mox deficit, licet idoneus consistere posset. 5. Patientiae » opponitur *impatientia* per excessum, dum quis nimium indulget dolori supra modum a *patientia* praescriptum et ex dolore discedit a recto. *Insensibilitas* per defectum adversatur circa sensum dolorum, dum quis nullis malis nec propriis nec alienis tangitur, quod signum inhumanae duritiei et brutae stoliditatis est: *Non sentire mala, non est hominis; non ferre, non est viri.* Senec. ad Polybium c. 36...6. Perseverantiae repugnat per excessum *pertinacia*, qua firmus quis manet in proposito sive sentiendi, sive agendi, ubi » non oportet, vel plus quam oportet. *Mollities* seu *volubilitas* per defectum » opponitur, dum quis ob difficultates occurrentes, et maxime ob tristitiam ac » privationem delectationum ab opere bono desistit, ceditque difficultatibus.

§. V. *De Temperantia*

» *Temperantia est virtus refraenans appetitum in voluptatibus corporis* » *vel sensuum, praesertim gustus et tactus. Hujus variae sunt species, vir-* » *tutes adjunctae, et vitia opposita.*

» 1. *Temperantiae nomine importatur quaedam moderatio seu temperies,* » *quam ratio facit*, inquit *D. Th.* 2. 2. q. 141. a. 1. Illius *objectum materiale remotum* sunt delectabilia corporis vel sensuum: *proximum* vero sunt » delectationes sensuum. *Objectum formale* est honestas, quae reperitur in » mediocritate voluptatum sensuum. *Regula*, unde judices, quaenam delectatio habeat ejusmodi mediocritatem, non alia est secundum *D. Thom.* 2. 2. » q. 141. a. 6. quam necessitas et utilitas rerum ad hanc vitam humanam pertinentium. *Actus temperantiae* est vel abstinere, vel cohibere, scilicet moderari appetitum circa voluptates juxta praescriptum rectae rationis mo- » rumque regulam, quantum, ubi, quale, quando et quomodo decet.

» 2. *Species* temperantiae seu *partes subjectivae* a s. Thoma 2. 2. q. 143. a. 1 » recensentur quatuor: 1. *Abstinentia* inclinat ad subtractionem ciborum, » quantum decet habita ratione valetudinis et officiorum. 2. *Sobrietas* affe- » ctum et usum moderatur circa potum, qui ebrietatem conciliare potest, et » rationis usum fumis suis praepedire. 3. *Castitas* ex *D. Thoma* 2. 2. q. 15. » a. 2. est virtus statuens mediocritatem circa delectabilia venerea, vel ea » prorsus abjiciendo, vel non aliter iis utendo, quam recta ratio praescribit. » 4. *Pudicitia* est virtus, quae circa externa signa et actus venereos minus » principales, v. g. *aspectus, colloquia* etc. voluntatem debita mediocritate » coercet. *Pudicitia* (inquit *S. Cyprianus* de bono pudicit.) *primum locum* » *tenet in virginibus secundum in continentibus tertium in matrimoniis.* » *Verum omnibus gloriosa est cum gradibus suis.* Praeter has partes subjec- » tivas recensentur a *S. Thom.* 2. 2. q. 143. a. un. *quaedam partes integran-* » *tes, verecundia*, quae est timor infamiae de turpi actu perpetrato, sicut » *erubescentia* est timor infamiae de eo committendo.

» 3. *Virtutes adjunctae* septem numerantur: 1. *Continentia* moderatur » quovis impetu passionum, quibus impellimur ad delectationes praesertim » venereas. 2. *Humilitas* refraenat appetitum propriae excellentiae, homi- » nemque inclinat ad suam vilitatem signis factisve profitendam. 3. *Man-* » *suetudo* interiorem irae impetum vel passionem secundum rationis nor- » mam moderatur, in quo differt a *clementia* quae est moderativa puni- » tionis. 4. *Studiositas* cognoscendi desiderium nimiumque ardorem scien- » di juxta rectam rationem dirigit, secundum illud Rom. 12. *Non plus sape-* » *re, quam oportet sapere.* 5. *Modestia* circa debitam compositionem cor- » poris, in gestibus, nutibus, sermone, incessu, habitu et vestitu etc. occu- » patur 6. *Eutrapelia* festivitati, ludis et jocis honestum modum imponit fa- » citque, ut nostra consuetudo aut conservatio sit grata, servata tamen sem- » per honestate et ratione nostrae personae eorumque quibuscum versa- » mur. 7. *Parsimonia* luxum superfluum in suppellectili aliisque rebus ad » usum vitae idoneis amputat, circa corporis cultum aliumque apparatum » rerum externarum servat dedecorem et modum.

4. *Vitium* temperantiae oppositum est per excessum *intemperantia*, quae » excedit in expetendis vel fruendis voluptatibus sensuum. Per defectum ad- » versatur *stupor*, dum quis sine causa ita delectationem omnem despicit, ut » sine justa causa pravo deceptus judicio praetermittat ea quae ad vitae con- » servationem sunt necessaria; aut etiam naturae noxia in cibo et potu eligit. » Qui enim negat se quodam voluptatis sensu affici, is utique se animal » vel hominem negat, stipiti aut saxo non impar, in quo nullus est sensus.

» 5. Quatuor speciebus temperantiae totidem *vitia* anonyma per defectum » opponuntur: per excessum vero 1. abstinentiae adversatur *gula* seu *vora-* » *citas* excedens in ciborum modo, quantitate et qualitate etc. De ejusmodi » hominibus Tertullianus ait Lib. contra Psychos: *quorum Deus venter est,* » *quorum fides in culina calet, charitas in olla fervet, et tota spes in fer-* » *culis jacet.* 2. Sobrietati *ebrietas* repugnat, et est notius vitium, quam » ut descriptione egeat. *Nullum secretum est, ubi regnat ebrietas.* Prov. 13. » Nam juxta vulgatum illud: *quod in corde latet sobrii, in lingua natat* » *ebrii.* 3. Castitati adversatur *luxuria* in appetitu vel usu venereorum im- » moderato. 4. Pudicitiae opponitur *impudicitia*; quae in exterioribus si- » gnis impuris limites rationes excedit. Partibus integrantibus temperantiae » per defectum opponuntur vitia anonyma, per excessum *impudentia* ve- » recundiae, quae indolis depravatae indicium est partusque daemonis.

» 6. Virtutibus reliquis temperantiae adjunctis sua adversantur vitia, per » defectum quidem anonyma, per excessum vero: 1. Continentiae opponi- » tur *incontinentia*, quae passionibus venereis et motibus immoderatis con- » tra rationem delectatur. 2. Humilitati *superbia*, quae est appetitus inordinatus

» propriae excellentiae. 3. Mansuetudini *iracundia* plus aequo contra ra-
» tionem excandescens. 4. Studiositati *curiositas*, quae est inordinatum de-
» siderium sciendi id, quod non convenit, vel modo, quo non, aut plus,
» quam convenit, aut dum scientias appetimus non referendo ad debitum
» honestum finem. 5. Modestiae repugnat *immodestia*, quae corporis gestus
» externamque compositionem atque ordinatam aut nimis negligit, aut ni-
» mis affectat. 6. Eutrapeliae opponitur *scurrilitas*, jocandi, et ludendi
» genus obscoenum, illiberale, petulans, flagitiosum. 7. Parsimoniae ad-
» versatur *luxus* vestium alteriusque externi apparatus modum excedens.
» *Finem omnium rerum specta, et supervacua dimittes.* Senec. epist. 119.

» Et sic finem facimus hujus primae Partis in honorem illius, qui omnium
» rerum Principium ac Finis est. Cedant ergo haec et omnia

A. M. D. G.

SYLLABUS DEFINITIONUM

A

» Abortus voluntarius est homicidium, perfectum quidem, si foetus erat » animatus anima rationali: imperfectum vero, si anima rationali non » animatus.

» Absolutio sacramentalis est actus judicialis, quo poenitentibus confessis, » ac recte dispositis, a Confessario virtute Christi remittuntur peccata.

» Accidia est tristitia de bono spirituali, prout ad hominem spectat.

» Actus humanus est hominis actio, quae ex voluntate deliberata procedit.

» Actus humani eliciti illi sunt, qui a voluntate immediate prosiliunt: v. g. » volitio alicujus objecti.

» Actus humani imperati illi dicuntur, qui ex voluntatis jussu ab aliis po- » tentiis cliciuntur, ut aspectus alicujus rei ab oculo elicitus.

» Actus humani moralitas est respectus quidam sive ordo actus liberi ad » objectum subditum regulis morum; ut prosequendum, si bonum, vel » ut fugiendum, si malum.

» Actus humani regulae sunt lex et intima mentis ratio, seu dictamen pra- » cticum.

» Adjuratio est Dei, vel alicujus personae, aut rei sacrae invocatio ad inducen- » dum, vel cogendum alterum, ut aliquid faciat, vel a faciendo desistat.

» Adoptio est voluntaria et gratuita assumptio personae, ad haereditatem.

» Adoratio est actus, quo quis se alteri subjicit in ejusdem excellentiae » testimonium.

» Adoratio latriae est cultus pius ac religiosus, qui soli Deo debetur, cum » sit ipse primum Principium, supremus Dominus, et ultimus Finis re- » rum omnium.

» Adoratio hyperduliae seu excellens dulia, est cultus quo colitur B. V. » Deipara, quae omnibus aliis creaturis eminet.

» Adoratio duliae est cultus Angelis caeterisque Sanctis debitus, ut Dei » servis et amicis.

» Adulatio est excessiva laus seu complacentia, verbis vel factis expressa.

» Adulterium est congressus aut viri cum uxore alterius, aut mulieris cum » marito alterius, aut utriusque matrimonio vincti.

» Affinitas est conjunctio seu propinquitas personarum, proveniens ex co- » pula carnali, sive licita, sive illicita, perfecta tamen, nimirum cum » seminum commixtione in vase naturali.

» Ambitio est inordinatus appetitus honorum.

» Apostasia est recessio hominis baptizati a tota fide.

» Arrogantia est vitium, quo quis temere et impudenter bona sibi vindi- » cat, quae non habet.

» Articulus mortis est ille status infirmitatis, in quo plurimi ordinarie dece- » dunt: discriminatur a periculo mortis, quod istud est ille status in quo » probabiliter et prudenter timetur quod quis sit proxime moriturus.

» Assecuratio est contractus, quo pacto pretio aliquis rei periculum susci- » pit, damnum sive in totum, sive in partem compensaturus.

» Astrologia est divinatio per astra.

» Astrologia naturalis ea est, qua homines ex vario situ ac motu astrorum » ea quae naturaliter contingunt, ut pluviae, significant ac portendunt.

» Astrologia judiciaria ea est, qua homines ex stellarum motu astrorum- » que cursu contingentes fortuitosque casus ex sola libertate pendentes » divinare praesumunt.

» Attentio est actus intellectus, nimirum consideratio et advertentia men- » tis ad id quod fit, vel dicitur.

» Attritio est dolor supernaturalis, et detestatio peccatorum, ut sunt of-
» fensa Dei, propter timorem gehennae, aut turpitudinem peccati, aut
» aliud motivum honestum supernaturale, involvens saltem propositum
» implicitum non peccandi.
» Avaritia est inordinatus divitiarum appetitus et amor.
» Audacia est appetitus insurgens in malum terribile fugandum et supe-
» randum.

B

» Baptismus est sacramentum novae legis, quo homo exterius abluitur, et
» spiritualiter regeneratur per aquam sub forma verborum a Christo prae-
» scripta.
» Baptismus fluminis est desiderium vehemens recipiendi sacramentum ba-
» ptismi, cum contritione de peccatis in casu in quo deest commoditas
» illud recipiendi in re.
» Baptismus sanguinis est martyrium, seu mors in odium fidei Domini no-
» stri Jesu Christi tolerata.
» Bellum est conflictus multorum contra multos extraneos, vi et armis.
» Principis jussu peractus.
» Bellum defensivum est actio, qua publica auctoritate vis illata regno seu
» provinciae ab exteris repellitur per possidentes.
» Bellum offensivum illud est, quo Princeps exercitu armato hostem ag-
» greditur, juris vindicandi, aut compensationis obtinendae gratia.
» Beneficium ecclesiasticum est jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis
» Ecclesiae propter aliquod officium spirituale, auctoritate Ecclesiae con-
» stitutum.
» Beneficium simplex illud est, quod nullam habet jurisdictionem, admi-
» nistrationem, seu praeminentiam, sed solum eidem adnexum est de-
» bitum fundendi preces, et alia ministeria ecclesiastica exercendi, ut
» sunt Canonicatus, Capellaniae, etc.
» Beneficium quod appellatur duplex, illud est quod habet jurisdictionem
» in Clerum populumque, et administrationem rerum ecclesiasticarum;
» ejusmodi sunt Papatus, Episcopatus, Abbatia saecularis, Plebanatus,
» et omnia beneficia Curata, seu quibus animarum regimen adnexum
» est et jurisdictio.
» Beneficium electivum illud est, quod a pluribus confertur per electionem,
» a Superiore confirmandam. Collativum a Superiore confertur. Mixtum,
» patrono designante, episcopus instituit et confert.
» Bestialitas est concubitus cum individuo alterius speciei.
» Blasphemia est derogatio divinae bonitatis.
» Blasphemia haereticalis ea est, quae mentis assensu Deo affingit quod
» nec habet, nec habere potest, vel removet aliquid ab eo, quod ei con-
» venit: seu est dictum contumeliosum contra Deum vel Sanctos, con-
» tinens errorem in fide.
» Blasphemia simplex ea dicitur, quae solo pravitatis affectu absque men-
» tis assensu aliquid Deo vel Sanctis ejus affingit, vel imprecatur.
» Bona castrensia ea sunt, quae in castris, seu in militia vel occasione militiae
» filius acquirit; nempe stipendia militaria, spolia hostium, dona ducum
» vel commilitonum; item quae obtinet propter obsequium Principis in aula.
» Bona quasi castrensia ea sunt, quae filius acquirit ex ministerio publi-
» co, nempe Judicis, Advocati, Tabellionis etc. Item ex professione ali-
» cujus artis liberalis. Item quae ipsi proveniunt ex officio clericali, aut
» ex beneficio ecclesiastico.

C

» Calumnia est denigratio alienae famae, falsum crimen imponendo.
» Cambium est contractus commutationis pecuniarum pro pecuniis cum lu-
» cro campsoris.
» Cambium reale seu verum est vera et realis permutatio pecuniae cum pecu-
» nia, aequalitate servata inter datum et acceptum: puta monetarum au-
» rearum cum argenteis, et praesentium cum absentibus, servato justo ti-
» tulo lucri moderati a lege taxati, aut a rationabili consuetudine approbati.
» Cambium siccum seu fictum est, quando datur quidem pecunia pro pe-
» cunia, sed absque distantia loci, et propterea larva usurae est, seu
» mutuum palliatum titulo cambii.
» Caritas est virtus divinitus infusa, qua Deus propter se, et proximus pro-
» pter Deum diligitur.
» Censura est poena ecclesiastica medicinalis fori exterioris, qua fidelis ba-
» ptizatus privatur usu aliquorum bonorum spiritualium, ut a contu-
» macia discedat. Distribuitur in tres species, nempe in excommunica-
» tionem, suspensionem, et interdictum, de quibus suo loco.
» Censura a jure illa est, quae a superiore statuitur per modum legis perpe-
» tuo duraturae.
» Censura ab homine illa est, quae non infligitur per modum legis, sed ut
» praeceptum transitorium contra inobedientes
» Censura latae sententiae illa dicitur, quae ipso facto ligat reum absque
» alia judicis declaratione.
» Censura ferendae sententiae illa est, quae solum post judicis sententiam
» incurritur.
» Census est jus exigendi pensionem ex re alterius frugifera, servatis condi-
» tionibus a summis Pontificibus appositis.
» Cessatio a divinis est prohibitio Clericis imposita, ut cessent a celebratione
» divinorum officiorum, et abstineant ab administratione sacramentorum,
» excepto necessitatis casu.
» Character est signum spirituale indelebiliter impressum in anima, ac tri-
» plex est; nimirum Baptismi, Confirmationis, et Ordinis.
» Circumstantia est id, quod accidentaliter circumstat actum humanum,
» qui speciem capit ab objecto aut bono, aut malo.
» Circumstantiae sunt septem hoc versiculo contentae: *Quis*, *quid*, *ubi*,
» *quibus auxiliis*, *cur*, *quomodo*, *quando*.
» Cognatio est conjunctio quarumdam personarum.
» Cognatio triplex est, legalis, spiritualis, et naturalis.
» Cognatio legalis est conjunctio seu propinquitas personarum orta ex ado-
» ptione, qua persona aliqua assumitur ad haereditatem.
» Cognatio spiritualis est propinquitas spiritualis personarum orta ex ba-
» ptismo et confirmatione.
» Cognatio naturalis est vinculum seu conjunctio personarum, qua per carna-
» lem generationem ab eodem propinquo stipite seu principio descendunt.
» Commodatum est rei alicujus quoad usum dumtaxat gratuita concessio
» ad certum tempus.
» Compensatio est occulta ablatio pecuniae, vel rei pretio aestimabilis, a
» suo debitore, ad effectum reparandi damnum injustum quod quis ab
» eo passus est.
» Concilium est congregatio Praelatorum Ecclesiae ad fidei morumque con-
» troversias finiendas, legitimo Superiore convocata.
» Concupiscentia est passio appetitus sensitivi prosequentis bonum sen-
» sibile ac delectabile.

» Conductio est contractus, quo usus rei vel personae emitur pro pretio.
» Confessio sacramentalis est legitima accusatio peccatorum coram confessa-
» rio, ad veniam illorum virtute absolutionis sacramentalis obtinendam.
» Confessio materialiter integra est accusatio de omnibus peccatis commissis
» ab ultima confessione.
» Confessio formaliter integra est accusatio omnium peccatorum, quorum
» quis post diligens examen recordatur.
» Confirmatio est unctio chrismatis in fronte manu Episcopi facta, ut ba-
» ptizatus in fide confirmetur.
» Conscientia est dictamen seu judicium intellectus practici, dictans quid
» hic et nunc agendum sit, vel omittendum.
» Conscientia recta est judicium prudens, quo quis judicat bonum esse
» bonum, et malum esse malum.
» Conscientia erronea est judicium practicum et imprudens, quo quis ju-
» dicat bonum esse malum, et malum esse bonum.
» Conscientia dubia est suspensio judicii, dum quis determinare nescit an
» aliquod sit bonum vel malum, ob rationes inter se oppositas.
» Conscientia probabilis est judicium practicum, quo quis rationibus non
» levibus assentitur uni parti cum formidine partis oppositae.
» Conscientia scrupulosa est levis quaedam suspicio peccati cum nimia ope-
» randi anxietate: seu est inanis anxietas animi dubitantis quasi de qua-
» libet re, quod sit peccatum.
» Contentio est verborum altercatio, seu impugnatio veritatis cum confi-
» dentia clamoris.
» Contractus est duplici voluntatis, dantis et recipientis, deliberata con-
» sensio de re qualibet agenda, vel non agenda, signo aliquo exteriore
» manifestata.
» Contractus societatis est conventio inter duos vel plures, assignantes de-
» terminatam nummorum quantitatem, quae nomen habet sortis princi-
» palis, in aliquo negotio cum obligatione dividendi fructus et damna
» cum proportione ad sortem.
» Contractus trium contractuum est contractus societatis cum assecuratio-
» ne capitalis, et cum assecuratione fructuum.
» Contrictio generatim accepta est animi dolor ac detestatio de peccato
» commisso, cum proposito non peccandi de caetero.
» Contritio perfecta est dolor ac detestatio peccatorum propter Deum su-
» per omnia dilectum, ob suam infinitam bonitatem, et amabilitatem.
» Contritio imperfecta est attritio, de qua vide suo loco.
» Contumelia est dehonoratio alicujus per verba, quibus id quod est con-
» tra illius honorem, deducitur in notitiam ejus et aliorum.
» Correctio fraterna est spiritualis eleemosyna a charitate manans, qua quis
» secreta admonitione malum proximi removere studet.
» Curiositas est inordinatus appetitus cognoscendi, sive per intellectum,
» sive per sensum, ea quae non conveniunt.

D

» Damnum emergens est detrimentum, quod quis patitur in bonis suis,
» praecisa ratione mutui.
» Debitum conjugale est copula reddenda ad alterutrius conjugis petitionem.
» Decima est illa fructuum pars, quae quotannis Ecclesiae ministris per-
» solvitur.
» Decima realis ea est, quae solvitur de fructibus praediorum, agrorum,
» vinearum etc.
» Decima personalis ea dicitur, quae solvitur ex bonis propria industria
» aequisitis.

» Decima mixta ea est, quae partim realis est, partim vero personalis.
» Delectatio morosa est voluntaria et deliberata complacentia mentalis in » re turpi sine ordine ad actum.
» Depositum est contractus, quo sola rei custodia alterius fidei committitur, » ut integra reddatur.
» Desiderium inhonestum est actus voluntatis, quo quis determinate cupit » exequi actum turpem.
» Desperatio est voluntas efficax abjiciendi salutem aeternam ex divina » misericordia consequendam.
» Detractio est denigratio alienae famae per occulta verba, vel attribuen- » do proximo crimen falsum; vel occultum revelando.
» Devotio est voluntas quaedam prompte tradendi se ad ea, quae perti- » nent ad Dei famulatum.
» Discordia est dissensio voluntatum a bono divino et proximi, in quo » debent convenire.
» Dispensatio est juris seu legis relaxatio ab habente legitimam potesta- » tem ex justa causa facta.
» Divinatio est praedictio futurorum daemonis ope.
» Divortium est viri ab uxore, et uxoris a viro legitima separatio.
» Dolus est quaevis calliditas, fallacia, et machinatio ad decipiendum or- » dinata.
» Dominium est facultas utendi re tanquam propria in omnes usus a le- » ge permissos.
» Donatio est liberalis alicujus rei traditio.
» Dubium est suspensio judicii in utramque partem obrationum aequalitatem.
» Dubium juris est, cum quis dubitat de lege, seu de obligatione qua- » cumque.
» Dubium facti est, cum ambigitur, utrum aliquid factum sit nec ne.
» Dubium speculativum est suspensio assensus circa objectum in univer- » sali et in genere, sit ne bonum vel malum.
» Dubium practicum est suspensio assensus circa objectum particulare ut tale, » an sit bonum, vel illicitum, cum urget hic et nunc operandi occasio.
» Duellum est pugna inter duos, ab utraque parte ex condicto acceptata, lo- » co ac tempore designato, cum periculo occisionis aut gravis vulneris.

E

» Ebrietas est excessus in potando usque ad violentam usus rationis pri- » vationem.
» Ecclesia est hominum societas ad Christi fidem vocata, quae interius » fide, spe, et charitate vivificatur, exterius vero ejusdem Christianae » fidei professione dirigitur, sub uno visibili capite in terris, Christi » Vicario, et s. Petri successore.
» Eleemosyna est opus ex misericordia procedens, quo indigentiae alicu- » jus subvenitur.
» Emphyteusis est contractus, quo rei immobilis dominium utile ad lon- » gum tempus transfertur, directo retento, onere imposito annuae pen- » sionis solvendae.
» Emptio est pactio determinati pretii pro merce dandi.
» Epikeia est legis correctio et emendatio, seu exemptio casus particula- » ris, ob circumstantias, quae si legislatori innotuissent casum illum » excepisset.
» Error est adprobatio falsitatis.
» Eucharistia est sacramentum veri corporis et sanguinis Christi, sub spe- » ciebus panis et vini realiter contentorum, ad spiritualem fidelium » alimoniam a Christo ipso institutum.

» Excommunicatio est censura ecclesiastica, qua baptizatus a communio-
» ne Ecclesiae, quoad fructum et ejus suffragia, et a qualibet licita fi-
» delium communione excluditur.
» Excommunicatio major est censura, qua quis separatur a communione
» fidelium, et a passiva et activa sacramentorum participatione, et ec-
» clesiastica sepultura.
» Excommunicatio minor est censura, qua quis privatur passiva sacramen-
» torum participatione, eorumdem administratione, juxta nonnullos,
» et passiva electione ad dignitates et beneficia Ecclesiae.
» Excommunicatus vitandus ex Constitutione Concilii Constantiensis est no-
» torius Clerici percussor, et reus per publicam judicis ecclesiastici sen-
» tentiam denuntiatus excommunicatus.
» Excommunicatus toleratus est reus criminis, cui adnexa est excommu-
» nicatio, a nullo judice talis declaratus.
» Extrema unctio est sacramentum a Christo Domino institutum ad con-
» ferendam salutem animae, vel etiam corporis aegroto periclitanti, per
» unctionem olei benedicti et orationem Sacerdotis.

F

» Feudum est contractus, quo rei immobilis dominium utile transfertur,
» retento dominio directo, seu potestate, sub onere fidelitatis et obsequii
» personalis.
» Fidejussio est alienae obligationis in se susceptio, qua quis se ad eam
» implendam obstringit, principali debitore deficiente.
» Fides theologica est habitus infusus, quo firmiter assentimur veritatibus
» Deo revelatis, et ab Ecclesia propositis.
» Fides actualis est assensus supernaturalis, firmus, et certus, omnem ex-
» cludens dubitationem.
» Fides habitualis est virtus infusa, ut supra.
» Fides formata, seu viva, illa est quae gratia habituali et charitate alitur
» et perficitur.
» Fides informis, seu mortua, illa est quae gratia habituali et charitate caret.
» Fides explicita illa est, qua articulus a Deo revelatus expresse creditur.
» Fides implicita ea est, qua creditur articulus in altero revelato, ut ju-
» storum resurrectio creditur in mysterio resurrectionis.
» Fornicatio est concubitus humanus naturalis soluti cum soluta corrupta.
» Furtum est occulta acceptio rei alienae, invito domino.
» Furtum peculatus illud est, quo patrimonium publicum dilapidatur.
» Furtum plagium nuncupatum illud est, quo homo liber in servitutem
» reducitur, aut servus alienus surripitur.
» Furtum abigeatus est abductio pecudum, equorum, idque genus ani-
» malium.
» Furtum sacrilegum est ablatio rei sacrae de loco sacro, vel non sacrae
» de sacro, vel sacrae de non sacro.
» Furtum, quod rapina dicitur est rei alienae violenta et injustae usurpa-
» tio facta praesente, et invito domino.

G

» Gratia sanctificans, seu gratum faciens donum et supernaturale animae
» infusum, per quod redditur homo Deo gratus, et filius adoptivus.
» Gratia sanctificans prima est infusio ejus; secunda vero ejusdem gratiae
» praeexistentis augmentum.
» Gratia sacramentalis ea est, quae superaddit gratiae sanctificanti quaedam

» vina auxilia, ut pie, et sicut oportet; obeantur munera sacramentorum » propria.

» Gratia gratis data illa est, quae ad aliorum utilitatem ordinatur, ut do- » na linguarum et miraculorum.

» Gula est inordinatus comedendi et bibendi appetitus.

H

» Haeresis est error intellectus voluntarius et pertinax contra aliquam veri- » tatem fidei Catholicae in eo, qui fidem recepit.

» Homicidium est injusta hominis occisio, sive publica fiat auctoritate, sive » privata.

» Homicidium voluntarium illud est, quod malo animo occidendi committitur.

» Homicidium necessarium illud est, quod lege publica, vel necessariae » defensionis jure imperatur.

» Homicidium fortuitum dicitur illud, quod praeter intentionem accidit.

» Horae canonicae sunt quaedam laudes et preces ab Ecclesia institutae » ad Deum singulis diebus, certis et statutis horis laudandum.

» Hypotheca est contractus, quo res immobilis, nuda conventione, absque » traditione obligatur creditori in securitatem debiti, ut si alter non sa- » tisfaciat, inde satisfactio peti possit.

I

» Idolatria est cultus divinus creaturae exhibitus, non ut est imago Dei, » sed ut creatura est.

» Jejunium, generice acceptum, est quaelibet abstinentia ab omni cibo » et potu, quocumque modo sumantur.

» Jejunium naturale est abstinentia totalis a qualibet re sumpta per mo- » dum cibi vel potus.

» Jejunium ecclesiasticum est parsimonia victus et abstinentia ciborum, » juxta formam ab Ecclesia praescriptam.

» Jejunii ecclesiastici partes sunt tres: unica refectio, veluti pars essentia- » lis; abstinentia a carnibus, ut pars secundaria; ac tempus definitum.

» Ignorantia est scientiae privatio.

» Ignorantia juris ea dicitur, quae legem vel praeceptum ignorat.

» Ignorantia facti ea dicitur, quae legis cognitionem admittit, sed factum » hoc vel illud prorsus ignorat.

» Ignorantia vincibilis est voluntaria, et culpabilis carentia cognitionis legis.

» Ignorantia vincibilis affectata ea est, quae scientiam repellit; crassa ve- » ro et supina ea dicitur, quae nullam diligentiam adhibet, ut sciat quae » scire tenetur.

» Ignorantia invincibilis ea dicitur, quae nullo studio seu diligentia va- » let superari.

» Impedimentum matrimonii est indispositio contrahentium, reddens ma- » trimonium illicitum, vel invalidum.

» Impedimentum impediens est indispositio contrahentium, reddens matri- » monium et licitum, et invalidum.

» Impedimentum dirimens est indispositio contrahentium, reddens matri- » monium et illicitum, et invalidum.

» Impedimenta impedientia alia sunt absque delicto, alia vero ex deli- » cto proficiscuntur. Prioris generis sunt quinque his versibus contenta:

» *Ecclesiae vetitum, nec non tempus feriatum,*
» *Atque catechismus, sponsalia, jungito votum,*
» *Impediunt fieri, permittunt, facta teneri.*

» Posterioris generis sunt septem, his aliis versibus contenta:

» *Incestus, raptus sponsatae, mors muliebris,*
» *Susceptio propriae prolis, mors presbyteralis,*
» *Vel si poeniteat solemniter, aut monialem*
» *Accipiat: prohibent haec conjugium sociandum.*

» Impedimenta dirimentia post Tridentinum quindecim numerantur, his » versibus expressa;

» *Error, conditio, votum, cognatio, crimen,*
» *Cultus disparitas, et vis, ordo, ligamen, honestas,*
» *Amens, affinis, si clandestinus, et impos,*
» *Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto.*
» *Haec facienda vetant connubia, facta retractant.*

» Incestus est copula indebita cum persona cognata, vel affini, vel con- » sanguinea, intra gradus ab Ecclesia prohibitos.
» Indulgentia est remissio poena temporalis, peccatis jam quoad culpam » remissis debitae, per applicationem meritorum Christi et Sanctorum.
» Indulgentia plenaria seu totalis illa est, qua tota poena peccatis debita » remittitur.
» Indulgentia partialis illa dicitur, qua poena ex parte tantum remittitur.
» Infidelitas negativa est mera carentia fidei in eo, qui nullo modo fidem » audivit.
» Infidelitas positiva, seu contraria, ea est quae resistit fidei praedicatio- » ni, recusatque fidem suscipere, ac errores verae fidei contrarios ob- » firmate defendit.
» Intentio est actus voluntatis in finem, seu est actus liber, quo voluntas » sese determinat ad aliquid agendum, vel omittendum.
» Intentio actualis est actus liber, quo quis se determinat ad aliquid agen- » dum, vel omittendum, actualiter perseverans, et concomitans actio- » nem vel omissionem.
» Intentio virtualis est actus liber, quo quis se determinat ad aliquid agen- » dum, vel omittendum, durans et perseverans in opere incepto virtu- » te actualis praecedentis non retractae.
» Intentio habitualis est prona facilitas seu consuetudo operandi.
» Interdictum est censura ecclesiastica, qua prohibentur omnia divina offi- » cia, et aliquorum sacramentorum administratio, nec non ecclesiastica » sepultura.
» Interdictum locale est censura, qua prohibetur usus divinorum, et alia » in aliquo loco.
» Interdictum personale illud est, quo usus divinorum determinatae per- » sonae prohibetur.
» Interdictum mixtum illud est, quo divinorum usus et personae et loco » interdicitur.
» Invidia est tristitia de bono alterius perinde ac si nostrum malum foret, » quatenus illo aequari nostram excellentiam aut minui conspicimus.
» Ira est injustae vindictae inordinatus appetitus.
» Irregularitas est impedimentum canonicum, quo vir baptizatus primo et » directe interdicitur a susceptione Ordinum, et secundario ab eorum usu.
» Irregularitates ex defectu novem numerantur. 1. Ex defectu animae; 2. ex » defectu corporis; 3. ex defectu natalium 4. ex defectu aetatis; 5. ex de- » fectu libertatis; 6. ex defectu obligationis; 7. ex defectu sacramenti; » 8. ex defectu bonae famae; 9. ex defectu lenitatis.

» Irregularitates ex delicto sunt octo. 1. Ex homicidio voluntario injusto ;
» 2. ex injusta et voluntaria mutilatione ; 3. ex homicidio aut mutilatione
» causali ; 4. ex iteratione baptismi ; 5. ex violatione censurarum ; 6. ex
» indigna receptione aut administratione Ordinum ; 7. ex apostasia a fide,
» vel ex haeresi externa ; 8. ex delicto, cui adnexa infamia est.

» Jubilaeum est plenaria indulgentia omnium poenarum temporalium pecca-
» tis debitarum cum variis privilegiis et facultatibus, nimirum absolven-
» di a quibusdam reservatis, vota commutandi, juramenta relaxandi etc.
» prout exprimitur in Bulla Romani Pontificis.

» Judicium temerarium est firmus assensus de aliquo proximi peccato ex
» levibus indiciis conceptus.

» Juramentum est invocatio divini testimonii aut Sanctorum in confirma-
» tionem veritatis.

» Juramentum assertiorum est invocatio divini testimonii in confirmatio-
» nem alicujus dicti vel facti praesentis, vel praeteriti.

» Juramentum promissorium est invocatio divini testimonii in confirmationem
» alicujus rei agendae vel omittendae, ad quam quis se sponte obligat.

» Juramentum comminatorium est invocatio divini testimonii in confirmatio-
» nem voluntatis, qua quis se obligat ad infligendam alicui poenam.

» Juramentum execratorium est invocatio Dei vel creaturarum, ut ab illis
» puniatur in casu falsitatis illius, quod asserit de praesenti, vel praeterito,
» aut promittit de futuro.

» Juramenti conditiones sunt veritas, judicium, et justitia.

» Justitia est perpetua et constans voluntas jus suum cuique tribuendi.

» Justitia commutativa est inter duos aequales homines ementes, vendentes,
» locantes etc.

» Justitia distributiva est totius ad partes, nempe Principis ad subditos,
» in distribuendis gradibus, dignitatibus, praemiis etc. juxta meritorum
» proportionem.

» Justitia legalis est partis ad totum, seu subditorum ad Principem, quate-
» nus omnes tribuunt, quae communitati conveniunt legum praescripto.

L

» Lex est ordinatio rationis ad bonum commune, ab eo, qui curam commu-
» nitatis habet, promulgata.

» Lex aeterna est ratio divinae sapientiae, secundum quod est directiva
» omnium creaturarum in ordine ad bonum commune totius universi.

» Lex naturalis est rationis practicae in bonum commune ordinatio, men-
» ti nostrae a Deo indita, eaque praecipiens aut vetans, quae lumine
» naturali cognosci possunt.

» Lex divina positiva ea est, quae sacris in Literis fuit consignata.

» Lex humana ecclesiastica est regularum collectio ab Ecclesia seu a Roma-
» no Pontifice conditarum et adprobatarum, quibus fideles ad tranquilli-
» tatem aeternamque beatitudinem diriguntur.

» Lex humana civilis illa est, quae a Principe seu Magistratu ad publi-
» cas causas et civium utilitatem fuit constituta.

» Libertas est ratio voluntati proponens objectum cum indifferentia judi-
» cii ad agendum, vel non agendum.

» Locatio est contractus onerosus, quo usus vel fructus rei vel personae ven-
» ditur pro pretio.

» Lucrum cessans est emolumentum, quod quis cessat percipere, praeci-
» sa ratione mutui.

» Ludus est contractus, quo ludentes conveniunt ut victori praemium ali-
» quod cedat ab ipsis depositum.

» Luxuria est usus venereorum contra rationem.

M

» Magia generatim accepta ars est mira quaedam et insolita operandi.
» Magia naturalis illa est, quae mira quaedam operatur naturalium cau-
» sarum applicatione.
» Magia superstitiosa est ars falsa, a daemone inventa, ad effectum facien-
» di effectus mirabiles et extraordinarios ope ipsius daemonis.
» Matrimonium ut contractus naturalis, est conjunctio maritalis viri et foe-
» minae inter legitimas personas individuam vitae consuetudinem retinens.
» Matrimonium, ut sacramentum, est conjunctio viri et foeminae, divinitus
» instituta, in signum conjunctionis Christi cum Ecclesia, habens promis-
» sionem gratiae ad uniendos conjugum animos, et prolem pie educandam.
» Matrimonium legitimum illud est, quod jure seu consensione gentium,
» et juxta legum civilium normam contrahitur.
» Matrimonium ratum illud est, quod secundum Ecclesiae leges perficitur.
» Matrimonium consummatum illud est, quo carnali copula ambo conjuges
» commiscentur.

In Arbore Genealogica

» *Stipes est illa persona a qua omnes, de quarum conjunctione quaeri-*
» *tur, per sanguinem descendunt, et originem ducunt.*
» *Linea est ordinata series personarum consanguinearum a stipite dedu-*
» *cta, secundum quam persona magis propinqua capiti et stipiti prae-*
» *ponitur, et successive alii eo ordine, quo distant, postponuntur.*
» *Linea recta est ordinata series personarum a stipite descendentium, vel*
» *immediate, vel mediate; ita tamen, ut una sit ab alia genita.*
» *Linea collateralis est ordinata series personarum a stipite descenden-*
» *tium sive immediate, sive mediate: ipsae autem personae a se invi-*
» *cem per generationem non descendunt.*
» *Gradus est talis distantia personarum sanguine junctarum, qua cogno-*
» *scitur, quanta sit proximitas vel distantia inter personas, quae in*
» *linea includuntur.*
» Mendacium est falsa significatio vocis cum intentione falsum significandi.
» Mendacium jocosum illud est, quod proprium vel alienum spectat oble-
» ctamentum.
» Mendacium officiosum illud est, quod utilitatem propriam respicit, vel
» aliorum.
» Mendacium perniciosum illud est, quod in aliorum detrimentum pro-
» fertur.
» Metus est mentis trepidatio causa periculi instantis, vel futuri.
» Metus gravis, seu cadens in constantem virum, ille dicitur, qui excita-
» tur a malo gravi futuro et probabiliter eventuro.
» Metus levis, qui etiam vocatur irrationabilis, ille dicitur, qui a levi malo
» excitatur; vel si etiam a gravi malo, tamen irrationabiliter apprehenso.
» Missa est sacrificium novae legis, consistens in consecratione panis, et
» vini, sub quorum speciebus realiter continetur Christus; et est actus
» latriae, qui fit per recognitionem supremi dominii Dei, et signum no-
» strae servitutis.
» Mohatra est contractus venditionis ad pretium summum pecunia credita,
» cum pacto retrovenditionis ad pretium infimum pecunia numerata.
» Monopolium est conventio seu conspiratio, qua plures deliberant de tali
» merce non vendenda, nisi hoc aut illo pretio ab ipsis designato.
» Moralitas est ordo, seu respectus quidam actus liberi ad objectum subditum

» regulis morum, ut prosequendum, si bonum, vel ut fugiendum, si » malum.

» Moralitatis species sunt bonum et malum. Prius est regulis morum con- » forme, legi nimirum ac rationi: posterius vero difforme.

» Murmuratio est confabulatio de factis notis seu publicis, qua possent in » bonam partem sumi, ea vertendo in malam partem, exagerando rem » ultra meritum causae.

» Mutuum est traditio rei consumptibilis in consumptionis usum, et do- » minium mutuarii, ut aliquo elapso tempore tantumdem restituatur.

N

» Necessitas medii est necessitas absoluta et simplex, ita obligans sub poe- » na mortis aeternae, ut nullam admittat excusationem.

» Necessitas praecepti est necessitas illa, quae obligat quidem sub poena » mortis aeternae, sed ignorantiae invincibilis excusationem admittit.

» Necessitate medii credenda sunt haec: Deus unus ac trinus; remunera- » tor bonorum et vindex malorum; incarnatio, passio, et resurrectio » Christi Domini.

» Necessitate praecepti credendi sunt omnes articuli, qui continentur in » Symbolo Apostolorum, omnia sacramenta, et quidquid sancta mater » Ecclesia proponit ut credendum.

» Negotiatio est emptio alicujus rei, ut eadem in variata et immutata, vel » revendatur, vel permutetur cum lucro negotiantis.

O

» Occasio peccandi remota illa est, quae remote tantum inducere potest » ad peccandum, et in qua non solet homo delinquere: puta, aspectu » faciei personae alterius sexus.

» Occasio peccandi proxima ea est circumstantia, in quo homo constitu- » tus plerumque delinquere solet.

» Occasio peccandi absoluta illa est, quae ex natura sua urgenter inci- » tare valet quemcumque ad peccandum lethaliter; exempli gratia, aspe- « ctus voluntarius et morosus verendorum alterius sexus.

» Occasio peccandi respectiva illa dicitur, quae magnam vim impellendi » habet ad peccandum, non respectu cujuscumque, sed respectu talis » personae: puta, aspectus deliberatus faciei alterius sexus, quam videns » lethaliter concupiscere, aut delectari morose plerumque solet.

» Occasio peccandi proxima libera illa est, quae voluntarie retinetur, ac » dimitti libere potest.

» Occasio peccandi proxima necessaria illa est, quae moraliter dimitti ne- » quit, quia non est in potestate peccantis ab illa recedere: puta, soror a » fratre.

» Odium Dei est aversio a Deo, qua voluntas Deum detestatur, prout pec- » cata prohibet, et poenas infligit.

» Odium proximi est expressa malevolentia, qua illi quis malum peroptat.

» Opinio probabilis est assensus intellectus uni parti cum formidine par- » tis oppositae, propter motivum probabile seu non contemptibile in » ordine ad veritatem.

» Opinio probabilior illa est, quae magis accedit veritati; minus vero pro- » babilis, quae minus accedit eidem.

» Oratio est mentis elevatio in Deum, et petitio decentium.

» Ordo est sacramentum a Christo Domino institutum, in quo traditur spiri- » tualis potestas ad sacrosanctum Missae sacrificium perficiendum, vel imme- » diate, vel mediate, plus minusve, juxta cujusvis ordinis gradum et officium.

P

» Peccatum est dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei aeternam.
» Peccatum originale est, quod ex peccato Adami primi parentis traducitur » in posteros per generationem vitio concapiscentiae infectam, contrahi- » turque in unione animae cum corpore infecto.
» Peccatum personale illud est, quod propria peccantis voluntate com- » mittitur.
» Peccatum mortale illud est, quod ex se opponitur charitati Dei et pro- » ximi.
» Peccatum veniale vocatur illud, quod ex se charitati non opponitur, » sed ejusdem fervori dumtaxat.
» Peccatum commissionis est actio contra vel praeter legem, quae opere » sive interno, sive externo completur.
» Peccatum omissionis est voluntaria omissio operis praecepti, sine ulla » causa legitime excusante.
» Perjurium est mendacium juramento firmatum.
» Pignus est contractus, quo res mobilis creditori traditur in securitatem » debiti.
» Poenitentia, ut virtus, est virtus moralis supernaturalis, qua dolemus » de peccatis commissis, quatenus sunt offensa Dei, ex supernaturali » motivo, cum proposito amplius non peccandi.
» Poenitentia, ut sacramentum, est sacramentum a Christo Domino insti- » tutum, quo per juridicam Sacerdotis absolutionem homini contrito et » confesso remittuntur peccata post baptismum commissa.
» Poenitentiae materia remota sunt peccata confitenda, et per confessio- » nem et absolutionem destruenda.
» Poenitentiae materia proxima sunt actus poenitentis, qui proxime sub- » jici debent absolutioni.
» Poenitentiae materia necessaria sunt peccata lethalia, post ultimam con- » fessionem commissa, quorum quis conscientiam habet, et quae sub- » dere confessioni tenetur.
» Poenitentiae materia sufficiens sunt peccata venialia, vel peccata mor- » talia alias confessa et absoluta, quae quis confiteri non tenetur.
» Poenitentiae sacramenti minister est Sacerdos, habens potestatem ordi- » nis et jurisdictionis.
» Poenitentiae ministri potestas est spiritualis facultas ligandi atque solvendi.
» Poenitentiae ministri potestas Ordinis est facultas ligandi atque solven- » di ab Episcopo tradita in collatione Ordinis Sacerdotalis.
» Poenitentiae ministri potestas jurisdictionis est spiritualis facultas ad cer- » tas ac determinatas personas in foro conscientiae judicandas a supe- » riore concessa.
» Poenitentiae ministri potestas jurisdictionis ordinaria est facultas ligandi » atque solvendi, quae sequitur officium habentis curam animarum.
» Poenitentiae ministri potestas delegata est facultas ligandi atque solvendi, » quae habetur per concessionem Episcopi.
» Pollutio est deliberata seminis effusio extra vas foemineum.
» Precarium est rei alicujus quoad usum solum gratuita concessio ad nu- » tum concedentis revocabilis.
» Praescriptio est adeptio dominii per continuationem possessionis bonae » fidei, toto tempore a lege definito.
» Pretium est justus valor mercis in eo loco, in quo venditur.
» Pretium legitimum seu legale est valor mercis taxatus ab habente pu- » blicam auctoritatem taxandi.

» Pretium naturale est valor mercis taxatus juxta communem omnium exi-
» stimationem; et hoc dividitur in supremum, medium, et infimum.
» Probabilitas intrinseca illa est, quae a rationum pondere desumitur; ex-
» trinseco vero, quae ab auctoritate graviorum doctorum depromitur.
» Privilegium est Superioris decretum, specialem favorem permanenter con-
» cedentis agendi vel non agendi aliquid contra vel praeter legem.

R

» Raptus est violenta personae abductio de loco ad locum explendae libi-
» dinis causa.
» Religio est virtus, quae debitum cultum Deo exhibet tanquam primo
» omnium principio.
» Repraesaliae sunt compensationes malorum, quae ab hostibus sunt illata.
» Reservatio casuum est subtractio facultatis absolvendi a quibusdam deter-
» minatis peccatis, relicta potestate absolvendi ab aliis.
» Restitutio est actus justitiae commutativae, quo alicui redditur quod ab eo
» injuste ablatum vel acceptum est; vel quo compensatur damnum in-
» juste illatum.
» Restitutionis radices sunt tres. Res accepta: injusta actio, seu acceptio;
» damnum illatum.
» Restrictio mentalis est animi sensus, sive conceptus nulla circumstantia
» seu exteriore signo manifestatus; et committitur dum quis aliud ver-
» bis exprimit, aliud vero retinet mente.
» Restrictio dictionis seu vocis est verborum prolatio, quae plures habent
» significationes.
» Rixa est quaedam contradictio in factis usque ad percussionem; seu
» privatum bellum ex privata auctoritate susceptum.

S

» Sacramentum novae legis est signum sensibile practicum rei sacrae, nem-
» pe gratiae sanctificantis, a Christo Domino institutum.
» Sacrificium est oblatio exterior rei sensibilis legitima auctoritate instituta,
» et a legitimo ministro facta soli Deo, cum reali mutatione ejusdem rei
» oblatae, in protestationem divini dominii super omnes creaturas.
» Sacrilegium est violatio seu laesio alicujus rei sacrae, ut sunt vasa ad usum
» sacrificii pertinentia, vel est injuria irrogata personae sacrae, ut sunt
» Sacerdotes vel Sanctimoniales; vel denique est injuria illata loco sa-
» cro, ut sunt Ecclesiae, vel Coemeteria.
» Satisfactio sacramentalis est poenae acceptatio, et voluntaria perpessio a
» Confessario injuncta ad redintegrandam amicitiam cum Deo per pec-
» catum laesam, et ad compensandam injuriam ipsi irrogatam.
» Scandalum activum est dictum vel factum minus rectum praebens proximo
» occasionem ruinae spiritualis.
» Scandalum passivum est ipsa ruina spiritualis, illius nempe qui scandalum
» patitur, accepta occasione ex dicto seu facto alterius.
» Schisma est deliberata ab unione Ecclesiae separatio.
» Scriptura sacra, quae est prima regula fidei, est verbum Dei scriptum mi-
» nisterio prophetarum, et Apostolorum, aliorumque divinorum ama-
» nuensium.
» Seditio est bellum aggressivum unius partis Reipublicae contra aliam par-
» tem, vel contra proprium Principem.
» Sigillum est religiosa obligatio tacendi ea, quae audita sunt in confessione
» sacramentali, orta a jure divino, naturali, et ecclesiastico.

» Simonia est studiosa voluntas emendi vel vendendi aliquid spirituale, » vel spirituali adnexum.

» Simonia mentalis est traditio temporalis pro spirituali, sine pacto expli- » cito, sed tantum mente retento.

» Simonia conventionalis est conventio partium, quae paciscuntur de tem- » porali tribuendo pro spirituali.

» Simonia realis est ipsa traditio temporalis rei pro spirituali juxta explici- » tam promissionem seu conventionem factam.

» Simonia confidentialis est renunciatio, permutatio, aut resignatio bene- » ficii, absque licentia legitimi Superioris, sub confidentia rei tempora- » lis acquirendae.

» Simonia ficta est ficta conventio dandi temporale pro spirituali cum in- » tentione non adimplendi.

» Sodomia est concubitus ad non debitum sexum; puta masculi ad ma- » sculum, vel foeminae ad foeminam.

» Sollicitatio est procuratio ad inhonesta sive inter poenitentem et confes- » sarium, sive cum aliis quomolibet perpetranda in actu sacramentalis » confessionis, sive antea, sive post immediate; seu occasione vel prae- » textu confessionis, sive extra occasionem confessionis in confessiona- » li, aut alio loco ad confessiones audiendas electo.

» Sortilegium sive sors est, dum ab homine aliquid fit, ut ejus eventu » considerato innotescat aliquid occultum.

» Spes theologica est virtus supernaturalis infusa, qua voluntas humana » sperat aeternam beatitudinem Dei auxilio obtinendam.

» Sponsalia sunt promissio de futuro matrimonio, mutua, et libera, ex- » ternis signis expressa, obligationem pariens.

» Sponsio, italice *scommessa*, est quidam contractus, in quo duo vel plures » de veritate alicujus rei vel eventus contendentes, sibi vicissim aliquid » spondent, ut ejus fiat, qui fuerit veritatem assecutus.

» Stuprum est concubitus cum foemina virgine; seu est defloratio puel- » lae virginis per fractionem claustri virginalis.

» Superbia est inordinatus appetitus propriae excellentiae.

» Superstitio est vitium Religioni oppositum secundum excessum, quia exhi- » bet cultum divinum, vel cui non debet, vel eo modo quo non debet.

» Suspensio est censura ecclesiastica per quam Clericus privatur usu offi- » cii aut beneficii in totum, vel in partem, ad tempus, vel in perpe- » tuum; a lege, vel ab homine.

» Suspicio est infirmus assensus de malo proximi cum formidine alterius » partis oppositae.

» Sussuratio est verbum seminans inter amicos discordias.

» Synderesis est inclinatio a Deo nobis indita, qua de primis principiis mo- » ralibus judicamus, quae sunt sequentia; *Bonum est faciendum, malum* » *fugiendum*: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*· et id genus si- » milia.

T

» Tentatio Dei est actus contra religionem, quo quis absque justa causa » aliquid agit, vel omittit, aut dicit ad capiendum experimentum de di- » vina perfectione; puta justitia, sapientia, omnipotentia.

» Testamentum est ultimae voluntatis dispositio solemniter facta cum in- » stitutione haeredis.

» Thesaurus est vetus quaedam depositio pecuniae, vel quorumvis aliorum » mobilium pretiosorum, quorum non extat memoria ad quem domi- » num ipsa pertineant.

« Timor est fuga mali ardui, quod vitari facile nequit.
» Timor filialis, qui etiam castus nuncupatur, est donum Spiritus Sancti
» ex amore proficiscens.
» Timor servilis ille est, qui poenam respicit quam timet, sed Spiritus
» Sancti donum non est.
» Timor mundanus est humanus respectus, qui turpis est.
» Traditio Divino-Apostolica est doctrina Christi oretenus Apostolis tradi-
» ta, et ad nos usque per continuatam successionem derivata.
» Transubstantiatio est totalis conversio substantiae panis et vini in ve-
» rum corpus et sanguinem Christi.

V

» Vana observantia est superstitio, quae vanis et ineptis mediis utitur ad
» aliquem exteriorem effectum producendum.
» Vana observantia notoria illa est, qua quis utitur mediis improportio-
» natis ad acquirendam scientiam.
» Vana observantia sanitatum illa est, quae media disparata adhibet, nem-
» pe imagines astronomicas, orationes arbitrarias, et alia id genus, ad
» morbos curandos.
» Vana observantia futurorum eventuum est praedictio prosperae vel ad-
» versae fortunae, ex vanis prorsus signis ad ejusdem praedictionem
» praenoscendam derivata.
» Venditio est pactio mercis dandae pro determinato pretio.
» Veneficium est ars ope daemonis inducta, qua homini, aut ejus anima-
» libus corporale nocumentum infertur.
» Violentia est vis a principio extrinseco illata subjecto contra naturalem
» inclinationem ejusdem.
» Virtus est bona qualitas mentis, qua recte vivitur, qua nullus male
» utitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur.
» Vitium est mala qualitas mentis, qua male vivitur, qua nemo bene utitur.
» Voluntarium est id, quod a principio intrinseco est cum cognitione finis.
» Voluntarium necessarium illud est, quod a voluntate prosilit non indif-
» ferente, sed ad unum determinata, ut patet in amore beatifico, qui
» ex perfectissima cognitione summi boni oritur.
» Voluntarium liberum illud est, quod a voluntate procedit ad utrumli-
» bet indeterminata, ut est amor hominis in via.
» Voluntarium elicitum illud est, quod a voluntate immediate producitur.
» Voluntarie imperatum illud est, quod voluntate imperante ab aliis po-
» tentiis efficitur.
» Voluntarium directum illud est, quod voluntatis reali influxu producitur.
» Voluntarium indirectum seu interpretativum, quod etiam nuncupatur
» voluntarium in causa, illud est, quod positive expresse a voluntate
» non procedit, ei tamen imputatur ex omissione, qua quis non impe-
» dit malum, quod impedire tenetur.
» Voluntas est facultas spiritualis indifferens ad agendum, vel non ad
» agendum.
» Votum est promissio facta Deo de meliore bono.
» Votum simplex est promissio facta Deo de meliore bono, absque sole-
» mnitate, seu Ecclesiae acceptatione.
» Votum solemne est promissio facta Deo coram Ecclesia, ut fit in pro-
» fessione religiosa, vel in Subdiaconatus receptione.
» Votum reale est promissio facta Deo de aliqua re, quae alia est a vovente.
» Votum personale est promissio facta Deo de aliqua re, quae voventis
» personam afficit, ut servare castitatem, jejunare etc.
« Votum absolutum est promissio facta Deo ob simplicem virtutis amorem.

» Votum conditionale est promissio facta sub conditione, vel quod aliquod
» bonum concedatur, vel aliquod malum avertatur.
» Votum poenale est promissio facta Deo de re aliqua adimplenda in poe-
» nam alicujus mali perpetrati.

U

» Usucapio est acquisitio dominii rerum mobilium, per possessionem bo-
» nae fidei continuatam tempore a lege definito. Immobilia vero respi-
» cit praescriptio.
» Usum est lucrum perceptum ex mutuo vi mutui.
» Usura realis illa est, qua pactum fit de lucro, ipsumque expresse acci-
» pitur ratione mutui.
» Usura mentalis illa est, qua datur mutuum ea principali intentione aliquid
» recipiendi supra sortem, licet expresse nullum pactum intervenerit.
» Usura formalis illa est, qua ex mero mutuo accipitur lucrum nullo alio ti-
» tulo antecedente.
» Usura virtualis, quae dicitur etiam palliata, illa est, qua ex mutuo acci
» pitur lucrum sub specie et pallio alterius contractus.
» Usus est jus mere utendi aliqua re aliena, salva illius substantia.
» Ususfructus est jus nedum utendi, sed et fruendi aliqua re, salva illius sub-
» stantia; unde ex fructibus perceptis potest quis ditescere, aliis donare,
» vendere etc. quae habenti merum usum minime conveniunt.

INDEX RERUM

PRIMAE PARTIS

CUM NUMERO MARGINALI

A

Abbatissa non potest dispensare in votis suarum monialium 593. nec dispensare in lege jejunii 988.
Abbreviare vitam an liceat 664.
Abigeatus 762.
Abortus 668. et seq. quas poenas incurrat illum procurans 670.
Abrogatio legis 245.
Absolutio moribundi 117. et seq.
Abstinentia 987. et seqq.
Accessio quid sit, et quomodo fiat 880.
Accessoria, quando in dubio praesumantur 38.
Acedia 340. et seqq. remedia contra acediam 342.
Actio humana unde dicatur bona vel mala, in Proemio. an actus mere interni per se ac directe a legislatore humano possint praecipi aut prohiberi 145. et seqq. an a superiore vel confessario 162. actio, ex qua praevidentur tentationes 304.
Actus voluntatis quomodo specificentur ab objectis 13. actus mere interni an possint praecipi 145. 146. et seq. 162. 163. quando actus dicantur moraliter uniri 291. 314. interruptio actuum 292. actus externus debet exprimi in confessione 730.
Advertentia requisita ad peccatum 280. 282. 296.
Advocatus 116. 776.
Adulatio 315. n. 5.
Adulterium 746. ad quid teneatur adulter 66. 802. an in adulterio deprehensam marito liceat occidere 673. et seq. ad quid obligetur adultera 801. Ægrotus an teneatur sumere medicinam 665.
Aeromantia 426.
Ætas quaenam requiratur ad hoc, ut pueri obligentur LL. naturalibus et divinis 208. legibus humanis, ibidem. quaenam actas ad obligationem jejunii 1001.
Æquivocatio in juramento 539.
Affinitas 747.
Ager in quo reconditus est thesaurus 863.
Aggressorem vitae iniquum an liceat occidere 659. 672. 674. et seq. de aggressore bonorum temporalium 676. et seq. aggressor famae 678.
Aliena peccata 315.
Alluvio 880.
Ambitio 319.
Amentes an obligentur legibus 207. an liceat eos ad malum allicere 209.
Amor Dei super omnia, vide charitas, actus amoris 402. gradus amoris 107.
Amor filiorum erga parentes 631. et 636.
Amplexus 725. 730. 732.
Antichresis contractus 944.
Anxius de salute 391.
Appretiative super omnia diligere Deum quid sit 397.

Apostasia 368.
Arbiter 113.
Ars notoria 439. ars punctatoria 436.
Aruspicium 426.
Artificium obligatio 776.
Assassinium 656.
Assecuratio 942.
Assumptio Divini Nominis licita et illicita 512. et seq.
Aspectus turpis 305. 686. 729.
Astrologia judiciaria 427. 430.
Asylum 467. gaudentes jure asyli, exclusi ab hoc jure, ibid.
Atheismus 367.
Avaritia 322. 323. remedia contra avaritiam. 324.
Auditio Missae 17. 18. 198. 199. 201. 202. 240. 244.
Auctor unus junior an sententiam reddat probabilem 95. 96. an liceat varios auctores consulere ad inveniendam favorabilem sententiam 97. 98.

B

Bannitus an possit occidi 657.
Baptismi necessitas 344. quomodo adultus debeat esse dispositus ad baptismum 345.
Bellum 657. 659. bellidux minuta prohibens 181.
Beneficiati 99. 493. beneficiorum pluralitas 99.
Benedictionem s. Joannis bibere 422.
Bestialitas 758.
Bibuli quomodo a confessario dirigendi 332.
Blasphemia 509. est peccatum mortale ex genere suo 510. quid observandum, si Poenitens in genere dicat, quod blasphemaverit 515. blasphemantium excusationes 516. varii modi et formulae blasphemantium a n. 515. usque ad 520. remedia contra blasphemias 521.
Bona conjugum 795. filiorum 805. bonorum spiritualium quatuor genera 845.
Bona incerta, cui restituenda 778. inventa, ibid. derelicta 761. et seq. 879.
Bona temporalia dissipantes parentes 641.
Bona fides in rebus juris 883.

C

Caffaèe potus an violet jejunium 1000.
Cambium 940.
Cantus turpes 726. 734.
Carceris effractio an reo sit licita 191.
Carnes an liceat comedere ad dissimulandam fidem 364. comedens carnes die jejunii 987. 993.
Castratio an sit licita 663.
Caste vivendi media 759.
Caupo an licite vinum apponat se inebriaturo 331.
Census 931. quae requirantur ad censum justum 932.
Censura a quibus incurratur 234.
Certum quid sit dicendum 75. certum fide divina 75. ibid. de certitudine physica, metaphysica, morali, perfecta, et imperfecta.
Charitas erga Deum 397. ejus eliciendae obligatio 400. et seq. modus 402. et seq. praeceptum charitatis ut est affirmativum, ad quid obliget 398. prout est negativum, quid prohibeat 399. media proficiendi in charitate Dei 404. quomodo dirigendi sint anxii, an satisfaciant praecepto charitatis 405. gradus

charitatis 407. non agit contra charitatem, qui operatur intuitu mercedis 406. charitas erga proximum a n. 700. per totum.
Chiromantia 432.
Chirurgus 671.
Choreae 625.
Cioccolata potus an violet jejunium 1000.
Circumstantiae speciem mutantes 288. et 312. de aggravantibus ibid.
Clerici an teneantur legibus civilibus 178. Clerici percussio 473.
Coactio 239.
Codicillus 951.
Cogitationes peccaminosae, blasphemae etc. 20. lascivae 19. 727. quid confessario observandum, si poenitens in genere se accuset cogitationum turpium 733.
Cognatio 747.
Columbas alienas capiens 859.
Commodatum 909. ad quid teneatur commodatarius, ibid. commodans qui non aperit vitium rei commodatae 910.
Communicatio privilegiorum 269. communicatio cum acatholico in Germania 380. et seq.
Comoediae obscoenae 303. 686.
Compensatio occulta 769. et 808. an liceat famulo ob damnum a domino illatum ibid. an ob tenue salarium 809.
Conceptionem an liceat impedire 669.
Concubinatus 741.
Concupiscientiae motus quinam sint peccata 300.
Conditio adjecta an desideria faciat licita 302.
Conductio, conductor 946. et seq.
Confessarius rudium 15. 27. quando debeat examinare poenitentem 359. si erraverit circa restitutionem 787. an contra propriam sententiam debeat se conformare probabili poenitentis 120. et seq. absolvens cum jurisdictione tantum probabili 123.
Confessio, de sigillo confessionis 305.
Conjuges: quid iis liceat, quid non 731. 310. mutuo consensu vota irritare non possunt 601.
Conscientia quid et quotuplex 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. tenera, laxa, pharisaica 8. Recta 6. recta physice, non ethice, et vice versa 6. invincibiliter erronea 6. 10. vincibiliter erronea 6. 11. erronea unde derivetur 21. conscientia consequens 12. agens contra conscientiam peccat. 13. 17 18. sciens actionem esse peccaminosam, non tamen cogitans, an venialiter vel mortaliter 14. quid confessario agendum cum taliter peccantibus 15. quid agendum cum laborantibus conscientia erronea 21. unde dignoscendum, an poenitens laboret conscientia vincibiliter, an invincibiliter erronea 26. de conscientia dubia 33. 34. conscientia perplexa 32. 40.
Consensus imperfecti signa 297. perfecti 298. consensus formalis, virtualis, interpretativus 299.
Consilia evangelica an possint praecipi 165.
Consiliarius, consilium, consultatio 14. et seqq. secretum teneat 150.
Consuetudo contra legem 247. deponenda 712.
Contemptus formalis legis 183.
Contractus quid sit 887. quasi contractus 776. conditiones validi contractus 888. usque ad 892. in obtestate initus 892. inducens ad peccatum 893. juramento confirmatus 894. et seq. ex errore 896. ex metu 897. contractus societatis 941. contractus antichreseos 944.
Contrectio perfecta 402.
Contumelia 864. convitium 965.
Conversionis propositum differens acatholicus 379. modus talem instruendi 383.

Convivarum certum numerum timere, superstitiosum 436.
Cooperari alterius peccato 689.
Cooperatio ad damnum 775. et seq.
Correctio sive correptio proximi 711.
Crapula 328. et seq.
Creditoribus quo ordine solvendum 781.
Credenda necessitate medii 346. praecepti 347.
Crimen occultum manifestans 971. 972. crimen laesae majestatis 656.
Culpa theologica, juridica, lata, latior etc. 774.
Cultus Sanctorum, et Imaginum 412. signa cultus latriae 413. cultus superstitiosus 418. et seq.
Curator ad quid obligetur 642.
Cyngaros consulere an liceat 431.

D

Daemoni se consecrare, credere etc. 415. pactum cum daemone 416.
Damnum sine culpa theologica illatum an obliget ad restitutionem 774. et 790. non impediens damnum an obligetur ad restitutionem 775. an damnum non praevisum ex posita causa imputetur ad culpam 308.
Dataria Apostolica 493.
Debita 777. debitum conjugale 68. debitum ex sententia judicis altera solutione extinctum 822. debitor morosus an teneatur ob moram solutionis ad omne damnum resarciendum 839.
Decimae 857.
Delectatio morosa 293. 724. 727. 733. et seq. an circumstantia de actu maritali sit exprimenda 310. delectatio dupliciter spectata circa peccaminosum objectum 295. 724.
Depositum 911. depositarii obligatio, ibid. de qua culpa teneantur capones, nautae, stabularii, molitores etc. circa res apud se depositas 912.
Derogatio 245.
Desideria turpia 294. 726.
Desperatio 316. 386. 394. media contra desperationem 395.
Detentio injusta rei alienae 779.
Detractio 314. 962. 963. quot modis fiat 972. et seq. detrahens uni in diversis materiis, item coram pluribus 314. de manifestante crimen occultum 966.963. et 971. de affingente falsum crimen 969. et seq. detrahens inadvertenter 974. manifestans delictum ex charitate 976. leves de alio defectus dicens 977. an detrahat, qui delictum illi manifestat, a quo debet corrigi 978. uni tantum manifestans sub silentio 979. et seq. de modo restituendi famam 982. et seq. causae excusantes a restitutione famae 986. audientes detractorem 985. defuncto detrahens 975.
Dictamen ultimum et practicum conscientiae debet esse certum 92. ex quibus principiis 93. regula Bened. XIV. 93. dictamina operantis ex conscientia invincibiliter erronea 24.
Dies Dominica ejusque sanctificatio 615. quid observandum, si poenitens in genere se accusat: non sanctificavi diem dominic. 619. varie delinquentes contra tertium praeceptum decal. a n. 620. usque ad 630.
Dilectio Dei 397. proximi 700. inimicorum 704. quid confessario observandum circa dilectionem inimicorum 719. et seq.
Diligentia moralis 6.
Disciplinae religiosae neglectus 650.
Discipuli quid instructoribus debeant 650.
Discordias seminare 717.
Dispensatio quid sit 248. quotuplex 249. 250. ut sit valida et licita; quid re-

quiratur 271. potestas dispensandi ordinaria, et delegata 251. et seq. quando sit necessaria 262. ejus cessatio 263. cum vagis et peregrinis 271. obreptitia et subreptitia 271. super voto castitatis 605. et seq. dispensatio praesumpta non sufficit ad ordines 249. ibid. de impedimento matrimonii. Inferior dispensans in lege superioris 250. in dubio, an opus sit dispensatione 262. de modo petendi dispensationem Romae. Vide *votum*, et in secunda parte *matrimonium*. Potens temporale pro dispensatione 505. de dispensatione voti 593.
Disputans de fide indoctus 375.
Dissipantes bona quomodo peccent 641.
Distinctio specifica et numerica peccatorum. Vide *peccatum*.
Distillatio venerea 751.
Distractio in orationibus 409.
Divinatio 416. species divinationis 426.
Domicilium et quasi domicilium 210.
Dominium 876. quomodo acquiratur 877. dominorum erga famulos obligatio 647.
Donatio 902. et seq. inter vivos 905. quando possit revocari, ib. et seq. mortis causa 907. quomodo revocetur, ib. donatio metu extorta 844. liberali donatione non extinguitur debitum justitiae 200.
Dormiens an possit peccare 309.
Dubium quid et quotuplex 28. 29. 30. 31. quid agendum in dubio practico 33. speculativo 34. 41. in dubio operans 33. 44. usque ad 48. quomodo deponendum dubium juris 35. 36. facti 37. 38. 42. 43. dubitans de articulo fidei 377. de aetate ad ordines 46. inchoata die jejunii 44. de obligatione jejunandi. 45. 46. 47. 48. dubius de jejunio naturali 49. de peccato in ipso actu 23. de peccato confesso 52. dubia de dolore in confessione praecedente 53. de homicidio an sit irregularis 55. quid in dubio praesumendum 54. 58. dubitans de voto 54. 60. 61. 62. dubium de sufficiente deliberatione ex defectu aetatis 58. dubium de voto, an sit impletum 63. de dubio, quis sit pater 64. 65. 66. dubitans uxor de morte mariti 67. 68. dubium exortum de impedimento post contractum matrimonium 69.
Duellum 660. 679. et seq. propositiones de duello damnatas a Bened. XIV. vide in P. 2. n. 1430.
Duratio actus peccaminosi 314.

E

Ebrietas 328. et seq. an aliquo casu licita 335. an liceat ad eam inducere alium 329. 330. ebriosi quomodo a confessario dirigendi 332. et 336. ebrii an sint subjecti praeceptis ecclesiasticis 207. signa plenae ebrietatis 334. advertens periculum ebrietatis 332. 333. an liceat se inebriare ex gravi causa 335. remedia contra ebrietatem 336. ebrius damnificans 790.
Ecclesiae quibus modis sacrilege tractentur 466.
Educatio filiorum duplex 634.
Electuaria an violent jejunium 1000.
Effectus mali non praevisi an debeant imputari 308.
Eleemosyna 705. et seq. quas uxor licite possit distribuere 797. quas ancillae 811.
Emphiteusis 948.
Emptio, venditio 926. emere die festo 617. obligatio venditoris 927.
Episcopi obligatio 648. ejus potestas dispensandi 254.
Epikeja 172. quando valeat 274.
Error formalis et materialis 71.
Errorem poenitentis quando confessarius corrigere vel dissimulare debeat 21.

Evangelica consilia 165.
Evictio 928.
Evidens 75.
Eunuchus 743. 662.
Excommunicatus 371.
Excutor dispensationis 613.
Exorcismis coacto daemoni an sit credendum 415.

F

Famae aggressorem an liceat occidere 678.
Famulari acatholicis an liceat 380. famulorum erga heros obligatio 644. et vicissim 647. famulus concurrendo ad peccatum heri peccat 645. et seq. famulum acatholicum an liceat die festo ad labores adstringere 627.
Feripeta 860.
Festa quomodo celebranda 615.
Feudum 949.
Fidejusso 942. fidejussor 943. fideicommissum 951.
Fides theologica 343. fides actualis explicita et implicita 344. ejus necessitas 345. necessitas fidei explicitae Dei existentis et remuneratoris 346. necessaria necessitate praecepti 347. praeceptum fidei negativum 348. prout est affirmativum 349. 352. quid ad actum fidei requiratur ibid. et 353. quoties eliciendus actus fidei 352. 349. dubium circa fidem 41. 348. 377. fidem negare nunquam licet 350. fidem externe negans 374. signa negatae vel non negatae fidei 362. et seq. quando amittatur fides 374. fidei professionem differens 379. quinam teneatur ad professionem fidei 366. quid confessario observandum, si poenitens non sit instructus in rebus fidei 355. 356. et seq. 359. verbis simulare fidem 361. facto 363. et seq. veram fidem tueri 365. medio conservandi fidem 382. modus instruendi eos, qui se volunt convertere ad veram fidem 383.
Fiducia recte ordinata 461.
Filiorum erga parentes obligatio 631. et seq. filius in puncto vocationis an teneatur obedire parentibus 639. filii ad iram provocantes patrem, vel matrem 636. rixas seminantes 637. matrimonium contrahentes contra voluntatem parentum 638. quid confessario observandum, si liberi se accusent inobedientiae, irreverentiae etc. erga parentes 635. filius an possit sibi clam surripere salarium pro labore 806.
Foeminarum superstitiosae benedictiones 439.
Foetum non licet expellere 669. 671.
Forensia negotia die festo prohibita 617.
Formula dispensandi super voto 612. super voto castitatis ib. quid agendum excutori dispensationis 613.
Fornicatio 737. an cum sponsa alterius sit speciale peccatum 739. de fornicatione cum infideli, ibid. modus naturalis non servatus 743. restitutio facienda ex fornicatione 800.
Fraterna correptio 711.
in Fraudem legis agere, quid sit 260.
Frigidus 743.
Fructus naturales, industriales, mixti 813.
Fugere an liceat reo 191. an christiano liceat fugere ad evitanda damna propter fidem imminentia 360.
Furem an liceat occidere 675. et seq. furtum 761. et seq. quantitas requisita ad peccatum mortale furti 763. et 792. furta minuta 284. et 767. et 791. et 792. et seq. furta filiorum 803. et seq. furta cum aliis ex condicto sociis 767. furta domesticorum 807, ubi de ancilla sibi retinente crucigeros: furta esculentorum et poculentorum 811. causae excusantes 768. quid agendum confessa-

rio, si poenitens in genere se accuset furti 786. furtum ex joco commissum 788. furtum in ebrietate commissum 789.
Futura praedicere 431.

G

Gabella 855. et seq.
Gaudere de malo et delectari sub conditione an et quando liceat 715.
Generationem prolis an liceat aliquando impedire 669. et 742.
Geomantia 426.
Gloria vana, quale peccatum 819.
Gratitudo 486.
Gula 328.

H

Habitatio 876.
Haeres ad quid obligetur 104. et 580. et 776.
Haereditatem admittens, sed nolens solvere pia legata 104.
Haeresis et haereticus 367. et 371. cum haereticis an liceat communicare 373. iis famulari an liceat 380. eorum funera, nuptias etc. honorare 381. poenae in haereticos statutae 370. ad eas incurrendas quid requiratur 371.
Haeresin formalem unde dignoscas 378. materialem 379.
Heri erga famulum obligatio 647.
Histriones 686. Vide, *comoediae*.
Homicidium 655. qualificatum 312. 317. 656. proditorium 656. de homicidio a se facto dubitans an sit irregularis 55.
Honor 965.
Horam canonicam unam potes recitare, non item reliquas: an tenearis ad unam 241.
Hydromantia 426.
Hypocrisis 319. et seq.
Hypotheca 942. hypothecari debitores aliis in solutione praeferendi 781.

I

Jactantia 319.
Idololatria 412.
Jejunium ecclesiasticum 987. an praeceptum jejunii sit divisibile 995. et seq. Constitutiones Bened. XIV. de jejunio 996. jejunii dies, quando incipiat obligare 220. dubitans an jam inceperit; an licite pergas comedere carnes 44. an toties peccet, quoties comedit quis carnes in die jejunii 993. ipsa jejunii die dubitans, an audita sit duodecima, teneris abstinere 47. jejunii die cogeris anticipare prandium, an tenearis nihilominus jejunare 244. saepe modicum quid comedis ad notabilem denique quantitatem, quomodo pecces 284. 992. singulis diebus jejunii modicum comedens an peccet graviter 283. jejunare non potes hac die quadragesimae, an et cras et de caetero liber sis 241. jejunare die Paschae estne superstitio 423. causae excusantes a jejunio 988. et seq. an excusetur, qui ludo pilae etc. se defatigatur 998. quantum liceat sumere in collatiuncula 992. 999. quid de potu dicendum 1000. quaenam senectus excuset a lege jejunii 1001. festo Nativitatis Christi, si hoc in diem veneris incidat, licet vesci carnibus, nisi obstet votum vel regularis observantia 994.
Ignorantia quid et quotuplex 222. et seq. an et quae excuset a lege 228. et seq. ignorantia poenae an excuset a poena 231. et seq. ignorantia mysteriorum fi-

dei 374. et 355. ignorantia legum naturae 230. ignorantia prohibitionis, et poenae 231. et 232. exceptiones 233. et seq.
Illicitum 71.
Imaginum cultus licitus 412.
Impediens alterum a consecutione boni 872. et seq. impediens manifestando leves ejus defectus 874. impediens dignum a beneficio, ibid. impediens generationem prolis 742. 755.
Impedimentum 255. ponens impedimentum servandi legem 256.
Impoenitentia 316.
Impotentia qualis excuset a lege 240. 255.
Imprecatio 15. 712. imprecationes diversae in uno aestu 314. imprecari rebus irrationabilibus 713. unde serius animus imprecantis dignosci queat 714. parentibus mortem imprecari 715.
Improperium 965.
Improbabile 71.
Impugnatio agnitae veritatis 316.
Incantatio 439.
Incertum quid dicatur 75.
Incestus 747. et seq. quomodo incestus differant, ib. 748.
Indignatio 337.
Infantes non habeantur a matribus in eodem lecto 641. infantem exponere an sit peccatum 641. tenetur mater alere per triennium, ib. infantibus an liceat dare carnes die veneris 208.
Infideles an obligentur legibus ecclesiasticis 221. an communicare cum iis liceat 372. infideles non peccant in omni opere 374.
Infidelitas 367. 369.
Infirmitas quando excuset a lege 240. 261.
Inimicorum dilectio 704. 719.
Injuria illata 771. injuria illata corpori per homicidium, mutilationem etc. quomodo compensanda 852. et seq.
Innocentem an liceat occidere 659.
Inobedientia formalis 318.
Intemperantia 328.
Intensive super omnia diligere Deum, quid sit 397.
Intentio an et quae requiratur ad satisfaciendum legibus et voto 196. intentio bona quamdiu duret 403. agere intuitu mercedis non displicet Deo 406.
Interpretatio legis 171. 273.
Interruptio peccatorum augens numerum 290. et seq. 314.
Invasorem quando occidere liceat 659. 669.
Inventae res an et cui debeant restitui 778. 862.
Invidia 325. invidentia gratiae 316. 326. remedia contra invidiam 327.
Ira 337. iracundia ib. et n. seq. remedia contra iram 339.
Irreligiositas 453.
Irregularitas in dubio commissi homicidii 55.
Irritare vota 592.
Iter facere diebus dominicis et festis an liceat 615.
Judaismus 367. Judaeis liceatne communicare 372. non obligantur legibus ecclesiasticis 221.
Judex ad quid teneatur 88. 110. et seq. 776. judici munera offerre pro patrocinio injustae causae an liceat 684.
Judicium temerarium 961.
Juramentum quid, et quotuplex 522. et seq. quando sit licitum 524. jurans quando peccat et quomodo 526. 541. jurans per falsos Deos 543. an obliget fictum juramentum 547. conditiones imbibitae in promissorio 549. juramentum fit quatuor modis 550. de interpretatione juramenti 551. materia jura-

menti 525. metu extortum an obliget 544. petere ab infideli et pejeraturo an liceat 548. 688. jurare ficte an liceat 546. jurans latronis et usurario 544. quando cesset obligatio juramenti 527. quid observandum, si poenitens in genere dicat, se jurasse 528. in dubio, an verba sit juratoria, nec ne 529. quaenam formulae sint juratoriae 522. 530. et seq. jurans cum restrictione mentali 536. et seq. cum aequivocatione 539. juramentum non implens 540. an liceat exigere juramentum, quem puto pejeraturum, vel per falsos Deos 548.
Jurisdictio in genere quid et quotuplex 167. jurisdictio praesumpta non sufficit 249.
Jus in genere 875. species juris 876. jus gentium 137.
Juris naturae principium fundamentale 134. jure naturae quaenam graviter vel leviter sint prohibita, ibi.

L

Laborare die festo non licet 615. labores liciti 616. causae excusantes laborantes serviliter 618.
Lacticinia 994. et 987.
Lectio obscoenorum 726.
Legalia V. T. 136.
Legatum annuum quamdiu duret 953. de piis Legatis 952.
Legislator quis 168. an obligetur legibus propriis 177. an possit secum dispensare 272.
Lex quid 133. de lege naturae 134. Lex positiva divina 135. et 136. lex humana 137. et seq. conditiones ad veram legem 142. de promulgatione legis 143. 149. et seq. qua promulgatio requiratur ad LL. Pontificias 153. de acceptatione legis 144. 157. et seq. leges ecclesiasticas quis possit condere 168. 169. quis civiles 170. an et quomodo lex humana obliget in conscientia 173. quid requiratur ut obliget graviter 182. unde colligendum, quod legislator intendat obligare graviter 184. in praesumptione fundata 195. militaris 184. praeceptiva et poenalis an obliget ante sententiam judicis 189. 190. circa rem divisibilem an secundum partes obliget 241. et seq. an praecipiat pure interna 145. in fraudem legis quis agat 260. quando lex obligare incipiat 152. quando implenda 220. ejus abrogatio 245. ejus acceptatio 144. et 157. causa quae excusant ab illa 222. et seq. dispensatio 248. interpretatio 171. et 273. legis subjectum 176. et 207. legibus civilibus an obligentur Clerici et Religiosi 178. legibus ecclesiasticis an Judaei, Catechumeni et Infideles obligentur 221. ecclesiasticis, item naturalibus et humanis quando incipis obligari 208. etc. his an pueri, amentes, et ebrii teneantur, ibid. legum exequendarum tempus 220. diversis legibus an uno actu et tempore possis satisfacere 175. 202. ad satisfaciendum illis an et quae requiratur intentio 196. an debeat impleri ex motivo charitatis 197. implens legem ex vana gloria 198. cum intentione non implendi 199. coacte implens 201. leges peregrinorum et vagorum 210. et seq. unde colligendum sit an lex sit mere poenalis 180. leges tributorum et vectigalium quomodo obligent 188. cessatio legis 245.
Libellatici quinam dicti 260. libellaticus contractus 950.
Libellus famosus 965.
Liber alicujus junioris an faciat opinionem probabilem 95.
Liberorum erga parentes obligatio 631. et seq. furta invitis parentibus, item an teneantur restituere 803.
Libertas quaenam requiratur ad peccatum 280.
Libertas an sit in possessione, regulae dignoscendi 39.
Licitum 71.
Licentia praesumpta 264.

Locare, locatio, locator 946.
Ludere, lusor, lusus a num. 866. lusor exponens pecuniam, alter missam 506. conditiones ad justum lusum requisitae 867. usque ad 871.
Luxuria 623. remedia contra turpissimum vitium 759. et seq.

M

Magia quid 417. cum Magis quomodo agendum confessario 450.
Magistratus ad quid teneatur 651. huic quid subditi debeant 653. reos juste plectit 657. subditos ex gravi causa mortis periculo potest exponere, ibid. an graviter peccet non puniendo reos 652.
Magistrorum obligatio 650. discipulorum, ibid.
Mahometismus 367.
Majestatis laesae crimen 656.
Maledictio vel imprecatio 712. et seq.
Malefactorem an et quando liceat occidere 657.
Magos vel sagas consulere 449. confessarius magi vel sagae 450.
Maleficium 417. quomodo liceat dissolvere 445. et seq. media contra maleficia 448.
Malitiam in genere tantum cognoscis, praescindendo a gravi vel levi, quomodo peccas agendo 14. malitia gravis, an levis rudium, quomodo discernenda a confessario 15.
Manifestans crimen 962. 966. et seq.
Maritus an deprehensam in adulterio uxorem licite occidat 673. dilapidans bona 799.
Martyrio se offerre an liceat 459. 658. 662.
Materia levis an possit sub mortali praecipi 181. et 186.
Matres nimium indulgentes quomodo peccant 640. non habeant in eodem secum lecto infantes 641. hos exponendo quomodo peccant 641. an liceat dare nutrici ibid. mater an teneatur pati sectionem, ut proles baptizetur 666.
Matrimonium clandestinum 494. contrahere invitis parentibus an filio liceat 638.
Medicorum obligatio 90. 109. 971. 776.
Membrum infectum potes, sed non teneris abscindere 664.
Mendacium 958. et seq.
Menstrua 641.
Mercatorum obligatio 926. et seq.
Merces operariorum defraudata 317.
Metus quid et quotuplex 226. an excuset a lege 236. an excuset a culpa 235. et seq.
Militaris disciplina an res leves sub poena capitis possit praecipere 181.
Miles ob praedam injustam an teneatur ad restitutionem 841. et seq.
Minorum bona quomodo a curatoribus et tutoribus curanda 642. et 643.
Miraculi fictio 410. miracula absque necessitate petere 456.
Misericordiae opera corporalia et spiritualia 710.
ad Missam in loco tuo unicam die dominica venis post offertorium, an teneris audire reliquam 244.
Moderamen inculpatae tutelae 659.
Mohatrae contractus 923.
Mollities 732. 742. 749.
Monetas adulterare vel privatim cudere 762.
Monomachia 660.
Monopolium 930.
Montes pietatis 925.
Moribundus dans tantum signa dubia poenitentiae 117.
Morosa delectatio 293. 298.

Mortem sibi inferre directe non licet 658. mortis periculo se exponere quando liceat 663. imprecari mortem parentibus, et gaudere de morte 715.
Mortificare carnem 664.
Motivum absolute et comparative grave 72. prudens, temerarium, probabile, improbabile 71.
Motus turpes quando sunt peccata 300. 736.
Mulierum ornatus 694.
Mutilatio sui ipsius 658. proximi 659.
Mutuum, obligatio mutuatoris et mutuatarii 914.

N

Necessaria necessitate medii et praecepti 344.
Necessitas proximi 705. 709.
Necromantia 426.
Negligentia in resistendo tentationibus 301.
Negotiatio 929. Clericis specialiter prohibita, ibid.
Nominis Jesu licita et illicita pronuntiatio 511. et seq.
Nomen daemonis ex consuetudine pronuntians 514.
Notorium notitia facti et juris 967.
Numerica peccatorum distinctio 288. et 313.
Nundinae 617. 618.
Nuptiis acatholicorum assistere an liceat 381.
Nutrici committere infantem an mater licite possit 641.

O

Obedientia filiorum erga parentes 631. religiosorum 650. an superiori in dubio liceitatis praestanda 108. an levia sub mortali possint praecipi 186.
Obligationibus diversis eodem tempore et actu an possis satisfacere 175. 202. et seq.
Observantia vana 417. et 439.
Obstinatio 316.
Occasio peccandi 304. occasionem peccati non auferens, ut deprehensus corrigatur 699.
Occidi an et ubi bannitus possit 657. iniquus aggressor 659. an et quomodo innocens possit 659. fur, adulter, invasor famae etc. a 672. ad 678.
Occisio sui ipsius an liceat 658. 662. 663. an ecclesiastica sepultura privet 667. pro injuria per occisionem illata quid debeat restitui 852. et seq. injusta occisio proximi 659.
Occultare fidem quando liceat 351.
de Occupatione rei 879.
Odium Dei peccatum maximum 399. odium abominationis, et inimicitiae 399. 701. odium proximi 314. 325. 701. et seq. non licet odisse inimicos 704. media odium extinguendi 721.
Oenopola 933.
Offensa 720.
Opera diebus dominicis et festis prohibita 615. et seq.
Opera misericordiae 710.
Opinio quid sit 70. vere probalis 71. tenuiter probabilis 71. extrinsece vel intrinsece probabilis 73. probabilis quoad se et quoad nos 73.
Oppressio pauperum, viduarum, et pupillorum 317.
Orare, oratio 409.
Orationes superstitiosae 418. et seq.
Ordo charitas 722.

Originale peccatum 276. ib. varia Decr. de immunitate B. V. Mariae ab originali.
Ornatus mulierum 694. et seq.
Oscula 305. 725. et 728.

P

Pactum cum daemone 416.
Paganismus 467.
Parentum erga liberos obligatio 349. 634. 640. et 641. parentes quomodo honorandi 631. parentibus succurrendum potius, quam votum religionis exequendum 609.
Parochi obligatio 419. et 648. parochianorum obligatio erga Pastorem 619.
Parricidium 656.
Pars major quo sensu trahat ad se minorem 242.
Parturiens non potens parere, si potest, non tenetur admittere incisionem 666.
Parvitas materiae ubi non detur 305. 727.
Patresfamilias bona dissipantes quomodo peccent 641.
Paupert. contra an agat Religios. admittens aliquid ex licentia praesumpta 264.
Pauperies quid in jure 655.
Peccatum quid 275. materiale, et formale ibid. mortale per se sive ex genere suo 277. 701. veniale ex genere suo ibid. ad mortale quae requiratur cognitio 14. 280. 282. libertas 18. et 280. mortale potest fieri veniale quomodo 201. venialia multiplicata non constituunt mortale 283. et 284. et seq. disponunt tamen ad illud ibid. et fiunt mortale ratione materiae, conscientiae erroneae, scandali etc. 284. et 285. venialia omnia velle facere quale peccatum 283. peccatorum distinctio specifica 286. 288. 311. et 312. numerica distinctio 289. 343. et seq. peccatum philosophicum 278. quibus gradibus homo ad peccatum deducatur 293. desiderium peccati 294. unde desumenda gravitas peccati 306. 307. peccata aliena 315. peccata in Spiritum S. 316. peccata in coelum clamantia 347.
Peculatus 762.
Pecunia a daemone accepta 452. accepta a mago vel saga pro labore superstitioso 452.
Peregrini qui sint 210. et quibus legibus teneantur 212. et seq. an egressurus e suo domicilio, ubi est dies festus, in locum, ubi festum non est, prius teneatur audire Sacrum 211. an privilegiis gaudeant locorum 219.
Periculosa conversatio 304.
Perjurium 526.
Persecutionem fugere et pecunia se redimere an liceat 360.
Pertinacia 367.
Pharmacopoeorum obligatio 671.
Philtrum 417.
Physiognomia 432.
Pignus 942.
Pingere die festo an liceat 629. pingere turpia quale peccatum 686.
Pisces ex alieno stagno capiens 861.
Plagium 762.
Pollutio 309. 749. 750. 757. facta in templo 312. polluere Ecclesiam 468. 476. quid confessario observandum circa reos hujus vitii 759. gaudens de involuntaria pollutione 753. excitare illam 754.
Possessio quid sit 876. quomodo acquiratur 878. quomodo amittatur ibid. juris et facti 886. quaenam pars dicatur esse in possessione 39.
Possessor bonae fidei, malae, dubiae 812. usque ad 821.
Praeceptores ad quid teneantur 650. his quid discipuli debeant, ibid.
Praeceptum quid sit 133. praecepta formaliter diversa 287. 288.
Praegnans saltu, labore etc. foetui nocens quomodo peccet 671. ad servandam vitam propriam potest medicinam sumere, sed qualem, ibid.

Praelati 648. et 650.
Praescriptio 881. conditiones requisitae 882. usque ad n. 886.
Praestigium 426.
Praesumptio in casu particulari cessans, item praesumptio juris 195. praesumitur in dubio, quid et quando 54. praesumpta licentia 264. praesumptio opposita spei 387. et 393. 399. remedia contra praesumptionem 396.
Precarium 909.
Pretium legitimum, et vulgare, justum, summum, infimum 926.
Princeps an reo condemnato impunitatem licite praestet 652.
Privilegium quid, quotuplex, quando strictae interpretationis: item privilegiorum communicatio a n. 266. privilegia vivae vocis oraculo concessa 270.
Probabilis opinio a n. 71. tenuiter probabilis, ib. absolute et respective talis 73. speculative et practice probabilis 74. sola probabilitas extrinseca an sufficiat 103. probabilem quando sequi liceat 76. 94. probabilem in probabilem oppositam quando mutare liceat 104. et seq. probabilitas sola ad Religionem mutandam non sufficit 106. 107. 348. tenuiter probabilem non licet sequi 83. an liceat sequi probabilem alienam, relicta probabiliore prop. 99. 101. et seq.
Procuratorum obligatio 116.
Professio fidei quando obligat 366.
Professio religiosa ante decimumsextum annum est invalida 555.
Proles spuria patre dubio a quo sit alenda 65. et 66.
Promissio 898. quomodo obliget, ibid. 899. quando non obliget 900. quando cesset 901.
Promulgatio legis 143. et 151.
Proscriptum an et ubi liceat occidere 657.
Proximi dilectio a num. 700. ei debemus succurrere 705.
Pueri quibus legibus et quando obligentur 208.
Pulvis sympaticus 441.
Punctatoria ars an et quando liceat 437.
Pupillis quid debeant tutores 642. 643. et 776. hi quid debeant tutoribus 643.
Purgatio vulgaris quid, et an licita 457. et seq.
Pyromantia 426.

R

Rapina 762.
Raptus 745.
Redemptio vexae 501. et seq.
Regula morum proxima et remota, ante num. 1.
Regulares absque licentia superiorum Principum obsequiis an possint se subjicere 265. tenentur servare festa dioeces. 615. regularis disciplinae neglectus 650.
Religio quid sit, ante n. 343. objectum materiale et formale religionis 408. Religio catholica 106. vitia religioni opposita partim per excessum, partim per defectum 409. vovens religionem strictiorem 59. superior religiosorum 650.
Religiosus sine licentia superioris se subjiciens alterius obsequio 265. agens ex licentia praesumpta 264.
Rerum sacrarum usus 425. sacras Reliquias cum aliis permutans, vendens etc. 504.
Restitutio, ejus necessitas, radices etc. a n. 770, 772. usque ad 782. ex injusta acceptione quando oriatur obligatio restitutionis 774. bona incerta comparata ex delicto quomodo restituenda 778. quando restitutio facienda 779. an in eo loco ubi damnum illatum 780. diversis quando restitutio facienda, quo ordine ea fieri debeat 781. quid si res aliena pereat casu fortuito 818. iniquus possessor tenetur restituere lucrum cessans, et damnum emergens 819. item compensare rei deteriorationem 820. item restituere fructus perceptos 821. possessor bonae fidei adquam restitutionem teneatur 812. et seq. possessor dubiae fidei 816. malae fidei 817. et seq. positive cooperantes ad damnum 775. ib. nega-

tive cooperantes 831. 838. restitutio in solidum a n. 832. quo ordine cooperantes teneantur restituere 777. de restitutione ob damnum bonorum spiritualium 846. et seq. ex homicidio, mutilatione etc. 852. et seq. restituere an teneantur qui non solvunt vectigal. gabellas etc. 856. et seq. qui defraudant decimas 857. qui damnum inferunt sylvis, pascuis etc. 858. de feripetis 860. ancillae furtivae 807. causae excusantes a restitutione 782. ex quibus causis differri queat restitutio 783. quando extinguatur obligatio 785. praxis confessarii circa imperandam restitutionem 786. restitutio facienda ex fornicatione 800. obligatio adulterae 801. adulteri 802. creditor obtinens ex sententia judicis secundam solutionem an teneatur ad restitutionem 822. mandans quando teneatur ad restitutionem 823. et seq. quando consulens 825. quando consentiens 826. palpo 827. dans recursum 828. participans 829. quae restitutio a milite facienda ob praedas injustas 841. et seq. obligatio restituendi ex rebus inventis 862. de restitutione famae 962. 965. per totum de modo restituendi famam 982. et seq.
Restitutio in integrum 928.
Restrictio mentalis 536. et seq.
Retractus gentilitius 928.
Reus an et quomodo teneatur fateri culpam 537. an fugere e carcere 191. et seq. an occidere ministros justitiae 191.
Rixae 718.

S

Sacerdotes honorandi 649.
In sacramentorum susceptione an liceat sequi sententiam probabilem relicta tutiore 122. an in administratione 86.
Sacrilegium 312. 463. 471. personale 464. 472. et seq. quomodo committatur 470. 477. locale 465.
Sagam an liceat repercutere 445. confessarius sagae 450. et seq.
Salarium famulorum quodnam justum censeatur 810.
Sartor fragmenta retinens 793. et seq.
Scandalum 681. et seq. explicandum in confessione 685. regula Laymanni de scandalo 685. ad hoc evitandum quaenam actiones debeant omitti 688. 690. 696. et seq. scandalosa loquens 22. ponentes scandala 686. alloquium scandalosum 693. vestitus scandalosus 694. et 695.
Scrupulus 124. causae scrupulorum 125. signa scrupulosi 126. quid scrupuloso agendum 127. remedia contra scrupulos 128. confessarius scrupulosi 129. scrupulosus circa confessiones praeteritas 130. circa consensum in tentationibus 131. archi-scrupulosus 132.
Sententia judicis an transferat dominium 822.
Sepultura ecclesiastica quibus neganda 467. 667.
Sequestrum 913.
Servilia opera 615.
Sigillum confessionis 305.
Simonia 478. et seq. ejus poenae 488. 492. quis possit ab ea absolvere 493. causae excusantes a simonia 500. et seq. simoniace accepta an sint restituenda 494. quibus titulis licitum sit aliquid dare, aut exigere pro functionibus sacris 498. quid agendum confessario cum poenitente simoniaco 499. quando a simonia excuset redemptio vexae 501. simonia confidentialis 481. 508.
Simulatio, simulare falsam religionem non licet 351. signa simulatae fidei, ibid.
Societatis contractus 941.
Sodomia 756. et seq. sodomiticum peccatum 317.
Solutio indebiti obligat ad restitutionem 776.
Somniis an sit habenda fides 428. et seq. an in somnio possit peccari 309.
Sortes divinatoriae 433. et seq. sortilegia specialiter prohibita sacerdotibus 434. circa finem.
Speculum magicum 438.

Spes 384. ejus necessitas, obligatio 385. actus spei 389. peccans contra spem 388. 390. 391. quomodo spes sit certa et incerta 392. indicia bonae spei 392.
Sponsio 945. sponsis quid liceat 310. 730. fornicatio cum sponsa alterius 739.
Spuria proles dubio patre a quo alenda 65. 66. in dubio an sit spuria, an sit legitima ibid.
Stipendium 498.
Stuprum 744.
Suadere minus malum ad impediendum majus, an liceat 687.
Subditi ad quid obligentur 649. 650. subditus putans praeceptum superioris esse illicitum 108.
Superbia 318. 320. superbia in vestibus, ibid. remedia contra superbiam 321.
Superior spiritualis quid debeat subditis 648. et 650. an possit rem levem sub. mortali praecipere 186.
Superstitio 410. per totum, a superstitione non excusat protestatio contra pactum 435. consulere suspectos de mediis superstitiosis 440. in dubio, an medium sit superstitiosum, quid agendum 441. et seq. quid confessario, si poenitens in genere se accuset de superstitioso usu 443.
Suspicio temeraria 960.
Susurratio 717.
Symbolum Apostolicum 347.
Sympaticus pulvis 441.
Synderesis 1.

T

Tactus et oscula 305. 725. tactus brutorum 729. sponsi et sponsae 730. inter conjuges 731. inter eumdem sexum 732. quid confessario observandum, si poenitens in genere dicat: tactus habui impudicos 735.
Temeraria suspicio 960. temerarium judicium 961.
Tempus implendi legem 220.
Tentatio quandonam in peccatum transeat 27. 301. 304. tentatio Dei 454. et seq. de variis modis tentandi Deum, ibid. et a num. 459. quinam excusantur a tentatione Dei 460.
Tepiditas, taedium. Vide *acedia.*
Testamentum 951. quotuplex 952. quinam non possint testari 955. an testamentum non solemne valeat pro foro interno 956.
Testimonium falsum 957.
Thee potus an violet jejunium 1000.
Thesaurus inventus ad quem pertineat 863. et seq. sciens in agro thesaurum latere, an possit agrum emere pretio vulgari 865.
Titulus in jure 884. titulum ordinationis emere an sit simonia 507.
Tonsura 474.
Torpor. Vide *acedia.*
Tributum an pro libitu imponere principi liceat 114. defraudans quomodo peccet 188. 855.
Tristitia de bonis proximi 326.
Turpiloquia 726. turpium lectio, auditio etc. ibid. et 734. quid confessario observandum, si poenitens in genere se accuset quod turpia sit locutus 734.
Tutela inculpata 659.
Tutum quid sit et tutius 71.
Tutior sententia an necessario et quando sequenda 84. 86. 81. 122.
Tutorum obligatio 642. et seq. 776.
Typographo an liceat die festo laborare 629.

U

Universitates acatholicorum an liceat adire, gradum inibi suscipere 381.
Ususfructus, usus 876. quomodo acquiratur, et amittatur 878. usucapio est adjectio dominii etc. 881.
Usura quid, et quotuplex 915. mere lucratoria 916. ex quibus titulis li-

ceat aliquid supra sortem accipere 917. et seq. mens Bened. XIV. de usuris 919. chirographa minoris emere an sit usura 920. tituli prohibiti 922. 923. 924. an ab usurario liceat petere mutuum 688. in fin.
Uxor adhibens bona contra voluntatem mariti 796. eleemosynam distribuens 797. bona sibi reservans 798. adhibens bona ex licentia praesumpta 799. post mortem mariti pro sustentatione subtrahens, ibid.

V

Vagi 210. quibus legibus teneantur 217. 271.
Vana gloria 319. 320.
Vectigal 855. vectigalia fraudantes an peccent et ad restit. teneantur 188. 856.
Venari an die festo liceat 630.
Venditio 926. obligatio venditoris 927. quomodo rescindi possit venditio 928. venditor vini aqua diluti, ibid. et 933. ad quid venditor obligetur, qui vendit rem vitiatam 935. venditio majori pretio ob dilatam solutionem, vel pretium brevi diminuendum, item ob raritatem 936. 937. et seq. constitutus ad vendendum an possit sibi augmentum retinere 959.
Veneficium 417.
Veniale peccatum. Vide *peccatum.*
Verba turpia. Vide *turpiloquia.*
Vestes infidelium an portare liceat 362.
Vestitus scandalosus 695.
Vexam redimere in officiis spiritualibus an sit simonia 501. etc.
Viduae quid non liceat 310.
Vina an liceat adulterare et condire 179. item 933. 934. bibulis ad ebrietatem apponere 331.
Vindicta 357.
Violentia seu vis 239.
Virgini an liceat se occidere, ut evadat periculum corruptionis 662. 662.
Vitam quomodo debeamus conservare 664. et seq.
Voluntas Dei primaria, secundaria, antecedens, consequens, quid 25.
Voluntatis actus quomodo specificentur ab objectis 12. 288. voluntas ultima 951.
Votum quid sit 552. quotuplex 553. requisita ad votum 554. et seq. materia voti 557. et seq. obligatio ex voto 560. interpretatio obligationis ex voto 561. usque ad 564. tempus implendi votum 565. et seq. in dubio de obligatione 587. et seq. obligatio extinguitur ob mutationem materiae 591. fit soli Deo 556. 569. de re levi non obligat graviter 561. ex metu emissum an sit reservatum 606. metu mortis extortum an sit validum 572. et seq. vota summo Pontifici reservata 595. 605. non reservata 607. 609. reservata urgente necessitate dispensari possunt ab Episcopo 608. dispensandi causae 611. dispensationis petendae praxis 612. et seq. vota impuberum 602. famulorum 603. filiorum, ibid. religiosorum 604. votum an ad haeredes transeat 580. an post septimum aetatis annum censeatur deliberatum 58. quando mutare liceat in aequale 104. conditionale quomodo obliget 589. voti commutatio 596. irritatio voti 992. 299. 600. et seq. dispensatio 593. 608. executionem an differre liceat 578. de voto dubius, an emiserit, ad nihil tenetur. 54. 570. dubius de quantitate, de sensu verborum ad quid teneatur 60. etc. vovens rem tantum venialiter malam quomodo peccat 558. vovisti determinatam religionem, ad hanc non admissus, non teneris ad aliam 610. vovisti hac die te aliquid facturum, cras non teneris amplius, peccas tamen hodie non implendo 565. vovisti religionem, dubitas an strictiorem, potes eligere minus strictam 59. vovisti religionem, sed justa de causa novitiatu egrederis, satisfecistine voto 610. votum virginitatis an reservatum Pontifici 605. conjuges mutuo consensu voventes irritare vota sibi invicem non possunt 601. quid observandum, si poenitens in genere dicat, quod votum violarit 567. formulae dubiae 568. 569. quaenam intentio requiratur ad votum 571. an et quando error vitiet votum 574. votum poenale 584.

INDEX CAPITUM

Typographi Bassanensis ad Lectorem admonitio . . . *Pag.* 3
Procmium 5
Propositiones damnatae 7
Tractatus prodromus de actibus humanis 17
Cap. I. De natura actuum humanorum . . . . . ib.
Cap. II. De voluntarietate actuum humanorum 18
Cap. III. De libertate actuum humanorum 20
Cap. IV. De contrariis voluntario et libero 21
Cap. V. De moralitate actuum humanorum ex objecto et fine . 23
Cap. VI. De moralitate actuum ex circumstantiis et mediis . . 26
Cap. VII. De actibus meritoriis 26
Cap. VIII. Resolutio casuum 31
Tractatus. I. De conscientia 35
Cap. I. De conscientia in genere, et de recta atque erronea in specie ib.
§. I. Quid et quotuplex sit conscientia . . . . . ib.
§. II. Principia practica de conscientia recta et erronea . . 36
§. III. Resolutio casuum de conscientia recta et erronea . . 38
Cap. II. De conscientia dubia et perplexa 42
§. I. Praeviae quaestiones ad praesentem materiam . . . ib.
§. II. Principia practica de conscientia dubia . . . . . ib.
§. III. Resolvuntur casus 45
Cap. III. De conscientia probabili, sive de recto usu sententiae probabilis 50
§. I. Praenotanda circa praesentem quaestionem . . . . . ib.
§. II. Principia practica de opinione vere probabili . . . 52
§. III. Resolvuntur casus 58
Cap. IV. De conscientia scrupulosa 67
§. I. De natura et origine scrupulorum . . . . . ib.
§. II. Principia practica pro scrupulosis, et eorum confessariis . 68
§. III. Resolvuntur casus 69
Tractatus II. De legibus, ac peccatis in genere 71
Cap. I. De externa regula actuum humanorum, sive de lege; praecipue de materia et forma legis . . . . . ib.
§. I. Quid, et quotuplex sit lex ac praeceptum in genere, item quae conditiones ad veram legem requirantur . . . . ib.
§. II. Principia generalia de legibus 78
§. III. Resolvuntur casus 80
Cap. II. De obligatione et subjecto legis humanae, item de modo implendi legem 84
§. I. Praenotanda de jurisdictione in genere, item de causa efficiente, et interpretatione legum . . . . . ib.
§. II. Principia practica de obligatione et subjecto legis . . 85
§. III. Resolvuntur casus 88
Cap. III. De cessatione legis 97
§. I. Praenotanda de iis, quae excusant ab obligatione legis . ib.
§. II. Principia generalia de causis per accidens excusantibus ab obligatione legis 99
§. III. Resolvuntur casus 105
Cap. IV. De peccatis in genere 129
§. I. Quid et quotuplex sit peccatum proprie acceptum . . ib.

§. II. Principia generalia ad formandum rectum judicium de peccato mortali et veniali 123
§. III. Resolvuntur casus 129
§. IV. Resolutiones de peccatis capitalibus 139
Tractatus III. De praeceptis decalogi 149
Cap. I. De primo praecepto . . . . . ib.
Art. I. De fide, spe, et charitate . . . . . ib.
§. I. Principia generalia de obligatione credendi . . . . . ib.
§. II. De infidelitate, et vitiis fidei oppositis 153
§. III. Principia generalia de spe 170
§. IV. Principia generalia de charitate Dei 175
Art. II. De vitiis religioni oppositis 180
§. I. Principia de superstitione 183
§. II. De tentatione Dei 196
§. III. De sacrilegio 198
Art. III. De simonia 204
§. I. Quid et quotuplex sit simonia . . . . . ib.
§. II. Principia generalia de simonia 205
§. III. Resolvuntur casus 210
Cap. II. De secundo praecepto decalogi 214
Art. I. De blasphemia . . . . . ib.
§. I. Principia generalia de blasphemia . . . . . ib.
§. II. Resolvuntur casus 215
Art. II. De juramento 218
§. I. Quid et quotuplex sit juramentum . . . . . ib.
§. II. Principia generalia de juramento 219
§. III. Resolvuntur casus 221
Art. III. De voto 229
§. I. Quid et quotuplex sit votum . . . . . ib.
§. II. Principia generalia de votis 220
§. III. Resolvuntur casus 234
§. IV. Quibus modis tollatur obligatio voti 241
§ V. Resolvuntur casus 244
Cap. III. De tertio praecepto decalogi 251
§. I. Praenotanda . . . . . ib.
§. II. Principia practica de sanctificatione dici dominici . . ib.
§. III. Resolvuntur casus 253
Cap. IV. De quarto praecepto decalogi 255
§. I. Praenotanda . . . . . ib.
§. II. Principia generalia de quarto praecepto . . . . . ib.
§. III. Resolvuntur casus 258
Appendix de beneficiis ecclesiasticis, et beneficiatorum, necnon religiosorum obligationibus 262
Appendix de officiis, judiciis civilibus et criminalibus, necnon de quibusdam aliis obligationibus saecularium 271
Cap. V. De quinto praecepto decalogi 275
§. I. Praenotanda . . . . . ib.
§. II. Principia generalia de homicidio et mutilatione . . 276
Appendix de bello 278
§. III. Principia generalia de scandalo 286
§. IV. Principia generalia de odio proximi, imprecationibus etc. . 291
Cap. VI. De sexto et nono praecepto decalogi 299
§. I. Praenotanda . . . . . ib.
§. II. Principia generalia de actibus imperfectis luxuriae . . ib.
§. III. Principia generalia de actibus naturalibus luxuriae consummatae 302.

§. IV. Principia generalia de peccatis luxuriae contra naturam . 305
§. V. Remedia contra peccata luxuriae 308
Cap. VII. De septimo et decimo praecepto decalogi 309
Art. I. De furto secundum se . . . . . ib.
§. I. Praenotanda de furto . . . . . ib.
§. II. Principia generalia de furto secundum se 310
Art. II. De restitutione 312
§. I. Praenotanda . . . . . ib.
§. II. Principia generalia de restitutione 313
Art. III. Resolvuntur casus de peccatis caudatis 321
§. I. De variis furtis . . . . . ib.
§. II. De furtis domesticorum 323
§. III. De variis titulis restitutionis 330
§. IV. Resolutiones de restitutione ex cooperatione ad damnum alterius 333
§. V. De restitutione ex injuria in bonis spiritualibus illata . . . 338
§. VI. De obligatione restitutionis ex injuria illata corpori per homicidium, mutilationem 340
§. VII. De restitutione ex gabellarum defraudatione, item ex inventione, lusu, et impeditione alicujus boni 341
Art. IV. De dominio sive jure 346
§. I. Praenotanda . . . . . ib.
§. II. Principia generalia de primis modis acquirendi dominium . 352
Art. V. Principia generalia de dominio ex contractibus 357
§. I. De contractibus in genere . . . . . ib.
§. II. Principia generalia de promissione, donatione, commodato et deposito 360
§. III. Principia generalia de mutuo, et usura 364
§. IV. Principia generalia de emptione et venditione, negotiatione, monopoliis et censibus 367
§. V. Principia generalia de reliquis contractibus et ultima voluntate 372
Appendix I. Pro pleniore intelligentia ultimae voluntatis 375
Appendix II. De successione ab intestato 379
Cap. VIII. De octavo praecepto decalogi 382
§. I. Praenotanda . . . . . ib.
§. II. Principia generalia de peccatis contra praeceptum octavum . ib.
Cap. XI. De praecepto jejunii 390
§. Unicus. Principia generalia de jejunio 391
Mantissa de virtutibus moralibus 396
§. I. De virtutibus moralibus in genere . . . . . ib.
§. II. De prudentia 393
§. III. De justitia 399
§. IV. De fortitudine 402
§. V. De temperantia 403
Syllabus definitionum 406
Index rerum 422

S. O. Anconae 3. Sept. 1841.
REIMPR. Fr. Vincent. Sallua S. Theol. Mag. Inq. Gen.
Anconae die 5. Sept. 1841.
VIDIT pro Excmo ac Rmo Dno Deleg. Ap.
Aloysius C. Ambrosi
Anconae Ex S. S. S. Karoli 7. Sept. 1841.
REIMPRIMATUR
Can. Sebastianus Petrellius Censor Episcop.

THEOLOGIA
MORALIS
PATRIS
EDMUNDI VOIT
SOCIETATIS JESU

EDITIO I ANCONITANA
JUXTA BASSANENSEM MDCCLXVI.
CUM ACCESSIONIBUS

PARS SECUNDA

DE SACRAMENTIS IN GENERE ET IN SPECIE;
ITEM DE CENSURIS ECCLESIASTICIS
ET IRREGULARITATIBUS

ST. IGNATIUS COLLEGE
LIBRARY
SAN FRANCISCO, CAL.

ANCONAE
TYPIS PETRI AURELII
MDCCCXLI.

THEOLOGIA

MORALIS

EX SOLIDIS PROBATORUM AUCTORUM PRINCIPIIS

ET VARIORUM CASUUM FICTORUM ET FACTORUM RESOLUTIONIBUS
USITATO IN SCHOLIS ORDINE AC METHODO

AD COMMODIOREM USUM

IN ALMA UNIVERSITATE HERBIPOLENSI

CONCINNATA

A P. EDMUNDO VOIT

SOCIETATIS JESU

S. THEOLOGIAE DOCTORE
EJUSDEMQUE PROFESSORE PUBLICO ET ORDINARIO

PARS SECUNDA

PROOEMIUM

A methodo quam in parte prima servandam duxi in hac altera parte non deflectam: agemus in ea de Sacramentis et Censuris. Ad formandam autem ordinatam studii hoc anno praefixi ideam, hanc partem alteram in tres tractatus dividemus; in *primo* agemus de Sacramentis in genere; in 2. de iisdem singulis in specie; in 3. de Censuris ecclesiasticis et Irregularitatibus. Noli mirari, *amice Lector*, si tractatum primum breviorem conspexeris, sed justo judicio mecum statue, superfluum esse iis in genere diutius inhaerere, quae in tractatu 2. in specie recurrunt.

De Sacramentis V. L. uberiorem notitiam tradit Theologia Scholastica, breviore Moralis contenta est, quam

haurire juvat 1. ex C. Flor. in Decreto unionis ab *Eugenio IV* ad Armenos his verbis: *N. L. septem sunt Sacramenta, quae multum differunt a Sacramentis A. L. Illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant: haec vero nostra et continent gratiam et ipsam conferunt.* 2. Ex Trid. ubi Sess. 7. Can. 2. de Sacram. in gen. ita habetur: *Si quis dixerit, ea ipsa N. L. Sacramenta a Sacramentis A. L. non differre, nisi quia caeremoniae sunt aliae et alii ritus, anathema sit.* Idem Trid. l. c. can. 7. ait: *Si quis dixerit, non dari gratiam per hujusmodi Sacramenta semper et omnibus, quantum est ex parte Dei, etiamsi rite ea suscipiant, sed aliquando et aliquibus, anathema sit;* et can. 8. *Si quis dixerit, per ipsa N. L. Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinae promissionis ad gratiam consequendam sufficere, anathema sit.* Hinc Apostolus ad *Gal.* 4. v. 9. Sacramenta V. L. vocat *infirma et egena elementa.* Porro conferre gratiam *ex opere operato* est gratiam dari non propter meritum operantis, sed propter ipsum opus a Deo institutum in se habens valorem independentem a merito operantis: conferre gratiam *ex opere operantis* est dari gratiam propter meritum et dispositionem operantis, scil. ministri et suscipientis; in solis autem Sacramentis N. L. datur valor ille moralis intrinsecus, quatenus moraliter sunt actiones Christi: ergo. Nunc de solis Sacramentis N. L. agemus.

TRACTATUS I

DE SACRAMENTIS NOVÆ LEGIS IN GENERE

CAPUT I. *De Constitutivis Sacramentorum Novae Legis.*

§. I. *Praenotanda de essentia et numero Sacramentorum Novae Legis.*

1. *Nota* I. Sacramentum Novae Legis est *invisibilis gratiae visibile signum ad nostram sanctificationem divinitus institutum.* Ita Catechismus jussu *Pii V.* editus, et Catech. *Petri Canisii.* Convenit haec definitio quoad rem cum aliis definitionibus, quae in Theologia Scholastica tradi solent, item cum illa *Trid.* Sess. 13. c. 3. *Symbolum rei sacrae et invisibilis gratiae forma visibilis.* Ex data definitione tria requiruntur ad verum et proprium N. L. Sacramentum: 1. debet esse *signum visibile*, h. e. sensu externo perceptibile, tum quia Sacramenta sunt instituta propter homines, qui ut plurimum in operando dependent a sensibus; tum quia administratio et perceptio Sacramentorum maxime pertinet ad cultum Dei exteriorem, quo cultum Dei interiorem profitemur. Denique ut ait *S. Aug.* in Psalm. 73. et L. 19. contra Faustum c. 11. *Divinae visum est sapientiae, mortalium se imbecillitati accommodare, suamque virtutem per quasdam externas res, et signa quae sensibus percipiuntur, exercere.* 2. Debet esse signum *efficax gratiae*, quia ad sanctificandum hominem est ordinatum. 3. Debet esse *divinitus a Christo institutum*, nemo enim gratiam sanctificantem signis naturalibus annectere potest, nisi auctor naturae et gratiae. Eatenus autem juxta *S. Aug.* Epist.23. et de catechiz. rud. c.26. dicuntur signa, *quatenus externa quadam specie et similitudine id nobis referunt et declarant, quod per ipsa Deus nobiscum invisibiliter et spiritualiter operatur.* Sic in baptismo exterior ablutio quae sordes corporis purgat, efficax est symbolum interioris ablutionis a peccato originali et actualibus, si quae ante baptismum commissa sint.

2. II. Septenarius Sacramentorum numerus constat ex ss. PP. perpetua traditione et praxi Ecclesiae. Hinc recte *Trid.* Sess. 7. C. 1. de Sacram. in gen. *Si quis dixerit, Sacramenta N. L. non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura vel pauciora quam septem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium; aut etiam aliquod horum septem non esse vere et proprie Sacramentum, anathema sit.*

Septenarius Sacramentorum numerus hoc carmine continetur:

Abluo, firmo, cibo, poenitet, ungit, ordinat, uxor,

3. III. Inter haec Eucharistia dicitur Sacramentum *permanens*, quia pot actionem qua conficitur, manet; caetera vocantur *transeuntia*, quia non manent, sed transeunt cum actione qua fiunt; probabilius etiam Matrimonium est transiens in ratione sacramenti, licet permaneat quoad vinculum: contrarium sentit *Sporer* cum aliis. Alia quoque dicuntur *sacramenta mortuorum*, scil. Baptismus et Poenitentia, quia per se et ex institutione sua spiritualiter mortuis, h. e. in peccato mortali existentibus, applicantur, sive quia per se gratiam primam, quae est vita animae, conferunt, quamvis per accidens saepe gratiam secundam conferant. Reliqua quinque vocantur *sacramenta vivorum*, quia ex institutione sua et per se applicantur spiritualiter vivis, h. e. in statu gratiae existentibus, adeoque supponunt gratiam primam,

cujus augmentum ipsa conferunt, et hoc dicitur gratia secunda. Alia denique vocantur *characteristica et initerabilia*, quae characterem animae imprimunt: de his *Trid.* Sess. 7. Can. 9. de Sacr. in gen. ita statuit: *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, et Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit.* Reliqua quatuor characterem non imprimunt, et iterabilia sunt. Denique Sacramenta dicuntur *Formata*, quae in suscipiente actu causant gratiam; *Informia*, quae hunc effectum actu non causant, dum suscipiuntur, eo quod ex parte suscipientis ponatur obex, sive impedimentum, v. g. si adultus baptizaretur, quin prius eliceret fidem, aut dolorem de peccatis actualibus.

4. IV. Quando hoc loco loquimur de materia et forma Sacramentorum, non intelligitur materia et forma stricte physice talis, sed per materiam intelligitur illa pars Sacramenti, quae est magis indifferens et determinabilis ad rationem sacramenti; per formam vero illa, quae alteram determinat ad certam significationem et esse Sacramenti. Porro materia Sacramenti alia dicitur remota, alia proxima: *Remota* est illa, circa quam exercetur actio sacramenti, sive est res illa quae in sacramento applicatur; *Proxima*, sive ex qua, est ipsa materiae applicatio: sic materia *remota* Baptismi est aqua; *proxima* effusio aquae: verba vero *ego te baptizo* etc. sunt forma; effusio enim aquae de se non significat ablutionem animae spiritualem, determinatur autem ad hanc significandam per verba Baptismi. Unde patet, quod Sacramentum hic sumatur *per modum* compositi physici, si enim sumatur per modum compositi artificialis, res et verba simul se habent instar materiae, significatio vero eorum, ut Christus eam intendit, se habet instar formae. Ita *Busemb.* hic dub. 2.

§. II. *Principia generalia de constitutivis Sacramentorum.*

5. *Principium I. Omnia Sacramenta N. L. constat rebus tanquam materia, et verbis tanquam forma:* patet ex C. *Flor.* in Decreto unionis: *Haec omnia Sacramenta tribus perficiuntur, rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, et persona ministri conficientis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia.* Ideoque materia et forma (prout determinatae sunt a Christo pro singulis sacramentis, et adhibentur ab Ecclesia catholica) ita sunt de necessitate Sacramentorum, ut horum nno deficiente non fiat Sacramentum. Ratio est: quia nemo aliter potest conficere Sacramenta, nisi eo modo quo Christus ea instituit; hic enim est solus auctor Sacramentorum, ut patet ex *Trid.* l. c. n. 2.; atqui instituit ea, determinando pro singulis certam materiam et formam: ergo. *Min.* Probabitur dum agemus de singulis Sacramentis in specie. Probatur etiam ex perpetuo usu in Ecclesia, idcoque habetur traditio apostolica secundum regulam *S. Aug.* de Bapt. *Quod universa tenet Ecclesia, nec a Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur.* Confirm. ex Trid. quod *Sess.* 21. C. 2. ita habet. *Praeterea declarat, hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret, quae suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi pro rerum, temporum, et locorum veritate magis expedire judicaret.* Infert *La Croix* L. 6. p. 1. n. 9. ergo manifeste innuit, Sacramenta constare determinata substantia, scil. rebus et verbis, quae nequidem ab Ecclesia possit mutari, has autem res et verba declaravit *Florent.* Sess. ult. in Decreto *Eugenii IV.* ad Armenos. *Dixi, prout determinatae sunt a Christo* etc. Non enim eas determinavit in omnibus aequaliter, sed in aliquibus in specie infima, ut inbaptismo *aquam elementarem* cum verbis Baptismi: *Ego te*

Baptizo in nomine Patris.... in aliis vero generice tantum, sive in specie subalterna, ut in Sacramento Ordinis, pro cujus materia determinavit ritum quemdam significativum illius potestatis, quae per ordinem confertur. Objectiones passim vide in Theol. Scholast. solutas, item apud *La Croix* l. c. et *Babenst.* t. 8. p. 1. D. 1. a. 2.

6. *Princip. II. Toties invalide, vel nullum conficitur Sacramentum, quoties materia vel forma mutatur essentialiter: valori vero non obstat mutatio materiae vel formae tantum accidentalis.* Ratio primi est: quia dum adhibetur materia vel forma substantialiter mutata ab ea, quam Christus instituendo sacramenta determinavit, non adhibetur id quod Christus ad significandam et conferendam gratiam ad Sacramentum elevavit: ergo nec conficitur Sacramentum. *Confirm.* Sublata parte essentiali necesse est tolli essentiam totius: atqui mutata substantialiter materia vel forma sacramenti tollitur pars essentialis: ergo. Ex his ratio secundi patet: quia in naturalibus et artificialibus potest fieri mutatio accidentalis, quin mutetur vel tollatur essentia, ergo a pari in sacramentis: sic mutata aqua elementari frigida in calidam manet essentia aquae; ergo manet illa materia, quam Christus determinavit pro Baptismo.

7. *Mutatio materiae tunc censetur essentialis*, si vel *physice* et *entitative alia* adhibeatur v. g. vinum pro aqua in baptismo; vel *moraliter* et *theologice* alia, quando scil. mutatio tanta est, ut secundum communem usum et aestimationem hominum differt ratione et appellatione ab ea materia, quam Christus praescripsit, v. g. si in Eucharistia adhibeatur massa quaedam cruda ex aqua et farina; quamvis enim haec sit physice et entitative panis, non est tamen theologice et moraliter, *Suar.* in 3. p. tom. 3. D. 2. Sect. 4. addit *Laym.* L. 5. t. 1. c. 4. n. 4. Cum sacramenta sint signa moralia, et ipsorum materiae in ordine ad actiones humanas a Christo sint determinatae, ideo pro cognoscenda sacramentorum materia, potius ad moralem ejus usum et acceptionem, quam physicam plerisque hominibus ignotam formam sive naturam, oportet attendere. Tunc vero mutatio materiae *accidentalis* dicenda est, quando mutatio fit tantum secundum qualitatem aliquam, salva substantia, ut materia retineat simul eumdem usum, idemque nomen cum materia quam Christus determinavit, et Ecclesia adhibet: quamdiu enim materia juxta moralem aestimationem adhuc retinet eumdem usum et appellationem cum materia a Christo determinata, tamdiu etiam retinet elevationem ad rationem partis Sacramenti; ergo non est alia essentialiter, sed accidentaliter. Juxta *La Croix* mutatio accidentalis etiam fit, quando non quidem alia materia, quam Christus instituit, alia tamen contra praeceptum Ecclesiae adhibetur v. g. si in Baptismo solemni adhibeatur aqua non benedicta, vel si sacerdos Latinus consecret in pane fermentato.

8. *Illa mutatio formae est substantialis*, quae tollit sensum et significationem verborum, quam Christus intendit. *Illa vero est accidentalis* tantum, quae sensum verborum a Christo intentum relinquit. *S. Th.* 3. P. q. 60. a. 8. in Θ. Mutatio formae potissimum octo modis potest contingere. 1. Per variationem idiomatis, v. g. si forma latine proferenda enuntietur germanice. 2. Per substitutionem vocis aequipollentis vel synonymae. 3. Per transpositionem verborum. 4. Per interpolationem, quando Minister post prolata verba priora formae aliquid aliud impertinens agit vel loquitur, et postea reliqua subjungit. 5. Per additionem. 6. Per subtractionem syllabae, vocabuli vel integri sensus. 7. Per corruptionem verborum, v. g. dum quis non emendate loquitur, sed errorem committit. 8. Per substitutionem scripturae, nutus vel alterius signi in locum verborum vocalium. Unde quoties per unam ex his mutationibus tollitur sensus et significatio verborum, ut a Christo intenta, tollitur essentia formae; sensus enim verborum, ut a Christo intentus, est quodammodo anima formae; manente autem hoc sensu, nihil tollit verborum

substantiam. Recte hic addit *Babenst.* l. c. n. 25. pro praxi observandam esse traditionem, consuetudinem, et usum Ecclesiae, ideoque omnem mutationem materiae vel formae, quae juxta traditionem et usum Ecclesiae non destruit Sacramentum, habendam esse certo pro accidentali tantum, eo quod illa tanquam columna veritatis in hac doctrina fidei errare non possit. De singulis mutationibus infra in resol. cas., quae his versibus comprehenduntur:

Nil formae demas, nil ponas, nil variabis,
Transmutare cave, corrumpere verba morare.

9. *Principium III. Qui materiam et formam Sacramenti sciens ac volens, vel saltem ex culpabili negligentia substantialiter immutat, graviter peccat contra Religionem:* quia Sacramentum irritat, et gravem infert injuriam tam Christo instituenti, quam homini suscipienti. *Qui vero deliberate et extra casum necessitatis accidentaliter tantum mutat materiam vel formam, etiam peccat graviter, si mutatio sit notabilis; venialiter vero, si notabilis non sit;* quia talis agit contra mentem Ecclesiae severe praecipientis, ut materia et forma sacramentalis accurate servetur. *La Croix* l. c. n. 40. et 41. Mortaliter etiam peccat, qui conficiendo Sacramentum adhibet materiam dubiam, si possit haberi certa; quia sic valor Sacramenti et salus proximi exponitur periculo. In casu autem necessitatis, si materia certa haberi nequeat, adhibenda est dubia, quia salus omni quo potest meliore modo procuranda est. Extra casum necessitatis non adhibenda est materia dubia, sed omittenda confectio Sacramenti.

10. *Princip. IV. Ut valide conficiatur Sacramentum, debita requiritur conjunctio inter materiam et formam, ita ut existant simul moraliter*, h. e. ut spectata cujusque Sacramenti natura verba prudenter censeantur cadere supra materiam, et cum illa unum signum totale constituere. *Bonac., Coninck. Ratio* est, quia alias non verificatur forma, nec fit compositum morale, cum tamen Christus ita instituerit sacramenta (sicut patet ex praxi et usu Ecclesiae) ut prolatio formae cum applicatione materiae censeatur una moraliter actio. Dixi, *spectata cujusque Sacramenti natura.* In confectione enim Eucharistiae forma consecrationis, et materia debent physice coexistere; quia *τὸ Hoc*, et *Hic* tanquam particulae demonstrativae eam ut praesentem significant, ita non verificarentur, nisi materia eodem tempore physice praesens esset, ut ait *Reinffest.* in Theol. mor. t. 14. dist. 1. n. 29. In Baptismo autem, Confirmatione, Extrema Unctione, et Ordine requiritur talis conjunctio simultanea materiae et formae, ut dum Minister formam enuntiat, censeatur simul abluere, ungere etc. ad hoc sufficit, ut forma saltem secundum aliquam sui partem physice coexistat materiae proximae. Ita *Richardus* in 4. Dist. 3. a. 4. q. 2. *Ratio* est: quia sic sufficienter verificatur verbum de praesenti. Haec sententia in praxi tutissima est, eam tamen cum *Rich., Suarez* non necessariam vocat: unde et scrupulosi se possunt juvare dum anxii sunt, an aliquanto serius aut citius pronuntiarint formam. In poenitentia potest absolutio dari notabili tempore post confessionem; quia hoc Sacramentum institutum est per modum judicii; in judicio autem sententia fertur post cognitionem causae. In Matrimonio consensus vel acceptatio unius conjugis potest tamdiu differri, quamdiu censetur permanere consensus alterius; quia Matrimonium sequitur naturam contractus: idque patet in matrimonio contracto per procuratorem. *Suarez* in 3. p. T. 3. D. 2. Sect. 2. l. c.

11. *Princip. V.* Materia et forma in Baptismo, Confirmatione, Extrema Unctione, et Ordine debent applicari ab eodem Ministro, et eidem subjecto: hinc si Petrus effundat aquam, et Paulus pronuntiet formam, Baptismus est nullus, quia sensus formae est falsus. *S. Th.* 3. P. q. 67. a. 6. ad 3. Ex eadem ratione nullus esset Baptismus, si Petrus Paulum ablueret, et ad An-

dream diceret; Andrea, ego te baptizo. Aliud est de poenitentia, in qua materia ponitur a poenitente, forma vero a sacerdote absolvente tanquam judice. In Matrimonio forma sive contractus potest etiam fieri a Procuratore. *Di Castil.* De Bapt. D. 1. n. 181.

§. III. *Resolutio Casuum.*

Casus I. De Mutatione materiae.

Caelestinus sub administratione Sacramentorum scrupulis plenus celerrime omnia peragit; is cum nuper infantem baptizaret, loco aquae e pixide salem effundit super caput infantis verba ex libro pronuntians: mox ubi errorem advertit, aquam effundit, et formam repetit plenus anxietate; postea Dominus Ludimagister, dignitate promotus Baccalaureus, in sacristia D. parochum alloquitur: Parcat A. R. Dominatio: ego scripsi in Philosophia, quod sal nonnisi accidentaliter differat ab aqua, sicut glacies: si hoc: ergo infans modo fuit bis baptizatus. Loco responsionis ait D. Parochus: Stultescis Baccalauree: sale fricatur caro, non abluitur: juxta te baptismus esset affrictio regenerationis, et affrictio salis, cum juxta Apostolum sit lavacrum regenerationis, ad Tit. 3., *Lavacrum aquae, Ephes.* 5.

12. *Q.* I. An sal ex eo quod non differat substantialiter ab aqua, et facile possit resolvi in aquam, sit materia apta baptismi. R. *Negative*: licet enim non physice, est tamen theologice substantialiter mutata materia, et consequenter inepta ad baptismum, utpote qui essentialiter consistit in ablutione, quae per salem fieri nequit; cum non amplius sit materia fluida: ergo nec apta ad abluendum. Idem dicendum de glacie: secus, si glacies, sal, ros, nix, nebula, vapor resolvantur in aquam: sic enim iterum habent praedicatum, et aptitudinem ad abluendum, quam sacramentum requirit. *La Croix* L. 6. p. 1. n. 22. plura de his in T. 2. de Bapt.

13. *Q.* II. An Caelestinus recte egerit repetendo formam baptismi ad effusionem aquae. R. Prudenter egit; quamvis enim sit speculative probabile, quod sufficiat coexistentia moralis, sive talis conjunctio materiae et formae, ut verba communi judicio adhuc censeantur verificari de materia, etsi non coexistant physice, sed statim subsequantur, vel antecedant; sicut ad veritatem hujus propositionis: *bibo, sileo, sedeo*, sufficit, quod immediate post vel ante prolata verba bibam, sileam etc., in praxi tamen recte resolvit *Jansen.* T. 2. Casu 88. n. 6. quod peccet mortaliter, qui ita administrat sacramentum baptismi, ut forma quoad unam saltem sui partem *physice* non coexistat materiae, v. g. si verba baptismi proferantur post finitam ablutionem; quia sacramentum exponeretur periculo nullitatis; siquidem gravissimi AA. *Cajet., Scotus* et alii satis probabiliter, et certo tutius requirant coexistentiam physicam. Accedit quod in nostro casu verba fuerint prolata, et conjuncta distinctissimae actioni a vera ablutione, ergo moraliter non potuissent dici conjuncta cum sequenti vera ablutione.

14. Juvat hic notare sententiam a *Suaresio* l. c. refutatam, *quae* docuit, necessarium esse, ut antequam finiatur tota actio materialis, v. g. ablutio, unctio, perficiatur tota forma. Hanc *Suarez* vocat falsam et improbabilem: tum quia id affirmatur sine fundamento, tum quia neque ad veritatem formae vel materiae, nec ad compositionem totius id necessarium est: requirere autem, ut ambae finiantur in eodem instanti, est praeter humanam facultatem, et hoc esset in dubium revocare, an ullum unquam sacramentum sit rite collatum.

Casus II. De mutatione formae.

Calliopa obstetrix dum in necessitate baptizat, utitur hac forma: ich fersche dich *in Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.*

15. *Q.* I. An baptismus hic sit validus, ubi loco *ich tauffe* ponitur *ich fersche dich.* R. Est validus; quia est tantum accidentalis mutatio idiomatis; quamvis enim antiquissimum τὸ *ferschen* idem sit, ac facere Christianum, unde etiam dicitur *Resch Jest*, pro *Christ Jest*, propter usum tamen sumitur multis in locis pro baptizare. Ut refert La Croix ex Haunold, et Lugone in Resp. mor. L. 1. d. 3. sicut etiam in Franconia τὸ *tauffen* secundum pronuntiationem accidentaliter mutatur in *taffen.*

16. *Q.* II. An obsit valori Baptismi pluralitas idiomatum in eamdem formam conflata, uti factum est in casu nostro. R. *Negative.* Quia pariter est tantum mutatio accidentalis. Nec requiritur ut audiens, imo nec ut proferens intelligat voces, dummodo sint significativae illius, quod Christus voluit, et ipse velit hoc significare. Ejusmodi tamen mutatio facienda non est absque necessitate: praesertim ab ordinario Ministro Baptismi, hoc ipso quod sit contra usum Ecclesiae; in casu autem necessitatis, (ut ait *Gobat* in Exper. t. 2. n. 88.) melius est, ut mulieres, caeterique rudes dum baptizant, utantur lingua vernacula; quia plerumque nesciunt perfecte proferre verba latina, vel saltem solent facile turbari proferendo sensum latinum.

17. *Porro adverte* I. Ad hoc ut valeat forma constans ex verbis diversorum idiomatum, requiritur 1. ut singulae voces sint ejusdem significationis cum verbis ordinariae formae. 2. Ut in unam orationem conjunctae eumdem sensum referant. II. Contra eorum errorem qui necessarium putant, ut sacramenta a singulis nationibus in vulgari lingua conficiantur, sufficit Ecclesiae auctoritas. *Nec obstat*, quod alias populus non intelligat propriam verborum significationem; hoc enim necessarium non est, sed sufficit quod intelligatur, illa actione et verbis sacris significari sanctificationem nostram. *Suar.* hic Q. 60. D. 2. Sect. 4. III. Denique si Ecclesia praeciperet, ut hoc vel illud idioma tantum adhiberetur in conficiendis Sacramentis, peccaret quidem qui uteretur alio idiomate; valide tamen conficeret sacramentum. *Suar.* ibid.

Casus III.

Damianus ut citius baptizet infantem morti proximum, effundendo aquam dicit: Ego te abluo in Nomine Ss. Trinitatis; alias dicit: In nomine Patris, et Filii, et Spiritus S. ego te baptizo. Nuper cum baptizans dixisset: Ego te baptizo, mox ad pueros confabulantes conversus formam interrupit, clamans: silete garruli, pueri nequam, absurdi pueri, postea perrexit; In Nomine Patris, et Filii, et Spi (hic subito sternutat, et tussit) ritus Sancti.

18. *Q.* I. An in prima forma: *Ego te abluo in Nomine Ss. Trinitatis* sit facta mutatio substantialis. R. Per τὸ *abluo* non fuit facta mutatio substantialis; quia haec vox est omnino synonyma cum τὸ *baptizo*; idem enim, et quidem aeque expresse significat. Per τὸ *in Nomine Ss. Trinitatis* fuit facta mutatio essentialis; quia vox Trinitas tantum confuse et implicite significat personas; Christus autem *Matth.* ult. voluit ut distincte exprimantur. Plures ejusmodi formas vide apud *La Croix* L. 6. p. 1. n. 51. et infra de Baptis. Juxta *Flor.* valet, si dicas: *Baptizetur Servus Christi in nomine P. et F. et S. S.* quia est tantum mutatio activi in passivum, adeoque accidentalis, et persona baptizantis satis exprimitur per ipsam actionem.

19. *Observandum hic 1.* Ut verba substituta sint synonyma, et sufficiant ad valorem, debent ex communi institutione et usu, et non tantum ex privato mutantis arbitrio aeque distincte significare id quod significant verba, pro quibus substituuntur; alias non aequivalerent iis verbis, quae Christus voluit adhiberi, vel quibus Ecclesia uti consuevit. *Suarez.* l. c.

20. II. S aliqua natio non haberet verbum plane synonymum verbo a Christo instituto, aut in Ecclesia usitato, deberet adhiberi verbum vel ex alia lingua, vel ex proprio idiomate illud quod proxime accederet ad significationem a Christo intentam. Sic PP. Missionarii in China, cum in lingua Chinensi non invenirent vocem synonymam voci *Spiritus S.* verba proxime accedentia elegerunt, queis aptissime exprimerent formam Baptismi. Nihilominus *P. Riccius* diu adhuc expectandum judicavit donec diffusa latius fide per Imperium Chinense usus ipse et consuetudo loquendi ratam fixamque significationem arrogasset vocibus ad notanda mysteria necessariis. Ita *Juvencius* in hist. S. J. L. 19. P. 5. §. 15.

21. III. In dubio, an vox substituta sit vere synonyma, cavendum est ne fiat talis mutatio, alioquin dubium redderetur ipsum Sacramentum. *Suar.* l. c. ubi n. IV. addit, quod mutatio in verbum aequivocum tantum sit accidentalis, si tum ex intentione proferentis, tum ex adjunctis verbis et circumstantiis determinetur ad sensum verborum formae: hinc si in baptismo pro *τὸ Patris*, dicatur *Parentis*, et minister velit significare *Patrem*, forma erit valida; secus si erronee vellet significare *Matrem*; quia verbum aequivocum proferret in sensu alieno a verbo formae.

22. *Q.* II. An Damianus valide baptizarit transponendo verba formae. R. Cum transpositio *regulariter* sit tantum mutatio accidentalis, valide baptizavit. *Ratio est, quia regulariter* sola transpositio non mutat sensum verborum a Christo intentum; si vero sit tam enormis transpositio verborum, ut omnino evertat sensum, non perficitur Sacramentum *S. Th.* p. 3. q. 60. a. 8. ad 3. v. g. si quis diceret: *baptizo et Filii te, et Patris ego Spiritus S. in nomine.* Tunc maxime transpositio facit mutationem substantialem, quando nexus verbi unius cum alio verbo evertit priorem sensum, v. g. si dicas, *quidquid per istam sanctam unctionem deliquisti, indulgeat tibi Deus per visum.*

23. *Q.* III. An interjecta illa reprehensio vitiarit formam. Vitiavit illam tantum accidentaliter (quamvis propter scandalum astantium hoc modo peccatur saepe graviter, imo et propter irreverentiam et modum corrigendi). *Ratio est* ex *S. Th.* l. c. quia *si sit tanta interruptio verborum, quod intercipiatur intentio pronuntiantis, tollitur sensus Sacramenti, et per consequens veritas: non autem tollitur, quando est parva interruptio, quae intentionem proferentis, et intellectum verborum non aufert*; atqui hic fuit parva tantum interruptio: ergo.

24. *Q.* IV. An illa syllabarum interruptio ejusdem vocis *Spiritus* vitiaverit formam. R. Cum brevissima tantum fuerit sternutatio, et sequens tussis, non vitiavit formam substantialiter; idem dicendum de brevi respiratione, oscitatione, sputi ejectione etc. Facilius autem fit mutatio substantialis per interruptionem syllabarum, quam verborum; quia illarum unitas minus est divisibilis, ideoque una vel altera vox interjecta inter syllabas ejusdem verbi magis tollit sensum, quam si integris vocibus adjiciatur v. g. si sacerdos, postquam in consecratione dixit: *Hoc est cor* clamet: tacete pueri, et postea pergat: *pus meum.* Denique generaliter *Suar.* l. c. recte concludit: quando vero interruptio sit substantialis vel accidentalis, non potest indivisibili regula definiri, *sed ex modo, et ex duratione temporis et ex aliis circumstantiis prudenter est judicandum;* quapropter ad tollendum omne dubium diligenter cavendum est, ne hujusmodi interpolatio fiat.

25. *Q.* V. An prior syllaba per interjectionem separata ab alia postea debeat repeti, ut simul enuntietur totum verbum. R. Convenientius est illam repetere, praesertim si diversa vox interjecta sit. Juvat hic reflectere ad duas regulas, quas tradit *P. Gobat in Exper.* T. 1. n. 41. *Prima est*: Tunc solum, et semper facienda est repetitio verborum prius prolatorum cum divisione unius verbi ab altero, vel unius syllabae ab altera, quando illa sejunctio est tam notabilis, ut prudenter dubitari queat, an per illam impediatur sensus communis, quem ex Christi institutione deberet reddere tota forma. *Secunda est:* Licet venialiter peccet, si unum verbum, unave syllaba repetatur, seu bis pronuntietur sine rationabili causa, attamen in dubio est inclinandum potius in iterationem, quam in omissionem; quia per omissionem praeter irreverentiam sacramenti (quae sola committitur per iterationem) etiam timendum est damnum spirituale suscipientis sacramentum.

Casus IV.

Egbertus Sacerdos formam absolutionis plerumque balbutiendo pronuntiat: E E Ego te absolvo a pe peccatis tuis etc. Consecrando vero scrupulis obruitur, hinc ridiculo ac frequenti capitis annutu verba profert dicens: Hoc hoc, hoc (postquam aliquantulum haesit, velocissime profert reliqua) est enim Corpus meum; quoties advertit se ex scrupulis distractum fuisse, integram formam repetit.

26. *Q.* I. An forma balbutiendo prolata ob repetitionem aliquarum litterarum sit valida. R. *Affirm.* Quia non mutatur sensus substantialiter; defectus autem ex balbutie ortus facile ex circumstantiis advertitur, et quilibet audiens intelligit totum sensum a Christo intentum. Egbertus tamen ob reverentiam Sacramento debitam tenetur emendare hunc defectum, quantum potest fieri.

27. *Q.* II. An graviter peccent illi, qui formam ita proferunt ut unum verbum vel syllabam bis terve repetant, uti fecit Egbertus scrupulosus. R. *Per se* loquendo peccant graviter; quia inducunt novum ritum circa actionem omnium gravissimam: absque prudenti causa mutant formam: denique repraesentant nobis Christum ridicule loquentem, rudioribus, uti etiam Acatholicis scandalum praebent, et actiones sacramentales gravi contemptui exponunt; *per accidens* tamen isti scrupulosi ita agendo leviter tantum, saepe omnino non peccant, quia nimiis agitati scrupulis vel ex perplexitate, vel sine ulla advertentia ad malitiam aut irreverentiam, unum alterumve verbum repetunt. Hinc *Gobat in Exper.* D. 3. n. 95. addit; Credo tamen, tales coram Deo non peccare graviter; quia scrupuli eos adigunt ad hanc parvam stultitiam. Pronuntiare formam sibilando ita ut ab omnibus astantibus percipiatur, annuendo capite et toto corpore, valde indecens est.

28. *Q.* III. An Egbertus ob scrupulosas distractiones bene egerit formam repetendo. R. Male egit; quia cum involuntariis ejusmodi distractionibus adhuc stat advertentia sufficiens ad actum humanum. Porro circa repetitionem formae tene sequentes regulas.

29. *Prima:* Qui certus est, quod erraverit substantialiter in pronuntiatione formae, tenetur eam in debita materia repetere sub gravi peccato, et quidem absolute, v. g. si quis certo sciret, quod baptizando dixerit: *Ego te in nomine P. et F. et S. S.*, quia quilibet Minister Sacramenti tenetur sub gravi obligatione procurare valorem Sacramenti, ne cum gravi irreverentia ipsum Sacramentum nullitati exponatur, et ipse suscipiens defraudetur fructu Sacramenti. Ita *Comm.*

30. *Secunda:* Qui rationabiliter, hoc est ex prudenti ratione dubitat, an formam quoad substantiam recte protulerit; an aliquid substantiale in ea mutarit vel omiserit, tenetur eam repetere sub conditione. V. g. Si non rite

baptizavi, absolvi, vel consecravi, Ego te baptizo, absolvo. Ita *Bonac.* de *Sacram.* D. 1. q. 1. p. 1. n. 35. Quia in hoc casu iterare formam minus est malum, quam non iterare: per iterationem enim solum est periculum irreverentiae erga Sacramentum; per neglectam vero iterationem simul est periculum damni illius, qui vult suscipere Sacramentum, ut dictum est n. 25. *Dixi*, formam repetendam esse *sub conditione:* quia incertum est, an ea non sit vere ac rite prolata, adeoque absolute iterata exponeretur periculo falsitatis.

31. *Tertia*: Qui ob leve dubium et inanem scrupulum, adeoque sine rationabili fundamento etiam conditionate repetit formam, per se loquendo, peccat graviter; quia hoc est temere iterare Sacramentum, ideoque ex genere suo grave peccatum. *Confirm.* Ex eo, quia si justa causa repetendi formam non adsit, Minister non potest serio dicere: Si non baptizavi, absolvi, consecravi, baptizo, absolvo, consecro, sed re ipsa potius praesumitur dicere: sive baptizaverim, absolverim, consecraverim, nec ne, Ego te baptizo, etc. Hinc *Gabat* l. c. n. 378. iterationem Sacramenti ex inani dubio et levi scrupulo vocat irrisionem Sacramenti. Nihilominus *Sporer* in Theol. sacram. P. 1. C. 2. num. 99. cum *Tamb.* eos a gravi, non tamen veniali, peccato excusat, qui eo fine *subinde* (non autem *ordinarie*, vel ex consuetudine) sub conditione repetunt formam, ut molesto se expediant scrupulo et conscientiae consulant; quia tales moti bono fine non offendendi Deum, non videntur gravem irreverentiam Sacramento inferre; adeoque ob heteroclitum judicium excusandi sunt a gravi peccato. Ex his pro praxi deduces, quod is qui alias bene solet pronuntiare formam, et non facile errare, non debeat repetere formam, etsi non meminerit ob involuntarias distractiones, an et quomodo eam protulerit. Secus, si quis frequentius soleat errare.

Casus V.

Eduardus, ut instillet devotionem erga B. Virginem ex simplicitate potius, quam malitioso errore baptizans dicit: Te Baptizo in Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, et B. V. Mariae. Nuper, cum mulier peregrina prolem suam baptizasset dicendo : Ich dir tauff in der nom dem Fatter unde die Sohn, und das eilig Geist, *mox ipse infantem rebaptizavit.*

32. *Q.* I. An additio verborum: *et B. Virginis*, reddiderit formam baptismi invalidam. Respondet *S. Th.* P. 3. q. 60. a 8. in Θ. *Si sic intelligatur in Nomine B. V. baptizari, sicut in nomine Trinitatis, quo Baptismus consecratur, non esset Baptismus; talis enim sensus esset contrarius verae fidei, et per consequens tolleret veritatem Sacramenti; si vero sic intelligatur, quod additur, et in nomine B. V. non quasi nomen B. V. aliquid operetur in baptismo, sed ut ejus intercessio prosit baptizato ad conservandam gratiam baptismalem non tollitur perfectio Sacramenti.* Itaque juxta *eumdem* tunc per additionem fit mutatio substantialis, quando verba addita corrumpunt debitum, et catholicum sensum, v. g. si quis dicat: Ego te baptizo in Nomine Patris majoris, et Filii minoris, sicut Ariani baptizabant. Si vero talis additio non auferat debitum sensum, fit tantum mutatio accidentalis: v. g. si quis dicat: Ego te baptizo in Nomine Patris omnipotentis, et Filii ejus unigeniti, et Spiritus S. Paracliti. Non tamen licet citra peccatum grave formas ita mutare hoc ipso, quod sit contra usum et praxim Ecclesiae. Formas dubias vide apud *La Croix* hic n. 34.

33. *Q.* II. An subtractio *τὸ Ego* formam reddiderit invalidam. R. Non fecit invalidam; quia juxta *S. Th.* l. c. tunc per subtractionem fit mutatio substantialis, si diminuatur aliquid eorum quae sunt de substantia formae, sive quando vox omissa est essentialis ad exprimendum sensum a Christo intentum v. g. si quis omitteret *τὸ baptizo*, vel aliud synonymum, aut unam e

tribus Personis divinis; accidentalis vero mutatio fit quando subtrahitur aliquid, quod non est de substantia formae, quia tunc non tollitur sensus verborum a Christo intentus: atqui *τὸ Ego* non est de substantia formae baptismi: quia per omissionem illius non tollitur sensus a Christo intentus; ergo. *Gobat*, T. 2. n. 69. admittit hanc responsionem esse veram in lingua latina, non vere in Germanica, aut Gallica; in his enim si omittatur pronomen *Ego*, alius erit sensus.

34. *Q.* IV. An semper peccet graviter, qui omittit vocem aliquam, quae non pertinet ad substantiam formae. R. Si id fiat cum scandalo vel contemptu, peccat graviter: si sine scandalo et contemptu, peccat leviter, ob materiae levitatem, ut ait *Laym.* l. c. n. 4.; ille autem cum contemptu sufficiente ad peccatum mortale videtur agere, qui omittit aliquam vocem deliberate et studio.

35. *Q.* V. An altera forma propter soloecismos Germanicos fuerit invalida. R. Fuit valida; quia talis corrupta locutio non infert mutationem formae essentialem; quilibet enim illa verba audiens alium sensum per illa non intelligit, nec in illis circumstantiis intelligere potest, quam illum quem ex verbis debite prolatis intelligeret. Sic *Zacharias* Papa de illa forma: *baptizo te in nomine Patria, et Filia, et Spiritu Sancta*; respondit *S. Bonifacio* (ut refertur c. retulerunt, 86. *Dist.* 4.) *sanctissime Frater, si ille qui baptizavit, non errorem introducens aut haeresim, sed pro sola ignorantia romanae locutionis infringendo linguam .... baptizans dixisset, non possumus consentire, ut denuo baptizentur;* ergo propter soloecismos non judicavit, illam formam esse invalidam.

36. *Ex his adhuc resolves* I. Quando Minister ob praecipitationem aut balbutiem omittit, vel mutat verborum litteras praesertim extremas, v. g. si quis praecipitanter diceret: Ego te baptizo in Nomine *Patri:* vel hoc est enim Corpus *meus*, vel ego te absolvo a *peccati tui*, non mutat quidem formam substantialiter, tenetur tamen hanc negligentem pronunciationem posthac corrigere. Dixi *litteras praesertim extremas*: quia mutatio primarum litterarum facilius vitiat formam, eo quod audientibus plane alienum sensum adferat: v. g. si quis dicat: ego te baptizo in Nomine *Matris* et Filii ... Ratio S. *Th.* l. c. a. 7. ad 3. est, quia mutatae litterae primae mutant significationem, mutatae vero extremae mutant tantum consignificationem: aliquando tamen etiam ultima littera mutata secum trahit mutationem substantialem v. g. si Confessarius diceret; *absolve* te.

37. II. Minus culpabiles sunt, qui non possunt pronuntiare certas litteras v. g. R dum dicunt, hoc est enim *copus* vel *colpus*. Item qui juxta consuetudinem patriae aspirationem omittunt dicentes: *Oc* est corpus; item qui juxta consuetudinem loci vel addunt litteras impertinentes, sicut teste *Conink.* quidam populi loco *Spiritus* dicunt *Espiritus*, et Chinenses, teste *Illsung.*, loco *baptizo* dicunt *bapetizo*, vel qui mutant litteras, O pronunciando ut A v. g. Ego te *absalvo* etc.

38. III. Substitutio scriptionis, nutuum, aut aliorum signorum pro verbis facit mutationem substantialem in omnibus Sacramentis, excepto Matrimonio, ut infra dicemus.

39. IV. Juxta dicta n. 11. non valet Sacramentum, si materia applicetur ab uno, et forma pronuncietur ab altero; quia hoc modo sensus formae est falsus: alter enim non faceret id quod dicit se facere, alter vero non pronunciaret formam. *Excipe* 1. Sacramentum Eucharistiae, ubi unus potest consecrare hostiam, alter vinum, si primus fieret impotens. 2. Excipe Sacramentum Ordinis; potest enim unus Episcopus conferre potestatem consecrandi, alius absolvendi, quia in utroque hoc sacramento sensus, et veritas harum formarum partialium non dependent essentialiter ab invicem. Idem dicemus de Sacramento Extremae Unctionis. Vide *La Croix* L. 6s p. 1. n. 33. cum *Dicast.* et *Bern.* et supra n. 11.

40. V. Si minister debitam materiam adhibeat, et formam rite proferat cum intentione faciendi, quod Christus instituit, vel quod Ecclesia Christi facere intendit, *per se loquendo* vere conficit Sacramentum, quamvis ille privato errore contra veritatem Sacramenti laboret. Sic valide consecrat Sacerdos, qui super panem triticeum, et vinum de vite legitima verba utriusque consecrationis pronunciat; etsi erronee putet in consecratione hostiae *το meum* significare suum, h. e. Sacerdotis corpus, vel in consecratione calicis *τὸ Hic* significare adverbialiter, sive hoc loco. Pariter valide consecrant Graeci, etiamsi putent verba illa, *quod pro vobis tradetur*, quae solent addere in consecratione hostiae, esse de essentia formae, et solum panem fermentatum esse materiam primae consecrationis, velintque forte hunc ritum in Ecclesiam Latinam etiam inducere. *Ratio horum est*: quia licet Minister errorem privatum speculativum habeat, aut privatam intentionem novi ritus, hic tamen error et intentio, cum saltem implicite conditionata sit, et nitatur supposito falso, ideo superatur ab altera generali intentione absoluta, faciendi nempe quod Christus instituit. Ita *Laym.* L. 5. t. 1. C. 4. n. 5.

41. *Nec dicas*: Zacharias Papa cit. n. 35. respondit, baptismum sub forma *in nomine Patria* etc. fuisse validum, *si baptizans noluerit inducere errorem:* Item *S. Thom.* P. 3. q. 50. a. 8. in Θ. ait: *Et ideo si intendat per hujusmodi additionem, vel diminutionem alium ritum iuducere, qui non sit ab Ecclesia receptus, non videtur perfici Sacramentum: ergo.* R. Uterque tantum innuit, incertum esse, an talis Minister habeat intentionem faciendi quod facit Ecclesia, vel quod Christus instituit, et consequenter, si haec intentio desit, Sacramentum esse nullum, quod utique verum est. Responsio patet ex contextu *S. Th.*; ibid. enim addit: *non videtur perfici Sacramentum, quia non videtur, quod intendat facere id quod facit Ecclesia.* Dixi supra, *per se loquendo.* Nam in eo casu Sacramentum esset nullum, si Minister errorem suum, aut pravam intentionem tam absolute haberet, ut positive nollet facere quod Christus instituit, aut quod facit Ecclesia. 2. Si expressa intentione efficaciter contraria excluderet veritatem Sacramenti, v. g. si absolute nollet aliter consecrare, quam per *Hic* adverbialiter sumptum, hoc casu Sacramentum esset nullum non ex defectu materiae vel formae, sed ex defectu intentionis. 3. Si formae aliquid adderet, quo illius substantia mutaretur: Vide n. 32. et *Suarez* hic D. 2. q. 60. a. 8. Sect. 5.

CAPUT II. *De Ministro Sacramentorum*

§. I. *Praenotanda.*

42. Praenot. I. Dum hic quaerimus de causa efficiente Sacramentorum, non agimus de eorum Institutore; de fide enim est, omnia Sacramenta N. L. a Christo D. fuisse instituta, ut constat ex Trid. Sess. 7. can. 1. cit. num. 2. Sed agimus de Ministro Sacramentorum, sive de eo, qui operans nomine Christi Sacramentum conficit. In hoc spectari debet 1. *Persona*, et *officium* sive potestas. 2. *Intentio.* 3. *Sanctitas*, sive status gratiae.

43. II. *Intentio* in genere est voluntas aliquid operandi. Hic sumitur pro voluntate conficiendi Sacramentum, quae potest habere triplex objectum; *primum* est actio praecise externa; unde quaeritur, an sufficiat intentio ponendi praecise actum externum, sive caeremonias externas. *Secundum* est effectus Sacramenti. *Tertium* est facere quod Christus instituit, vel quod facit vera Ecclesia.

44. III. Intentio *primo* alia est *actualis*, quae in genere est praesens actus voluntatis, quo quis vult aliquid. Hic sumitur pro actu voluntatis advertenter et perceptibiliter imperante confectionem Sacramenti. Alia *virtualis*, quae est actus voluntatis praeteritus, non revocatus, et simul permanens in una

serie actionum quae pertinent ad finem intentum. Haec re ipsa est prior intentio actualis, adhuc tenuiter et imperceptibiliter durans, et influens in actionem vi intentionis actualis antea coeptam; ideo alii intentionem actualem dividunt in formalem et virtualem: quia virtualis in se est vere actualis, sive actus tenuis et imperceptibilis adhuc existens in virtute sua h. e. vel *in se*, sed tenuiter, ut ait *Lugo*; vel *in applicatione potentiarum* externarum, ut vult *Suar.* et alii apud *Lohner*, de Sacram. in gen. a. 1. q. 43., vel *in applicatione aliqua ab appetitu sensitivo causata*, ut ait *Haunold*, vel saltem in aliquo suo effectu. Vide *La Croix* L. 4. n. 1324. Intentio virtualis tamdiu censetur perseverare, quamdiu actualis formalis non revocatur, et simul ponuntur media ad intentum finem: v. g. si Sacerdos facta intentione celebrandi missam eat ad sacristiam, lavet manus, se induat paramentis etc. quin repetat sub his actionibus perceptibiliter actualem intentionem celebrandi; nihilominus prudenter dicitur vi prioris intentionis haec omnia agere, et pergere in operando ad finem per formalem intentionem imperatum. Alia *habitualis*, quae est ipsa intentio actualis praeterita, praecise prout necdum est retractata, neque tamen in se, neque in sua virtute, vel aliquo effectu a se relicto existit, et per hoc differt a virtuali; talis potest esse in ebrio aut dormiente.

45. 2. Intentio alia est *interpretativa*, quando quis actualem voluntatem conficiendi Sacramentum, vel ex alio fine operandi nec habet, nec habuit, est tamen ita comparatus animo, ut eam haberet, si de ea cogitaret. Alii cum *Laym.* et *Pontas* V. *Intentio* cas. 1. habitualem confundunt cum interpretativa: hi enim habitualem definiunt esse habitudinem seu facilitatem habendi intentionem, aut exercendi actiones ex intentionibus factas. Alii habitualem sumunt pro virtuali. Praecipue notandum, quod intentio actualis alia sit *directa* sive *exercita*, dum quis vere et actualiter habet voluntatem faciendi id quod facit, quamvis per alium actum reflexum non advertat talem voluntatem. Alia *reflexa*, dum quis reflexe cognoscit, se habere seriam voluntatem hoc vel illud agendi. *Directa* alio sensu est illa, qua aliquid formaliter et in se intenditur, sic opponitur *indirectae*, per quam intenditur aliquid in alio, ex quo illud secuturum cognoscitur: v. g. si quis intendat ebrietatem, ex qua praevidet secuturum homicidium.

46. 3. Intentio explicita est, qua aliquid in se et sub sua specifica ratione cognitum volumus, ut si quis volens baptizare dicat: Ego *te volo baptizare*. *Implicita*, qua quis aliud intendit non expresse cogitans de illo, sed de alio in quo illud continetur, seu cum quo connexum est vel naturaliter vel per legem; sic qui vult subdiaconatum, cognoscens saltem in confuso, quod aliqua onera gravia sint illi annexa, implicite intendit ferre illa onera, scil. servare castitatem, et recitare breviarium, quamvis expresse de iis non cogitet. Ita *Gobat* in Exper. t. 1. n. 66. ubi n. 73. addit: unde Turca baptizans in extrema necessitate infantem habet implicite intentionem Sacramentum Baptismi conferendi, modo dicat: *Volo nunc facere id, quod in tali casu faciunt Christiani*, licet ipse non cogitet hanc ablutionem sub his verbis, quae supponitur rite pronuntiare, esse Sacramentum.

47. 4. Intentio alia est *absoluta*, qua quis vult aliquid sine omni conditione: alia *conditionata*, qua quis aliquid vult sub conditione vel de praesenti, vel de praeterito, vel de futuro. Porro conditio alia est *intrinseca*, sine qua non conficitur Sacramentum; ut, *baptizo te, si es homo*: haec inest omni Sacramento. Alia *extrinseca*, quae potest abesse, v. g. *baptizo te, si sis masculus.*

§. II. *Principia generalia de persona, intentione et sanctitate Ministri Sacramentorum.*

48. *Principium* I. *Ordinarius Sacramentorum Minister est solus homo viator; non tamen quilibet homo est cujuslibet Sacramenti Minister. Ratio primi est*; quia Christus instituens Sacramenta, et eorum Ministros designans, solis hominibus viatoribus locutus est. 1. *Cor.* 4. de solis hominibus, scil. de se et caeteris Apostolis ait S. Paulus: *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei. Matt.* 28. 19. Solis hominibus dixit Christus: *Euntes ergo etc.* Luc. 22. 19. *Hoc facite in meam commemorationem*; et sic de aliis. *Confirm.* 1. ex *S. Th.* qui P. 3. q. 64. a. 7. in corp. ait: *Ad homines pertinet dispensare Sacramenta et in eis ministrare, non autem ad Angelos.* Si quando Angeli aut administrarint, aut confecerint Sacramenta, id potestate extraordinaria, et ex speciali voluntate divina valide fecerunt. *Bonac.* disp. 1. q. 3. p. 1. n. 9. *Secunda Pars* constat ex *Trid.* Sess. 7. can. 10. de Sacram. in gen. *Si quis dixerit, Christianos omnes in verbo, et omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem, anathema sit.* Quis autem sit minister singulorum Sacramentorum in in Tract. 2. dicemus.

49. *Princip.* II. *Ad valorem Sacramenti necessarium est, ut minister habeat intentionem vel conficiendi Sacramentum, vel saltem faciendi, quod facit Ecclesia: sufficit autem intentio virtualis; habitualis vero non sufficit, nec interpretativa. Primum* constat ex C. *Flor.* cit. n. 5. et ex *Trid.* sess. 7. can. 11. de Sacram. in gen. *Si quis dixerit, in Ministris, dum Sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia, anathema sit. Ratio S. Thom.* l. c. a. 8. in corp. est, quia materia et forma Sacramentorum de se sunt indifferentes ad esse Sacramenti: ergo ad illud per aliquid debent determinari; atqui non per aliud, quam per intentionem Ministri; ergo. *Confirm.* ex eo quod sine intentione non administrentur Sacramenta modo humano.

50. *Secundum probatur:* licet actualis formalis sit optima, est tamen moraliter impossibile tota durante actione Sacramentali semper habere formalem et expressam intentionem; cum etiam inviti saepe obruamur distractionibus: adde, quod obligatio habendi formalem et expressam intentionem exponeret Ministros infinitis scrupulis, ac propter infirmitatem humanam, et involuntarias distractiones saepissime valor sacramentorum, et salus proximi plurimum periclitaretur; ergo credibile non est, Christum cum tanta difficultate, et incertitudine Sacramenta instituisse. *Confirm.* 1. Virtualis intentio communi modo operandi hominum maxime est accommodata; praeterea non est justo difficilior, sed est in morali potestate operantis; denique suo influxu sufficienter praestat, ut operatio ministri sit deliberata et humana; ergo merito censetur sufficere ex institutione Christi. *Confirm.* 2. Nemo prudenter in maximis negotiis requirit, ut operans durante negotio perceptibiliter actu cogitet, vel dicat: *Ego jam hoc ago, vel serio jam volo hoc agere:* ergo etiam nemo prudenter requiret, ut Minister Sacramenti, dum se praeparat, et ipsum Sacramentum administrat, semper intentionem actualem perceptibiliter habeat; sed sufficit, si habita seria voluntate vel conficiendi Sacramentum, vel faciendi nunc quod facit Ecclesia, eo, quo vocatur, se conferat, paramentis se induat, necessaria conquirat, ipsum opus aggrediatur, et si forte mente distrahatur, ab opere coepto non desistat, sed pergat, et modo humano attendat ad id, quod agit: atqui sic agit qui Sacramentum administrat cum intentione virtuali: ergo. *Confirm.* 3. ex *S. Th.* p. 3. q. 64. a. 8. ad 3. ubi ita habet: *Licet ille qui aliud cogitat non habeat intentionem actualem, habet tamen intentionem habitualem* (NB. Juxta *Ca-*

jetanum s. Doctor hic habitualem sumit pro virtuali juxta usum loquendi illius temporis, uti patet ex contextu) *quae sufficit ad perfectionem Sacramenti: puta cum Sacerdos accedens ad baptizandum, intendit facere circa baptizandum, quod facit Ecclesia* (ecce intentionem actualem) *unde si postea in ipso exercitio actus cogitatio ejus ad alia rapiatur, ex virtute primae intentionis perficitur Sacramentum* (ecce virtualem) *quamvis studiose curare debeat Sacramenti Minister, ut etiam actualem intentionem habeat; sed hoc non est totaliter positum in hominis potestate, quia praeter intentionem cum homo vult multum intendere incipit alia cogitare, secundum illud Psal.* 39. *cor meum dereliquit me.*

51. *Prob. Tertium.* Actio Sacramentalis debet esse actio humana, cum sit actio Ministri agentis nomine Christi, et prudenter dispensantis ejus mysteria; atqui actio quae exercetur cum intentione mere habituali non est humana ac deliberata, supponitur enim nullum actum voluntatis in eam influere: ergo cum intentione mere habituali non potest esse actio Sacramentalis. *Confirm.* 1. Intentio pure habitualis etiam potest esse in amente, ebrio aut dormiente, quin tunc actio humana ponatur vi talis intentionis: ergo intentio habitualis non sufficit ad validam Sacramentorum administrationem. *Confirm.* 2. Intentio habitualis nec manet in se, nec in sua virtute: ergo nec potest influere et causare actiones externas modo humano et rationali ponendas nomine et auctoritate Christi. Aliqui *excipiunt* Sacramentum Matrimonii, de quo infra. *Sotus, Lugo, Tann. Gobat.* T. 1. Exper. Sect. 3. a n. 74.

52. *Prob. Quartum.* Intentio interpretativa non est intentio, sed esset, si de ea cogitaretur: atqui intentio, quae non est, non potest esse causa actionis moralis ac humanae, quale est Sacramentum: ergo. *Antoine* tr. de *Sacram.* c. 2. q. 2. R. 3.

53. *Neque dicas* 1. Intentio habitualis sufficit ad applicationem sacrificii cras celebrandi, item sufficit ad valide recipienda Sacramenta: imo ad recipiendam extremam unctionem sufficit interpretativa: ergo etiam ad conficienda Sacramenta sufficit. R. ad 1. N. conseq. disp. est: quia applicatio sacrificii se habet ut donatio conditionata, v. g. cedo tibi fructum sacrificii, si cras celebravero; donatio autem talis impleta conditione transit in absolutam, et donatarium facit dominum rei, etsi actus donationis physice non amplius existat dum impletur conditio. Intentio autem pertinet ad confectionem Sacramenti; ergo ut possit causaliter influere, debet saltem in sua virtute existere dum fit Sacramentum. Ita *Viva* p. 2. de Sacrament. disp. 3. q. 2. a. 3. contra *Vasq.* qui negat antecedens. R. etiam ad 2. et 3. Suscipiens se habet passive, nec operatur nomine Christi; ergo minor advertentia in eo requiritur; Minister vero se habet active, et quidem ut operans nomine Christi, adeoque in eo requiritur major advertentia et libertas.

54. *Princip.* III. *Ad Sacramentum valide conficiendum non requiritur in Ministro fides, nec sanctitas sive status gratiae; hic tamen requiritur ad Sacramentum licite conficiendum; unde per se loquendo peccat mortaliter, qui conficit Sacramentum in statu peccati mortalis tanquam Minister ad id consecratus, vel specialiter ab Ecclesia deputatus. Primum* patet ex *Trid.* Sess. 7. Can. 4. de Bapt. *Si quis dixerit, Baptismum, qui etiam datur ab haereticis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, non esse verum baptismum, anathema sit.* Ibid. Can. 12. de Sacrament. *Si quis dixerit Ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quae ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere aut conferre Sacramentum, anathema sit. Ratio* autem: quia Sacramenta virtutem suam habent ex meritis Christi, suntque moraliter actio-

nes Christi: ergo valorem suum non habent a sanctitate Ministri secundarii, qui tantum operatur in virtute Christi, ut ait *S. Thom.* l. c. a. 9. *Conf.* 1. ex 1. *Cor.* 3. ubi reprehenduntur aemulantes de praecellentia Ministrorum: *Quid igitur est Apollo? quid vero Paulus? Ministri ejus, cui credidistis. Confirmat.* 2. ex S. Greg. Naz. qui Orat. 40. in S. Bapt. ait: *Sicut non refert, an sigillum sit aureum vel ferreum, quo fit potestas aut Regis gratia: an Medici manus sit sana, vel infirma, quae medicinam applicat, ita non refert, an Minister nobis per Sacramenta applicans merita Christi sit fidelis vel Sanctus.* Hinc PP. si alicubi dicant, haereticos esse rebaptizandos, loquuntur de iis, qui non sunt baptizati adhibita debita materia vel forma.

Prob. etiam secundum ex *S. Thom.* p. 3. q. 64. a. 6. in corp. ubi ait, *conveniens esse, ut Sacramentorum Ministri sint justi, quia Ministri debent Domino conformari secundum illud Levit.* 19. *Sancti eritis, quoniam Ego sanctus sum . . . et ideo non est dubium, quin mali exhibentes se Ministros Dei et Ecclesiae, in dispensatione Sacramentorum peccent. Et quia hoc pertinet ad irreverentiam Dei* (quatenus scil. mancipium diaboli, et hostis Christi vult sustinere personam Christi in sanctissima actione Christi) *et contaminationem Sacramentorum, quantum est ex parte ipsius peccatoris, licet Sacramenta secundum se incontaminabilia sint; consequens est, quod tale peccatum ex genere suo sit mortale*, et quidem Sacrilegii, eo quod sancta indigne tractet in re gravi. *Confirm.* 1. *S. Paulus ad Tit.* 1. ait: *Oportet enim Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem*; ergo et alios dispensatores mysteriorum Dei oportet esse sine crimine. *Confirm.* 2. ex Rituali Romano: *Impure, et indigne Sacramenta ministrantes in aeternae mortis reatum incurrunt. Sacerdos ergo si fuerit peccati mortalis sibi conscius* (*quod absit*) *ad Sacramentorum administrationem non audeat accedere, nisi prius corde poeniteat: sed si habeat copiam Confessarii, et temporis locique ratio ferat, convenit confiteri.* Vide etiam *Trid.* sess. 14. c. 6.

55. *Adverte:* Quae dicta sunt de sanctitate Ministri, intellige de *Ministro solemnitatis*, h. e. de eo, qui ratione certi officii, et specialis consecrationis ad Sacramenta administranda deputatur, qualis est Episcopus ordinans, Sacerdos consecrans etc. *Minister* autem *necessitatis* est, qui in casu necessitatis Sacramentum administrat, licet ad tale ministerium neque ex officio, neque ex speciali consecratione sit deputatus, qualis est quilibet Laicus in necessitate baptizans. De hoc ait *Laym.* lib. 5. t. 1. c. 5. n. 9. Si Laicus, vel alius Clericus, praeter Sacerdotem, in casu necessitatis baptizet cum conscientia peccati mortalis, non videtur plus, quam venialiter peccare. *Ratio* est, quia Ministri necessitatis non vi officii, et ordinationis ac status, sed per accidens et quasi permissive tantum propter necessitatem Sacramentuoi ministrant: ergo non videtur ex hoc titulo illis imposita gravis obligatm ministrandi Sacramentum in statu gratiae. Contrarium docent *Gabr.*, *Vasq.*, *Lugo*, et alii graves AA. eo quod talis actio moraliter non minus sit actio Christi, et quod sancta sancte a quolibet, a nullo autem indigne et irreverenter tractanda sint; unde stante utriusque sententiae probabilitate, pro praxi Laici bene instruendi sunt, ut in casu necessitatis baptizantes prius eliciant contritionem perfectam.

56. *Sed Quid*, Si Sacerdos ob repentinam necessitatem ita urgentem, ut non supersit spatium eliciendae contritionis, statim debeat baptizare, aut absolvere? R. In tali casu per accidens excusabitur a peccato mortali. Ita expresse *S. Thom.* l. c. ad 3. ubi simul confirmat responsionem n. praeced. datam: *In articulo tamen necessitatis non peccaret baptizando in casu, in quo etiam posset baptizare Laicus: sic enim patet, quod non exhiberet se Ministrum Ecclesiae, sed subveniret necessitatem patienti.* Eodem

modo excusari potest a gravi peccato, qui vel ignorat, vel non cogitat, se esse in statu peccati, dum Sacramentum administrat.

§. III. *Resolvuntur Casus de Intentione Ministri.*

Casus I.

Juxta Martyrologium Romanum 25. *Aug. Genesius, cum in theatro coram Diocletiano mysteriis Christianorum illuderet, et mimice baptizaretur ab alio mimo, inde sanctificatus est, et postea martyr obiit.*

57. *Q.* I. An valeat Sacramentum collatum a Ministro, qui omnem ritum externum, formamque observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: *non intendo facere, quod facit Ecclesia.* R. Non valet. Vide Propos. 28. ab. *Alex. VIII.* damnatam: item Can. 11. Sess. 7. n. 49. cit. Denique idem *Trid.* Sess. 14. c. 6. declarat poenitentem non esse vere, et coram Deo absolutum, *si sacerdoti animus serio agendi, et vere absolvendi* desit, et postea subjungit: *Nec is esset, nisi salutis suae negligentissimus, qui sacerdotem joco se absolventem cognosceret, et non alium serio agentem sedulo requireret.* Eadem est ratio de caeteris Sacramentis. Ex quibus infertur, quod non sufficiat sola intentio ponendi caeremonias externas; alias posset confici Sacramentum etiam cum intentione opposita non faciendi, quod facit Ecclesia, quod in *cit. propos.* est damnatum. Praeterea intentio faciendi rem indifferentem ad esse Sacramentale non est sufficiens ad valorem Sacramenti; atqui sola intentio peragendi eos ritus et externas caeremonias mere materialiter est intentio faciendi rem indifferentem ad esse Sacramentale: ergo non sufficit. *Confirm.* ex Decreto *Leonis X.* ubi hic 12. Art. Lutheri damnatur: *Si confessus non esset contritus, aut Sacerdos non serio, sed joco absolveret, si tamen credat se absolutum, verissime est absolutus.*

58. *Q.* II. Unde ergo baptismus mimice collatus vim suam obtinuerit? R. Martyrologium Romanum nullibi baptismo mimice collato vim tribuit, sed asserit tantum, Genesium, cum illuderet mysteriis Ecclesiae, ex instinctu divino subito immutatum, et rite postea baptizatum, ac martyrio coronatum fuisse. Juxta alios si baptismus sine intentione collatus fuerit, Genesius non vi illius baptismi, sed vi amoris divini, quo ille subito divina gratia exarsit, ac vi contritionis, quam elicuit, sanctificatus fuit. Iterum juxta alios, mimus jocose baptizans vere tamen intentionem habuit faciendi, quod faciunt Christiani.

59. Ad historiam de s. Athanasio, qui puer alios pueros ex joco baptizasse fertur, respondet *Viva* in Cursu Theol. p. 7. diss. 3. q. 2. art. 2. ideo approbatum fuisse ab Alexandro Patriarcha Alexandrino baptismum illum, quia Athanasius praesumebatur habuisse intentionem sufficientem, eo quod interrogatus a Patriarcha dixerit, se voluisse facere quod viderat Episcopum Alexandrinum fecisse. Alii hanc historiam tanquam valde dubiam merito existimant, quamvis referatur ex *Gratiano* ad C. Spiritus Sanctus 58. caus. 1. q. 1.

Casus II.

Edmundus Sacerdos vocatur a Sacristano ad excipiendas Confessiones; is ab initio paululum invitus, eo quod a componenda concione avocaretur, pacate tamen respondet: statim veniam: mox sepositis libris et calamo pergit ad Confessionale, quin aliam intentionem praemittat; post absolutionem anxius haeret, an ex defectu intentionis valida fuerit haec absolutio, tandem se solatur ex sententia S. Th. in 4. *dist.* 6. *a.* 2. *quod non requiratur intentio mentalis: item ex* 3. *p. q.* 64. *a.* 8. *ad* 2. *quod supleat illum defectum fides, ac devotio. Item quod in verbis, quae pro-*

fert Minister, exprimatur intentio Ecclesiae, quae sufficiat ad perfectionem Sacramenti, nisi contrarium exprimatur ex parte Ministri.

60. *Q.* I. An Edmundus censendus sit habuisse sufficientem intentionem? R. Quamvis hic modus tam obiter accedendi ad Sacramenti administrationem ordinarie tenendus non sit; in casu tamen posito prudenter censeri potest, Edmundum habuisse sufficientem intentionem, scil. actualem directam, quamvis non reflexam, quia vocatus ad Confessiones excipiendas hoc ipso, quod dixerit, *statim veniam*, implicite dixit: *Statim administrabo Sacramentum poenitentiae*, quam voluntatem sufficienter continuavit per accessum ad Confessionale; hanc virtualiter habuit actu excipiens confessionem, poenitentiam injungens et absolvens, quae omnia vi illius responsi, et in eo contentae intentionis libere et humano modo egit; ergo. Idem in simili casu respondet *Burgh.* cent. 2. cas. 62. cum *Reginaldo et Diana.* Consentit *Gobat*, T. 1. Theol. Exper. n. 84. vide etiam *La Croix* lib. 6. p. 1. n. 59.

Neque dicas: Juxta n. 44. actualis intentio est actus advertenter et perceptibiliter imperans confectionem Sacramenti: atqui talem actum non habuit Edmundus advertenter ac perceptibiliter: ergo. R. D. Maj. est actus imperans advertenter reflexe N. directe vel exercite C. Edmundus reflexe quidem non advertit, quod actu habeat voluntatem conficiendi Sacramentum; eam tamen revera actualiter ita habuit, ut si reflexe de hoc actu cogitasset, dicere aliud non potuisset, quam: *satis advertenter volui, et intendi id facere, ad quod vocabar*, h. e. *volui administrare Sacramentum poenitentiae.* Signum autem sufficiens habitae intentionis actualis et directae est, si quis praesens animo, et attente faciat, (quod facit, etiamsi antecedenter reflexe et expresse non dixerit vel cogitaverit; *Intendo hoc facere.* Vide *La Croix* l. c. cum *Bellarm.* ubi addit ex *Herinx*, quod scrupulosae reflexiones ad intentionem potius devotionem impediant.

61. *Q.* II. An resolutiones ex *S. Thoma* fuerint sufficientes et rite applicatae. R. *Primo.* Si intellexerit, quod non requiratur intentio mentalis expresse manifestata, recte sensit: sic enim s. Thomam explicant *Gonet et Viva* l. c. R. *Secundo.* Quod fides ac devotio suppleat defectum intentionis perperam intellex t, cum haec non sit sententia Angelici D. sed aliorum ab ipso relata: eatenus tamen fides ac devotio possunt dici supplere non quidem ipsum defectum omnis intentionis, sed advertentiae sive reflexae cognitionis illius, quatenus ex eo, quod sibi praesens attente ac devote administraverit Sacramentum, quivis prudenter judicare potest, quod ad hanc actionem Sacramentalem sufficientem habuerit intentionem, et quod dubium de ea ceu scrupulus merito sit contemnendum. Idem sensus est de *tertia* sententia *S. Thom.* uti patet ibid. ex contextu.

62. *Q.* III. An defectum intentionis suppleat Christus aut Ecclesia. R. Etsi graves AA. id olim senserint; post Conc. tamen Flor. et Trid. certum est, quod nullum fiat Sacramentum, si debita materia, vel forma aut intentio ministri desit. Unde hoc solatium speculativum relinquimus iis AA. qui vixerunt ante Flor. et Trid. de quibus ait *Sporer* in Theol. Sacram. p. 1. c. 3. n. 160. *Nec credo D. Thom. vel alios ita sensuros fuisse, si post illa Concilia scripsissent.*

63. *Q.* IV. An et qualis attentio requiratur.

R. Requiritur talis attentio sive applicatio mentis, vi cujus Minister ita sit praesens animo, ut externae caeremoniae rite et humano modo peraguntur: debite pronuncietur forma, et convenienter applicetur materia; hinc voluntaria distractio sub administratione Sacramenti juxta *Gobat.* l. c. n. 97. est peccatum veniale; mortale vero, si adsit periculum aliquid notabile omittendi vel mutandi circa materiam aut formam; vel si intercedat contemptus actualis, vel virtualis, qualem juxta *Tamb.* hic l. 1. c. 2. §. 1. is habere censendus est, qui nonnisi oscitanter, et distracte consuevit administrare Sacramenta.

54. *Q.* V. Quomodo peccet, qui sub actuali consecratione per notabilem partem Canonis *voluntarie* distrahitur. R. Sunt, qui cum *Tamb.* l. c. et aliis gravibus AA. censent, quod talis peccet graviter, eo quod sit gravis irreverentia in sacrificio tam distracte agere cum Deo, quo profitemur illum esse summe venerandum. Juxta plures autem talis tantum peccat venialiter, modo non adsit periculum aliquid omittendi, aut contemptus n. praeced. explicatus; quia tunc distractio nec ratione sui, nec ratione periculi, aut contemptus esset gravis irreverentia, nec ratione praesentis Christi: alias voluntaria distractio sub Communione etiam foret grave peccatum, quod est contra communem, ita *Jansen.* eas. 88. n. 18. addit *Gobat.* l. c. n. 97. majus esse periculum peccati mortalis propter distractiones in Confirmatione, et Extrema Unctione, eo quod formae horum Sacramentorum sint prolixiores; ib. negat, everti essentiam Sacramentorum per distractiones. Plura de Sacr. in specie.

Casus III.

Eleusippus confessarius parvulos, aliosque rudes saepe sub conditione absolvit: si habeas sufficientem rationem, et dolorem etc. Consuetudinariis ordinarie dicit, dabo tibi absolutionem, sed ea conditione, ut evites hanc peccandi consuetudinem.

65. *Q.* I. An ad conficiendum Sacramentum requiratur intentio absoluta. R. Requiritur absoluta, ita ut non sufficiat conditionata nisi haec ipsa tunc transeat actu in absolutam. Quia actio Sacramentalis debet esse efficax; atqui conditionata non est talis, sed sola absoluta; conditionata enim nihil ponit in esse, nisi subsistente conditione transeat in absolutam: uti transit de praeterito, vel praesenti reipsa subsistente: ergo. Ita *Sporer* cum *Comm.* l. c. n. 128. Unde peccat graviter, nec valide conficit Sacramentum sub conditione de futuro, qua suspenditur valor. *Ratio* est: quia non est in potestate Ministri posita actione Sacramentali suspendere valorem Sacramenti; imo si sub administratione non intendat conferre validum Sacramentum, postea nec erit validum, sive conditio impleatur, sive non, quia actio Sacramentalis tunc non est, quando impletur.

66. *Q.* II. An Eleusippus valide absolverit sub prima conditione. R. Ad 1. valide absolvit; quia fuit conditio de praesenti, quae non suspendit intentionem, et actionem, sed facit eam statim transire in absolutam, et efficacem, *Lacm.* L. 5. t. 1. c. 5. n. 13. similes conditiones refert *Sporer* l. c. n. 129. v. g. *baptizo*, vel *absolvo te, si adhuc vivis.* Eodem modo conditiones de praeterito per se loquendo non invalidant Sacramentum, quia etiam istae extra causam positae, et jam tum absolutae sunt, quando fit actio Sacramentalis; v. g. *Baptizo te, si baptizatus non sis: absolvo te, si concubinam e domo ejecisti, si alienum restituisti etc.*

67. *Q.* III. An, et quando licite possit ac debeat confici Sacramentum sub conditione de praeterito, vel praesenti. R. 1. Nunquam licet Sacramentum *sine rationabili causa* administrare sub conditione de praeterito, vel praesenti: qui enim sub conditione profert formam Sacramentalem, conficit Sacramentum cum dubio et incerto eventu aut effectu, adeoque Sacramentum exponit periculo nullitatis; si enim conditio intentioni adjecta non subsisteret reipsa, Sacramentum vere esset nullum: ergo sicut nunquam sine gravi causa, v. g. necessitatis, licet adhibere materiam vel formam dubiam, ita nunquam absque gravi causa necessitatis vel magnae utilitatis licet Sacramentum conficere sub conditione de praeterito, vel praesenti. R. 2. Si vero adsit rationabilis causa necessitatis, vel quando urget prudens ratio dubitandi (et non tantum inanis scrupulus) an Sacramentum vere confectum, aut collatum sit, aut hic et nunc conferri possit, potest ac debet conferri Sacramentum sub conditione de praeterito vel praesenti; ut patet ex

c. 2. de Bapt. L. 3. Decret. tit. 42., et ex praxi; nam Parochus, dum merito ac prudenter dubitat, an obstetrix infantem rite baptizaverit, recte iterum baptizat sub conditione; *si non sis baptizatus:* ideo Eleusippus in rationabili dubio, an puer, vel rudis (idem dicendum de moribundo) habeat sufficientem usum rationis, aut dolorem, recte addidit absolutioni conditionem: *Si habeas sufficientem rationem, aut dolorem*, vel *si sis debite dispositus*; in tali enim casu ipsa ratio prudens removet culpam ex parte Ministri, *Sporer.* l. c. n. 128. Pariter juxta *Babenst.* T. 8. p. 1. D. 2. n. 16. confessarius in *prudenti* dubio, an poenitentem jam absolverit, nec ne, licite addit conditionem: *Si nondum te absolvi.* Ejusmodi tamen conditiones consultius sola mente, quam verbo fiunt, ne forte poenitens, si audiat, perturbetur.

68. *Q.* IV. An Eleusippus valide absolverit sub altera conditione de futuro. R. Si consuetudinarios absolvendo sub conditione intenderit tantum eos confirmare magis in serio proposito vitandi occasionem, valide et absolute absolvit: si vero intenderit suspendere absolutionis effectum, donec purificetur conditio, invalide absolvit juxta n. 65. De aliis conditionibus, praesertim quarum eventus humano modo non est cognoscibilis, v. g. *baptizo te, si Deus te praevideat cras moriturum, vel si sis praedestinatus*, uno verbo sufficiat notasse, quod adjectio hujusmodi conditionis numquam sit licita.

69. *Porro observa.* I. Intentio Ministri etiam debet esse *determinata ad certam materiam et personam. Ratio* est. Quia intentio Ministri debet ferri in illud, quod per formas Sacramentorum significatur: atqui per eas significatur materia et forma determinata: ergo. *Confirm.* Intentio debet esse efficax: atqui efficax nequit esse, nisi tendat ad singularia, quae sunt determinata: ergo. *Ita communiter.* Hinc si Sacerdos haberet ante se duas hostias volens tantum unam consecrare non determinando quam, neutra consecraretur; intentio enim non esset determinata quoad materiam. Item si Cajum ablueres, et dirigeres formam Baptismi ad Titium, falsa esset forma, et invalidus Baptismus. Valet tamen Sacramentum, si error sit tantum speculativus circa personam, v. g. si Confessarius absolvat Petrum, putans esse Paulum, aut si quis baptizet masculum, putans esse puellam: item qui putaret, unam tantum se habere hostiam, cum habeat duas sibi cohaerentes, probabilius consecraret utramque. *Ratio* est, quia ordinarie est, et semper debet esset intentio conferendi Sacramentum personae praesenti, non vero expresse restringitur ad hanc in individuo personam, vel ad hanc unicam hostiam quam Sacerdos apposuit, sed ad materiam appositam, et sibi moraliter approximatam, ergo quilibet censetur juxta hanc ordinariam inentionem conficere Sacramentum, *nisi eam expresse excludat.* Ita *Bened. XIV.* §. 7. de Synod. c. 26. num. 1. docet, Episcopum Ordines collaturum laudabiliter quidem sub censuris praecipere, ne quis canonico impedimento irretitus, aut sine legitimo patrimonio ad ss. Ordines accedat; improba tamen omnino Episcopi protestationem, se non habere intentionem ordinandi irregulares, censuris innodatos, legitimo patrimonio, aut beneficio, vel litteris dimissorialibus sui Ordinarii carentes. *Ibid. n.* 2. subjungit, si quis aliquo ex iis impedimentis detentus ordinetur sub tali protestatione, cui alligata fuerit Episcopi intentio, talem iterum absolute esse ordinandum: si dubia sit Episcopi intentio, ordinationem sub conditione esse repetendam; denique infert: quare melius Episcopus prius de idoneitate ordinandorum inquiret, et ab illa protestatione circa intentionem abstinebit.

Praeterea error circa personam obstat valori matrimonii, hoc ipso quod hic error obstet valori contractus, ut dicetur de Matrimonio.

70. II. Non sufficit ad valorem Sacramenti intentio tantum indirecta, sed requiritur *directa.* Hinc non valet baptismus collatus ab ebrio, vel dormiente, qui voluit antea sic conferre. *Primo.* Quia actio Sacramentalis debet esse actio humana; atqui actio posita a plene ebrio, vel dormiente non est humana,

cum non fiat libere, nec ex deliberatione rationis: ergo. *Secundo.* Talis actus non sufficit ad contractum humanum; ergo multo minus ad actum Ministri, quem Christus voluit esse dispensatorem fidelem mysteriorum Dei. *Tertio.* Pronuntiatio formae in tali statu non est locutio humana, quia non manifestat id, quod tum judicat; cum non habeat usum rationis et judicii: ergo. Ita *La-Croix* L. 6. p. 1. n. 55.

71. III. *Non licet, etiam ex gravi causa, simulare administrationem Sacramentorum;* ideoque peccaret graviter Sacerdos, qui metu mortis adactus ad consecrandum, ficte tantum consecraret. Vide propos. 29. ab *Innoc: X* damn. *Ratio* est, quia talis simulatio non tantum est gravis irreverentia in Sacramentum, sed etiam reale mendacium in re gravi; talis enim exercite, et ipso facto diceret, se conficere Sacramentum, cum tamen reipsa non conficeret. Atqui juxta *Innoc. III.* c. *Super eo.* De usuris: *Neque pro vita defendenda licitum est mentiri.* Ergo. Adde, quod Sacerdos ille hostiam exponeret adorationi praesentium, et idololatriae externae a se ipso committendae. Sic *Innoc. III.* c. 7. de celebr. Miss. innuit, quod gravius peccet Sacerdos, qui simulat conficere corpus Christi, quam ille, qui conficit in mortali.

Confirm. ex resolutione Congregationis Sancti Officii coram Pontifice habitae die 6. Sept. 1625, quam refert *Bened. XIV.* Tom. II. Bull. in Litteris ad Archi-episcopum Tarsensem, quae incipiunt: *Postremo mense,* de Baptismo Judeorum, ubi §. 20. ita habetur: *Sacra congregatio universalis Inquisitionis habita coram Sanctissimo, relatis litteris Episcopi Antibarensis, in quibus supplicabat pro resolutione infrascripti dubii: An cum Sacerdotes coguntur a Turcis, ut baptizent eorum filios, non ut Christianos efficiant, sed pro corporali salute, ut liberentur a faetore, comitiali morbo, maleficiorum periculo, et Lupis, an in tali casu possint saltem ficte eos baptizare, adhibita baptismi materia sine debita forma? Respondit negative, quia Baptismus est janua Sacramentorum, ac protestatio fidei, nec ullo modo fingi potest.*

72. *Neque dicas,* simulationem formalem quidem esse illicitam, h. e. illam, quae fit cum voluntate directa decipiendi; licitam vero videri simulationem materialem, quae fit ob justam causam v. g. ob metum gravem, permittendo tantum aliorum deceptionem; fere sicut per aequivocationem directe non intenditur, sed ex justa causa tantum permittitur aliorum deceptio, ut dictum P. 1. n. 537. R. Quoties simulatio externa est Deo injuriosa, nullatenus licet, nequidem ad declinandam mortem: sic nullam ob causam licet ficte pejerare, blasphemare sine animo blasphemandi, aut exterius tantum thus adolere idolo absque animo adolendi, tacere aut dissimulare fidem, quando catholicus a potestate publica de ea interrogatur; ut constat ex propos. 18. ab *Innoc. XI.* damn. ergo etiam ejusmodi simulatio materialis tantum est illicita, quia est Sacramentis injuriosa: reverentia enim illis debita non tantum exigit, ut sancte, sed etiam ut sincere tractentur. Addit *Viva* in propos. 29. ab *Innoc. XI.* damn. n. 14. quod in thesi proscripta fuerit tantum quaestio de simulatione materiali; ergo sub hoc sensu etiam tantum fuit damnata.

73. Ex his resolves 1. Non licet proferre verba consecratoria sine intentione consecrandi, si Sacerdoti ab haeretico vel venefico intentaretur mors nisi consecraret omnem panem in foro extantem. Ita *Viva* l. c. n. 2.

74. 2. Non licet hostiam non consecratam pro consecrata praebere peccatori, quem Sacerdos ex sola confessione scit esse indignum Eucharistia; imo nec idem licet, etsi Sacerdos cum hostia non consecrata teneat simul aliam consecratam, ut circumstantes dubium objectum suae adorationis habeant, tum quia Sacerdos mentiretur, et adstantes deciperet, significaret enim se dare hostiam consecratam, quam non daret; tum quia praeberet adstantibus occasionem adorandi hostiam non consecratam, tum quia ipse externam adorationem illi exhiberet, quae omnia sunt illicita. Ita *Duarte V. Simulatio*, n. 535.

ubi contrariam sententiam vocat prorsus improbabilem et falsam, *Suarez* intolerabilem. *Viva* l. c. n. 10. cum *Henriq.* ait licitum esse in tali casu, si praebeatur hostia consecrata peccatori occulto, sed statim retrahatur, et in ciborio reponatur, si id fieri possit: si vero aliter fieri non possit, porrigenda est hostia consecrata, ne talis peccator diffametur, aut Confessionis sigillum frangatur, juxta exemplum Christi, qui potius Judae proditori S. Corpus suum porrigere voluit, quam infamare illum.

75. 3. Non licet Confessario verba absolutionis ficte proferre, h. e. cum intentione non absolvendi supra indispositum, etsi gravissima mala ei essent intentata: quia et hoc modo mentiretur non sine gravi irreverentia Sacramenti.

76. *Q.* I. *Quid ergo agendum Confessario, qui, si indigno negaret absolutionem in conspectu plurium adstantium, proderet indignitatem peccatoris et violaret sigillum.* R. Non deberet ficte formam absolutionis pronuntiare, nec liceret submissa voce dicere: *Neutiquam*, et postea clara voce addere: *Ego te absolvo*; sed deberet aliud, v. g. *Misereatur tui*, recitare, et data sola benedictione poenitentem (NB. *prius monitum de non impertienda absolutione*) dimittere. *Ratio est:* quia sic non adhibetur forma Sacramenti: ergo nec in tali simulatione irrogatur Sacramento injuria, neque hoc modo intendit decipere adstantes, sed non prodere indignitatem hominis, et non violare sigillum. Ita *Viva* contra *Card.* l. c. *Duarte* l. c. n. 537. et seq. Eodem modo non peccat, qui ingreditur confessionale ea intentione, ut consulat Confessarium, quia ingredi confessionale sine animo simulandi Sacramentum est res de se indifferens.

77. *Neque dicas:* Juxta eumdem *Viva* l. c. n. 42. ob urgentem metum gravem licet simulare contractum matrimonialem, v. g. *si Elesbaan post celebrata sponsalia peccaverit cum Eugenia sorore sponsae suae, ac propter impedimentum dirimens ex hac copula ortum nolit implere promissionem: ad vitandam autem mortem, quam ei parentes sponsae minitantur, potest contrahere matrimonium cum intentione se non obligandi, et simulandi contractum.* Ergo a pari. R. cum cit. *Viva* C. Ant. N. Cons. *Ratio est*, quia dum contractus matrimonialis simulatur, non ponitur materia aut forma Sacramenti, neque mutuus consensus: e contra dum quis simulat administrationem Sacramenti, v. g. poenitentiae, dicendo, *Ego te absolvo*, sine animo absolvendi, tunc ponit formam a Christo institutam ad conficiendum hoc Sacramentum. Adde, quod in Sacramento Matrimonii magis attendatur ad consensum internum, quia contractus non qualiscumque, sed verus et internus, quamvis per signa externa manifestetur, est materia matrimonii: in aliis vero Sacramentis magis attenditur ad signa externa; et ideo haec numquam licet simulare ob urgentem metum.

78. Contrarium resolvit *Duarte* l. c. n. 540. ubi pro praxi suadet, ut talis sponsus ad S. Poenitentiariam pro dispensatione super impedimento recurrat, vel de eo cum Episcopo conferat. *Quid autem, si res moram non patiatur?* R. Tunc manet probabilis sententia *Vivae*, quam, ut ipse ait, docent communiter cum *Palao*, vel saltem juxta hanc probabilem posset contrahere cum intentione petendi dispensationem super impedimento.

79. IV. Denique sufficit in Ministro sex primorum Sacramentorum intentio coacta, quam is nollet quidem habere, nunc tamen habet, quia ab extrinseco cogitur: v. g. *Si Parochus a Satrapa cogatur baptizare in aedibus privatis, etsi antea absolute noluerit, nisi in templo baptizare, ex gravi tandem metu cedit coactioni, et baptizat:* tunc sufficit haec intentio coacta: est enim actio humana, simpliciter libera, capax meriti et demeriti, et tantum secundum quid involuntaria. Ita *La Croix* L. 6. p. 1. n. 60.

Excipe Matrimonium, ad quod Ecclesia requirit perfectiorem libertatem, ut infra dicemus.

Casus IV. De Sanctitate Ministri

Erasmus a juventute vitiis addictus, absolutis studiis factus Diacons, ordinarie ministeria sui Ordinis obit in statu peccati mortalis: factus Sacerdos in eodem statu peccatorum sacra legit, excipit confessioneus S. Communionem distribuit, aliaque Sacramenta administrat, ritus in Ecclesia usitatos vel plane omittendo, vel contemptim tractando.

80. *Q.* I. An Erasmus Diaconus obeundo in statu peccati mortalis officia Ordinis, v. g. cantando solemniter Evangelium, peccaverit mortaliter. R. Probabiliter non peccavit graviter: quia tales actus, licet exerceantur ex officio, non tamen sunt confectivi alicujus sacramenti, nec producunt aliquam sanctitatem internam ex opere operato; nec immediate versantur circa Eucharistiam, sicut illius distributio. A peccato tamen veniali excusandus non est, hoc ipso, quod solemni ritu exerceat talem actum, ad quem est consecratus. Ita *Luyo* hic n. 152. *Bernal. Henriq.* L. 10. C. 13. n. 3. cum plurimis. Contra *Sylvest. Victoria, Cajet.* Nostram responsionem *Suar.* P. 3. D. 16. q. 65. Sect. 3. vocat securam et in rigore veram; ubi tamen addit, quod ille Subdiaconus vel Diaconus peccaret graviter, qui haberet animum frequenter exercendi ejusmodi actus solemniter in statu peccati mortalis, vel si habeat hanc consuetudinem; eo quod talis consuetudo vel propositum videatur oriri ex contemptu formali, vel virtuali. Sic explicat illud *Greg. IX* c. ult. de temp. Ordinat. ubi de notoriis criminibus agitur.

81. Juxta eumdem *Suar.* l. c. pariter excusantur a peccato gravi, 1. Qui in minoribus Ordinibus constituti exercent actus illorum ordinum in statu peccati mortalis. Tum quia valde remoti sunt a proprio actu sanctificandi, vel ministrandi Sacramenta, tum quia non satis constat, Ordines minores esse Sacramenta. 2. Nec peccat graviter Clericus, qui in peccato mortali tangit res sacras, v. g. calicem, corporale etc., secluso contemptu, aut scandalo; tum quia haec censetur materia levis, tum quia de nullo constat praecepto, unde tanta malitia colligatur. 3. Nec peccat graviter Episcopus in mortali conficiendo Sacramentalia: qualia sunt consecratio templi, benedictio Abbatis, vestium sacerdotalium, aquae lustralis, cinerum etc., confectio Chrismatis et Olei infirmorum, collatio primae Tonsurae; quia hae non sunt moraliter actiones Christi, nec conferunt immediate sanctitatem animae. Idem sentiendum de praedicatione verbi Dei. *Suarez* ibid. Nec peccat graviter Sacerdos solemniter benedicens nuptias. Vide *La Croix* l. c. n. 96. contra *Lugonem, Gonet*, et alios.

82. *Q.* II. An et quomodo peccaverit Erasmus conficiendo et distribuendo in peccato gravi S. Eucharistiae Sacramentum. R. ad 1. Sacrum legendo in statu peccati mortalis peccavit graviter 1. conficiendo: 2. Suscipiendo indigne, 3. peccavit ministrando, et quidem sibi indigno. Sufficit tamen in confessione dicere: Celebravi Missam in peccato mortali, et distribui s. Comm. *La Croix* l. c. n. 93. Meminerint Sacerdotes accessuri ad Sacrificium tremendum, quae in V. T. a Deo fuerint statuta. *Levit.* 21. *Incensum et panes offerunt Deo, et ideo sancti erunt Deo.* Ib. c. 22. *Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiat eos.*

R. ad 2. Juxta veriorem sententiam dispensando fidelibus Eucharistiam peccavit graviter. *Ratio* est; quia haec dispensatio est sacrum et gravissimum ministerium: ergo etiam gravis irreverentia est in mortali illam exercere. *Confirm.* Dispensans Eucharistiam vere repraesentat personam Christi, sicut in ultima Coena eam Apostolis dispensavit; ergo talis gravem irreverentiam committit in Christum, sanctissimum ejus corpus dispensando in eo statu, in quo scit se esse hostem Christi, et mancipium diaboli. Hinc *Isaias* c. 25. monet: *Mundamini, qui fertis vasa Domini.* Ita *Sylv. Suar.* l. c. *Valent. Bona-*

cina D. 1. q. 3. p. 2. n. 13. *Laym.* L. 5. t. 1. C. 5. n. 7. et alii. Contrarium tenet *Vasq. Lugo, Sporer* hic n. 172. et multi cum *Diana*; cum quibus

Si dicas. 1. Dispensans Eucharistiam non conficit Sacramentum; ergo non est minister Sacramenti, ergo nec in eo requiritur sanctitas ministri: R. D. Cons. ergo non est minister sicut in aliis Sacramentis, in quibus ipsa confectio est ministratio C.; non est vere dispensans aut minister modo huic Sacramento specialiter conveniente N. Cons. Sacramentum Eucharistiae, modo aliis Sacramentis non communi, est permanens; ergo etiam longe aliter administratur; nempe *conficiendo*, et *dispensando*: ergo congruum est, ut non solum conficiens, sed etiam dispensans sit fidelis minister, et congrua puritate ministret.

Si dicas 2. Sacerdos in mortali constitutus, et ab uno altari ad aliud portans S. Hostiam, vel cum illa dans benedictionem non peccat graviter: ergo nec eam porrigens Fidelibus. R. N. Cons. Solum transferens Eucharistiam de uno loco in alium non dispensat Corpus Christi, neque ponit actionem proxime ordinatam ad gratiam suscipienti conferendam ex opere operato, sicut distribuens Eucharistiam: ergo. *Confirm.* Sacerdos distribuens Eucharistiam vere dicitur Minister Christi, et Dispensator Mysterii Dei, et quidem Altissimi: ergo recte ab eo exigitur, ut *fidelis* sit dispensator et justus.

83. *Si dicas* 3. Ergo Sacerdos in mortali constitutus tot peccata committit, quot hominibus dispensat Eucharistiam actu continuo successivo. *Bonacina* cum *Coninck* l. c. num. 15. hoc concedit, eoquod singulae distributiones sint actiones completae et numero diversae. Sed R. probabilius talis Sacerdos unicum mortale committit: quia ex parte communicantium tota haec distributio se habet per modum unius convivii, ex parte autem Sacerdotis administratio se habet per modum unius ministerii compositi ex pluribus quasi partialibus actibus. Unde juxta *Stoz* L. 1. p. 3. num. 341. ejusmodi Sacerdos sufficienter se accusat in Confessione, quod in mortali pluribus sine interruptione praebuerit Eucharistiam.

84. *Q. III.* An et quomodo peccet Sacerdos in mortali absolvendo poenitentes. R. Toties peccat graviter, quoties absolvit; quia singulae absolutiones sunt diversa novi Sacramenti confectio, neque integrant unam totalem absolutionem: ergo nec possunt sumi per modum unius judicii compositi ex pluribus actibus, sicut multorum comestio aut sumptio Eucharistiae ad eamdem mensam dicitur unum convivium, aut unica coena Domini. Ita *Bonac. Escob. Dicast. Platel.* de Sacram. num. 74. Alii cum *Lug. Diana, Gobat, Stoz*, l. c. num. 346 dicunt, probabile esse, quod tantum semel peccet graviter; eo quod videatur esse unum ministerium, adeoque sufficere, si dicat in confessione; *semel absolvi plures in mortali.*

85. *Q. IV.* An peccet Sacerdos in mortali constitutus, nisi antequam excipiat confessiones, ipse confiteatur, sed tantum eliciat contritionem. R. cum *Suar.* l. c. Sect. 3. quamvis major sit praeparatio et omnibus in praxi suadenda, quae fit per confessionem; sufficit tamen prius elicere contritionem, quam detur absolutio a peccatis; siquidem obligatio confitendi singularis ante sumptionem Eucharistiae habeatur ex proprio et speciali praecepto; ut constat ex *Trid.* sess. 13. Can. 11. *Et ne tantum Sacramentum indigne, atque ideo in mortem, et condemnationem sumatur, statuit atque declarat ipsa S. Synodus illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia confessarii, necessario praemittendam esse confessionem Sacramentalem.* Adeoque Sacerdos celebraturus Missam propter sumptionem Eucharistiae tenetur prius sub gravi obligatione confiteri, si habeat copiam Confessarii, non item administraturus alia Sacramenta.

86. *Q. V.* An teneatur Minister ritus in Ecclesia usitatos Sacramenta administrando servare. R. *Affirm.* et quidem sub gravi obligatione; quia illi ritus sunt actiones pertinentes ad virtutem Religionis, spectant enim ad decentem

Sacramentorum administrationem, ad excitandam devotionem, et institutae sunt ad sacram significationem; praecipue autem, quia Ecclesiae praeceptum circa hos ritus est de re gravi; praeterea neglectus earum caeremoniarum induceret maximam difformitatem in administrandis rebus sacris. *Confirm.* ex *Triden.* Sess. 7. Can. 13. *Si quis dixerit, receptos et approbatos Ecclesiae Catholicae ritus, in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a Ministris pro libitu omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, anathema sit.* Excusatur a peccato, qui urgente necessitate caeremoniam tantum accidentalem omittit: peccat vero graviter, qui aliquem ritum, licet tantum accidentalem ex contemptu omittit, judicando esse tantum inanem vel ineptam caeremoniam; quia hic contemptus redundat in ipsam Ecclesiam. Ita *Suar.* l. c. Sect. 5. ubi addit, quod excluso contemptu hic admittenda sit parvitas materiae in omissione ex judicio prudentum aestimandae.

87. *Ad alios casus hic resolvendos* Observa I. Contrahens matrimonium in mortali satisfacit in Confessione dicendo quod in eo statu peccati contraxerit matrimonium, quamvis probabiliter ut suscipiens, et ut ministrans Sacramentum dupliciter peccet. *La Croix* L. 6. p. 1. n. 93.

88. II. *Non licet petere vel recipere Sacramentum a Ministro indigno, praesertim non tolerato* (h. e. tali, qui nominatim per sententiam declaratus est excommunicatus vel suspensus, vel qui est notorius Clerici percussor) excepto baptismo in casu necessitatis, et poenitentia in articulo mortis. *Ratio est:* quia non licet ab illo petere id, quod ipse sine peccato praestare nequit, alias cooperareris alterius peccato: atqui ejusmodi indignus Sacramentum administrare non potest absque peccato extra casum necessitatis; ergo. Ex eadem ratione non licet petere, nec recipere Sacramentum ab indigno licet tolerato, *quem moraliter constet peccaturum ministrando,* si alius adsit probus, ac dignus Minister; quia quilibet ex lege charitatis tenetur impedire peccatum proximi, quando hoc facile et sine gravi suo incommodo potest impedire: ergo. Si vero adsit justa ac gravis causa v. g. si urgeat praeceptum confitendi, aut sumendi Eucharistiam, nec possit absolute, vel non sine gravi incommodo adiri alius Minister dignus, licet petere, et recipere Sacramentum ab indigno tolerato, h. e. tali, qui licet in peccato gravi constitutus sit, nominatim tamen denuntiatus non est tanquam excommunicatus etc., quia tunc ipsa urgens necessitas, aut gravis causa excusat, quo minus tenearis impedire alterius peccatum, et permittit petere id, quod alius ex sola malitia sua non daturus est sine peccato. Multo magis id licet, si certo non constet de Ministri malitia ut habetur in c. *Vestra* 7. de Cohab. Cler. *sine dubitatione itaque teneatis, quod a Clericis et Presbyteris, quanquam fornicariis, quamdiu tolerantur, nec habent operis evidentiam, licite divina mysteria audiantur, et alia recipiantur Sacramenta Ecclesiastica.*

89. III. Qui scienter confert Sacramentum indigno, seu non rite disposito, *per se* loquendo, peccat mortaliter; tum quia talis cooperatur indignae susceptioni, et consequenter alieno peccato; tum quia in re gravi agit contra obligationem officii sui, vi cujus tenetur fideliter dispensare Sacramenta, juxta illud 1. Cor. 4. v. 2. *hic jam quaeritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.* Denique agit contra expressam voluntatem Christi id vetantis *Matth.* 7. v. 6, *nolite dare Sanctum canibus*, h. e. indignis. Quando per accidens licite conferatur Sacramentum indigno, dicetur de Sacramentis in specie.

90. Unde infertur 1., quod Minister Sacramenti debeat prudenter saltem posse praesumere, suscipientem esse dignum; alias non esset prudens, et fidelis dispensator, seque exponeret periculo ministrandi indigno, et privandi Sacramentum ejus effectu primario. Is autem sufficientem cautelam, vel diligentiam censetur adhibere, qui sollicite attendit ad praxim Ecclesiae, ad

naturam cujusque Sacramenti, et qui procedit juxta commune judicium proborum, ac prudentum. Sic in Sacramento Poenitentiae accuratior requiritur notitia dispositionis, utpote quae requiritur ad valorem Sacramenti, et sine accurata, quantum fieri decet, notitia non potest debite ferri sententia Confessarii Judicis. Hinc etiam pro conferendis digne Ordinibus juxta Trid. accuratum praemitti oportet examen.

91. Infertur 2. Quod peccatori publico publice petenti aliquod Sacramentum, excepta Poenitentia, negari illud debeat, uti etiam occulto peccatori occulte petenti, cui scil. sine scandalo, et sine ejus infamia denegari potest; *excipe* casum, quo indignitas cognita est ex sola confessione Sacramentali, ut ait *Gobat.* l. c. n. 271. contra *Antoine.* Vide *S. Th.* P. 3. q. 80. a. 6. Nomine publici peccatoris intellige illum, qui de crimine vel juridice convictus est, vel si illud commiserit in loco publico coram multis; vel quando fama delicti ex sufficientibus indiciis orta jam ad multos pervenit, et tamen nulla verosimilis praesumptio est emendationis, vel poenitentiae. Non tamen sufficit suspicio levis, imo nec probabilis de indignitate, sed exigitur violenta, quia sola probabilis relinquit prudens dubium, in dubio autem quisque habendus est probus. Violenta autem suspicio nequit probabili ratione deponi: ergo gignit moralem certitudinem de indignitate. *Ita Gobat.* l. c. n. 269. *cum Suar.*

92. IV. Minister, qui ex officio curam gerit animarum non tantum ex charitate (quae obligat etiam caeteros, qui pastores animarum non sunt), sed etiam ex justitia tenetur administrare Sacramenta subditis rationabiliter petentibus. Vide *Trid.* sess. 23. C. 1. de Reform. *Ratio est:* Quia talis Minister ad hoc se obligavit, dum admisit officium pastoris; ideoque accipit stipendium, et sustentationem a subditis, ut fideliter praestet illa, quae sunt boni pastoris; inter haec autem facile praecipuum est administrare Sacramenta.

93. Hinc inferes 1. Quod ille Curatus peccet graviter, qui Sacramenta juste, et rationabiliter petentibus denegat. 2. Qui in iis administrandis frequenter se ita difficilem, et morosum praebet, ut homines ab usu Sacramentorum absterreat. 3. Maxime peccat, qui aegrotos, et moribundos ex negligentia, vel incuria destituit necessariis auxiliis spiritualibus. Vide *Gobat* t. 1. Theol. exper. n. 180. et 112.

CAPUT III. *De Subjecto, et effectibus Sacramentorum*

§. I. *Praenotanda.*

94. I. Circa *Subjectum Sacramentorum* ex consensu TT. tanquam certum supponitur 1. Solum hominem viatorem esse subjectum Sacramentorum; hic enim nomine subjecti intelligitur is, qui recipit Sacramentum, et est capax effectus Sacramenti: atqui solus homo viator est capax illius: ergo. 2. Non omnes homines esse omnium Sacramentorum capaces; sic foeminae capaces quidem sunt Baptismi, Confirmationis etc. non tamen Ordinis. 3. Ut suscipiens Sacramenti effectum percipiat, Sacramentum suscipiendum esse non tantum valide, sed etiam licite. Ad utrumque requiritur aliqua dispositio; de hac modo agemus; quaestio autem procedit tantum de adultis, infantes enim, et perpetuo amentes baptizantur, quin se prius disponant per actum propriae voluntatis, utpote cujus sunt incapaces: unde eorum intentionem censetur supplere Christus, et Ecclesia, sicut in civilibus tutor supplet pro pupillo. *Ratio* horum est voluntas Christi volentis per Sacramenta tantum sanctificare hominem viatorem, et simul volentis, non quemlibet esse cujuslibet Sacramenti subjectum, quae voluntas nobis tum a Scriptura, tum ab infallibili Ecclesia manifestatur.

» Dispositio in baptizando, si est infans (ut supra dictum) aut perpe-
» tuo amens, nulla requiritur: si vero adultus, tres circumstantiae dari pos-
» sunt: 1. Si jam prius sit *justificatus* per charitatem, aut contritionem,

» requiritur sola intentio, saltem habitualis recipiendi baptismum. 2. Si non » sit justificatus, solum tamen habeat peccatum *originale*, sufficit fides, » spes, et propositum saltem virtuale servandi obligationes hominis Chri- » stiani: *accedentem enim ad Deum oportet credere etc.* ad Hebr. 11. 3. » si habeat etiam peccatum *personale*, requiritur insuper saltem attritio » supernaturalis. Quod si *reviviscere* ponatur postea Baptismus valide sed » infructuose susceptus, distinctio est adhibenda; vel obex in baptismo » fuit solum *privativus*, id est, omissio alicujus dispositionis praeviae, et » sufficit supplere, quod est omissum: vel obex *positivus* novum mortale » post vel sub actuali forma baptismi admissum, et requiritur contritio, » vel attritio cum Sacramento poenitentiae.

95. II. Sacramentum suscipitur *valide tantum*, quando confertur subjecto capaci secundum debitam materiam, formam, intentionem tum Ministri, tum recipientis: *valide et licite tantum* suscipitur, quando quoad debitam materiam et formam, et intentionem subjecto quidem capaci, sed habenti obicem negativum sive materialem confertur. *Obex materialis* sive *negativus* est inculpabilis omissio dispositionis necessariae ex ignorantia aut impotentia inculpabili. Fictio seu *obex formalis*, aut *positivus* ponitur, quando quis voluntarie et scienter cum peccato mortali suscipit Sacramentum; adeoque cum obice tantum materiali suscipitur quidem Sacramentum absque peccato, sed et sine gratia. Denique *valide*, *licite*, et *fructuose* simul suscipitur Sacramentum, quando cum fructu et effectu Sacramenti, sive quando non tantum confertur secundum debitam materiam, formam, et intentionem conferentis, sed et cum debita dispositione suscipientis. Porro Sacramenta dicuntur suscipi ficte in duplici sensu: *primo, in sensu vulgari*, quando quis simulat se suscipere Sacramentum, cum tamen non habeat voluntatem illud suscipiendi: Sacramentum cum tali fictione est, et manet nullum, adeoque nunquam potest reviviscere. *Secundo, in sensu Theologico*, quando Sacramentum suscipitur valide quidem, sed cum obice sive impedimento gratiae: sic Sacramentum dicitur validum, sed informe. Vide dicta n. 3.

» Q. I. An Sacramenta valide et ficte suscepta remoto obice reviviscant » et gratiam causent.

» R. *Reviviscunt ad gratiam Baptismus, Ordo, et Matrimonium*; imo pro- » babilius *omnia*, excepto solo Sacramento Eucharistiae. *Sit casus:* Titius va- » lide, sed cum peccato nulla attritione retractato, suscipit Baptismum, dein- » de init cum Berta matrimonium; hac mortua ordinatur in statu peccati » mortalis; tandem concipit perfectam contritionem aut attritionem cum Sa- » cramento Poenitentiae, probabilius tempore remoti obicis baptismus remittit » peccatum originale, et personalia ante Baptismum commissa; Sacramen- » tum Matrimonii et Ordinis operantur suas gratias proprias; Eucharistia ta- » men interea sacrilege suscepta nihil operatur. *Rat. ex S. Thoma, S. August. » Castrop. et multis aliis.* 1. Alias peccatum *originale*, quod juxta Trid. Sess. » 7. c. 4. proprie, adeoque tanquam a causa deletur a Baptismo, non posset » remitti: *non per baptismum in re*, uti qui ponitur infructuosus; *nec per » Baptismum in voto*, quia contritio sequens non potest esse votum baptismi, » utpote jam valide suscepti, et non iterandi. 2. Esset nimis difficile, si *Conju- » ges et Sacerdotes* perpetuo carere deberent gratia data ad obligationes » diuturni saepe Matrimonii et Sacerdotii; maxime cum Character hujus » connaturalem habeat connexionem cum gratia Ordinis et Ordo iterari » non possit. Neque vero par est ratio *cum Eucharistia*, in qua sequa- » retur ex reviviscentia absurdum hoc, quod Sacerdos per 50. annos sa- » crilege celebrans, in articulo mortis contritus, consequeretur omnem » illam gratiam, quam acquisivisset, si quotidie digne celebrasset, quod est » contra persuasionem omnium. *V. La Croix.* E contra Eucharistia, si remo-

» veatur obex, antequam consumptae sint species, causat gratiam, ut tenent » plurimi cum D. Thoma, cum subjectum jam sit dispositum, et cum per- » manente Sacramento adsit auctor omnis gratiae, non videtur negandum, » quod gratiam causet: hinc qui sacrilege communicavit, si statim conteratur, » antequam species sint consumptae, accipit effectum Sacramenti.

» *Dices*. 1. Baptismus praecedens in re potest dici *conditio*, et contritio, vel » Sacramentum Poenitentiae subsequens *causa* deletiva peccati ante Baptis- » mum contracti. 2. Non potest dici, qualis *dispositio* requiratur ad revivi- » scentiam. 3. *Opus mortuum*, e. g. oratio in peccato peracta, numquam re- » viviscit ad meritum: ergo neque Sacramentum. 4. *Omnis causa* habens » virtutem activam remoto impedimento operatur: ergo etiam Eucharistia.... » R. *Ad* 1. N. quia sic nec Trid. sumitur *in sensu proprio*, nec probatur, » quod *Poenitentia* habeat talem virtutem. *Ad* 2. Si peccatum est *ante Ba-* » *ptismum* solummodo commissum, requiritur et sufficit dispositio alias ad » Baptismum requisita, e. g. attritio. Si *in Baptismo* ita est commissum, » ut peccatum datum sit in ultimo instanti, quo complebatur Baptismus, » requiritur probabilius vel contritio, vel attritio cum Poenitentiae Sacra- » mento, seu medium de se justificativum; quia jam fuit peccatum hominis » Christiani, et materia Sacramenti Poenitentiae. *Ad* 3. N. C. Quia Sacra- » mentum operatur ex virtute Christi, et *opere operato*. *Ad* 4. D. A. *omnis* » *causa necessaria, et physica* C. A. intentionalis, et libera N. A.

» *Q.* 2. An Sacramentum Poenitentiae possit esse validum et informe. De » reliquis Sacramentis, maxime initerabilibus, id omnes facile admittunt: » specialis difficultas est in Poenitentia, quae requirit dolorem et propositum. » *Sit casus*. Cajus committit duo mortalia, furtum et impietatem erga pa- » rentem: oblitus furti dolet solum de impietate ex motivo huic soli proprio; » fructum non operatur absolutio sacramentalis ob gemina illae Theologiae » principia: *In hac providentia non remittitur unum peccatum sine altero:* » et *Nullum remittitur peccatum sine retractatione*. Quaer. modo, an tamen » haec confessio sit valida, ut deinceps impietatem commissam non debeat » confiteri.

» R. Quamvis utraque sententia probabiliter propugnetur, *placet tamen* » *affirmativa*, quod sit valida. Ita *Thomistae*, *Suarez*, *Lugo*, et univer- » sim 22. *Auctores apud La Croix*, et teste Dicastillo ante Vasquez *com-* » *munis*. Quia dolor *qua universalis*, cadens etiam supra peccatum memo- » riae non occurrens, non est pars ad substantiam valoris requisita, sicut in- » tegritas materialis, cum Trid. tantum exigat dolorem simpliciter, qui sit » *detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de caetero:* » ergo sicut in confessione peccatorum venialium dolor universalis solum » pertinet ad integritatem Sacramenti, etc. *Plura V. apud Viva.*

» *Dices*: 1. ille dolor requiritur ad valorem confessionis, qui requiritur » *ad fructum*; cum Conc. PP. etc. nullum discrimen faciant in hoc: sed etc. » 2. Dolor, qui requiritur ad fructum, est *pars Sacramenti*, qua deficiente » non datur totum Sacramentum quoad substantiam. 3. Dolor requisitus debet » esse *vitae veteris odium, juxta Trid. Sess.* 14. c. 4. *quo projiciuntur omnes* » *iniquitates*. R. *ad* 1. N. Conc. et PP. loquuntur de *via ordinaria*, et pec- » cato cognito. *Ad* 2. Est Sacramenti *materialiter integri*, et formati gratia » Sacramentali etc. C. Sacramenti ut sic, et formaliter integri N. *Ad* 3. Hoc » requirit Sacramentum *fructuosum qua tale.*

» *Q.* 2. An Sacramenta vivorum per accidens causent primam gratiam.

» *Sit casus*. Sempronius elicit attritionem supra peccata, sed per defectum » in Confessario latentem absolvitur invalide, sicque bona fide accedit ad » s. Synaxim: *alias* putat se elicere contritionem, sed reipsa fuit attritio, » sic adit Sacramentum Matrimonii, aut recipit Extremam Unctionem. Q. An » Communio, Extr. Unctio etc. per accidens conferat attrito justificationem.

» R. Affirmative *cum S. Thoma de Confirm. Scoto, aliisque plurimis.* » *Ratio* 1. Quidquid dici potest ad commendandam virtutem Sacramenti, et » bonitatem Christi instituentis, et non pugnat cum revelatis, quae Deus per » Ecclesiam nobis innotescere voluit, recte dicitur: sed haec virtus etc. 2. *Sa-* » *cramenta mortuorum* causant per accidens praeter finem primarium suae » institutionis secundam gratiam, ergo vicissim etc. 3. Euchasistia dicitur pas- » sim a Scriptura et Patribus panis *vivificans*, sanguis *abluens peccata*, » abstergens sordes etc. in quo divitias amoris sui explicuit Christus, Extrema » unctio delens reliquias, et si *in peccatis sit*, *remittentur ei etc.* ex altera » parte praesumendum est, quod homo *bona fide* agens citra suam culpam » non sit defraudandus hoc favore etc.

» *Dices* 1. Illud operantur Sacramenta, *quod significant*: sed Sacramenta » vivorum non significant primam gratiam, Eucharistia significat alimentum, » quod non datur mortuo. 2. Talis homo sumit *Sacramentaliter* Sacramen- » tum, hoc est sine culpa et fructu simul. 3. Non daretur hic effectus *in-* » *fallibiliter*, ergo non est Sacramentalis ... R. *ad* 1. N. vel D. M. hoc ope- » rantur *per se*, quod significant C. M. etc. et *Ad* 2. *Sacramentaliter tan-* » *tum* sumere est sumere sine fructu et simul cum conscientia peccati mor- » talis, ut Catechismus Romanus explicat Trid. *impuro ore et corde. Ad* 3. » Datur *infallibiliter*, quia ex promissione divina accessoria primariae pro- » missioni.

» *Coroll.* Sic pariter defendunt passim quod pro *diversitate dispositionis* » detur diversa etiam gratia *ex opere operato*, et simul ex opere operantis. » *V. Scholast.*

96. III. Aliud est Sacramentum, aliud res, sive effectus Sacramenti; per Sacramentum tantum intelliguntur signa externa, materia, scil. et forma, quae tantum significant, et non significantur; res tantum Sacramenti est gratia, quae significatur, et significat: Sacramentum autem simul, et res Sacramenti est Sacramentum susceptum cum gratia. Porro ad essentiam Sacramenti non pertinet, ut *actu* semper conferat gratiam, sed ut sit collativum gratiae, sicut essentia causae non est actu causare sive producere gratiam, sed esse productivum gratiae. *Laym.* L. 5. t. 1. c. 6. n. 1. vide dicta n. 3.

97. IV. *Gratia divina* proprie dicta est donum supernaturale absolute indebitum, gratis concessum a Deo creaturae rationali, pertinens aliquo modo ad vitam aeternam. Gratia ratione finis 1. dividitur in gratis datam, et gratum facientem. *Gratis data* est donum supernaturale indebitum non in propriam recipientis, sed in aliorum salutem per se et primarie ordinatum. *S. Paulus* novem species hujus gratiae recenset 1. Cor. 12. *Gratum faciens* est donum supernaturale ad propriam recipientis salutem per se et primario ordinatum.

2. Gratia gratum faciens *ratione modi existendi* dividitur in externam et internam. *Externa* extrinsecus hominem afficit, uti praedicatio Evangelii, institutio Sacramentorum, Incarnatio, passio, exemplum Christi etc. *Interna* in ipsa anima recipitur, ut gratia sanctificans, habitus infusi, illustratio Spiritus Sancti proponens intellectui vel verum supernaturale credendum, vel bonum supernaturale agendum; sic vocatur *gratia intellectus*; si autem sit immediata motio, inclinatio, excitatio voluntatis divinitus facta ad aliquid supernaturale, dicitur *gratia voluntatis.* Interna subdividitur in actualem et habitualem: *Actualis* est, quae per modum actus seu motionis transeuntis conceditur.

3. Gratia actualis *ratione diversi respectus ad liberum consensum* dividitur *primo* in excitantem, et adjuvantem. *Excitans* gratia, sive *operans*, et *praevenients* consistit tum in illustratione intellectus, tum in motione voluntatis, quos actus vitales indeliberatos Deus in nobis physice quidem, non tamen moraliter et libere agentibus, ideoque sine nobis excitat, ut bene velimus. *Adjuvans*, *cooperans*, et concomitans consistit in auxilio supernaturali.

quo Deus nobiscum libere agentibus ad omnes et singulos actus supernaturales liberos concurrit. *Secundo* dividitur in gratiam sufficientem, et efficacem. *Efficax* est, quae dat posse simul et operari, suumque effectum certo et infallibiliter assequitur. *Sufficiens* pure talis, et ut efficaci opposita, est illa, quae dat quidem posse operari, sed non ipsum operari, ex defectu voluntatis illam habentis, non autem ex defectu ipsius gratiae. De his plura vide in Tract. de Gratia apud TT. Scholasticos. Nobis sufficiat sequentia breviter adnotare; 1. quod ad omnes actus supernaturales, et vitae aeternae vel de congruo, vel de condigno meritorios, etiam ad initium fidei, et pium credulitatis affectum requiratur auxilium gratiae interioris et supernaturalis, ut constat ex *C. Chartag.* anno 418. contra Pelagianos, item ex C. Araus. II. anno 529 contra Massilienses congregatis, item ex Trid. sess. 6. can. 1. 2. et 3. *Non* enim *sumus sufficientes aliquid cogitare ex nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* 2. Cor. 3; et: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*, ait Christus *Joan.* 6. v. 44. 2. Certum est dari a Deo hominibus gratiam necessariam ad salutem, vide *Trid.* sess. 6. can. 17. et propos. 5. ab *Alex. VIII.* damnatam. 3. Admittimus, dari in statu naturae lapsae gratiam internam pure sufficientem, adeoque merito damnatam esse illam Jansenii propositionem: *Interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resistitur.* Item merito damnatam esse ab *Alex. VIII.* propositionem in ordine sextam. Gratia enim sufficiens satis manifeste insinuatur a S. Scriptura; sic Isaiae 53. increpatur vinea, quod non ferret uvas: *Matth.* 11. Corozaitae, quod non agerent poenitentiam: *Act.* 7. v. 51. Judaei, quod resisterent Spiritui Sancto: ubi innuitur tum sufficientia ad bene agendum, tum resistentia aut neglectus oblati sufficientis auxilii: frustra enim reprehenditur caecus, quod instituta bene agendi non legat. Manet etiam gratia sufficiens verum beneficium, quatenus praebet sufficientiam ad bene operandum, carentia autem bonae operationis unice ponitur a libertate operantis. *Gratia habitualis* est, quae confertur per modum habitus, sive qualitatis permanentis: haec subdividitur in virtutes infusas, dona Spiritus Sancti, et gratiam sanctificantem, vel justificantem. *Virtus infusa est*, quae naturae viribus acquiri nequit, sed a solo Deo infunditur, estque vel theologica, vel moralis. *Donum Spiritus S.* vocatur habitus supernaturalis, quo quis proxime disponitur, ut a S. Spiritu ad actiones quasdam praestantissimas eliciendas moveatur: septem numerantur hujusmodi, quorum tria, scil. donum *sapientiae, intellectus, et scientiae* ad facultatem intelligendi, quatuor reliqua, scil. donum *consilii, pietatis, et fortitudinis, et timoris* ad voluntatem pertinent. *Gratia sanctificans* est habitus supernaturalis infusus animae, quo homo formaliter justus, Deo gratus, capax eliciendi actus meritorios, filius Dei adoptivus, et haeres beatitudinis efficitur. Haec dicitur *prima*, quando homo per eam ex injusto fit formaliter justus, ex inimico amicus, ut sit haeres secundum spem vitae aeternae: *secunda* vocatur, quando homo justus in eadem crescit, ac magis magisque justificatur; adeoque gratia prima nullam praesupponit in subjecto gratiam justificantem, supponit vero eam gratia secunda. Porro *gratia sacramentalis* est ipsa gratia sanctificans, habens annexum sibi speciale jus ex Dei ordinatione ad certas gratias actuales assequendo fini singulis Sacramentis proprio idoneas.

§. II. *Principia generalia de Subjecto, et effectu Sacramentorum.*

97. *Principium I. Ad Sacramentum quodcumque (excepta sola Eucharistia) valide suscipiendum requiritur in adulto* 1. *ut recipiens non habeat voluntatem contrariam susceptioni:* 2. *requiritur, ut habeat intentionem positivam suscipiendi Sacramentum vel actualem, vel virtualem, vel saltem habitualem, imo juxta Laym.* 1. num. 4. *cum pluribus, sufficit intentio interpretativa saltem in aliquibus Sacramentis. Prob.* 1. *pars* ex c. *Majo-*

res de Bapt. ubi *Innoc. III* ait: *Ille vero, qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem, nec characterem suscipit Sacramenti. Prob. etiam secunda pars.* Quia Christus adultis rationis usum habentibus non vult largiri gratiam et justitiam, nisi volentibus. Hinc juxta *C. Trid.* sess. 6. c. 7. justificatio dicitur: *Sanctificatio, et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiae, et donorum.* Eadem voluntas Christi nolentis, ut adultus per aliquod Sacramentum sanctificetur invitus, vel mere negative se habens, desumitur ex c. 77. de Consec. dist. 4., item ex *C. Chartag. III* C.34. et ex Rit. Rom. *Pii V.* de Bapt. adult., ubi prohibetur baptizari, qui aliquando habuit usum rationis, et nullam tunc ostendit voluntatem suscipiendi Baptismi. *Confirm. ex s. Th.* qui 3. p. q. 68. a. 7. ad 2. ait: *Si in adulto deesset intentio suscipiendi Sacramentum, esset rebaptizandus: si tamen hoc non constaret, esset dicendum: si non es baptizatus, ego te baptizo. Dixi* 1. *excepta Eucharistia;* hoc enim est Sacramentum permanens, et subsistit etiam extra usum; ergo tantum requirit intentionem conficientis, sive ministri. *Dixi* 2. requiri intentionem *positivam* etc. Recipiens enim non se habet pure passive sive coacte sed voluntarie; ergo requiritur consensus recipientis Sacramentum. Quae autem intentio determinate sufficiat ad valide suscipienda singula Sacramenta, de singulis infra dicetur.

99. *Adverte*; Baptismus ad valorem reliquorum Sacramentorum absolute praerequiritur: quia Sacramenta a Christo sunt instituta pro his, qui sunt in Ecclesia; atqui non baptizati non sunt in Ecclesia: ergo. *Confirm.* 1. ex *Flor.* ubi Baptismus dicitur vitae spiritualis janua. *Confir.* 2. ex c. 2. L. 4. tit. 4. de cogn. Spir. in 6. ubi Baptismus vocatur reliquorum Sacramentorum fundamentum et janua.

100. *Princ. II. Ad licite et fructuose suscipienda Sacramenta mortuorum, Baptismum nempe et Poenitentiam, praeter voluntatem suscipiendi illa, requiritur actus fidei, spei, et doloris de peccatis, qui saltem sit attritio.* 2. *Ad recipienda licite et fructuose, cum effectu gratiae, Sacramenta vivorum praeter intentionem positivam praerequiritur status gratiae. Ratio primi est:* quia de facto nulli datur venia peccatorum sine retractatione, aut dolore supernaturali de peccato a se commisso; item sine fide non potest voluntas erigi ad spem firmam, nec ad timorem supernaturalem, consequenter nec ad dolorem supernaturalem: ergo. *Confirm.* ex *Trid.* sess. 14.c.1. ubi disserte habetur: *Fuit quidem Poenitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam et justitiam assequendam necessaria, illis etiam qui Baptismi Sacramento ablui petivissent.* Id quod probat. ex Scrip. *Ezech.* 18. 30. *Convertimini, et agite poenitentiam.* Item ex c. 13. Lucae v.3. *Nisi poenitentiam egeritis* etc.; denique ex cap. 2. Act. *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum. De hac dispositione,* ait *Trid.* sess. 6. c. 6., *scriptum est Heb.* 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, et quod inquirentibus se remunerator sit.* Ecce fidem; et *Marci* 2. *Confide fili; remittuntur tibi peccata tua.* Ecce spem. Ibidem clare describit poenitentiam, quam agi oportet ante Baptismum. *Ratio secundi est:* quia Sacramenta vivorum primario instituta sunt ad augendam gratiam sanctificantem: ergo *per se* loquendo jam praesupponunt eam in subjecto praesentem. Praeterea vide infra n. 104.

101. *Princip. IV. Sacramenta mortuorum non ponentibus obicem conferunt per se loquendo gratiam primam Sacramentalem,* de qua vide n. 94.; *Sacramenta vivorum per se gratiam secundam ex opere operato, et quidem aequaliter, si aequaliter dispositi sint suscipientes. Praeter hunc effectum Baptismus, Confirmatio et Ordo characterem imprimunt,* ut dictum fuit n. 3. *Prob. primum* ex *Trid.* sess. 7. Can. 6. *Si quis dixerit, Sacramenta N. L. non conferre gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptae per fidem gra-*

tiae, et justitiae, et notae quaedam Christianae professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus, anathema sit: et seq. Can. 7. *Si quis dixerit, non dari gratiam per hujusmodi Sacramenta semper, et omnibus, quantum est ex parte Dei, etiamsi rite ea suscipiant, sed aliquando et aliquibus, anathema sit.*

102. *Probatur secundum.* Illud Sacramenta per se conferunt, ad quod conferendum per se sunt instituta: atqui Sacramenta mortuorum per se sunt instituta ad conferendam gratiam primam; quia per se sunt instituta pro carentibus vita supernaturali gratiae. Sacramenta autem vivorum per se sunt instituta ad conferendam gratiam secundam, quia pro viventibus vita supernaturali gratiae: ergo. *Confirm.* Trid. sess. 7. in Decr. de Sacram. ait: *Per quae omnis vera justitia vel coepta augetur, vel omissa reparatur.* Ergo non omnia eodem modo gratiam primam conferunt. Quomodo per accidens Sacramenta mortuorum subinde gratiam secundam, et Sacramenta vivorum aliquando gratiam primam conferant, dicetur de singulis Sacramentis.

103. *Prob. etiam tertium* ex *Trid.* sess. 7. can. 8. *Si quis dixerit, per ipsa N. L. Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinae promissionis ad gratiam consequendam sufficere, anathema sit.* Gratia dicitur conferri *ex opere operato*, quando datur vi ipsius operis Sacramentalis secundum institutionem Christi facti et suscepti, et non vi meriti, aut dispositionis illius, qui confert vel suscipit Sacramentum. *Ex opere* autem *operantis* confertur gratia, quando haec datur vi meriti, devotionis et dispositionis in Ministro, vel suscipiente. Hanc efficaciam Sacramentorum ex virtute operis operati indicat *S. Paulus* ad *Tit.* 3. *Non ex operibus justitiae, quae fecimus nos:* Ecce opus operantis; *sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis*: Ecce opus operatum. Audi *S. Aug.* L. 4. contra Crescon. c. 16. *Non eorum meritis, a quibus ministratur, constat Baptismus, sed propria sanctitate et virtute propter eum, a quo institutus est.*

104. Ex quibus recte infertur quartum, quod Sacramenta ejusmodi rationis semper aequaliter conferant gratiam subjectis aequaliter dispositis. Ulterior *ratio est*, quia causae ejusdem speciei habent aequalem effectum, quando est aequalis dispositio subjecti; atqui Sacramenta ejusdem speciei, v. g. duo Baptismi sunt causae ejusdem speciei, et dispositio subjectorum supponitur esse aequalis: ergo hinc producunt aequalem effectum: in aequalem vero, si subjecta sint inaequaliter disposita; ut patet ex *Trid.* sess. 6. c. 7. ubi de justificatione per Baptismum innuit, quod justitiam unusquisque in se recipiat, *secundum propriam cujusque dispositionem, et cooperationem.* Declarat. id *S. Thom.* 3. p. quaest. 69. a. 8. in corp. *Per se quidem Baptismus est institutus ad regenerandum homines in spiritualem vitam; et hunc effectum aequaliter facit in omnibus, qui aequaliter se habent ad Baptismum. Unde quia omnes pueri aequaliter se habent ad Baptismum ... omnes aequalem effectum participant in Baptismo. Adulti vero, qui per propriam fidem ad Baptismum accedunt, non aequaliter se habent ad Baptismum; quidam enim cum majori, quidam cum minori devotione ad Baptismum accedunt, et ideo quidam plus, quidam minus de gratia novitatis accipiunt: sicut etiam ab eodem igne accipit plus caloris, qui plus ei appropinquat, licet ignis, quantum de se est, aequaliter ad omnes suum calorem effundat.* Rationes congruentiae addit *Suar.* hic D. 8. Sect. 5. Concl. 3. tum quia ad suavem Dei providentiam et sapientiam ac justissimam distributionem pertinet, ut magis disposito major gratia conferatur; tum ut homines excitentur ad recipienda Sacramenta cum majori devotione et reverentia saltem propter spem majoris fructus.

105. *Neque inferas*: ergo, si datur major gratia propter meliorem dispositionem, ea datur ex opere operantis, non vi ipsius Sacramenti. R. enim: N. illatum, quia dispositio subjecti per se non auget virtutem causae agentis,

sed eam tantum determinat, ut fortius agat, ut patet in eo, qui propius accedit ad ignem; hinc melior dispositio non est causa meritoria, sed conditio quaedam in ordine ad majorem gratiam subjecto conferendam ex opere operato. Si tamen major dispositio ponatur ab homine justo, praeter gratiam Sacramentalem etiam datur major gratia ex opere operantis, et per modum praemii, quia hic est capax meriti de condigno, et praemii. Haec fusius in Theol. Scholastica; quo etiam remittimus quaestionem, an Sacramenta causent gratiam instrumentaliter physice, an vero moraliter.

§. III. *Resolvuntur casus.*

Casus I.

Elpidius Judaeus nuper baptizatus, sed paulo post ob notoriam Clerici percussionem excommunicatus, ad evitandam infamiam alio confugit, ubi porrecto testimonio baptismali, novos patronos sibi conciliaturus ab Episcopo petit Sacramentum Confirmationis altum silens de excommunicatione.

106. *Q.* An Elpidius licite susceperit Sacramentum Confirmationis. R. Negative: ad hoc enim, ut quis licite suscipiat Sacramentum post Baptismum, praeter superius dicta requiritur, ut sit liber ab omni excommunicatione, et interdicto personali, et respectu Ordinum, ac primae Tonsurae, ab omni irregularitate, propter gravem prohibitionem Ecclesiae positam ex fine reverentiae erga res divinas, et Sacramenta; adeoque Elpidius per se loquendo commisit grave sacrilegium; nisi cum excuset inculpabilis ignorantia. *La Croix* l. 6. p. 1. n. 192. *Plura de Censuris.*

107. Eodem modo committit grave peccatum sacrilegii, qui aliquod Sacramentum vivorum suscipit in peccato mortali cognito; quia talis gravem irreverentiam Sacramento, et injuriam Christo infert, contemnendo saltem virtualiter, et impediendo gratiam Sacramentalem, quam Christus per Sacramentum offert, et vult animae impertiri. E contra suscipiens Sacramentum in peccato veniali cognito, veniale peccatum committit, nisi prius dolorem eliciat: quia saltem est levis irreverentia.

108. Ad validam quidem susceptionem Sacramentorum non est absolute necessaria attentio praeter intentionem supra requisitam, ad licitam vero ea requiritur, ita ut voluntarie distractus saltem venialiter peccet; debita enim Sacramento reverentia devotionem quamdam actualem exigit, quae quanto major erit, tanto uberior fructus percipitur. *Gobat* T. 1. de Sacr. in gen. cum *Rhodes* ait, devotionem illam consistere in bono aliquo motu voluntatis, qui sub veniali saltem excludit voluntariam ejusmodi distractionem: vere sancta sancte sunt tractanda: ergo etiam sancte suscipienda.

Casus II.

Eleazar Judaeus propter homicidium conjectus in carcerem petit et obtinet Baptismum: postea damnatus ad rotam in loco supplicii protestatur, se esse adhuc Judaeum, eo quod Baptismum tantum susceperit ex metu mortis hac sub conditione: si liber dimittendus sim, valeat; si vero ad mortem damnandus, non valebit Baptismus.

109. *Q.* I. An invalidus fuerit hic Baptismus ex metu mortis susceptus. R. Ob metum praecise non fuit invalidus, quia metus non tollit voluntarium simpliciter. *Confir.* ex c. Majores 3. de Bapt. ubi §. *item quaeritur:* disserte ita habetur: *Is, qui terroribus atque suppliciis violenter attrahitur, et ne detrimentum incurrat, Baptismi suscipit Sacramentum., talis (sicut et is, qui ficte* h. e. cum obice *ad Baptismum accedit*) *characterem suscipit Chri-*

stianitatis impressum etc. Secus, si plane invitus et coactus susciperet Sacramentum. Similiter loquere de aliis Sacramentis, excepto Matrimonio, quod ex speciali dispositione juris nullum est, si ex metu gravi injuste incusso fuerit contractum.

110. *Q.* II. An Sacramentum valide suscipiatur sub conditioone de futuro. R. *Negative*, vide dicta n. 65. et seq. Sicut enim conferens Sacramentum sub conditione de futuro vult, ut tunc sit Sacramentum quando erit impleta conditio; ita suscipiens sub conditione de futuro pariter est comparatus animo ac voluntate; ergo contra utrumque pugnant eaedem rationes. *Gobat* l. c. n. 240. Hinc si Eleazar ante, vel sub ipso Baptismo conditionem de futuro adjecerit, ille fuit invalidus, secus si post voluntarie susceptum.

111. Ad resolvendos alios casus huc pertinentes observa cum *Gobat* l. c. n. 246. ab adulto invalide suscipitur Sacramentum 1. qui habuit voluntatem non recipiendi, eamque non retractavit. 2. qui nulla ratione illud unquam voluit suscipere. 3. qui mere materialiter recipit, v. g. qui sumit Eucharistiam, vel penitus ignorans esse hostiam consecratam, vel edens species Sacramentales tantum ad famem sedandam.

§. IV. *De Sacramentalibus*

112. *Q.* I. Quid sint Sacramentalia. R. Sunt caeremoniae, sive ritus externi ab Ecclesia ad cultum Dei, et praecipue ad decentem Sacramentorum administrationem instituti: magis proprie Sacramentalia sunt illae caeremoniae, quas in Sacramentorum administratione, vel sacrificii oblatione Ecclesia observat, praeter eas quae sunt de essentia sacrificii, cujusmodi sunt in Baptismo unctio, exorcismus etc. Reliquae caeremoniae sacrae, quae adhibentur extra administrationem Sacramentorum latius dicuntur Sacramentalia. *Suar.* in P. 3. D. 15. q. 65. Sect. 1. Horum sex solent numerari comprehensa hoc versu: *Orans, Tinctus, Edens, Confessus, Dans, Benedicens:* quibus significatur. 1. *Oratio* Fidelium, praesertim *Dominica*. 2. *Aspersio Aquae Benedictae*. 3. *Manducatio*, aut alius pius usus rei benedictae. 4. *Confessio generalis*, Confiteor Deo Omnipotenti, B. M. S. V., aut publica, quae olim erat in usu, qualis etiam hodie post conciones a populo et concionatore solet recitari. 5. *Largitio eleemosynae*. 6. *Benedictiones variae*, v. g. aquae, vini, cereorum, vestium, virginum, Abbatum. Quod autem Ecclesia habeat potestatem instituendi Sacramentalia, constat ex perpetua praxi. Colligitur aperte ex *Trid.* sess. 21. c. 2. *Praeterea declarat, hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quae suscipientium utilitati, seu ipsorum sacramentorum veneration, pro rerum, temporum et locorum varietate, magis expedire judicaret.* Hinc etiam graviter obligat ministros ad observandos ritus, ut dictum est n. 86.

113. De Sacramentalibus vide *Bellarm.* L. 2. de Sacram. in gen. c. 29., item L. 3. de cultu ss. c. 7. ubi de usu aquae benedictae agit; antiquum ordinem Romanum editum a *Mabillonio*: de pane benedicto sive Eulogiis. *S. Aug.* lib. 2. de peccatorum meritis c. 26. Porro rituum externorum usus confirmatur exemplo Christi, qui *Joan.* 2. *insufflavit*, et dixit Apostolis: *accipite Spiritum S. quorum remiseritis ... Marci* 7. v. 33. *misit digitos suos in auriculas ejus, et expuens tetigit linguam ejus, et suspiciens in coelum ingemuit etc.*

114. *Q.* II. In quem finem utitur Ecclesia Sacramentalibus, et variis ritibus externis. R. Ut supra n. 86. Aurea addo verba *Trid.* sess. 22. *c.* 5. *Cumque natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli, propterea pia Mater Ecclesia ritus quosdam ... instituit: caeremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaque id genus multa,*

ex Apostolica disciplina et traditione, quo et majestas tanti Sacrificii commendaretur, et mentes Fidelium per haec visibilia religionis et pietatis signa, ad rerum altissimarum, quae in hoc Sacrificio latent, contemplationem excitarentur. Ergo sic ait *Suar.* l. c. omnes hae caeremoniae, hac intentione instituuntur et observantur ab Ecclesia, ut ipse Sacramentorum, vel Sacrificii usus majori cum reverentia, ac devotione fiat, ut juvent intellectus imbecillitatem, instruant rudes, moveant voluntatem, revocent in memoriam mysteria redemptionis, excitent fidem, et nutriant reverentiam erga sancta mysteria, eorumque dignitatem instillent. Ergo eorum institutio sancta, et usus fidelibus est utilissimus. Caveant proinde Ministri Ecclesiae, ne neglectim ac contemptim ritus et caeremonias peragendo piam Matrem suo fine defraudent, Fideles aeque ac infideles scandalizent, et sancta fidei mysteria ludibrio exponant.

115. *Q.* III. An Sacramentalia habeant effectum aliquem, et quidem ex opere operato. R. 1. Illa, quae sunt instituta ad puram significationem mysterii, vel ad ornatum, vel ad decentiorem administrationem aut susceptionem Sacramentorum, per se non producunt specialem effectum; unde per illa principaliter protestamur fidem nostram, et exercitia Religionis decenter agimus.

116. R. 2. Effectus, qui solent attribui Sacramentalibus, sunt potissimum sequentes: 1. Aliquod auxilium, vel bonus motus gratiae. 2. Remissio culpae saltem venialis. 3. Remissio alicujus poenae temporalis, cujus reatus manere solet remissa culpa. 4. Daemonis expulsio, vel cohibitio, ne laedat per se, vel per maleficia. 5. Aliquod commodum temporale, ut sanitas vel aliquid hujusmodi. Quem effectum particularem hoc, vel illud Sacramentale specialiter possit producere, colligendum est ex singulorum institutione, ex modo et orationibus Ecclesiae, quibus conficiuntur; non enim singula instituta sunt ad eumdem finem singularem, quamvis omnia tendant ad cultum divinum, *Suarez* in 3. P. D. 15. q. 65. sect. 5.

117. R. 3. Sacramentalia non conferunt gratiam ex opere operato; quia talis efficacia tantum propria est Sacramentis. *Confirm.* Sicut Ecclesia non potest instituere Sacramenta, ita Sacramentalibus, quae ab ipsa instituuntur, non potest virtutem tribuere conferendi gratiam ex opere operato. Itaque Sacramentalia ex Ecclesiae precibus *per modum impetrationis* specialem vim obtinent ad hunc vel illum effectum, ad quem in benedictione specialiter ordinantur per orationem Ecclesiae; dum scil. Fideles pie illa adhibent, precibus et suffragiis Ecclesiae adjuti facilius gratias actuales a Deo impetrant, doloris motum concipiunt, vel a malo liberantur. *Probatur* haec vis ex ipsis Ecclesiae precibus, quae apud Deum absque dubio magnam vim habent; diligit enim eam tanquam sponsam. Hic tamen effectus non est infallibilis, quia non fundatur in speciali aliqua promissione. Ita *Suar.* l. c.

TRACTATUS II.

DE SACRAMENTIS NOVAE LEGIS IN SPECIE

CAPUT I. *De Baptismo*

§. I. *Quaestiones praeviae*

118. *Q.* I. Quid sit baptismus in genere, et quotuplex. R. 1. Baptismus a graeco βαπτίζω *mergo, intingo in aqua, lavo, abluo*, significat immersionem, vel intinctionem, vel ablutionem, ut constat ex *Marci* 7. v. 4. et *Luc.* 11. v. 38. Hic sumitur pro ablutione pertinente ad Religionem, estque triplex. 1. Baptismus *Sanguinis*, scil. Martyrium; qui est perpessio mortis,

vel cruciatus lethalis pro fide Christi; unde requiritur ad Martyrium 1. vel mors ipsa, vel saltem cruciatus illativus mortis: exemplum habe in S. Joanne Evang. 2. Perpessio ob fidem Christi. 3. Illatio mortis vel cruciatus in odium fidei, quod etiam tunc censetur fieri, quando mors propter opus, vel defensionem alicujus virtutis Christianae infertur, nam *omnium virtutum opera, secundum quod referuntur in Deum, sunt quaedam protestationes fidei*, ut ait S. Th. 2. 2. q. 124. a. 5. Exemplum habe in *S. Jo. Bapt.* Porro Martyrium in adultis requirit voluntariam acceptationem mortis (sufficit tamen voluntas habitualiter perseverans) et quidem ex motivo supernaturali; alioquin nec esset in adulto confessio fidei, nec actus virtutis Christianae: Martyr autem significat testem veritatis fidei. Juxta Communem, Martyrium in adultis remittit omnem culpam et poenam. Hinc c. *Cum Martae*, §. fin. de celebr. Miss. dicitur: *Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre.* Praeterea ad justificationem in Martyrio multi cum *S. Aug., Bernardo, S. Th.* 3. P. q. 66. a. 12. ad 2., *s. Bonav.* et aliis requirunt contritionem sive actum charitatis. Alii vero cum *Cajet., Soto, Bellarm., Suar., Bonac.* dicunt sufficere attritionem, sicut in Baptismo adulti: juxta hos tamen Martyrium non justificat ex opere operato, ut Sacramenta, sed ex quodam privilegio, vel imitatione passionis Christi. Vide *La-Croix* L. 6. c. 1. n. 238. Infantes autem per solum Martyrium salvari, docet communis Catholicorum: sic Ecclesia de parvulis ab Herode occisis orat: *Deus, cujus.... praeconium Innocentes Martyres non loquendo, sed moriendo confessi sunt.* 2. Baptismus *Flaminis*: qui est perfecta contritio, vel amor Dei super omnia; ad Baptismum Flaminis non requiritur expressum votum vel desiderium Baptismi aquae, sed sufficit implicitum, inclusum in voluntate servandi omnia praecepta Dei, inter quae etiam continetur praeceptum baptismi suscipiendi. Attritio autem cum expresso voto Baptismi non sufficit, quia non justificat sine Sacramento, vel Martyrio. Ita *La Croix* L. 6. p. 1. n. 244. Baptismus Sanguinis et Flaminis non imprimunt characterem. Hic Baptismus catenus aequivalet Baptismo fluminis, quatenus eumdem praestat effectum, scil. justificationem, quem praestat Sacramentum Baptismi; amori enim Dei promissam esse justificationem satis patet ex Scriptura: *Ego diligentes me diligo.* Prov. 8., et contritionem perfectam ait *Trid.* sess. 14. c. 4. hominem Deo conciliare, priusquam Sacramentum actu suscipiatur. Idem etiam patet ex propositione 70. Baj. damnata, quae ita sonat: *Homo existens in peccato mortali, sive in reatu aeternae damnationis, potest habere veram charitatem, et charitas etiam perfecta potest consistere cum reatu aeternae damnationis.* 3. *Fluminis*, sive Baptismus aquae, quod est primum N. L. Sacramentum. Hic alius dicitur Baptismus *in re*, alii duo *in voto.*

119. R. 2. Baptismus aquae in Catechismo Rom. p. 2. c. 2. n. 4. dicitur *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo.* Alias communiter a TT. definitur: *Primum maximeque necessarium L. N. Sacramentum ad spiritualem hominis regenerationem a Christo institutum.* 1. Dicitur *primum*, quia per Baptismum homo fit capax recipiendi caetera Sacramenta: hinc apud *Dion.* c. 2. de Eccl. Hier. vocatur *Principium et janua Sacramentorum.* 2. Dicitur *maxime necessarium:* juxta illud *Joan.* 2. 5. *Respondit Jesus: Amen, amen dico vobis: nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.* Et *Trid.* sess. 7. Can. 5. de Bapt. *Si quis dixerit, Baptismum liberum esse, h. e. non necessarium ad salutem, anathema sit.* 3. Dicitur *L. N. Sacramentum.* Vide n. 2. ubi probatur ex *Trid.* Probatur etiam ratione: ad Sacramentum N. L. tria requiruntur; 1., ut sit signum externum, vel ritus externus. 2. Ut hoc signum sit a Christo institutum, addunt alii, cum mandato illud observandi. 3. ut sit signum efficax invisibilis gratiae: atqui haec tria habentur in Baptismo, scil. ablutio per aquam sub invocatione SS. Trinitatis est signum, et ritus externus institutus a Christo significans

ablutionem animae a peccato originali: ut patet ex cit. verbis Christi, et alibi: habet promissionem gratiae, hinc ad Tit. 3. Apostolus ait: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, et renovationis Spiritus Sancti:* denique mandatum illam ablutionem observandi habetur *Joan. c.* 3. supra cit. et *Matth.* 28. 19. *Euntes ergo docete omnes gentes: baptizantes eos in Nomine Pat. et Fil. et Spir. S.*

120. *Q.* II. Quando Christus instituerit Baptismum. R. Certo tempus determinatum neque ex Scriptura, neque ex traditione assignatur; communiter tamen cum *S. Th.* P. 3. q. 66. a. 2. in corp. docent, Christum instituisse Baptisma ante passionem suam, et quidem probabiliter eo ipso die, quo baptizatus fuit a Joanne. *Suar.* hic D. 19. Sect. 1. et 2., *Laym.* L. 5. t. 2. *Ratio* est, quia *Joan.* 3. v. 22. legitur: *Post haec venit Jesus, et Discipuli ejus in Judaeam terram, et demorabatur cum eis, et baptizabat*, scil. per discipulos, ut innuitur c. 4. ibid. *quamquam Jesus non baptizaret, sed Discipuli ejus;* ergo, cum discipuli Christi jam ante Passionem administrarent Baptismum, ejus institutio etiam ante Passionem debet supponi. Alii cum *Ruperto* dicunt, Sacramentum Baptismi institutum a Christo fuisse post resurrectionem, quando Christus Matth. 28. dixit: *Euntes ergo etc.* Sed hoc mandatum videtur potius se extendere ad promulgationem Baptismi. De hoc in Theol. Schol. et Polem. De secundo ait *S. Ambr.* L. 2. in Lucam c. ult. *Baptizatus est Dominus, non mundari volens, sed aquas mundare, ut.... Baptismatis jus haberent.*

121. *Q.* III. An, et quale sit discrimen inter Baptismum Christi, et Joannis. R. 1. Est discrimen: Patet ex *Trid.* sess. 7. can. 1. de Bapt. *Si quis dixerit, Baptismum Joannis habuisse eamdem vim cum Baptismo Christi, anathema sit.* R. 2. Discrimen assignat breviter, ac nervose *Benedictus XIV.* p. 1. de Festis D. N. J. C. n. 49. *Uno verbo: tria sunt Baptismata, quorum meminit Scriptura: primum erat Judaeorum, nimirum sacra quaedam caeremonia, qua vel se praeparabant, si quid incaeptarent, vel ad aliquam legalem maculam eluendam utebantur; alterum est Baptisma Joannis, quo homines ad sanctificationem per Christi Baptismum suscipiendam praeparabantur: tertium denique est Jesu Christi Baptisma, vi sanctificandi, et remittendi peccata praeditum.* Discrimen ipse S. Joannes apud *Matth.* cap. 3. v. 11. assignat dicens. *Ego quidem baptizo vos in aqua in Poenitentiam.... ipse vos baptizabit in Spiritu S. et igni.* Ergo cum Baptismus Joannis non contulerit Spiritum S. per se nullam habuit vim peccatum delendi. *Confirm.* ex *S. Chrysost.* qui hom. 10. in Matth. ait: *Spiritus S. gratia in Christi Baptismate est, Joannis vero Baptisma hac donatione privatur. S. Aug. t.* 5. in Joan. et l. 5. de Bapt. c. 9. ita ratiocinatur; juxta c. 19. Act. Discipuli tincti solo Baptismate Joannis jubentur baptizari Baptismo Christi; ergo non est idem Baptismus. Denique Baptismus Joannis tantum conferebatur adultis, quia erat Baptismus poenitentiae (*Marci* 1.) cujus non sunt capaces parvuli: Baptismus autem Christi etiam confertur parvulis; ex his omnibus liquet, illum tantum fuisse caeremonialem, non causativum gratiae ex opere operato, hunc autem esse vere Sacramentum.

122. *Q.* IV. Quinam sint effectus Sacramenti Baptismi. R. 1. Confert remissionem omnium peccatorum tum originalis, tum actualium (si homo adultus in iis sit constitutus), tum poenarum. 2. Confert gratiam sanctificantem, si non adsit obex, una cum virtutibus Theologicis infusis Fide, Spe, et Charitate. 3. Imprimit characterem indelebilem. *Primum* innuit Apost. ad *Rom.* 8. *Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu. Confirm.* Ex *S. Hier.* in epist. 83. ad Oceanum: *Omnia in Baptismate condonata sunt crimina, nec post indulgentiam Judicis est metuenda severitas, dicente Apostolo: et haec quidem fuistis, sed abluti estis.* Hinc etiam recte damnata est ab Alex. VIII. propositio 19. *Homo debet agere tota vita poenitentiam,*

pro peccato originali. De poenis *Eugenius IV.* in Decreto pro Armenis ait: *Baptizatis nulla pro peccatis praeteritis injungenda est satisfactio, sed morientes, antequam culpam aliquam committant, statim ad regna coelorum et Dei visionem perveniunt.* Remanet quidem in Baptizatis fomes, et concupiscentia, quam Apostolus Rom. 6. 7. et 8. vocat peccatum, non quod vere et proprie peccatum sit, sed *quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat*, ut ait *Trid.* sess. 5. can. 5. in Decr. de peccato originali: adeoque per Baptismum remittitur omnis reatus tum culpae, tum poenae, non autem restituitur homo integritati status innocentiae, qui praeter gratiam sanctificantem habebat perfectam subordinationem partis inferioris cum superiore, et immunitatem a quacumque miseria, v. g. morbis, morte corporali etc. quae potius vocari debent poenalitates quam poenae. *Suar.* in 3. p. D. 26. Sect. 2. ubi addit, quod nomine poenalitatum intelligantur illi defectus, qui secundum se ex principiis naturae oriuntur, essentque in homine condito in puris naturalibus, cujusmodi sunt morbi et mors, inordinatio potentiarum, concupiscentia etc. Quibus defectibus subventum erat per originalem justitiam, quam cum genus humanum in Protoparente amiserit, hinc isti defectus in homine lapso non censentur mere naturales, sed poenales et per peccatum originale contracti, ut distinguantur ab illis poenis proprie dictis, quae ita sunt a divina justitia impositae, ut ex principiis naturae non oriantur, quales sunt poenae inferni aut purgatorii, et hae remittuntur per Baptismum.

123. *Secundum*; quod per Baptismum infundatur gratia, patet ex Apost. 1. Cor. 6. *sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in Nomine D. N. J. C. et in Spiritu Dei nostri.* Uterque effectus probatur ex *Trid.* sess. 5. de pecc. orig. can. 5. *Si quis per Jesu C. D. N. gratiam, quae in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit, non tolli totum id, quod veram et propriam rationem peccati habet ... anathema sit:* ibid. addit, quod ii qui vere consepulti sunt cum Christo per Baptisma in mortem, sint effecti *innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti ... haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi, ita ut nihil prorsus eos ab ingressu coeli remoretur.* Sess. 6. C. 7. docet: *unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum haec omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, Fidem, Spem, et Charitatem.* Intuitu hujus gratiae conferuntur suo tempore gratiae actuales fini hujus Sacramenti accommodatae, scil. ad ducendam vitam christianam et sanctam, ut decet filios Dei adoptivos, et cohaeredes Christi.

124. *Tertium*; quod Baptismus imprimat characterem, patet ex *Trid.* supra n. 3. cit. Fundamentum id asserendi etiam desumitur ex 2. ad Cor. c. 1. v. 22. *Qui signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.*

125. *Adverte.* Hic character non tantum distinguit baptizatum a non baptizato, sed etiam ornat, et illustrat baptizatum, cum sit signum eximiae dignitatis. Audi *S. Chrysost.* in illa verba ad Ephes. 1. v. 13. *in quo signati estis Spiritu promissionis Sancto*, hom. 2. ita disserentem. *non jam dicit, quod a caeteris sepositi sint tantum aut delecti, sed quia etiam signati quemadmodum si quis eos, quos sortito sibi comparavit, velit aliqua familiari nota notiores reddere. Signati sunt etiam Israelitae, sed corporali circumcisionis nota, ut pecora et bruta, nos signati sumus ut filii.*

126. Praeter hos effectus primarios per Baptismum homo fit membrum Ecclesiae, et unitur moraliter Christo tanquam capiti, *Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Ad Gal. 3. v. 27. Item per Baptismum fit capax recipiendi alia Sacramenta, particeps meritorum Christi et bonorum operum in Ecclesia. Baptizatus vero contrahit obligationem servandi mandata Dei et Ecclesiae, et ducendi vitam christianam, h. e. consentaneam doctrinae et exemplo Christi.

127. *Q.* V. Quomodo Sacramentum Baptismi sit necessarium ad salutem. R. Est necessarium necessitate medii vel in re, vel saltem in voto; vide dicta n. 119. Adde ex Trid. sess. 5. C. 3. *Nam sicut revera homines, nisi ex semine Adae propagati nascerentur, non nascerentur injusti; ... ita nisi in Christo renascerentur, nunquam justificarentur.* Sess. 5. Can. 3. de pecc. orig. anathematizat illum qui asserit, peccatum originale vel per humanae naturae vires, vel per aliud remedium tolli, quam per meritum J. C. D. N., *aut qui negat ipsum Christi meritum per Baptismi Sacramentum ... tam adultis, quam parvulis applicari.* Ex sess. 6. C. 4. ait; *quae quidem translatio*, scil. in statum gratiae, *post Evangelium promulgatum sine lavacro regenerationis aut ejus voto fieri non potest.* Huc etiam pertinet Can. 1. sess. 7. ejusd. *Trid.* S. Ambr. L. 2. de Abraham. C. ult. in illa verba *Joan.* 2. *Nisi quis renatus fuerit etc.* ait: *Nullum excipit, non infantem, non aliqua necessitate praeventum.*

128. *Dixi vel in re, vel in voto:* supplet enim Baptismum fluminis Martyrium, sive Baptismus Sanguinis. Ut constat ex perpetua traditione. *Confirm.* ex *S. Aug.* qui L. 13. de Civ. Dei C.7. ait: *Quicumque .... non percepto regenerationis lavacro pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte Baptismatis.* 2. Interveniente impotentia suscipiendi Baptismi Sacramentum, supplet Baptismum fluminis Baptismus flaminis, qui juxta n. 118. consistit in perfecta contritione, vel perfecto amore Dei super omnia cum voto, vel desiderio Baptismi fluminis, coque vel explicito vel implicito, quatenus amans Deum tanquam summum Bonum propter se ipsum super omnia, habet voluntatem implendi omnia praecepta: ergo etiam paratam habet voluntatem suscipiendi Baptismum, si posset. Rem totam egregie exponit *S. Th.* q. 68. a. 2. in corp. *Sacramentum Baptismi dupliciter alicui potest deesse: uno modo et re et voto, quod contingit illis, qui nec baptizantur, nec baptizari volunt... hi, quibus hoc modo deest Baptismus, salutem consequi non possunt ... Alio modo potest Sacramentum Baptismi alicui deesse re, sed non voto, sicut cum aliquis baptizari desiderat, sed aliquo casu praevenitur morte, antequam Baptismum suscipiat, et talis sine Baptismo actuali salutem consequi potest propter desiderium Baptismi, quod procedit ex fide per dilectionem operante .... unde Ambrosius de Valentiniano, qui catechumenus mortuus fuit: quem regeneraturus eram, amisi; verumtamen ille gratiam, quam poposcit, non amisit.* Vide *Suar.* in P. 3. D. 27. Sect. 2. Votum explicitum exigit *Card. de Lauraea.* disp. 13. De Sacram. Bapt. n. 46. Pro sufficientia voti impliciti stat *Laym.* L. 5. T. 2. C. 6. *Gobat.*, *Mastrius*, qui tamen non rejiciendam putat distinctionem, scil. quod si homo sciat fidem Christianam, et necessitatem Baptismi, debeat elicere votum explicitum: si vero ignoret, sufficiat implicitum in amore perfecto. Item siquis sciat quidem necessitatem Baptismi, sed in amore Dei ita se exerceat, ut non attendat ad actum desiderii, talis adhuc justificatur ex amore et implicito voto: secus si studio votum negligat aut excludat, quia tunc nequidem talis habet perfectum amorem.

§. II. *Principia practica de Baptismo rite conferendo, et suscipiendo.*

129. *Princ. I. Materia remota Baptismi est sola aqua vera et naturalis, sive elementaris, usualis et proxime apta ad abluendum.* Est de fide ex illo *Joan.* 3. jam cit. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua.* Sic etiam definitur in C. *Lat.* c. Firmiter §. 3. in C. *Flor.* in Decr. *Eugenii*; in C. *Trid.* sess. 7. can. 2. *Si quis dixerit, aquam veram et naturalem non esse de necessitate Baptismi, atque ideo verba illa D. N. J. C.* nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu S. *ad metaphoram aliquam detorserit, anathema sit.* Quod ipsi Apostoli non aquam metaphoricam, sed veram et naturalem intel-

lexerint determinatam a Christo, constat ex act. 8. ubi, postquam Philippus asseruit necessitatem Baptismi, Eunuchus respondit: *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari ... descenderuntque uterque in aquam: et baptizavit eum.* Quaenam hic et nunc sit aqua certo aut dubie sufficiens, vid. in resol. cas.

130. *Materia proxima est ablutio per aquam.* Prob. 1. ex verbis Christi *Matth.* 28. *Baptizantes eos*, h. e. abluentes, lavantes eos. *Confirm.* ex c. 5. ad Ephes. *mundans eam lavacro aquae.* Prob. etiam ratione: illa est materia proxima Baptismi, quae per formam Baptismi proxime determinatur ad significationem practicam gratiae: atqui ablutio sic determinatur, quia per τὸ *Baptizo* aqua non secundum se, sed ejus usus ad abluendum determinatur. Porro nomine ablutionis intelligitur talis applicatio aquae, qualis in aestimatione hominum, et juxta sensum Ecclesiae est necessaria ad hoc, ut homo dicatur vere lotus sive ablutus. Fit autem ablutio valide tribus modis, scil. *infusione, immersione trina* vel *unica*, et *aspersione;* quaelibet enim est vera ablutio: in praxi tamen servari debet modus ablutionis in unaquaque Ecclesia usitatus. Sic in Agenda ad usum Eccl siarum Metropolitanae Moguntinae, et Cathedralium Herbipolensis, et Wormatiensis jussu E. et R. Archiepiscopi Joannis Philippi edita hic modus praescribitur: *Sacerdos vasculo, seu urceolo, aut cava manu accipit aquam baptismalem, et de ea ter fundit super caput infantis in modum crucis, et simul verba proferens semel tantum distincte et attente dicit*: N. ego te Baptizo in nomine Patris ✠ *fundat primo*, et Filii ✠, *fundat secundo*, et Spiritus ✠ Sancti, *fundat tertio.*

131. *Princ.* II. Forma Baptismi in Ecclesia Latina valida atque legitima est: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Eruitur ex C. 28. *Matth.* saepe cit. *baptizantes eos* etc. Ita quoque traditur in C. *Flor.* in Decreto *Eugenii.* In qua forma verba essentialia sunt *primo, Baptizo te. Prob.* ex propos. 27. ab *Alex. VII.* damnata. *Conf.* ex c. si quis 1. De Baptismo, ubi *Alex. III.* decernit: *Si quis puerum ter in aqua immerserit in nomine P., et F., et S. S. amen, et non dixerit: Ego te baptizo in Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, amen: non est puer baptizatus. Confirm.* etiam ex *C. Flor.* ubi in cit. Decreto *Eugenii* §. *primum autem*, ita habetur: *Si exprimitur actus, qui per ipsum Ministrum exercetur, cum SS. Trinitatis invocatione, perficitur Sacramentum:* ergo hoc non perficitur omissis verbis: *te baptizo*, his enim exprimitur actus. *Secundo* necessario exprimenda sunt, *In Nomine P., et F., et S. S.* Vide n. 18. *Confirm.* 1. ex CC. modo cit. Adde 1. C. Nic. quod ratum habuit Baptismum Novatianorum, irritum vero Paulinianistarum: *Ratio* (ait *Innoc. I.* Epist. 21. ad Episcopos Macedoniae C. 5.) *manifesta declarat, quia Paulinianistae in nomine Patris etc. minime baptizabant, et Novatiani iisdem tremendis Nominibus baptizabant.* S. Aug. super Ps. 86. ait: *Non vocatur, nisi per Baptismum in Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Idem confirmat C. Trid. sess. 7. can. 4. cit. n. 54. Ratio congruentiae est, quia Baptismus est Sacramentum Fidei et introitus in Ecclesiam Christi: ergo cum mysterium Trinitatis sit praecipuum et primarium objectum fidei, ejusdem professionem explicitam fieri convenit in Baptismo. Plura vide apud *Suar.* in P. 8. D. 21. Sect. 3., *Laym.* L. 5. t. 2. C. 4. objectiones solutas dabit Theol. Schol.

132. *Princ. III. In necessitate omnis homo rationis compos sive vir, sive mulier, sive fidelis, sive infidelis non tantum valide, sed etiam licite baptizat, modo cum debita intentione applicet debitam materiam et formam. Nemo tamen in quacumque necessitate valide se ipsum baptizat. Licite autem, extra casum necessitatis, baptizandi potestas competit Sacerdotibus et ex commissione Episcopi vel Sacerdotis etiam Diaconis.* Prima pars disserte habetur in C. *Flor.* in Decr. Eugenii his verbis: *In casu necessitatis non solum Sacerdos vel Diaconus, sed etiam laicus vel mulier, imo etiam vaganus et haereticus baptizare potest. Secunda pars*, quod nemo se ipsum

baptizare possit, patet ex c. *debitum* 4. de *Baptis.* et ejus effectu, ubi *Innoc. III.* rationem assignat; tum quia Christus non a se ipso, sed a Joanne baptizari voluit, tum quia nemo generat se ipsum; denique quia Christus Apostolis praecepit, ut ipsi alios baptizarent. *Tertia pars* eruitur ex Flor. cit. *Minister hujus Sacramenti est Sacerdos, cui ex officio competit baptizare:* quod quidem officium habet ex speciali consecratione.

133. *Adverte.* Extra necessitatem non licet cuilibet Sacerdoti baptizare, uti nec solemniter, sed soli proprio Sacerdoti, et ex commissione Sacerdotis alteri, vel Diacono; quia collatio Baptismi et admissio ad numerum Fidelium, ad communicationem Sacramentorum est actus jurisdictionis, non quidem talis, ut inde pendeat valor Sacramenti, sicut valor absolutionis dependet a jurisdictione, sed tantum, ut Baptismus extra necessitatem conferatur licite per Sacerdotem proprium. Per Sacerdotem autem proprium hic intelligitur Summus Pontifex respectu totius Ecclesiae, Episcopus respectu suae dioeceseos, Parochus respectu suae Parochiae.

134. *Principium IV. Subjectum Baptismi valide suscipiendi capax est omnis homo vivens, viator, nondum baptizatus.* Dixi: *Omnis homo vivens:* nam Christus *Matth.* 28. praecepit Apostolis: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos etc.*; item Baptismus omnibus est necessarius ad salutem; *Nisi* enim *quis renatus fuerit* etc. De parvulis definit *Trid.* sess. 7. can. 12. de Bapt. *Si quis dixerit, neminem esse baptizandum, nisi ea aetate, qua Christus baptizatus est, vel in ipso mortis articulo, anathema sit.* Vide seq. can. 13. et 14. *Origenes* in c. 6. epist. ad Rom. ait: *Ecclesia ab Apostolis traditionem accepit etiam parvulis Baptismum dare. Confirm.* 1. Quilibet homo potest ingredi Ecclesiam, et reddi capax reliquorum Sacramentorum, quod fit per Baptismum: ergo. *Conf.* 2. Quilibet homo est capax characteris baptismalis, gratiae sanctificantis, et salutis aeternae: ergo etiam Baptismi, quo ista obtinentur. Hinc *S. Th.* hic q. 68. a. 1. ad 3. ait. *Si aliqui nunc in utero sanctificarentur, necesse esset, eos baptizare, ut per susceptionem characteris aliis membris Christi conformarentur.* Quid requiratur in adulto ad valide suscipiendum Baptismum, vide n. 98., quid ad licite et fructuose suscipiendum vide n. 100., ubi diximus, quod in adulto requiratur ad baptismum valide suscipiendum intentio vel actualis, vel virtualis, vel habitualis, id quod solide confirmamus hic ex *Epist. Bened. XIV.* ad Archiep. Tarsen. quae habetur in Tom. II. ejusd. Bull. pag. 186. et incipit: *postremo mense*; ubi §. 43. contra eos, qui cum Glossa in Can. *solet*, de consecr. dist. 4. affirmant, intentionem requiri in Ministro tanquam agente, non in suscipiente baptismum, tamquam patiente, respondet cum *S. Th.* 3. P. ad q. 68. a. 7. *Ergo dicendum, quod in Justificatione, quae fit per baptismum, non est passio coacta, sed voluntaria; et ideo requiritur intentio recipiendi id, quod ei datur:* et §. 44. statim subdit: *Cum ergo voluntatis sive intentionis in adulto, quoad Baptismum, necessitas certa sit, is debet ideo interrogari* etc. ibid. §. 45. resolvit: *Si quis adultus ad salutis fontem accesserit voluntate animatus accipiendi non quodcumque lavacrum, sed unicae Ecclesiae proprium ac peculiare, Baptismum esse validum dubitari non potest.* §. 46. *Verum si quis Baptismum accipiens praeserti voluntate careat, quam alias tamen habuerit, talis suscipiendae lotionis, qualis in Ecclesia frequentatur, tunc examinare oportet utrum voluntas antecedens, nunquam deinceps retractata, adhuc moraliter perseveret. Nam ubi nulla praecesserit retractatio, et moraliter perdurare intentio videatur, est certe validum Sacramentum. Hic casus ad eos spectat, qui ante furorem vel somnum, Baptismum petunt, accipiunt vero, dum aut insania vexantur, aut somno indulgent, et hoc genus hominum valide baptizatum dicitur in Conc. Chartag. III.* cap. 34. Eadem resolutio habetur in c. *Majores.*

Ad quaestionem, an censendus sit valide suscepisse baptismum, si quis nec abnuens, nec consentiens, neutra scil. voluntate baptizaretur, ibid. §. 48. cum *Scoto*, *Sylvio*, *Valentia*, et *Card. Lauraea* contra *Cajetanum* affirmat, non sufficere, quod quis neque sit volens, neque nolens, quia talis non habet intentionem recipiendi Sacramentum. Ibid. ad objectionem *Cajetani* ex c. *Majores*: (ubi *Innocentius III* ait: *tunc characterem Sacramentalis imprimit operatio, cum obicem contrariae voluntatis non invenit obsistentem*) respondet *Bened. XIV. Itaque Pontificis postea asserentis Sacramento imprimi characterem, quando non invenit obicem contrariae voluntatis, nemo non videt, hunc esse sensum, Baptismatis haberi effectum, quando quis vel in actu assensum praebeat, vel jam ante praebuerit. Quod si Pontifex ea in sententia fuisset, suscipiendo Baptismati satis esse voluntatem non obsistentem, utique non decrevisset, ut revera statuit, in amentibus voluntatem necessario requiri antecedentem* scil. in eod. c. *Majores* de Baptis. Denique §. 49. si baptismus violenter atque animo palam contrario suscipiatur, sub distinctione resolvit *Innoc. III* in cit. c. *Majores*. Nimirum, si is, qui minis ac terrore correptus violentiae cedit, Baptismum ut sibi consulat suscipiat, tunc valere Baptismum: non autem valere, cui, vi illata, contradicenti et palam reluctanti hoc Sacramentum per vim confertur.

135. Dixi etiam, *nondum baptizatus*, non enim valet Baptismus iteratus, jam semel valide collatus; hinc qui temere baptizat jam valide baptizatum, aut qui jam baptizatus iterum Baptismum suscipit, grave committit sacrilegium, et irregularitatem incurrit, juxta c. litterarum 2. de Apostatis, et reiterantibus Baptisma. Adeoque nullo casu iterare licet Baptismum, quem constat jam esse valide collatum. *Prob.* 1. Ex Apost. ad *Ephes.* 4. *unus Dominus, una fides, unum Baptisma.* Quibus verbis PP. et TT. non tantum unitatem specificam, sed et numericam probant. *Prob.* 2. *Ex Symb. Constantinop. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum.* Item ex *C. Flor.* in Decreto *Eugenii.* Ex *Trid.* sess. 7. can: 11. *Si quis dixerit, verum et rite collatum Baptismum iterandum esse illi, qui apud infideles fidem Christi negaverit, cum ad poenitentiam convertitur, anathema sit.* Vide etiam can. 9. cit. n. 3. p. 6. *S. Th.* P. 3. q. 66. a. 9. ait: *Dicendum, quod Baptismus iterari non potest. Primo, quia Baptismus est quaedam spiritualis regeneratio . . . unius autem non est nisi una regeneratio, et ideo non potest Baptismus iterari, sicut nec carnalis generatio . . . Secundo quia in morte Christi baptizamur, per quam morimur peccato, et resurgimus in novitatem vitae; Christus autem semel tantum mortuus est, et ideo Baptismus iterari non debet .... Tertio, quia Baptismus imprimit characterem, qui est indelebilis .... Quarto quia Baptismus principaliter datur contra originale peccatum; et ideo sicut originale peccatum non iteratur, ita nec Baptismus.*

136. Si tamen rationabile dubium sit, an quis vere, ac valide sit baptizatus, necessario repetendus erit Baptismus sub conditione. *N.* (exprimitur nomen baptizandi) *si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris* ✠, *et Filii* ✠, *et Spiritus* ✠ *Sancti.* Ita Agenda Herbip. *Alexander III c. de quibus.* 2. de Bapt. ita statuit; *De quibus dubium est, an baptizati fuerint, baptizantur his verbis praemissis; si baptizatus es, non te baptizo: sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo* etc. Hanc praxim sub conditione baptizandi eos, de quorum baptismo rationabiliter dubitatur, esse antiquissimam, nec modo incepisse post saeculum quartum, erudite ostendit *Benedictus XIV* de Synod. L. 7. C. 6. contra Nat. Alexandrum. Postea addit, quod talis conditio non passim et temere sit adhibenda, *sed tunc solum .... cum prudens et probabilis subest dubitatio, an quis fuerit baptizatus, nec, diligenti praemissa indagatione, potuit rei veritas innotescere.*

§. III. *Resolvuntur Casus*

Casus I. De materia remota Baptismi

Teste P. du Bernat Missionario S. J. in Ægypto, in Rituali Coptorum narratur, quod tempore Teophili trigesimi tertii Patriarchae a S. Marco mulier quaedam Alexandriam navigans prolem suam moribundam sanguine, quem ex vulnere uberibus suis inflicto elicuerat, et lacte materno baptizarit. Postea Alexandriam deducta cum eamdem prolem iterum sanam baptizandam obtulisset Patriarchae, isque eam vellet aquae immergere, mox adverterit, aquam subito fuisse congelatam, cumque mater rei seriem narrasset, Patriarcha infantem non baptizasse fertur, eoquod vere haec mulier viva sua fide baptizarit.

137. *Q.* I. An hic baptismus fuerit validus. R. *Negative*, ex defectu debitae materiae : ut in q. seq. dicetur. Neque hunc defectum supplere potuit fides matris. Ideoque *Pius V.* ex Commentario Card. Cajetani jussit extingui hanc doctrinam, quod parvuli, qui baptizari nequeunt, salvari possint per fidem parentum. Quid ? quod ex libro miraculorum ab ipsis Coptis referatur, quod praedicta Mater, praeter istam ablutionem, prolem suam ter mari immerserit, pronuntiando formam debitam, *Ego te baptizo* etc.

138. *Q.* II. Quaenam sit materia invalida, quaenam valida, et quaenam dubia Baptismi. R. Ad 1. Materia certo invalida est vinum etiam lymphatum, h. e. cui parum tantum aquae est commixtum, succus ex fructibus v. g., pomis etc. expressus, lac, oleum, mel, sanguis, urina, lacrymae, saliva, sudor. *Ratio est*; quia ista in communi usu et aestimatione hominum aquae denominationem non retinent, nec in se sunt aqua proprie dicta, et elementaris. De saliva constat ex c. pen. de *Bapt.* Idem esto judicium de atramento et lixivio valde denso, cerevisia melioris notae, pulmento, jusculo sive offa valde densa ac pingui : verbo, materia invalida sunt omnia illa mixta ex aqua, quibus juxta communem usum ac prudentum aestimationem non convenit ratio ac denominatio materiae usitatae ab Ecclesia ; tunc enim talis mixtio inducit mutationem substantialem, ut ait *Gobat* de *Bapt.* n. 31. vide dicta n. 7. Neque sal, glacies, nix, pruina, et similia nondum resoluta sunt materia valida, quia, quamdiu non resolvuntur, nec proxime apta sunt ad ablutionem, nec habent usum aquae nec denominationem. Talis materia in nullo casu valide aut licite adhibetur.

139. R. 2. Materia valida sunt aqua fontana, pluvia, marina, sive frigida, sive calida, turbida ex luto, expressa, sulphurata, ferruginea, ros etc. Ita *Antoine*. Item aqua resoluta ex glacie, nive, pruina etc. quia istae, et similes aquae habent rationem substantialem, veramque appellationem aquae naturalis.

140. R. Ad 3. Materia dubia sunt, aqua ex sale resoluta, liquor ex potatis vitibus, incisis arboribus defluens, quem multi probabilius dicunt esse materiam plane invalidam, alii saltem dubiam (vide *La Croix* de *Bapt.* n. 260), Huc pertinet aqua rosacea, tenuis cerevisia, offa admodum tenuis, item atramentum valde tenue, quo Æthiops adhuc posset lavari, lixivium non multis cineribus commixtum, aqua, cui notabilis pars vini est commixta, denique omnis ille liquor, de quo inter graves AA. adhuc disceptatur, an non sit aqua naturalis, accidentaliter tantum immutata.

141. *Adverte I.* Pro praxi sequentes regulas, quas tradit P. *Gobat.* l. c. n. 34. *Prima :* Peccat graviter, qui cum possit habere aquam certo validam, vel elementarem, adhibet aliam ; quia absque urgente necessitate exponeret Sacramentum periculo nullitatis, et salutem infantis supremo discrimini.

142. *Secunda:* In articulo mortis, quando haberi non potest materia certo valida, debet adhiberi dubia, sub hac conditione: *si haec sit materia sufficiens.* Fatetur hic *Antoine*, quod ad hoc sufficiat etiam tenuis probabilitas de valore hujus vel illius materiae; quia in necessitate subveniendum est saluti proximi omni modo meliori, quo potest. *Neque est ullum periculum irrisionis rerum divinarum, quandoquidem necessitas id postulet*, ait *S. Th.* hic q. 60. a. 8. N B. Si sic baptizatus supervixerit, habita copia materiae validae, iterum baptizari debet sub hac conditione: *Si non es baptizatus* etc. *Pontas V.* Bapt. cas. 3.

143. *Tertia*: Graviter peccat peccato sacrilegii, qui absque gravi necessitate utitur aqua impura, turbida aut faeculenta; quia, licet aqua turbida sit materia valida, ea tamen abhorret ab usu Ecclesiae, estque contra reverentiam Sacramenti, imo saperet contemptum, si quis praesente aqua pura adhiberet impuram. *Palao* de Bapt., *Bonac.* de Bapt. p. 3. n. 7., *Henriq.*, *Tolet.*

144. *Quarta*: Qui in Baptismo solemni non adhibet aquam benedictam, probabiliter peccat graviter; tum quia agit contra grave praeceptum Ecclesiae, ut colligitur ex *Clement.* unica de Bapt., tum quia in puncto gravi concernente administrationem Sacramentorum agit contra consuetudinem Ecclesiae. *Quintanad.* defendit, quod talis tantum peccet venialiter. *Dixi in Bapt. solemni*, in privato enim et non solemni licet adhibere aquam non benedictam in defectu benedictae. *Gobat.* l. c. n. 41. Praeterea in Decreto *Bened. XIV.* super pluribus Disciplinae capitibus pro Incolis Regni Serviae, cujus initium est: *inter Omnigenas*, Tom. I. Bullarii §. 20. ita statuitur: *Curandum est etiam, ne extra casum necessitatis, justique timoris ab Infidelibus incussi, communis et naturalis aqua, vel etiam ea, quae pro lustralibus benedicitur, in Baptismi administratione adhibeatur, ac temere omittatur usus aquae ad hanc praecise effectum benedictae juxta praescriptum Rit. Rom.*

145. *Adverte II.* Circa aquam benedictam juxta Agendam Moguntinam Herb. et Wormat. observanda sunt sequentia. 1. *Aqua solemnis Baptismi sit eo anno benedicta in Sabbato Sancto Paschatis, vel Pentecostes, quae in fonte mundo nitida et pura diligenter conservetur* .... 2. *Si aqua benedicta tam imminuta sit, ut minus sufficere videatur, alia non benedicta admisceri potest, in minori tamen quantitate.* 3. *Si vero corrupta fuerit, aut effluxerit, aut quovis modo defecerit, Parochus in fontem bene mundatum, ac nitidum recentem aquam infundat, eamque benedicat ex formula* in singulis fere Agendis praescripta 4. *Sed si aqua conglaciata sit, curetur, ut liquefiat: sin autem ex parte conglaciata sit, aut nimium frigida, poterit parum aquae naturalis non benedictae calefacere et admiscere aquae baptismali in vasculo ad id parato, et ea tepefacta ad baptizandum uti, ne noceat infantulo.*

Casus II. De Materia proxima Baptismi

Eucharius Parochus insigniter prudens, cum ex secreta, sed certissima relatione accepisset, infantes a pluribus annis ab antecessore suo invalide fuisse baptizatos; ut tam saluti Parochianorum, quam famae antecessoris consuleret, inquirit in libro Baptismali, quinam ab eo fuerint baptizati, postea eorum parentes invisendo, quos reperit adhuc juniores, digito aqua lustrali madefacto signat signo crucis, adultiores vero aqua lustrali aspergit, alios amice ad se invitat, quos in discessu eodem modo aspergit consuetam simul Baptismi formam tacite pronuntians.

146. *Q.* I. An valide baptizarit signando parvulos digito aqua lustrali madefacto. R. *affirm.* Quia vere per contactum successivum iis fuit applicata materia; ergo vere possunt dici abluti. Sic V. P. *Carolus Spinola* Nangasachii

in Japonia, cum in media barbarorum turma videret parvulum jam jam moriturum, mox ad vicinum amnem properavit, ibique strophiolo bene madefacto festinus quasi medicinam applicaturus accurrit, et parvulum in fronte abluit consuetam simul Baptismi formam pronuntians; puer paulo post susceptum Baptismum expiravit.

147. *Q.* II. An Eucharius aspergendo valide baptizarit. R. Si tantum aquae asperserit, ut non tantum fuerit contactus aquae ad frontem, sed aqua de parte ad partem defluxerit, valide baptizavit: quia per ejusmodi successivum contactum potest fieri vera ablutio. Vide *Bonac.* hic n. 12. ubi requirit plures, quam tres guttas, saltem si illae per aspersionem corpus quidem contingant, sed immotae adhaereant, eoquod tunc non videatur posse dici facta ablutio.

148. I. Ad plurimos casus de materia proxima Baptismi *Observa* I. Infans in matris utero ita latitans, ut nulla ejus pars aqua profundi queat, baptizari non potest: nec ei quidquam prodest, quod nonnulli HH. olim sunt arbitrati, si ejus loco matris corpus abluatur, ita *Benedictus XIV.* l. 7. de Synodo Dioecesana C. 5. n. 2.

149. II. Ibid. ad quaestionem, an valide baptizaretur infans, cujus corpusculum, etsi nulla sui parte in lucem prodierit e matris utero, aqua nihilominus saltem per siphunculum tingi possit, respondet *primo*, ultimum hujus controversiae judicium a Sede Apostolica proferendum esse. *Secundo.* Ad Parochos pertinere obstetrices instruere, ut cum ejusmodi casus evenerit, in quo infantem nulla adhuc sui parte editum mox decessurum prudenter timeant, illum baptizent sub conditione, sub qua pariter erit iterum baptizandus, si periculum evadat et foras prodeat.

150. III. Agenda Mogunt. Herbipol. et Wormatiensis de infante, qui aliquam sui partem ex utero emisit, ita habet: *Nemo in utero matris clausus baptizari debet. Sed si infans caput emiserit, et periculum mortis immineat, baptizetur in capite, nec postea si vivus evaserit, erit iterum baptizandus. At si aliud membrum*, v. g. manum, vel pedem, *emiserit, quod vitalem indicet motum, in illo, si periculum impendeat, baptizetur; te tunc si natus vixerit, erit sub conditione baptizandus, eo modo quo supra dictum est: si non es baptizatus, Ego te baptizo in Nomine Patris etc. Si vero ita baptizatus deinde mortuus prodierit ex utero debet in loco sacro sepeliri.* Ita *Laym.* L. 5. t. 2. C. 3. *n.* 3. *Sylv.*, *Mastrius* et Card. *de Lauraea* hic n. 36. E contra *Gobat* hic n. 54. cum *Tannero* et *Escobar* negat talem Baptismum esse iterandum, cum non sit moraliter dubius. Idem sentit *Benedictus XIV.* l. 7. de Syn. Dioeces. C. 5.

151. IV. Agenda cit. ibidem statuit: *si mater praegnans mortua fuerit, os ejus apertum teneatur, et foetus quamprimum caute extrahatur, ac si vivus fuerit, baptizetur; si fuerit mortuus, et baptizari non potuerit, in loco sacro sepeliri non debet. Unde male faciunt, qui talem infantem in eodem sepulcro cum matre sepeliunt.*

152. V. Affirmat quidem *Gobat* hic n. 58. cum *Vasq.*, *Dicast.*, *Aureolo* et aliis, Baptismum infanti secundinis incluso collatum validum esse; *Clericatus* vero de Bapt. decis. 29. n. 10. ait, juxta communem DD. sententiam illum esse dubium, adeoque sub conditione repetendum.

153. VI. Cum in utramque partem in quaestione, an sufficiat in Baptismo sola ablutio capillorum, graves AA. propendeant (negativam enim tenent *Bonac.*, *Laym.* l. c., *Silvius*; affirmativam vero *Toletus*, *Valentia*, *Graffius* et alii) ideo recte resolvit *Clericatus* l. c. n. 9. Baptismum in tali casu esse dubium, idcirco repetendum sub conditione. Pro praxi bene curandum est, ut aqua per frontem, vel scapulas defluat, praesertim quando infantes jam densos, et ab obstetricibus non sollicite ablutos, sed aliqua quasi pinguedine perfusos habent capillos, per quos aqua ad cutem verticis penetrare nequit.

154. VII. Si quis carens aqua infantem alioquin moriturum sine Baptismo projiceret in aquam et simul proferret formam, Baptismus esset quidem validus, modo non expiret infans antequam Baptismus conficiatur: quia esset vera immersio conjuncta cum debita forma: foret tamen illicitus talis Baptismus, quia committeretur verum homicidium, quod est intrinsece malum. Nec juvat, quod projiciens non intendat occisionem, sed praeferat tantum vitam animae vitae corporis; quia projectio in tali casu per intentionem disjungi nequit ab occisione: ergo manet directa occisio; vita autem animae non est nisi per media licita praeferenda vitae corporis, neque facienda sunt mala ut eveniant bona. *Laymann.* l. c. n. 5.

155. VIII. Ex eadem ratione non licet secare matrem, etiam instante jam certa ipsius morte, ut salvetur anima prolis adhuc in utero latentis per Baptismum; quia esset directa occisio innocentis. Ita *Comitolus* L. 1. resp. mor. q. 14. Nec licita est talis sectio etsi mater consentiat, quia nemo est dominus vitae suae.

Q. 1. Quid, si periti Chirurgi affirment posse fieri sectionem salva vita matris? Respondet *Gobat* eam tunc licite fieri. Vide *Theoph. Rayn.* in T. de ortu infantium per sectionem Caesaream.

Q. 2. An possit secari mater praegnans ad mortem damnata propter crimina. R. Praxis habet ex Jure Civ., ut differatur supplicium, *L. praegnantem Digest. de Poenis.* Quid si talis mater interim ex gravi morbo vita periclitaretur? R. Talis rea mortis posset secari, servato juris ordine, si spes sit, fore ut foetus possit baptizari: ita *Escobar* T. 7. Exam. 2. cum *Suar.* et aliis contra *Comit.*

Casus III. De forma Baptismi.

Vide dicta supra n. 13. 14. 15. Item casum tertium n. 18. et casum quintum n. 32. etc. his adde sequentem casum.

Eulogius tenaciter cum Engelberto disputans defendit validum esse Baptismum in Nomine Christi collatum, nixus testimonio Scripturae Act. 8. 16. 2. 38. *et* 19. 5. *Porro ait hanc esse genuinam sententiam Catechismi Rom. S. Th. S. Ambr. etc. Denique addit; ut videat Engelbertus, quod haec sententia mihi cordi sit, cras divitem Judaeum, quem hucusque instruxi, sub hac forma baptizabo:* Ich tauffe dich mauschel in namen Christi. Amen.

156. *Q.* I. An validus fuerit hic Baptismus. R. *Negative:* quia in ejus forma non exprimitur Trinitas personarum. Ita comm. vide dicta n. 131. Manet certa et indubitata sententia *S. August.* L. de Eccl. dogm. c. 52. *Illos, qui non Sanctae Trinitatis invocatione apud HH. baptizati sunt et veniunt ad nos, baptizari debere pronuntiamus, non rebaptizari; neque enim credendum est eos fuisse baptizatos, qui non in Nomine Patris, et Filii, et Spiritus S. juxta regulam a Domino positam tincti sunt; ut sunt Paulinianistae, Prodiani etc.* Erravit quoque Eulogius contra usum Ecclesiae, nomine tantum communi appellando baptizandum; jubent enim Agendae, nomine proprio, quod ante baptismum imponitur, compellare baptizandum, quod indicatur per litteram N, v.g. *Petre, Ego te baptizo.*

157. *Q.* II. Quid ad argumenta Eulogii respondere debuerit Engelbertus. Respondere debuit ad 1. quod illud Act. 8. 16. *Sed baptizati tantum erant in Nomine Domini Jesu*, tantum innuat, incolas Samariae solum Baptismum Christi accepisse, nondum autem per manus impositionem Sacramentum Confirmationis: item quod invisibiliter tantum per Baptismum acceperint Spiritum Sanctum, non autem visibiliter, quod tum fiebat per Sacramentum Confirmationis. *Corn. a Lap.* Item quod Act. 2. 38. *Baptizetur unusquisque vestrum in Nomine Jesu:* et Act. 19. 5. *Baptizati sunt in Nomine Domini Jesu;* per *τὸ in Nomine Jesu Christi* non designetur forma, sed tantum si-

gnificetur, discipulos illos baptizatos fuisse Baptismo Christi, non Joannis, uti ex cit. c. Act. 19. patet, ubi mirabatur Paulus, quod Ephesii respondissent, se nescire, an esset Spiritus S., et statim interrogabat: *In quo ergo baptizati estis*? Ergo supponebat S. Paulus, quod si baptizati fuissent ab Apostolis, audivissent ex ipsa forma invocationem Spiritus S., et non tantum formam in solo Nomine Jesu prolatam. Postquam autem Paulus audivisset eos baptizatos tantum fuisse Baptismo Joannis, jussit eos baptizari in Nomine D. J. h. e. auctoritate, et Baptismo Christi in Nomine P. et F. et S. S. Adde verba *S. Cypriani* Epist. 73. ad Jubajanum: *Jesu Christi mentionem facit Petrus* (Act. 2.) *non quasi Pater omitteretur, sed ut Patri Filius quoque adjungeretur. Tertull.* L. de Bap. c. 13. de Apostolis ait: *Tingentes eas* (gentes) *in Nomine P. et F. et S. S.*

Ad 2. debuisset respondere, quod Catechismus Rom. et s. Th. 3. P. q. 66. ad 1. non doceant hodie validum esse Baptismum in solo Nomine Christi collatum, sed tantum explicent sententiam eorum, qui affirmarunt Apostolos baptizasse in Nomine Christi, scil. in primitiva Ecclesia ex speciali revelatione Christi ac dispensatione Apostolos administrasse Baptismum in Nomine solius Christi, ut hoc S. Nomen (quod erat odiosum Judaeis et gentibus) honorabile redderetur; cui tamen explicationi merito a pluribus praefertur expositio superius data.

Ad 3. Potuisset claram sententiam *S. Ambrosii* ex L. de Mysteriis C. 4. opponere, ubi S. D. ita scribit: *Credit catechumenus, sed nisi baptizatus fuerit in Nomine P. et F. et S. S. non potest accipere remissionem peccatorum.*

Reliqua argumenta de sententia S. Stephani P. et M., item Nicolai I, et S. Bernardi solvuntur in Th. Schol.

158. Praeterea *observa* I. Invalidae sunt sequentes formae: *Ego te baptizo in Patre, et Filio, et Spiritu S.* vel, *Ego te baptizo cum P. et F. et S. S.*, item, *Ego te baptizo in Nominibus Patris etc.* quia per has formas non exprimitur unitas Personarum divinarum in essentia. *Laym.* l. c. C. 4. n. 5. cum *Suar. Enriq.* et aliis. De postrema forma ita *S. Hieron.* in Epist. ad Gal. L. 2. c. 5. relatus in Canon. *Eodem* 8. de Consecrat. Dist. 4. *Non baptizamur in Nominibus P. et F. et S. S., sed in uno Nomine, quod intelligitur Deus.* Et S. Aug. L. 2. contra Maximinum c. 23. ait: *In Nomine, non in Nominibus: hi enim tres unum sunt, et hi tres unus est Deus.*

159. II. Formae dubiae ob sententiam AA. utrinque probabilem sunt: 1. *Baptizo te in Nomine Patris, Baptizo te in Nomine Filii, in Nomine S. S.* Quia licet sic non exprimatur pluralitas naturarum, uti fit per *in nominibus*, non tamen satis exprimitur unitas essentiae. 2. *Baptizo te in nomine Genitoris, Geniti, et Spirati:* vel, *in nomine Omnipotentis, Sapientis, et Boni*; quia Trinitas Personarum sic non explicatur vocibus, quibus a fidelibus debet apprehendi, ut ait *Busemb.*

Casus IV. De Ministro Baptismi.

Refert Brettenbachius, quod Amstelodami anno 1579. *uxor Catholica mariti Calvinistae natam sibi prolem ad Ministrum Catholicum baptizandam deferri voluerit, maritus ad Calvinianum: cum vero pia mater id a conjuge impetrare non posset, prolem ipsa clam baptizat. Maritus facti ignarus paulo post infantem defert ad Praedicantem; hic cum baptizare pararet, subito obmutuit; maritus cum prole domum redux uxorem severe aggreditur, et quid veneficii attentasset, percontatur: illa ingenue fatetur, quod ipsamet prolem jam baptizarit: unde et maritus divinam virtutem agnoscens fidem orthodoxam professus est.*

160. *Q.* I. An licite haec puerpera prolem suam prius ipsa baptizarit, quam deferretur ad haereticum. R. Si praeviderit prolem adhuc rebaptizatam iri ab haeretico, illicite egisset; quia minus videtur esse malum, quod infans baptizetur ab haeretico, quam quod rebaptizetur. Ita *Lugo* de Fide D. 14. S. 5. n. 164. Si vero praeviderit, eam non esse rebaptizandam, neque haberi potuisset alius Catholicus, licite videtur egisse. Ita *Lessius* in Auct. V. *Baptismus* casu 2. ait matrem posse curare, baptizari infantem privatim catholice etiam a muliere, si alius desit; quia habet jus ad talem Baptismum prolis suae, praesertim si diu expectandus esset Baptismus Praedicantis cum periculo, ne prius moriatur infans. Vide *La Croix* Lib. 6. P. 1. n. 280.

161. *Q.* II. An liceat prolem baptizandam deferre ad ministrum haereticum. R. *Per se* loquendo, id non licet. *Ratio* 1. est: quia cum baptizatio sit actus jurisdictionis, eam petere a Praedicante tanquam ministro publico, esset tacite profiteri illum esse legitimum ministrum talis caeremoniae, imo foret cum haeretico communicare in sacris: atqui haec sunt illicita: ergo. *Ratio* 2. est: quia minister haereticus, sicut omnis alius laicus, extra casum necessitatis baptizans graviter peccat: ergo qui extra necessitatem peteret a tali ministro Baptismum, merito dicendus esset cooperari alterius peccato. Dixi, *per se loquendo:* quia per accidens, quando scil. Catholici parentes sub gravissimis poenis adiguntur deferre proles ad Praedicantem, hoc casu probabiliter licet deferre; quia si in his circumstantiis quis petat ab haeretico Baptismum, videtur tantum profiteri, quod in tali casu necessitatis Praedicans sit validus minister Baptismi, et quaesitus, cur a Praedicante petat Baptismum, diceret; quia cogor et aliter evitare nequeo injustam vexationem. Neque hoc esset communicare cum HH. in sacris, sed tantum permittere, et coacte quidem, eorum caeremonias, quas liceret etiam permittere in eo casu, quo non adesset Catholicus, qui sciret baptizare. Ita *La Croix* l. c. n. 282. pro excusatione parentum Catholicorum, alias gravissimis poenis subjectorum; quae tamen dicta relinquit sapientiori aliorum judicio definienda. Contrarium decidunt ex declar. *Clem. VIII*, *Less. Veruzs et Pignatelli.* Aliud est de coena HH. quia Praedicans nequidem validus est minister Eucharistiae et consequenter ipsa HH. Eucharistia est nulla. Baptismus autem ab haeretico collatus secundum debitam materiam et formam est validus. Praeterea susceptionem coenae communiter omnes habent pro signo protestativo illius Religionis, juxta cujus ritum suscipit Eucharistiam; susceptionem autem Baptismi vel nullus, vel paucissimi pro tali signo habent, eo quod et ipsi HH. infantes curent baptizari a Catholicis.

162. *Adverte.* I. Conveniunt AA. si mater catholica sciat tale praeceptum sub gravi poena deferendi infantem baptizandum ad Praedicantem, quod teneatur ante partum in locum catholicum se conferre si possit, ut ibi prolem enitatur, et catholice curet baptizari.

163. *Quid*, si domum redux sub gravi poena obligetur, ut saltem petat a Praedicante inscribi nomen prolis libro baptizatorum? Respondet *La Croix* l. c. hoc licite posse fieri, quia non profitetur per hoc in Praedicante spiritualem potestatem, sed tantum adhibet cautelam, ut aliquando possit obtineri testimonium suscepti Baptismi.

164. Pro reliquis casibus de ministro resolvendis *observa* I. Graviter peccant parentes, si prolem suam Parocho alieno absque proprii licentia baptizandam afferant; tum quia peccato alieno cooperantur, tum quia contra Ecclesiae ordinationem cum violatione juris alieni in re de se gravi agunt. *Laym.* l. 5. t. 2. c. 7.

165. II. Peregrina pariens in alieno pago, potest Baptismum prolis petere vel a Parocho loci, aut infantem mittere ad Parochum proprium, si vicinus sit. Alias peregrini et vagi possunt eligere locum Baptismi, quem volunt. *Jansen.* p. 2. cas. 89. cum *Barbosa*, *et Pignat. Ratio* est: quia hi nullius

jurisdictionem violant, hoc ipso quod ad nullam Parochiam spectent, isti autem sint in loco alieno.

166. III. Ex dictis n. 133. Religiosus peregrinus, vel subsistens in aliquo loco peccaret graviter, si extra casum necessitatis absque licentia Parochi illius loci baptizaret; quia violaret graviter alienam jurisdictionem.

167. IV. Si plures adsint, dum quis in necessitate baptizandus est, debet servari sequens ordo juxta Agend. Herbip. de Ministro Bapt. *Si adsit Sacerdos, Diacono praeferatur* (h. e. baptizet Sacerdos, non vero Diaconus) *Diaconus Subdiacono, Clericus Laico, et vir foeminae; nisi pudoris gratia deceat foeminam potius, quam virum baptizare infantem non omnino editum, vel nisi melius foemina sciret formam et modum baptizandi. Quapropter curare debet Parochus, ut fideles, praesertim obstetrices, rectum baptizandi ritum probe teneant et servent.* Addunt alii, quod pariter praeferendus sit non excommunicatus excommunicato, catholicus haeretico, et baptizatus non baptizato; quoad hos postremos, uti et quoad Sacerdotem et Diaconum respectu aliorum, est obligatio gravis servandi ordinem, caeteris paribus; quia id exigit reverentia sacramenti et dignitas Ordinis. Quoad alios non videtur esse gravis obligatio. Recte tamen monet *Taberna*, cavendum esse, ne, dum deliberatur quis debeat praeferri, in necessitate constitutus moriatur sine baptismo. Ibid.

Additur in Agenda cit. *Pater aut mater propriam prolem baptizare non debet, praeterquam in mortis articulo, quando alius non reperitur qui baptizet, neque tunc ullam contrahunt cognationem, quae matrimonii usum impediat.* Idem habetur c. *ad limina* 7. causa 30. q. 1.

168. V. Non valet baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: *non intendo, quod facit Ecclesia.* Ut patet ex propos 28. ab *Alex. VIII.* damn. de qua egimus n. 57. Vide etiam casum n. 71. ex Bull. *Benedicti XIV.* relatum.

Quid vero agendum confessario si forte pessima obstetrix aut saga in confessione dicat, quod a pluribus annis in necessitate ex intentione baptismo contraria, v. g. in nomine diaboli vel sine intentione infantes baptizarit? R. Confessarius omni modo proponat gravitatem criminis sui, nec eam prius absolvat, quam certus sit de firmo proposito desistendi ab artibus magicis et satisfaciendi obligationi suae, vi cujus tenetur vel ipsa manifestare Parocho, vel Confessario dare licentiam, rem deferendi ad Parochum, in cujus parochia exercuerat officium obstetricis, simulque sincere jubeat dicere, quos invalide baptizarit et de quorum baptismo dubitet, ut hoc modo saltem privatim et in occulto valide baptizentur. Juxta *P. Gobat., et Elbel* cas. 2. de Baptis. Confessarius dicat tali mulieri: Si per te licet, accedam ad Parochum, vel si necessarium videatur, ad Principem Ecclesiasticum, dicamque, me aliquod secretum, ex quo pendeat salus multarum animarum, ipsi aperturum; si sancte promittat impunitatem: si consentiat poenitens, accedat Confessarius, et cum dicta conditione Parocho vel Principi Ecclesiastico dicat mulierem baptizando errasse, serioque fateri se non cum debita intentione baptizasse: caeterum, quod sit saga, vel quod in nomine diaboli baptizarit, omnino reticeat. Ibid. addit *P. Elbel*, quod judex Ecclesiasticus teneatur admittere conditionem, et sine ulteriori examine pro sua prudentia providere, ut suppleatur baptismus: alias enim absterrerentur ejusmodi homines a manifestatione similium delictorum, si ex confessione Sacramentali incurrerent periculum gravissimarum poenarum. Quae hic dicta sunt de obstetrice, prudens Confessarius facile poterit applicare casui, quo Parochus ipse fateretur, multos invalide baptizasse. In quo casu ipse Parochus facile alia media poterit adhibere, v. g. si parvulos, quos scit invalide a se fuisse baptizatos, privatim ad se invitet, et tanquam iis volens benedicere frontem aqua baptismali ad hoc

jam parata, vel in ejus defectu, aqua lustrali, aspergat largiter, et insuper pollice bene madefacto signo crucis muniens clam pronuntiet formam baptismalem: eumdem modum facile poterit adhibere, si invalide antea baptizati jam sint adulti, ut dictum est supra in casu 2. n. 146. et 147.

169. VI. Quando plures simul baptizant, 1. ita ut unus effundat aquam, alter formam pronunciet, Baptismus est nullus, ex dictis n. 11. 2. Si duo simul abluant et proferant formam, et quilibet habeat intentionem baptizandi independenter ab altero; si unus citius altero proferat formam, iste solus confert validum Baptismum; si ambo simul et eodem tempore, probabiliter adhuc unicus et validus est Baptismus, sicut quando plures neo-sacerdotes cum Episcopo verba consecrationis eodem instanti proferunt; quia singuli applicant omnia necessaria ad hoc Sacramentum, et unius actio alterius actionem non impedit, cum non pugnent inter se. Addit *S. Thom.* hic q. 67. a. 6. in corp. *Nec traderent aliud et aliud Sacramentum, sed Christus qui est unus interius baptizans, unum Sacramentum per utrumque conferret.* Affirmat *Gobat* t. 2. in Exper. n. 143. crebro evenire, ut plures mulieres pro majore securitate baptizent domi languentem infantem, quo casu censet infantem nihilominus denuo sub conditione baptizandum esse ob errores, qui plerumque in hujusmodi circumstantiis committi solent. 3. Quando plures simul baptizant cum intentione baptizandi dependenter a concursu simul baptizantium tanquam causarum partialium, dicendo: *Nos te baptizamus*; Baptismus hoc modo collatus est nullus. Ita *S. Thom.* l. c., *Laym.* l. c. n. 7. contra *Marsilium:* quia haec intentio est contraria institutioni Christi, quam traditio et praxis Ecclesiae nobis declarat. Ibidem ait *Laymann.* e contrario validum quidem, sed in raro casu licitum esse Baptismum, si unus minister eodem tempore plures simul abluat hac forma: *Ego vos baptizo* etc. Denique semper grave peccatum est si plures simul eumdem baptizent quocumque ex modis recensitis: quia sic baptizantes agunt in re gravi contra usum et praxim Esclesiae. *Babenst.* t. 8. p. 2. D. 1. a. 5. S. 1. n. 17.

170. VII. Intentio a ministro potest fieri modo sequenti. *Ego volo administrare Sacramentum Baptismi, sicut Christus instituit, et juxta ritum S. Romanae Ecclesiae ad laudem omnipotentis Dei et salutem proximi. Da mihi, o Deus, gratiam, ut digne et competenter fungar hoc officio.* Praestat etiam praemittere vel subjungere intentioni breves actus fidei, spei, charitatis et doloris, v. g. Credo omnia a Deo revelata, praesertim quod Christus instituerit Sacramentum Baptismi tanquam lavacrum regenerationis: quia Deus aeterna Veritas, quae nec falli, nec fallere potest, ita revelavit et per suam sanctam Ecclesiam credendum proposuit. Spero a te, o infinita misericordia, auxilium gratiae, ut digne jam administrare valeam Sacramentum Baptismi. Amo te, o summum Bonum, et ex amore tui dolco ex toto corde de omnibus peccatis meis; detestor omnia peccata super omnia mala etc. Volo nunc in unione illius divinae intentionis, qua tu, o mi Salvator, instituisti, administrare Sacramentum Baptismi etc.

Casus V. De Subjecto Baptismi.

Refert P. Lohner in Biblioth. Man. ex D. Anton. P. 3. V. Baptismus *Cum Rex Tartarorum Cassanus desponsatam sibi Regis Armeniae filiam morti adjudicasset una cum prole genita monstro horrendo et bruto simillima, quam ex adulterio prodiisse suspicatur, puerpera foetum suum more Christiano baptizari instanter petiit: baptizatur; et ecce! sub ipso Baptismo ex turpissimo monstro formosissimus puer evadit: quo facto Rex ipse commotus fidem Catholicam professus est.*

171. *Q.* I. An monstrum sit baptizandum. R. Agenda saepe laudata, sive Rituale Herbipolense ita resolvit de baptizandis parvulis: 1. *In monstris ba-*

ptizandis magna cautio adhibenda est: de quo, si opus fuerit, Ordinarius loci, vel alii periti consulantur, nisi mortis periculum immineat. 2. *Monstrum, quod humanam speciem non praeseferat, baptizari non debet, de quo si dubium fuerit, baptizetur sub hac conditione:* Si tu es homo, ego te baptizo etc. 3. *Illud vero de quo dubium est, an una aut plures sint personae, non baptizetur donec id discernatur: discerni autem potest, si habeat unum vel plura capita, unum vel plura pectora; tunc enim totidem erunt corda et animae, hominesque distincti; et eo casu singuli seorsim sunt baptizandi unicuique dicendo:* Ego te baptizo etc. *Si vero periculum mortis immineat, tempusque non suppetat, ut singuli separatim baptizentur, poterit minister singulorum capitibus aquam infundens, omnes simul baptizare dicendo:* Ego vos baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Ibid. addit, quod nunquam alias, nisi in mortis periculo, liceat hanc formam adhibere ad plures simul baptizandos. 4. *Quando vero non est certum in monstro esse duas personas, vel quia duo capita et duo pectora non habet bene distincta, tunc debet primum unus absolute baptizari, et postea alter sub conditione, hoc modo:* Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.

172. *Q.* II. An debeat baptizari monstrum habens caput ferinum, v. g. canis vel suis, quoad corpus vero et omnia membra referens speciem humanam. R. In tali casu, si res moram patiatur, recurrendum est ad Ordinarium. *Laymann* L. 5. t. 2. c. 6. n. 13. cum *Nav.* ait differendum esse Baptismum, donec certius cognoscatur, utrum sit homo, nec ne; si vero mortis periculum immineat, baptizandum esse sub conditione: *Si tu es homo, ego te baptizo.*

173. *Q.* III. An baptizari debeat monstrum ex bestialitate progenitum. R. Servatis iis, quae dicta sunt, si progenitum sit ex viro et bestia, baptizandum est sub conditione; quia incertum est, an sit homo. Hinc judices saeculares solent tales bestias cremare una cum reo bestialitatis. *Gobat* hic n. 278. cum *Bonac.* simpliciter ait, esse baptizandum; secus, si sit ex foemina et bestia, eoquod tum certius constet non esse hominem, neque descendere ab Adamo.

Casus VI.

Elias vir zelosus, sed non secundum scientiam, pueros hebraeorum in vicinia sua habitantium munusculis ad se allicit et perquam familiares sibi reddit; tandem aliquos, quasi vellet maculas fronti adhaerentes abstergere applicata aqua, submissa voce pronuncians formam, baptizat cum debita intentione.

174. *Q.* I. An Elias valide baptizaverit hosce pueros hebraeorum. R. Si necdum habuerint sufficientem usum rationis, valide baptizavit; quia adsunt omnia ad valorem hujus Sacramenti requisita; voluntatem autem sive intentionem suscipiendi Sacramentum supplet Christus et Ecclesia. Secus, si fuerint capaces intentionis requisitae ad suscipiendum Baptismum.

175. *Q.* II. An licite baptizaverit Elias istos pueros, invitis parentibus. R. *Negative. Ratio* patebit ex sequentibus. De Baptismo Judaeorum infantium Benedictus XIV. in epistola ad Archiepiscopum Tarsensem vices gerentem in urbe (quam vide in Tom. 2. Bullarii pag. 86.) inter caetera asserit 1. *quod nefas sit Judaeorum infantes baptizare invitis eorum parentibus.* Idem est judicium *S. Thom.* 3. p. q. 68. a. 10. *Bonac.* de infantibus quorumcumque infidelium non baptizatorum, qui Christianis parentibus non despotice, ut servi vel mancipia, sed civiliter tantum, ut tributarii et vassalli sunt subjecti. *Ratio* est: quia vel tales infantes abstrahuntur a potestate parentum educandi in fide Christiana, vel eorum curae relinquuntur. *Si primum:* parentibus fit injuria, qui jus naturale habent retinendi apud se liberos, eosque

nondum rationis compotes educandi. *Si secundum:* gravis ignominia Religioni infertur, cum tales baptizati parvuli parentibus infidelibus relicti moraliter certo perversionis et apostasiae periculo exponantur.

176. 2. Ibidem ait: si contingat, ut ab aliquo Christiano hebraeorum infans morti proximus reperiatur, rem laudabilem, Deoque gratam is efficit, qui infanti aqua lustrali salutem praebeat immortalem.

177. 3. Addit, quod illum infantem hebraeum oporteat baptizari, qui projectus est et a parentibus derelictus.

178. Porro subjungit ibid. sequentes declarationes: I. Si parentes desint, infantes vero alicujus hebraei tutelae commissi fuerint, eos sine tutoris assensu non licet baptizare, eo quod omnis parentum potestas ad tutores pervenerit, contra *Dicast. Gobat et La Croix*, quorum ratio est, quod, cum jus tutorum sit per leges civiles introductum, possit eidem per Principem derogari, praesertim in causa infantibus tam favorabili.

179. II. Si pater Christianus fieret, juberetque infantem illum baptizari, baptizandus est etiam hebraea matre invita.

180. III. Quamvis mater filios sui juris non habeat, tamen ad fidem Christi si accedat, et infantem prolem offerat baptizandam, tametsi pater hebraeus reclamet, nihilominus aqua Baptismatis abluenda est.

181. IV. Si avus paternus Catholicam fidem susceperit, ac nepotem ferat ad sacri lavacri fontem, infans baptizandus est, etsi, mortuo patre, mater hebraea repugnet, imo etsi pater vivat atque dissentiat, avus ad fidem conversus praeferendus est. Idem Bened. XIV. in Tom. III. Bull. epist. 54. quae incipit: *Probe te meminisse*, affirmat, quod avia neophyta nepotes infantes licite offerat ad Baptismum, dissentiente matre, et tutoribus Judaeis.

182. V. Denique pro regula generali statuit, infantes a parentibus hebraeis oblatos baptizandos esse, etiamsi parentes mentem deinceps mutent; nunquam autem baptizandos esse, ubi adest periculum perversionis; qui vero, invitis parentibus, illicite baptizati sunt, rite tamen baptizandos et subtrahendos esse a parentibus, ac Christianis tradendos, ut fidem Catholicam edoceantur.

183. *Q.* III. Quaenam sint regulae pro baptizandis hebraeis, aliisque infidelibus adultis. R. Benedictus XIV. in epist. n. 176. cit. statuit 1. Hebraeum, septennio completo, sui compotem et quodammodo adultum censeri; ubi addit certissimam hac in re esse regulam, quod, si citra illam aetatem certo constet, puerum fidei catechismis instructum satis intelligere quidnam sit baptizari, et quemadmodum fiat professio Christianae Religionis, baptizandus sit; coquod aetas ad contrahendum matrimonium lege humana statuatur; lex autem divina Baptismi neutiquam ab humana dependeat.

2. Ait, si de perfecto rationis usu dubitetur, Sacramentum esse differendum, eumque, qui postulat Baptismum, retinendum ac interea informandum esse, ut idoneus evadat Baptismati postea suscipiendo.

3. Ait, dubitari non posse Baptismum esse validum, si adultus ad salutis fontem accesserit, voluntate animatus accipiendi, non quodcumque lavacrum, sed unice proprium Ecclesiae.

4. Si baptizandus praesenti voluntate careat, quam alias tamen habuerit, examinari prius debet utrum voluntas antecedens nunquam deinceps retractata adhuc perseveret; nam si nulla praecesserit retractatio et moraliter perdurare videatur intentio, est certe validum Sacramentum.

5. Addit, si certo constet adultum, cum baptizaretur, nullam prorsus habuisse voluntatem aut intentionem, illum monendum esse, ut rite id faciat, quod jam irrite fecit, et suscipiat absolute ac libere Baptismum; si vero obstinate repugnet, tum nihil aliud superesse, nisi ut remittatur. Si autem dubium sit, nec intelligi possit, an defuerit aut sufficiens adfuerit intentio, adultum tum sub conditione baptizandum esse; qui vero ita baptizati sint, fidem Catholicam observare tenentur.

184. *Q.* IV. An infantes infidelium non baptizatorum Principi Catholico despotice subjectorum, cujusmodi sunt Turcae et Saraceni, qui emuntur a veris dominis aut jure belli apud illos fiunt servi, licite baptizentur invitis parentibus. R. *Affirmative*, dummodo a cura parentum abstrahantur et curae fidelium tradantur cum consensu dominorum. *Bonacin.* de Bapt. Sect. 2. pu. 2. n. 11., *Valentia*, *Gonet*, et alii. *Ratio* est: quia ejusmodi Principes habent plenum dominium in parentes et filios; ergo volente domino ut baptizentur ejusmodi infantes et curae fidelium tradantur, parentibus non fit injuria, et remotum esse supponitur periculum perversionis.

185. *Q.* V. An licitum sit, Catholice baptizare infantes haereticorum contra voluntatem parentum. R. *Affirmative:* quia haeretici Ecclesiae jurisdictioni subjecti sunt: ergo iis non infertur injuria, dum compelluntur, ut parvulos suos ritu Catholico baptizari curent atque in vera fide instituant.

Dices. In Germania tum propter pacta cum Augustanae Confessionis sectatoribus, tum ad evitandum majus malum liberi relinquendi sunt in potestate parentum; ergo non licet eos ritu Catholico baptizare propter periculum perversionis cum gravi irreverentia Sacramenti. *Suarez*, *Coninck* et alii concedunt totum; *Laymann* vero L. 5. t. 2. c. 6. n. 12. negat consecq. affirmans in Germania praxim contrariam a viris doctis ac piis saepe observatam fuisse, tum quia periculum perversionis non est adeo propinquum ac certum sicut apud infideles non baptizatos, tum quia haeretici Christi nomen et sacra Christiana non detestantur ut alii infideles, tum quia facilior spes est fore ut HH. liberi aliquando in fide Catholica instituantur, quam hoc ipso saepe libentius amplectuntur, quod sciant ritu Catholico se fuisse baptizatos.

186. *Q.* VI. An filii infidelium adulti, et perpetuo amentes licite baptizentur, invitis parentibus. Respondet *Laym.* l. c. n. 11. *Affirmative*; quia propter extremam necessitatem baptizandorum hoc casu aliqualis violatio parentibus illata ab injuria excusatur; tales enim adulti omni remedio spirituali spoliati essent, quando nulla spes est eos ad rationis usum perventuros.

187. Porro *observa*. Si foetus praematurus sive abortivus edatur, et in eo advertatur motus vitalis, baptizari debet saltem sub conditione; quia, ut *Lessius*, *Lugo*, et alii ex probatis Medicis docent, foetus animatur circa trigesimum a conceptione diem, juxta alios multo citius. Si vero non constet de signis vitalibus ex pulsu, respiratione, vel alio motu, juxta *Rituale Romanum* baptizandus non est.

Casus VII. De Iteratione Baptismi

Engelbertus e Christianis parentibus in castris natus, iis vero mortuis, a Christianis educatur, inter quos etiam pie conversatur; continuo tamen valde dubitat an sit baptizatus, cum nec constaret de loco, ubi sit baptizatus, nec de patrino.

188. *Q.* I. An Engelbertus sit baptizandus saltem sub conditione. R. *Negative.* Desumitur responsio ex c. *Veniens*, fin. de Presb. non baptiz. ubi *Innoc. III.* ad Episc. Ferrariensem ita dicit: *Certe de illo, qui natus est de Christianis parentibus, et inter Christianos est fideliter conversatus, tam violenter praesumitur quod fuerit baptizatus, ut haec praesumptio pro certitudine sit habenda: quare non denuo baptizandus est, donec evidentissimis forsitan argumentis contrarium probaretur.* Hinc si aliunde accederet justa causa dubitandi, an quis sit baptizatus, v. g. quia nativitati ejus adstantes testantur, eum nec ad Ecclesiam fuisse delatum, nec domi baptizatum, sed quia ipse moribus ac religione perditam vitam degebat, si neque scripto, neque ullo teste constet de illius Baptismo, tunc enim deberet saltem sub conditione baptizari. Ita *Pontas* V. *Baptismus* Casu 31. ubi pro similibus dubiis addit mitiorem hanc regulam ex epist. 37. c. 1. *S. Leonis*:

Imprimis itaque providere debemus, ne, dum speciem quamdam cautionis tenemus, in damnum generandarum animarum incidamus ..... Cum itaque baptizatum se nec ille recordetur, qui regenerationis est cupidus, nec alter attestari de eo possit, quod nesciat consecratum; nihil est in quo peccatum possit obrepere, cum in hac parte conscientiae suae nec ille reus sit qui consecratur, nec ille qui consecrat. Plura ibid. ex epist. *S. Leonis* 92. c. 15. ad *Ruffinum* Narbon. Episcopum: vide etiam num. seq.

189. *Q.* II. Quibus in casibus regulariter iterandus sit Baptismus. R. Praeter dicta n. 136. juxta Agend. Herbip. de forma Bapt. sub conditione repetendus est Baptismus in sequentibus casibus: I. *Si ob imminens mortis periculum infans adeo praecipitanter et tumultuarie sit baptizatus, ut certo constare nequeat, an necessaria omnia fuerint adhibita.*

190. II. *Si in partu geminorum, pluriumve unius caput emissum atque salutari unda perfusum in uterum se recipiat, et postea de se dubitandi occasionem praebeat.*

191. III. *Si inter infideles aut haereticos, maxime Anabaptistas quis educatus, neque ipse Baptismatis sui recordari, neque per idoneos testes de eo suscepto certior fieri possit, aut si ab illis baptizatus sit, qui, ut a Catholica Ecclesia dissentiant, studiose Sacramentorum formas pervertunt, materiam contemnunt, intentionem vitiant etc.* Quibus verbis non innuit Agenda, quod promiscue omnes ab HH. baptizati sint rebaptizandi sub conditione, sed pro praxi monet, circa tales caute indagandum esse ubi baptizati sint: et si comperiatur fuisse baptizatos in tali loco, ubi grassantur ejusmodi errores circa Baptismum, esse iterum baptizandos saltem sub conditione; tutissimum est in tali casu, ubi de valore baptismi dubitatur, rem deferre ad Ordinarium. Laudat Benedictus XIV. de Syn. L. 7. sanctionem a Patribus Concilii Provincialis Mechliniensis anno 1607. factam, qua decreverunt denuo baptizandos esse, qui baptizati sunt ab haereticis, apud quos mos invaluerat, ut, uno aquam fundente, alter formam pronunciaret ut refert de ministris Hollandiae et finitimarum regionum. Ibid. pro generali regula circa tales casus adducit declarationem sacrae Congregationis Concilii, quae interrogata, an et in quibus casibus baptizati ab HH. debeant sub conditione rebaptizari, si ad fidem Catholicam convertantur, die 27. Martii 1683. respondit, *non esse rebaptizandos, nisi adsit dubium probabile invaliditatis Baptismi.* Ibid. ex actis Concilii Ebroicensis anno 2566. ait a *Paulo V.* definitum esse, non esse rebaptizandos ob hanc tantum rationem, quod haereticus minister a quo collatus fuit Baptismus, cum non credat regenerationis lavacro deleri peccata, illud non contulerit in remissionem peccatorum, atque ideo non habuerit intentionem illud conficiendi, prout institutum est a Christo; quia valori Sacramenti non obstat privatus ministri error, cui praevalet generalis ejusdem ministri intentio faciendi quod Christus instituit, sive quod fit in vera Christi Ecclesia.

192. IV. Juxta cit. Agendam sub conditione rebaptizari debet, *si ex aliqua necessitate membrum aliud, quam caput, scapulae, pectus, vel horum aliquod sub forma tamen et materia secundum DD. dubia fuerit baptizatum.* Vide dicta *n.* 150.

193. V. *Si obstetrices in necessitate baptizarint, regulariter sub conditione infantes ab ipso Parocho denuo baptizentur, ob justum timorem, ne forsan aliquid substantiale ab ipsis intermissum fuerit.* Ubi bene notanda sunt verba; *ob justum timorem*; si enim *certo* constaret, Baptismum ab obstetrice esse rite collatum, non esset sub conditione iterandus, sed tantum supplendae caeremoniae in Ecclesia praescriptae. Benedictus XIV. hac super re l. c. ita habet: *Si obstetrices de Sacramenti materia, forma et necessaria in ministro intentione sint legitime edoctae, sicuti nos in Notif. 8. cas per Parochos solerter edoceri jussimus, priusquam ad obstetricum officium exercen-*

dum admittantur, eaeque in speciali eventu, quo baptisma periclitanti infanti privatim contulerint, ab eodem Parocho interrogatae omnia rite a se adhibita testentur, quae ad Sacramentum valide conficiendum requiruntur, nulla sane subest probabilis ratio, cur Baptismus debeat aut licite possit sub conditione repeti. Ex quibus verbis in praxi obstetrix a Parocho interroganda est, quomodo baptizaverit, quam materiam adhibuerit, quam formam pronunciaverit, an et quam intentionem habuerit, an et quam partem corporis abluerit etc. Si ad interrogata nec bene, nec constanter respondeat, recte juxta Agendam citatam regulariter infantes sub conditione denuo ab ipso parocho baptizentur. Secus si omnia rite a se adhibita sine haesitatione ac dubio testetur, ita ut justus non supersit timor, ne aliquid substantiale sit intermissum.

Casus VIII. De Infantibus expositis.

Elisaeus aedituus mane aperturus Ecclesiam, reperit infantem expositum una cum schedula collo appensa et sale, tanquam testimonium Baptismi jam collati.

194. *Q.* An hic infans adhuc debeat saltem cum conditione baptizari. R. *Affirmative.* Rationem dat Benedictus XIV. in laudato opere de Synodo L. 7. c. 6. et Tom. II. Bullarii pag. 209.; quia non debemus rem adeo gravem committere fidei personae ignotae, cujus qualitates explorare non possumus; quare sacra Congregatio Concilii interrogata, an iterum baptizandi essent infantes, vulgo *expositi*, ad hospitale sancti Spiritus in Saxia de Urbe delati, etiamsi habeant collo appensam schedulam attestantem eos fuisse Baptismate ablutos, die 15. Januar. 1724, respondit, *esse denuo baptizandos sub conditione, nisi certa habeatur notitia personae, a qua schedula sit exarata, aut aliunde indubitatum desumatur indicium Baptismatis rite eidem collati.* Agenda Herbip. tit. de baptiz. parvul. ita habet: *Infantes expositi et inventi, si re diligenter investigata, de eorum Baptismo non constat, sub conditione baptizentur.* Idem confirmat *Gobat* t. 2. n. 297. ex Synodis Cameracensi, Mediolanensi III. sub s. Carolo Borrom., Colon., Constat. Plura vide apud *Marchant.* t. 2. c. 2. n. 4. de resol. Pastor. de Sacram. Contrarium docuerunt. *Sotus Sylv.* V. Baptism. q. 9., *Palud.*, *Comit.* et alii, eoquod testimonium adjectae schedulae moralem certitudinem indicat; sicut testimonium obstetricis. Sed negatur τὸ *sicut*: quia hoc testimonium habetur a persona certa, quae aliunde supponitur non esse suspectae fidei, bene instructa etc.; non illud: ergo.

195. *Pro aliis casibus resolvendis observa* I. Si certum sit, unum e pluribus esse invalide baptizatum, nec posset resciri, quisnam eorum ille sit, singulos esse sub conditione rebaptizandos, affirmat *La Croix* de Baptism. n. 311. cum *Lug.* et *Dicast.*: quia, cum de nullo supponatur haberi certum fundamentum, quod non sit ille certo invalide baptizatus prudenter de singulis dubitare potest: ergo.

196. II. *Eulalia alias nec scrupulosa, nec melancholica, sed prudens mulier nunc perpetuis scrupulis, anxietatibus et inquietudine agitatur de baptismi sui valore; hinc rogat Parochum, ut se sub conditione rebaptizet. Quaeres:* An iterandus hac de causa sit Baptismus. Affirmant *Quintanadv.*, *Ailoza*, *Gobat* hic a n. 446., *La Croix.* hic n. 313. et alii, eoquod videatur esse prudens dubitandi ratio, quam confirmant plura exempla non baptizatorum, qui ita interne sunt agitati, post susceptum vero sub conditione Baptismum internae tranquillitati sunt restituti, alii ab infestatione spectrorum liberati etc. Nihilominus hoc facile fieri non debet; sed prius bene perpendendae et examinandae sunt circumstantiae personae ac loci, ubi primus Baptismus fuerit collatus et a quo; denique post diuturnam expectationem et post

alia remedia frustra adhibita res est deferenda ad Ordinarium, et suadendi interea frequentes actus fidei, spei, charitatis, et doloris perfecti. De scrupulosis patet quod non sint audiendi.

197. III. Si Episcopus vel Sacerdos ex gravibus motivis, adeoque prudenter dubius maneat de valore sui Baptismi, non tantum debet abstinere a functionibus Episcopalibus vel Sacerdotalibus, sed debet conditionate denuo baptizari, et si in officio velit persistere, denuo ordinari et consecrari; pariter, qui a tali ordinati sunt, aut absolutionem sacramentalem acceperunt, iterum ordinandi et a peccatis absolvendi sunt; quia, quod est de jure divino, non suppletur per communem errorem, ut ait *Leonardelli* de Septem Sacram. c. 7. t. 1. c. 2. §. 2. q. 8. Contrarium docet *Jansen.* P. 2. cas. 82. num. 24. dicens: Si ejusmodi Sacerdos ante dubium de suo Baptismo jam plures absolverit, missas pro stipendio legerit, ipse et poenitentes tuti esse possunt; quia nullitas Baptismi non est certa, et in dubio praesumendum est pro valore actus, et ipsi sunt in possessione. At praeplacet prior sententia. Addit *Gobat* t. 2. num. 441. quod, si sciat poenitens confessarium suum fuisse rebaptizatum propterea quod prior Baptismus fuerit plane nullus, debeat absque dubio peccata mortalia vel eidem rebaptizato saltem in genere aperire dicendo: *Me rursus accuso coram R. V. de omnibus peccatis, quae fui ipsi unquam confessus*, vel alteri, distincte omnia iterum exprimendo. *Sed quid, si poenitens nesciat, confessarium suum fuisse rebaptizatum?* R. Tum erit in bona fide, et quando alteri legitimo Sacerdoti peccata sua confitetur, simulque in genere omnium suorum peccatorum dolens se accusat, etiam prius exposita simul indirecte remittentur: imo facienti, quod est in se, Deus non deerit, sed potius deficiente alio medio dabit gratiam perfecti doloris aut amoris.

198. IV. Religioso ob defectum essentialem prioris Baptismi rebaptizato non licet deserere propterea Religionem, quamvis nec opus sit Novitiatu iterato, nec repetita Professione, quam tantum ratificare tenetur, ut declaravit S. Congr. Card. 1588.

§. IV. De Caeremoniis Baptismi.

199. Principium I. *Caeremonias et ritus ab Ecclesia pro administratione Baptismi solemnis institutos extra casum necessitatis omittere aut immutare, est peccatum ex genere suo mortale contra Religionem, et obedientiam Ecclesiae debitam; Laym.* L. 5. t. 2. c. 7. n. 5., quia est contra antiquissimum et saepe repetitum Ecclesiae praeceptum de illis adhibendis. Hinc *Trid.* sess. 7. Can. 13. statuit. *Si quis dixerit, receptos et approbatos Ecclesiae Catholicae ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos aut contemni, aut sine peccato a Ministro pro libitu omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, anathema sit.* Ritus, qui etiamnum in Ecclesia sunt recepti, et ad Baptismum solemniter conferendum sunt observandi, habentur in ritualibus sive Agendis cujusque Dioecesis. Quare, ut recte monet *Laymann.* l. c. ministri Ecclesiae operam dare debent, ut ritus Ecclesiasticos circa Sacramentorum ministrationem calleant, et cum decore ac populi aedificatione exerceant, juxta illud 1. Cor. 14. *Omnia honeste, et secundum ordinem fiant.* Dixi supra, *Extra necessitatem*; quia in casu necessitatis ejusmodi omissio nullum erit peccatum, sublata necessitate, caeremoniae suppleri secundum ordinem debent: omittere unam ex levioribus caeremoniis est veniale tantum ob parvitatem materiae. Unctionem Chrismatis in vertice baptizati omittere in baptismo solemni, semper moraliter peccaminosum censet *Nugnus* et *La Croix* hic n. 339.

200. Principium II. *Ad Baptismum regulariter sub gravi obligatione adhibendus est Patrinus isque mas, si puer baptizandus; foemina vero, si puella sit baptizanda,* de quo *Trid.* sess. 24. c. 2. de reform. matrim. ita statuit, *ut*

unus tantum sive vir, sive mulier juxta sacrorum Canonum statuta, vel ad summum unus et una baptizatum de Baptismo suscipiant; inter quos et baptizatum ipsum, et illius patrem et matrem, nec non inter baptizantem et baptizatum, baptizatique patrem ac matrem tantum spiritualis cognatio contrahatur. Parochus, antequam ad Baptismum conferendum accedat, diligenter ab iis, ad quos spectabit, sciscitetur, quem vel quos elegerint, ut baptizatum de sacro fonte suscipiant et eum vel eos tantum ad illum suscipiendum admittat, et in libro eorum nomina describat, doceatque eos quam cognationem contraxerint, ne ignorantia ulla excusari valeant. Quod si alii, ultra designatos, baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahant, constitutionibus in contrarium facientibus non obstantibus. Cognationem spiritualem contrahentes memoriae causa comprehenduntur his versibus claudicantibus:

Baptizans, baptizatus, baptizatique parentes,
Levans, levatus, levatique parentes.

201. Ut quis *valide* munus *Patrini, Compatris, Sponsoris* vel *Fidejussoris* in Baptismo obeat, requiritur 1. ut sit compos rationis; certa tamen ac determinata aetas post usum rationis non requiritur. 2. ut sit baptizatus; quia pater nequit esse, qui nondum est natus in Ecclesia, nec aptus est ad instruendum in fide, qui eam non suscepit in Baptismo. 3. ut habeat intentionem patrinandi; alias censeretur quis tantum materialiter assistere, nec velle in se suscipere officium patrini. 4. ut baptizandum in collatione Baptismi vel teneat, vel levet, vel e manu baptizantis suscipiat vel per se vel per procuratorem.

202. Illicite exercent munus patrini 1. *Monachi*, juxta cap. *Placuit communi.* 8. causa 14. q. 1.; et juxta c. *Non licet.* 303. D. 4, de Consecr., quo nomine *Coninck* et *Palao* tantum intelligunt eos, qui solitudinem incolunt: *Laymann*, vero cum pluribus loc. cit. cap. 9. n. 3. ait, omnibus Religiosis saltem claustralibus prohibitum esse patrini munus suscipere, eoquod ratio prohibitionis in omnibus locum habeat, scil. ne ob contractam spiritualem cognationem nimia familiaritas cum saecularibus, praesertim cum foeminis contrahatur.

Secundo. Patrinus vel Matrina esse nequeunt extra casum necessitatis *Pater* vel *Mater* respectu propriae prolis. c. *Pervenit.* 1. causa 30. q. 1.

Tertio. Excipiuntur ab officio patrini *moribus infames*, quousque tales esse perseverant. Huc reducuntur ii, qui censura ecclesiastica affecti sunt.

Quarto. Excipiuntur haeretici: quia iis utpote a veritate deviantibus Ecclesia fidere nequit, nec sperare, fore ut baptizatum rite instruant in fide. *Laymann.* l. c. n. 7. ait, propter gravem causam seu necessitatem in Germania permitti posse, ut haereticus ad suscipiendum infantem designetur; ubi tamen addit, quod Sacerdos ante Baptismum palam edicere debeat, infantem in fide Catholica baptizari, in eaque instruendum esse, si ad usum rationis pervenerit; quamobrem parentibus et patrinis incumbere, ne hanc ejus instructionem impediant. Periculum autem perversionis timendum non esse, ex eo probat, quod pueri vix unquam in Germania a patrinis instruantur in fide. Nihilominus praxis in Germania plus concedere non videtur, quam quod ob graves causas acatholicus adhiberi possit, non ut patrinus, sive ut spondeat pro baptizando, eumque in fide instruendum suscipiat, sed ut persona honoraria: ideoque omittendae tunc sunt quaestiones, quae alias ad patrinum fiunt. Unde ait *Laym.* admittendum talem acatholicum sine ulla ejus promissione.

Quinto. Ordinarie admitti non censetur ad hoc munus, nisi qui fuerit designatus ad illud, quae designatio primo ac per se pertinet ad parentes;

deinde ad Parochum, ut constat ex *Trid.* cit. et praxi. Breviter exclusi ab officio patrini comprehenduntur his versibus:

Baptismo, fama, ratione, fideque carentes,
Censura affecti, Monachi, quibus adde parentes.

Resolutio Casuum.

CASUS I.

Exuperius neo-sacerdos nuper Curae admotus vocatur ad aedes Satrapae viri nobilis ad baptizandum infantem sanum et vegetum: haeret aliquamdiu neo-Curatus, an liceat in privatis aedibus extra casum necessitatis baptizare; tandem se resolvit et baptizat omissis caeremoniis. Idem paulo post baptizat infantem in necessitate absque caeremoniis, quas altero die supplet, cum sanus infans portaretur ad Ecclesiam, omissis tamen exorcismis, eoquod crederet daemonis potestatem per Baptismum jam penitus esse sublatam.

203. *Q.* I. An liceat conferre Baptismum in domibus privatis? R. Ex Clementina unica de Bapt. Non licet, *nisi Regum vel Principum....liberi extiterint, aut talis necessitas emerserit, propter quam nequeat ad Ecclesiam absque periculo propter hoc accessus haberi. Qui autem secus praesumpserit, aut suam in hoc praesentiam exhibuerit, taliter per Episcopum suum castigetur, quod alii attentare similia non praesumant.* Agenda Herbip. de hoc passu ita habet: *Itaque necessitate excepta, citra expressam Ordinarii licentiam, in privatis locis nemo baptizari debet, nisi forte sint Personarum Illustrium filii, id ipsis ita deposcentibus, dummodo id fiat in eorum Capellis seu Oratoriis, aut aliis locis decenter ad hoc ornatis, et in aqua baptismali de more benedicta.* Juxta *Gobat* hic n. 492. in Constantiensi Dioecesi permitti solet omnibus Nobilibus, ut eorum infantes baptizentur in oratorio domestico; hinc Parochus hac in re perspectam debet habere et sequi suae Diocceseos consuetudinem. Merito autem conqueritur *Marchan.* in Resol. pastor. t. 2. de Sacram. c. 3. hanc consuetudinem saepius nimium extendi contra Ecclesiae praeceptum. Juxta *Leonardelli* hic n. 68. ex comm. DD. graviter peccat, qui extra Ecclesiam baptizat, excepto casu necessitatis aut habentis privilegium.

204. *Q.* II. An Exuperius recte egerit omittendo caeremonias in primo Baptismo? R. *Negative:* quia licet dispensetur cum quibusdam jurisdictionem temporalem habentibus, ut eorum parvuli baptizentur domi; non tamen est ratio sufficiens, quod hoc privilegium quoad locum etiam extendendum sit ad separationem rituum a Baptismo. Ita *Suar.* hic D. 30. Sect. 2., *Jordan.*, *Quintanad.* et alii. Ideoque talis Baptismus etsi non sit publicus sive solemnis quoad locum, est tamen solemnis quoad reliquos ritus et caeremonias, a quibus potissimum desumitur denominatio, ut ait *La Croix* hic n. 333. cum *Gobat.*

205. *Q.* III. An Exuperius recte omiserit exorcismos, supplens caeremonias? R. Per se loquendo, male omisit. Ita *Laym.* ex Pastorali Romano cum gravibus AA. contra *Comitolum* L. 5. t. 2. c. 8. n. 10. in tali casu, dum Minister homini baptizato daemonis ejectionem atque gratiae donum precatur, intentionem suam referre debet tum ad perfectiorem daemonis expulsionem, ad illius insidias plenius dissolvendas et tentationes superandas, tum ad uberiorem gratiae communicationem et jam acceptae conservationem. Nihilominus in hoc attendendum est ad locorum consuetudinem, ut teste *Gobat* n. 507. ea non viget in Dioecesi Constantiensi: hinc supra dixi, *per se loquendo.*

206. *Q.* IV. An in haeretico ad fidem Catholicam converso, et antea rite baptizato supplendae sint caeremoniae? Respondet *Laym.* l. c. in nostris regionibus eam quidem consuetudinem non vigere, fortassis ne rudis populus existimet nos haereticorum Baptisma debite collatum tanquam invalidum improbare, id tamen non esse alienum ab Ecclesiae universalis consuetudine, si sine scandalo aut alio incommodo fieri possit.

207. *Q.* V. An, si post Baptismum solemniter collatum certo deprehendatur rebaptizandum esse infantem ob errorem substantialem (v. g. quia debita materia non fuit adhibita) simul repetendae sint caeremoniae? R. *Negative* cum *Bonac.* D. 2. q. 2. p. 7. n. 22. contra *Henriq.* tum quia finis, quem intendit Ecclesia per caeremonias, jam per primam earum administrationem est obtentus, illaeque valent etiam separatae a Baptismo: tum quia *Innoc. III.* c. 1. de Sacram. non iterand. ait, in Sacramentis characterem imprimentibus iterationem non esse faciendam, sed caute supplendum defectum: ergo cum in caeremoniis non fuerit defectus, etiam eae iterandae non sunt. *Confirm.* ex eo quod juxta Comm. benedictiones in matrimonio invalide contracto non solent repeti. Addit *Bonac. Hoc tamen intellige, nisi aliter usu receptum sit.*

208. *Pro reliquis observa I.* Pro solemni administratione Baptismi praeter vasculum *salis benedicti*, cum gossipio ad abstergenda loca sacris oleis inuncta, ac praeter duas stolas vel saltem unam, quae ex una parte sit violacea, ex altera alba, in promptu esse debent: *vasculum sancti olei Catechumenorum*, quod superius notatur littera *S*, quae designat Oleum Salutis Catechumenorum. 2. *vasculum sacri Chrismatis*, quod notatur littera *C*, quae denotat sacrum Chrisma. 3. vasculum notatum litera *I*, huc non pertinet, quia continet oleum infirmorum pro Extrema Unctione, non vero oleum Infantium, sicut nonnemo perperam intellexisse fertur.

209. II. Si post diem Jovis s. sit baptizandus infans, et Parochus necdum acceperit novum Chrisma consecratum, novumque sanctum oleum, juxta *P. Gobat* hic n. 511. potest differri totus Baptismus, si absit periculum, ut moriatur infans; si vero urgeat periculum, poterit antiquum Chrisma adhiberi. *Marchantius* suadet, ut Parochus praemittat alia de more et baptizet, postea vero suppleat unctiones. Agenda Herbipolensis de sacris oleis ita statuit: *Nova olea si ob distantiam loci, vel aliud incidens impedimentum ipso Sabbato sancto haberi nequeunt, fons baptismalis nihilominus eo die benedicatur, omniaque eo ordine, quo in hoc Rituali praescribuntur, peragantur, excepta infusione et commixtione Chrismatis et olei, quae fit die, quo sacra olea recepta fuerint. Ante infusionem autem et commixtionem Chrismatis et olei, infantem baptizet nullum, nisi necessitas aliud suadeat. Veteribus oleis* (quae solent comburi in novo igne Sabbati sancti) *nisi necessitas cogat, ultra annum non utatur: ac si*, anno nondum finito, *deficere videantur, et Chrisma aut Oleum benedictum haberi non possit*, v. g. e proxima Parochia, *aliud oleum de olivis non benedictum adjiciatur, sed in minore quantitate.*

210. III. Juxta piam ac laudabilem consuetudinem Baptizando debet imponi nomen tanquam Dei Filio in Christo regenerando, et in ejus militiam adscribendo. Hinc jussu *Pii V.* curet Parochus, ne obscaena, fabulosa aut ridicula, vel inanium Deorum nomina imponantur, sed potius Sanctorum, ut baptizatus eorum vitam imitari conetur, eorumque intercessionibus apud Deum uti et suis in necessitatibus juvari possit. Porro in casu necessitatis, quo baptizandus est foetus immaturus, in quo sexus dignosci nequit, juxta *Possevinum* de Bapt. q. 20. sufficit dicere: *Creatura Dei, ego te baptizo* etc.; alias, quando dubitatur de sexu, juxta *Leonard.* l. c. bene agit baptizans, si duplex nomen scil. viri et foeminae imponat, prout de facto plures, de quorum tamen sexu non dubitatur, nominantur *Antonius Maria*; vel si tale nomen imponat, quod, deprehenso errore, facile e masculo in foemininum potest mutari, ut *Josephus*

in *Josepha*, *Joannes* in *Joanna*: quod etiam fieri convenit, dum sexus successu temporis mutatur, prout auctores apud *Gobat* n. 338. factum esse testantur.

Casus II.

Florimundus et Felicitas nuper prolem honesti civis de sacro fonte susceperunt: nunc autem matrimonium inter se contrahere cogitant, nec ullam gerunt curam sui filiastri, quamvis sciant, eum inter amicos acatholicos in praesentissimo perversionis periculo versari.

211. *Q.* I. An Florimundus et Felicitas contraxerint cognationem spiritualem, quae sit impedimentum matrimonii? *Negative*; quia nec de jure antiquo inter ipsos patrinos hoc impedimentum oriebatur, ut ostendit *Sanchez*. L. 7. de Matrim. D. 54., nec oritur de jure novo; *Tridentinum* enim supra cit. noluit hanc cognationem extendere, sed restringere. Ibid. per *tò inter quos* nullatenus intelligit hanc cognationem oriri inter illos tanquam patrinos; sed inter illos et alias personas, quae statim numerantur. Ita *Suarez* in Comment. ad P. 3. q. 67. a. 8. Vide dicta n. 200.

212. *Q.* II. Quodnam sit officium et obligatio patrinorum? R. Cum patrini sint quasi patres spirituales, ex *Jure Canon.* Fidejussores, Susceptores, juxta *Tertull.* Sponsores, juxta *S. Aug.* Fidei Doctores, hinc Patrini sive Compatris officium est 1. baptizandum tenere, aut si Baptismus fiat per immersionem, de fonte levare. 2. pro filiastro, si ipse non possit, spondere et respondere. 3. eum, si opus sit, in fide et moribus instruere. De obligatione patrini ait *S. Th.* q. 67. a. 8. in corp. *Dicendum, quod unusquisque obligatur ad exequendum officium, quod accepit. Dictum est autem, quod ille, qui suscipit aliquem de Sacro Fonte, assumit sibi officium Paedagogi; et ideo obligatur ad habendam curam de ipso, si necessitas immineret, sicut eo tempore et loco, in quo baptizati inter infideles nutriuntur: sed ubi nutriuntur inter Catholicos Christianos, satis possunt hac cura excusari, praesumendo quod a suis parentibus diligenter instruantur. Si tamen quocumque modo sentirent contrarium, tenerentur secundum modum saluti spiritualium filiorum curam impendere.* Vide c. *Vos ante omnia.* 105. de Consecr. Dist. 4. De obligatione horum filiorum spiritualium ait *Nicolaus* Papa, ut refertur cap. *Ita diligere:* causa 30. q. 3. *Ita diligere debet homo eum, qui suscipit de sacro fonte, sicut patrem.*

213. *Porro observa.* I. In casu necessitatis, quo Baptismus privatim confertur, non est necessario adhibendus patrinus, neque peccatur si omittatur; ita *Suar.* l. c. tum quia nullum de hac re extat speciale praeceptum positivum, tum quia tunc licet omittere alias caeremonias in solemni Baptismo adhiberi solitas: ergo etiam hanc caeremoniam licet tunc omittere. Accedit quod in casu necessitatis plerumque idonei patrini non possint haberi: ergo non videtur ad hoc Ecclesia obligare: extra casum necessitatis autem adhibendus est patrinus, etsi in privato oratorio cum licentia Ordinarii Baptismus conferatur. An tales patrini etiam in Baptismo non solemni contrahant cognationem spiritualem, quae est impedimentum dirimens matrimonii, uti et plures ejusmodi QQ. vide c. 7. de Impedimentis Matrim.

214. II. Solent nonnunquam parentes nobiles, nescio ex qua devotione, ad levandam prolem e Baptismo invitare obvium aliquem et ignotum mendicum, quem postea liberaliter donant et dimittunt; quo casu talis mendicus verus quidem est patrinus, caeteris paribus; quia egestas non est impedimentum hujus officii; nihilominus istiusmodi heteroclita devotio approbanda non est, tum quia hoc ipso quod sit ignotus et vagus homo, etiam non constat an sit Catholicus, an bonae vitae ac famae, nec ne; tum quia talis non potest in defectu aliorum in se suscipere curam instruendi ejusmodi puerum nobilem in fide et moribus etc.; ergo invitatur contra mentem Ecclesiae,

Non tamen propterea accuso tales parentes peccati mortalis, sed ordinatam hac in re devotionem suadeo.

215. III. Juxta *Laym.* Lib. 5. t. 2. c. 9. n. 6. saltem in Germania Catholicus rogatus ab acatholico ut sit patrinus, potest hoc officium in se suscipere, dummodo minister omnia ad essentiam Baptismi necessario requisita rite adhibeat, et ipse patrinus non teneatur respondere ad quaestiones verae fidei repugnantes. *Ratio est:* quia in tali casu nihil aliud facit, quam quod externa susceptione profiteatur, quod hominem modo baptizatum suscipiat tanquam spiritualis Nutritius ac Paedagogus in suam curam: atqui hoc profiteri Catholicum nihil prohibet; imo vero ipse Catholicus impedit, ne patrinus acatholicus adhibeatur, qui tacite profiteretur, se prolem Ecclesiae modo genitam aliquando in falsa sua secta instructurum esse. Neque hoc est communicare cum IIII. in sacris; quia per hoc officium patrinus non communicat cum iis in exercitio haeretico, nec censetur quidquam facere contra externam orthodoxae fidei professionem; sed tantum, ut dixi, profitetur, quod in suam curam et protectionem suscipiat neo-baptizatum, quae non est haeretica, sed Catholicae Religionis professio et exercitium. *Confirm.* Si in nostris terris Catholicus talem infantem suscipere renuerit, posset praebere causam scandali, existimantibus heterodoxis, ideo illum id officii recusare, quod contemnat et abhorreat ipsorum Baptisma tanquam invalidum.

216. IV. Per se quidem non peccat graviter contra charitatem, si quis renuat ex rationabili causa officium patrini in Baptismo, quia tunc lex charitatis ad id non obligat: frequentissime tamen graviter peccatur, si fiat ex odio vel superbia, aut cum gravi scandalo vel magna parentum offensa.

217. V. Patrinus non tenetur alere suum filiastrum; quia nulla lex est, quae ad id obliget, et nimis onerosum hoc foret patrino; ordinata tamen charitas ob cognationem spiritualem suadet, ut filio spirituali potius succurrat, quam aliis indigentibus in aequali necessitate.

218. VI. *Laym.* Lib. 5. t. 2. c. 6. n. 8. cum *Comm.* de tempore, quo Baptismus suscipiendus sit, ait. 1. Adulti obligantur ad suscipiendum Baptismum quam primum commode possunt, dummodo antea in fide instructi ac probati sint; quia baptismus est Sacramentum primum, maximeque necessarium. 2. Parentes et alii, qui curam infantium gerunt, maxime in defectu horum Pastores animarum, ecclesiastico praecepto consuetudine introducto, obligantur ut infantes, quamprimum commode fieri potest, ad sacrum baptisma offerant; alii quidem affirmant Baptismum citra peccatum differendum non esse ultra tres aut quatuor dies. Solus ad octavam usque diem extendit. Vide *Clericat.* Tom. I. decis. 23., *Suarez* hic disp. 25. Sect. 2. ita ait: *Post perfectam nativitatem corporalem non potest certior regula assignari, quam ut Baptismus sine causa contra Ecclesiae consuetudinem non nimium differatur: quanta vero possit esse dilatio, et quando sit nimia censenda, prudenti arbitrio relinquendum est.* Quando autem ex justa causa solemnis Baptismus aliquamdiu differtur, non licet privatim baptizare infantem, et postea supplere caeremonias: quia pro solo casu necessitatis licet separare Baptismum a reliquis caeremoniis. *Laym.* l. c.

219. VII. Parochus, qui scienter vel ex negligentia baptizatos saepius non inscribit libro baptismali, graviter peccat: idque tum ob legem *Trid.* in re gravi, tum ob gravia incommoda, quae ex illa omissione emergere possunt; liber enim baptismalis cum fidem faciat in quovis tribunali ad probandam aetatem pro ordinibus suscipiendis, professione religiosa, matrimonio, liberatione a tutela et curatela, jejunio etc. quae aliunde efficacius probari nequeunt, necessario consequitur, magna incommoda ex tali omissione posse oriri. Modum annotandi in libro baptismali vide in Ritualibus Dioecesanis, in Hujate habetur sub fin. pag. 79. Caeremonias antecedentes, comitantes et subsequentes Baptismum explicat *Bellarminus* hic a cap. 25. *Palao* p. 4.

1. 19. punct. 12. *Laym.* L. 5. t. 2. c. 7. a. n. 6. *Lonher* in Biblioth. Man. V. *Baptismus* §. 1. *Joan. Clericatus* Tom. I. de Sacram. Decis. 45. et alii.

Caeremoniae antecedentes Baptismum.

220. Prima est: *Assistentia Patrini.* S. August. serm. post Pascha patrinos ita alloquitur: *Vos ante omnia tam viros, quam mulieres, qui filios in Baptismate suscepistis, admoneo, ut cognoscatis vos fidei Jussores apud Deum extitisse pro illis, quos visi estis de sacro fonte suscipere, ideoque semper illos admonete, ut castitatem custodiant, justitiam diligant, charitatem teneant: ante omnia Symbolum et Orationem Dominicam vos ipsi tenete, et illis quos suscepistis de sacro fonte ostendite.*

Secunda: *Extra vel in atrio Ecclesiae paululum detinetur baptizandus:* per Baptismum enim datur ingressus ad Ecclesiam.

Tertia: *Nomen imponitur*, quo significatur baptizatum nomen Deo dare, et catalogo militiae ejus adscribi debere.

Quarta: *Insufflatio in faciem baptizandi*, ut significetur Satanam cum contemptu ab illo ejici, simulque Spiritum S. velut spiraculum vitae per Baptismum illi insufflari, et in novum hominem regenerari; sicut Deus Gen. 2. v. 7. *Inspiravit in faciem ejus* (Adami) *spiraculum vitae.*

Quinta: *Formatio crucis in fronte et pectore*, ut Christianus non erubescat nomen Christi crucifixi, sed potius amet et intrepide confiteatur.

Sexta: *Benedictio et impositio salis*, tum ut baptizandus per salem benedictum et typicum conditus iniquitatis foetore careat, ut ait *Origenes* hom. 6. in Ezech., tum ut promissionis factae memoria se a peccati corruptione praeservet, tum ut veram sapientiam divinam accipiens discretione in omnibus utatur.

Septima: *Saliva aures et nares liniuntur*: ut baptizandus vocem Dei audire, et bonum odorem pietatis Christianae gustare incipiat.

Caeremoniae comitantes Baptismum.

Octava: *Renuntiatio Satanae*, de qua s. Ambr. L. 1. de initiandis C. 2. *Ingressus es regenerationis sacrarium: repete, quid interrogatus sis, recognosce, quid responderis: renunciasti diabolo et operibus ejus, mundo, luxuriae et voluptatibus: tenetur vox tua non in tumulo mortuorum, sed in libro viventium: praesentibus Angelis locutus es, non est fallere, non negare.*

Nona: *Unctio in pectore et inter scapulas*, de qua Ivo Carnot. *Accepistis et oleum sanctum in pectore, ut vigeret in corde vestro sapientia: accepistis et humero vestro, ut in exercitio bonorum operum indeficiens servetur patientia; ... quia vero in humeris vigor constat portandi onera, hujus partis unctione Christi athletae dedicati estis, ut sciatis vos ad certamen esse vocatos.* Forma hujus unctionis est: *Ego te linio oleo salutis in C. J. D. N. in vitam aeternam. Amen.*

Decima: *Trina infusio vel immersio*, cujus rationem reddit s. Greg. *Nos autem quod tertio mergimus, triduanae sepulturae Sacramenta significamus, et dum tertio infans ab aquis educitur, surrectio triduani temporis exprimitur.*

Caeremoniae subsequentes Baptismum.

Undecima: *Unctio verticis Chrismate*, qua significatur, baptizatum nunc esse vere Christianum, h. e. chrismate unctum et unctionem invisibilem Spiritus S. accepisse, per quam regalis Sacerdotii Christi particeps factus est.

Formula chrismationis: *Deus omnipotens pater D. N. J. C. qui te regeneravit ex aqua et Spiritu Sancto, quique dedit tibi remissionem omnium peccatorum, ipse te liniat Chrismate salutis ✠ in eodem C. J. D. N. in vitam aeternam.* R. *Amen. Pax tecum.*

Duodecima: *Veste alba induitur:* de qua s. Ambr. l. c. *Accepisti vestimenta candida, ut esset indicium quod exueris involucra peccatorum, et indueris innocentiae casta velamina*, scil. ut meminerit baptizatus, se nunc esse candidatum regni coelestis, tamque puram debere deinceps custodire animam, quam pura haec vestis et quam purus ipse de hoc sacro fonte exiit. Forma est: *Accipe vestem candidam et immaculatam, quam perferas ante tribunal D. N. J. C. ut habeas vitam aeternam. Amen.*

Decimatertia: *Cerei ardentis traditio:* ut doceatur baptizatus se fidem, spem et charitatem non tantum corde, sed etiam opere profiteri et exercere debere. Hinc s. Gregor. Naz. ait: *Lampades, quas accendes illius luminis gestationis figuram gerunt, cum qua splendidae et virgines animae splendidis fidei lampadibus Christo Sponso obviam prodibimus.* Baptizans dicit: *Accipe lampadem ardentem, et irreprehensibilis custodi Baptismum tuum. Serva Dei mandata, ut cum Dominus venerit ad nuptias possis occurrere ei in aula coelesti in vitam aeternam. Amen. N. vade in pace et Dominus sit tecum.*

CAPUT II. *De Sacramento Confirmationis.*

§. I. *Praenotanda.*

221. I. *Confirmatio* est Sacramentum N. L. quo homini baptizato per Chrismatis unctionem sub certa verborum forma ab Episcopo prolata confertur gratiae sanctificantis augmentum ac robur, tum ad firmiter credendum, tum ad fidem ipsam intrepide profitendam. Vid. *Trid.* sess. 7. quod Can. 1. de Confirm. ita statuit: *Si quis dixerit, Confirmationem baptizatorum otiosam caeremoniam esse, et non potius verum ac proprium Sacramentum; aut olim nihil aliud fuisse, quam catechesim quamdam, qua adolescentiae proximi fidei suae rationem coram Ecclesia proponebant, anathema sit.* Eugenius Papa in Decreto Fidei ait: *Per Baptismum spiritualiter renascimur; per Confirmationem augemur in gratia et roboramur in fide. Prob.* ulterius: ad veritatem Sacramenti etiam juxta Novatores tria requiruntur et sufficiunt: 1. *Ritus exterior* tanquam signum sensibile, qui consistit in rebus et verbis, sive materia et forma Sacramenti. 2. Promissio gratiae sanctificantis. 3. Institutio Christi: atqui haec habentur in Confirmatione: ergo. De materia et forma agemus §. seq. Promissio non tantum, sed et collatio gratiae habetur Act. 8. v. 14.: *Cum autem audissent Apostoli, qui erant Jerosolymis quod Samaria recepisset verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Joannem. Qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum; nondum enim in quemquam illorum venerat, sed tantum baptizati erant in nomine Jesu. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum.* Quod factum ostendit (ait *Suar.* hic D. 32. Sect. 1.) Apostolos intellexisse et hoc donum esse distinctum ab effectu Baptismi, alias non procurassent illud tanta sollicitudine hominibus jam baptizatis; et esse promissum a Christo sub tali caeremonia et signo visibili, alias non ausi fuissent illa uti, ut daretur Spiritus Sanctus. 3. Institutio colligitur satis tum ex ipsa potestate, qua Apostoli post Baptismum per impositionem manuum conferebant Spiritum Sanctum, id quod non ex propria auctoritate poterant, tum quia tam sollicite, ut dictum est, usi sunt data potestate.

II. Certo quidem ex Scriptura non constat, quo tempore Christus instituerit hoc Sacramentum; juxta *Bonac.* tamen D. 3. pu. 1. n. 4., et *Suar.* l. c.

Sect. 2. probabilius institutum est post Resurrectionem, quando Christus dixit Apostolis Joan. 20. *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos:* dum iis dedit plenam potestatem Episcopalem in corpus mysticum Ecclesiae secundum instructionem, quam prius in nocte coenae illis tradiderat. Porro hic observandum est, quod non omnis manuum impositio olim consueta fuerit confirmatoria; talis enim non fuit illa, quae olim adhibebatur ad curandos Energumenos, ut ait Bened. XIV. l. 7. de Syn. c. 7. n. 3.

§. II. *Principia generalia de Confirmatione*

222. Principium I. *Materia remota Confirmationis est Chrisma ex oleo olivarum et balsamo confectum atque ab Episcopo benedictum.* Ita in Decret. Eugen. §. *secundum Sacram.* Et *Trid.* sess. 7. Can. 2. de Confirm. *Si quis dixerit, injurios esse Spiritui Sancto eos, qui sacro Confirmationis Chrismati virtutem aliquam tribuant, anathema sit.* Porro juxta Decr. Eugenii cit. oleum in Chrismate significat nitorem conscientiae, balsamum vero odorem bonae famae: juxta *S. Thom.* p. 3. q. 72. a. 2. gratia Spiritus Sancti in oleo designatur, per balsamum odor virtutum, simulque robur spirituale: balsamum enim praestat etiam incorruptionem. An balsamum pertineat ad materiam Confirmationis de necessitate Sacramenti, an vero praecepti; item an Chrisma debeat necessario necessitate Sacramenti esse benedictum ab Episcopo, non a simplici tantum Sacerdote, utrinque propugnatur in Theol. Schol. Tract. de Sacram. Utrumque esse necessarium necessitate Sacramenti, in praxi tenendum tanquam probabilius et tutius, praesertim quia agitur de valore Sacramenti. Vide *Suar.* hic D. 33. Sect. 1., *Pontas* V. *Confirmatio. Bonacin., Laym., Palao, Coninck*, et alios contra *Cajet.*

223. Princip. II. *Materia proxima Confirmationis est unctio Chrismatis in fronte Confirmandi facta manu Episcopi in crucis figuram.* Haec doctrina communis satis colligitur tum ex traditione, perpetua praxi Ecclesiae, et ex diversis CC. et PP., tum ex forma, qua utitur Ecclesia Latina in administratione hujus Sacramenti. Haec unctio est vera manus impositio, de qua Act. 8. et 19. legitur, quod Apostoli fidelibus manus imposuerint, ut reciperent Spiritum Sanctum. *Prob.* 1. *Innoc. III.* c. un. de sacra Unctione §. 7. ita ait: *Per frontis Chrismationem manus impositio designatur, quae alio nomine dicitur Confirmatio: quia per eam Spiritus Sanctus ad augmentum datur et robur. Unde cum caeteras unctiones simplex Sacerdos vel Presbyter valeat exhibere, hanc nonnisi summus Sacerdos, id est Episcopus, debet conferre; quia de solis Apostolis legitur (quorum Vicarii sunt Episcopi) quod per manus impositionem Spiritum Sanctum dabant.* In Decreto Eugenii ita habetur: *Ideo in fronte, ubi verecundiae sedes est, confirmandus inungitur, ne Christi nomen erubescat confiteri et praecipue crucem ejus, quae Judaeis est scandalum, Gentibus stultitia secundum Apostolum: propter quod signo crucis signatur.* Tertull. L. de Bapt. C. 7. inquit: *Exinde egressi de lavacro perungimur benedicta unctione.* 2. Eadem traditio probatur ex testimoniis Ecclesiae Orientalis. Conc. Laodicenum Sacc. IV. celebratum Can. 48. sic habet: *Oportet eos, qui illuminantur, post Baptismum inungi supercoelesti Chrismate, et esse regni Christi participes.* Plura testimonia vide apud *Bellarm., Laym.* L. 5. t. 3. c. 2. num. 3. Hinc varie a ss. PP. vocatur hoc Sacramentum. S. Augustinus L. 2. contra litteras Petiliani c. 104. ait: *Sacramentum Chrismatis .... sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus.* A Theodoreto in cap. 1. Cant. vocatur *Sacrum unguentum:* a s. Cypriano epist. 71. ad Jubajanum *signaculum dominicum.* Unde contra objectionem, quod ex Act. 8. et 19. per solam manuum impositionem confirmaverint, valet duplex regula s. Augustini, qui L. de fide et oper. C. 9. ait, quod Scriptura multa taceat brevitatis gratia, quae serie traditionis constat ab Apostolis fuisse usurpata: et

L. 6. de Bapt. c. 24. ait: *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur.* Atqui ex testimoniis laudatis Chrismationem semper tenuit Ecclesia: ergo.

224. *Princip. III.* Forma Sacramenti Confirmationis in Ecclesia Latina est, *Signo te signo crucis; et confirmo te Chrismate salutis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Ita constat ex Decreto *Eugenii*, Rituali Rom., et perpetuo usu Ecclesiae. 1. Per *τὸ signo te* etc. designatur, quod sicut miles ducis sui insignibus ornari solet, ita homo in hoc Sacramento cruce exterius, et invisibili charactere interius tanquam signo militari Christi signetur. 2. Per *τὸ et confirmo te* etc. exprimitur, quod homo in hoc Sacramento instar athletae exterius Chrismate, interius vero Spiritus Sancti robore ungatur. 3. Exprimitur causa principalis efficiens plenitudinem roboris spiritualis, quae est SS. Trinitas; simulque praecipuum fidei Christianae mysterium, quod homo in Baptismo suscepit credendum, hic tenendum et palam profitendum proponitur; ita *S. Thom.* q. 72. a. 4. Huc revocant *Anselmus*, *Liranus* cum *S. Ambr. et Aug.* illud 2. Cor. 1. v. 21. *Qui confirmat nos vobiscum in Christo, et qui unxit nos Deus, qui et signavit nos et dedit pignus Spiritus in cordibus.* An autem haec forma sit ita necessaria, ut nulla alia sit sufficiens, utrinque defenditur in Schol. Theol. praesertim cum in Ecclesia Graeca haec forma adhibeatur: *Signaculum doni Spiritus Sancti.*

225. *Princip. IV.* Minister hujus Sacramenti ordinarius est solus Episcopus. *Prob.* ex *Trid.* quod sess. 7. Can. 3. de Confirm. ita statuit: *Si quis dixerit, sanctae Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem, anathema sit.* Vide c. unicum de sacra Unct. cit. supra n. 223. Dixi, *ordinarius minister*: quia plures cum *S. Th.* q. 72. a. 11. et *S. Antonino* contra *Durandum*, *Adrianum* et alios defendunt, quod ex commissione Summi Pontificis etiam simplex Sacerdos hoc Sacramentum conferre possit. Benedictus XIV. l. 7. de Syn. Dioeces. c. 7. ait, dubitari amplius non posse de Romani Pontificis potestate, qua simplicibus Sacerdotibus concedere possit facultatem hoc Sacramentum administrandi. Ibid. c. 8. ait delegationem hujusmodi esse actum potestatis supremae a Christo Domino soli suo Vicario in terris commissae; quamobrem omnibus in confesso esse irritam nunc fore Confirmationem a simplici Presbytero Latino ex sola Episcopi delegatione collatam, quia Sedes Apostolica id juris sibi unice reservavit. Idem c. 9. ait, quod Chrismatio data a Sacerdotibus Graecis in iis tantum locis, ubi non est a Sede Apostolica expresse improbata, sit pro valida habenda ob tacitum saltem privilegium a Sede Apostolica illis concessum, quod ex conniventia Rom. Pontificum praesumitur: e contra quod irrita sit in iis locis, in quibus constat Sacerdotibus Graecis eam potestatem esse ademptam; sic eam ademit *Nicolaus I.* Bulgaris, Cypris *Innocentius IV.*, Italo-Graecis *Clemens VIII.* Vide etiam Tom. I. Bullar. Benedicti XIV., Constitutionem X. pag. 28. ubi idem Pontifex Guardiano sancti sepulcri Ord. Minorum de Observantia Paulo a Laurino concedit et delegat potestatem et facultatem conferendi Sacramentum Confirmationis (ubi non erunt Episcopi ritus Latini in propria Dioecesi residentes) oleo et Chrismate a Catholico Antistite benedictis, etiam antiquis, si nova haberi non possint.

226. *Princip. V.* Subjectum Confirmationis est omnis et solus homo baptizatus. *Prob.* ex c. *Omnes*, de Consecrat. dist. 5., ubi ex epist. 1. *Urbani* c. 7. ita habetur: *Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum Spiritum Sanctum post Baptismum accipere debent, ut pleni Christiani inveniantur; quia cum Spiritus Sanctus infunditur, cor fidele ad prudentiam et constantiam dilatatur.* Benedictus XIV. l. 7. de Syn. Dioeces. c. 10. n. 1. 2. et 3. ait hoc Sacramentum valide conferri omnibus baptizatis absque ulla aetatis differentia, ac olim omnes statim post Baptismum confirmatos fuisse, nunc vero ante

septennium ordinarie conferendum non esse; morem antiquum confirmandi statim post Baptisma adhuc observari ab Ecclesia Orientali. Denique addit, etiam in Ecclesia Latina nunc sancte et licite conferri posse septennio minoribus urgente periculo vitae, aut futurae diuturnae absentiae Episcopi, vel alia necessitate seu justa causa: fieri autem oportere ab Episcopis sine ulla acceptione personarum. Dixi supra 1. *Omnis:* quia, sicut natura, quos generavit conatur adducere ad suam perfectionem; ita Deus spiritualiter genitos per Baptismum ad statum gratiae perfectiorem per Sacramentum Confirmationis adducit; ac praeterea omnes baptizati capaces sunt gratiae augmenti: crescere, roborari et armari possunt ad fidem defendendam: ergo. Dixi 2. *Solus baptizatus:* quia, cum Baptismus sit janua Ecclesiae, et aliorum Sacramentorum, nemo ante susceptum Baptismum Confirmationis est capax.

227. *Princip. VI.* Effectus Sacramenti Confirmationis sunt 1. Augmentum gratiae sanctificantis. 2. Auxilia specialia ac robur suo tempore conferendum ad fidem Christi fortiter profitendam cum quovis periculo, et ad superandas tentationes contra illam. 3. Character animae impressus, quo homo confirmatus insignitur et roboratur ad veram fidem defendendam: hic cum sit indelebilis, idcirco hoc Sacramentum iterari nequit. De hoc vide *Trid.* n. 3. citatum, item c. 1. ad Ephes. v. 13.: *In quo credentes signati estis Spiritu promissionis Sancto.*

228. Porro an hoc Sacramentum saltem per accidens possit conferre gratiam primam, vide in Theol. Schol. *S. Thom.* a. 7. P. 3. q. 72. ad 2. tenet affirmativam, ubi ita ait: *Etsi aliquis adultus in peccato existens, cujus conscientiam non habet, vel si etiam non perfecte contritus accedat, dummodo non ficte accedat, per gratiam collatam in hoc Sacramento consequetur remissionem peccatorum.* Denique in parvulis usu rationis adhuc carentibus sufficit intentio sive voluntas Christi et Ecclesiae, sicut in baptismo. In adultis vero usum rationis habentibus, ut hoc Sacramentum valide suscipiant, requiritur praeter Baptismum intentio saltem habitualis, imo juxta *Leonardelli* de Confirm. n. 21. sufficit interpretativa, quae censetur adesse in quolibet Christiano, suscipiendi suae salutis remedia, dum de voluntate contraria non constat. Ad dignam et licitam susceptionem requiritur status gratiae, eoquod hoc sit Sacramentum vivorum. *S. Thom.* loc. mox cit. ita habet: *Sicut ex ipso nomine apparet, hoc Sacramentum datur ad confirmandum, quod prius invenerit: et ideo non debet dari his, qui non habent gratiam: et propter hoc, sicut non datur non baptizatis, ita non debet dari adultis peccatoribus, nisi per poenitentiam reparatis.* Probabilius non requiritur determinate poenitentia per confessionem, sed sufficit contritio, ut docet *Sylvius* in 3. P. D. Thom. q. 72. a. 7., et *Cabassutius* Juris Can. Theor. et prax. L. 3. C. 3. n. 2., quia ad solam perceptionem Eucharistiae praecipitur confessio. Nec ex Concil. Aurelian. Can. *Ut jejuni*, eruitur praeceptum: sicut enim jejunium ibidem expressum non est de praecepto, ita nec confessio. Pontificale Rom. ita habet: *Adulti deberent prius peccata confiteri et postea confirmari, vel saltem peccata, quae admiserunt, doleant.* Denique requiritur devotio suscipientis aetati conveniens, quae eo magis excitabitur, quo perfectius confirmandus a suis antea instructus dignitatem hujus Sacramenti agnoverit: ideoque parvuli in scholis, adulti in catechesi prius bene instruendi sunt, quam admittantur ad suscipiendum Confirmationis Sacramentum.

229. *Princip. VII.* In Confirmatione debet adhiberi patrinus, et quidem unus tantum sive vir, sive mulier. C. *Non plures* 101. de Consec. dist. 4. juxta *Babenst.* T. 8. p. 2. D. 2. a. 4. n. 12. quamvis *Trid.* sess. 24. de Reform. c. 2. permittat, ut in Baptismo possint adhiberi unus et una; id tamen ad Confirmationem extendi non debet, cum circa Confirmationem nihil videatur voluisse innovare. Porro patrinus Confirmationis *primo* debet esse distinctus a patrino Baptismi, nisi cogat necessitas, ut patet ex c. *In Catechismo* 100. de

Consecr. dist. 4. *Secundo.* Idem patrinus juxta probabiliorem debet esse confirmatus. Desumitur ex cap. *In Baptismate* 102. de Consecr. dist. 4.: *In Baptismate vel in Chrismate non potest alium suscipere in filiolum, qui non est ipse baptizatus vel confirmatus:* adeoque sicut non baptizatus invalide fungitur munere patrini in Baptismo, nec contrahit cognationem spiritualem; ita etiam non Confirmatus. *Sanch.* L. 7. de Matrim. D. 60. n. 20. ibid. etiam Disp. 56. pluribus ostendit, quod patrinus, ut contrahat cognationem spiritualem, debeat vere tenere vel tangere filiastrum suum, v. g. dexteram imponendo ejus humero, dum Confirmatur. De hac autem cognatione *Trid.* sess. 24. de Reform. Matrim. C. 2. ita statuit: *Ea quoque cognatio, quae ex Confirmatione contrahitur, confirmantem et confirmatum, illiusque patrem et matrem, ac tenentem non egrediatur: omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis.* In quibusdam Dioecesibus hoc Sacramentum confertur sine ullo patrino, uti testatur *Gobat* de Confirm. n. 781. de Dioecesi Constantiensi.

§. III. *Resolvuntur Casus*

Casus I. De Materia remota Confirmationis

Fridericus Episcopus neo-consecratus, cum Sede vacante novum Chrisma in Coena Domini consecratum non esset, adhibet vetus Chrisma ministrando Sacramentum Confirmationis, quod ipsum Chrisma suspectum videbatur, quia mercator, qui a multis annis oleum olivarum subministraverat, proditus fuit, quod oleum de nucibus commiscere soleat.

230. *Quaeres* I. An Confirmatio in vetere Chrismate collata fuerit valida et licita? R. *Valida* quidem fuit, modo Chrisma adhuc fuerit incorruptum et vitio substantiali carens; sed non *licita. Ratio primi* est: quia Chrisma anno superiore benedictum manet simpliciter Chrisma benedictum ab Episcopo, ideoque materia essentialis. Porro in absentia Episcopi, vel Sede vacante solet adiri proximus Episcopus pro consecrando novo Chrismate, ut notat Glossa in cap. *Si Episcopus*, de supplend. neglig. Praelat. in 6. *Ratio secundi* est: quia de Ecclesiae praecepto Chrisma debet eo anno esse benedictum. Vide c. *Litteris* de Consecr. dist. 3. ubi veteris Chrismatis usus prohibetur et novi consecratio praecipitur facienda die Coena Domini; ideoque peccat graviter, qui citra necessitatem utitur Chrismate antiquo. *Suarez.* D. 33. Sect. 1. sub fin.

231. *Quaeres* II. An ratione olei nucum commixti fuerit invalida Confirmatio? R. Si in modica quantitate illud fuerit commixtum, adhuc fuit valida, quia tunc supponitur adesse major quantitas verae materiae, sive olei olivarum: cur autem hoc oleum prae caeteris dicatur materia Confirmationis, *ratio* est, quia olea caetera v. g. nucum, piscium, amygdalarum, lini etc. licet habeant vim unctivam, soli tamen oleo olivarum proprie communis appellatio olei usualis convenit, utpote quod maxime in usu hominum habetur; sicut soli aquae elementari convenit appellatio aquae tanquam materiae Baptismi; quod utrumque ex usu et praxi Ecclesiae patet. *S. Thom.* qu. 72. a. 2. ad tertium.

232. Porro Chrisma Graecorum (etsi illi praeter balsamum insuper adhuc 12., imo juxta alios 30. diversi generis aromata oleo immisceant) ab Ecclesia Latina tamen permittitur, modo aromata admixta Chrisma ex oleo et balsamo vel physice vel theologice non corrumpant.

Casus II. De Materia proxima et Forma Confirmationis.

Firmilianus Sacerdos Missionarius ad extremas Americae plagas abiturus, a Summo Pontifice impetrat facultatem confirmandi eos omnes, quos ipse aliquando esset baptizaturus in America. Eo feliciter perductus, intra paucos annos plures in fide instructos baptizat et confirmat. Aliquando cum pollice vulnerato signare frontes confirmandorum non possit, digitum indicem adhibet: alias frontem lepra infectam mediante penicillo, subinde etiam loco frontis inungit dexteram maxillam cum hac formula: Confirmo te Chrismate salutis in N. P. et F. et Sp. S. Amen. *Denique deficiente Chrismate, dubius haeret an cum facultate confirmandi simul obtinuerit potestatem conficiendi sacrum Chrisma.*

233. *Q.* I. An Firmilianus hoc ipso quod acceperit facultatem confirmandi, etiam habeat potestatem conficiendi sacrum Chrisma? Respondet Benedictus XIV. l. 7. de Synod. Dioeces. c. 8. hanc facultatem semper limitatam fuisse hac lege, ut tales Presbyteri non alio uterentur Chrismate, quam ab Episcopo consecrato; nec ullam esse necessitatem concedendi simplici Presbytero facultatem consecrandi Chrisma, eo quod is secum deferre possit Chrisma ab Episcopo acceptum, quocumque se conferat, et quod facile etiam obtinere possit a Romano Pontifice dispensationem illius praecepti, quo prohibetur usus Chrismatis anno priore benedicti; adeoque Firmilianus ex potestate confirmandi non potest sine distincta et expressa facultate conficere sacrum Chrisma. Utrum autem Papa simplici Sacerdoti possit delegare consecrationem Chrismatis, utrinque ab AA. propugnatur. Affirmativam tenent cum Scotistis *Mastrius* in Theol. Mor., *Card. de Lauraea* de Sacr. Confirm. D. 2. a 3., *Gobat.* Negativam tenent *Coninck*, *Palao* P. 4. t. 20. p. 2. n. 7, quorum rationes vide apud *Joan. Clericatum* de Confirm. decis. 54. n. 10.

234. *Q.* II. An Confirmationes a Firmiliano collatae sint validae? R. Prima Confirmatio indice digito facta valida fuit, sed illicita: quia, licet in Ritualibus praescribatur, ut unctio fiat pollice manus dexterae, idque non sine mysterio, uti exponitur a *Joan. Clericato* l. c. decis. 56. n. 7., hoc tamen non videtur ita essentiale, quin, si contingeret fieri unctionem alio digito etiam manus sinistrae, Sacramentum factum teneret; quia tunc esset sufficiens manus impositio, et cactera omnia quae ex parte materiae et formae ab omnibus requiruntur concurrerent. Ita *Suar.* hic D. 33. Sect. 3. sub fin.

235. Secunda Confirmatio mediante instrumento collata est invalida: quamvis enim ad Extremam Unctionem sufficiat, ut fiat illa mediante instrumento, id tamen non sufficit ad confirmatoriam unctionem, utpote ad quam essentialiter requiritur manuum impositio, ut patet ex n. 223.; atque si Chrismatio fiat mediante instrumento, non habetur manuum impositio: ergo. Ad Extremam autem Unctionem nec ex Scriptura, nec ex traditione requiritur manuum impositio, sed sola unctio, quae potest fieri mediante instrumento; ergo. *Bonac.* D. 3. de Confirmat. p. 4. n. 4. *Palao. La-Croix* contrariam sententiam *Henriq.. Fernandez*, et aliorum censet non esse probabilem.

236. Tertia Chrismatio facta in maxilla juxta *Clericatum* decis. 56. n. 1. est invalida; quia licet Ecclesia non definiverit unctionem *in fronte* esse essentialem, satis tamen id indicat ex antiquissima et nunquam interrupta observantia, et dum Patres, Pontifices et Canones loquuntur de hac sacra Chrismatione, semper eam conjungunt cum parte ungenda, scil. fronte. Contrariam opinionem *Clericatus* cum *Diana* vocat temerariam et falsam.

237. *Quaer.* III. An Confirmatio a Firmiliano collata sit invalida ratione formae? R. Juxta *Suarez.* hic D. 38. Sect. 5. et alios ibid. cit. invalida est, eò quod utrumque verbum *signo te signo crucis*, et, *confirmo te Chrismate salutis*, sit essentiale formae; omisso enim primo verbo *signo te* etc. non fit

mentio, nec significatio crucis, quae tamen valde consentanea est fini et effectui hujus Sacramenti; omisso autem altero, pariter non exprimitur primarius effectus hujus Sacramenti; ergo. Juxta *Durandum* vero et alios apud *Bellarm.* L. de Confirm. c. 10. valida est, quamvis illicita, quia verbum *Confirmo*, adjecta Chrismatis unctione, satis determinatur ad significandam Confirmationem. Unde ex diversitate sententiarum satis patet, has et similes formas: *Signo te Chrismate salutis*, vel, *Confirmo te in nomine Patris* etc. valde dubias esse, adeoque Sacramentum sub his formis collatum sub conditione esse repetendum. Ita *Leonard.* de Confirm. c. 1. §. 3. n. 17.

Casus III. De Subjecto et Caeremoniis Confirmationis.

Franciscus Episcopus zelosissimus, cum in finibus suae Dioeceseos Sacramentum Confirmationis administrare vellet, praeter Dioecesanos etiam plures ex vicina Dioecesi advertit concurrere, de quorum instructione ac dispositione dubitans mox jubet, ut Concionator e suggestu eos prius instruat et caeremonias Confirmationis explicet.

238. *Q.* I. Quid agendum incumbat Parocho antequam confirmentur parochiani. R. Juxta *Rituale Herbip.* 1. Monere debet populum tempestive, eumque e suggestu et in Catechesi instruere de dignitate, utilitate, institutione, effectibus, caeremoniis, aliisque ad hoc Sacramentum pertinentibus. 2. Exhortabitur nondum confirmatos, ne hanc pretiosi thesauri occasionem, quae quotidiana non est, negligant. 3. Docebit, quamvis per se certa aetas ad hujus Sacramenti susceptionem expectanda non sit, ante septennium tamen non facile quemquam ad Confirmationem sistendum esse, tum ut Sacramentum cum devotione actuali recipiant, tum ut absit periculum repetendi idem Sacramentum. 4. Persuadebit omnibus, praesertim adultis, ut a peccatis per confessionem, vel saltem contritionem purgati accedant, ne fructu et gratia tanti Sacramenti priventur. 5. Cum hoc Sacramentum characterem indelebilem imprimat, severissime moneat, ne quis iterato illud suscipere praesumat, gravissimum alias sacrilegium et debitas utriusque fori poenas incursurus. Irregularitas tamen non incurritur per iterationem hujus Sacramenti, quia haec nullibi in jure legitur expressa. Ita *P. Elbel.* hic n. 21. cum *Reinffenst.* et communiori DD. 6. Explicet ea, quae dicta sunt de patrino et de spirituali cognatione, quae ex hoc officio oritur. 7. Monebit, ut cum devotione, reverentia, attentione, sine tumultu et strepitu accedant, multo minus turmatim trudant, protrudant confirmandos, frontem, si sudore sit madida, strophiolo extergant, ante Episcopum manus devote conjunctas attollant, patrinus manum dexteram super humerum dexterum confirmandi teneat etc. 8. Certum tempus ex suggestu, v. g. diem dominicam vel festivam designet, qua singuli parochiani neo-confirmati cum patrinis se Parocho sistant, ut eorum nomina in speciali libro possit annotare.

239. *Q.* II. Quinam potissimum ritus explicandi sint confirmandis? R. 1. Quod Episcopus signum crucis cum sacro Chrismate fronti imprimat, tanquam symbolum militiae Christianae. 2. Quod alapam maxillae confirmati leniter infligat, ut discat confirmatus pro Christi nomine omnia adversa constanter et fortiter esse perferenda; partim etiam, ut recordetur hujus Sacramenti suscepti. 3. Quod pacem confirmato optet, ut sciat se caelestis gratiae plenitudinem ac pacem, quae exsuperat omnem sensum, accepisse. Ita *Rituale Herbip.* Denique in multis Dioecesibus moris est, ut a ministris Episcopi sacrum Chrisma statim abstergatur a fronte confirmati, et tunc fascia non est necessaria; ubi tamen haec abstersio non statim fit, frons confirmati obliganda est fascia, sive vitta linea cruce notata; quae fascia per unum vel plures dies pro locorum consuetudine gestanda est, ne forte sacrum Chrisma irreverenter contrectetur aut aliis rebus commisceatur; postea illa vel a patrino, vel

(quod decentius est) a Parocho vel alio Sacerdote aut Clerico deponitur, simul abluendo frontem; specialem modum vide in *Rit. Herbip.* Fascia autem vel debet comburi, vel decenter asservari, non vero ad usus profanos, multo minus superstitiosos adhiberi. In liganda tamen vel dissolvenda ejusmodi fascia nulla spiritualis cognatio contrahitur.

240. *Q.* III. An Episcopus licite confirmare possit alienae Dioecesis subditos? R. *Per se* loquendo non potest; quia confirmare est actus jurisdictionis. *Excipe*, nisi habeatur licentia, saltem rationabiliter praesumpta, proprii Ordinarii, v. g. 1. Si quis litteris dimissoriis ordinandus veniat, qui nondum confirmatus est, licite ante Ordinationem confirmatur; quia, concesso uno censentur etiam concessa reliqua, sine quibus illud convenienter suscipi nequit: atqui sine Confirmatione praemissa prima tonsura et reliqui Ordines licite et convenienter suscipi nequeunt; ergo. 2. Si confirmante Episcopo in propria Dioecesi accurrant etiam accolae ex aliena, licite confirmantur, tum ob praesumptionem gratum id fore proprio Episcopo, tum ob consuetudinem passim receptam. *Laym.* L. 5. t. 3. c. 6. n. 2. Sic tamen confirmati postea Parocho proprio se sistere debent, ut libro confirmatorum eorum nomina inserantur.

241. *Q.* IV. An confirmatio sit necessaria ad salutem, et quanta sit obligatio illam suscipiendi? R. 1. Confirmatio non est necessaria ad salutem necessitate medii; quia homo sine Confirmatione per Baptismum, et hoc suscepto, per poenitentiam veniam peccatorum consequitur, Deoque gratus ac justus evadit. *Confirm.* 1. ex sensu Ecclesiae, quae nequidem in articulo mortis judicat, necessario confirmandos esse necdum confirmatos, neque docet Confirmationem saltem in voto esse necessariam. *Confirm.* 2. ex *S. Hieron.* qui in Dial. contra *Luciferianos* ait: *Alioquin, si ad Episcopi tantum imprecationem Spiritus S. defluit, lugendi sunt qui in longe minoribus urbibus antedormierunt, quam ab Episcopo visitarentur.* R. 2. Neque necessaria est per se necessitate praecepti graviter obligantis. *Ratio* est: quia praeceptum obligans sub mortali non est asserendum sine cogente fundamento; atqui nec ex Scriptura, nec aliunde assignari potest cogens fundamentum: ergo. *Min. Prob.* Si hoc Sacramentum esset jure divino praeceptum, daretur omnibus adultis in articulo mortis, ut mox dictum est; atqui hoc usus Ecclesiae non habet: ergo. *Confirm.* ex eo quod fideles communiter non inducantur ad recipiendum hoc Sacramentum tanquam ex necessitate obligati, sed tanquam invitati ad id, quod per se bonum et utile est; unde nullis censuris, neque aliis mediis, quae necessitatem indicent, ad id adstringi solent: ita *Suar.* hic D. 38. Sect. 1., ubi addit, quod Patres et Pontifices, qui de hoc Sacramento loquuntur, explicent tantum vim, efficaciam et utilitatem maximam (quam quodammodo necessitatem appellant) nihil autem dicant, quod sufficienter indicet praeceptum; item quando Patres docent, hoc Sacramentum requiri ad plenitudinem vel perfectionem hominis Christiani, vel ut simpliciter Christianus dici possit, non possunt intelligi de perfectione substantiali hominis Christiani; haec enim per Baptismum datur, nec de plenitudine sufficientiae, sed abundantiae. Ita *Suarez* l. c. cum *Alensi.* Alii dicunt, siquod praeceptum Ecclesiasticum olim extiterit, id hodie non amplius obligare *per se*, consuetudine obtinente contrarium. Vide *Laym.* t. 3. c. 3. n. 4.

242. Dixi *per se:* quia omnes fatentur, omittere hoc Sacramentum ex contemptu, esse peccatum mortale; ideoque *per accidens* ad Confirmationem suscipiendam graviter obligatur, qui ejus susceptionem sine aliorum scandalo aut contemptu actuali aut virtuali non potest omittere, aut qui sine ea probabiliter non potest resistere tentationibus contra fidem, nec eam fortiter profiteri coram tyranno; is (juxta *Suar.* l. c.) virtualiter contemnit hoc Sacramentum, qui oblata occasione negligit semel atque iterum, *vel certe qui proponit nunquam illud recipere, etiamsi millies offeratur occasio.* De primo modo mitius loquitur *Laym.* l. c., ubi ait, notabilem negligentiam non

semper sapere contemptum. *Confirmantur* dicta ex *S. Thom.* qui p. 3. q. 72. a. 8. ad 4. cum *Hug. de S. Vict.* ait: *Omnino periculum esset, si ab hac vita sine Confirmatione migrare contingeret, non quia damnaretur, nisi forte propter contemptum, sed quia detrimentum perfectionis pateretur.* Contrarium docuit *S. Antonin.* 3. P. Summ. tit. 14. c. 14. §. 1.

243. *Q.* V. An nondum confirmatus suscipiendo primam tonsuram aut alios Ordines peccet graviter ob praeceptum *Trid.* sess. 23. C. 4. de Reform.: *Prima tonsura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint?* R. Juxta *Barbosa* cum 15. DD. *Laym.* l. c. *Palao* hic Disp. un. p. 8. in fine, non peccat graviter, sed venialiter tantum, eoquod in *Trid.* cit. nullum sit verbum, quo praeceptum sub gravi peccato obligans indicetur; nihil enim ibi praecipitur initiandis, sed admonentur tantum Episcopi, quid fieri debeat. Alii apud *Conink.* a. 8. n. 9. sentiunt contrarium. Porro etsi illicita sit collatio et susceptio primae tonsurae aut Ordinum sine praevia Confirmatione, valida tamen est.

244. *Q.* VI. An Episcopus Confirmans et Confirmandus debeant esse jejuni: item an sub gravi praecepto Confirmatio conferenda sit in templo et certis tantum diebus? R. Valde quidem conveniens est, ut a jejuno jejunis et in templo conferatur Confirmatio, praeceptum tamen graviter ad haec obligans non extat. C. *Ut jejuni* et c. *Ut Episcopi*, de Consecr. Dist. 5. non inferunt absolutam obligationem, sed docent quod ex decentia ob Sacramenti reverentiam fieri convenit, ut patet ex verbis cap. ultimo cit. Unde ex rationabili causa, v. g. ob magnum confluxum Confirmandorum licet hoc Sacramentum etiam post prandium et extra Ecclesiam ministrare, ut patet ex praxi.

CAPUT III. *De Eucharistia et Sacrificio Missae.*

ARTICULUS I. *De Eucharistia ut est Sacramentum.*

§. I. *Praenotanda.*

245. Praenot. I. Varia tribuuntur nomina tertio N. L. Sacramento: 1. quidem communissimo et antiquissimo nomine vocatur *Eucharistia*, a Graeco εὐχαριστία, quod significat et bonam gratiam et gratiarum actionem; quia nempe per hoc Sacramentum et Deo gratias referimus pro acceptis ab eo beneficiis, et non tantum nova praeter gratiam, quam confert, impetramus, sed et Christum omnis gratiae fontem accipimus.

2. Vocatur simpliciter a *Trid.* sess. 13. C. 1. *Sanctissimum*: ibid. *admirabile Sacramentum* propter ejus prae caeteris excellentiam, de qua *Trid.* ibid. C. 3. ait: *Commune hoc quidem est sanctissimae Eucharistiae cum caeteris Sacramentis, symbolum esse rei sacrae, et invisibilis gratiae formam visibilem: verum illud in ea excellens et singulare reperitur, quod reliqua Sacramenta tunc primum sanctificandi vim habent, cum quis illis utitur; at in Eucharistia ipse Sanctitatis auctor ante usum est.* Alias etiam simpliciter dicitur *Sacramentum Novi Testamenti*, juxta illud 1. Cor. 11. *Hic calix Novum Testamentum est in meo Sanguine.* Christus enim morti proximus hoc amoris sui pignus nobis legavit.

3. A materia ex qua Eucharistia conficitur, appellatur *Panis*, de quo Joan. 6. v. 52.: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.*

4. A re quae in Eucharistia continetur, dicitur *Corpus Christi.* Matth. 26. *Corpus Domini*; a *Tertull.* de oratione c. ult. *Sacramentum Corporis et Sanguinis Domini.*

5. A tempore institutionis dicitur *Coena Domini.*

6. A loco institutionis vocatur *Mensa Domini*, de qua 1. Cor. 10. v. 21.: *Non potestis mensae Domini participes fieri, et mensae daemoniorum.* Alias etiam dicitur *Sacramentum Altaris* a loco ubi conficitur.

7. A suscipientibus dicitur *Sinaxis*, h. e. congregatio, collectio, adunatio, quia congregati fideles Eucharistiam simul percipiebant, et per hanc participationem cum Christo, et inter se communi charitatis vinculo colligabantur, ut ait Apost. 1. Cor. 10. v. 17.: *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane participamus.* Hinc etiam dicitur *Agapa*, sive dilectio. Erant autem Agapae apud veteres convivia Ecclesiastici conventus eo fine instituta, ut per illa foveretur inter Christianos mutua dilectio, item ut pauperes isto refrigerio juvarentur, et quia conjungebatur cum ejusmodi conviviis Eucharistia, ideo Agapae nomen Eucharistiae datum est. Ita *Tournely* in Praelect. Theol. de septem Sacram. Q. 1. de Euch. A Latinis etiam vocatur *Collecta*, *Communio*, *Fractio Panis*. Vide Card. *Bona* rerum Liturgic. L. 2. C. 13.

8. A Concil. I. Nicaeno c. 13. et Carthaginiensi IV. c. 77. et 78. vocatur *Viaticum*, *in quantum* scil. (ut ait *S. Thom.* hic q. 73. a. 4. in corp.) *hoc Sacramentum praefigurativum est divinae fruitionis in patria, et hic praebet nobis viam et vires eo perveniendi.* Plura vide apud *Suarez* Comment. in quaest. 73. *S. Thom.* cit.

246. *Praenot.* II. Eucharistia definitur: *Sacramentum Corporis et Sanguinis Christi sub speciebus panis et vini ad spiritualem animarum refectionem divinitus institutum.* Ita *Laym.* L. 5. T. 4. c. 1. cum comm. Quando hoc Sacramentum definitur a TT. conversio panis et vini in Corpus et Sanguinem Christi remanentibus speciebus ad spiritualem fidelium refectionem, loquuntur de Sacramento Eucharistiae in fieri, priori modo de eo in facto esse. Dixi 1. *Quod Eucharistia sit Sacramentum*, est de fide. Vide *Trid.* cit. supra n. 2. Ab eodem *Trid.* tota sess. 13. continuo vocatur Sacramentum. Dixi 2. *Quod sit Sacramentum Corporis et Sanguinis Christi sub speciebus panis et vini:* Eucharistiam enim intrinsece, et tanquam materia proxima constituunt non tantum Corpus et Sanguis Christi tanquam spirituale alimentum animarum, sed etiam species panis et vini, a quibus hoc Sacramentum accipit rationem signi sensibilis refectionis spiritualis. Ratio autem signi est de essentia Sacramenti: ergo. Hinc. *S. Th.* in 4. D. 8. q. 1. a. 1. ait: *Ex speciebus et corpore Christi fit unum Sacramentum.* Testimonia PP. vide apud *Laym.* l. c. n. 2. Dixi 3. *Divinitus institutum.* Institutio facta in ultima Coena habetur Matth. 26. Marci 14. et Luc. 22., ubi Christus εὐχαριστήσας gratias agens, sanctissimum Corpus et Sanguinem suum praebuit Apostolis dicens: *Accipite, et comedite*: *Hoc est Corpus meum:... Bibite ex hoc omnes: Hic est enim Sanguis meus. Trid.* sess. 13. C. 1. docet; *Majores nostri omnes, quotquot in vera Christi Ecclesia fuerunt, qui de sanctissimo hoc Sacramento disseruerunt, apertissime professi sunt, hoc tam admirabile Sacramentum in ultima Coena Redemptorem nostrum instituisse.* Ex quibus patet, quod adsint omnia ad Sacramentum requisita. 1. enim habetur *Signum* visibile, scil. species panis et vini sub quibus continetur Corpus et Sanguis Christi. 2. Signum efficax invisibilis gratiae ex promissione Christi Joan. 6. v. 50.; *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum; et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita:* ibid. v. 58. *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.* 3. De institutione divina jam dictum est. Si desideres mandatum, lege illud Luc. 22. v. 19. ubi Christus instituens hoc Sacramentum dixit; *Hoc facite in meam commemorationem.* Joan. 6. v. 53. ait; *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis:* ergo habentur omnia ad rationem Sacramenti requisita.

247. *Praenot.* III. Varias haereses ortas circa Sacramentum Eucharistiae breviter recenset *La Croix* L. 6. p. 1. n. 405. *Tournely* in Praelectionibus Theologicis Tom. 2. de septem Sacram. de Euch. q. 2. a. 1. Praecipua autem de Eucharistiae doctrina capita scitu necessaria optime ad instructionem fidelium

desumuntur secundum ordinem ex *Trid.* sess. 13. C. 1. ubi docet realem praesentiam D. N. J. C. in hoc S. Sacramento. Ibid. Can. 1. definit: *Si quis negaverit, in S. Eucharistiae Sacramento contineri vere, realiter et substantialiter Corpus et Sanguinem Cristi, una cum anima et divinitate D. N. J. C., ac proinde totum Christum, sed dixerit, tantummodo esse in eo, ut in signo, vel figura, aut virtute, anathema sit.* Per particulam *vere* docet *Trid.* Christum non esse praesentem tantum per figuram et imaginem, ut docuit saeculo undecimo Berengarius, quem errorem revocavit subscribendo formulae fidei in Synodo Romana anno 1079. ut habetur T. 10. Conc. p. 378. Particula *realiter* docet, Christum non tantum objective per fidem esse praesentem; *substantialiter*, non tantum per virtutem a Christo diffusam, ut docuit Calvinus. Probatio hujus veritatis desumitur ex verbis Christi; *Hoc est Corpus meum.* Item: *Panis, quem ego dabo, caro mea est.* Joa. c. 6. etc.

248. 2. Instruendi sunt fideles, per consecrationem panis et vini fieri conversionem totius substantiae panis et vini in substantiam Corporis et Sanguinis Christi D. N., ita ut non remaneat substantia panis et vini una cum Corpore et Sanguine D. N. J. C., sed maneant tantum species panis et vini; quam conversionem singularem Ecclesia vocat *transubstantiationem. Trid.* sess. cit. c. 4. et Can. 2.

249. 3. Instruendi sunt in venerabili hoc Sacramento tantumdem sub alterutra specie, quantum sub utraque, contineri; totus enim et integer Christus sub panis specie, et sub quavis ipsius speciei parte; totus item sub vini specie, et sub ejus partibus singulis, separatione facta, existit; quamvis enim ex vi verborum Corpus sub specie panis, et Sanguis sub specie vini, totum tamen Corpus Christi quod jam est vivum, adeoque cum sanguine et anima Christi sub utraque specie existit vi naturalis illius connexionis et concomitantiae, qua partes Christi, qui jam ex mortuis resurrexit et non amplius moritur, inter se copulantur: divinitas quoque sub utraque specie existit propter admirabilem illam ejus cum corpore et anima hypostaticam unionem. *Trid.* l. c. c. 3. et Can. 3.

250. 4. Instruendi sunt fideles, hoc Sacramentum non consistere tantum in ipso usu, sive in actuali manducatione (ut voluit Lutherus in articulis Concordiae anno 1536. et Calvinus L. 5. Instit. c. 17. §. 3., unde hi Sectatores deduxerunt, nullum cultum pani Eucharistico exhibendum esse, reliquiasque ex Coena superstites in usus profanos consumi posse) sed Corpus et Sanguinem Christi vere ac realiter et substantialiter esse in hoc Sacramento peracta consecratione ante et post sumptionem, quamdiu panis species remanent incorruptae, ideoque omnes Christi fideles pro more in Catholica Ecclesia semper recepto latriae cultum, qui vero Deo debetur, huic sanctissimo Sacramento in veneratione exhibere debemus; *nam illum eumdem Deum praesentem in eo adesse credimus, quem Pater aeternus introducens in orbem terrarum dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Psal. 99. *quem Magi procidentes adoraverunt.* Matth. 2. *quem denique in Galilaea ab Apostolis adoratum fuisse, Scriptura testatur* Matth. 28. v. 17. Ita *Trid.* l. c. C. 5. vide ibid. Can. 4. et 6. Ex his etiam infertur contra HH., retinendam esse piam ac religiosam consuetudinem circumferendi reverenter et honorifice praecelsum hoc et venerabile Sacramentum in processionibus per vias et loca publica, asservandi illud in Sacrario, deferendi ad aegrotos, ut constat ex perpetua Ecclesiae praxi, ex CC. *Nicaeno, Flor.* et *Trid.* l. c.

251. *Praenot. IV.* Quamvis species Eucharistiae sint alterabiles et divisibiles, non tamen Christus; quia Corpus Christi in Eucharistia nunc est gloriosum et naturaliter impassibile; ideoque nequit dici calefieri, tangi, frangi, vel misceri, quia fractio vel mixtio dicit separationem partium: recte ta-

men dicitur moveri, elevari, demitti in stomachum, manducari, ob motum in speciebus receptum, quibus unitus est.

252. *Praenot V.* Quamvis physice et materialiter Sacramentum Eucharistiae sub speciebus panis sit specie aliud, quam sub speciebus vini, quatenus ipsae species materialiter sic differunt; imo licet physice tot sint numero Sacramenta, quot sunt partes specierum: moraliter tamen est unum Sacramentum, si proponatur vel sumatur per modum unius; sicut enim cibus et potus sunt unum convivium, ita corpus et sanguis sunt una refectio spiritualis. Ita *S. Th.* hic qu. 73. a. 2. in corp. Nec propterea laici accipiunt tantum inadaequatum Sacramentum, aut partem tantum gratiae, quod sub speciebus panis tantum accipiant Eucharistiam: quia sub qualibet specie (ut dictum n. 249.) est totus Christus secundum Corpus et Sanguinem: et quamvis species panis non sumantur per modum potus, nec species vini per modum cibi, quaelibet tamen species continent totum id quod manducatur et bibitur. Denique hic *Busemb.* addit, quod hostiae in diversis altaribus consecratae recte concipiantur ut distincta numero Sacramenta; quia plures numero species moraliter discontinuantur, existunt enim tempore et loco physice et moraliter diverso. Econtra si Sacerdos unam hostiam in plures partes dividat, vel plures hostias simul, imo diversas species simul sumat, non dicitur plura numero Sacramenta accepisse.

§. II. *Principia generalia de sanctissimo Eucharistiae Sacramento.*

253. *Principium I.* Primae consecrationis materia remota, *ex qua hoc Sacramentum conficitur, est panis triticeus: materia secundae consecrationis est vinum de vite.* Dixi 1. *Materia remota*: nam sicut in poenitentiae Sacramento peccata remittenda et destruenda dicuntur materia remota, sic in Eucharistia illud est materia remota, quod est convertendum in Corpus et Sanguinem Domini: atqui panis et vinum sunt convertenda in Corpus et Sanguinem Domini: ergo. Ab aliis panis et vinum dicitur materia transiens.

Dixi 2. *Panis et vinum.* probatur ex Scriptura, ubi Matth. 26. v. 26. legimus: *Coenantibus autem eis, accepit Jesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque Discipulis suis, et ait: Accipite, et comedite: Hoc est Corpus meum.* v. 27. *et accipiens calicem, gratias egit, et dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes* (vel ut habet Lucas c. 22. v. 17.: *Dividite inter vos*) *Hic est enim Sanguis meus* etc. Quod autem accipiens calicem in vino de vite consecraverit Sanguinem suum, indicant verba sequentia apud s. Matth. l. c. *Non bibam amodo de hoc genimine vitis.* Apud s. Lucam l. c. *Non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat.* Vide etiam C. 14. s. Marci: item 1. Cor. 11. Porro apud s. Lucam l. c. praecepit Apostolis, ut idipsum facerent: *Hoc facite in meam commemorationem.* Idem probatur ex constanti Ecclesiae traditione, quae nonnisi panem et vinum pro materia Eucharistiae usurpavit. *Confirmatur* ex Concilio III. Carthaginiensi ab anno 397. ubi Cap. 24. statuitur: *In Sacramento Corporis et Sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam ipse Dominus tradidit, hoc est panis et vinum aqua mixtum.*

Dixi 3. *Panis triticeus*: panis enim, ut sit materia valida, debet esse ex farina triticea, aqua naturali subacta, ad ignem tostus vel pistus. De pane triticeo loqui Scripturam, constat tum ex eo quod loquatur de pane simpliciter tali: atqui talis erat panis triticeus, quo communiter utebantur Judaei: nam Joan. cap. 6. v. 9. quinque panes, quos puer unus e tota turba habebat, non dicuntur simpliciter panes, sed cum addito, *hordeacei*: ergo; tum ex perpetuo usu et praxi Ecclesiae, quae numquam Eucharistiam consecravit nisi in pane triticeo, ita significat *Eugenius IV.* in Decreto saepe laudato: *Tertium est Eucharistiae Sacramentum, cujus materia est panis triticeus, et vinum de vite*; ubi sicut loquitur de vino, quod necessario necessitate

Sacramenti debeat esse de vite, ita de pane, quod necessario debeat esse triticeus. *Confirm.* 1. ex *S. Hieron.* qui in cap. 6. Isaiae v. 8*: Si dedero triticum tuum ultra cibum inimicis tuis*, ita scribit; *triticum quoque, de quo panis coelestis efficitur, illud est, de quo loquitur Dominus; Caro mea vere est cibus. Confirm.* 2. ex Missali Rom. ex Decreto *Trid.* restituto, jussu *Pii V.* edito et *Clementis VIII.* auctoritate recognito, ubi tit. 3. de defectu panis num. 1. ita habetur; *Si panis non sit triticeus, vel si triticeus admixtus sit granis alterius generis in tanta quantitate, ut non remaneat triticeus, vel sit alioqui corruptus, non conficitur Sacramentum.* Unde panis ex illo frumento de quo dubitatur an sit triticum, est materia dubia; de quo autem certo constat non esse triticum, est materia plane invalida.

254. Porro etsi panis triticeus tam fermentatus, quam azymus sit materia valida consecrationis, in Ecclesia tamen Latina nonnisi panem azymum adhibere licet; ita Decretum Eugenii: *Definimus in azymo sive fermentato pane triticeo Corpus Christi veraciter confici, Sacerdotesque in alterutro ipsum Domini Corpus conficere debere, unumquemque juxta Ecclesiae sive Occidentalis sive Orientalis consuetudinem.* Missale Rom. l. c. n. 3. ita habet: *Si coeperit corrumpi* panis, *sed non sit corruptus; similiter si non sit azymus secundum morem Ecclesiae Latinae, conficitur* Sacramentum, *sed conficiens graviter peccat.* Consuetudo utriusque Ecclesiae facit praeceptum.

255. De Materia proxima hujus Sacramenti mentio facta est num. 246. quod species panis et vini una cum Corpore et Sanguine Christi sint materia proxima, et intrinsece constituant hoc Sacramentum. Vide *Suarez* hic D. 42. Juxta alios actio ministri in aliis Sacramentis est materia proxima, ut ablutio in Baptismo; ergo etiam consecratio in Eucharistia est materia proxima, ita ut verba consecrationis hoc Sacramentum intrinsece in facto esse constituant; contra quos cum communi TT. agit *Suar.* hic D. 42. Sect. 1. conclus. 2. tum quia potius verba dici debent constituere hoc Sacramentum in fieri, quam in facto esse, in quo est permanens, transeuntibus verbis; tum quia Patres dicunt, consecratione perfici hoc Sacramentum, non autem consecrationem esse ipsum Sacramentum. Haec quia non pertinent ad praxim remittimus ad Theologiam Scholasticam. Sufficiat hic bene notare, quod ad Sacramentum Eucharistiae in fieri tria concurrant: 1. Materia remota, scil. panis et vinum. 2. Materia proxima, nempe Corpus et Sanguis Domini, quae succedunt pani et vino, remanentibus speciebus: 3. Verba consecratoria tanquam forma, non informans, sed efficiens conversionem.

256. Denique vino ante consecrationem ex praecepto Ecclesiastico debet admisceri modica aqua. Ita *Trid.* sess. 22. C. 7. *Monet deinde sancta Synodus, praeceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent*; idque tit ob triplicem rationem ibid. assignatam: 1. *Tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur.* 2. *Tum etiam quia e latere ejus aqua simul cum sanguine exierit, quod Sacramentum hac mixtione recolitur.* 3. *Et cum aquae in Apocalypsi B. Joannis populi dicantur, ipsius populi fidelis cum Capite Christo unio repraesentatur.* Juxta alios, ut refert *Bened. XIV.* de Sacrificio Missae, per eam aquae et vini commixtionem ostenditur Incarnationis mysterium, sive unio hypostatica naturae divinae et humanae, ut colligitur ex verbis orationis: *Da nobis per hujus aquae et vini mysterium ejus Divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostrae fieri dignatus est particeps Jesus* .... in qua unione cum natura humana respectu divinae se habeat ut guttula respectu immensi maris; ideo modica tantum aqua, scilicet una alterave guttula repraesentans naturam humanam commiscetur: *quo paucior, eo potior.* Vide etiam Can. 9. ejusdem *Trident.* sess. 22. Idem ritus confirmatur ex Liturgiis s. Petri apud Latinos, s. Jacobi apud Hierosolymitanos, s. Marci apud Alexandrinos,

ss. Basilii et Chrysostomi apud Graecos, item ex Concilio Carthaginiensi III. cit. pag. 178. An aqua immediate convertatur in sanguinem, an vero mediate, quando prius fuit conversa in vinum, vide in Theol. Schol. Communiter ac recte dicitur, *vinum usuale* converti in Sanguinem Christi, scil. vinum aqua mixtum, quale Christus adhibuisse creditur, teste s. Hieron., qui in Cap. 14. Marci ita scribit: *Format* (Christus) *Sanguinem suum in calice vino et aqua mixtis.*

257. Principium II. *Utraque haec materia, ut valide consecretur, debet esse moraliter praesens consecranti, et per intentionem consecrantis in individuo determinata.* Dixi 1. *Debet esse praesens consecranti:* tum quia id exigit veritas formae, quae continet pronomen demonstrativum *Hoc, Hic;* ad sensum autem nihil demonstrari potest, nisi sit praesens: sicut enim particula *Te* in forma Baptismi demonstrat personam praesentem, ita particulae *Hoc, Hic* demonstrant rem praesentem: ergo sicut nequit baptizari persona absens, ita nec consecrari materia absens: tum quia alias Sacerdos posset simul omnes panes in toto mundo existentes consecrare. *Confirm.* ex praxi Ecclesiae fundata in facto Christi, qui consecravit materiam praesentem. Dixi 2. *Moraliter praesens:* quia cum morali praesentia manet verus sensus formae, et satis sensibiliter demonstratur materia consecranda: tunc autem res censetur esse moraliter praesens, quando, etsi physice non sit praesens, hoc est, sensu non attingatur actualiter, v. g. manibus aut oculis, in eo tamen loco sita est, in quo a consecrante sit perceptibilis et demonstrabilis, si non in se, saltem in alio, *vel tanquam in toto*, ut plures hostiae in uno cumulo, etsi inferius latentes actu non videantur: *vel tanquam in proximo continente*: ut vinum in calice vel in vase ad materiam pro consecratione continendam determinato, quale est ciborium, non vero tabernaculum. Ex quibus sequitur 1. Materiam debere ita esse propinquam consecranti, ut per pronomen *hoc* vel *hic* demonstrari possit. 2. Materiam debere existere coram Sacerdote, non autem a tergo illius, vel sub mappa, vel post parietem aut aliud corpus opacum, quod non habet rationem vasis aut thecae illam proxime continentis; quia non posset sic demonstrari per pronomen independenter ab alio nutu aut signo. Quae omnia confirmantur ex consuetudine Ecclesiae, vi cujus materia consecranda debet poni supra corporale in altari, ubi Sacerdos consecrat.

258. Dixi 3. *Debet esse determinata per intentionem consecrantis*; tum quia forma Eucharistiae demonstrativa exigit determinationem rei demonstrandae; res enim indeterminata demonstrari nequit: tum quia actio debet esse circa singularia, et determinata: consecratio autem est actio: ergo per intentionem debet determinari ad singularem materiam. *Confirm.* et declaratur ex Missali Romano, quod de defectu intentionis sic habet n. 1. *Si quis habeat coram se undecim hostias et intendat consecrare solum decem, non determinans quas decem intendit, non consecrat, quia requiritur intentio: secus si putans quidem esse decem, tamen omnes voluit consecrare, quas coram se habebat; nam tunc omnes erunt consecratae; atque ideo quilibet Sacerdos talem semper intentionem habere deberet, scilicet consecrandi eas omnes, quas ante se ad consecrandum positas habet.* Vide dicta num. 69.

259. Dixi 4. *Ut valide consecretur*; ad licitam enim consecrationem requiritur ut quantitas materiae consecrandae non sit major, quam tempore opportuno consumi possit; alias enim foret periculum, ne computrescerent species. Porro si particulae panis vel vini tam exiguae sint, ut nequeant naturaliter sensu percipi, non possunt valide consecrari; quia nequeunt demonstrari praesentes in ordine ad sensus, prout exigunt particulae *Hic* et *Hoc*: et quia Sacramentum debet esse signum visibile. Quando autem minutissima materia sensu adhuc est perceptibilis, valide potest consecrari, quia tunc vere est signum visibile; licite tamen id fieri nequit, quia est contra ritum et praxim Ecclesiae. Vide *P. Antoine* de Euchar. C. 1. q. 6. Figu-

ra hostiae consecrandae debet esse orbicularis juxta ritum Ecclesiae Latinae: item debet esse major, ut convenienter elevari ac videri possit: si absit scandalum, non peccat Sacerdos, dum in defectu majoris hostiae consecrat minorem.

260. Principium III. Forma sive verba pro consecratione panis sunt: *Hoc est enim corpus meum:* pro 2. consecratione, sive pro vino: *Hic est enim Calix Sanguinis mei, novi et aeterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Licet autem singula haec verba ex gravi praecepto in consecratione adhibenda sint, ut constat ex Decreto *Eug. IV.*, traditione et perpetua praxi Ecclesiae, non tamen singula sunt necessaria ad valorem; forma enim primae consecrationis essentialiter consistit in his verbis *Hoc est corpus meum*; altera vero juxta plurimos, et ex gravibus rationibus apud *Suarez* hic D. 60. S. 1. essentialiter consistit in his verbis: *Hic est Calix Sanguinis mei*, vel in aequivalentibus: *Hic est Sanguis meus.* Ratio est: quia illa verba sunt essentialia formae Eucharistiae, quae praecisis omnibus aliis perfecte determinant ad significationem praesentiae Christi, sive ad conversionem panis in Corpus, et vini in Sanguinem Christi: atqui praedicta verba utriusque formae perfecte ita determinant, praecisis omnibus aliis; ergo. *Min. Prob.* Verba primae consecrationis, *Hoc est corpus meum*, juxta omnes sufficienter et perfecte significant conversionem panis in Corpus Christi: ergo etiam haec sola verba, *Hic est Calix Sanguinis mei*, praecisis omnibus aliis perfecte significant conversionem vini in Sanguinem. *Confirm.* Etsi Christus post verba consecratoria panis, *Hoc est corpus meum*, addiderit, *quod pro vobis tradetur* Luc. 22. 19.; haec tamen juxta adversarios non sunt essentialia; ergo a pari.

261. *Neque dicas:* omissis verbis, *qui pro vobis effundetur*, non exprimitur ratio Sacrificii, sed tantum ratio Sacramenti, quia non fit mentio effusionis Sanguinis, *per quam Sacrificium* completur, ut ait *S. Paulus* Hebr. 9. R. Sufficienter exprimitur in actu exercito, ut ait *Babenst.* t. 8. p. 3. D. 3. §. 3. n. 27., quando per ipsum exercitium consecrandi vi verborum Sanguis a corpore mystice separatur, dum sanguis seorsim a corpore distincta actione consecratur. Plura vide in Theol. Schol. et supra n. 249. *Suarez* quoque ostendit l. c. in variis liturgiis omissa esse quaedam ex verbis usitatis in Ecclesia Latina; sic liturgiae antiquae Graecorum omittunt *τὸ aeterni, et mysterium fidei.* Quid? quod ipsi Evangelistae omiserint illas particulas, *mysterium fidei* et *aeterni.*

262. Adverte 1. Verba essentialia consecrationis profert Sacerdos *assertive et practice*, reliqua vero tantum *narrative, recitative* sive *historice:* quia sola essentialia verba profert in persona et nomine Christi, reliqua vero in persona propria: ex quo tamen non sequitur, quod sine peccato gravi omitti aliquid aut mutari possit propria auctoritate de tota forma. *Laym.* l. 5. t. 4. c. 3. n. 2. et 3.

263. Adverte 2. Juxta eumdem, si aliqua verborum forma adhibeatur habens diversum sensum et significationem a sensu formae praescriptae, non erit valida consecratio, v. g. *Hoc corpus Christi:* vel *hic panis est corpus*; vel *illud est corpus meum* etc. Sin autem verba perfecte aequivalentia usurpentur, illicita quidem, sed valida erit consecratio: v. g. *Istud est corpus meum.* Vide dicta a n. 8. et seq. item n. 37. 40.

Porro etsi *SS. Matth. et Marcus* non scribant: *Hic est Calix Sanguinis mei*, propterea forma consueta improbari nequit; cum *S. Luc.* l. c. disserte habeat: *Hic est Calix novum testamentum in meo Sanguine:* consentit *S. Paulus* 1. Cor. 11. ubi *τὸ calix* metonymice sumitur tanquam continens pro contento; videtur etiam haec forma esse paulo expressior, et excludens omnem metaphoram heterodoxorum: dicendo enim: *hic est Calix* etc. significatur, Sanguinem adesse tanquam potabilem. Ita *Suarez* hic D. 60. S. 2.

264. Adverte 3. Sensus primae formae est hic: *Contentum sub his speciebus est corpus meum.* Sensus secundae formae est iste: *Hic est Sanguis meus*

contentus in hoc calice. Ita *S. Th.* q. 78. a. 3. ad 1. Hunc sensum innuit *Trid.* sess. 13. C. 1. et can. 1. cit. supra n. 247. Quamvis autem dum verba formae inchoantur, sub speciebus adhuc sit substantia panis et vini; quando tamen integra propositio finitur, desinit panis et vinum, et sub eorum speciebus adest corpus et sanguis Christi, juxta exigentiam propositionis practicae. Sic qui conficiendo circulum dicit: hic est circulus, vere loquitur, dum totum conficit circulum. Sensus verborum sequentium: *Novi et aeterni testamenti: Novi* varie exponi potest; 1. hunc esse sanguinem Christi, quo novum testamentum firmatum est juxta illud *Heb.* 9. *Neque per sanguinem hircorum... et ideo novi testamenti mediator est.* 2. Quia in veteri praecipue fiebant promissiones temporales, novum autem aeterna dona proponit; *Qui manducat hunc panem vivet in aeternum:* et quia hoc novum Sacrificium testamento firmatum usque ad finem saeculi durabit, neque illi aliud Sacrificium succedet: ergo recte novum et aeternum dicitur. *Suar.* l. c. S. 3. Recte etiam sanguis Christi dicitur *testamentum;* est enim authenticum instrumentum, quo continetur ultima voluntas Redemptoris satisfaciendi pro peccatis nostris per mortem suam: est etiam sanguis Christi confirmatio testamenti, sive promissionis a Christo factae Joan. 6. *Qui manducat* etc. Per τὸ *mysterium fidei* indicatur hoc Sacramentum esse unum ex mysteriis fidei maxime reconditis, in quo aliud videtur, aliud sub speciebus latet. Alludit *S. Paulus* 1. Tim. 3. v. 9. de Diaconis: *Habentes mysterium fidei in conscientia pura*, quod *Emman. Sa* ita exponit: *cum puritate conscientiae calicem ministrantes populo;* quod olim erat officium Diaconi. Sequitur: *Qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, h. e. juxta *Chrysost.* et *Theophyl. pro vobis*, scil. discipulis meis, *et pro multis*, h. e. omnibus aliis; omnes enim etiam sunt multi. Vel juxta *S. Th. pro vobis*, id est Sacerdotibus qui offerunt; *et pro multis*, id est, pro laicis omnibus pro quibus offertur. *Effundetur*: in sensu litterali intelligitur de reali effusione facta in passione, in cujus memoriam fit hoc Sacrificium.

265. Principium IV. *Minister conficiens hoc Sacramentum est solus Sacerdos.* Est de fide. Sicut enim Christus in ultima coena solis Apostolis consecrandi potestatem dedit per illa verba, *hoc facite in meam commemorationem:* ita eamdem in solis Apostolorum successoribus legitime vocatis et ordinatis continuari voluit in sua ecclesia, ut semper tenuit eadem. Hinc Conc. Lateran. IV. c. *firmiter*, ita definit: *Hoc itaque Sacramentum nemo potest conficere, nisi Sacerdos, qui rite fuerit ordinatus. Trid.* sess. 22. Can. 1. ita definit: *Si quis dixerit, illis verbis, hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi aliique Sacerdotes offerrent Corpus et Sanguinem suum, anathema sit.*

266. Ut Sacerdos *valide* conficiat Eucharistiam, requiritur 1. ut sit mas, et rite ordinatus. 2. Ut adhibeat debitam materiam et formam 3. Ut habeat intentionem saltem virtualem consecrandi. Vide dicta n. 49. et seq. Ut *licite*, requiritur 1. ut non sit notatus Ecclesiastica censura. Hinc valide quidem, sed non licite consecrat Sacerdos apostata, haereticus, excommunicatus, degradatus etc.; quia character sacerdotalis est indelebilis, et potestas nulla humana potestate auferibilis. Vide dicta n. 54. 2. Ut habeat easdem dispositiones corporis et animae, quas communicans, nempe ut sit jejunus et in statu gratiae; quia nunquam licet consecrare extra Missae Sacrificium, hoc autem dum peragit, semper etiam sumit Eucharistiam, et quidem de suo Sacrificio; non alio.

267. Solus Sacerdos etiam est Minister ordinarius Eucharistiae dispensandae. Hanc ut licite dispenset, requiritur in suscipientem jurisdictio vel *ordinaria*, quam habent Papa, Episcopus, et Parochus, vel *delegata*, quo reducitur communiter et prudenter praesumpta, quando fideles extra tempus paschale in alia parochia devotionis gratia S. Eucharistiam petunt: aut *privilegium speciale*, quo gaudent Regulares ad distribuendam s. Communionem in suis templis. Ex

commissione Sacerdotis ordinarii etiam licite distribuit communionem Diaconus, nullus autem inferior clericus, multo minus laicus. *Primum* probatur ex 1. Cor. 4. 1.: *Sic nos existimet homo ut Ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.* Sicut enim, ut ait *S. Th.*, ad Sacerdotes jure divino spectat confectio, ita ad eos pertinet dispensatio Eucharistiae. *Conf.* ex *Trid.* sess. 13. C. 8.: *In Sacramentali autem sumptione semper in Ecclesia Dei mos fuit, ut Laici a Sacerdotibus communionem acciperent; Sacerdotes autem celebrantes se ipsos communicarent: qui mos tanquam ex Apostolica traditione descendens jure ac merito retineri debet. Secundum* constat ex privilegiis Regularium. Societati Jesu id concessit *Paulus III.* anno 1545. in Bulla: *Cum inter*: idem anno 1549. in Bulla: *Licet debitum. Tertium* infra probabitur C. 6. de Sacram. Ordinis.

268. Princip. V. *Licet Eucharistiae susceptio nec in re, nec in voto necessaria sit necessitate medii tam parvulis, quam adultis; necessaria tamen est ex praecepto divino adultis, qui rationis usum adepti sunt; quod praeceptum obligat per se loquendo in articulo mortis, et saltem aliquoties in vita: ex praecepto autem Ecclesiastico obligantur sub peccato mortali omnes fideles, postquam ad plenum rationis usum et annos discretionis perveverunt, ad suscipiendam Eucharistiam tempore paschali, et quidem e manu proprii sui Parochi.*

Primum probatur ex eo, quod parvulis juxta hodiernam Ecclesiae praxim Eucharistia non detur, votum autem sive desiderium illius elicere nequeunt. Ita expresse docet *Trident.* sess. 21. C. 4. *Parvulos usu rationis carentes nulla obligari necessitate ad Sacramentalem Eucharistiae communionem;* quia adeptam in Baptismo gratiam in illa aetate amittere non possunt; adulti vero etsi sine Eucharistia non tam facile, absolute tamen gratiam obtinere possunt: nec aliunde absoluta necessitas probari potest: ergo. Nec obstat paritas cum cibo corporali; cibus enim Eucharisticus cum illo tantum convenit in eo, quod nutriat, et augeat, non autem quod absolute conservet vitam spiritualem; alias sicut in dies cibus corporalis sumitur, ita quotidie sumenda esset a quolibet Eucharistia. Ex textibus afferri solitis probatur necessitas praecepti: praesertim ex illo *Joan.* 6. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ex quibus tamen verbis non sequitur, etiam laicis communicandum esse sub utraque specie, quia, dum sub specie panis accipiunt corpus Christi vivum, etiam accipiunt sanguinem, quem proinde aequivalenter bibunt, et quoad rem plenum accipiunt convivium, licet non quoad modum sicut Sacerdotes. Neque propterea defraudantur laici aliquo fructu Sacramenti, nam eadem vita promittitur *Joan.* 6. 54. carnem manducanti, quae manducanti carnem et simul bibenti sanguinem: *Si quis manducaverit ex hoc pane vivet in aeternum.* Et v. 58.: *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.* Vide *Trid.* sess. 21. C. 3. Ibid. Can. 1. 2. et seq. *Confirm.* Actor 2. de primis fidelibus legitur: *Erant.... perseverantes in doctrina Apostolorum, et communicatione fractionis panis.* Vide n. 252.

Praeceptum Ecclesiasticum habetur ex Conc. Lat. IV. relatum in c. *Omnis utriusque sexus*, de poenit. et remiss. *Trid.* sess. 13. Can. 9. ita statuit: *Si quis negaverit, omnes, et singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis saltem in Paschate ad communicandum, juxta praeceptum S. Matris Ecclesiae, anathema sit.* Poena quoque transgressori hujus praecepti statuitur in c. cit. Omnis: *Alioquin et vivens ab ingressu Ecclesiae arceatur, et moriens christiana careat sepultura.* Huic praecepto communionis paschalis non satisfit per communionem sacrilegam, ut constat ex propos. 55. damn. ab *In. XI.* Praeceptum enim Ecclesiasticum determinando tempus sumendi Eucharistiam absque dubio non alium modum sumendi Eucharistiam simul praecepit, quam quo communio praecipitur praecepto divino; atqui praecepto divino praecipitur digna communio:

nam *quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et Sanguinis Domini.* 1. Cor. 11. 27. ergo.

269. Principium VI. *Subjectum capax Eucharistiae recipiendae est omnis homo viator baptizatus et rationis compos; ad quam digne suscipiendam requiritur dispositio corporis et animae.* Probatur primum: quia quilibet talis de se est capax augmenti gratiae, quod per Eucharistiam confertur, si scil. rite dispositus sit. Porro licet infantibus Eucharistia olim data fuerit, propter quem morem, ut ait *Trid.* sess. 21. C. 4., non est damnanda antiquitas; hodie tamen ex gravi et justo praecepto in Ecclesia latina non datur parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, sive ante sufficientem rationis usum, quo possint cibum hunc spiritualem ab alio cibo corporali et communi discernere, seque per actus supernaturales ad ejus fructum percipiendum disponere. *Ratio est,* quia partim Eucharistia infantibus necessaria non est, ut probavi n. praecedenti, et amplius constat ex Trid. sess. 21. Can. 4. *Si quis dixerit, parvulis antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiae communionem, anathema sit;* partim quia dignitas hujus Sacramenti, et reverentia illi debita majorem exigit in subjecto dispositionem, quam a parvulis ordinarie possit expectari. Accedit quod Sacramentum Eucharistiae, licet in parvulis gratiam possit augere, pro iis tamen proprie institutum non sit; institutum enim est tanquam spiritualis alimonia, restaurans vires animae, quae tum per concupiscentiae fomitem, tum per externas hostium insidias debilitantur, quae ratio non infert necessitatem in parvulis; hi enim *per baptismi lavacrum regenerati, et Christo incorporati adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa aetate amittere non possunt*: ut loquitur *Trid.* l. c. C. 4. Addit *Laym.* L. 5. t. 4. c. 4. n. 3. certum ac determinatum annum aetatis definiri non posse, quo pueri et puellae ad S. Eucharistiae sumptionem idonei sint, sed aestimandum id esse prudentum parentum, Confessariorum, et praecipue Parochi, atque moderatorum judicio; ac proinde ad prudens hac super re judicium ferendum, ejusmodi parvulorum capacitas non ex sola aetate, sed etiam ex ingenii, morum constitutione, ac praesertim ex locorum consuetudine aestimanda est; nam alii citius, scil. circa annum nonum aut decimum, alii serius circa annum decimum quartum sufficientem rationis usum et spiritualis hujus cibi intelligentiam assequuntur. Neque dicendum, quod pueri statim ac pervenerunt ad eam aetatem, in qua possent licite ad Eucharistiam sumendam accedere, ad id obligentur, sed post aliquod tempus, v. g. post unum alterumve annum, ut probat *Suarez* hic Disp. 70. Sect. 1. ex usu Ecclesiae, et ratione.

270. *Probatur etiam* secundum. Ad dispositionem corporis requiritur *primo sub gravi praecepto Ecclesiastico jejunium naturale*, quod in eo consistit, ut nihil omnino per modum cibi, vel potus, vel medicinae a media nocte praecedente sacram communionem ab ore in stomachum trajiciatur.

Patet ex perpetua praxi Ecclesiae, et continua ss. Patrum doctrina, variorumque CC. definitione; ut ostendit *Suarez* hic D. 68. sect. 3. *Conf.* ex s. Aug. Epist. 118. ad *Januarium: Placuit Spiritui S. ut in honorem tanti Sacramenti in os Christiani prius Dominicum Corpus intraret, quam caeteri cibi: nam ideo per totum orbem mos iste servatur.* In Conc. Carthaginiensi III. c. 48. dicitur haec consuetudo sumendi Eucharistiam ante omnem cibum fuisse in Concilio Nicaeno confirmata. Praeterea ex Ecclesiae sensu et consuetudine, et ex *Con. Tolet. VII.* cap. 2. patet, quod in hoc praecepto non detur parvitas materiae. *Confirm.* ex Missali Rom. de defectibus n. IX. ubi expresse habetur: *Si quis non est jejunus post mediam noctem, etiam post sumptionem solius aquae, vel alterius potus, aut cibi, per modum etiam medicinae, et in quantacumque parva quantitate, non potest communicare, nec celebrare.* Ratio horum desumitur a reverentia et honore Eucharistiae debito, ut coelestis hic cibus praeferatur cuilibet cibo ac potui terreno: ut fideles

assuescant discernere inter hunc divinum, et alios communes cibos; denique ut discant fideles, quod Christus debeat esse primus ac primarius cibus animae.

Secundo. Ex parte corporis requiritur exterior habitus et corporis compositio, quae internam animi reverentiam et devotionem exhibeat; quia huic sanctissimo Sacramento non solum interna, sed etiam externa adoratio et reverentia summa debetur, in quo Christus mediantibus speciebus sensibili quodam modo existit. Porro quamvis sordes corporeae *per se* loquendo non impediant a s. communione, cum primario requiratur mundities animae, decentia tamen exigit, ut ejusmodi sordes corporis, si facile possint tolli, tollantur, vel si brevi praevideantur cessare, et commode possit differri communio, semel aut iterum differatur; si vero diutius durent, vel mere occultae sint, ut contingit menstruatis, non est cur aliquis alimonia hac coelesti privetur. Ita *Antoine* de Euchar. c. 2. q. 4. Non licet autem sacram Eucharistiam sumere, si sit periculum evomendi, ob gravem irreverentiam: plura in §. seq.

271. *Declaratur tertium de dispositione ex parte animae.* Ad hanc requiritur sub gravi peccato status gratiae, ita ut communicans cum conscientia peccati mortalis grave peccatum sacrilegii indigne communicando committat. Unde qui sibi conscius est peccati mortalis tenetur ante s. communionem *per se loquendo* confiteri. *Probatur prima pars* ex 1. Cor. 11. v. 27. *Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit Corporis et Sanguinis Domini.* v. 29. *Judicium sibi manducat.* Atqui accedens cum conscientia peccati mortalis, et nondum per poenitentiam sublati manducat indigne; ergo. *Confirm.* 1. Accedens in statu peccati mortalis gravem injuriam ac irreverentiam committit in Christum, eum suscipiendo in statu inimicitiae et peccati, quod ei summe displicet. Hinc *S. Th.* hic. q. 80. a. 5. ad 1. ait, *quod peccatum indigne sumentium hoc Sacramentum comparetur peccato occidentium Christum, secundum similitudinem, quia utrumque committitur contra Corpus Christi.* Ibid. ad 2. *dicendum, quod fornicator, accipiens Corpus Christi, comparatur Judae Christum osculanti, quantum ad similitudinem criminis, quia uterque ex signo charitatis Christum offendit.* Verbo: ille sacrilegium eo committit gravius quo sanctior est persona vel res sacra, quam indigne tractat; atqui in statu peccati mortalis sumens Corpus Christi personam ac rem sanctissimam indigne tractat; ergo committit sacrilegium gravissimum. *Probatur* etiam secunda pars de praemittenda confessione ex *Trid.* sess. 13. C. 7. *Quare communicare volenti revocandum est in memoriam ejus praeceptum* (1. Cor. 11. v. 28.): *Probet autem se ipsum homo. Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat, quod a Christianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, haec sancta Synodus perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit illis copia Confessoris; quod si, necessitate urgente, Sacerdos absque praevia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur.* Vide hic propos. 38. et 39. ab *Alex. VII.* damnatas. Idem statuitur in eadem sess. 13. Can. 11. ubi subnectitur: *Si quis autem contrarium docere, praedicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando defendere praesumpserit, eo ipso excommunicatus existat.* Dixi supra, *per se loquendo:* quando enim urget necessitas communicandi, et deest copia Confessarii, sufficit, et requiritur contritio perfecta; casum enim urgentis necessitatis ipsum Trid. l. c. excipit.

272. Quamvis autem ad recipiendum augmentum gratiae hujus Sacramenti sufficiat status gratiae, eo quod solum peccatum mortale sit obex gratiae sanctificantis; nihilominus ad plenum fructum Eucharistiae recipiendum requiritur devotio actualis. Sacramenta enim ad modum causae necessariae plus, aut

minus efficiunt pro perfectiore, aut imperfectiore dispositione subjecti. Unde solus defectus devotionis actualis, secluso contemptu et scandalo, est grave veniale. Ita *Antoine* l. c. q. 3. R. 3. ubi cum *Filliuccio* ait, illum quoque peccare venialiter, qui ad Eucharistiam accedit cum conscientia peccatorum venialium, quin prius dolorem eliciat; tum quia est aliqua irreverentia, tum quia ponit aliquem obicem fervori charitatis, et remissioni venialium. Devotio autem requisita ad Eucharistiam digne ac fructuose suscipiendam potissimum consistit in fide viva, spe firma, ardente charitate, et sincera humilitate, aliisque actibus virtutum, quibus conjungi debet desiderium hujus cibi spiritualis. Vide *Trid.* sess. 13. C. 7. ab initio.

273. Principium VII. *Effectus Sacramenti Eucharistiae sunt* 1. *nutritio et confortatio animae*, quae partim consistit in augmento gratiae sanctificantis, quae est vita animae; partim in gratiis actualibus suo tempore intuitu Eucharistiae perceptae concedendis, ad charitatem conservandam et augendam, nisi his gratiis per peccata etiam venialia deliberate, vel ex nota consuetudine commissa quoddam impedimentum postea ponatur. 2. *Liberatio a peccatis venialibus.* 3. *Praeservatio a mortalibus* per gratias actuales intuitu hujus Sacramenti conferendas tum ad servanda mandata, quando urgent, tum ad superandas tentationes; mediante qua praeservatione Eucharistia operatur perseverantiam in gratia, et consecutionem gloriae. Hinc *Joan.* c. 6. *Qui manducat hunc panem* (nisi homo resistat gratiis, et effectibus Eucharistiae) *vivet in aeternum.* 4. *Imminutio fomitis concupiscentiae*: augmentum enim gratiae est augmentum charitatis; hoc autem (teste *August.*) est diminutio cupiditatis: excitat quoque digna Eucharistiae susceptio pios motus contrarios motibus concupiscentiae. 6. *Delectatio spiritualis.* Congruit pani Eucharistico illud Sapient. 16. v. 20. *Angelorum esca nutrivisti populum tuum, et paratum panem de coelo praestitisti illi sine labore omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem.* Saepe tamen haec delectatio impeditur per teporem, negligentiam, vel affectum ad delectationes vanas. *Confirmantur* hucusque asserta ex *Trid.* sess. 13. *c.* 2. *Sumi autem voluit* (Salvator noster) *Sacramentum hoc, tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur, et confortentur viventes vita illius, qui dixit: qui manducat me, et ipse vivet propter me: et tanquam antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus praeservemur. Pignus praeterea id esse voluit futurae nostrae gloriae, et perpetuae felicitatis.*

§. III. *Resolvuntur casus.*

Casus I. De Materia Eucharistiae.

Gabriel neo-Sacerdos peregrinus in Suevia, cum ibidem per aliquot dies subsistere cogeretur, Sacrum facere cogitat, prius tamen ex curatore templi quaerit, an ex tritico confecta sit hostia? reponit curator: nos hic solemus adhibere speltam nostram Suevicam. Gabriel scrupulosus hoc audiens, petit hostiam ex tritico, cui rotunde respondet curator: videat Dominus, ubi talem accipiat: mihi jam non suppetit tempus, aliam ex tritico pinsendi hostiam. Cui reponit Sacerdos: praestat ergo omittere Sacrum: et abit.

274. Q. I. Quaenam materia censeatur certo invalida pro prima consecratione. R. Ad validam consecrationem non est apta materia 1. panis ex oriza, pisis, milio, fabis, amygdalis, nucibus, castaneis, lentibus, tritico turcico, aut ex leguminibus, fructibus arborum, aut radicibus, vel etiam ex hordeo, avena, similibusque confectus; quia haec omnia communi usu et judicio censentur specie distingui a tritico, a quo tum colore et sapore, tum virtute nutriendi longe differunt, nec sunt frumenta, ex quibus panis usitatus solet confici; ut ait *Laym.* cum Comm. DD. contra paucos, scil contra *Argentinam*,

et Gabrielem, qui putarunt, etiam hordeum et alias fruges, quae aristas habent, posse esse materiam hujus Sacramenti, cum sint quaedam frumenti genera. 2. Nec apta est massa triticea cruda, vel non cocta per modum panis, sed oleo aut butyro frixa, aut aqua elixa, ut sunt pastilli, placentae, liba etc. 3. Materia invalida est panis subactus aquis artificialibus, aut mixtus oleo, butyro, lacte, vel ovis, saccharo, aliove liquore, qui non sit aqua naturalis; quia non est panis usualis. Recentiores quidam cum *Cajet.* dicunt, panem aquis artificialibus commixtum esse materiam dubiam: quod *Missale Rom.* de defectu panis n. III. pariter innuit: *Si panis sit confectus de aqua rosacea, vel alterius distillationis, dubium est an conficiatur* Sacramentum. 4. Panis substantialiter corruptus. 5. Si farinae triticeae alterius frumenti farina in tanta quantitate admixta sit, ut non amplius maneat panis triticeus, sicut dictum est n. 253. sub finem. Eodem modo non sunt materia valida hostiae rubrae, si multum cinnabaris sit mixtum; quia non sunt panis usualis, sed communi judicio destinantur ad sigillandas litteras. Si parum materiae rubrae esset commixtum, possent consecrari valide, sed non licite. *La Croix* L. 6. p. 1. n. 419.

275. *Q.* II. Quaenam sit materia dubia pro prima consecratione. R. Omnis panis confectus ex grano, de quo dubitatur an sit verum triticum, censetur esse materia dubia. Species autem grani, de quibus diversi AA. dubitant, sunt *siligo* sive secale vulgo *Roggen, spelta*; *Spelz*, zea, quem alii vocant *Dinckel Korn*, alii *Spelz*. De spelta proprie dicta, alias etiam dicta frumentum Suevicum, scriptores Germani *Sanct-Gallenses, Tannerus, Laym.* L. 5. t. 4. c. 2. n. 2. *Gobat, Haunoldus, Illsung., Leonardelli* T. 3. de Euch. q. 2. §. 1. n. 8. censent, esse materiam validam et licitam, eo quod ex spelta fiat panis usualis optimus et candidissimus, etiam usitatus in aulis principum, et etiamnum sine scrupulo adhibeatur praesertim in Suevia, et Helvetia, etiam consciis Nuntiis Apostolicis et Episcopis: adeoque censeri debere panem triticeum. Contrarium ii potissimum dicunt, qui extra Germaniam scripserunt, ut *Palao, Aversa, Platellius* et alii, qui tamen nomine speltae aliud frumenti genus intellexisse videntur, quam illud, quod in dioecesi Constantiensi, teste *Gobat*, adhibetur pro consecratione. Hinc cum ob variam variarum regionum et vocum significationem difficile sit definire quaenam frumenti species vere ad tritici genus pertineat, ita ut sufficiat pro materia apta consecrationis, necesse est hac super re consulere peritorum judicium, et attendere ad communem dioecesis, aut regionis aestimationem, quid nomine tritici veniat. Recte enim hic ait *Suarez* D. 44. sect. 1. omnem panem confectum ex grano, quod revera constat esse triticum, quamvis aliter nominetur, esse certam materiam hujus Sacramenti. De siligine majus est dubium inter AA., quamvis iterum videatur esse lis de nomine et significato. Adeoque iterum recurrendum ad usum et praxim dioecesium. Antiquiores nomine siliginis intellexerunt verum triticum: ut constat ex *S. Th.* q. 74. a. 2. ad 3. et ex *Isidoro*, qui L. 17. Orig. C. 3. ait: *Siligo genus tritici a selecto dictum*; *nam in pane ejus species praecipua est. Laym.* tamen l. c. ait, quod peccet graviter Sacerdos, si siligineam materiam adhibeat, cum mundior, et magis alba facile adhiberi possit, quae dignitatem hujus Sacramenti magis decet. Idem dicendum de zea.

276. *Q.* III. An Gabriel in casu posito licite potuerit consecrare panem ex frumento illo Suevico. R. Prudenter potuisset deponere scrupulum, quod valide et licite consecret eam materiam, quam passim alii pii, prudentes et docti Sacerdotes in Suevia et tota Constantiensi dioecesi, teste *Gobat*, adhibent.

Casus II.

Georgius Sacerdos heterocliti ingenii in festis primae classis consecrat vinum Hispanicum, in secundae classis Hungaricum, in festis SS. Martyrum rubrum Burgundicum, in aliis mox Rhenanum, mox Franconicum: diebus autem Veneris in gratam memoriam Christi felle et aceto potati vinum absynthiacum; festo S. Laurentii pro more patriae uvarum primitiæs in calicem exprimit, et hoc mustum crudum consecrat.

277. *Q.* I. An Georgius valide et licite consecraverit vina peregrina. R. *Affirmative;* quia sunt vere de vite, et vina usualia in singulis regionibus. *Excipe* tamen: nisi alii liquores in magna copia admixti sint; sicut non raro vino Germanico fraudulenter admiscetur vinum adustum, ut fortius reddatur.

278. *Q.* II. Quid dicendum de vino absynthiaco. R. Si materia extranea, v. g. liquor ex absyntio, non sit admixta in tanta quantitate, ut tollat rationem vini usualis, valida quidem, per se loquendo, est consecratio, illicita tamen: quia est contra communem Ecclesiae praxim, quae praeferenda est cuivis heteroclitae devotioni, qualis erat illa Georgiana.

279. *Q.* III. An valida et licita fuerit consecratio in musto recenter ex uvis expresso. R. ad *primum:* valida fuit consecratio; quia tale mustum quoad substantiam est vinum de vite, ex supposito quod uvae fuerint maturae. Ad *secundum:* per se loquendo fuit illicita; quia ejusmodi mustum modo ex uvis expressum admixtas habet multas faeces, quae admixtio dedecet tanti Sacramenti dignitatem. Ita *S. Th.* hic q. 74. a. 5. ad 3. *Prohibetur etiam, ne mustum statim expressum de uva in calice offeratur, quia hoc est indecens propter impuritatem musti. Potest tamen in necessitate fieri; dicitur enim a Julio Papa: si necesse fuerit, botrus in calice comprimatur.* Vide c. *cum omne crimen*, de consecr. dist. 2. Hinc consuetudo in casu allata per se loquendo improbatur tanquam difformis Ecclesiae praxi; servari tamen potest, quia sicut necessitas ex *S. Th.* ita devotio et pius usus hic excusare videtur, *cum consuetudinis, ususque longaevi non levis sit auctoritas*, ut ait *Honor. III. c.* 9. de consuetudine. Introduci vero non debet, ubi illa consuetudo non viget.

280. Pro reliquis huc pertinentibus observa I. Neque agresta, neque acetum, neque vinum adustum, neque liquor ex pomis, frumentis, aliisque expressus (etsi dicatur vinum) neque lora, neque succus adhuc clausus in uvis est materia valida pro consecratione calicis. *Agresta* enim, sive liquor ex uvis immaturis expressus *est in via generationis*, ut ait *S. Th.* l. c. ad 3. *et ideo nondum habet speciem vini, et propter hoc de ea non potest confici hoc Sacramentum.* De *Aceto* idem Angelus Theologorum l. c. ad 2. ait: *Vinum fit acetum per corruptionem, unde non fit reditus de aceto in vinum, ut dicitur* 8. *metaphis. et ideo sicut de pane totaliter corrupto non potest confici hoc Sacramentum, ita nec de aceto. Potest tamen confici de vino acescenti, sicut et de pane, qui est in via ad corruptionem, licet peccet conficiens.* Hinc rejicitur Glossa in c. 2. Dist. 2. de Consecrat. *Vinum adustum*, etsi virtute ignis coquatur ex faecibus vini, in diversam tamen a vino communi et usuali substantiam abit, nec amplius simpliciter, sed cum addito, adustum denominatur; ergo nec theologice manet apta materia pro consecratione. De vino adusto ex frugibus virtute ignis expresso idem dicendum, cum nulla ratione sit vinum de vite. *Lora* (vulgo *Treste-Wein, Leur-Tranck*) non ex uvis sed ex acinis et racemis jam expressis elisa copiosa aqua maceratis elicitur; ergo potius dicenda est temperata aqua, retinens modicas particulas musti, non vero vinum substantialiter. Quod succus uvarum priusquam exprimatur, non sit apta materia, constat ex Synodo 6. c. 28. *Didicimus, quod in quibusdam Ecclesiis Sacerdotes, sacrificio oblationis conjungant uvas, et sic simul utra-*

que populo dispensent: praecipimus igitur, ut nullus Sacerdos hoc ulterius faciat. Vide C. 6. dist. 2. de consecrat. et C. cum omne, ibid. *Ratio* desumitur ex institutione ac significatione Sacramenti calicis requirentis, ut ejus materia sit potus: uvae autem cibi potius, quam potus rationem habent; in eis enim mustum non tanquam in vase, sed tanquam pars in toto continetur. *Suar.* hic Disput. 45. Sect. 1. *Confirmantur* asserta ex Missali Rom. ubi de defectu vini n. III. ita habetur: *Si vinum sit factum penitus acetum, vel penitus putridum, vel de uvis acerbis seu non maturis expressum, vel ei admixtum tantum aquae, ut vinum sit corruptum, con conficitur Sacramentum.*

281. II. Vinum congelatum, etsi non licite, valide tamen consecratur. Unde *Suarez.* l. c. triplicem conclusionem ponit: 1. Vinum consecratum, etiamsi congeletur, retinere consecrationem et Sanguinem Christi; quia revera substantialiter non est corruptum, si enim postea liquefiat (ut liquefieri debet ante sumptionem vel admotis calici manibus, vel prunis candentibus) habet qualitates et effectus vini: si autem fuisset corruptum, non posset per solam liquefactionem ad vini naturam redire. 2. Si vinum congelatum ante consecrationem postea liquefiat, illud posse esse materiam consecrationis: ex his 3. concludit vinum congelatum esse sufficientem materiam, quia est vinum vitis; et quamvis sub ipsa actuali congelatione potari non possit, sufficit tamen quod ex se et ab intrinseco sit probabile, et facile resolvi possit, ut fiat actu potabile, contra *Armillam, Ledesma et Alanum.*

282. III. Si Sacerdos advertat, vel aliunde resciat, jam parum aquae ab oenopola affusum esse, ille nihilominus in sacrificio modicam aquam admiscere debet; quia aqua non quomodocumque, sed caeremonialiter juxta ritum Ecclesiae admisceri debet in ordine ad sacrificium; cum autem sic non potuerit admiscere oenopola, debet miscere celebrans. Ordinarie vino valde debili sufficit affundere unicam guttulam; vino fortiori plures guttulas licet addere, unica tamen gutta sufficit ad totam significationem mysticam.

283. IV. Vinum miraculose productum, quale fuit illud in nuptiis Canae in Galilaea, et quale legimus subministratum fuisse quibusdam Sanctis, est materia valida consecrationis, sicut et panis, si per miraculum produceretur ex lapide. *Ratio est,* quia tale vinum, a Deo vitae et vitis auctore productum, quoad substantiam est ejusdem rationis cum vino ex vite collecto, licet quoad modum productionis et generationis differat. *Bonac.* D. 4. de Euch. q. 2. pun. 2. n. 4. Itaque excluduntur tantum alii liquores, qui non sunt simpliciter tale vinum, quale est illud de vite. *La Croix* hic n. 435.

Casus III. De conditionibus ad materiae consecrationem requisitis.

Gervasius Sacerdos advertit, quod cum ipse legeret Evangelium, ab aedituo ciborium particulis plenum reponatur super altare, quas postea offert, et intendit consecrare; alias idem aedituus Gervasio celebranti prope corporale reponit in scatula lignea minores hostias consecrandas: post consecrationem in utroque casu incidit Gervasio, quod sub consecratione nullo modo reflexerit ad hostias minores; ideoque dubius haeret, quid cum iis sit agendum. Praeterea dum frangit hostiam super calicem advertit quod duas hostias sibi connexas in manu habeat.

284. *Q.* I. An particulae in ciborio allatae et oblatae censeri debeant consecratae. R. *Affirmative;* quia etsi ciborium sub consecratione non fuerit apertum, nihilominus moraliter fuerunt praesentes (juxta n. 257.) easque Sacerdos antea intendit consecrare, obtulit etc. ergo nihil deest substantialiter requisitum ad consecrationem. Hinc etiam recte ait *Bonac.* l. c. pun. 6. n. 5. quod Sacerdos caecus valide consecret hostiam quam coram se habet, etsi illam non videat. Neque necesse est, ut sonus verborum attingat materiam consecrandam: ibid. num. 3. cum *Suar. et Henriq.*

285. *Q.* II. An hostiae minores in scatula lignea extra corporale collocatae censeri debeant consecratae. R. *Negative:* quia cum in scatula ligulea et extra corporale velle consecrare sit peccatum, hoc ipso quod sit contra praxim et consuetudinem Ecclesiae; velle autem consecrare in vase non sacro, sed profano simul sit contra reverentiam Sacramenti, prudenter praesumitur quod Sacerdos noluerit hostias illas consecrare in vase non sacro et extra corporale; quia nemo, praesertim in tam sancto Ministerio, praesumitur velle agere illicite, et cum peccato mortali. Adde quod Gervasius nec antecedenter videatur ullo modo habuisse intentionem consecrandi hostias minores: hinc dispar est ratio cum priore casu et resolutione; tum quia Gervasius veram habuisse intentionem consecrandi, tum quia ciborium supponitur fuisse collocatum in corporali.

286. *Q.* III. Quid, si Gervasius ante Sacrum ab aedituo fuisset monitus de consecrandis particulis, et ipse ab initio missae fecisset intentionem eas consecrandi, quin sub Sacro eas supra corporale reposuerit, imo sub ipsa consecratione illarum consecrandarum plane immemor fuerit? R. Probabilius non fuerunt consecratae; ita ex rationibus n. praeced. allatis docent *Suarez* de Sacram. D. 43. f. 6. *Palao, Diana, Tambur., Gavant.* in rubric. p. 3. tit. 7. n. 4. scilicet quia omnis Sacerdos potius praesumendus est habere intentionem saltem implicitam consecrandi juxta consuetudinem et mentem Ecclesiae, quam illicite et contra Ecclesiae morem extra corporale. Oppositam sententiam tenent *Praepositus*, *Tannerus* et alii, eo quod Sacerdos ante Sacrum habuerit intentionem consecrandi omnes hostias sibi praesentes, eamque non revocaverit, et si advertisset particulas allatas collocatas esse extra corporale, eas debito in loco reposuisset: imo, etiamsi noluerit consecrare extra corporale, potuit tamen absolute velle consecrare, non cogitando sub ipso Sacro de corporali.

287. *Q.* IV. Quid Gervasio fuerit agendum cum ejusmodi particulis. R. In praxi tales hostiae sunt de novo in alio Sacro consecrandae sub conditione; quia ob probabilitatem utriusque sententiae res dubia manet, vel si sint numero paucae, sumi possunt post sumptam utramque speciem ante ablutionem. Ita *Leonardelli* de Euch. q. 13. n. 71.

288. *Q.* V. An hostias minores liceat adhuc consecrare, si post oblationem hostiae majoris afferantur. R. Regulariter id non licet: quia particulae pro communione laicorum consecrandae pertinent ad idem sacrificium, ad quod pertinet hostia major: ergo minores cum majori non tantum consecrari, sed etiam offerri debent. Ita *Bonac.* de *Euch.* q. ult. pun. 2. n. 6. Dixi, *regulariter*: quia justa causa interveniente, v. g. si non adesset hostia consecrata pro moribundo, vel si alias plures sine communione dimittendi essent, probabilius licet hostias minores post offertorium allatas adhuc cum majore consecrare, facta tamen prius earum oblatione mente concepta: quia nec de necessitate sacrificii, neque ex vi legis praeceptivae tam necessario oblatio particularum cum oblatione hostiae majoris simul fieri debet, ut non subinde excuset causa gravis; per mentalem autem oblationem et intentionem sacrificantis in ipsa consecratione sufficienter fit una materia totalis, et sic manet ratio unius sacrificii. Ita *Tamb.*, *Diana*, *Gobat* t. 3. n. 85. *Gavant.* in rub. p. 1. t. 19. Practerea *Gobat* suadet ibid. n. 86. si tantum unus esset dimittendus qui vellet sumere Eucharistiam, ut potius ei particula majoris hostiae detur, quam ut consecrentur hostiae minores post offertorium allatae: idem sentit *Gavant.* Juxta *Burhghaber* Cent. 1. Cas. 28. etiam sub initium Canonis adhuc licet acceptare materiam consecrandam ex causa rationabili et urgente.

289. *Q.* VI. An statim post factam consecrationem liceat distribuere particulas consecratas. R. Nisi urgeat necessitas, id non licet: quia cum pertineant ad idem sacrificium cum hostia majore, non decet eas prius sumere, quam hostia major sumatur: adde quod sit aliqua inordinatio, si super illis non formentur signa praescripta in Missali, ut ait *Gobat* cum *Tambur.* l. c. quamvis

ibid. excuset a peccato mortali, non tamen a veniali, qui sine necessitate aut gravi causa ante sumptionem distribuerit.

290. *Q.* VII. An utraque hostia in dato casu sit consecrata. R. *Affirmative*: tum quia utraque absque dubio sufficienter erat praesens; Gervasius enim utramque manu tenebat sub consecratione, adeoque satis determinata per pronomen *Hoc*, tum quia ex supposito habuit debitam intentionem consecrandi. Porro ad tollendos hac super re scrupulos statuit *Gobat* t. 3. n. 84. cum *Tambur.* consultum esse, ut Sacerdos ante vel sub missa intendat consecrare omnem materiam consecrabilem, quae erit tempore consecrationis praesens, et quam juxta morem Ecclesiae deberet hic et nunc consecrare; qua quidem intentione posita si contingat ut in tuis manibus pro te, vel supra corporale pro communicantibus reperias post consecrationem plures hostias quam putaveras, ne ambigas quin omnes sint conversae in Corpus Christi, sicuti et erunt, licet non formaveris illam intentionem, modo non habueris contrariam, sed generalem illam: *Ego volo celebrare missam, et conficere corpus et sanguinem Christi juxta ritum S. Ecclesiae etc.* Secus esset, si praecise vellet Minister consecrare hostiam, quam oculis videt; sed hoc nec fit, nec fieri debet. *Suar.* hic D. 43. sect. 6.

291. Ex his porro resolves I. Probabilius guttae vini lateri calicis intus adhaerentes, et separatae a reliquo vino non consecrantur; quia intentio consecrandi se solum extendit ad vinum, quod per modum unius continui in calice continetur tempore consecrationis; ideo in praxi post infusionem vini adhaerentes guttae solent purificatorio abstergi, quae vero inferius adhaerent levi calicis motione vino continuo facile miscentur. Ita *Laym.* L. 5. t. 4. C. 2. n. 15. contra *Bonac.* de Euch. D. 4. q. 2. pun. 5. n. 7. qui affirmat, tales guttas probabiliter esse consecratas, eo quod intentio Sacerdotis ferri videatur circa totam materiam in calice existentem, quae demonstratur per particulam *hic*: item contra *Palao* t. 21. p. 6. qui censet, guttas continuo vino proximas esse consecratas, non vero remotiores. Certius est juxta *Bonac.* et *Laym.* l. c. guttas quae extra calicem adhaerent non consecrari; quia Sacerdos non habet, nec licite potest habere determinatam intentionem circa illas, quamvis eas moraliter habeat praesentes.

292. II. Nequidem in casu necessitatis (v. g. ut populus die festo possit audire missam, ut moribundus accipere sacrum viaticum) licet Sacerdoti latino consecrare in fermentato; tum quia Eucharistia non est ita necessaria, ut ideo praeceptum tam convenientis ritus negligi debeat: tum quia, licet praeceptum viatici sit divinum, et praeceptum non consecrandi in fermentato sit ecclesiasticum, illud tamen praeceptum divinum est affirmativum, ideoque non obligat nisi quando secundum universalem ritum Ecclesiae et commode fieri potest. Ita *La Croix* L. 6. p. 1. n. 431. cum *Henriq. Filliuc.* et aliis. *Ibid.* addit ex *Diana*, ad evitandam mortem licitum esse Sacerdoti latino consecrare in fermentato, quia praecepta humana non obligant cum dispendio vitae. Juxta n. 254. Sacerdotes latini in Ecclesia latina tenentur in azymo consecrare, Graeci vero in Ecclesia graeca in fermentato. Juxta *Suar.* hic Disp. 44. Sect. 3. sine scrupulo potest Sacerdos graecus peregrinus per Ecclesiam latinam, et latinus per graecam suae Ecclesiae ritum servare cum consensu et facultate pastorum illius Ecclesiae; juxta *Nav.*, *Sanch.* et *Coninck.* talis peregrinus licite se potest conformare legibus loci. *Suaresii* sententia praxi conformior est. Addit *Dicast.* quod Sacerdos latinus in templo latino apud graecos constituto teneatur consecrare in azymo; hoc ipso enim quod eis ibi permittatur templum, debent ritus suae propriae Ecclesiae servare. Si vero ibi fixerit domicilium, tenetur se accommodare ritui Ecclesiae ubi natus est domicilium, quia ad hanc censetur translatus.

293. III. Nunquam sine rationabili causa licet consecrare hostiam fractam, vel non integram vel maculatam, id tamen licet in necessitate, v. g. dum via-

ticum dandum est moribundo, aut nuptiae vel exequiae solemnes instant, vel si sine periculo gravis scandali Sacrum omitti aut tamdiu differri nequeat, donec aliunde afferatur alia; non tamen liceret, si hostia esset corrupta valde notabiliter.

294. IV. Juxta Rub. Missal. Rom. de defectibus n. IV. *Si celebrans ante consecrationem calicis advertat, non fuisse appositam aquam, statim ponat eam et proferat verba consecrationis: si id advertat post consecrationem calicis, nullo modo apponat, quia non est de necessitate Sacramenti.* Ibid. *Si celebrans post verba consecrationis advertat, vinum non fuisse positum, sed aquam, deposita aqua in aliquod vas, iterum vinum cum aqua ponat in calice, et* (facta oblatione saltem mente concepta) *consecret, resumendo a verbis praedictis: Simili modo postquam coenatum est etc.: si hoc advertat post sumptionem Corporis vel hujusmodi aquae, apponat aliam hostiam iterum consecrandam et vinum cum aqua in calice, offerat utrumque et consecret et sumat, quamvis non sit jejunus:* NB. *vel si missa celebretur in loco publico, ubi plures adsint, ad evitandum scandalum, poterit apponere vinum cum aqua* (absque nova hostia) *et facta oblatione, ut supra, consecrare ac statim sumere et prosequi caetera.* Neo-Sacerdos sollicite legat in Missali rubricas de defectibus in celebratione missarum occurrentibus, ubi plura inveniet.

295. At: quid si celebrans jam partem aquae cum particula in ore habeat et modo advertat esse aquam. R. Aquam, quam in ore habet, deglutiat; plane enim inconveniens est illam exspuere, imo periculum, ne simul aliquid de particula consecrata exspuatur: nec obstat, quod celebrans hoc modo non amplius sit jejunus; ut patet ex rubrica Miss. n. praeced. cit. reliqua aqua in calice effundatur in vas aliud et cum ablutione sumatur.

296. V. Etsi ab aliquibus defendatur (juxta *Tamb.*, *Fob.*, *Spor.*) quod materia valida consecrationis sit; si duabus partibus vini tertia pars aquae sit addita, saltem si vinum generosum sit: in praxi tamen hanc sententiam communiter sequi non licet; servit autem ad hoc, ut Sacerdos, si in sumptione forte advertat aquam vino esse admixtam, facilius se potest resolvere quod valide vinum lymphatum consecrarit, dummodo species vini in sapore et gustu notabiliter praevaleant. Vide C. *perniciosus.* 13. L. 3. tit. 41. de celebr. miss.

Casus IV. De forma Eucharistiae.

Gaudentius Sacerdos dum celebrat vere quidem consecrare intendit; eodem tamen modo verba essentialia profert, quo non essentialia, subinde etiam citra contemptum omittit τὸ enim.

297. *Q.* I. An Gaudentius valide consecrarit, eoquod non intenderit expresse verba essentialia proferre significative, reliqua vero tantum recitative. R. Valide consecravit; quia cum habuerit intentionem vere consecrandi, censetur habuisse intentionem consecrandi eo modo, quo instituit Christus et quo vult et praescribit Ecclesia: ergo eo ipso habuit intentionem verba essentialia assertive et practice proferendi. Ita bene inculcat scrupulosis *Spor.* hic n. 197.

298. *Q.* II. An Gaudentius graviter peccaverit omittendo *τὸ enim.* R. Praeciso contemptu non peccavit graviter ob levitatem materiae. Ita *Ledesma* contra *Gabr.* Non tamen excusatur a peccato veniali, qui id omittit ex negligentia vel inadvertentia culpabili. Juxta *Suar.* hic Disp. 59. Sect. 1. contemptus graviter peccaminosus merito timeri potest in eo, qui sciens et advertens *τὸ enim* pro libito praetermitteret.

299. Reliqua de repetitione verborum, variatione etc. vide in Tr. 1. C. 1. §. 3. Pro praxi bene cavendum, ne celebrans ridiculis gestibus ab anxietate inani expressis quasi sibilando, capite annuendo, os ad labia calicis proten-

dendo etc. verba consecrationis proferat; quae omnia potius risum, quam pietatem adstantium promovent, et summe dedecent Ministrum tanti mysterii, qui gerit personam Christi.

Casus V. De Ministro Eucharistiae.

Gelasius Parochus graviter aegrotus, cum non adesset alius Sacerdos, repit ad Ecclesiam, sibique ipsi praebet viaticum: mox adest nuntius, ut viaticum deferret ad moribundum, sed cum ipsemet Parochus pedibus vix insistere posset, ludimagister inscio Parocho viaticum ad aegrotum defert.

300. *Q.* I. An Gelasius licite sibi ipsi praebuerit viaticum. R. *Affirmative*; quia hoc absente alio Sacerdote et scandalo, per se nec est inconveniens, nec pro tali casu aliqua lege prohibitum; imo etsi adsit Diaconus, Sacerdos nec tenetur committere Diacono dispensationem Eucharistiae, neque amittit jus suum propter praesentiam Diaconi: si tamen adsit alius Sacerdos, tenetur ab hoc accipere; quia juxta Ecclesiae consuetudinem, et *Trid.* n. 267. cit. ordinarius Eucharistiae Minister est distinctus a sumente. Ita *S. Basilius* apud *Anastasium* Nicaenum in qq. super Scripturam. Addit *Laym.* L. 5. t. 4. c. 7. n. 6. etiam extra mortis necessitatem posse Sacerdotem devotionis causa absente scandalo ministrare sibi communionem, v. g. si magnum festum sit, vel ipse longo tempore infirmus fuerit, nec tamen alium Sacerdotem accersere possit. Ita docet *Bonac.* D. 4. q. 5. pun. 1. n. 12. cum *Sa*, *Coninck* et aliis, contra *Cajet.*, *Armill.*, *Filliuc.*; tum quia jure antiquo concessum erat Diacono, ut sibi communionem praeberet absente Sacerdote, ut patet ex C. Nicaeno c. 14. nec ullo jure novo sancitum est, quin hoc fieri possit a Diacono saltem in tali necessitate, dum existit in articulo mortis. *Durandus* in 4. dist. 13. q. 4. ait, si contingat Sacerdotem aegrotare, et non adesse nisi Diaconum qui Sacramentum deferat, debere Sacerdotem propriis manibus, si possit, sacram hostiam accipere et ori applicare. Notat tamen *Suarez* hoc esse insolitum, nec facile practicandum pro sola devotione.

301. *Q.* An ludimagister licite ad aegrotum detulerit ciborium, eique ministraverit Eucharistiam. R. 1. Juxta communiorem, et (ut ait *Bonac.* l. c. n. 6.) probabiliorem illicite egit: tum quia Eucharistia non est tam necessaria, ut contra consuetudinem hoc tempore receptam dari debeat a laico; tum quia juxta communem sensum fidelium major huic Sacramento debetur reverentia, quam ut a laico possit administrari: tum quia ex hoc usu non essent hodie evitandi plurimi abusus, scandala et irreverentiae; ergo propter graviora mala inde oritura merito in praxi tenenda est haec sententia: antecedens examinanti prudenti judicio facile patebit. Plura vide apud *Sotum*, *Sylv.*, *Henriq.* L. 8. C. 54. *Sa.* V. Euchar. n. 4. et 32., *Victoria*, *Chamerota* de Euch. c. 9. Dub. 3. *Lugo*, *Mendo* Dissert. 11. q. 2. et alios quos citant *Bonac.* l. c. et *La Croix* hic n. 482. Contrariam sententiam, ejusque patronos vide apud *Burgh.* Cent. 3. Cas. 99. ubi tamen male pro hac sententia citatur *Henriquez.* R. 2. Non videtur esse dubium, quin laicus cum facultate Summi Pontificis possit vel sibi vel alteri in necessitate praebere Eucharistiam: sic Maria Stuarda Regina Scotiae martyrium subitura prius Sacramentum, quod apud se habebat, propriis manibus sumpsisse perhibetur; de quo facto *Suarez* hic nobis contrarius Disp. 72. sect. 3. in fine ait: *Et quamvis fortasse habuerit* (laudata Regina Scotiae) *amplam circa hoc Pontificis concessionem, tamen etiam sine illa pie ac sancte fecisset.* Juxta eumdem et alios in necessitate, ubi Eucharistia profananda esset ab haereticis irruentibus, laicus posset licite sumere sacras species, si ab altari fugisset, aut vi abreptus esset Sacerdos.

302. Certius est, hodie nunquam licitum esse, ut Sacerdos laico tradat sacrum Domini Corpus ad deferendum infirmis, ut constat ex C. *Pervenit.* 29. dist. 2. de Consecr.

303. De Ministro porro observa sequentia I. Sacerdoti nunquam licet consecrare unam speciem sine altera, imo nequidem pro communione moribundi, dum forte deest vinum: quia consecratio utriusque speciei est de essentia sacrificii; posita enim unius speciei consecratione non perfecte, quantum fieri potest, repraesentatur incruento modo sacrificium cruentum a Christo D. in cruce peractum, neque est perfecta destructio hostiae mystica: sicut enim vi verborum sub speciebus panis ponitur Corpus Christi, et sub speciebus vini Sanguis, ita per utramque consecrationem tanquam per separationem mysticam Sanguinis a Corpore perfectum fit sacrificium. Hinc juxta c. *Comperimus.* 12. Dist. 2. de Consecr. *Divisio unius, ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire.* Ideo juxta *Missale Rom.* de defectibus in ministerio ipso occurrentibus, si Sacerdos post consecrationem panis graviter infirmetur aut moriatur, alius, etiam in casu necessitatis non jejunus, debet prosequi missam, et super eumdem vel alium calicem verba consecrationis proferre, ab illis verbis incipiendo, *simili modo* etc.

304. II. Nunquam licet Sacerdoti facta consecratione omittere communionem, vel eam sumere tantum sub una specie. Hinc graviter erraret Sacerdos, qui ex defectu particularum solas species vini sumeret, hostiam vero majorem in minores partes divisam laicis pro communione distribueret; quia sine sumptione sacrificium non est integrum, et Christus ipse Eucharistiam instituens suo id exemplo docuit. *Conf.* ex s. Th. P. 3. q. 82. a. 4. in corp. *Ideo necesse est quod Sacerdos quotiescumque consecrat sumat integre hoc Sacramentum*; vide c. *Relatum* 11. dist. 2. de consecr. et C. *Nihil contra.* 16. Caus. 7. q. 1. Pariter erraret graviter Sacerdos, si renovaturus hostiam pro sacra hierotheca, vulgo monstrantia, hostiam sui sacrificii ibi reponeret et antiquam sumeret; quia sic non communicaret de suo sacrificio. *Lugo* et comm. Ideoque pro praxi notandum, quod tunc consecrare debeat duas hostias, et ex his unam sumere more consueto, alteram vero reponere pro monstrantia, antiquam autem inde extractam sumere immediate post sumptionem sacri Sanguinis ante ablutionem: sic enim prius complet integrum suum sacrificium, et jejunus sumit alteram hostiam.

305. III. Licet Sacerdoti reliquias hostiarum in corporali aut patena repertas sumere, cum, vel etiam post ablutionem: quia pertinent ad eamdem actionem et complementum ejusdem sacrificii, et sufficit si jejunus inchoat illam actionem, licet non ad singulas ejus partes sit jejunus. Ita *Suar.* dist. 68. sect. 6. *Fagund*, *Lugo* et alii. *Confirm.* Si contingat particulam hostiae ita adhaerere ori, ut non possit deglutiri, cuilibet communicanti licet sumere aquam vel vinum, donec deglutiatur; item si contingat, particulam hostiae consecratae quae fuit immissa calici, adhaerere fundo calicis vel lateri, licite Sacerdos infundit vinum ad purgandum calicem, ut simul adhaerentem particulam sumat; indecens enim est juxta *Suar.* l. c. digito illam trahere ad os calicis: quamvis in his casibus prius descendat vinum in stomachum; ergo a pari: adde quod species vini nunquam in prima sumptione ita possint exhauriri, ut non remaneant aliquae guttae, quae una cum ablutione sumuntur; ergo sicut hic censetur una adhuc actio, ita etiam in priore casu. Vide *Rubric. Missal.* de Defect. §. 7. n. 2. et 3. Quid, si Sacerdos post Sacrum in sacristia jam existens adhuc inveniat hostiarum particulas in patena? R. Juxta *Dian.* et *Gobat.* tr. 3. n. 422. Si adhuc indutus sit paramentis, potest eas sumere; sic enim non inchoatur nova communio, sed praecedens perficitur; si vero jam deposuerit vestes sacras, debet eas vel reportare ad tabernaculum, vel alteri Sacerdoti forte brevi postea celebraturo relinquere sumendas: si neutrum possit fieri, juxta cit. AA., poterit eas ipse sumere.

306. IV. Juxta *La Croix* hic n. 501. ciborium merito renovari debet singulis mensibus praesertim tempore et in loco humido, ne hostiae corrumpantur: modi purificandi ciborium varii ab AA. praescribuntur. 1. Juxta *Lonher* P. 2.

tit. 25. post communionem suam sub utraque specie Sacerdos particulas colligit indice digito in fundo ciborii, postea eodem digito levi tactu linguae madefacto vel e ciborio statim sumit, vel eas in ciborio prius collectas effundit supra patenam, et digito leviter madefacto sumit. Si notentur adhuc particulae adhaerere ciborio, infundatur vinum quoties opus erit, ut solvantur; hoc tamen non est ebibendum e ciborio; sed refundendum in calicem. 2. Juxta *La Croix* hic n. 502. possunt particulae sumpto S. Sanguine in calicem vacuum conjici, tumque superfuso vino sumi. 3. Juxta alios possunt sicco purificatorio ad indicem circumvoluto colligi, postea illa purificatorii pars ubi adhaerent particulae, excutitur in calicem.

307. V. Vermis inventus in ciborio, item sordes aliae ibi contractae debent comburi et cineres mitti in sacram piscinam. *La Croix* hic n. 503.

308. VI. Juxta comm. peccat graviter, qui scienter ac deliberate distribuit s. communionem sine stola, superpelliceo vel alba: si tamen urgeret necessitas pro viatico, ita ut alias negligeretur moribundus, posset Eucharistia dari sine his paramentis. In nigris autem paramentis non est distribuenda communio. Ita *S. Congregatio* 22. Januari 1701. Ideoque si quis petat Eucharistiam post missam *de Requie*, Sacerdos deposita casula, stola et manipulo, alterius coloris stolam induere debet et sic praebere Eucharistiam.

» Sub Missa defunctorum potest distribui communio. Ita contra multos » docet Bened. XIV. de Sacrif. Missae Sect. 2. *Rationem adducit.* 1. *Trid.* » sess. 22. c. 6. optat, ut in singulis Missis nullam excipiendo fideles commu- » nicent. 2. In Missa defunctorum, sicut in aliis Sacerdos dicit in Canone: » *Quotquot ex hac Altaris participatione sacrosanctum filii tui corpus et* » *sanguinem sumpserimus* etc. 3. In Rubricis Missae pro defunctis pariter » legitur: *Si qui sint communicandi, communicet antequam se purifi-* » *cet.* Opponunt auctores ... decretum *S. Congregationis* 1701., sed istud » decretum promulgari vetuit eadem Congregatio 1711. die 21. Martii.

» Sed in Missis defunctorum, quae in paramentis nigris celebrantur, » non ministretur Eucharistia per modum Sacramenti, scilicet cum par- » ticulis praeconsecratis, extrahendo pixidem a custodia: potest tamen mi- » nistrari per modum Sacrificii; prout est quando fidelibus praebetur com- » munio cum particulis intra eamdem Missam consecratis. S.C.R. 2. Sept. 1741.

309. VII. Probabiliter Sacerdos licite distribuit communionem mediis digitis, si ob chiragram vel aliud impedimentum nequeat distribuere pollice et indice: quamvis enim soli primi digiti physice inungantur, tota tamen manus moraliter consecrata et inuncta censetur. Ita *Gobat*, *Tolet.* contra *Vasq.*, *Bonac.* et alios: sine justo impedimento id nunquam licet.

310. VIII. Si in distributione communionis sacra hostia in terram decidat, locus in quem decidit linteo vel alia re munda tegendus et postea abluendus est, ablutio vero mittenda in sacram piscinam: si deciderit in vestem aut barbam communicantis, non solet vestis aut barba ablui ob turbationem et offensionem populi. Ita *Lohner*, *Tamb.*, *La Croix* hic n. 194., ideoque sufficit, si ea decenter tollatur a Ministro. Item si hostia decidat super linteum communicantium, ea mox tollenda; linteum tamen non statim auferendum est, ut vitetur turbatio. *Leonard.* de Euch. q. 13. §. 1. n. 75. praestat notare locum, ut postea abluatur et ablutio mittatur in sacrarium. Denique si sacra hostia inter distribuendum decidat in sinum vel intra vestes mulieris, ita ut modeste a Sacerdote accipi nequeat, permitti potest, ut vel ipsa vel alia mulier eam extrahat et in ciborium reponat, vel Sacerdoti eo reponendam tradat; si eam mulier in templo non possit commode extrahere secedat in sacellum vel vicinam domum, ibique eam eximat et referat, digitos lavet; ablutio mittatur in sacrarium. *Ratio* est, quia indecens foret et plerumque scandalosum, si ipse Sacerdos eam extraheret. *Gobat.*, *Lohn.*, *La Croix.*

311. IX. Si Sacerdoti afferatur hostia, quam afferens dicit esse profanatam per magicos aut alios usus superstitiosos, non est continuo credendum quod sit consecrata; debet tamen decenter involuta et ab aliis consecratis separata asservari in tabernaculo, donec species corrumpantur, corruptae possunt magis per aquam dissolvi, haec autem debet effundi in sacrarium: idem faciendum circa hostiam veneno infectam, aut per vomitum ejectam. Vide *Rubricas Miss.* de defect. §. 10. n. 14. Juxta *Sylv.* V. Euch. et *Cobat.* l. c. n. 425. non licet talem hostiam nondum corruptam comburere.

312. X. Si Sacerdos distribuens s. Eucharistiam observet personam, quae discedens a s. mensa sacram hostiam mox ex ore in strophiolum, vel librum precatorium emittit, si statim dextre et tam occulte s. hostiam eripere possit, ut alii praesentes non adver tant, eam debet mox repetere vel eripere; idem dicendum si forte sola illa persona esset in templo. Si vero coram aliis tam occulte id fieri non posset, juxta *Burgh.* cent. 1. cas. 35. talis persona non esset publice corripienda, nec coram aliis spectantibus s. hostia ei eripienda. *Ratio prima est*, quia potest dari Eucharistia occulto peccatori publice illam petenti, tum ad publicam perturbationem cavendam, tum ad infamiam petentis evitandam: ergo ex iisdem rationibus potest Eucharistia jam data tali personae relinqui. *Ratio secunda*, quia in tali casu dubium adhuc est, an sacram hostiam non ex ore emiserit ad praecavendam irreverentiam propter vomitum inopinatum insurgentem; item an vere s. hostiam, et non potius meram salivam aut album phlegma ex ore emiserit: ergo publice non est a Sacerdote repetenda s. hostia, quia id non posset fieri absque diffamatione publica talis personae. Plures rationes vide apud eumdem *P. Burgh.* l. c. ubi sub finem monet, ut Sacerdos talem personam ex aliquibus notis dignoscat, quo eat etc. ut ab eadem sine strepitu sacram particulam possit repetere; si vero hoc ipsum absque gravi incommodo facere nequeat, rem Deo commendet, nihilque se peccasse credat. Ibid. solvit objectiones. » Huc etiam pertinet Con» stitutio *Bened. XIV.* quae est in Tom. I. ejusdem Bullarii nonagesima tertia, » *contra surripientes vel asportantes, aut apud se retinentes sacras hostias* » *vel particulas consecratas:* ubi §. 1. et 2. confirmat Constitutiones *Innoc. IX.* » et *Alexandri VIII.* de eodem argumento editas, vi quarum praedicti delin» quentes curiae saeculari tradi debent puniendi, et si Ecclesiastici sint de» gradentur et curiae saeculari tradantur, etiam pro prima vice, imo etiam » minores 25. annis, dummodo annum 20. attigerint, rejectis exceptionibus » de non consecratione aut de non malo fine, nisi ab ipsis reis probentur.

313. XI. In nocte Nativitatis Christi, juxta *Decretum Congreg. Rit.* 7. Decemb. 1641., item die Veneris sancto, juxta *Rubr. Miss.*, et tempore interdicti generalis non licet distribuere s. Eucharistiam, non tamen prohibetur die Sabbati s. saltem post celebratam de more missam. Dictae autem prohibitiones se non extendunt ad casum necessitatis, quo aegrotus sine viatico esset moriturus; quia Ecclesia non prohibet communionem in ejusmodi necessitate. *La Croix* L. 6. P. 1. n. 619.

Casus VI. De Communione Paschali.

Godefridus mercator anno superiore toto tempore paschali negotiorum causa inter acatholicos vixit, domum redux dubitat an adhuc teneatur communicare et neglectae obligationis defectum supplere: hoc anno ante tempus paschale iterum ad terras acatholicas avocatus, quamvis prudenter praevideat ibidem non fore copiam Confessarii, nec occasionem sumendi Eucharistiam, nihilominus abit, quin prius confiteatur aut communicet.

314. Q. I. An Godefridus debuerit adhuc postea communicare. R. *Affirmative*, scil. ex supposito quod toto illo anno sive ex legitimo impedimento, sive

ex malitia neglexerit communionem. *Ratio* est, quia hoc praeceptum Ecclesiae virtualiter est duplex, primo non differendi communionem ultra annum, 2. communicandi in paschate. Communio annua praecipitur principaliter; ut illa fiat tempore paschatis, praecipitur tanquam minus principale objectum propter reverentiam festi, in gratam memoriam Coenae Dominicae, et Sacrificii cruenti in cruce eo tempore oblati; uti colligitur ex verbis *Trid.* n. 269. cit.: *Singulis annis saltem in Paschate:* item ex C. Later. ut refertur in c. *omnis utriusque sexus*; *Suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiae Sacramentum*: ubi ex verbis *ad minus saltem*, satis patet primario praecipi communionem annuam, secundario autem determinari tempus; ergo accessorio neglecto non cessat primarium et principale, ut constat ex C. *Cum dilecti filii.* 6. L. 2. Decretal. tit. 14. de dolo et contumacia. *Confirm.* Si voveas jejunare aut debeas solvere mutuum *intra annum*, idque circa festum paschatis, si non possis jejunare vel solvere in paschate, adhuc teneris intra annum: ergo a pari. Ita *Laym.* L. 5. t. 3. C. 5. n. 8. cum *Navar. Azor. Suar. Fagundez.* L. 1. de 3. praecepto Eccl. C. 6. n. 2. contra *S. Anton.*, *Henriq.*, *Tabien.*, *Sa*, et alios. *Cardenas* nostram resolutionem dicit moraliter certam ex praxi et consuetudine Ecclesiae, vi cujus Ordinarii et Parochi cogunt subditos suos, ut ii qui obligationem statuto tempore non expleverunt, eidem proxime satisfaciant.

315. *Q.* II. An Godefridus praevidens impedimentum communionis paschalis debuerit praevenire. R. 1. Si a postremo tempore paschali jam semel digne communicarit, non tenetur praevenire; quia nemo tenetur anticipare opus praeceptum, nisi per talem anticipationem ita satisfaciat praecepto, ut postea sit liber ab obligatione; quod hic non contingit; si enim ex supposito praevisum impedimentum praeter opinionem tempore paschali tollatur, adhuc manet obligatio communionis paschalis; ut in seq. q. dicetur. R. 2. Si vero post ultimum tempus paschale nunquam communicaverit, et proxime instanti paschali tempore praeviderit impedimentum, debuit praevenire; quia sic anticipando implere adhuc potest, quod primario praecipitur, scil. ne differatur communio ultra annum. *Laym.* l. c. n. 9. Sic conciliantur AA. *Azor* qui absolute negat, et *Fagundez* qui l. c. absolute affirmat obligationem anticipandi. Ex his porro sequitur, quod ille qui praevidet se non posse communicare ultima hebdomada, debeat praevenire in prima hebdomada, vel illis diebus temporis paschalis, quibus potest satisfacere praecepto: sicut qui praevidet die festo se non posse horis ultimis audire Sacrum, prius debet audire quando potest, quia tunc urget tempus praecepti. Porro annus, intra quem communicandum est, probabilius computari debet a paschate ad pascha. *Ratio* desumitur ex tenore praecepti et communi sensu fidelium. *Suar.*, *Coninck* de poen. dist. 5. Juxta alios computatur a prima Januarii, sed non aeque probabiliter.

316. *Q.* III. An is, qui ob impedimentum praevisum anticipavit communionem paschalem, sublato postea praeter intentionem impedimento, teneatur rursus in paschate communicare. R. *Affirmative*: quia per anticipatam communionem satisfactum quidem est praecepto annuae communionis, non autem praecepto communicandi tempore paschali: ergo cum huic adhuc possit, etiam debet satisfieri. *Suar.* hic D. 69. Sect. 2. sub fin., *Lugo* contra *Dian.* et partim contra *Gobat*, qui ita resolvit: si anticipans ex rationabili causa habuerit intentionem satisfaciendi praecepto communicandi, non tenetur denuo communicare; secus si eam intentionem non habuerit.

317. His adde sequentes resolutiones. I. Communio paschatis debet sumi in propria parochia domicilii, vel quasi domicilii de manu proprii Pastoris aut alterius Sacerdotis cum licentia proprii Pastoris, quam in variis locis habere censentur Regulares, qui toto tempore paschali communicantibus in suis templis, scientibus et non contradicentibus Parochis, schedas communionis

distribuunt: eamdem censetur habere quilibet Sacerdos, qui cum consensu Parochi tempore paschali in parochiali Ecclesia communionem distribuit. Haec obligatio licet non possit probari jure scripto, satis tamen patet tum ex usu et consuetudine, tum ex declaratione *S. Congreg.*, quam refert *La Croix* hic num. 637. ex *Gallemar.* ad Can. 9. sess. 13. *Trid.* dum quaerebatur, an PP. Societatis Jesu aliique Regulares possint ministrare sanctissimum Eucharistiae Sacramentum personis saecularibus a Dominica Palmarum usque et per totam Dominicam in Albis? *S. Congregatio* die 31. Jan. 1682. respondit *Affirmative, excepto die Paschatis: ita tamen ut saeculares sumentes Eucharistiam in Ecclesiis Regularium in aliis diebus a Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis inclusive non satisfaciant praecepto Ecclesiastico.* Vide etiam Decretum Clem. VIII. infra n. 481. *Ratio* et finis hujus est, ut oves recognoscant suum Pastorem. Juxta *Gobat* t. 4. n. 68. satisfacit huic praecepto, qui tempore paschali Eucharistiam accipit in privata Ecclesia e manibus Parochi sui, vel delegati a Parocho. Juxta *Bonac.* D. 4. q. 7. pun. 2. n. 9. contra *Navarrum.* Qui praeceptum communionis jam adimplevit, si velit in die paschatis denuo Eucharistiam sumere, potest eam sumere a quocumque alio Sacerdote: quia talis nullo jure obligatur in die paschatis communicare: ergo si velit communicare, potest e quocumque Sacerdote alias habente facultatem administrandae Eucharistiae sumere communionem. *Nec obstat*, quod in privilegiis excipiatur dies paschatis, quia exceptio intelligenda est formaliter pro communione paschatis, ut ovis agnoscat suum pastorem et Ecclesiam: atqui in nostro casu jam agnovit: ergo.

318. II. Probabilius non satisfacit huic praecepto, qui alteri Parochiae subditus communicat in Ecclesia Cathedrali, nisi contraria consuetudo alicubi vigeat; quamvis enim illa sit primaria et reliquis Ecclesiis superior, singuli tamen Parochi et parochiae habent suos terminos et jura non minus quam singulae dioeceses. *Bonac.* D. 4. q. 7. pun. 2. sub finem n. 11. *Excipe* eos qui parochiam habent in Cathedrali.

319. III. Philosophi et inferiorum classium Candidati censentur satisfacere huic praecepto communicando in templo Patrum Societatis Jesu ex tacito Parochorum consensu et consuetudine ubique id obtinente, ut ait *Gobat* t. 4. n. 77. quia totam eorum curam habent Professores, et Magistri. DD. Theologi tenentur in parochiis vel propriis, vel domicilii sui sumere tempore paschali Eucharistiam; ubi non aeque subditi censentur curae Professorum suorum, adeoque ne sint omnino exleges, tenentur instar aliorum fidelium satisfacere huic praecepto. Idem dicendum de DD. Candidatis Juris et Medicinae. *La Croix* hic n. 636.

320. IV. Per se loquendo famuli domestici intra septa Religiosa habitantes debent e manibus Parochi Eucharistiam tempore paschali sumere, uti probat *Sa* V. Eucharistia n. 9. ex declaratione *Congreg. Conc. Trid.* Dixi *per se*: scil. nisi excuset speciale privilegium, quali gaudent famuli domestici RR. PP. Dominicanorum per Bullam: *Virtute conspicuos*: et famuli domorum et Collegiorum S. J. ut habetur in compendio privilegiorum S. J. verbo: *Familiares.* Idem affirmat *Jansen.* l. c. n. 27. de famulis commensalibus Mendicantium ex Bulla Leonis X. *Dum intra.*

321. V. Religiosi satisfaciunt in suis monasteriis communicando. Sacerdotes saeculares satisfaciunt ubique celebrando; ita constat ex praxi et consuetudine. Si vero communicent ut laici, etiam ut laici debent communicare in parochia. *Lugo* hic n. 31.

322. VI. Vagi, et peregrini a proprio domicilio absentes, ita ut commode ad proprios Parochos accedere nequeant, ex tacita eorum licentia non tantum in templo parochiali ubi commorantur, sed etiam in alio ibidem possunt communionem paschalem suscipere, et praecepto satisfacere. Ita *Pulao* tr. 21. Disp. unic. p. 15. n. 10. cum *Cajet.* V. Absolutio, *Nav.*, *Soto*, *Azor*,

Sanch. L. 3. de matrim. D. 23. a n. 17. contra *Antoinc*, eo quod parochiae, in quibus transeunter commorantur, non sint propriae parochiae ex obligatione, cum ibi nequidem acquirant quasi domicilium.

Dices: *Eugenius IV.* concessit peregrinis, ut in ordine ad communionem paschalem censeri possint in alienis parochiis quasi incolatum acquisivisse. Respondet *La Croix* hic num. 638. hoc fuisse concessum in gratiam peregrinorum, ita tamen ut possint satisfacere praecepto etiam non communicando in templo parochiali, sed in alio ubi commorantur, quia non tenentur uti isto privilegio.

323. VII. Puerperae necdum introductae in Ecclesiam tenentur communicare domi, vel cum consensu Parochi differre communionem post pascha: respiciendum in his casibus est ad consuetudinem locorum: in *Sinodo Colon.* sub Maximil. Henrico, teste *La Croix* hic n. 636., statutum est, *ut puerperae paschalem communionem domi saltem sumant, neque, donec in Ecclesiam introductae fuerint, eam differant, nisi Parocho aliud videatur.*

324. VIII. Tempus paschale sacrae communioni definitum 15. dies jure communi complectitur, qui sunt a Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis inclusive, ut declaravit *Eugen. IV.* anno 1440. die 18. Julii per Bullam: *Fide digna*: in quibusdam tamen locis consuetudine, aut Pontificio privilegio hoc tempus extensum est, ut vel integram quadragesimam complectatur, vel quatuor hebdomadas, duas ante et duas post festum paschae, sicuti in Dioecesi Herbipolensi. Potest hoc tempus non tantum Ordinarius, sed et Parochus ex justa causa extendere: Parochus quidem respectu particularis personae, ut patet ex c. *Omnis utriusque* 12. de poenit. et remiss. *Suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiae Sacramentum: nisi forte de proprii Sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab hujus perceptione duxerit abstinendum.* Hinc si ultimis diebus temporis paschalis consuetudinarii, vel in occasione proxima viventes veniant ad confessionem, dicentes se citius confiteri non potuisse, Confessarius non debet iis facile credere, nec tenetur eos absolvere, etsi fraudulenter urgeant absolutionem praetensa necessitate sumendi ex praecepto Eucharistiam; tum quia juxta *cit. cap.* ex judicio proprii Sacerdotis communio paschalis potest differri; tum quia per confessionem invalidam et communionem sacrilegam, qualis esse prudenter censetur confessio ejusmodi consuetudinarii ob defectum doloris et propositi, non satisfit praecepto, juxta propos. 55. ab Innoc. XI. damn. et propos. 60. e 61. ab eodem damnatas. *Neque dicas:* Confessio consuetudinarii non semper prudenter potest censeri invalida: ergo nec semper timenda est sequens communio sacrilega. R. Manet, quod justa plerumque causa adsit negandi vel differendi absolutionem ejusmodi consuetudinariorum et in proxima occasione viventium, donec apertius probent se esse rite dispositos.

325. IX. Qui impeditur a communione paschali per excommunicationem, suspensionem aut interdictum, tenetur procurare absolutionem a censura, ut possit satisfacere praecepto: non autem propterea tenetur infirmus aut incarceratus sibi procurare valetudinem, aut liberationem e carcere. *Ratio utriusque* est, quia, qui excommunicatur, peccavit contra Ecclesiam, et illi est contumax: aegrotus vero vel incarceratus per hoc non peccat contra Ecclesiam, nec illi contumax est: ergo Ecclesia respectu horum merito censetur esse indulgentior, et non adstringit praeceptis illis. Ita *La Croix* L. 1. de LL. n. 794. cum *Gobat* et aliis. In similibus casibus respiciendum est ad intentionem legislatoris, quae ex usu et judicio prudentum rationabiliter colligitur.

X. Ex dictis P. I. n. 174. et n. 196. satisfacit praecepto communionis paschalis, qui rite dispositus sumit s. communionem tempore paschali, etsi non habeat expressam intentionem implendi praeceptum.

326. XI. De communione parvulorum *Bened. XIV.* in constit. 42. quae incipit: *Etsi minime*, et habetur in T. I. ejusd. Bullarii pag. 100. §. 9. ita

statuit: *Ut autem ab iis, qui in prima sunt aetate, sermo instituatur, ad S. Eucharistiam et Confirmationem admitti plures postulant: pauci enim enixam hanc voluntatem ac fere impatiens studium non praeseferunt. Moneat igitur Episcopus Parochos, eisque districte praecipiat, ne quis eorum S. Eucharistiae Sacramentum administret, et schedulam, ut ajunt, Confirmationis iis tradat, qui graviora fidei et doctrinae capita, et Sacramenti virtutem et vim ignorent; vel quia parum in hoc tirocinio profecerint, vel quia ea neglexerint audire, quae ad hujusmodi Sacramenta pie, riteque suscipienda statis temporibus tradita sunt. Hoc sane pacto primae aetati satis videri potest consultum.*

Casus VII. De sumenda Eucharistia in articulo mortis.

Gregorius in hospitio bene potus post diuturnas rixas a combibulis tandem ita vulneratus est, ut usum linguae amitteret, et paulo post moriturus crederetur; quia tamen per signa indicat se velle absolvi, et S. Eucharistiam suscipere, advocatur Parochus, a quo absolvitur et S. Viatico reficitur; mox Gregorius S. Hostiam adhuc in ore habens exspirat.

327. *Q.* I. An licite datum fuerit Viaticum Gregorio bene poto. R. *Affirmative.* Nec enim obstabat quod non fuerit jejunus; quia in tali discrimine non habetur ratio jejunii: nec obstabat quod fuerit bene potus; quia per talem semiebrietatem, quae non aufert usum rationis (id quod in casu supponitur) non est in statu peccati gravis: praeterea per signa doloris et desiderii Eucharistiae non tantum probavit usum rationis, sed etiam sufficientem dispositionem animi pro iis circumstantiis, in quibus se maxime indignum Viatici cognovisse censendus est: ergo non tantum potuit, sed debuit huic Gregorio dari Viaticum, ex supposito tamen quod abfuerit periculum irreverentiae.

328. *Q.* II. Quid observandum sit Sacerdoti, si ad plene ebrium constitutum in mortis periculo vocetur ad dandam absolutionem et Viaticum. R. Ad 1. Praecipue curandum, ut a tali signum quoddam doloris obtineat (saepe enim plene antea ebrii in ejusmodi periculo ad aliquod rationis diluculum solent redire): si *certum* signum doloris obtineat, *absolute* cum poterit absolvere; si *dubium*, agat quantum pro salutis auxilio fieri potest, juxta inferius dicenda de absolutione sub *conditione* danda. R. Ad 2. Si constet ebrietatem fuisse voluntariam, praesertim si notorie infamis sit a temulentia, Viaticum non est concedendum: *hic* enim *panis non est mittendus canibus*, ut canit Ecclesia; est autem *canis ebrio praestantior, et asinus melior*, teste *S. Chrysost.* apud *Gobat* t. 4. n. 195. *Confirm.* Per plenam ebrietatem quae aufert usum rationis homo est in statu peccati mortalis; ea autem durante manet destitutus usu rationis: ergo nec est capax doloris: ergo nec dignus Eucharistia. Si vero sciatur, ebrietatem non fuisse voluntariam, vel non graviter culpabilem, aut si dubitetur an fuerit voluntaria, potest adhuc per se loquendo dari Viaticum. Dixi, *per se*: scilicet si absit periculum, ne sacras species per vomitum rejiciat, id quod raro abest. *Ratio primi* est: quia per ebrietatem inculpabilem et involuntariam non est in statu peccati gravis: ergo non debet suo jure sine culpa privari; ex supposito tamen quod adsint aliqua signa usus rationis et doloris, ut supra dictum. *Ratio secundi:* quia in dubio ebrietas praesumitur involuntaria in eo, qui nunquam vel rarissime se inebriare solitus est; secus est de eo, qui ebrietati alias deditus est, huic in tali dubio ebrietas voluntaria fuisse merito censetur; quia ex communiter contingentibus prudens est praesumptio. Idem est judicium, in dubio an ebrietas sit plena. Vide dicta P. I. a n. 329. de ebrietate. *P. Herzig* de munere Confessarii n. 127., *Gobat* l. c.

329. *Q.* III. Quid faciendum circa hostiam, quam in ore habens Gregorius expiravit. R. Sacerdos eam cum reverentia desumat ex ore, et si ob nauseam

in sequenti Sacro eam sumere nequeat, illam reponat in loco sacro donec corrumpantur species, quae corruptae postea comburantur, cineresque in sacrarium projiciantur. Vide dicta n. 311.

330. Quid, si s. hostia sit transmissa in stomachum immediate ante mortem hominis. R. Debet sepeliri cum mortuo. Hinc si praevideatur moriturus ante quam species consumantur, adhuc tali potest dari Viaticum: patet ex *Conc. Carthag. IV.* ubi dicitur: *Si quis continuo creditur moriturus, infundatur ei Eucharistia: nec inconveniens est species sacras in corpore mortuo corrumpi; hoc enim necessitas et utilitas mortui excusat.* Sed quomodo infundatur? R. Cum hodie non amplius liceat porrigere laico species vini, modica pars hostiae vino immissa ope cochlearis aegroto deglutienda potest praeberi. V. *P. Gob.* t. 4. n. 27.

331. *De Viatico porro adverte sequentia.* I. Praeceptum Viatici clare innuitur ex Conc. Nicaen. c. *de his* 9. Caus. 26. q. 6.: *De his vero, qui recedunt ex corpore, antiquae legis regula observabitur etiam nunc; ita ut si forte quis recedit ex corpore, necessario vitae suae Viatico non defraudetur.* Trid. sess. 13. C. 6. ait: *Deferri ipsam S. Eucharistiam ad infirmos, et hunc usum diligenter in Ecclesiis conservari, praeterquam quod cum summa aequitate et ratione conjunctum est, tum multis in Conciliis praeceptum invenitur et vetustissimo Catholicae Ecclesiae more est observatum*; unde voluntaria Viatici omissio et libera, etiam ex negligentia, est peccatum mortale; quia materia gravis est, et ad salutem animae multum pertinens. *Suar.* in 3. P. D. 69. Sect. 3. Accedit, quod, cum Eucharistia ex praecepto divino *Joan.* 6. ad habendam et conservandam vitam spiritualem sumenda sit, nunquam ad eam magis necessaria, ideoque sumi gravius praecepta sit, quam in articulo mortis, quando maximae insidiae, tentationes et difficultates obruunt hominem. Per articulum mortis hic intelligitur quodlibet propinquum aut probabile mortis periculum; unde non tantum in periculo ex morbo, sed etiam ante puerperium praesertim primum, ante periculosam sectionem corporis, ante longam et periculosam navigationem, ante praelium cum hoste probabilius est gravis obligatio sumendi Eucharistiam, si occasio sit, aut si praevideatur fore ut in ipso periculo non sit occasio illam sumendi. Dixi, *ante praelium cum hoste*, non autem ante duellum; hoc enim sub excommunicatione prohibitum est: ergo Eucharistia cum animo descendendi in duellum sumeretur sacrilege.

332. II. Nomine *S. Viatici* hic intelligitur communio, quae probabiliter videtur fore ultima: datur autem sub hac formula; *Accipe Frater (vel Soror) Viaticum Corporis Domini nostri Jesu Christi, qui te custodiat ab hoste maligno, et perducat in vitam aeternam. Amen.* Quae tamen formula non adhibetur, nisi quando jamjam constitutis in mortis periculo Eucharistia datur: extra periculum communis formula est; *Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam tuam in vitam aeternam. Amen.*

333. III. Ad quaestionem a Theologis in utramque partem multum agitatam de Viatico dando vel non dando ei, qui post perceptam mane Eucharistiam eadem die prudenter timetur moriturus, respondet *Bened. XIV.* in praestanti opere de Synodo L. 7. c. 9. *In tanta opinionum varietate, doctorumque discrepantia integrum esse Parocho eam sententiam amplecti, quae sibi magis arriserit... Neque fas esse Episcopo in Parochum animadvertere, qui praefato aegrotanti Viaticum denegavit. Leonardelli de Euch.* q. 3. §. 1. n. 19. rationes utriusque sententiae bene perpendit et negativam praefert; quod non sit obligatio eodem die repetendi s. communionem, eo quod talis vere communicaverit, quando mors imminebat: ergo simpliciter satisfecit praecepto. Idem affirmant plerique cum *Suar.* de eo, qui pridie aut ante plures v. g. 6. vel 7. dies communicavit: finis enim praecepti est, ut quis se disponat per Eucharistiam ad vicinam mortem, cui fini et obligationi virtualiter satisfacere velle videtur proximus morti, etsi actu non cogitet de periculo mortis. Nihilominus

Leonardelli l. c. sub finem dicit contrariam sententiam esse vere probabilem, eo quod huic praecepto sumendi Eucharistiam in articulo mortis non possit satisfieri, nisi eo articulo praesente. Ex quibus tertia sententia praeferenda videtur, scil. non quidem esse obligationem eadem die iterum sacram Eucharistiam sumendi per modum Viatici, si quis mane ex devotione communicaverit, licitum tamen hoc esse, cum nulla expressa prohibitio loquens de articulo mortis habeatur, et cum nihil praesertim eo tempore periculosissimo sit negligendum, quod prosit saluti animae.

334. IV. Ad quaestionem, an parvulis moribundis, doli jam capacibus, debeat negari s. Viaticum ex ea tantum ratione, quod hucusque necdum communicarint respondet idem *Bened.* XIV. l. c. c. 12.: *Haud leviter delinquere, qui pueros, etiam duodennes et perspicacis ingenii, sinunt ex hac vita migrare sine Viatico, hanc unam ob causam, quia scil. nunquam ante, Parochorum certe incuria et oscitantia, Eucharisticum panem degustarint.* Hinc absque dubio non tantum licitum, sed fas est dare pueris moribundis sacrum Viaticum, si constet quod antea in rebus fidei bene fuerint instructi, praesertim si prodant desiderium accipiendi panem Eucharisticum, etsi nunquam antea communicarint. Secus est de rudioribus, et de quibus necdum satis constat, an sufficienti polleant ratione, sufficientique instructione circa altissimum hoc fidei mysterium.

335. V. Si aegrotus sumpto s. Viatico iterum peccet graviter, consultum quidem est, ut praemissa confessione postea iterum (sed non una eademque die, qua s. Viaticum sumpserit) communicet: ad hoc tamen non obligatur; quia praeceptum nonnisi ad unum eodem durante morbo Viaticum obligat. *Bonac.* D. 4. qu. 7. pu. 1. n. 3. Si vero, postquam convaluit, denuo in morbum incidat, tenetur denuo sumere s. Viaticum, quia distinctum et novum periculum mortis requirit novum Viaticum. *Jansen.* Cas. 72. n. 21. cum *Henno.*

336. Si aegrotus eodem durante morbo post perceptum s. Viaticum diversis diebus iterum petat Eucharistiam ex devotione suscipere, ei denegari non debet absque gravi causa. Sic *Bened.* XIV. L. 7. de Synod. C. 12. ait, *Posse et interdum debere Episcopum constituere, ne Parochi renuant Ss. Eucharistiam iterato deferre ad aegrotos, qui, etiamsi perseverante eodem morbi periculo, idem saepius per modum Viatici, cum naturale jejunium servare nequeant, percipere cupiunt.* Quot autem dies inter Viaticum et Viaticum debeant intercedere, arbitrio prudentis relinquit *Fagund.* de tertio Ecclesiae praecepto L. 1. C. 1. n. 3. Alii cum *Henriq.* statuunt saltem octo dies.

337. VI. Reis ultimo supplicio afficiendis judex debet concedere tempus confitendi et sumendi Eucharistiam *per modum Viatici*, ita ut nihil valeat contraria consuetudo contra praeceptum divinum. *De confessione* constat ex *Clement. cum secundum.* 1. De poenit. et remiss. ubi praecipitur locorum Ordinariis, ut judices ecclesiastica censura compellant ad concedendum tempus sacramentalis poenitentiae, si id petat reus. *De Communione* constat ex Motu proprio *Pii V.* quem citat *Henriq.* L. 8. C. 5. n. 4. item ex c. *quaesitum* 30. Causa 13. q. 2. et c. seq. *fures et latrones.*

338. *Quid si reus nolit uti spatio concesso?* R. Tunc absolute quidem non tenetur judex differre supplicium et concedere aliud tempus; si tamen sit spes fructus, nec aliunde sit periculum fugae, seditionis, aut alterius gravis incommodi ex ea dilatione orituri, charitas exigit ut concedat adhuc unum alterumve diem. *Bonac.* l. c. n. 6. Porro ordinarie quidem ejusmodi reis Viaticum solet praeberi pridie mortis; ubi tamen non obstant statuta specialia Dioeceseos etiam potest dari ipsa die mortis sicut aegro statim morituro. Ab irreverentia (siqua sit, cum tale supplicium sit actus justitiae) excusat necessitas et utilitas morituri. *Dicast.* D. 9. n. 341.

339. VII. Sacerdos Regularis non habens curam parochialem, peccat graviter et ipso facto incurrit excommunicationem Papae reservatam, si sine licentia

Parochi praesumat clerico vel laico dare s. Viaticum, vel Extremam Unctionem. *Excipe*: nisi habeat speciale privilegium, vel Parochus absit, aut *injuste* nolit in articulo mortis. A dicta tamen excommunicatione juxta *Praepos. et Dian.* excusat ignorantia, ut patet ex verbo *praesumant.* Dixi, *S. Viaticum*: antequam enim aegrotus pervenerit ad tale periculum mortis, ut ex praecepto teneatur ad communionem, item postquam aegrotus satisfecit praecepto Viatici, Regularibus licet praebere Eucharistiam aegroto, quando in ejus oratorio, aliove honesto domus loco de licentia Ordinarii Sacrum faciunt: qui administratio Eucharistiae tantum prohibita est Regularibus, quando praeceptum communionis in articulo mortis obligat: nunquam autem Regularibus licet sine licentia Episcopi, vel Parochi *publice* Eucharistiam deferre ad aegrotum per plateas, quia id juri Parochorum derogat. Vide *Busemb.* L. 6. t. 3. C. 2. a. 1.

Casus VIII. De dispositione animae ad Eucharistiam digne suscipiendam

Gertrudes, cum nuper non haberet copiam Confessarii, ex sola devotione cum conscientia peccati mortalis accedit ad s. communionem, prius tamen eliciens dolorem de peccatis suis: alias post confessionem, cum jam esset vicina sacrae mensae, adhuc recordatur peccati mortalis in confessione omissi: hinc cum solo proposito proxime illud confitendi sumit Eucharistiam; antequam autem S. Hostiam deglutiret, adhuc elicuit dolorem. Ante resolutionem hujus casus

340. *Q.* I. Quaenam dispositiones ex parte animae necessario requirantur ad suscipiendam Eucharistiam cum fructu sive sacramentaliter. R. Juxta dicta n. 269. et 271. 1. Requiritur, ut suscipiens sit baptizatus; baptismus enim est janua reliquorum Sacramentorum: hinc infidelis communicans non suscipit Eucharistiam sacramentaliter, sed materialiter tantum vel sine fructu. Addit hic *Bonac.* D. 4. q. 6. p. 1. n. 2. praeter baptismum requiri fidem, sed cum sine fide non adsit status gratiae, merito ab aliis haec dispositio ad tertiam reducitur, de qua mox sumus dicturi. 2. Requiritur aliqua saltem intentio scil. vel actualis vel virtualis (addit *Suarez*, seu interpretativa) vel habitualis; hinc is, qui recipit Eucharistiam ad famem tantum expellendam, aut nesciens esse consecratam hostiam, aut qui plane invitus et non volens suscipere Sacramentum manducat, sumit quidem Sacramentum, sed mere materialiter, non sacramentaliter ex defectu voluntatis suscipiendi Sacramentum. Dixi, *sumit quidem Sacramentum*; cum enim Eucharistia non consistat in usu, sed fiat per consecrationem materiae, ideo non pendet in suo fieri ex voluntate suscipientis, sed ex intentione consecrantis: item cum hoc Sacramentum sit permanens, hinc, postquam semel factum est, non pendet in esse et conservari ab usu vel voluntate suscipientis; adeoque hoc Sacramentum reipsa potest sumi ab invito, vel ignorante esse hostiam consecratam, ita tamen ut haec sumptio sit mere materialis, non vero usus Sacramentalis aut sacer, nec sufficiens ad effectum Sacramenti: quia ex defectu intentionis sive voluntatis hic non est humanus usus Sacramenti, ut Sacramentum est, nec per ejusmodi corporalem tantum refectionem interior animae refectio, aut unio animae cum Christo significatur. Ita *Suar.* in 3. P. Disp. 14. Sect. 2. 3. Requiritur in suscipiente status gratiae, sive ut suscipiens non habeat conscientiam peccati mortalis. Vide dicta n. 271.

341. *Q.* II. An Gertrudes licite sine praevia confessione sumpserit Eucharistiam ex sola devotione. R. *Negative*; quia, ut licite communio possit fieri sine confessione ab eo, qui sibi conscius est peccati mortalis, debet primario urgere aliqua necessitas communicandi; deinde, ut ex defectu Confessarii praemitti nequeat confessio; ergo cum sola devotio non inferat necessitatem, potius debet omitti communio deficiente Confessario. Vide *Trid.* cit. n. 271. et *Suarez* in 3. P. Disp. 66. Sect. 4.

342. *Q.* III. Quaenam necessitas excuset a praevia confessione ante communionem. R. Non quaelibet, sed gravis necessitas excusat: quia res gravis est agere contra praeceptum in materia tam gravi. In particulari AA. communiter necessitatem excusantem reducunt ad duo capita, scil. ad periculum instantis mortis, et ad gravem infamiae notam aut detrimentum, quod incurreret Sacerdos non celebrans, aut laicus non communicans. Juxta *Suar.* l. c. necessitas potest esse: *Primo*, periculum mortis ipsiusmet communicaturi; v. g. si Sacerdos sit in certo periculo mortis constitutus, nec habeat copiam Confessarii, potest vel celebrare, vel antea consecratam hostiam sumere praemissa contritione; item si laicus in simili mortis periculo sit constitutus, nec adsit Sacerdos, sed solus Diaconus, potest ab eo sumere Eucharistiam praemissa contritione, etiamsi sibi conscius sit peccati mortalis: quia in hoc articulo urget necessitas communicandi.

343. *Secundo.* Periculum mortis alterius: sic Parocho in peccato mortali existenti, nec habenti copiam Confessarii praemissa contritione licet Sacrum facere ad consecrandas minores hostias, si alias moribundus decessurus esset sine Viatico.

344. *Tertio.* Siquis non possit communionem omittere sine gravi infamia: quia tunc praeceptum positivum prius confitendi non censetur cum tanto rigore et damno obligare: cessat autem haec excusatio si alia via possit vitari infamia: sic Gertrudes jam vicina sacrae mensae non tenebatur prius confiteri, quia ex supposito sine gravi infamia non potuit recedere; secus, si potuerit. Neque expedit ut Sacerdos ad altare adhuc audiat confitentem. *Henriq.* L. 8. C. 46. n. 3.

345. *Quarto.* Si oriatur scandalum ex omissione missae vel communionis, quod quidem aliter evitari nequeat: unde licet Parocho non habenti copiam Confessarii praemissa contritione celebrare die festo, ne Parochiani illo die missa carere debeant; quia in tali casu Sacrum sine infamiae nota et scandalo omitti nequit.

346. *Quinto.* Excusat necessitas absolvendi jam inchoatum Sacrificium: unde si Sacerdos post consecrationem recordetur alicujus peccati vel antea commissi et nondum per confessionem remissi, vel etiam sub ipso Sacro admissi, non debet ab altari recedere, nec vocare Sacerdotem ad confitendum, ne Sacrificium jam substantialiter inchoatum interrumpat; sed debet contritionem elicere cum proposito confitendi et satisfaciendi. Ita *S. Thom.* 3. P. q. 83. a. 6. ad 2., ubi in fine subjungit: *Si vero ante consecrationem alicujus praedictorum sit memor* (scil. vel alicujus peccati gravis, vel quod non sit jejunus, vel quod sit excommunicatus) *tutius reputarem, maxime in casu manducationis et excommunicationis, quod missam incoeptam desereret, nisi grave scandalum timeretur.* Ex quibus *Suarez* l. c. infert s. Thomam (cum dicat *tutius, maxime in casu manducationis et excommunicationis*) sentire, quod non sit praeceptum, ut Sacerdos missam etiam ante consecrationem ob peccatum, quod modo incidit, abrumpat, sed consilium. Hinc *Leonardelli* absolute resolvit T. 3. de Euch. q. 7. n. 40. quod Sacerdos ad altare accedens indutus sacris vestibus, vel in altari existens, etsi recordetur alicujus peccati mortalis, non teneatur regredi aut discedere, cum id vix unquam fieri possit absque gravi scandalo aut infamiae nota: si tamen fieri posset sine scandalo aut infamia, vocari posset alius Sacerdos, cui inadvertenter confiteretur: et hoc faciendum videtur ab eo, qui adhuc in sacristia, sed jam sacris vestibus indutus, reminiscitur peccati. Vide *Vasq.* de Euch. C. 9. Dub. 9., *Bonac.* Disp. 4. q. 6. pun. 1. n. 15. *Missale* de defect. dispos. animae generaliter ita statuit n. 4. *Si in ipsa celebratione missae Sacerdos recordetur esse in peccato mortali, conteratur cum proposito confitendi et satisfaciendi.*

347. *Q.* IV. Quomodo quis censendus sit non habere copiam Confessarii. R. *Primo.* Si urgente praecepto communionis, vel urgente necessitate Sacrum

ristico, quia hoc tanquam erroneum refertur a *Sixto IV.* in Bulla contra *Petrum de Osma*: neque datur praeceptum universale obligans omnes ad non communicandum nondum peracta poenitentia. *Secundo*, falsum est talem esse sacrilegum ex eo, quod non posuerit partem integralem Sacramenti poenitentiae; quia hoc ipso quod positae sint partes essentiales, antecedenter ad satisfactionem culpa remittitur per absolutionem: neque tota poena simul cum culpa remittitur semper a Deo: ut patet ex Trid. Can. 12. sess. 14. de Poenit. Denique *tertio* talis non est sacrilegus ratione indecentiae graviter culpabilis: quia non accedit in peccato mortali, utpote quod per absolutionem est remissum: ergo. Ita *Viva* l. c., *Duarte* l. c. n. 103., ubi addit, nullam in hoc apparere indecentiam, quod reus poenae temporalis accedat ad fontem misericordiae; alias fere nunquam possemus ad Eucharistiam accedere, cum etiam post persolutam poenitentiam fere nunquam nobis innotescat, quod condignam de peccatis poenitentiam egerimus.

359. Peccatori publico sive notorio notitia facti, vel juris Eucharistia tam publice, quam privatim neganda est. *S. Th.* 3. P. q. 80. a. 6. in corp., *Suarez* hic D. 67. Sect. 2. cum *Ss. Chrysost.*, *Cypr. et Aug.* Porro *notitia juris* dicitur aliquod crimen manifestum 1. per confessionem rei in judicio: 2. per sententiam condemnatoriam in eum latam: *notitia* vero *facti* manifestum est crimen, si palam commissum nulla tergiversatione celari aut excusari possit, ut ait *Laym.* L. 5. t. 4. c. 6. n. 8. Ad hanc quaestionem dilucidandam lubet huc opponere Epist. Encyclicam *Benedicti XIV.* ad Clerum Gallicanum anno 1756. 16. Octob. missam, quae incipit: *Ex omnibus Christiani orbis regionibus:* in qua ita resolvit.

360. » Tanta est profecto in Ecclesia Dei auctoritas Apostolicae Constitutionis, quae incipit: *Unigenitus:* eademque sibi tam sinceram venerationem, obsequium et obedientiam ubique vindicat, ut nemo fidelium possit absque salutis aeternae discrimine a debita erga ipsam subjectione sese subducere, aut eidem ullo modo refragari. Hinc porro consequitur, ut in ea, quae exorta est controversia: Utrum hujusmodi refractariis Ss. Corporis Christi Viaticum expetentibus denegari debeat? sine ulla haesitatione respondendum sit, quoties praedictae Constitutioni publice et notorie refractarii sunt, denegandum iis esse; ex generali nimirum regula, quae vetat publicum et notorium peccatorem ad Eucharisticae Communionis participationem admitti, sive eam publice, sive privatim requirat. Publici autem atque notorii sunt refractarii, in casu, de quo agitur, quicumque post sententiam a judice competente prolatam rei declarati sunt, eo nomine, quod debitam praedictae Constitutioni *Unigeniti*, venerationem, obsequium et obedientiam contumaciter denegaverint. Quicumque etiam hujusmodi contumaciae reos se in judicio confessi sunt, ac praeterea illi, qui quamvis nec a judice condemnati, neque reatum suum in judicio confessi fuerint; nihilominus vel eo tempore, quo sacrum Viaticum suscepturi sunt, propriam inobedientiam et contumaciam adversus Constitutionem *Unigenitus* sponte profitentur, vel in anteactae vitae decursu aliquid evidenter commisisse noscuntur manifeste oppositum venerationi, obsequio et obedientiae eidem Constitutioni debitae, in eoque facto moraliter perseverare, quod ita vulgo cognitum est, ut publicum scandalum inde exortum, non adhuc cessaverit. In his enim casibus eadem omnino adest moralis certitudo, quae habetur de iis factis, super quibus judex sententiam tulit, vel saltem alia suppetit moralis certitudo praedictae similis et acquipollens; in quo tamen prae oculis habenda est differentia, quae intercedit inter notorium illud, quo merum aliquod factum deprehenditur, cujus facti reatus in ipsa sola actione externa consistit, ut est notorietas usurarii et concubinarii: et aliud notorii genus, quo externa illa facta notari contingit, quorum reatus ab interna etiam animi dispositione plurimum pendent, de quo quidem notorii genere nunc agitur. Alterum enim illud gravibus sane proba-

tionibus evinci debet; sed alterum gravioribus, certioribusque argumentis probari oportebit. Ea vero, quam supra innuimus, certitudo minime adesse dicenda est in aliis casibus, in quibus crimen nititur conjecturis, praesumptionibus, incertisque vocibus, quae originem suam plerumque debent hominibus aut malo animo affectis, aut qui praejudicatis opinionibus vel partium studiis ducuntur, quibus dum fides habetur, satis compertum est tum praeteritorum temporum, tum aetatis nostrae experientia, quot modis homines errare et falli, ac in transversum agi contingat.

Quia vero multi animarum Pastores, Ecclesiaeque ministri pietate et zelo commendati hujusmodi conjecturis et praesumptionibus deferentes, dum ad s. Viaticum aliquibus ministrandum advocantur, animo anxii haerent, verentes, ne id sine propriae conscientiae periculo administrare non possint; certam subnectimus agendi regulam, quam omnes sequantur.

Hoc itaque primum animadvertere debent, an scilicet ei, qui extremum Viaticum postulat, quum antea ad sacram mensam accederet, Paschali praesertim tempore, a loci illius Parocho, ubi degebat, Eucharistica Communio administrata fuerit: si enim in vita illi non fuerit denegata, argumento erit, aut hominem illum ab omni labe immunem, aut saltem non vere notorium peccatorem reputatum fuisse, indeque sequetur, s. Viaticum eidem in exitu vitae publice postulanti denegari non posse: nisi forte, postquam olim ad mensam Eucharisticam admissus fuit, et ante id tempus quo postrema sacramenta requirit, aliquid commisisse noscatur, quo publici et notorii peccatoris notam juxta praemissa contraxerit.

Ubi autem ex hac facti specie certum ipsis non suppetat fundamentum, cui insistere valeant; aliunde vero validae adversus aegrotum praesumptiones, et indicia gravia et urgentia militent, ob quae obortum sibi scrupulum rationabiliter deponere nequeant; in his rerum circumstantiis, oportet eos, remotis arbitris, aegrotum alloqui, eique cum omni lenitate et mansuetudine, non tanquam disputantes, eumque convincere volentes, ostendere, quae et qualia sint indicia, quae suspectum reddunt ipsius vitae tenorem; rogantes cum et obsecrantes, ut resipiscat, in eo saltem temporis articulo, a quo aeternae ipsius salutis sors dependet, eidemque praeterea demonstrantes, quod, quamvis ipsi parati sint SS. Corporis Christi Viaticum eidem ministrare, ac etiam reipsa illud ei ministrent, non ideo tamen tutus ipse erit ante tribunal Christi, sed potius novi et horrendi criminis reum se constituet, ex quo judicium sibi manducavit et bibit; caeterum se non alia de causa Sacramentum Corporis Christi eidem ministraturos, nisi ut Ecclesiae jubenti obtemperent, quae praeter eam quam habet curam, ut scandala publica antevertat, pro sua etiam pietate, aegroti ipsius infamiam praecavere studet, et idcirco eum a sacra mensa non repellit, dum ipsum, licet peccatorem in conspectu Dei reputet, non tamen in proprio tribunali publicum ac notorium peccatorem agnoscit. »

Ex hac erudita resolutione multos casus resolves.

361. III. Peccatori *occulto* s. Eucharistiam *publice* petenti ea negari non potest, tum propter publicum scandalum, tum propter publicam diffamationem ex occulto crimine. Ita *S. Th.* p. 3. q. 80. a. 6., *Suar.* hic. D. 67. S. 4., tum *quia nec Christus Iudam a communione removit.* C. *Si Sacerdos.* 2. de offic. Jud. ord.

362. IV. De amentibus *observa*: 1. Iis, qui ab infantia perpetuo amentes sunt, Eucharistia danda nec est per decursum vitae, nec in periculo mortis: quia pares quoad hoc censentur infantibus, *et quia in eis nullo modo praecessit hujus Sacramenti* devotio, ut ait *S. Th.* P. 3. q. 80. a. 9. in corp.

363. V. Iis, qui post rationis usum in amentiam inciderunt Eucharistia danda est dumtaxat in articulo mortis.

364. *Excipe*: 1. Nisi adsit periculum vomitus vel exspuitionis, ut ait *S. Th.* l. c., cujus experientia capi potest, praebendo illi unam alteramve hostiam non consecratam; postea, si appareat quod deglutire possit, consecratam: ut suadet *Laym.* cum *Zambrano.*

365. *Excipe*: 2. Nisi constet, vel aliunde praesumi possit, aliquem in statu peccati mortalis et impoenitentem in amentiam incidisse. 3. Si spes sit amentem recepturum esse usum rationis, vel habiturum lucidum aliquod intervallum, ut vocant, tunc tale tempus expectandum est, ut cum reverentia et majore fructu Sacramentum suscipiatur. Ita *Bonac.*, *Coninçk*, et alii. Dixi ejusmodi amentibus dandam esse *dumtaxat in articulo mortis. Ratio* est; quia dignitas tanti Sacramenti exigit ut sine gravi causa non detur, nisi iis qui cum actuali devotione et dispositione accipere possunt: atqui gravior causa nunquam est, quam ipsa necessitas in articulo mortis, ne amentes sine viatico decedant; quod ante amentiam explicite vel implicite desiderasse praesumi hoc ipso possunt, quod catholice et salutis suae non immemores vixerint; actuale vero propositum merito censetur suppleri ab Ecclesia. Ita *Laym.* L. 5. t. 4. c. 4. n. 4. Unde et iis, qui signa doloris dederunt et Eucharistiam petierunt, postea vero in phrenesim incidunt ea deneganda non est. *Bonac.* D. 4. q. 6. pun. 1. Vide etiam c. *Is qui.* 8. Causa 26. q. 6.

366. 3. Semifatui, qui tantum rationis adhuc habent, ut peccare et sacramentaliter absolvi, atque inter cibum spiritualem ac profanum discernere possint, licet rarius juxta Confessarii judicium, ad minimum tamen tempore Paschali et in mortis articulo ad Eucharistiam admittendi sunt. Qui vero tantum rationis non habent et a prima aetate tales fuerunt, inter infantes, sicut perpetuo amentes numerandi sunt. *Laym.* l. c. ib. n. 5. affirmat, quod mutis ac surdis a nativitate, nisi simul amentes sint, saltem tempore paschali et in articulo mortis possit ministrari Eucharistia; quia, licet ejusmodi surdi ac muti distincte edoceri, ac intelligere omnia non possint, quae ad Sacramentorum substantiam pertinet, ea tamen sufficienter, respectu suae conditionis et status colligere solent attenta consideratione eorum, quae ab aliis fieri vident, scil. quod cum dolore ad Confessarium accedant accusantes se de peccatis: item quod cum reverentia sacram hostiam adorent, cum devotione eam sumant tanquam cibum non profanum, sed spiritualem.

367. V. Energumenis danda est s. Eucharistia dummodo eam suscipere possint sine irreverentia; exceptis iis, qui propter publica scelera tanquam excommunicati ab Ecclesia diabolo traditi sunt ad vexationem secundum Apost. 1. *Cor.* 5. Vide *S. Th.* q. 80. a. 9. ad 1., *Petrum Tyraeum* de Daemoniacis P. 2. c. 28. n. 7.

368. VI. Denique hic monendi sunt scrupulosi, ut si debitam diligentiam praemiserint ante confessionem, non amplius de confessione, sed potius de magnitudine Sacramenti cogitent; eo quod hoc praestet ad majorem Eucharistiae reverentiam, et ad evitandos et repellendos scrupulos. Ita *Bonac.* D. 4. q. 6. pun. 1. n. 16. cum. *S. Bonav.*

Casus IX. De dispositione corporis ad Eucharistiam.

Gangolphus catarrho laborans paulo ante duodecimam noctis sumit frustum sacchari paulatim in ore liquandum: audita duodecima reliquum adhuc frustulum deglutit, et mane nihilominus post tabaci etiam sumptionem S. Eucharistiam sumit. Idem paulo post ex gangraena in facie foede deformatus, et post frequentes etiam in somno pollutiones, ex consueta devotione saepius accedit ad S. Communionem.

369. Q. 1. Quomodo et quando violetur jejunium naturale ad Eucharistiae susceptionem requisitum. R. Ad *primum.* Ut jejunium *naturale* importans abstinentiam a qualibet re etiam modica comestibili per modum cibi aut potus a

media nocte, juxta dicta n. 270. (de *Ecclesiastico* enim hic non agimus, quo praecipitur unica comestio in die: de hoc vide P. 1. n. 987. sub fin.) censeatur violari, requiritur *primo*, ut id quod sumitur, habeat rationem cibi aut potus, sive ut a stomacho saltem ex parte digeri, atque in substantiam sumentis converti possit; ideo vapor ex cibis ascendens, fumus tabaci, aer qui attrahitur, vapor, nebula etc. non violant jejunium; non enim censentur quid comestibile aut potabile, sed tantum respirabile. Ita *Dicastillo* D. 9. n. 280. Putat quidem *Laym.* cum *S. Antonino* et aliis chartam, frustulum ligni, aurum, plumbum, filum ex serico vel lana jejunium naturale violare, ita ut talia deglutienti non liceat accipere Eucharistiam; eoquod jejunium istud non ob temperantiam, sed ob reverentiam Sacramenti institutum sit, ut s. hostia ante alia omnia in stomachum deveniat; contrarium tamen affirmant *Tambur.* hic n. 18., *Lugo* D. 15. c. 2., *Jo. Sanch.*, *Ledesma*, *Diana*, et alii, eoquod ista nec habeant rationem cibi in aestimatione morali, nec in ratione physica, cum non sint digestibilia; idem sentiendum de capillis, unguibus abrosis, lapillis, vitro etc. Certius violant jejunium ea, quae saltem aliquo modo digeri possunt, uti est aurum potabile, creta, quam teste *La Croix* hic n. 562. vanae foeminae solent comedere ut albescant, pulvis medicinalis, etiam ex ossibus, unionibus, aut lapidibus contritis confectus etc.; in his enim sic praeparatis partes mixtae a stomacho alterari et digeri possunt.

370. 2. Ad hoc ut jejunium naturale violetur, requiritur ut illud quod sumitur, sumatur per modum cibi aut potus, quod fit quando aliquid comestibile aut potabile ore accipitur ab extrinseco, et tali actione vitali trajicitur in stomachum, quae juxta communem aestimationem censeatur comestio vel potatio, qualis actio comestiva non est, si ori dormientis musca irrepat et penetret in ventriculum, ut explicat *Suar.* hic D. 66. Sect. 4. E contra vere violatur naturale jejunium, si aliquid sumatur per modum medicinae, quia medicina vere comeditur aut bibitur. Dixi, *ab extrinseco*, h. e. ut id quod sumitur, non sit quid pertinens ad corpus saltem proxime, aut remanens ex praecedente comestione. Hinc non violat jejunium: 1. Qui deglutit salivam, sanguinem aut humorem a capite in os defluentem, aut ex gingiva manantem; quia haec proxime pertinent ad corpus, neque sumuntur ab extrinseco: secus siquis sanguinem e digito sugat, item si sumeretur id, quod ex oculis aut naribus ab extrinseco in os fluit etc. 2. Non obstat, si quis abluendo os casu deglutiat unam alteramve guttam aquae aut vini salivae admixtam: illud autem juxta *S. Th.* dicitur deglutiri per modum salivae, quod in modica quantitate ita permiscetur salivae, ut ab ea separari non possit et per modum unius cum illa trajicitur in stomachum. Pariter non solvit jejunium, qui degustat cibum, vel qui tempore pestis aromata ore circumfert et postea exspuit, licet contingat aliquid manere salivae permixtum, et cum ea deglutiri. 3. Non violat jejunium, qui deglutit reliquias pridianae coenae dentibus implicitas, quia tunc non censentur venire ab extrinseco, sed pertinere ad praecedentem comestionem. *S. Th.* 2. P. q. 8. a. 8. ad 4.

371. 3. Jejunium naturale violatur, si juxta dicta aliquid sumatur per modum cibi aut potus post mediam noctem, quae in his partibus incipit ab hora duodecima noctis, et quidem juxta *Joan. Sanch.*, *Coninck*, *La Croix* L. 4. n. 486. et L. 6. p. 1. n. 580. non praeter, sed in momento, non quidem mathematico, sed ecclesiastico, attendendo ad horologia, et probabilius a primo pulsu, quia ab eo jam volvitur rota ad horam sequentem, adeoque a medio vel ultimo pulsu usque ad horam primam non est hora integra. E contra juxta *Leandrum*, et *Bresserum* de Consc. L. 4. c. 11. n. 107. hora 12. durat moraliter usque ad ultimum sonum, eoquod tamdiu videatur durare, quamdiu auditur: non tamen facile recedendum est a priore sententia, quae nititur sensu communi.

saltem sub veniali abstinendum est a communione, nisi aliud suadeat justa causa, v. g. publica ac communis devotio aut festivitas, regula Ordinis, extraordinarium desiderium Eucharistiae cum parato animo ad resistendum inordinatis motibus etc., vel si credatur pollutio excitata a daemone ad impediendam communionis frequentiam. *Bonacina* D. 4. q. 6. pun. 2., *Henriq.*, *Regin.* et commun.

382. *Q.* VIII. An actus conjugalis impediat dignam communionem. R. *Per se*, non impedit, praesertim si redditum fuerit debitum ex necessitate aut bono fine, v. g. ex amore prolis, vel ad evitandum incontinentiae periculum; si vero redditum fuerit solius voluptatis causa, aut ex actu praecedente animo inhaereat magna perturbatio, aut affectus ad res venereas etc. sub veniali eo die abstinendum ob decentiam, quae tamen subinde accedente justa causa potest resarciri. *Laym.* l. c. n. 16. Confessariis duplicem tradit regulam observandam, si mulieres quaerant, utrum maritis debitum reddere debeant eo die vel pridie, quando communicaturae sint: 1. Si mulier frequenter soleat communicare v. g. singulis Dominicis aut Festis, tum Confessarius respondeat, eam obligari ad reddendum, alioquin periculum esse, ne mortaliter peccet tum contra justitiam, si marito serio et constanter petenti neget, tum contra charitatem ratione scandali; quia exinde rixae et odium tam contra conjugem, quam contra frequentem ejus communionem excitantur; si tamen ob malignos effectus subsecutos se sentiat indispositam, consulendum ipsi erit, ut interdum intermittat communionem, nisi justa excuset causa. 2. Si mulier rarius v. g. in praecipuis tantum festivitatibus communicare soleat, maritum commonere et rogare poterit, ut abstineat propter imminens festum et s. communionem: si vero monendo nihil proficiat aut mariti offensionem incurrat, debitum reddendum est petenti, atque nihilominus accedere poterit ad s. Eucharistiam.

383. *Q.* IX. Quid censendum sit de frequenti et quotidiana communione. R. 1. Singulis Dominicis et Festis cum debita praeparatione, et non tantum ex consuetudine communicare, sanctum et salubre est ferventibus Christianis: quoties et quibus id liceat, dependet a Confessarii prudenti judicio, qui propterea consulendus et audiendus est.

384. R. 2. Quotidiana communio *per se* non est illicita, fuitque usitata in primitiva Ecclesia, dum adhuc fervebat charitas et devotio. Sancte de hoc disserit *S. Th.* p. 3. q. 80. a. 10. *Dicendum, quod circa usum hujus Sacramenti duo possunt considerari: unum quidem ex parte ipsius Sacramenti, cujus virtus est hominibus salutaris; et ideo utile est quotidie ipsum sumere, ut homo quotidie ejus fructum percipiat .... Alio modo potest considerari ex parte sumentis, in quo requiritur, ut cum magna devotione et reverentia ad hoc Sacramentum accedat; et ideo si aliquis se quotidie ad hoc paratum inveniat, laudabile est quod quotidie sumat. Unde Augustinus cum dixisset: Accipe quotidie, ut quotidie tibi prosit; subjungit: Sic vive, ut quotidie merearis accipere. Sed quia multoties in pluribus hominum multa impedimenta hujus devotionis occurrunt, propter corporis indispositionem vel animae, non est utile omnibus hominibus quotidie ad hoc Sacramentum accedere, sed quotiescumque se ad illud homo invenerit praeparatum. Innocentius XI.* in Decreto circa quotidianam communionem, quod incipit: *Cum ad aures:* circa medium praeter alia ita statuit: *In hoc igitur Pastorum diligentia potissimum invigilabit, non ut a frequenti aut quotidiana S. Communionis sumptione unica praecepti formula aliqui deterreantur, aut sumendi dies generaliter constituantur, sed magis quid singulis permittendum per se, aut Parochos, seu Confessarios sibi decernendum putet; illudque omnino provideat, ut nemo a S. Convivio, seu frequenter, seu quotidie accesserit, repellatur, et nihilominus det operam, ut unusquisque digne pro devotionis et praeparationis modo rarius, aut*

crebrius Dominici Corporis suavitatem degustet. Praeterea *Bened. XIV.* in praeclaro suo opere de Synodo L. 7. C. 12. erudite statuit, non esse deviandum ab hujus decreti semita, postea subjungit: *Praecipue vero monendi sunt Confessarii, ne frequentem ad Eucharistiam accessum iis aut suadeant, aut permittant, qui in gravia peccata saepe labuntur, nec de poenitentia peragenda, suaque vita emendanda sunt solliciti; sicuti nec illis, qui etsi gravia evitent crimina, voluntatem tamen habent venialibus inhaerentem; qua de re legendi sunt S. Franc. Salesius Philotheae P. 2. C. 20. et Joannes Taulerus Serm. 4. in festo Ven. Sacram.*

385. Huc pertinet propositio 56. ab *Innoc. XI.* damnata: *Communio, et Confessio frequens etiam in iis, qui gentiliter vivunt, est nota praedestinationis. Ratio damnationis:* vel enim sensus est, gentiliter viventem posse se disponere rite ad quotidie confitendum aut communicandum; vel sensus est, si confessiones et communiones sacrilege peragantur, posse tamen esse signum salutis: atqui utroque sensu delira et falsa est propositio; cum ejusmodi signum fundetur et consistat in perseverante observantia divinae legis: ergo. Ita P. *Cardenas* in dict. propos.

Pariter recte damnata est ab *Alexandro VIII.* propositio 23. *Ratio est;* quia *Trid.* sess. 13. C. 7. explicans illud *Pauli* 1. Cor. 11. *Probet autem se ipsum homo, et sic de pane illo edat,* nullam aliam requirit dispositionem necessariam, quam ut homo dispiciat, an sibi conscius sit peccati mortalis, et si illud repererit, non doleat tantum eliciendo contritionem, sed etiam sacramentaliter confiteatur; quae doctrina manca dici nequit; atqui esset manca, si praeterea amor Dei purissimus requireretur: ergo non requiritur necessario ad communionem amor Dei purissimus: ergo nec arcendi sunt a communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus et omnis mixtionis expers, ut sonat propositio damnata. *Confirm.* 1. A communione tantum arcendi sunt constituti in peccato mortali: atqui talis amor Dei qui non est expers omnis mixtionis, non est peccatum mortale, ut patet ex prop. 7. ab *Alex. VIII.* damnata: ergo. *Confirm.* 2. Constat ex C. *Toletano* II. Can. 11. pueris hujus amoris purissimi etc. incapacibus datam fuisse Eucharistiam; ergo non requiritur necessario talis amor. Variae ss. PP. sententiae probant convenienes esse amorem purissimum habere, non vero quod absolute necessarius sit ad Eucharistiam digne suscipiendam.

ARTICULUS II. *De Eucharistia, ut est Sacrificium.*

§. I. *Praenotanda.*

386. I. Sacrificium 1. latissime sumitur pro omni actione, quae in gloriam Dei cedit, ut oratio secundum illud Psal. 49. *Sacrificium laudis honorificabit me.* 2. Adhuc late sumitur pro oblationibus, quae fiunt in usum templi, sive ejus ministrorum: sic in sensu vulgi primitiae, et decimae saepe vocantur sacrificia. 3. Proprie sumitur pro oblatione soli Deo facta cum destructione seu immutatione rei oblatae. Unde Sacrificium proprie dictum communiter definitur: *Oblatio externa rei sensibilis cum ejus destructione vel immutatione soli Deo facta per legitimum ministrum in protestationem supremi ejus dominii in vitam et necem,* sive in omnes res creatas. Dixi 1. *Oblatio externa;* sic convenit cum aliis oblationibus primitiarum et bonorum operum, quae ad Deum referuntur.

2. Dixi: *Rei sensibilis;* per hoc distinguitur a Sacrificio contriti cordis, et actuum internorum fidei, spei, charitatis, qui ab hominibus eliciuntur in protestationem excellentiae divinae. *Omnis quippe Pontifex,* ait Apost. Hebr. 8. *ad offerendum munera et hostias constituitur.* Porro cum homines per sacrificia coadunentur in unius ejusdemque religionis cultum, neque possint

inter se communicare, nisi signis sensibilibus manifestent actus internos, ideoque Sacrificium proprie tale recte definitur, oblatio rei sensibilis.

3. Dixi: *Cum ejus destructione, vel immutatione:* per quae verba Sacrificium proprie tale differt a caeteris oblationibus rerum sensibilium, in quibus res oblata nec physice, nec moraliter est destruenda, ut legitur Levit. 16. de Sacrificio capri emissarii, qui non occidebatur, sed tanquam exul in solitudinem emittebatur. Additur, *vel cum immutatione*; quia ad Sacrificium proprie tale non semper requiritur necessario destructio realis et totalis, sed sufficit moralis; sic in Sacrificiis libaminum effundebatur vinum, oleum etc., quae effusio licet non sit destructio physica vini, est tamen moralis, quatenus liquores illi effusi non amplius ad priorem usum idonei sunt.

4. Dixi: *Soli Deo facta:* quia per rei oblatae destructionem sive physicam, sive moralem agnoscimus Deum esse rerum omnium Dominum, profitemurque nos totos supremae illius majestati devovere cum victima: hinc nulli Sancto, nulli creaturae Sacrificium offerimus, teste *S. Aug.* qui l. 20. contra Faustum Manichaeum c. 21. ait: *Quamvis in memoriis Martyrum constituamus Altaria, quis Antistitum in locis Sanctorum Corporum assistens Altari aliquando dixit: Offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cyprianè? Sed quod offertur, offertur Deo, qui Martyres coronavit.*

5. Dixi: *Per legitimum ministrum:* cum enim Sacrificium sit cultus Dei publicus et in Religione excellentissimus, debet fieri ab habente publicam auctoritatem, qui legitime fuerit ordinatus, ut patet ex illo ad Hebr. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus . . . nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron.*

6. Dixi: *In protestationem supremi ejus dominii etc.*; hic enim est directus ac primarius finis Sacrificii, sicque distinguitur a Sacramento, cujus finis directus ac primarius est sanctificatio hominis: per Sacramenta Deus nobis praebet gratiam, nos per Sacrificium Deo offerimus supremum cultum. Plura de hac definitione vide apud *Joan. Clericatum* in Decis. Sacramental. de Sacrificio Missae.

387. II. Sacrificium *ratione materiae* dividitur *primo* in *Hostias* seu *Victimas*, quando Deo offerebantur ritu solemni animantia, videlicet oves, capri, boves, columbae etc. Item in *Immolationes*, quando Deo offerebantur res inanimatae, sed solidae, ut panis, thus, etc. Denique in *Libamina*, quae constabant ex liquidis, v. g. vino, oleo etc. de quibus passim in *LL. Levit.*, *Num.* et alibi.

388. *Secundo. Ratione formae* Sacrificium dividitur in *Holocaustum*, quae erat perfectissima Sacrificii species, in quo res tota destruebatur, ita ut nihil inde cederet in usum hominum, in signum supremi Dei in omnes res creatas dominii, et perfectae nostrae a Deo dependentiae. Item in *Hostiam* pro *peccato*, quando res oblata partim cremabatur, partim cedebat in usum Sacerdotum, qui in atrio templi ex oblatis vescebantur, unde dicebantur comedere peccata populi, h. e. victimas pro peccatis oblatas. Denique in *Hostiam pacificam*, quae solebat offerri in gratiarum actionem pro acceptis beneficiis, vel ad nova impetranda.

389. *Tertio. Ratione finis* Sacrificium illud olim erat *Latreuticum*, a cultu latriae sive perfectae servitutis, qui Deo rerum omnium supremo Domino exhibetur, hic elucebat potissimum in holocausto: aliud *Eucharisticum* in gratiarum actionem pro acceptis beneficiis; aliud *Impetratorium* pro accipiendis: denique aliud *Propitiatorium* ad placandum Deum, offerebaturque pro peccatis et pro peccatorum poenis: omnia haec Sacrificia legalia cessant in lege gratiae, quae figurabant hostiam perfectissimam, et sacrificium Corporis et Sanguinis Christi. Unde *S. Leo* serm. 8. de Pass. ait: *Carnalium Sacrificiorum varietate cessante omnes differentias hostiarum una Corporis et Sanguinis implet oblatio.*

390. III. Eucharistia est verum ac proprie dictum Sacrificium, quod in missa peragitur, in quo *idem ille Christus continetur et incruente immolatur, qui in ara crucis semel se ipsum cruente obtulit*, ut docet *Trid.* sess. 22. C. 2. Ibid. *una eademque est hostia*, scil. quae in cruce oblata est, et in missa offertur, *idem nunc offerens Sacerdotum ministerio*, qui se ipsum tunc in cruce obtulit, *sola offerendi ratione diversa*; videl. tunc cruento modo, nunc incruento. Idem *Trid.* sess. 22. can. 1. ita definit: *Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum et proprium Sacrificium, aut quod offerri non sit aliud quam nobis Christum ad manducandum dari, anathema sit.* Ibid. Can. 4. *Si quis dixerit, blasphemiam irrogari Sanctissimo Christi Sacrificio in cruce peracto per Missae Sacrificium, aut illi per hoc derogari, anathema sit.* Ibid. Can. 2. *Si quis dixerit, illis verbis*: Luc. 22. v. 19. *hoc facite in meam commemorationem: Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi aliique Sacerdotes offerrent Corpus et Sanguinem suum, anathema sit.* Huc etiam pertinet *Baij* propositio 45. damnata. *Probatur secundo* ex eodem C. 22. s. Lucae Eucharistiam esse verum Sacrificium. In ultima coena Christi Corpus pro nobis datum est (*Accepto pane gratias egit, et fregit, et dedit eis, dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur; hoc facite in meam commemorationem.* Item 1. Cor. 11. v. 24. *Accipite et manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Textus Graecus habet, *quod pro vobis frangitur*, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον, juxta alios codices θρυπτόμενον). In eadem quoque coena Sanguis Christi pro nobis effusus dicitur: *Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur*, in graeco *funditur*, ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, eodem modo in praesenti exprimitur in graeco textu Marci c. 14. v. 24., similiter exprimitur in praesenti c. 26. Matt.: atqui verba ista, *datur, funditur, frangitur* significant dari corpus et sanguinem in Sacrificium verum; non enim ait Scriptura, *vobis*, sed *pro vobis* datur, idest offertur sub speciebus panis et vini Patri coelesti; ergo.

Neque dicas: praesens in graeco textu sumitur pro futuro, ideoque textus latinus continuo habet: *effundetur.* R. 1. contra HH. Alias continuo provocatur ad litteram textus originalis contra latinum, cur hic non? R. 2. *Datur, funditur, frangitur* sumitur tantum pro futuro N. Partim pro praesenti C. *το datur* tum in graeco, tum in latino exprimitur in praesenti, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur.* Luc. 22. v. 19. *τὸ frangitur* 1. Cor. 11. pro solo sacrificio in cruce nequidem potest sumi. Neque *funditur* in graeco et *fundetur* in latino pugnant inter se: futurum enim sive futura mors Christi in cruce eo tempore, quo Christus protulit ista verba, non excludit mysticam et incruentam Christi immolationem, sed potius verbum de praesenti, *funditur*, denotat praesentem effusionem sanguinis mysticam, verbum autem de futuro, *effundetur*, significabat futuram tum cruentam ejusmodi Sanguinis effusionem in cruce, tum incruentam in Sacrificio missae, utpote quod institutum fuit in perpetuam memoriam illius cruenti. Neque Christus simpliciter tantum dixit; hoc comedite: bibite, sed facite, h. e. offerte, sacrificate, ut Levit. 15. v. 15. *faciet unum pro peccato, et alterum in holocaustum:* item 3. Reg. 18. v. 23. *ego faciam bovem alterum.*

Confirm. 1. ex prophetia *Malachiae*, quae c. 1. v. 10. ita legitur: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum: et munus non suscipiam de manu vestra:* v. 11. *In omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda.* Ex quo textu colligitur inprimis Sacrificia Judaeorum sublatum iri, deinde novum esse instituendum; atqui per hoc aliud intelligi non potest, quam Sacrificium missae: *primo* enim intelligi nequit Sacrificium Judaeorum, tum quia prophetia aperte affirmat, munus a Judaeis non amplius susceptum iri, tum quia Judaei non sacrificabant in omni loco, sed solum in Judaea in templo Hierosolymitano; *secundo* non potest intelligi solum Sacrificium cruen-

tum in cruce; quia hoc tantum semel, et in uno loco fuit oblatum. *Tertio* nec potest intelligi sacrificium laudis pia opera, preces et alia sacrificia labiorum, quia ista jam fuerunt ab initio mundi; nec ista sunt sacrificia proprie dicta, sed cum addito, *laudis*: ergo per dictam oblationem mundam in cit. t. debet intelligi Sacrificium Missae, quod in toto mundo offertur, estque mundissimum tam propter hostiam, quam propter principalem offerentem Christum Dominum, quam interpretationem sequitur *Trid.* sess. 23. C. 1. cum ss. PP. *Justino, Irenaeo, Chrysost.* in Ps. 95. *Theodoreto, Hieron.* et aliis.

Confirm. 2. ex C. 7. epist. ad *Hebr.* ubi s. Paulus probat, Christum esse Sacerdotem in aeternum secundum ordinem Melchisedech: ergo etiam Christus debet offerre Sacrificium: *omnis enim Pontifex ad offerendum munera et hostias constituitur; unde necesse est et hunc habere aliquid, quod offerat:* Hebr. 8, et quidem eo ritu, quo Melchisedech obtulit, scilicet in pane et vino.

Confirm. 3. ex epist. 1. Cor. 10. ubi Apostolus ait: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Christi est?* Per quam benedictionem s. Paulus intelligit sacrificium proprie dictum; ut patet ex verbis sequentibus: *Quae immolant gentes, daemoniis immolant, et non Deo: nolo autem vos socios fieri daemoniorum: non potestis calicem Domini bibere, et calicem daemoniorum; non potestis mensae Domini participes esse, et mensae daemoniorum.* Hic opponit Apostolus altare Christianorum altari gentilium in eo, quod in mensa Christianorum oblatio panis et calicis fiat vero Deo, in mensa vero gentilium immoletur daemoniis, per mensam autem utrobique altare intelligitur; ait *Trid.* sess. 21. C. 1.

Confirm. 4. ex perpetua traditione et doctrina Ecclesiae et consensu Patrum de veritate hujus Sacrificii. *S. Aug.* L. 1. contra adversarium Legis C. 2. ad illud Psalmi 109. Tu es Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech, ait: *Noverunt, qui legerunt, quid protulerit Melchisedech. Vident nunc tale Sacrificium offerri Deo toto orbe terrarum: Dei autem juratio est incredulorum increpatio, et quod Deum non poenitebit, significatio, quia hoc Sacerdotium non mutabit: mutavit quippe Sacerdotium secundum ordinem Aaron.* Similia lege L. 16. de Civ. Dei C. 22. L. 17. *S. Chrysost.* hom. 24. in 1. ad Cor. ait: *Pro brutorum caede se ipsum offerendum praecepit.* Plura refert *Bellarm.* L. 1. de Missa, praesertim. C. 15.

391. IV. Missa recte definitur: *Sacrificium novae legis, quo Christus sub speciebus panis et vini a Sacerdote rite ordinato soli Deo incruente in memoriam Sacrificii cruenti crucis offertur tam pro vivis, quam pro defunctis.* Eidem conveniunt omnes conditiones ad Sacrificium vere ac proprie dictum requisitae. Inprimis adest hostia, principalis quidem Corpus, et Sanguis Christi sub speciebus panis et vini, minus vero principalis panis et vinum; adest *oblatio externa*, et quidem in caeremoniis solemnissima: adest *oblatio rei sensibilis*, quatenus Corpus et Sanguis Christi fit sensibile per species panis et vini. 2. Adest legitimus *Minister* sive offereus, principalis ipse Christus Dominus, secundarius vero Sacerdos valide et legitime ordinatus. 3. Adest destructio sive immutatio hostiae: *mystica* quidem, quia vi verborum primae et separatae consecrationis ponitur solum corpus (concomitanter tantum sanguis, ut dictum est n. 249.) et vi verborum secundae consecrationis solus sanguis, adeoque sanguis mystice separatur a corpore, quae est destructio et mactatio quaedam mystica: eatenus *moralis* destructio adest, quatenus repraesentatur destructio vera, et cruenta immolatio Christi in cruce, et physica separatio animae Christi a Corpore: physice vero hoc sensu destruitur, quatenus destructa substantia panis et vini Christus vivus mortuo quodam modo ponitur et in statu ad operandum inepto: nam existit ibi definitive; sub parva enim particula Christus per consecrationem in eo statu ponitur, qui non est connaturalis singulis partibus, quae ad exercendas operationes connaturaliter exigunt, ut sint extensae, et pars extra partem. Denique juxta alios eatenus fit vera destructio

in sumptione, quatenus consumptis speciebus panis et vini cessat ibi existere sacramentaliter Christus. 4. Haec oblatio fit soli Deo, ut iterum patet ex praxi et sensu Ecclesiae, et supra n. 386. ex *S. Aug.* fuit probatum. Haec omnia aperte docet *Trid.* sess. 22. C. 1. *Is igitur Deus et Dominus noster, etsi semel se ipsum in ara crucis, morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, ut aeternam illic redemptionem operaretur: quia tamen per mortem Sacerdotium ejus extinguendum non erat, in coena novissima, qua nocte tradebatur, ut dilectae sponsae suae Ecclesiae visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret Sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum, repraesentaretur, ejusque memoria in finem usque saeculi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quae a nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur. Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in aeternum constitutum declarans, Corpus et Sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit, ac sub earumdem specierum symbolis, Apostolis, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit, et eisdem, eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent, praecepit per haec verba: Hoc facite in meam commemorationem.*

392. V. Ex his porro liquet Sacrificium Altaris 1. contra aequivocationem Novatorum esse Sacrificium *reale* realitate hostiae praesentis: non tantum figurae, imaginis et repraesentationis. 2. *verum*, non fictum, neque metaphoricum propter veram et actualem praesentiam Christi. 3. proprie dictum ex oblatione proprie dicta, et non tantum propter commemorationem et repraesentationem proprie dictam, neque propter solam applicationem meritorum passionis Christi. Ita *Honoratus Tournely* in Praelect. Theol. de 7. Sacram. Tom. 7. de Euch. q. ult. a. 3.

393. VI. Quaestionem, in quo consistat essentia Sacrificii Missae, vide latius explicatam in Theol. Schol.; hic praenotasse sufficiat, in Sacrificio Missae duo principaliter spectanda esse, scil. *rem*, quae offertur vel sacrificatur, et *actionem* sacrificandi. Res quae offertur est ipse Christus Dominus sub speciebus panis et vini, ita ut species non pertineant ad Sacrificium tanquam partes, sed tanquam conditio ut Sacrificium reddatur sensibile; species enim non offeruntur Deo in Sacrificium, nec habent rationem victimae; ergo nec spectant ad essentiam Sacrificii tanquam partes: solus autem *Christus incruente immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruente obtulit*, ut ait *Trid.* Sess. 22. C. 2. Ita *Tournely* l. c. a. 3. Juxta alios, qui sentiunt cum *Suarez* hic D. 75. s. 5. species panis et vini intrinsece pertinent ad rem oblatam in hoc Sacrificio, quia Christus *novum instituit Pascha se ipsum ab Ecclesia per Sacerdotes sub signis visibilibus immolandum*, ut ait *Trid.* sess. 22. C. 2. Juxta eosdem panis et vinum offeruntur in hoc Sacrificio tanquam materia, ex qua Sacrificium conficitur. Vide *Suar.* l. c.

394. Ex parte ministri sacrificantis sex potissimum actiones distinguuntur, e quibus probabilius essentia Sacrificii consistit in sola consecratione utriusque speciei, tum quia haec actio sola fit a Sacerdote in persona Christi, dum dicit; *Hoc est corpus meum; Hic est etc.* tum quia sola consecratio perfecte repraesentat Sacrificium crucis, immolat Christum; non solum enim est actio *productiva*, quatenus Christum ponit et facit esse vere et realiter praesentem sub speciebus vivum, sed etiam est *destructiva*, tam mystice, et quoad significationem, quae formaliter habetur vi verborum separando corpus a sanguine, quam moraliter et quasi physice, quatenus Christum vivum ponit mortuo quodam modo atque ad operandum inepto. Praeterea haec actio exprimitur in ipsa institutione; *Hoc facite in meam commemorationem.* Denique forma, qua ordinantur Sacerdotes, solam potestatem hujus actionis exprimit: ergo. Vide *Bossuet* in Exposit. Missae pag. 45. et in Exposit. doctrinae Catech. circa Sacrif. p. 149., *Suar.* hic D. 75. sect. 5.

395. Reliquae vero actiones non pertinent ad essentiam hujus Sacrificii: ac 1. Non oblatio panis ac vini ante consecrationem: nec oblatio Corporis et Sanguinis sub speciebus, quae fit post consecrationem, quia Sacrificium proprie tale ex definitione et ex usu Legis Mosaicae non consistit in nudis verbis, quibus hostia offertur, sed in actione, per quam destruitur et immolatur; atqui utraque oblatio consistit in solis verbis, nec destruit aut immutat hostiam; ergo. *Confirm.* Sacrificium Missae principaliter offertur in persona Christi; verba autem quibus utraque oblatio constat, non dicuntur in persona Christi, sed Ministri et nomine totius Ecclesiae; ergo utraque oblatio non est sacrificativa, sed caeremonialis. 2. Sacrificium non consistit essentialiter in sumptione, sive in communione Sacerdotis; quia sumptio non est actio nomine Christi facta; praeterea sumptio potius significat sepulturam, quam mortem Christi. Adde quod Christus, qui in ultima coena sacrificavit, non legatur sumpsisse Corpus et Sanguinem suum. Ita plures contra *Ledesma*; item contra *Lugonem* et *Tournely*, juxta quos sumptio saltem partialiter cum Consecratione constituit hoc Sacrificium. 3. Multo minus sumptio Eucharistiae, quatenus fit a populo, est pars Sacrificii; tum quia jam perfectum supponitur Sacrificium, quando populo distribuitur Eucharistia; tum quia saepe Sacrificium Missae celebratur absque ulla facta populo distributione. Adde quod tota actio sacrificandi immediate fit a Sacerdote; ergo sumptio populi nequidem partialiter spectat ad rationem Sacrificii. 4. Nec fractio et commixtio hujus Sacramenti pertinet ad essentiam Sacrificii, quamvis enim Christus panem fregerit, id tamen non fecit ad certum mysterium significandum, sed ut distribueret inter Apostolos; neque post fractionem miscuit panem cum vino consecrato, sed Discipulis mox porrexit ad manducandum. Hinc juxta *S. Th.* 3. P. q. 8. a. 6. ad 6. *horum* (scil. mixtionis et fractionis) *praetermissio non facit imperfectionem Sacrificii.* Hinc si casu eveniret, ut hostia consecrata e manibus Sacerdotis laberetur in calicem, non esset frangenda, nec extrahenda e calice, sed pariter cum speciebus vini sumenda cum formula: *Corpus et Sanguis D. N. J. C.* etc. ut habet *Missale* de Defect. in ministerio ipso occurrentibus. §. 10. n. 11. Ergo patet, quod fractio non pertineat ad essentiam Missae.

396. VII. Sacrificium hoc Novae Legis vocatur *Missa* a verbo *mittere*: 1. quia Christus est hostia a Deo missa; quia populus per Sacerdotes ad Deum preces suas in Sacrificio mittit; 3. quia in fine Missae, peracto Sacrificio, populus dimittitur dicente Sacerdote vel Diacono: *Ite Missa est. Tourn.* l. c. a. 1. Porro vox *Missa* quidem non reperitur in s. Scriptura, sufficit tamen rem hoc nomine significatam ibi contineri, estque frequentissima haec vox apud veteres scriptores, uti apud *S. Greg.* hom. 8. in Nativ. Dom., *S. Ambros.* L. 5. ep. 33. ad Sororem, *S. Aug.* serm. 91. de tempore etc. Graece vocatur *Liturgia*, quod de se significat mysterium seu officium publicum, specialiter Sacerdotium Christi, ut ipsemet *Petrus Mintert* acatholicus in suo Lexico graeco-latino interpretatur. Ideoque Graeci recte Missam vocant liturgiam, non tantum sumentes id pro ministerio, sed et specialiter pro Sacrificio ipso N. L. Sic ad Hebr. 9. v. 21. vasa Sacrificii graece exprimuntur τὰ σκεύη τῆς λειτουργίας Sic Luc. 1. v. 23. dies officii Zachariae, quibus Sacrificium obtulit in templo, vocantur ἡμέραι τῆς λειτουργίας αὐτοῦ Act. 13. *Ministrantibus illis Domino*, graece legitur: λειτουργούντων δὲ αὐτῶν τῷ κυρίῳ. Prima pars Liturgiae sive Missae, quae se extendit usque ad Offertorium exclusive, vocatur *Missa Cathechumenorum*; quia olim catechumeni et poenitentes ante Offertorium foras mittebantur, remanentibus fidelibus per baptismum et poenitentiam purgatis; reliqua pars Missae dicebatur *Missa fidelium*, qua finita Diaconus dimittebat populum, exceptis Quadragesimae diebus, et aliis feriis, maxime quando indictum erat jejunium; tum enim Sacrificium sero offerebat-

tur, et mox Officium vespertinum persolvebatur, ad quod Diaconus astantes hortabatur dicens; *Benedicamus Domino.*

§. II. *Principia practica de Sacrificio Missae.*

397. Princip. I. Sacerdotem, ut rite offerat, oportet in primis scire, quod Sacrificium Missae ex fine suo, in quem offertur, sit quintuplex: 1. *Latreuticum:* qui est cultus latriae sive adorationis Dei tanquam supremi Domini perfectissimus. 2. *Eucharisticum*, sive gratiarum actorium pro omnibus beneficiis a Deo acceptis, praesertim pro beneficio Redemptionis per passionem et mortem Christi; quae gratiarum actio Deo est acceptissima, quia pro concessis beneficiis eidem offertur hostia omnium praestantissima, scilicet Christus ipse. 3. Est *Impetratorium*, quatenus varia beneficia et bona tum animae, tum corporis a Deo impetrat iis, qui offerunt, et pro quibus offertur. 4. Est *Propitiatorium*, quia ex opere operato causat remissionem peccatorum quoad culpam, sed mediate tantum, quatenus immediate impetrat gratias ad rite poenitendum necessarias. 5. Est *Satisfactorium*, quia itidem ex opere operato et quidem immediate causat vivis et defunctis remissionem poenarum temporalium peccatis remissis debitarum per applicationem meritorum Christi. Hanc doctrinam semper Catholicam stabilivit *Trid.* sess. 22. Can. 3.: *Si quis dixerit, Missae Sacrificium tantum esse laudis et gratiarum actionis; aut nudam commemorationem Sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis et defunctis, pro peccatis, poenis, satisfactionibus et aliis necessitatibus offerri debere, anathema sit.*

398. Princip. II. Ex dictis fructus Sacrificii, ratione causalitatis, sive ex parte rei causatae, 1. Alius est *impetratorius*, quatenus vi hujus Sacrificii et offerens, et is pro quo offertur, accipit dona tum supernaturalia, tum naturalia distincta ab augmento gratiae. 2. Alius *meritorius* consistens in augmento gratiae, cujus capaces sunt ii, qui existunt in statu gratiae. 3. *Propitiatorius*, quatenus dantur auxilia ad agendam poenitentiam. 4. *Satisfactorius*, quo satisfit pro poenis temporalibus peccatorum: hic fructus non prodest existentibus in peccato mortali, poena enim non remittitur nisi remissa culpa.

Fructus Sacrificii ratione realitatis, sive ex parte participantium iterum 1. Alius est *Generalis*, qui redundat in totam Ecclesiam, et omnes Christi fideles tam vivos, quam defunctos. 2. *Specialis*, quem participat ille, pro quo ex intentione Sacerdotis Missa offertur. 3. *Specialissimus*, qui pertinet ad ipsum Sacerdotem celebrantem. Hinc Sacrificium Missae offertur, 1. pro omnibus fidelibus Christianis vivis, sive justi sint, sive peccatores, ut his prosit ad poenitentiam, illis ad augmentum justitiae, ut constat ex Canone Missae: *Quod tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta Catholica .... et omnibus orthodoxis, atque Catholicae et Apostolicae fidei cultoribus.* Et ratio est, quia omnibus potest prodesse, vel ut propitiatorium, vel ut satisfactorium, vel ut impetratorium. Excipe hic *excommunicatos non toleratos*, qui scil. per sententiam judicis nominatim ac publice ut tales sunt denuntiati; quia illi ab Ecclesia sunt ejecti, ejusque publice suffragiis privantur *c. A nobis.* 28. de sentent. excomm. item *c. Sacris.* 38. ibid. Unde *Laym.* juxta communem doctrinam infert ex hac prohibitione Ecclesiae Sacerdotem peccare graviter, qui pro excommunicato non tolerato Missam offert; potest tamen Sacerdos indirecte et privatim pro tali orare in *memento vivorum*; imo eatenus publice, in quantum offert Sacrificium pro convertendis omnibus peccatoribus, quia de hoc nulla facta est prohibitio, ut ait *Suar.* hic D. 78. Sect. 2. in fine.

2. Juxta *Laym.* L. 5. t. 5. c. 2. n. 9. ex communiore DD. sententia licite offertur Missa pro infidelibus Paganis et Judaeis per modum deprecationis, ut ad fidem Christianam convertantur; ut patet ex usu et praxi Ecclesiae, quae

semper oravit et Sacrificium obtulit pro tranquillitate publica, pro extirpatione haeresum, et pro dilatanda et propaganda vera fide, quae dilatio fieri nequit, nisi per conversionem infidelium et haereticorum: et haec quidem directe tendunt ad bonum publicum Ecclesiae, indirecte tamen ad conversionem infidelium. *Suar.* l. c. adhuc plus concedit, quod non tantum in genere liceat offerre Missam pro infidelium conversione, sed etiam in particulari pro hac vel illa natione, aut persona; quamvis consuetudini Ecclesiae magis consentaneum censeat, nunquam expresse nominare personam infidelem, ut ab aliis audiri possit, ne scandalum ingeratur. In eadem Sect. affirmat *Suaresius*, Missam etiam posse offerri pro catechumenis fidelibus nondum baptizatis; quamvis enim hi non sint uniti Ecclesiae per baptismum, neque in externa facie Ecclesiae censeantur fideles, sive membra Ecclesiae, sunt tamen eidem uniti per fidem: ideoque ad Ecclesiam pertinent saltem voto sive desiderio, sicut Novitii ad Religionem. *Confirm.* ex *S. Aug.* qui epist. 109. ad Vitalem dicit, Sacerdotem stantem ad altare orare pro catechumenis, ut illis Deus inspiret desiderium regenerationis; unde patet, quod eis possit prodesse ista oblatio quoad fructum impetrationis; probabilius autem fructus satisfactionis eis non potest applicari, quamvis pro iis liceat offerre alia suffragia per jejunia, preces, eleemosynas etc. Quod aliquando catechumenis defunctis denegata fuerint suffragia publica, juxta *Henriquez* intelligendum est de iis, qui culpa sua baptismum suscipere neglexerant.

3. Sacrificium Missae recte et salubriter offertur pro animabus in purgatorio existentibus ad mitigationem, vel plenam poenarum solutionem, non tantum per modum impetrationis, sed etiam ex opere operato obtinendam. *Ratio* est: quia sunt vera et viva membra Ecclesiae: ergo etiam capacia fructus Sacrificii satisfactorii. Vide *Tridentinum* cit. supra n. 397. Idem in eadem sess. 22. c. 2. ita docet: *Quare non solum pro fidelium vivorum peccatis, poenis, satisfactionibus et aliis necessitatibus, sed et pro defunctis in Christo nondum in plenum purgatis rite juxta Apostolorum traditionem Missa offertur. S. Aug.* L. 9. Confess. testatur oblatum esse pro matre sua Monica, ut enixe rogaverat, Sacrificium pretii nostri. De hac perpetua praxi Ecclesiae idem *S. Aug.* L. de cura pro mortuis C. 1. n. 3. ait: *In Machabaeorum libris legimus, oblatum pro mortuis Sacrificium: sed et si nusquam in Scripturis veteribus omnino legeretur, non parva est Ecclesiae, quae in hac consuetudine claret, auctoritas, ubi in precibus Sacerdotis, quae Domino Deo ad ejus altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum.* Dixi, *pro animabus in purgatorio existentibus*: reprobis enim ad aeterna supplicia jamjam damnatis nihil prodesse, adeoque nec pro iis offerri potest Missae Sacrificium. Denique in quantum Missa pertineat ad defunctos, qui jam aeterna beatitudine perfruuntur, clare docet *Trid.* sess. 22. c. 3.: *Et quamvis in honorem et memoriam Sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consueverit, non tamen illis Sacrificium offerri docet, sed Deo soli, qui illos coronavit; unde nec Sacerdos dicere solet: Offero tibi Sacrificium Petre, vel Paule: sed Deo de illorum victoriis gratias agens eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in coelis, quorum memoriam facimus in terris.* Ib. Canon quintus ita habet: *Si quis dixerit, imposturam esse Missas celebrare in honorem Sanctorum, et pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit, anathema sit.* Si quaeras, quomodo Missa possit offerri pro Sanctis? R. Potest offerri ut est Sacrificium Eucharisticum, sive in gratiarum actionem pro collatis gratiis in hac vita, et pro collata illis gloria in coelo, imo etiam ut est Impetratorium alicujus gloriae accidentalis; ideo Ecclesia jubet orare in Sacro: *ut illis prosit ad honorem.*

Ex hoc principio pro praxi observet Sacerdos, quod ad hoc ut effectus Sacrificii specialiter obtineatur, debeat fructum, qui ex opere operato re-

spondet Sacrificio, quatenus offertur in persona Christi, applicare vel sibi, vel alteri capaci per intentionem saltem ante, vel in ipsa consecratione, ut ait *Laym.* l. c. n. 12., alias si vel nulli, vel incapaci, vel non indigenti applicetur, fructus Sacrificii remanet in thesauro Ecclesiae juxta communiorem, vel juxta alios cedit in tali casu ipsi celebranti, et iis pro quibus saepius solet offerre: quia hanc intentionem quilibet tunc habere censetur. *Ratio primi* est; quia, cum hoc Sacrificium primario institutum sit pro bono communi et secundum se sit indifferens, debet ad hoc ut specialiter uni prae altero prosit, determinari ab ipso sacrificante; potestas enim applicandi fundatur in potestate sacrificandi, cum Sacerdos ex vi ordinationis suae constituatur minister ac dispensator donorum Dei. *Ratio secundi* est: quia Sacerdos dispensat fructum Sacrificii ex opere operato, quatenus sustinet personam Christi, quod accidit in consecratione; ergo tunc debet habere intentionem applicandi vel actualem, vel virtualem, vel habitualem, quae sufficit praecise pro applicatione ex dictis n. 53. *Confirm.* ex eo quod non sit in nostra potestate ministri effectum velle suspendere, et postea alicui applicare.

399. *Princip.* III. Licitum est Sacerdoti accipere pecuniam vel honorarium pro celebratione Missae, non quidem ut pretium Sacrificii, quia hoc est quid mere spirituale; sed ut justum stipendium ad sui sustentationem. Constat ex recepto usu Ecclesiae, quae sicut in fide, ita et in doctrina morum, ad quam pertinet hic usus, est infallibilis. Æquitas patet ex Scriptura: *Dignus enim est operarius mercede sua*, Luc. 10. v. 7. Et 1. Cor. 9. v. 13.: *Nescitis, quoniam qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt, edunt, et qui altari deserviunt, cum altari participant.* Dixi, *justum stipendium*: quamvis enim accipere liceat, quantum liberaliter offertur; non tamen licet exigere, nisi quod justum est; illud autem censetur justum, quod vel Episcopi lege, vel loci consuetudine ex piorum ac prudentum virorum judicio determinatum ac taxatum est. Hic locorum passim datur capitellum. Varias inhibitiones contra injusta stipendia vide in resol. cas. §. seq.

400. *Princip.* IV. Praeter ea, quae ad valide et licite sacrificandum requiruntur in Sacerdote, de quibus egimus n. 266. praesertim praeter jejunium naturale et statum gratiae, sequentia de tempore, loco, aliisque ad Missam requisitis accurate observanda sunt. *De tempore* celebrandi: 1. Tenetur Sacerdos saltem aliquoties per annum celebrare, in c. *dolentes.* 9. de celebratione Missarum, inter peccata Sacerdotum *Innoc. III.* recenset, quod vix quater in anno Missam celebrent, addens: *Haec igitur et similia sub poena suspensionis penitus inhibemus.* Trid. sess. 23. C. 14. de Reform. ita statuit: *Curet Episcopus, ut ii* (scil. Sacerdotes) *saltem diebus dominicis et festis solemnibus, si autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent.* Ideo Sacerdos Curatus tenetur vel per se, vel per alium celebrare illis diebus, quibus sui Parochiani ex praecepto Ecclesiae tenentur Missam audire: ut patet ex verbis *Trid.* cit. et ex ipsa ratione susceptae curae; alias enim populus non posset implere praeceptum audiendi Missam. Ita *Reiffenst.* in Theol. mor. T. 14. de Sacram. Dist. 5. q. 8. n. 83. cum Communi.

401. 2. Juxta *Missale Rom.* de defect. in ministerio ipso occurrentibus, et Constitutionem *Pii V.* quae incipit: *Sanctissimus*: tempus debitum celebrandi est ab aurora usque ad meridiem de jure communi; adeoque ordinarie non licet celebrare ante auroram, per quam intelligitur crepusculum, quod censetur incipere sesqui hora, antequam sol supra horizontem appareat; nec ordinarie licet inchoare Missam post meridiem, per quem communiter intelligitur hora diei duodecima, saltem in nostris regionibus. Dixi, *de jure communi:* nam licitum est 1. in Nocte Nativitatis Christi celebrare Missam. Specialiter autem prohibitum est *a Congreg. Rit.* anno 1702. 8. Decemb. tres legere: verba pro-

hibitionis sic habent: *Non licet in media nocte Nativitatis Domini celebrare successive alias duas, et in eis communionem sacram exhibere.* 2. Licet ante auroram, vel post meridiem celebrare cum licentia Episcopi. 3. Ex privilegio stabili a Papa concesso, quale concessit *Paulus III.* in Bulla: *Cum inter*, et *Greg. XIII.* in Bulla: *Quanta in vinea Domini*, Presbyteris Societatis Jesu, ut Missas ante auroram, et infra horam post meridiem itineris, vel alterius legitimi impedimenti causa, de Praepositi Generalis, vel cujusvis alterius ab eo deputati licentia, celebrare valeant. 4. Ex consuetudine, vi cujus in multis locis mane hora quarta etiam tempore hyemali licite celebratur Missa pro operariis, itinerantibus, et aliis; hinc etiam satisfacit praecepto, qui die festo tali Sacro interest. Pariter saltem una hora post meridiem, propter publicam concionem ultra horam duodecimam productam, licet Missam privatam inchoare: item propter adventum Principis, qui Missam a Sacerdote jejuno desiderat; similiter propter funus principis: item si Sacerdos die festo ratione itineris impeditus fuerit: quinimo, ut ait *Laym.* l. c. C. 4. n. 4. ex quacumque justa causa poterit Missa uno vel altero quadrante ante auroram, vel post duodecimam inchoari; quia determinatio temporis hic non mathematice, sed moraliter accipienda est: qualis causa jejuno adhuc Sacerdoti praecipue est, si dandum sit Viaticum moribundo, nec adsit hostia consecrata.

402. 3. Per se loquendo, et seclusa speciali prohibitione Ecclesiae licitum est Sacerdoti quotidie semel celebrare, modo moralem diligentiam adhibeat, ut quotidie digne ad altare accedat. *Probatur* ex consuetudine Ecclesiae, quam in antiquissimis Patribus legimus. *S. Greg. M.* homil. 37. in Evang. de s. Cassio Episc. Narniensi ita memorat: *Cui mos erat, quotidianas Deo hostias offerre, ita ut pene nullus dies vitae ejus abscederet, quo non omnipotenti Deo hostiam placationis offerret.* Plura refert *Suar.* hic C. 80. sect. 2. Dixi 1. *per se loquendo*; nisi scil. obstet indignitas Sacerdotis certo cognita. Dixi 2. *seclusa prohibitione.* Sic prohibitum est Missam legere feria sexta hebdomadis sanctae, quod ex antiquissima traditione testatur *Innoc. I.* ep. 1. ad Decentium C. 4. et refertur in c. *Sabbato.* Dist. 3. de Consecr. Haec prohibitio se quidem non extendit ad feriam quintam ejusdem hebdomadis; ubi tamen pia consuetudo viget, ut Sacerdotes e manu sui Superioris in solemni Missa s. Eucharistiam sumant, ibi insistendum est huic consuetudini; ita ut sine Superioris licentia privatam Missam celebrari non oporteat; innititur haec solemnis devotio exemplo Apostolorum, qui in ultima coena s. Eucharistiam de manu Domini sumpserunt. Similiter in Sabbato Sancto praeter Missam solemnem aliae Missae in eadem Ecclesia celebrandae non sunt; quia id fieret contra receptam Ecclesiae consuetudinem. Dixi 3. *quotidie semel*: ut clare innuit *Innoc. III.* relatus in c. *consuluisti.* 3. de Celebrat. Missae: *Respondemus, quod excepto die Nativitatis Dominicae, et nisi causa necessitatis suadeat, sufficit Sacerdoti semel in die unam Missam solummodo celebrare.* Quod autem *τὸ sufficit* vim praecepti obtineat, satis confirmatur a consuetudine Ecclesiae. Rationem hujus praecepti duplicem assignat *S. Th.* Q. 83. a. 2. ad 5., *tum quia Christus semel passus est, et redemit mundum;* tum quia spectata fragilitate humana vix homo ad unum Sacrificium se digne praeparare potest, et ideo *felix est, qui unam Missam digne celebrare potest*, ut habetur in c. *sufficit* de Consecrat. Dist. 1.

403. *Princip.* V. *De loco Sacrificii.* Jure communi et ordinario non licet sub gravi peccato Missam celebrare, nisi in loco ab Episcopo consecrato, vel saltem ab ipso, aut de ejus licentia a Presbytero benedicto et non violato, nec execrato, nec interdicto. *Primum* constat ex c. 15. de Consecrat. Dist. 1.; *Nullus Presbyter Missas celebrare praesumat, nisi in sacratis ab Episcopo locis.* Ab hac regula communi exceptiones quaedam communiter hodie receptae sunt; 1. quidem celebrare licet in castris pro exercitu: 2. in littore maris, item in navi pro navigantibus, modo absit periculum irreverentiae ex ve-

hementia ventorum, tempestate aut jactatione navis: 3. in privato oratorio ad id specialiter destinato, et cum licentia Ordinarii ad id deputato. Celebrari autem debet Missa super altare lapideum, et ab Episcopo consecratum; si vero consecratum non sit, debet inseri arula lapidea, vulgo *altare portatile* lapideum, et ab Episcopo consecratum, idque tam amplum, ut hostiam et majorem partem calicis capiat. Altare debet esse opertum tribus mappis sive tobaleis mundis ab Episcopo, vel alio habente potestatem benedictis, superiore saltem oblonga, quae usque ad terram pertingat, duabus aliis brevioribus; vel una duplicata, quibus recte supponitur linteum ceratum. Super altare collocanda est crux in medio (et quidem non tantum nuda, sed cum imagine crucifixi, etiam quando est expositum Ss. Sacramentum), ad utrumque latus candelabra saltem duo cum candelis accensis. Vide Constitut. Bened. XIV. editam anno 1746. 16. Julii, quae incipit: *Accepimus*. Tom. II. ejusd. Bull. p. 123.

404. *Princip. VI.* Praeterea absolute requiritur calix cum patena vel ex auro, vel argento, vel si paupertas non permittat, ex stanno quoad cuppam, ab Episcopo consecratus.

De hisce vasis sacris olim *Bonifacius* Martyr et Episcopus interrogatus, si liceret in vasculis ligneis Sacramenta conficere, respondit. *Quondam Sacerdotes aurei ligneis calicibus utebantur, nunc e contrario lignei Sacerdotes aureis utuntur calicibus.* Vide c. *vasa* 44. Dist. 1. de *Consecrat.*, et sequenti c. 45. statuitur: *Ut calix Domini cum patena, si non ex auro, omnino ex argento fiat. Siquis autem tam pauper est, saltem vel stanneum adhibeat. De aere aut aurichalco non fiat calix, quia ob vini virtutem aeruginem parit, quae vomitum provocat. Nulla autem in ligneo aut vitreo calice praesumat Missam cantare.* Ratio hujus redditur in fine c. *vasa* mox cit.: Ne *decus matris Ecclesiae imminuatur, sed magis cumuletur et amplificetur.* Missale de ritu servando in Celebrat. Missae n. 1. de calice ita habet: *Qui debet esse vel aureus, vel argenteus, aut saltem habere cuppam argenteam intus inauratam, et simul cum patena itidem inaurata, ab Episcopo consecratus.* Idem de defectibus in ipso ministerio occurrentibus §. 10. n. 1. de calice innuit: *Cujus cuppa debet esse aurea, vel stannea: non aerea vel vitrea,* nec ex ligno, lapide, ferro etc. Juxta *Fagundez* de primo praecepto Eccles. L. 3. C. 21. n. 10. cogente magna paupertate licet adhibere calicem ex aere, vel aurichalco, aut metallo, ita tamen ut cuppa sit inaurata; quia sic evitatur periculum contrahendae aeruginis. Porro calix constat tribus partibus, scil. *cuppa, nodo, et pede.* Super cuppam sive os calicis ponitur *purificatorium* mundum, et super illud *patena* cum *hostia* integra, quae leviter debet extergi a fragmentis, quando opus est; haec tegitur parva *palla* linea, tum *velo* serico, cui imponitur *bursa* coloris paramentorum, intus habens *corporale* complicatum, quod ex lino tantum esse debet, nec serico, vel auro in medio intextum, sed totum album, et ab Episcopo, vel alio habente facultatem, simul cum palla benedictum. Ita *Missale* l. c. Defectus pallae suppleri potest per corporale aliud, aut si eodem retro calicem extenso in tali necessitate possit tegi calix: purificatorium probabiliter non debet necessario esse benedictum, praesertim cum specialis de eo benedictio non existat in Ritualibus. *Suarez* contra *Laym.* Nec velum, quo vestitur calix, nec bursa, in qua reconditur corporale, solent benedici. Purificatorium, palla linea, et corporale, antequam tradantur laicis ad accuratiorem lotionem, lavari prius debent a Sacerdote aut Diacono. Vide plura apud *P. Gobat.*

405. Vestes Sacerdotales triplicem habent significationem; *tropologicam* sive moralem, quae refertur ad formationem morum et vitae: *allegoricam,* quae exprimit aliquod sacrum mysterium: et *anagogicam,* quae refertur ad ea, quae sunt aeternae felicitatis. Ita *Sennyei* in examine Ordin. p. 4. C. 1. n. 48. Prima vestis est *Amictus* sive humerale; in vetustis libris liturgicis vocatur

Anaboladium. De hoc Amalarius L. 2. de Eccles. Officiis c. 18. ait: *Amictus est primum vestimentum nostrum, quo collum undique cingimus.* De iis qui amictum sericis, aureisque fimbriis ornant, ait Cardin. *Bona* Rer. Liturg. L. 1. C. 24. n. 3. recentem hanc esse consuetudinem et sacrae antiquitati prorsus incognitam. Tropologice *Amictus* significat fiduciam in Deum, qua Sacerdos debet accedere ad hoc Sacrificium, quae spes est galea salutis; id quod exprimitur in oratione, quam Sacerdos recitat humerale induendo: *Impone, Domine, capiti meo galeam salutis, ad expugnandos diabolicos incursus.* Allegorice denotat linteum, quo facies Christi velata fuit; anagogice latibulum capitis, h. e. Divinitatis in Christo.

Secunda vestis est *Alba* (alias etiam appellatur *Camisia, Camisius, Camisile*, apud Graecos *Poderis* a *Podas*, quia est vestis demissa ad pedes); de hac in Ordine Romano fit mentio his verbis: *lineam dalmaticam, quam dicimus Albam.* Hujus etiam mentio fit in Synodo Carthaginiensi sub finem saeculi IV. habita. Haec vestis 1. debet esse linea, non lanea; 2. albi coloris, unde et nomen trahit. Tropologice significat colore suo munditiam mentis et corporis cum splendore virtutum; longitudine vero significat boni operis perseverantiam; anagogice vestem candidam, qua Christus indutus fuit illusus; allegorice Resurrectionis gloriam, et novitatem ac puritatem vitae in Christo. Significationi congruit oratio Sacerdotis: *Dealba me, Domine, et munda cor meum, ut in Sanguine Agni dealbatus gaudiis perfruar sempiternis.*

Tertia est *Cingulum*; de hoc *S. Sier.* Ep. 128. ad Fabiolam scribit: *Tertium genus est vestimenti, quod illi appellant Abner, nos Cingulum, vel Baltheum, vel Zonam possumus dicere.* Tropologice significat continentiam et castitatem, convenienter orationi Sacerdotis: *Praecinge me, Domine, cingulo puritatis, et extingue in lumbis meis humorem libidinis, ut maneat in me virtus continentiae et castitatis:* allegorice funes, queis Christi manus ligatae sunt; anagogice, charitatem Christi, cujus extremitates duae sunt, *fecit et docuit.*

Quarta vestis est *Manipulus* (ex etymologia, *ornamentum manus*); substitutus est (juxta Card. *Bona* saeculo decimo, juxta *Meratum* vero longe antea) loco mappulae vel sudarioli, quod primis saeculis Sacerdotes ad sinistrum brachium habebant tergendo sudori, et devotis lacrymis; unde eo tempore manipulus instrumentum erat ipsa necessitate introductum: postea inter vestimenta sacra locum obtinuit, ut ait *Benedictus XIV.* in Comment. de Sacrif. Missae. Tropologice denotat compunctionem cordis, quia quasi sudarium gestatur ad abstergendas lacrymas, ut colligitur ex oratione: *Merear, Domine, portare manipulum fletus et doloris, ut cum exultatione recipiam mercedem laboris*: allegorice significat fanem, quo Christus captus est: anagogice in laeva beatitudinem Christi, ut viator et comprehensor erat.

Quinta vestis est *Stola*: de hac *Rabanus Maurus* L. 1. C. 19. ait: *Quintum est, quod Orarium dicitur licet hoc quidem Stolam vocent.* Tropologice significat obedientiae Christianae jugum suave per poenitentiam et animi fortitudinem; allegorice ligaturam ad columnam; anagogice stolam gloriae, quam Christus per obedientiam suam nobis reddidit; unde Sacerdos eam induens dicit: *Redde mihi, Domine, stolam immortalitatis, quam perdidi in praevaricatione primi parentis, et quamvis indignus accedo ad tuum sacrum mysterium, merear tamen gaudium sempiternum.* Est etiam stola signum jurisdictionis et oneris, quo premuntur humeri pastoris; Sacerdotibus enim ex utroque humero, Diaconis ex sinistro dependet.

Sexta denique est *Casula*, sive *Planeta* graece, quae totum Sacerdotis corpus tegit, quasi minor casa, ut ait *Isidorus* L. 19. C. 24.: olim enim casula Sacerdotem a collo usque ad pedes tegebat, et brachia involvebat. Tropologice *Casula* ex omni parte rotunda et aperta denotat charitatem, quae supereminet omnibus virtutibus; allegorice vestem purpuream, qua Christus indutus

fuit in domo Pilati: anagogice promissam gratiam et gloriam aeternam iis, qui portant suave jugum Christi, ut indicat oratio Sacerdotis: *Domine, qui dixisti, jugum meum suave est, et onus meum leve, fac ut istud portare sic valeam, quod consequar tuam gratiam.* Juxta alios indicat vestem mysticam Christi, sive Ecclesiam universalem, ita ut pars posterior denotet Ecclesiam veteris, anterior vero novi testamenti. Plura vide apud *Innoc. III.* l. 1. de hoc myster. *Suar.* hic D. 82. S. 2. *Ratio*, cur in hoc Sacrificio tot caeremoniae, vestes, aliaque id genus multa adhibeantur, juxta *Trid.* sess. 22. C. 5., deducitur *ex Apostolica disciplina, et traditione, quo et majestas tanti Sacrificii commendaretur, et mentes fidelium per haec visibilia religionis et pietatis signa, ad rerum altissimarum, quae in hoc Sacrificio latent, contemplationem excitarentur.* Hinc ibid. Can. 7. ita statuit: *Si quis dixerit, caeremonias, vestes, et externa signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia Catholica utitur, irritabula impietatis esse magis, quam officia pietatis, anathema sit.* Accedit, quod, sicut maxime conveniens est ut Reges, Magistratus in publicis actionibus non vulgari, sed augustiore utantur vestitu, ita deceat ut in hac sanctissima actione Sacerdos peculiari et augustiore habitu incedat, tum ob reverentiam mysterii, tum ob passionem Christi apte repraesentandam, tum ad sui ipsius commonitionem.

406. Denique oportet has vestes esse integras, mundas, et benedictas ab Episcopo, vel ab alio Sacerdote habente privilegium, quali gaudent Abbates, teste *Bonacina*, item Ordinum Mendicantium Superiores, ut ait *Busemb.* cum *Tamburino*; eodem olim gaudebant Rectores Collegiorum, et Praepositi Domorum S. J., ita ut possint benedicere corporalia, vestimenta, caeteraque ornamenta Ecclesiae suae. Vide Compend. Privil. S. J. V. *benedicere* §. 3. Dixi, *Ecclesiae suae*; pertinentia enim ad externorum usum, sive ad Ecclesiam non suam, probabilius non possunt benedicere, nisi necessitas urgeat, et Praelati distent, et sine illorum offensione. Vide etiam Bullam *Pauli III.* quae incipit: *Licet debitum.* Dixi etiam, *oportet has vestes esse integras et mundas;* quod idem dicendum de calice, patena, corporali, et purificatorio: hinc juxta plures, ut ait *Laym.* L. 5. T. 5. C. 6. n. 15., peccat graviter, qui in vestibus, aut vasis valde immundis celebrat.

407. *Princip. VII.* Denique celebrans debet servare rubricas, et quidem sub gravi peccato illas, quae sunt *praeceptivae* circa quid notabile, quod vel concernit valorem vel integritatem Sacrificii v. g. circa panem triticeum, mixtionem aquae etc. Oportet etiam observari eas, quae tantum sunt *directivae*, quamvis non obligent sub gravi peccato, si absit contemptus. Praeterea in Missa adhibendus est sub gravi obligatione minister saltem unus, qui nomine totius populi respondeat celebranti, aquam et vinum porrigat etc. et hic debet esse mas, non foemina, ut constat ex c. *inhibendum* 1. de cohabitat. Cleric. et mul. Ex Conc. Mogunt. *Suar.*, *Sylv.*, *Palud.*, *Sotus* et alii, satius esse arbitrantur, in gravi necessitate celebrare sine ministro, quam cum foemina. Addit tamen *Laym.* l. c. n. 13., non obstare quominus foeminae praesertim Moniales ex loco remoto sacrificanti respondeant tantum. Praeterea juxta *Bonac.* D. 4. q. ult. a. 9. n. 29., *Pitigianum*, *Graffium* et alios requiritur *Missale*, ita ut celebrans sine libro, qui nequidem contineat Canonem, *per se* loquendo, peccet graviter; quia se exponit periculo errandi graviter. Dixi, *per se*, juxta *Ledesma* enim, *Laym.* et alios contra *Tann.*, licitum est ei in gravi necessitate celebrare sine libro, qui moraliter certus est, se non erraturum. Idem concedit *La Croix* l. c. n. 364. de Sacerdote, qui visu caret ad legendum, si possit tamen adhuc videre hostiam et calicem, nec sit periculum amittendi particulas, aut irreverenter tractandi Sacramentum. Juxta *Tamb. et Gobat* hic n. 304. satis est in necessitate, si Sacerdos aliquam missam in charta descriptam ante se habeat. Denique Sacerdos saepe legat rubricas generales Missalis, ritus servandos, et quae praescribuntur ibidem de

defectibus in celebratione Missae occurrentibus: praesertim autem decretum *Tridentini* de observandis et evitandis in celebr. Miss. sess. 22.

§. III. *Resolvuntur Casus.*

Casus I. De Oblatione et Fructu Sacrificii Missae

Hedwiges pia matrona quotidie pro filio suo nuper in duello occiso plura Sacra audit, et aliquot hebdomadis aliqua Sacra legi curat ex voto; postea experitur, Sacerdotem, cui stipendium pro Missis dederat, laborare fama; hinc multum angitur, an voto satisfecerit et an defunctus quidquam fructus ex Missis ab eo Sacerdote lectis perceperit.

408. *Q.* I. An Sacerdos impius, haereticus aut excommunicatus possit valide Missam celebrare. R. *Affirmative. Ratio* est, quia consecratio, et oblatio est actus Ordinis, non Jurisdictionis: ergo, sicut nec per peccatum, nec per censuram, nec per degradationem potest tolli character Ordinis, sed tantum Jurisdictionis; ita nec per illa potest tolli potestas consecrandi et offerendi. Plura vide supra n. 54. et 265. Unde resolves, quod Hedwiges satisfecerit voto, quod defunctus potuerit percipere fructum ex Sacrificiis, etsi fuerint oblata a Sacerdote impio. Hedwiges tamen peccasset, si antecedenter scivisset, Sacerdotem in statu peccati esse sacrificaturum, et tamen ab eo petiisset legi Sacrum; quia sic fuisset cooperata peccato alieno. Vide dicta n. 88. et Trid. sess. 23. C. 4.

409. *Q.* II. An Sacrum ab impio Sacerdote lectum minus habeat efficaciae, quam lectum a pio. R. Non habet minorem vim ex opere operato, sed tantum ex opere operantis. *Ratio primi* est: quia effectus Sacrificii tanquam ex opere operato proveniens est ab actione sacrificandi prout est actio Christi, tanquam principaliter offerentis, adeoque a quocumque offeratur, manet semper eadem actio, eademque hostia semper munda, et grata Deo. *Suar.* hic D. 79. sect. 8. *Ratio secundi*: quia effectus Sacrificii tanquam ex opere operantis provenions dependet a Sacrificio prout offertur a Sacerdote tanquam a persona privata, et suo, non Christi nomine orante, uti fieri solet in *Memento* Vivorum, et Defunctorum: ergo sicut preces amici plus habent valoris, quam inimici; ita talis oblatio a Sacerdote impio facta hoc sensu vim minorem habet, quam facta a digno et rite disposito. Ita *Comm.*

410. *Q.* III. An *ii*, qui specialiter cooperantur ad Missam, etiam dici possint offerre Sacrificium, et an fructum possint applicare alteri. R. Ad *primum.* Fideles, qui specialiter cooperantur ad Sacrificium Missae vel *physice* ut ministrantes, vel *moraliter* ut adstantes, aut pro Sacro stipendium dantes Sacerdoti, recte dicuntur offerre Sacrificium *mediate*, h. e. mediante Sacerdote offerente, ut patet ex verbis Missae: *Offerimus tibi etc. Hanc igitur oblationem servitutis nostrae, sed et cunctae familiae tuae etc. et omnium circumstantium... pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt.* Duplici autem modo fideles possunt dici offerre: inprimis *generaliter*, prout omnes fideles sunt membra Ecclesiae, cujus ministrum et legatum publicum agit Sacerdos: hoc sensu *Innoc. III.* l. 3. de Myster. Miss. C. 3. ait: *Non solum offerunt Sacerdotes. sed etiam universi fideles: nam quod specialiter adimpletur ministerio Sacerdotis, hoc universaliter agitur voto fidelium.* Deinde dicuntur specialiter offerre illi fideles qui modis praedictis cooperantur ad Sacrificium. Dixi supra, *quod adstantes etiam offerant*, intellige de iis, qui non tantum materialiter intersunt Sacro, sed moraliter, h. e. cum religiosa assistentia, attentione ac devotione; hi enim cum velint sua actione colere Deum, hoc ipso implicite cum Sacerdote volunt offerre Sacrificium ad cultum Dei, intenduntque finem et fructum Missae, quamvis de hoc expresse non cogitent. *Suar.* hic D. 79. sect. 8., *Laym.* L. 5. T. 4. C. 2. n. 17. et 18.

411. R. Ad 2. Ejusmodi cooperantes ad *Sacrificium* etiam possunt fructum applicare alteri. *Ratio* est: quia hoc Sacrificium de se est applicabile alteri ab offerente: ergo quicumque illud Deo offert, potest offerre pro altero. *Confirmatur* ex quotidiana praxi fidelium.

412. *Q.* IV. An valide et licite fuerint oblata Sacrificia pro occiso in duello. R. *Ad primum.* Valide fuerunt oblata, ita ut occisus, nisi in peccato gravi decesserit, factus fuerit particeps valoris principalioris ex meritis Christi, cujus personam gerit Sacerdos. Sic juxta communiorem apud *Laym.* l. c. C. 2. n. 7. valide offertur Missa etiam pro excommunicato vitando: quia ea, quae pure pendent ab institutione Christi, suntque immediatus actus Ordinis, non possunt ab Ecclesia impediri, quominus valide fiant; atqui valor Sacrificii pure pendet ab institutione Christi, et ejus applicatio est immediatus actus Ordinis: sic Ecclesia non potest unquam impedire, ne Sacerdos valide conficiat Sacramentum Eucharistiae, quamvis hoc illi prohibere possit: ergo nec potest impedire, ne Sacrificium nomine Christi valide offeratur, quamvis actu prohibeat, ne pro excommunicatis non toleratis offeratur. Ideoque Sacerdos peccaret graviter, qui directe offerret Sacrificium pro excommunicato vitando; quia ageret contra gravem prohibitionem Ecclesiae. *La Croix* L. 6. p. 2. n. 32.

413. Quid, si constet excommunicatum vitandum obiisse contritum? R. Nondum licet pro illo directe offerre Sacrum; quia licet sit contritus, non tamen est ab excommunicatione absolutus. Vide c. *a nobis.* de Sent. 28. Excomm. supra cit. Dixi, *non licet directe* etc. h. e. quatenus Sacerdos est minister Ecclesiae, ei non licet pro illo sacrificare, nec recitare Collectas, sive orationes illas, quae nomine Ecclesiae sub Sacro recitantur; *indirecte* autem potest Sacerdos pro tali offerre, quatenus offert pro peccatoribus, imo tamquam persona privata potest illius meminisse in *Memento.*

414. R. *Ad secundum* cum *Sporer* T. 5. in quintum praecept. Decal. C. 2. n. 213. et Jansen. P. 2. cas. 93. n. 3. Probabile est, quod licite offeratur Sacrum pro occiso in duello, modo non constet eum in mortali obiisse; quia licet mortuus fuerit excommunicatus, non tamen fuit denunciatus tamquam vitandus, soli autem excommunicati denuntiati et non tolerati, aut notorii percussores Clericorum, et ut tales mortui, privantur suffragiis Ecclesiae et orationibus in Missa: ergo. Vide *Navar. et Dianam* P. 5. T. 4. Resol. 192. Confirmat hoc *La Croix* L. 6. p. 2. n. 34. cum pluribus contra *Sot.*, *Avil.*, *Suar.*, *Vasq.*, *Bonac.*, *Azor* et alios quod in *Extrav. Martini V.* in Conc. Const. *Ad evitanda*, concedatur communicatio cum excommunicatis toleratis etiam in sacris et divinis. *Nec obstat*, quod tales sint vere praecisi ab Ecclesia: propter hoc enim excommunicati non vitandi, quantum est de se, debent quidem abstinere a communicatione cum caeteris, et emanere e Missa, nec possunt petere Missas, vel suffragia communia; non tamen aliis ideo illicitum est cum illis agere, ut constat ex cit. Extrav. *Martini V.* neque Ecclesia ex parte sua est ab illis praecisa; ergo licite pro illis applicat Sacrificia. In praxi tamen solemnes Missae pro ejusmodi defunctis non solent offerri.

415. Pro reliquis de fructu et applicatione Sacrificii *observa* I. An, et quomodo Sacrificium Missae sit valoris infiniti, in Theologia Scholastica varie in utramque partem defenditur. Nobis pro praxi breviter sufficiat nosse, quod valor Missae consideratus secundum substantiam, et sufficientiam ex parte rei oblatae, ac principalis offerentis sit infinitus; sic enim idem est cum sacrificio crucis sola offerendi ratione diversa: atqui sacrificium crucis valore ac pretio est infinitum: ergo etiam Sacrificium Missae; ideoque juxta *La Croix* l. c. n. 47. respectu duorum primorum effectuum, qui sunt Dei complacentia et solutio gratiarum, causat in actu secundo simpliciter infinite; quia Deus actu infinite sibi complacet in re oblata, et principali offerente, item in Missa pro gratiis redditur bonum actu infinitum. Si vero valor consideretur ex parte efficaciae et effectuum aliorum, qui sunt remissio peccatorum

et impetratio donorum, item ex parte modi, quo applicatur, est finitus, causatque simpliciter finite. Alii brevius dicunt, valorem Missae esse infinitum in actu primo, finitum vero in actu secundo. *Ratio* alia non est, nisi suprema Dei voluntas: Christus enim aliter non ordinavit, nec Deus acceptat Missam, nisi ad remissiones et impetrationes actu finitas; inde est, quod in Ecclesia multiplicentur sacrificia ad eamdem rem impetrandam, et plura plus obtineant, quam unum. Rationes cur Deus ita voluerit, probabiles sunt: 1. ut hoc modo Sacrificium Missae frequentaretur, sine quo stare Religio non potest: 2. ut in nobis excitaretur fervor et studium, ac pro mensura nostrae devotionis majorem vel minorem fructum perciperemus. Ita *Tournely* T. 2. Praelect. Theol. de Sacrif. Mis. A. 6. Vide *Sporer* l. c. a n. 257.

416. II. Sacrificium Missae fructus, quos causat ex opere operato et vi actionis nomine Christi positae, etiam confert infallibiliter, nisi illius pro quo offertur indispositio et indignitas, vel negligentia obstet; quia Christus ad hos fines id instituit: ergo et Deus ad eosdem fines oblatum acceptabit. Ita *Pasqualigus* q. 77. Addit *Becanus*: Et hoc ipsum per traditionem cognovimus. Illud autem Sacrificium est fructuosius, quod devotius legitur vel auditur, sive sit de Sancto sive de feria, sive in summo sive in alio altari, sive in paramentis rubris (h. e. de Sancto Martyre) sive in albis legatur: nam eadem semper est hostia, quae offertur: ergo inaequalitas fructus tantum oritur ex inaequali dispositione illius, pro quo offertur. Per accidens etiam plus prodest Sacrum, quod legitur in altari privilegiato propter speciales indulgentias illi annexas. Missa *de Requiem* quoad fructum satisfactorium ex opere operato non plus prodest defuncto, quam alia; quia hic aequalis est per se loquendo in omni sacrificio: eatenus tamen plus prodest, quatenus Ecclesia per preces pro defuncto institutas et per Sacerdotem recitandas specialiter orat pro defuncto, quod non fit in alia Missa. Eodem modo per accidens plus prodest Sacrum solemne quam privatum, quatenus illud celebratur majore cum attentione, devotione et ornatu, et plurium ministrorum assistentia, quae omnia redundant in majorem Dei cultum, adeoque in majus emolumentum fidelium.

417. III. Intentio applicantis debet ferri in personam determinatam, quamvis sit ignota: v. g. *Offero pro eo, qui dedit stipendium*: vel *pro quo vult Superior legi Sacrum*: vel *pro quo exigit fundatio*: *pro maximo peccatore; pro anima maxime desolata* etc. His vel similibus modis fit applicatio ad determinatam personam *implicite*, quatenus generali termino, particulari tamen intentione, sufficienter determinatur persona in particulari. *Expresse* fit ista determinatio, quando nominatim exprimitur persona: v. g. *Offero hoc Sacrum pro Petro vivo aut defuncto.* Sufficienter non determinatur persona hoc modo: *Offero hoc Sacrum, ut Deus ipse alicui applicet*; quia ex institutione Christi Sacerdotis est Sacrificium applicare et determinare. *Sporer* l. c. n. 279. cum *Tamb., Vasq., et Pasqual.*

418. IV. Applicatio sub conditione praeterita vel praesente facta valet, v. g. *Offero pro Andrea, si mortuus sit, vel aegrotet*; e contra non valet sub conditione futura; v. g. *Offero pro Petro, si stipendium daturus sit, vel si hoc anno moriatur. Ratio* est, quia ut applicatio valeat, debet conditio esse impleta quando datur fructus Sacrificii: atqui conditio futura tunc non est impleta quando fructus existit, neque est in potestate Sacerdotis suspendere fructum Sacrificii, hic enim necessario confertur, dum actu offert: ergo. Porro etsi speculative defendant aliqui cum *Corduba, Vasq., et Pasqual.*, valere hanc applicationem: *Offero pro eo, quem Deus scit primo daturum esse stipendium, vel primo moriturum*; eoquod conditio non sit de objecto futuro, sed de scientia Dei actu existente; melius tamen id negant *Suar., Coninck; Laym.* L. 5. t. 5. C. 2. n. 14.; quia scientia Visionis Dei dependet ab ejusmodi futuris contingentibus (ideo enim Deus scit a Petro oblatum iri stipendium, quia id libere oblaturus est): ergo conditio vere est de futuro. Addit *Suar.*

ideo vel maxime hujusmodi applicationem in praxi esse illicitam, quia est contra usum Ecclesiae, et magnos abusus parere potest, si introducatur. *Bassaeus*, V. Missa n. 4. ait talem applicationem prohibitam esse a *Clem. VIII.* cujus decretum postea promulgavit *Paulus V.* die 15. Nov. 1605.

419. V. Quando dubium est an ille pro quo offertur Missa, sit capax fructus Sacrificii, facienda est intentio conditionata, v. g. offero hanc Missam pro hac anima; si haec capax non sit, offero pro illa: si neque haec capax sit, volo ut prosit mihi: vel, offero pro anima in purgatorio maxime derelicta aut liberationi proxima, aut Deo vel B. Virgini carissima: ex supposito, quod sit Missa gratuita: si vero Sacrum ex obligatione beneficii, vel stipendii legatur, facienda est intentio, ut si non prosit, pro quo petitur et offertur Sacrum, fructus cedat vel ipsi, qui petiit legi Sacrum, aut ei proxime conjunctis, vel quibus is maxime obligatus est: quia prudenter praesumitur, quod haec sit implicita intentio fundatorum. *Sporer*, *Marchant.* Trib. t. 2. q. 2. Dub. 2.

420. VI. Si Sacerdos Missam applicet alii, quam cui Superior jussit applicari, applicatio quidem manet valida; quia, ut dictum est, applicare et consecrare sunt actus ordinis; illicita tamen est applicatio, et peccat talis Sacerdos contra obedientiam, et quidem graviter, si vel Superior applicationem graviter praecipiat, vel eam justitia exigat. *Jansen.* loc. cit. num. 7.

421. VII. Si quis Missam ex errore pro aliquo tanquam mortuo applicet, qui tamen adhuc vivit, adhuc prodest applicatio secundum fructum vivo, vel mortuo applicabilem: quia Deus, ut prudenter praesumitur, acceptat Sacrificium, fructumque confert pro exigentia necessitatis, et voluntatem interpretativam ejus, qui offert vel curat Sacrum. *La Croix* l. c. n. 216. Si quis tamen ex errore alium putans mortuum celebraret Missas, quas pro eo vere defuncto teneretur legere, non satisfaceret per hoc suae obligationi, sed teneretur postea, quando vere mortuum experitur alias Missas pro eo celebrare. *Busemb.*

422. VIII. In Missa gratuita Sacerdoti licet fructum dividere, v. g. applicando fructum impetratorium Petro, satisfactorium Paulo, eucharisticum sibi; sic enim nemini fit injuria, illique fructus de se sunt divisibiles. *Gobat* T. 3. n. 141. ibid. n. 144. pro praxi statuit hanc regulam: Quoties non incumbit tibi obligatio offerendi Sacrum ad aliquam certam intentionem, toties potes separare fructus omnes, dividendo inter duos vel plures. Addit *Jansen.* l. 2. Cas. 93. n. 8.; Si tamen simpliciter alicui Missam etiam gratuitam promisisti, non limitando ad certum fructum, teneris ei omnes fructus, si capax sit, applicare, hoc enim intelligitur per promissionem absolutam; si vero ad certum finem tantum promiseris, v. g. in gratiarum actionem pro obtenta sanitate, poteris fructum impetratorium et satisfactorium tibi, vel alteri applicare. Idem observandum, si Superior jusserit legi Sacrum ad certum tantum finem. E contra si obligeris ex stipendio vel fundatione, teneris totum fructum applicare danti, vel fundatori; si capaces non sint, eorum consanguineis, aut quibus maxime obligati sunt; ut dictum est n. 419. Vide *Sporer* Theol. Sacram. P. 2. C. 4. a n. 292.

423. IX. In die Commemorationis OO. Fidelium defunctorum pia consuetudo quidem habet, ut Missa applicetur omnibus animabus in purgatorio existentibus, id enim earum calamitas et nostra erga eas charitas postulat; gravis tamen obligatio non est dictae applicationis faciendae. *Tamb.* L. 3. Exp. sac. C. 3. §. 2. Missa celebrata in altari privilegiato pro defunctis, non suffragatur illis, nec satisfit indulto, nisi sit *de Requiem*. Ita *Busemb.* de Euch. dub. 2. ex Declar. Card. et *Diana*. *Pontas* vero V. Missa casu 38. ait attendendum esse ad verba diplomatis Pontificii circa indulgentias affixas altari, quod propterea vocatur privilegiatum: scil. si expresse ibi fiat mentio Missae *de Requiem*, per aliam Missam non obtineri effectum; secus, si non fiat expressa mentio: *Indulgentiae enim tantum prosunt, prout verba sonant.*

424. X. Neo-Sacerdoti consecranti cum Episcopo non licet pro ea Missa accipere stipendium; applicatio enim est incerta, cum incertum sit an finiat cum Episcopo, et vere consecret. Si tamen offerens stipendium contentum se esse diceret quocumque demum fructu ex neo-Mystae applicatione sibi proventuro, posset admitti stipendium, quia sic volenti non fieret injuria. Indignum tamen videtur in praxi, ut neo-Mysta alteri his circumstantiis cedat fructum, quem ipse sibi deberet applicare, ut eo dignior sit Sacerdotio. Applicatio Missarum, quas Episcopus neo-Presbyteris legendas injungit, juxta *Rubricas* est libera, excepta Missa pro defunctis. Ita *Jansen.* l. c. n. 11. ubi addit, quod illae tres Missae injunctae ad summum obligent sub levi peccato. De hoc alibi.

425. XI. Psalmi et preces in Missali ante Missam praescriptae non sunt sub gravi obligatione recitandae, cum ipsum Missale eas nonnisi *pro opportunitate* Sacerdotis praescribat recitandas. Idem sentiendum de precibus post Sacrum ibid. expressis. Communem autem intentionis formulam (*Ego vo'o celebrare Missam etc.*) *Gregorius XIII.* ex eo maxime commendatam voluit, quod cuilibet Sacerdoti eam dicenti concesserit quinquaginta annorum indulgentias.

Casus II. De stipendio Missae.

Hermannus ex pingui Beneficio se liberaliter sustentans, nihil ominus admittit frequens stipendium pro Missa, saepe etiam duplicatum, dicens se non tantum applicare partem specialem petenti, sed etiam specialissimam, quam alii Sacerdotes sibi solent reservare. Alias cum non posset satisfacere suis obligationibus, pauperi Sacerdoti praebet medium capitellum pro Sacro ad intentionem petentis legendo, alterum medium sibi reservans. Denique cum ex vertigine capitis sentiret se ineptum fore ad legenda ulterius Sacra, unicam eamque ultimam pro omnibus, a quibus acceperat stipendium, et quibus jurato promiserat, offert Missam: suae tamen obligationi plene satisfacturus plures simul consecrat hostias, unam earum huic, alteram alii applicans, juxta morem quorumdam Sacerdotum graecorum.

426. *Q.* I. An Hermannus liberaliter ex Beneficio se sustentans licite admiserit stipendia pro Missa, ad quam non tenebatur alio titulo. R. *Per se loquendo* affirmative: quia Sacerdoti ministranti ex justitia debetur alimentum, per accidens autem est quod Hermannus aliunde possit vitam suam honeste sustentare. Ita *Tournely* in praelect. Theol. Tom. 1. de Euch. Q. ult. a. 12. ubi, postquam graves rationes dubitandi attulit, denique subdit; Sed opinio contraria, scil. nostra sententia praevaluit, quae non improbat, ejusmodi Sacerdotes stipendia percipere. Dixi, *per se loquendo:* quia propter scandalum, si quod ejusmodi Sacerdos dives in populo adverteret, potius deberet a frequentiore stipendii admissione abstinere. Item si hic esset finis primarius, cur Missam legat, ut pecuniam accipiat, non esset excusandus a peccato, quia esset formalis avaritiae species: confirmat hoc *Pontas* ex opusc. 65. de officio Sacerdotis, quod tribuitur *S. Thomae,* ubi ita habetur: *Non potest Sacerdos illa intentione*, scil. unica et principali, *celebrare vel officiare, ut ex hoc pecuniam consequatur, quia peccaret mortaliter.*

427. *Q.* II. An licite admiserit duplicatum stipendium propter applicationem fructus specialis et specialissimi. R. *Negative*: patet ex proposit. 8. ab *Alex. VII.* damnata. *Ratio* est, quia omnino incertum est, an possit fructus specialissimus alteri applicari: ergo debito ex justitia certo non potest satisfieri solutione incerta. *Viva* in cit. propos. *Duarte V.* Missae stipendium n. 405. absolute respondet, hunc modum sapere injustitiam et simoniam, eo quod defraudetur conferens stipendium et accipiatur pretium pro re spirituali

428. *Neque dicas* 1. Licet pro eadem Missa accipere duplex stipendium, alterum pro praesentia sive officiatura, alterum pro applicatione sacrificii; ergo a pari. R. D. ant. Si offerens stipendium pro officiatura exprimat quod contentus sit sola praesentia (v. g. ut talis locus specialiter honoretur), vel si id ex circumstantiis clare possit argui, licet accipere dicto modo duplex stipendium C. Si id non exprimat, nec aliunde clare colligatur N. ant. In nostro casu non potest praesumi, quod offerens sit contentus illo fructu specialissimo, simulque incertum est, an possit illi applicari.

429. *Nec dicas* 2. Potest accipi duplex stipendium, si Petrus petat solum impetratorium, Paulus vero solum fructum satisfactorium: ergo a pari. N. cons. Disp. est. Petrus et Paulus clare id petunt: ergo aliud non volunt, sed constat eos unico fructu esse contentos; ergo etiam non fit ipsis injuria: si enim certe non constaret de hac expressa voluntate Petri et Pauli, etiam non liceret in dato casu accipere duplex stipendium, sicut in primo casu. Accedit, quod certius constet hos fructus esse divisibiles, quam quod fructus specialissimus alteri possit applicari: ergo. *Viva* l. c.

430. *Ex his resolves*, quod is, qui petit Missam ad obtinendam sanitatem aegroti, vel pro defunctis non debeat tantum censeri velle unicum fructum sacrificii, ita ut alteri concedat alium fructum applicari, sed communiter pro stipendio dato implicite petit omnem fructum specialem, quem potest vi sacrificii obtinere. Ita *Duarte* l. c. n. 407.

431. At si stipendium ab uno acceptum sit tenue, nonne licet ab alio tantum accipere quantum sufficit ad justum stipendium, et unica Missa utrique satisfacere? R. Non licet: ita constat ex declaratione s. Congreg. ad decretum *Urbani VIII.* super celebratione Missarum facta. In decreto expresse praecipitur: *Ut ubi plura stipendia quamvis incongrua, et exigua collata fuerint, tot Missae celebrentur, quot ad rationem attributae eleemosynae praescriptae fuerint.* Postea s. Congreg. ad tertiam quaestionem: *An cum Ordinarius praescripserit eleemosynam congruam juxta qualitatem loci, personarum ac temporum, Sacerdotes accipientes stipendium minus congruum teneantur Missas illis ab offerente praescriptas celebrare;* respondetur absolute: *Teneri. Ratio* est, quia Sacerdos primo admisit minus stipendium pro applicatione totius Sacri minus stipendium offerenti; ergo ex justitia tenetur stare pacto: imo licet non expresse promiserit, accipiendo tamen tale stipendium, hoc ipso tacite pro tota applicatione consensisse merito censetur. Praeterea ex contraria sententia multa incommoda possent oriri; facile enim quisque sibi persuaderet, se ea premi paupertate, ut possit onera Missarum ad rationem stipendii congrui reducere, et passim Missae pro stipendiis incongruis promitterentur, praesertim hoc tempore in tanta Sacerdotum copia, qui pro modico stipendio celebrant, unoque renuente non deficiat alter. Ita *Lugo* D. 20. de Euch. S. 2., *Viva*, et alii passim post resol. s. Congr. contra *Thom.*, *Tambur.*, *Laur.*, *de Peyrinis*, et alios.

432. *Q.* III. An Hermannus licite satisfecerit per alium, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi reservata. R. *Negative:* patet 1. ex decreto *Urbani VIII.* mox citato, ubi ita habetur: *Ac similiter omne damnabile lucrum ab Ecclesia removere volens, prohibet Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eamdem Missam alteri, parte eleemosynae sibi retenta, celebrandam committat.* Patet 2. ex propos. 9. *ab Alexand. VII.* damnata.

433. At nonne licet accipere pinguius stipendium, idque in aliquo loco pro consuetudine congruum, et Missam curare celebrari in alio loco, ubi Missae leguntur pro minori stipendio? R. *Negative*, ut patet ex decreto *Benedicti* XIV. dato Romae 30. Junii 1741. de stipendio Missae. Decretum ita incipit: *Quanta cura adhibenda sit:* ubi sub finem ita praecipit universis Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis et Episcopis. *Per*

edictum in vestris Dioecesibus proponendum, affigendumque universis notum facite, quemcumque, qui eleemosynas seu stipendia majoris pretii pro Missis celebrandis, quemadmodum consuetudines vel synodalia statuta exigunt colligens, Missas, retenta sibi parte earumdem eleemosynarum seu stipendiorum acceptorum, sive ibidem sive alibi, ubi pro Missis celebrandis minora stipendia seu eleemosynae tribuuntur, celebrari fecerit, laicum quidem seu saecularem, praeter alias arbitrio vestro irrogandas poenas, excommunicationis poenam, Clericum vero sive quemcumque Sacerdotem, poenam suspensionis ipso facto incurrere a quibus nullus per alium, quam per Nos Ipsos, seu Romanum Pontificem pro tempore existentem, nisi in mortis articulo constitutus, absolvi possit.

434. *Q.* IV. An in nullo casu liceat retinere partem sive excessum justi stipendii. R. Lucri gratia id nunquam licitum est. Excipit tamen *Duarte* l. c. n. 413. et seq. 1. *Si omnino sponte et ex mera liberalitate* condonetur excessus justi stipendii ab eo, cui traditur Missa celebranda. 2. Si certo constet justi stipendii excessum datum esse non intuitu Missae celebrandae, sed intuitu personae, quia est amicus vel pauper; adde, si etiam prudenter censeatur offerens aeque contentus esse, si alius Sacerdos legat Sacrum petitum. 3. *Ex Declarat. S. Congreg.* supra cit. *ad dub.* 7. possunt Administratores Ecclesiae pro paramentis, candelis, hostiis, vino etc. valorem expensarum ex eleemosynis pro Missis subtrahere, si Ecclesia non habeat aliunde redditus sufficientes pro illis expensis; ita tamen ut nihilominus tot Missae celebrentur, quot constituta fuerint ab offerentibus stipendia. 4. Juxta *Declarat. S. Congreg.* cit. respons. ad 8. potest Beneficiarius, cui liberum est Missam per alium celebrare, alteri congruam eleemosynam tribuere (nisi in fundatione aliter cautum sit) et beneficii fructus sibi retinere. *Ratio* est, quia talis beneficiatus non accipit stipendium Missae singulare vel manuale, sed totam massam redditum, ut intentam a fundatore sustentationem; ergo fit dominus reddituum cum obligatione fundatas Missas legendi per se, vel per alium.

435. *Q.* V. An et quomodo peccaverit Hermannus, offerendo unicum Sacrum pro iis, a quibus stipendium pro pluribus Sacrificiis acceperat, et quibus promiserat plura Sacra. R. *ad primum:* peccavit graviter contra justitiam, ut patet ex decreto *Urbani VIII.* hucusque cit. ubi ita habetur: *Sacra Congregatio sub obtestatione Divini Judicii mandat ac praecipit, ut absolute tot Missae celebrentur, quot ad rationem attributae eleemosynae praescriptae fuerint, ita ut alioquin ii ad quos pertinet, suae obligationi non satisfaciant, quin imo graviter peccent et ad restitutionem teneantur:* atqui nullus tenetur ad restitutionem, nisi contra justitiam peccet: ergo. R. *etiam ad secundum*; ratione promissionis peccavit contra fidelitatem; quia omnis promissio spontanea ab altero acceptata de re licita et possibili obligat in conscientia promittentem. Eodem modo peccat contra fidelitatem, imo simul contra religionem, si quis promittat promissione juramento firmata alicui danti stipendium, quod sacrificium pro ipso tantum sit oblaturus, et illud idem pro alio offerat. Vide propos. 10. ab *Alex. VII.* damnatam. Dixi, *simul contra religionem*: virtus enim religionis exigit, ut vota et juramenta impleantur: ergo qui promissionem juramento firmatam non implet, peccat simul contra religionem: praeterea si tempore promissionis juratae animum implendi non habuerit, fuit etiam perjurus. *Duarte* l. c. n. 420.

436. *Si dicas*: Hermannus in unico Sacro plures tamen hostias consecravit, et pluribus applicavit; ergo videtur satisfecisse. R. N. cons. quia in uno eodemque Sacro licet plures simul consecrentur hostiae, unica tamen consecratione, et per modum unius consecrantur: ergo nonnisi unicum fit sacrificium: atqui ex dictis non licet pluribus acceptis stipendiis per unam Missam satisfacere: ergo.

437. *Porro resolves* I. Qui unum tantum Sacrum offert pro Petro, cui liberaliter et jurato promiserat duo, peccat tantum venialiter; quia damnum illud spirituale, quod patitur Petrus, est leve: gravitas enim vel levitas in tali casu desumitur a facilitate habendi ejusmodi bonum spirituale; atqui Sacrum, quo privatur Petrus facile potest haberi erogando julium, capitellum, vel medium florenum, et levis res censetur, si promissum capitellum negetur; ergo. Ita *Viva* hic n. 5. cum *Sanch.* Nec ex eo grave peccatum est, quod jurato promiserit: probabilis enim est sententia, quod juramentum promissorium in materia levi non obliget graviter, dummodo tempore promissionis adfuerit animus implendi promissionem. Aliud foret, si quis ex voto debeat legere Sacrum; in hoc enim casu gravitas desumitur ex cultu, qui Deo exhibetur per Sacrum: ergo cum talis cultus sit materia gravis etiam omissio Sacri ex voto debiti est grave peccatum. *Viva* l. c. cum *Tambur.* Juxta eosdem omittens Sacrum unum debitum ex justitia peccat graviter, quia alter graviter et quidem rationabiliter est invitus quod Sacro privetur, quo indiget in gravi necessitate. Omissio tamen restitutionis stipendii accepti v. g. capitelli propter omissam Missam debitam ex justitia, regulariter censetur esse peccatum veniale ex parvitate materiae.

438. *Quaeres*: An etiam detur obligatio gravis restituendi ex omissione Missarum sponte ac mere liberaliter promissarum. R. Qui cum *Cajetano* et *Sa* docent fidelitatem per se nunquam obligare graviter, eo quod nullus liberaliter promittens se graviter obligare velit ad promissum servandum, consequenter docent nullam dari obligationem gravem restituendi ex omissione Missarum mere liberaliter promissarum. Communior tamen sententia est (ut ait *Duarte* l. c. num. 422.) quod ad obligationem gravem restituendi ex dicta omissione requiratur quantitas quadruplo major, ita ut si in materia justitiae quantitas gravis obligans ad restitutionem essent v. g. tres Missae, in materia fidelitatis requirantur duodecim.

439. II. De obligatione Parochorum applicandi Missas pro parochianis suis *Trid.* sess. 23. C. 1. de Reform. ait: *Cum praecepto divino mandatum sit omnibus, quibus cura animarum commissa est, oves suas agnoscere et pro his sacrificium offerre:* ergo Parochi officio suo non satisfaciunt, si illis diebus quibus subditi tenentur audire Missam, legant quidem Missam, eam tamen pro accepto stipendio alteri applicent. Tridentinum enim non ait Curatos teneri *coram illis* sed *pro illis* sacrificium offerre, hoc est applicare, et quidem non tantum fructum generalem, quia hic debetur a quolibet Sacerdote etiam non Curato toti Ecclesiae: ergo. *Confirmatur* haec sententia (quam *Reiffenst.* in L. 3. Decr. t. 41. n. 22. ob repetitas declarationes Cardinalium vocat plane certam contra *Laym.* et alios) *a Bened. XIV.* in Commentario de Sacrif. Missae Sect. 2. §. 56. ubi de hac applicatione diserte ait: *In qua quaestione S. Congregationis semper ea fuit sententia, eum, qui curam animarum habet, teneri Missam applicare populo omnibus Dominicis, et Festis diebus ex praecepto, sive Parochus saecularis sit sive Regularis, sive amovibilis sive non (nam et qui amovibilis est, animarum curam habet), sive congruam habeat sive non, illudque dumtaxat S. Congregatio concedit Parocho, si pauper sit, ut etiam die festo applicare possit Missam ei, qui sibi eleemosynam dederit, dummodo celebret in Parochia, ne populus Missa careat, et alio die per hebdomadam Missam celebret et populo applicet loco ejus, quam applicare debuerat Festo illo die, cum eleemosynam accepit.* Idem Pontifex in litteris Apostolicis: *Cum inter*, T. I. Bull. ejusd. pag. 366. ad cunctos locorum Ordinarios per Italiam constitutos, datis Romae 19. Aug. 1744. contrarias applicationes verborum Tridentini vocat *inanes et frivolas interpretationes.* In eod. Comment. cit. ad quaestionem, an ii Curati, qui pingues habent redditus, teneantur singulis diebus Missam applicare pro parochianis, respondet: *Censemus declarare, Nobis abunde satisfactum fo-*

re ... dum ii, qui animarum curam exercent, sacrificium Missae pro populo celebrent atque applicent in Dominicis, aliisque per annum diebus festis de praecepto. Ibid. §. 68. resolvit, *eum qui habet onus Missae quotidianae, teneri unam dumtaxat applicare in festo Nativitatis Jesu Christi, nisi forte institutor disserte jusserit tres Missas sibi eo die applicari.*

440. III. Si permittant rubricae, sub veniali legenda est talis Missa, qualis petitur, v. g. *de Requiem:* quia ob orationes speciales plus prodest defunctis. Si per rubricas non sit licitum legere talem Missam, qualis petitur, legenda est a rubricis praescripta, per quam obtinetur omnis indulgentia, quae obtinetur per Missam *de Requiem* in altari privilegiato, ut declaravit *Alex. VII.* 5. Aug. 1662. et *Clem. IX.* 23. Sept. 1669. Dixi *sub veniali*; quia alias non implet quoad modum intentionem petentis, cum tamen supponatur posse sic implere: quia tamen satisfacit quoad substantiam aliam legendo, quae tamen substantialiter eadem est, hinc graviter non peccat.

441. IV. Si quis accipiat stipendium, ut celebret in certo loco (v. g. ad statuam miraculosam, vel in sacello, ut populus habeat Missam) vel certo tempore, v. g. die sabbati ad honorem B. V. M., ita ut locus et tempus per se intendantur, non potest retineri stipendium, nisi Missa legatur tempore et loco praescripto, quia dans stipendium alias censetur esse graviter invitus, nec velle aliter a se abdicare dominium. *Jansen.* P. 2. cas. 93. n. 23. Secus, si tempus et locus primario et per se non intendantur. Ibid. n. 29. cum *Pign.* t. 9. Cons. 80. ait: Si plures Missae celebrentur in altari, ubi est Corpus alicujus Sancti, ita ut Missae ibidem constitutae difficulter legi possint, licet eas legere in ara vicina; quia idem est fructus Sacrificii et cultus Sancti, qui est finis fundationis, nec fit mutatio fundationis aut intentionis, sed interpretatio; imo eleemosyna sub tacita conditione acceptari censetur, si Missae in loco petito commode legi possint.

442. V. Qui ex Beneficio obligatus est ad quotidie, vel saepius per hebdomadam celebrandum, impeditur autem morbo vel alia de causa non voluntaria, non tenetur per alium officio satisfacere, vel Missas neglectas postea compensare, si impedimentum brevi, v. g. una, alterave hebdomada, aut uno mense, ut putat *Lugo*, duraret. *Ratio* est prudenter praesumpta fundatorum voluntas, eo quod domini temporales ob brevem infirmitatem non soleant quidquam detrahere de mercede famulorum. Secus, si diutius duraret impedimentum. *Laym.* L. 5. T. 5. C. 3. n. 7., ubi tamen pro regula addit: *Arbitror imprimis spectandam esse cujusque Ecclesiae constitutionem vel consuetudinem: nam explicare modum ac rationem satisfaciendi fundatorum voluntati, ad Praelatum Ecclesiae pertinet.*

Casus III. De abruptione et interruptione Missae.

Henricus celebrans, dum canit praefationem, advertit tumultum populi: mox sacristanus accurrit, monetque Henricum, quod Cain miles Abelem studiosum in templo lethaliter vulnerarit. Henricus nihilominus pergit in sacrificio: post consecrationem denuo monetur ut absolvat vulneratum, quem e templo in vicinam domum deportarant.

443. *Q.* I. An liceat abrumpere Missam jam inchoatam, et an Henricus debuerit abrumpere Missam, quando sub praefatione audivit lethaliter in templo, in quo ipse celebrabat, Abelem esse vulneratum.

Ante R. *Adverte.* Missa dicitur abrumpi, quando celebrans plane cessat ab inchoata jam Missa: interrumpi vero dicitur, quando interponit aliam actionem ad Missam non pertinentem, et postea complet Missam inchoatam. Jam

R. Ad *primum.* Abrumpere Missam coeptam *sine causa* est peccatum mortale, quia est gravis irreverentia. *Prob.* ex c. *nullus* 57. de Consecrat. dist. 1. Causae abrumpendi licite sunt 1. *Si Ecclesia violetur ante Canonem* (pol-

luitur autem Ecclesia 5. modis juxta dicta P. 1. n. 468.) *dimittatur* h. e. *abrumpatur Missa: si post Canonem non dimittatur. 2. Si timeatur incursus hostium, vel alluvionis, vel ruina loci ubi celebratur, ante consecrationem dimittatur Missa, post consecrationem vero Sacerdos accelerare poterit sumptionem Sacramenti, omissis omnibus aliis.* Ita *Missale* de defect. circa Miss. occur. §. 8. n. 2. 3. Ibid. n. 3. *Si Sacerdos ante consecrationem graviter infirmetur, vel in syncopem inciderit aut moriatur, praetermittitur Missa: si post consecrationem Corporis tantum, ante consecrationem Sanguinis, vel utroque consecrato id accidit, Missa per alium Sacerdotem expleatur ab eo loco ubi ille desiit, et in casu necessitatis etiam per non jejunum.* Plura ibid. 4. Affirmat quidem *Laym.* l. c. C. 7. n. 2. cum *Azor.*, *Henriq.* et aliis, si Episcopus, Dux, vel processio populi adveniat, quos integram Missam audire deceat, fas esse hoc casu (ex supposito, quod non adsit alius Sacerdos celebraturus) Missam a capite inchoare, si oblatio nondum facta fuerit. *Illsung.* tamen cum aliis hic n. 108. dicit expedire ut nihil repetatur; eo quod ipsa inconvenientia repetitionis satis excuset ab auditione partis ante offertorium; post offertorium enim absque dubio praestat pergere. 5. Si excommunicatus non toleratus Missae interesse praesumat et expelli nequeat, dummodo Missae canon necdum coeptus sit. *Laym.* l. c. Praeterea vide dicta supra num. 346.

Ex his patet. R. ad *secundum*, quod Henricus percepta publica violatione templi debuerit abrumpere Missam.

444. *Q.* II. An et quando liceat interrumpere Missam. R. Licet in sequentibus casibus: 1. quidem ex nota praxi licet interponere Ordinationem, et concionem; et haec interruptio fit ante offertorium. 2. Licet interrumpere etiam post consecrationem ad dandam moribundo absolutionem etiam extra Ecclesiam, de quo casu citat *Laym. Zambranum* ita disserentem: *Potest Sacerdos Missam inchoatam etiam post consecrationem relinquere, servante* h. e. *custodiente interim aliquo sacram Eucharistiam* (vel ut ait *Jansen.* P. 2. cas. 94. n. 7. interim sacrae species sunt reponendae intra Sacrarium) *et secum deferat aliquam hostiam consecratam et Extremam Unctionem ad infirmum, et audita ejus confessione, et data Eucharistia et Extrema Unctione ... revertatur ad perficiendum Sacramentum.* Addit *La Croix* L. 6. P. 2. n. 248.: Ante consecrationem potest tantisper relinqui Missa, ut ministretur Viaticum vel Extrema Unctio, quamvis moribundus receperit alia Sacramenta, puta, si jam sit absolutus a peccatis: idem fieri potest post consecrationem, si moribundus sit in templo, aut si sit in vicinia, saltem si Sacerdos adhuc indutus paramentis eo accedat. Similiter ait *Zambranus, et Henriq.* quod sacrificantem ab altari recedere oporteat ad infantem morti vicinum baptizandum in Ecclesia. Dixi, *ante consecrationem*: juxta *Laym.* enim l. c. si Sacramentum infirmo ab Ecclesia remotiore ministrandum non sit tantae necessitatis, v. g. si Eucharistia per modum Viatici ministranda sit ei, qui jam ante confessus fuerat, tunc non decet sacrificium post canonem coeptum exutis sacris vestibus derelinquere, secus si non sit confessus, ut dictum est; quia necessitas in tali casu excusat ab omni irreverentia. Ex his patet, quod Henricus post consecrationem ad moribundum absolvendum potuerit ac debuerit interrumpere sacrificium.

445. Pro resolvendis casibus de loco sacrificii (praeter casus n. 403. exceptos) causae ob quas celebrare licet in loco non sacro super altare tamen portatile sunt sequentes. 1. *Necessitas*, v. g. si Ecclesia sit diruta vel combusta, ut patet ex c. *concedimus* 30. Consecrat. Dist. 1. ... 2. Item si in solemni festo templum non capiat populum, potest erigi altare ante templum. *Schmalzgrueb* L. 3. tit. 40. n. 8. Si tamen hoc praevideat Parochus, tenetur, si possit, petere ab Ordinario facultatem celebrandi extra Ecclesiam; quia haec facultas non censetur data nisi pro casu improviso.

446. *Q.* I. An liceat hoc tempore passim celebrare in mari sine Apostolico indulto juxta n. 403. Respondet *Bened. XIV.* Sect. 2. de Sacrif. Miss. §. 51, Apostolico opus esse privilegio, neque satis esse privilegium altaris mobilis, quo continetur clausula *in loco honesto ac tuto*, quae mari non convenit, adeoque peculiare privilegium oportere impetrari a Pontifice; addit ibid. per Sedis Apostolicae, quae nunc invaluit, praxim sublatam esse disputationem. Porro ait privilegium non dari nisi sub his conditionibus: 1. ut tutum sit navigium ac longe absit a littore, tranquillumque sit mare. 2. ut celebranti adsit etiam alter vel Sacerdos vel Diaconus, qui, si quis cooriretur motus quo periculum esset ne calix everteretur, possit manu tenere calicem.

447. *Q.* II. An vi decreti Clementis XI., *Nonnulli Episcopi* (quo statuitur quod nec ipsis Episcopis liceat extra domum propriae habitationis, in domibus laicis, etiam in propria Dioecesi, erigere altare, ibique Missam celebrare sive celebrari facere) nequidem Episcopus dispensare possit, ut legatur Sacrum in privatis aedibus in altari portatili pro solatio infirmi. R. Probabiliter id potest Episcopus, tum quia decretum non loquitur de casu necessitatis aut infirmitatis, tum quia post emanatum decretum ita habet consuetudo et praxis in nostris partibus. *Jansen.* P. 2. cas. 94. n. 9.

448. *Q.* III. An sit discrimen inter pollutionem et execrationem Ecclesiae. R. cum *Tournely* in Praelect. Theol. Tom. 2. de Euch. t. 14. *Affirmative*: nam polluta Ecclesia etiam polluuntur altaria ibi existentia, neque potest pollui altare, quin polluatur Ecclesia, in qua altare pollutum existit: at vero execrationem Ecclesiae, combustis aut destructis ejus parietibus, non sequitur execratio altarium, quae illaesa manent, sicut nec altari per fractionem execrato Ecclesia execratur. De violatione templi vide P. I. n. 468. et seq.

449. *Q.* IV. Quandonam altare censeatur suam consecrationem amittere. R. Altare tum fixum tum portatile amittit suam consecrationem per enormem seu notabilem fractionem, qualis censetur, cum in nulla parte altaris confracti calix cum hostia secure ac decenter judicio viri prudentis reponi possit, ut explicat *Tourn.* l. c. Altare fixum etiam amittit suam consecrationem, si a loco suo sine sua basi fuerit semotum. *Confirm.* utrumque in c. *quod in dubiis* 3. L. 3. Decret. tit. 40. de consecr. Eccles. Vestes sacrae censentur execratae, si ita fuerint dilaceratae, ut ad usum ad quem primo ordinatae fuerant ineptae reddantur, non vero si attritae reficiantur, vel nova pars assuatur. Partes avulsas a re consecrata non licet adhibere ad privatos laicorum usus. Calix execratur per confractionem, imo si foramen exiguum in fundo cuppae acceperit. Solet calix post novam inaurationem passim denuo consecrari, vel saltem ablui aqua benedicta.

450. *Q.* V. Quid faciendum ut in Ecclesia violata iterum liceat celebrare. R. Cum in Ecclesia execrata sive polluta sacrificare, sepelire et verbum divinum facere, ob gravem prohibitionem Ecclesiae, grave sit peccatum, prius reconcilianda est illa juxta formam in Rituali praescriptam, et quidem, si fuerit consecrata, ab Episcopo reconciliari debet, sicut de jure solius Episcopi est consecrare Ecclesias. Vide c. *proposuisti* 4. L. 3. Decret. tit. 40. ubi de violata Ecclesia dicitur: *Manente Ecclesia et altari, ipsa reconciliari poterit per aquam cum vino et cinere benedictam.* Ibid. c. *aqua* 9. prohibetur, ne fiat talis reconciliatio per simplices Sacerdotes. Affirmat tamen *Jansen.* l. c. n. 15. quod Abbates, et Superiores Regulares, etsi non possint consecrare, possint tamen vi privilegii a *Leone X.* Fratribus Minoribus concessi *solemni benedictione benedicere ejusdem ordinis Ecclesias, coemeteria, capitula et oratoria.* Vi ejusdem privilegii possunt iidem Superiores, etiam aqua per eos benedicta, praesertim in locis remotis, ubi Episcopum aquam benedicentem per duas dietas adire non possunt, Ecclesias pollutas reconciliare (dieta continet viginti milliaria Italica, seu 4. vel 5. Germanica): vide etiam Compend. Privil. Soc. Jesu. V. *Ecclesia* §. 2. Paulus III. in Bulla: *Licet debitum*, con-

cessit Missionariis in locis remotissimis degentibus, ut *calices*, *altaria*, *coemeteria*, (*si Episcopus*, *qui ea faciat*, *Catholicus inibi non adsit*) *benedicere*, *ac profanatas Ecclesias reconciliare possint*. Benedictio Ecclesiae differt a consecratione per hoc, quod non fiat per inunctionem chrismatis, sicut consecratio, sed per aspersionem aquae lustralis et certas preces. Benedictionem Ecclesiae, coemeterii, paramentorum delegare potest Episcopus etiam simplici Sacerdoti, non vero consecrationem, quia est actus ordinis Episcopalis, unde solus Summus Pontifex simplici Sacerdoti eam facultatem potest concedere. Denique si polluitur Ecclesia, quae prius non fuit solemniter consecrata, sed solum benedicta, vel auctoritate Episcopi ad cultum divinum non per consecrationem deputata, tunc potest a quovis Sacerdote per aspersionem solius aquae lustralis ordinariae reconciliari (addit *Jansen.* ex *Laurenio*) etiam non petita ab Episcopo licentia, puta, si facile adiri non possit. Vide c. fin. L. 3. Decr. tit. 40. de consecr.

451. *Q.* VI. An post *Trid.* et *Decret. Clem. VIII.* Regularibus adhuc liceat vi suorum privilegiorum erigere privata oratoria et capellas domesticas in monasteriis ac cellis infirmorum, in villis ubi Religiosi resident. R. *Affirmative*; quia Tridentinum solum loquitur de domibus privatis seu locis profanis, quo nomine non comprenendi solent domus Religiosorum. Tale privilegium etiam post Trid. concessit Societati Jesu *Gregor. XIII.* in Bulla: *Decet Romanum Pontificem*, ab anno 1575.; vide *Lezana*, *Azor.* *Reiffenst.* L. 3. tit. 41. num. 19. ibid. n. 12. addit, quod in dictis oratoriis, et capellis Monasteriorum aut Collegiorum privatis, si a Superioribus benedicantur et ad cultum divinum dumtaxat deputentur, possint etiam alii Sacerdotes saeculares legere, laici audire Missam atque satisfacere praecepto Ecclesiae, non item in cella privata alicujus Religiosi, eoquod oratoria, non vero cellae privatae censeantur esse loca sacra, hoc ipso quod oratoria non cellae a Superiore sint benedictae.

452. De rubricis breviter cum *Busemb.* nosse hic sufficiat: si quis violet rubricam, quae spectat ad essentiam vel quasi essentiam Missae, vel si nullam plane servet, peccat mortaliter, v. g. si quis omittat oblationem hostiae vel calicis, vel infusionem modicae aquae. Nihilominus circa omissionem etiam intra canonem etiam levitatem materiae excusantem a gravi peccato defendunt graves AA. cum *Escobar*, v. g. si quis omittat *Gloria*, *Credo*, vel in Canone nomen alicujus Sancti, vel ea, quae in festis praecipuis interponuntur inter *Communicantes*, vel infra actionem etc. Non licet regulariter aliquid in Missa interponere contra ritum praescriptum, ita ut si quid notabile interponatur, peccetur mortaliter: leve tamen aliquid ex devotione secreto orare, non censet esse mortale *Tamb.*, *Bonac.*, et *Busemb.* Plura de rubrica, ritibus, caeremoniis, ordine et modo legendi Missas passim invenies apud *Gavant.*, *Lohnerum*, praesertim in egregio opere *Bened. XIV.* de Sacrif. Missae, ubi etiam sect. 2. §. 48. vide quid sentiendum sit de *Missa sicca* sive nautica, quae fit sine Canone, consecratione et sumptione. Praestat legere resolutiones ejusdem *Bened. XIV.* de Sacrificio Missae ex Sect. III. De Sacrif. Missae.

Casus IV. De scrupuloso Sacerdote.

Hugo Sacerdos scrupulosus mox sub Sacro diu haeret cum variis nutibus capitis, *gesticulationibus etc. iterum*, *iterumque formans intentionem*: Volo celebrare Missam: non volo, volas, volare, sed volo, vis, velle. *Mox sub consecratione bis*, *terque verba repetit*, *quae putat non sufficienter fuisse prolata: subinde ob unam alteramve orationem*, *ut putat*, *omissam diu immotus haeret*, *nescius an ultra debeat pergere.*

453. *Q.* I. Quid primario servandum sit a Sacerdote scrupuloso circa celebrationem Missae. R. cum *La Croix* L. 6. p. 2. n. 190. Saepe perpendat gravissima motiva deponendi scrupulos in sacrificio; 1. quod propter scrupulos nec

devotius, nec attentius legat Missam, sed impediat magis tum devotionem, tum attentionem: 2. quod vel haerendo, vel signa scrupulorum manifestando inhonoret hanc divinissimam actionem, quam ponit non tantum nomine, sed in persona Christi: 3. quod pariat apertum scandalum populo, imo etiam ejus devotionem turbet etc. 4. Proponat sibi alios Sacerdotes pios ac doctos, quanta cum auctoritate ac devotione soleant celebrare etc.

454. *Q.* II. Quid observandum sit Ilugoni laboranti circa intentionem. R. Assuescat ante Missam recitare: *Ego volo celebrare Missam etc.* postmodum in Missa non cogitet deliberate de renovanda intentione, et nequidem interne dicat: *Ego volo celebrare*, sed certus sit, hoc ipso quod timeat ne non habeat sufficientem intentionem, se habere sufficientissimam, ut ait *Suar.* et *Gobat.* t. 3. n. 787. Non nitatur proprio judicio, sed communi sententiae doctorum ac piorum virorum, *Pasqual.*, *Go'at*, *Bosco* et plurimorum, scil. vix possibile esse, ut Sacerdoti ratione utenti, et alicujus conscientiae desit sufficiens intentio saltem virtualis, directa et exercita. Vide dicta n. 60. Credat viris doctis *Henriq.*, *Regin.*, *Tambur.*, quod intentio non revocetur per distractiones breves, multo minus per involuntarias anxietates etc. Vide supra n. 28.

455. *Q.* III. Quid observandum Ilugoni anxio de verbis consecrationis perperam prolatis. R. 1. Certus sit, quod *nimia* sollicitudo recte proferendi formam, causa sit non proferendi recte. 2. Ideo assuescat verba consecrationis non altius dicere, quam reliqua, quae secrete dicuntur. 3. Si forte ob cantum, vel orationem populi, vel turbationem, se non audierit verba proferentem, non repetat quidquam; hoc ipso enim quod moverit linguam et organa vocis, ut alias solet movere homo secrete loquens, imprudenter timet ne nunc non satis expresserit verba, imo si Sacerdos se ipsum deberet audire, saepe altius sonantibus organis, instrumentis ac vocibus musicorum ad invidiam musicorum deberet clamare. 4. Assuescat verba pronunciare immote et continuate, absque ullo nutu capitis, sine timore, sine vi halando super hostiam vel in calicem: haec enim irreverentiam sapiunt in ipso etiam colloquio cum hominibus. 5. Meminerit ex dictis num. 24. 25. 26. 31. 35. 36. etc. quod mutilatio raro invalidet Sacramentum.

456. *Q.* IV. Quid sit agendum Ilugoni anxio de defectibus in Missa commissis. R. Servet regulam *P. Gobat* in Esper. t. 3. n. 777. quod defectus, qui non sunt circa substantiam Missae, non sint supplendi, adeoque si commisso defectu jam longe progressus sit, nihil supplendo audacter pergat, etiamsi actio vel oratio timeatur omissa in canone, tum quia suppletio vix fieret sine nota, tum quia inverteretur ordo Missae. Ita *La Croix* l. c. num. 531. cum s. Th. ubi addit: Si omisisti *Gloria* vel *Credo*, et aliquantulum es progressus, non est repetendum. Plura vide ibidem. Denique in omnibus animose sequatur monita Confessarii.

ARTICULUS III. *De obligatione audiendi Missam.*

§. I. *Principia practica de auditione Missae.*

457. *Principium I. Omnes fideles usum rationis habentes tenentur singulis diebus dominicis ac festis audire Missam, et quidem integram.* De hoc praecepto c. *Missas* 64. de consecrat. Dist. 1. desumpto ex C. Agathensi ab anno 506. ita habetur: *Missas die dominico saecularibus audire speciali ordine* (alii legunt ordinatione) *praecipimus; ita ut ante benedictionem Sacerdotis egredi populus non praesumat; qui, si fecerint, ab Episcopo publice confundantur. Tournely* l. c. de Euch. Art. 15. ait, fideles non tantum ex praecepto ecclesiastico teneri Sacrificio Missae interesse, sed etiam ex jure naturali et divino; hoc sensu, *jure naturali*: quia dictante natura Sacrificium Deo debemus tanquam supremo domino rerum omnium et summo be-

nefactori nostro: inde est quod a mundi primordiis Sacrificium Deo fuerit oblatum. Cum igitur in Religione Christiana post Sacrificium crucis aliud non sit Sacrificium proprie dictum praeter Missae Sacrificium, satis patet quod ipsa dictante natura professentes Religionem Christianam teneantur modo in hac Religione praescripto cum Sacerdote offerre Missae Sacrificium. 2. *Jure divino*, hoc sensu; quia, quod ipsa natura suggerit tanquam necessarium ac debitum Deo obsequium, hoc ipsum etiam imperat jus divinum. Quod Christus hanc legem naturalem offerendi Deo Sacrificium determinaverit ad Sacrificium Missae, satis patet ex eo, quod in Religione Christiana post Sacrificium crucis nullum aliud Sacrificium stricte ac proprie dictum reliquerit praeter Sacrificium Missae. Dixi: secundo *tenentur* scil. sub gravi obligatione; quia praeceptum est de re gravi, et communis fidelium consensus eam gravitatem fatetur. Dixi tertio: *integram missam*, ut patet ex c. cit. Ideoque peccat mortaliter, qui omittit partem notabilem; venialiter vero, qui exiguam et non notabilem omittit.

458. *Princip. II. Ad satisfaciendum huic praecepto non sufficit praesentia mere materialis sive corporalis et physica, qua quis adsit ut brutum vel res inanimata, sed requiritur etiam moralis sive humana et religiosa, qua quis adsit ut homo praeditus ratione cum attentione ad mysterium et intentione colendi Deum. Ratio* est: quia hoc ipso quod Ecclesia declaret, audiendo Sacrum sanctificandos esse dies dominicos, ac festos, nonnisi piam ac devotam praesentiam intendit: ergo. Praeterea cultus divinus, quem Ecclesia hic praescribit, ex se plus exigit, quam solam praesentiam materialem. *Confirm.* ex communi sensu fidelium et doctorum consensu. Porro *attentio* ad moralem praesentiam requisita alia est *interna*, qua quis actu advertit et animum applicat ad ea, quae in altari a Sacerdote peraguntur, sive ad mysteria, quae per actiones significantur: alia *externa*, quae in hoc consistit, quod praesens Sacro non ponat actionem externam cum attentione interna incompossibilem. Sufficere attentionem externam defendunt *Tamb.*, *Less.*, *Laym.*, *Lugo* D. 22. sect. 2. n. 27., *Dicast.* D. 8. n. 100., ita ut praecepto ecclesiastico satisfiat, modo externae distractiones caveantur, sive tales actiones, quae internam attentionem impediant. Rectius juxta communiorem, ut ait *La Croix* L. 3. p. 1. n. 650. requiritur attentio interna saltem talis, ut quis dici possit religiose assistere sub externa specie colentis Deum, ita ut si quaeratur ex tali homine, quid agat, saltem cum veritate possit affirmare, quod vel attendat ad Sacerdotem, vel mentem habeat elevatam ad Deum, quamvis subinde distractionem patiatur. *Ratio* est: quia illa attentio externa, qua quis solo corpore assistit Sacro, mente autem et quidem voluntarie ad omnia objecta aliena evagatur, nullo modo videtur posse dici attentio externa directa ad cultum divinum. Accedit, quod exclusio omnis attentionis internae valde incongrua videatur sanctitati Religionis Christianae: ergo etiam contraria menti Ecclesiae. Ex iisdem rationibus requiritur intentio colendi Deum, quia Ecclesia per Missam praecipit Dei cultum. Sufficit autem saltem intentio implicita; explicitam habet, qui intendit audire Sacrum, vel qui vult satisfacere praecepto ecclesiastico de audienda Missa. Implicitam vero 1. qui adit templum volens facere officium Christiani. 2. Qui solet interesse Missae tanquam rei sacrae sive ad cultum divinum pertinenti. 3. Qui non habet intentionem contrariam praesumitur habere sufficientem implicitam. Vide *La Croix* l. c. n. 635. cum *Suar.*

459. *Princip.* III. Ab auditione Missae excusat. I. *impotentia* non tantum physica, sed etiam moralis. Hoc titulo excusantur 1. incarcerati: 2. aegroti: 3. reconvalescentes, praesertim ex consilio prudentis Medici vel Confessarii, dum exitus prudenter timetur esse nociturus: 4. timentes notabile damnum sive in honore, sive in bonis fortunae; 5. distantes a templo uno milliari, vel secundum alios, una hora, habita tamen ratione personae et aurae: 6. custodes

domus, ubi unica tantum legitur Missa: 7. commorantes inter haereticos, quamdiu justam ibi commorandi causam habent. Vid. P. I. a n. 255.

460. II. Excusat *charitas*. Sic excusatur assistens aegroto, qui alias destitutus esset auxilio: item qui aliter impedire nequit grave malum sive damnum proximi corporale sive spirituale. Vide P. I. n. 688. 690. 691.

461. III. Excusat *officium* 1. Milites in custodiis. 2. Pastores gregum. 3. Laborantes in fusoriis, quando labor ante diem festum interrumpi nequit. 4. Matres assistentes infantibus etc.

462. IV. Excusat *consuetudo*. Sic excusantur mulieres post partum consueto tempore se domi continentes.

§. II. *Resolvuntur Casus*

Casus I.

Juliana nimis delicate educans proles suas nonnisi aura optime favente permittit, ut filiae 8. 9. *et* 10. *annorum diebus dominicis intersint Sacro; cum tamen iisdem facile permittat, etiam aura non favente, visitationem domorum longe distantium: filium vero licet surdum, mutum et coecum ad Sacrum quaecumque demum aura sit jubet duci; Scrupulus mihi, inquit mater, oriretur, nisi filius satisfaceret Ecclesiae praecepto.*

463. *Q.* I. An filiae matris Julianae ratione aetatis jam fuerint obligatae ad audiendam Missam. R. *Affirmative:* quia post septimum aetatis annum regulariter censentur sufficientem habere rationis usum ad satisfaciendum praecepto audiendi Missam; praesertim cum Julianae filiae in casu ponantur satis promptae et alacres ad frequentes visitationes.

464. *Q.* II. *Qua igitur aetate, quo anno parvuli incipiunt obligari hoc praecepto?* Respondet *Laym.* in genere: quando ad eum rationis usum pervenerunt, ut bonum a malo sufficienter discernere, Deum orationibus et votis colere, atque etiam mortaliter peccare possint. Alii cum *Bonac.* de Euch. q. ult. n. 8. *Azor., Toleto, Suar., Sanch.* L. 1. Mor. c. 12., *Tannero* statuunt, pueros et puellas obligari expleto septennio, quia tunc communiter praesumuntur habere sufficientem rationem; quod affirmavi P. I. n. 208. *Gobat* tamen T. 5. n. 313. plus temporis pro maturitate sufficiente in pueris rusticorum concedit.

465. *Q.* III. An filius Julianae surdus, coecus, mutus fuerit obligatus ad audiendam Missam. R. *Negative:* quia talis nec scire potest, quid sit Missa, consequenter nec habere sufficientem intentionem, nec attentionem. Si quis tamen esset tantum coecus, vel tantum mutus aut surdus, teneretur audire Missam, quia adhuc potest sufficienter instrui, hanc actionem esse Dei cultum, et moraliter potest assistere. Vide *P. Gobat* tr. 5. Theol. Exper. n. 29. Excusantur etiam perpetuo amentes juxta dicta P. I. n. 209.

466. Porro hic resolves I. Sacerdos, qui non celebrat die dominico aut festo, tenetur et ipse audire Sacrum. Si alius celebraturus desit, tenetur ipse celebrare, ut Missam audiat: quia tum tenetur audire et legendo audit Missam, neque hoc medium est extraordinarium: qui autem tenetur ad finem, tenetur ad media ordinaria. *La Croix* L. 3. p. 1. n. 614. Quid autem, si talis Sacerdos *sit in statu peccati mortalis?* R. Si habeat copiam Confessarii, tenetur prius confiteri. Quid, *si non habeat copiam Confessarii?* Respondet *Gobat* l. c. n. 44. quod debeat omittere Sacrum, quia in tali casu praeceptum audiendi Missam cedit praecepto confitendi; *probet autem se ipsum homo, et sic de pane illo edat.* Quid iterum, *si Confessarius distet spatio mediae horae, an hic Sacerdos deberet ad illum excurrere?* Respondet *Gobat* l. c. n. 44. *affirmative*, ut vel alterius Sacerdotis Sacrum audiat, vel de-

fectu hujus ipse per confessionem se disponat ad legendum Sacrum: quia distantia horae mediae non est causa legitime excusans ab audiendo Sacro.

467. II. Infideles nondum baptizati, quamvis catechumeni, non tenentur hoc praecepto, quia necdum sunt ingressi Ecclesiam per baptismum; ergo nec sunt subditi. *Bonac.* Disp. 4. q. ult. punct. 11. n. 9. Haeretici, quia sunt excommunicati, jubentur emanere, in Germania tamen non peccant adeundo, quia non sunt denuntiati. *La Croix* L. 3. p. 1. n. 613.

468. III. Parentes tenentur mittere liberos suos ad audiendum Sacrum, quando incipiunt obligari hoc praecepto. Consulendum iisdem, ut assuefaciant liberos suos Sacra frequentare, etsi nondum obligentur, modo in iis appareat usus rationis: hoc enim Christianam pietatem decet. In ea autem aetate constituti qua res divinas nullo modo apprehendere, neque in templo quiete decenterque contineri possunt, domi relinquantur, ne alios graviter turbent, et illos ipsos qui eos solent adducere, ab attentione et devotione impediant. *Stoz* L. 1. P. 3. n. 244.

469. IV. Obligatio audiendi Sacrum est affixa diei et cum die festo exspirat: hinc qui die dominico aut festo Sacrum omisit audire, non tenetur postero die defectum supplere. *Dicast.* de Sacrif. Miss.

470. V. Hoc praeceptum tantum se extendit ad dies dominicos et festivos communiter receptos in Ecclesia, et approbatos a Summo Pontifice pro aliqua Dioecesi. Dies autem festus non potest institui a Principe saeculari, neque ab Episcopo sine consensu Cleri et populi, juxta c. *conquestus* ult. de Feriis; potest autem ab Episcopo cum consensu Cleri institui festum unicum proprium Dioecesis, v. g. festum Patroni tutelaris, ad quod servandum etiam tenentur Religiosi exempti. *Trid.* sess. 25. C. 12. de Regul. Potest etiam populus consentiente Episcopo vovere festum, ad quod obligantur etiam posteri, non vi voti quod erat personale, sed ex praecepto Episcopi approbantis et praecipientis tale festum, possetque pro media tantum die institui, in qua mane esset obligatio ad Missam et ad abstinendum a servilibus, non item post meridiem. *La Croix* l. c. n. 619. In die Cinerum, die Commemorationis Fidelium defunctorum, festo s. Marci, feria 5. 6. et sabbato hebdomadis sanctae, item in diebus rogationum non est obligatio audiendi Missam; quia non sunt vere, sed quasi festa. *La Croix* ib. n. 629.

Casus II. De Missa integre audienda, et de praesentia audientis.

Julius liberiori vitae deditus, ut citius ad suos commilitones veniat, diebus dominicis duas partes Missae, imo quatuor simul a diversis celebrantibus audit; festo Nativitatis nonnisi unico Sacro interest; alias audit duas Missas successive, primam a canone usque ad finem, alteram ab initio usque ad canonem. Praeterea diebus festis frequentissime post Evangelium, modo venit ad offertorium, et, ne sero veniens ab aliis explodatur, reliquas Missae partes audit stans extra templum nec videns nec audiens Sacerdotem.

471. *Q.* I. An Julius satisfecerit praecepto audiendo plures partes simul a diversis celebrantibus. R. *Negative:* patet ex propos. 53. ab *Innocentio XI.* damnata. *Ratio* est juxta *Caramuel*, *Kugler*, *et* alios; quia hoc modo facile eluderetur praeceptum Ecclesiae: posset enim uno quasi momento Missa audiri, si plures Sacerdotes simul, v. g. primus Epistolam, secundus Evangelium, tertius oblationem, quartus Consecrationem, alii caeteras Missae partes persolverent. Addit *Viva* in dict. propos. n. 2. non posse dici, quod una Missa moraliter integra audiatur si simul audiantur duae vel plures Missae partes, quia Missa ex natura sua constat ex partibus successivis: ergo si simul audianter plures partes, non auditur una Missa integra, ne moraliter quidem.

472. *Q.* II. An Julius satisfecerit in festo Nativitatis Christi, unam tantum audiendo. Missam. R. *Affirmative*: quia de tribus audiendis non extat praeceptum. *Bonac.* l. c. cum *Navar.*, *S. Antonino* et communi. Suadet tamen singularis fidelium devotio, ut nisi obstet impedimentum, tres audiantur.

473. *Q.* III. An Julius satisfecerit praecepto audiendo duas diversarum Missarum partes successive. R. Probabilius non satisfecit: quia partes diversarum Missarum nullam inter se habent connexionem, nec una cum altera tanquam ad unum Sacrificium constituendum coalescit, sed quaelibet ad suum Sacrificium complendum ordinatur: ergo praecepto Ecclesiae hoc modo non satisfit, utpote quae praecipit unius Sacri auditionem, non duas duorum medietates. Ita *Stoz* l. c. n. 247. cum *Coninc*, *Tam.*, *Fagund.* et aliis. Contra *Bonac.* et *Laym.* qui L. 4. T. 6. C. 3. n. 4. ait, quod talis peccet venialiter eoquod quidem satisfaciat praecepto quoad substantiam, non tamen quoad modum et perfectionem.

474. *Q.* IV. An Julius peccaverit mortaliter quoties venit ad Missam post Evangelium. R. Excusat quidem *Laym.* l. c. n. 3. cum *Nav.* et *Suar.* a peccato mortali illum, qui, dum post Evangelium lectum venit, reliquam Missam audit usque ad Evangelium s. Joannis inclusive: quia licet haec valde notabilis pars sit quoad durationem, non tamen est notabilis quoad partium principalitatem, et per ultimum Evangelium videtur compensari primum neglectum; adeoque juxta hanc sententiam Julius *per se* loquendo non peccavit graviter, sed venialiter. Alii tamen multi apud *Bonac.* l. c. n. 16. affirmant partem jam notabilem esse usque ad Epistolam inclusive. Ex varietate sententiarum pro praxi nemini suadendum est, ut studio negligat hanc primam partem usque ad offertorium, cum certum sit quod saltem peccetur venialiter; consuetudinariis vero dicendum est quod sub gravi peccato teneantur deponere consuetudinem sero veniendi, tum quia sapit contemptum hujus partis quoad durationem saltem valde notabilis, tum quia se exponunt periculo negligendi partem quoad substantiam notabilem. Ideo supra dixi, *per se* loquendo; si enim Julius studio non corrigat sero veniendi consuetudinem a gravi peccato excusandus non est. Denique si talis consuetudo excusaretur, tepiditas plurimis persuaderet praecepto satisfieri, modo quis intersit Missae a tempore consecrationis.

475. Ex his porro resolve 1. Non peccat mortaliter, qui adest ab initio Missae vel saltem ab Epistola, et manet usque ad sumptionem inclusive. 2. Si quis ad afferendum aliquid necessarium ad Missam egrederetur e templo ad locum remotum, qui non communicat cum templo, v. g. ad domum Parochi, et emaneret per notabile tempus, aut negligeret actionem substantialem, v. g. consecrationem utramque, probabilius juxta *La Croix* l. c. n. 645. contra *Leand. et Dicast.* non audiret Missam; quia corporaliter non maneret praesens, nequidem moraliter: hinc si posset, teneretur aliam audire Missam; si autem non posset, excusaretur a peccato propter necessitatem rei adferendae. Si vero iret ad sacristiam aliquid allaturus, aut ad campanile tacturus campanas sub elevatione, censeretur manere moraliter praesens, quia haec loca communicant cum templo, cum sint quasi aliquid templi. Eodem modo loquere de ministrantibus in Sacro solemni, qui modo ex officio recedunt ab altari, modo iterum accedunt: horum enim tota actio ordinatur ad ipsum Sacrificium, nec penitus egrediuntur e templo.

467. Q. V. An satisfaciat huic praecepto, qui audit Sacrum stans extra templum, nec videns, nec audiens Sacerdotem. R. Satisfacit si sit conjunctus aliis, faciatque cum illis unam moraliter multitudinem et se illis conformet, cum illis flectat, surgat, percutiat pectus etc. *Ratio* est, quia non tantum is, qui physice est praesens, sive qui reipsa existit in templo in quo Missa celebratur, sed etiam ille qui moraliter ibi existere censetur ob talem distantiam, quae juxta prudentum aestimationem reputatur pro nulla, vel mo-

dica, satisfacit praecepto; quia talis adhuc moraliter est in loco ubi Missa offertur, potestque dici unus eorum, qui circumstant et cum Sacerdote offerunt Sacrificium. *La Croix* L. 3. p. 1. n. 639. Ibid. n. 643. resolvit quod non satisfiat praecepto, si habitans e regione templi e fenestra domus suae videat altare et Sacerdotem celebrantem; quia si excommunicatus hoc modo audiret Sacrum e domo vicina, non ideo peccaret, neque Sacerdos ideo teneretur desistere a Missa: ergo recte colligitur quod ex communi judicio talis non censeatur moraliter praesens. *Gobat* quidem in Exper. t. 5. n. 171. et seq. contrarium affirmat, modo interjecta platea non sit nimis lata, *et quid est aliud*, ait, *audire Sacrum devote, quam spectare devote sacrificantem?* Ex hac autem ratione etiam posset dici audire Sacrum, qui longissime distans a templo per tubum opticum devote spectaret sacrificantem. Vide *Diana* P. 4. t. 4. resol. 154., *Laur.* de Portel, *Filliucium* Tom. 1. t. 5. C. 7. n. 209. qui nobiscum tenent contra *Gobat*, et alios.

477. De attentione adde sequentia I. Attentio interna est triplex. 1. Alia ad verba et actiones Sacerdotis: haec ex fine bono et objecto bona est. 2. Alia ad sensum et mysteria, quae per verba et actiones significantur: haec melior, quia conjunctam habet majorem devotionem et congruit institutioni hujus Sacrificii. 3. Alia ad Deum per preces et meditationes adorandum, laudandum et colendum: haec communior est. Quaelibet ex his sufficit ad satisfaciendum praecepto audiendi Missam: quia per quamlibet sufficienter applicatur animus ad cultum divinum per Sacrificium intentum; nec a rudibus perfectissima aut perfectior applicatio potest requiri. Hinc frustra sibi timet, qui attente orans actualiter non attendit ad offertorium, consecrationem aut sumptionem, nec obstant breves et involuntariae distractiones, quominus quis praecepto satisfecerit, tum quia per has praecedens intentio et attentio non retractatur, sed manet virtualiter, tum quia non est in nostra potestate evitare omnes involuntarias distractiones. *S. Ambros.* L. de fuga saec. C. 1.

478. II. Qui scribunt, vel pingunt, vel attente legunt librum profanum aut novellas per notabilem partem Missae, non audiunt Missam, quia hae actiones ex se ita occupant animum, ut cum illis attentio interna ad res sacras non sit compossibilis. Multo minus audiunt Missam, qui per notabilem partem vel per totum Sacrum dormiunt, vel confabulantur, aut talia agunt, ut nequeant (moraliter loquendo) attendere ad cultum divinum: quia hi omnes carent attentione externa et interna. *Illsung.* t. 5. n. 158., *Pasqual.*, *Gobat.* Si tamen ista fiant interruptim, ita ut non tollant penitus attentionem internam ad Sacrificium, quamvis illam minuant, peccatur tantum venialiter, secluso graviore scandalo. Vide *Suarez* hic Disp. 88. Sect. 3. enucleate de his disserentem.

479. III. Musici audiunt Sacrum, dummodo praemissa intentione subinde attendant ad id quod in ara geritur: nam cantus vel lusus eorum directe refertur ad Dei cultum, nec per se tollit sufficientem advertentiam. Vide *Less.* in Auct. V. *Missa* cas. 3.

480. IV. Qui sub Missa se praeparat ad confessionem, vel persolvit poenitentiam injunctam, sufficienter audit Missam, quia sufficienter una cum his piis actionibus potest attendere. An satisfaciat is, qui sub Missa per longum tempus confitetur, variant AA. *Regin.*, *Castropal.*, *Less.*, *Gobat.*, *n.* 259. contra *Bonac.*, *Tambur.*, *Dicast.* et alios: affirmant absolute quod talis confitens satisfaciat, quia ex supposito habet intentionem audiendi: adest corpore, quia confitetur in templo: assistit moraliter, quia praesens est humano et religioso modo: sufficienter potest attendere, et licet forte actu non attendat, actione tamen pia occupatur et censetur cum sacrificante et circumstantibus Deo cultum exhibere. Haec sententia favet illis, quibus non licet per negotia pluribus Sacris interesse. Hinc in praxi suadet *La Croix* l. c. n. 655. ut, si confessio praevideatur longior, potius fiat extra Missam, vel si possit

fieri, alia Missa audiatur, vel si, nonnisi sub Sacro quis possit confiteri, saltem sub offertorio, consecratione, et communione conetur aliquam attentionem habere ad Missam.

481. De loco, ubi Missa audienda, observat *Suarez* hic D. 88. sect. 2. cum *Nav.*, *Sylv.*, *Turrecrem.*, *S. Antonino* et aliis, quod satisfaciant fideles audiendo Missam extra propriam Parochiam, eoquod consuetudo ecclesiastica ita habeat, per quam jus antiquum, si quod fortasse de hac re fuit, abrogatum censetur. Adde privilegia Regularium: sic *Leo X.* per Bullam: *Exponi nobis*, 3. Decemb. 1518. concessit Minoribus, ut audientes Missas in eorum Ecclesiis, dominicis aliisque festivis diebus, non contempto proprio Sacerdote parochiali, satisfaciant praecepto Ecclesiae, nec in aliquam labem peccati mortalis poenamve propterea incurrant. Vide Compend. Privil. Soc. Jesu verbo *Missa.* §. 2. *Paulus III.* per Bullam: *Licet debitum*, anno 1549. concessit, ut omnes et singuli Christi fideles, cujuscumque conditionis existant, qui verbi Dei concionibus seu praedicationibus Patrum Societatis Jesu, in Ecclesiis ubi ipsi concionabuntur, interfuerint, Missas et alia divina officia audire et ecclesiastica sacramenta ibidem recipere, libere et licite valeant, nec ad id ad proprias Parochiales Ecclesias accedere teneantur. Idem confirmavit *Clemens VIII.* anno 1592. 21. Decem. decreto misso in Belgium, quod incipit: *Significatum nobis fuit:* ubi ita: *Praesenti decreto sancimus, licere saecularibus, Christique fidelibus universis libere Missas diebus dominicis et aliis majoribus festis audire in Ecclesiis tam Fratrum Praedicatorum, quam aliorum Mendicantium, nec non etiam Collegii Societatis Jesu, juxta illorum privilegia et antiquas consuetudines, dummodo id in contemptum Ecclesiarum Parochialium non faciant: et tam dictis Fratribus Praedicatoribus et Presbyteris dictae Societatis, quam aliis privilegiatis praedictis, quibus id a Sede Apostolica indultum est, idoneis tamen et ab ordinario approbatis, peccata sua, etiam Quadragesimali et Paschali et quovis alio tempore, confiteri licite posse, dummodo tamen saeculares Christi fideles Sacramentum Eucharistiae die festo Paschalis Resurrectionis in propria parochia ab eorum Parocho sumant.*

482. Quae sint observanda circa Missas in oratoriis privatis, vide *La Croix* L. 3. P. 1. a n. 626. et L. 6. P. 2. a n. 262., vide etiam dicta superius n. 451. Juxta *Gavant.* P. 1. tit. 20. ex Declar. s. Congreg. 17. Nov. 1607. in oratoriis saecularium non licet celebrare festis Nativitatis Christi, Epiphaniae, Paschatis, Pentecostes, Annunciationis, Assumptionis, Apostolorum Petri et Pauli, et omnium Sanctorum. Quando tamen tale oratorium concessum est propter infirmitatem, non est exceptio ullius festi solemnioris ratione personae infirmae, quae ad Ecclesiam accedere non potest. *La Croix* L. 6. p. 2. n. 71. Porro probabilius solus privilegiatus, ejusque domestici satisfaciunt praecepto Missae, quando diebus dominicis ac festis in suo oratorio privato Missam audiunt; quia privilegium pro his solis datum esse, satis manifeste colligitur ex communi clausula: *Volumus autem ut, qui non sunt de familia, non censeantur liberi ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia. Confirm.* ex declaratione *Clem. XI.* ab anno 1704. Ad familiam autem pertinere censetur pater, mater, nurus et gener, uxor, filii, filiae, nepotes et alii per lineam rectam descendentes et manentes sub regimine parentum et cohabitantes cum privilegiato, item ejus servi et ancillae. Unde sequitur quod alii hospites et advenae non satisfaciant praecepto, qui in tali oratorio privato audiunt Missam. Vide *Pasq.* q. 659., *Gobat* T. 5. n. 256., *Illsung.*, *Jansen.* P. 2. cas. 95. n. 14. contra *Azor*, *Henriq.*, *Palao*, *et Burgh.* Cent. 3. cas. 60. ubi resolvitur quod quilibet assistens Sacro in tali oratorio satisfaciat praecepto Ecclesiae. Juxta communem satisfaciunt etiam extranei audiendo Missam in oratoriis Episcoporum, Regularium (ut dictum est n. 451.), Hospitalium, Sodalitatum, quia cum istae domus non sint privatae, nec eorum oratoria censentur esse privata.

De causis excusantibus ab audiendo Sacro vide P. I. n. 17. 18. 202. 203. 211. queis resolutionibus adde sequentes.

483. I. Servi et ancillae propter illos labores vel ministeria excusantur ab audiendo Sacro, quae secundum communem aestimationem et vivendi modum sunt necessaria et incompossibilia cum auditione Sacri, qualia ministeria sunt educere vel custodire gregem, domum, infantem etc. Neque peccant domini, qui talia injungendo impediunt auditionem Missae, quia est moralis necessitas horum ministeriorum: si vero non sint necessaria, vel possint differri in aliud tempus peccant domini impedientes auditionem Missae. famuli vero si sine gravi incommodo detrectare non valeant, excusantur saltem pro aliquot vicibus: si tale impedimentum non necessarium foret continuum, tenerentur dominum deserere. *Suar.* de Euch. D. 88. Addit *Palao* T. 22. punct. ult.: Si famuli vel ancillae cum mediocri vigilia vel molestia possent praevenire, tenerentur praevisum impedimentum praeveniendo tollere.

484. II. Excusantur itinerantes, qui bona fide putant se in aliquo loco ubi transeunt, Sacrum reperturos quod audiant, et postea non reperiunt. Pariter excusantur cursores, nautae, aurigae, aliique iter facientes, qui die festo jam in via constituti, si Missam audiendo diu deberent morari, aut propterea magnas expensas facere aut negligere commodam occasionem longi itineris, v. gr. socios, cum ipsi viam ignorent vel pericula metuant: alias tenentur ad Missam, antequam iter aggrediantur, vel in itinere, ubi facilis datur occasio audiendi: Ita *Stoz.* L. 1. P. 3. q. 3. n. 260. cum *Bonac.*

485. *Quaeres* hic, an excusatus die dominica a Missa teneatur domi persolvere preces, quas alias sub Sacro recitat. R. Ad preces quidem determinate non tenetur: satis probabiliter tamen ex sententia *S. Augustini* serm. 251. de temp. non sufficit sola omissio operum servilium, sed requiritur cultus Dei positivus, quo dies Domini sanctificetur: *Observemus*, ait s. Doctor, *diem dominicum, et sanctificemus illum.... qui vero hoc non potest*, publice in Ecclesia, *saltem in domo sua oret, et non negligat Deo solvere votum et reddere pensum servitutis suae.* Aliis placet affirmare, quod si quis legitime impeditus sit ab auditione Sacri, abstinere a servilibus ea intentione, ut colatur Deus qui in sabbato quievit, sufficiat.

CAPUT IV. *De Sacramento Poenitentiae.*

ARTICULUS I. De actibus Poenitentis.

§. 1. *Praenotanda.*

486. I. Poenitentia dicta est a *poena* sive *poenae tenentia*, eoquod non tantum consistat in agnitione peccatorum commissorum et proposito ea non amplius committendi; sed etiam in dolore animi se ipsum affligentis vel punientis, vel ob mala commissa, vel bona omissa. Nec vox graeca μετάνοια solam resipiscentiam significat, sed etiam dolorem ex facto antea perpetrato una cum seria emendatione, uti hanc vocem explicat *Petrus Mintert* Minister in *Heerle* in suo Lexico graeco-latino. Ipsa s. Scriptura, et ss. Patres, dum de Poenitentia loquuntur, mentionem faciunt doloris, afflictionis et poenae. Sic *Joelis* 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio et fletu et planctu.* Et *Jobi* ult. *Idcirco me ipsum reprehendo et ago poenitentiam in favilla et cinere.* Notissima est sententia *S. Ambrosii* relata in C. 1. Dist. 3. de Poenit. *Poenitentia est mala praeterita plangere et plangenda iterum non committere.* Eadem est mens *S. August.* in L. de vera et falsa Poenit. ut refertur c. 4. ibid. *Poenitentia est quaedam dolentis vindicta, puniens in se quod dolet commisisse.* Alias etiam Poenitentia dicitur *compunctio cordis*, juxta illud *Ps.* 4. *In cubilibus vestris compungimini.* Alias vocatur *contritio* juxta *Ps.* 50. *Cor contritum et humiliatum Deus non despicies.*

487. II. Poenitentia sumitur 1. pro virtute. 2. pro Sacramento. Sumpta pro virtute est virtus moralis infusa, disponens peccatorem ad dolorem et detestationem peccati a se commissi, quatenus est offensa Dei, et ad efficax propositum vitandi peccatum et satisfaciendi divinae justitiae. Ita *Antoine* Tr. de Poenit. *Offensa* activa in genere est laesio seu irritatio voluntatis alterius, qua nimirum aliquis alteri motivum seu jus praebet ad displicentiam, aversionem vel iram. Passiva vero est ipsa displicentia, aversio, ira vel odium adversus offendentem. *Injuria* in genere est laesio injusta juris alterius rationabiliter inviti. Ita *Sporer* P. 3. C. 1. Sect. 1. n. 4. Dixi 1. est *virtus*: virtus enim est habitus electivus secundum rectam rationem: atqui recta ratio exigit, ut quis de malo commisso doleat, illudque detestetur et ad meliorem frugem se convertat, et si quem laeserit, ei satisfaciat: ergo. Dixi 2. *moralis:* quia non habet Deum pro objecto immediato ac formali, sed satisfactionem ipsi debitam. Vide de hoc *S. Th.* 3. P. q. 85. a. 3. ad 1. Dixi 3. *infusa*; virtus enim naturalis et acquisita non disponit ad justificationem, nec tendit ad reconciliandum hominem cum Deo, sed requiritur virtus supernaturalis. *Confirm.* ex *Jerem. c.* 31. v. 19. *Postquam enim convertisti me, egi poenitentiam*: et Act. 11. v. 18. *Ergo et gentibus poenitentiam dedit Deus ad vitam.* Trid. sess. 6. Can. 3. ita statuit: *Si quis dixerit, sine praeveniente Spiritus S. inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere aut poenitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.* Porro etsi poenitentia ante justificationem non infundatur quoad habitum, juvat tamen ad actum, quatenus peccator movetur ad poenitentiam per gratiam Spiritus Sancti disponentis ad justificationem; in ipsa autem justificatione cum gratia sanctificante infunditur habitus poenitentiae, tum ad dolendum de peccatis jam remissis quoties eorum memoria recurrit, tum ad expungendum reatum poenae temporalis, tum contra peccata venialia, quae sicut quotidiana sunt, ita quotidiana indigent poenitentia. Plura vide in Theol. Schol.

488. III. Poenitentia ut Sacramentum (de qua sola hic agitur) est Sacramentum N. L. institutum a Christo ad peccata post baptismum commissa remittenda vere contrito et confesso per absolutionem Sacerdotis. Quod sit Sacramentum est de fide, ut patet ex *Trid.* sess. 14. Can. 1. de Sacramento Poenit. *Si quis dixerit, in Catholica Ecclesia Poenitentiae Sacramentum non esse vere et proprie Sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis a Christo D. N. institutum, anathema sit. Confirm.* Poenitentia habet omnia requisita ad verum Sacramentum. 1. Adest *signum sensibile*, scil. confessio ex parte poenitentis, et absolutio ex parte Sacerdotis. 2. Habetur institutio divina hujus signi, imo et mandatum hujus ritus *Joan.* 20. v. 21. *Sicut misit me Pater, et Ego mitto vos.... Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.* De hoc *Trid.* sess. 14. Can. 1. ait: *Dominus autem Sacramentum Poenitentiae tunc praecipue instituit, cum a mortuis excitatus insufflavit in Discipulos dicens: Accipite Spiritum S. etc.* Promissio potestatis absolvendi insinuatur *Matth.* 16. ubi Christus promisit Petro, se illi daturum claves regni coelorum, et quodcumque ligaverit aut solverit super terram, sit in coelis ligatum et solutum: idem promissum extendit ad Apostolos *Matth.* 18. Hinc potestas Confessarii vocatur etiam *potestas clavium*, quae duplex est, scil. remittendi vel retinendi peccata. 3. Adest promissio invisibilis gratiae, scil. remissio peccatorum: *remittuntur eis.* Unde *si quaeras*, in quo genere signi hic ritus a Christo sit institutus. R. In genere judicii reconciliativi. Differt poenitentia a judiciis forensibus per hoc, quod illa tendant ad puniendum reum, sintque judicia vindicativa, poenitentia vero ad absolvendum reum, sive ad reconciliandum peccatorem cum Deo, quem offendit. Porro *Trid.* sess. 14. Can. 9. ita definit: *Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum mi-*

nisterium pronuntiandi, et declarandi remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat se esse absolutum ... anathema sit. Ex his colligitur differentia inter poenitentiae virtutem et Sacramentum, scil. poenitentia *ut virtus* includit tantum tria: 1. Dolorem et detestationem peccati commissi. 2. Resipiscentiam sive propositum non peccandi. 3. Satisfactionem pro peccato. Ut autem est *Sacramentum*, praeter haec includit ex institutione Christi confessionem, absolutionem, et satisfactionem non ad arbitrium poenitentis, sed dictatam ab absolvente.

489. IV. *Materia remota* Sacramenti poenitentiae sunt peccata commissa post baptismum: *materia proxima* sunt actus poenitentis, scil. dolor, confessio, satisfactio: dolor quidem et confessio sunt partes essentiales, satisfactio vero est pars integralis. *Forma* est absolutio. Vide *Trid.* sess. 14. C. 3. *Minister* hujus Sacramenti est solus Sacerdos. *Trid.* ibid. C. 6. et Can. 10. *Effectus* hujus Sacramenti sunt remissio culpae et poenae tum aeternae, tum temporalis saltem quoad partem: item recuperatio et augmentum gratiae sanctificantis una cum specialibus auxiliis, sive gratiis actualibus ad evitanda peccata, ad vincendas tentationes et ad proficiendum in virtutibus. Adde ex *Trid.* sess. 14. C. 3. quod reconciliationem cum Deo in iis, qui cum devotione hoc Sacramentum percipiunt, conscientiae pax et serenitas cum vehementi consolatione consequi solcat. His praesuppositis agemus in seqq. paragraphis de officio poenitentis.

§. II. *Principia practica de primario officio, sive praecipuo actu Poenitentis*, h. e. *de Dolore.*

490. Princ. I. *Ad valorem et effectum Sacramenti Poenitentiae requiritur contritio formalis vel perfecta, vel imperfecta, interna, supernaturalis, universalis saltem respectu mortalium, appretiative summa, et efficax sive conjuncta cum serio proposito non peccandi.*

Dixi 1. *requiritur contritio*, h. e. dolor animi et detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de caetero, ut docet *Trid.* sess. 14. C. 4.

491. Dixi 2. *formalis*, h. e. talis detestatio, quae excludat peccatum ut praeteritum, velitque illud nunquam fuisse commissum, talisque dolor, ut contristetur animus de peccato apprehenso ut praesente: *formalis* autem expresse ideo requiritur, quia *Trid.* sess. cit. Can. 1. definit contritionem esse partem hujus Sacramenti, quam C. 4. cit. definiverat esse dolorem ac detestationem peccati, adeoque intelligit contritionem formalem, non virtualem, qualis includitur in actu amoris Dei. *Confirm.* ex eo, quod sine contritione formali nec homo dicatur poenitens, nec confessio sit vera et ordinata sui accusatio ad reconciliandum offensum. Hanc sententiam *Amicus, Tannerus, Dicast., Platelius* hic n. 63. vocant certam. *Suarez* in 3. p., *D. Th.* D. 20. Sect. 1. putat oppositam esse hoc tempore improbabilem et temerariam, quae docet sufficere voluntatem confitendi et recipiendi absolutionem, dummodo poenitens nullum actum habeat, quo formaliter vel virtualiter peccato adhaereat; eoquod (ut cum *Sylv. V. Confessio* quidam ajebant) ipsa voluntas confitendi sit quaedam virtualis poenitentia, quia est voluntas abjiciendi peccatum et recuperandi divinam gratiam.

492. Dixi 3. vel *perfecta*, vel *imperfecta*. *Perfecta* est, quae elicitur ex motivo charitatis theologicae, sive ex amore benevolentiae, v. g. *Doleo, quod peccando Deum offenderim, quem tamquam summum bonum propter se ipsum super omnia diligo.* Haec perfectior est dispositio, sed non necessario requisita ad Sacramentum poenitentiae. *Imperfecta* (quae etiam *attritio* dicitur) est, quae juxta *Trid.* l. c. C. 4. communiter elicitur vel ex consideratione turpitudinis peccati, vel ex gehennae et poenarum metu, v. g. *Doleo quod peccaverim, quia peccando rem turpem rationi ac virtuti tam repugnantem*

feci, vel *quia infernum* (peccando mortaliter) *aut alias graves poenas a Deo justissimo peccatorum vindice promeritus sum.* Haec sufficit ad Sacramentum poenitentiae. *Prob.* ex *Trid.* quod sess. 14. C. 4. docet, attritionem, quamvis sine Sacramento poenitentiae per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento poenitentiae impetrandam disponere: neque potest intelligi, quod remote tantum disponat, quemadmodum actus aliarum virtutum; quia sic etiam disponit extra Sacramentum; ergo in Sacramento disponit proxime. *Confirm.* 1. Idem *Trid.* l. c. C. 3. docet, contritionem in genere, prout praescindit a perfecta et imperfecta, esse materiam et partem Sacramenti, postea C. 4. dividit in perfectam et imperfectam agens constanter de partibus hujus Sacramenti: ergo satis clare docet attritionem esse sufficientem partem poenitentiae sive eam sufficere ad justificationem in Sacramento poenitentiae obtinendam. Hanc sententiam *Suarez* l. c. vocat hoc tempore, scil. post *Trid.* certam. *Pinthereau* pro sufficientia attritionis recenset 100. gravissimos AA. *Gormaz.* P. 1. post n. 446. refert plures, quam 160. qui sufficientiam attritionis tuentur. *Confirm.* 2. ex *Bened. XIV.* testimonio, qui circa controversiam de attritione, an necessario debeat includere amorem benevolentiae saltem inchoatum, C. 13. L. 7. saepius laudati operis de Synodo Dioecesana sub finem ita habet: *Cum itaque versemur in quaestione ab Ecclesia hactenus non definita, jure ac merito Alexander VII. die 5. Maji* 1667. *sub poena excommunicationis latae sententiae Sedi Apostolicae reservatae praecepit: ut, si deinceps de materia attritionis scribent, vel libros aut scripturas edent, vel docebunt, vel praedicabunt, aut alio quovis modo poenitentes aut scholares, caeterosque erudient, non audeant alicujus theologicae censurae alteriusve injuriae aut contumeliae nota taxare alterutram sententiam, sive negantem necessitatem aliqualis dilectionis Dei in privata attritione ex metu gehennae concepta, quae hodie inter Scholasticos communior videtur, sive asserentem dictae dilectionis necessitatem, donec a S. Sede fuerit aliquid hac in re definitum.* » *Caveant proinde Episcopi, ne in suis Synodis aut instructione Sacerdotum, quam Synodis quandoque attexunt, aliquid decernant, aut de attritionis mere servilis ad Sacramentum poenitentiae sufficientia, aut de amoris saltem initialis necessitate: adhuc quippe sub judice lis est; adhuc impune pro una et altera sententia dimicatur.* Infero (contra *Ludov. Habert*, qui in sua Theol. dogm. et mor. tom. 6. de Poenit. c. 8. §. 4. ait: *Opinio asserens attritionem ex gehennae metu conceptam non sufficere in Sacramento, nisi includat initialem saltem charitatis amorem*, sola *secura est, et in praxi sequenda)* infero, inquam; ergo sententia negans ad attritionem requiri initialem amorem benevolentiae, satis secura est et in praxi tuta, alias Summi Pontifices sine certo animarum periculo non possent permittere eam doceri, aut practicari.

493. Si *quaeras*, quomodo attritus incipiat diligere Deum tanquam omnis justitiae fontem, ut requirit *Trid.* sess. 6. C. 6. R. Tripliciter incipit. 1. *Peccatorem se esse intelligens, divinae justitiae timore, quo utiliter concutitur ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem erigitur fidens Deum sibi propter Christum propitium fore* (ecce primum amorem initialem). 2. Desiderat, adhibendo media praescripta, scil. confessionem sacramentalem, a fonte omnis justitiae in se derivatum iri justitiam (ecce alterum gradum, sive actum amoris initialis, quo incipit diligere Deum tanquam omnis justitiae fontem). 3. Proponit inchoare novam vitam et servare divina mandata (ecce tertium gradum amoris initialis). Quod si enim ille sit qui diligit Deum, qui habet mandata Dei et servat ea *Joan.* 14., profecto etiam ille incipit diligere Deum, qui serio incipit servare divina mandata. Praeterea ipse dolor et detestatio peccati includit aliquem amorem, cum peccator detestando peccatum se avertat a creaturis, et convertat ad Deum tanquam *suum summum bonum, et suam beatitudinem.* Plura vide in *Theol. Schol.* in Tract.

de Poenit., item *P. La Croix* L. 6. P. 2. a n. 784. usque ad n. 877. *Cardin. Gottum* Theol. tom. 3. in 3. P. D. Th. q. 4. de Contrit. Dub. 4. §. 1., *Scotum Accademicum Claudii Frassen.* Tom. 10. p. 563. Si quis tamen sit, cui haec aliaque argumenta, quae pro hac sententia afferuntur, non sufficiant, ut eam practice tutam judicet, is tenetur utique ad eliciendam contritionem, ne Sacramentum, suo judicio, exponat periculo nullitatis. *Neque ideo* (uti subnectit laudatus Pontifex l. c.) *prohibentur Episcopi Confessarios monere, ut poenitentes ad veram et perfectam contritionem hortentur et excitent*: tum quia hic actus est perfectior Deoque gratior, tum quia talis supplet occultos defectus, qui possent esse vel ex parte ministri, vel ex parte poenitentis, tum quia actus charitatis saepius in vita eliciendus est. Illud vero hic negamus et pernegamus, quod indignus sit absolutione sacramentali, qui ex metu gehennae, aut aliarum poenarum a Deo infligendarum de peccatis dolet cum spe veniae, et proposito non peccandi de caetero.

494. Dixi 4. *interna*: alias enim non esset dolor animi: ergo nec contritio, sed simulacrum contritionis: *Scindite corda vestra*, ait Dominus per *Joelem* C. 2. Quamvis autem saepius ex sincero interno dolore oriatur dolor sensibilis in appetitu sensitivo, ille tamen necessarius non est, hoc ipse quod contritio juxta *Trid.* sit animi dolor; animus enim mentem et voluntatem, non appetitum significat; ideoque frustra et vane anxii sunt, qui sincere ex motivo supernaturali dolent, nec tamen altiora cordis suspiria trahunt, aut lacrymas fundunt etc.

495. Dixi 5. *supernaturalis*; quia dolor ex motivo mere naturali et solis naturae viribus elicitus nihil confert ad obtinendam justificationem; nihil enim mere naturale conducit ad vitam supernaturalem: est autem attritio mere naturalis, dum quis dolet de peccato ob infamiam ortam ex peccato, vel ob poenas temporales, respiciendo eas solo lumine naturali. Patet ex *Trid.* sess. 6. can. 3. supra n. 487. cit. Adde propos. 57. ab *Innoc. XI.* damnatam. Ad hoc ut dolor sit supernaturalis, praeter adjutorium gratiae divinae requiritur, ut ex motivo supernaturali eliciatur, quod scil. lumine fidei supernaturali, sive fide theologica creditur, v. g. si doleas de peccato propter poenas ut infligendas a Deo justissimo vindice, vel si doleas ob turpitudinem peccati ut oppositam virtuti supernaturali perducenti ad beatitudinem supernaturalem, ut ait *Suar.* Disp. 5. de Poenit. Sect. 2. vel si apprehendatur haec turpitudo ut opposita divinae voluntati, ut ait *Lugo* Disp. 5. de Poenit. n. 142. Quod attritio ex timore gehennae elicita possit esse supernaturalis, patet ex propos. 14. ab *Alex. VIII.* damnata: *Timor gehennae non est supernaturalis:* item ex sequenti 15. ab eodem damnata. *Trid.* sess. 14. can. 5. anathematizat eum, qui dixerit, dolorem de peccatis ob amissionem aeternae beatitudinis, et aeternae damnationis incursum cum proposito melioris vitae, non esse verum et utilem timorem, nec praeparare ad gratiam: atqui ad hanc non posset praeparare, nisi esset supernaturalis: ergo.

496. Dixi 6. *universalis:* ita ut dolor se extendat ad omnia peccata mortalia commissa ex motivo omnibus etiam oblitis communi: quia nullum peccatum remittitur sine dolore, nec unum mortale remittitur sine alio: ergo ut remittantur mortalia dolor se debet extendere ad omnia, non quidem hoc sensu, quod poenitens debeat necessario tot distinctos actus doloris elicere, quot commisit peccata, sed quod debeat elicere dolorem ex motivo supernaturali communi omnibus a se commissis peccatis. *Sporer* de Sacram. P. 3. C. 2. n. 88. *Confirm.* 1. ex *Ezech.* C. 28. *Si impius egerit poenitentiam ab* omnibus *peccatis suis, quae operatus est, et custodierit omnia praecepta mea vita vivet.*

497. Dixi 7. quod contritio debeat esse *appretiative*, non vero intensive *summa*. Est autem appretiative summa, quando poenitens peccatum plus detestatur, quam omnia alia mala, eo quod sit malum gravissimum hoc ipso, quod sit offensa Dei vel tanquam justissimi vindicis, vel tanquam summi boni.

Ratio hujus conditionis requisitae est: quia alias voluntas non averteretur absolute, et pro omni casu a peccato. Quod autem non debeat necessario esse summa intensive, patebit infra n. 500.

498. *Principium II.* Praeterea dolor debet esse *efficax*, sive *conjunctus cum serio proposito non peccandi de caetero*, et peccatorum occasiones proximas fugiendi etc. quia alias voluntatem peccandi non excluderet, ut *Trid.* expresse requirit sess. 14. C. 4. convenienter S. Scripturae *Ezech.* C. 18.: *Projicite a vobis omnes iniquitates vestras, in quibus praevaricati estis, et facite vobis cor novum, et spiritum novum.* An semper necessario requiratur propositum formale, mox dicetur in resol. Cas.

Resolvuntur Casus.

Casus I.

Joanna pia matrona de dolore requisito ad confessionem anxia conqueritur coram Sacerdote, quod intensiorem dolorem de morte filii sentiat, quam de peccatis, ac proinde dolet quod non doleat sufficienter de peccatis. Praeterea se accusat, quod forte nunquam habuerit dolorem supernaturalem.

499. *Q.* I. An Joanna in hoc casu censenda sit habere sufficientem dolorem. R. Ex supposito, quod ex motivo supernaturali vere elicuerit dolorem cum conditionibus supra requisitis et cum proposito, reipsa censenda est habere dolorem *appretiative* summum. *Nec refert*, quod ob mortem filii magis sensibiliter tristetur aut lacrymetur: sensibilis enim iste dolor non oritur ex eo quod judicet mortem filii majus esse malum, quam peccatum, sed quod vivacius et magis sensibiliter repraesentetur et apprehendatur, et sensibus magis sit proportionata mors filii, quam peccati malitia: inde est quod potentias magis moveat, quam malitia peccati. Porro de dubiis et scrupulis circa dolorem vide P. I. n. 54. et 130.

500. *Q.* II. An requiratur certa aliqua intensio aut duratio doloris. R. *Negative:* quia substantia contritionis ejusque dignitas consistit in appretiatione peccati tanquam offensae Dei super omne malum; vel in appretiatione Dei super omne bonum; quod autem magis, minusve sit intensa, est illi accidentale, ideoque sufficit, si habeatur vis et substantia contritionis, licet non adsit id quod ei accidit quandoque. Unde non requiritur 1. intensio doloris *absolute summa*, h. e. tanta, quantam homo per totum conatum sibi possibilem elicere potest, ut voluit *Adrianus* in 3. q. 2. de Poenit. Vel enim intelligitur summus conatus, qui solis naturae viribus elici potest: et hic non pertinet ad justificationem: vel intelligitur ille, quem voluntas adhibere potest cooperando divinae gratiae. Ecquis statuet terminum, quo posito voluntas non possit majorem conatum adhibere cum gratia Dei? Praeterea haec sententia, quam *Suarez* de Poenit. D. 4. Sect. 4. vocat improbabilem, imponit homini gravissimum onus, cum difficillimam faciat contritionem sine Scripturae ac Conciliorum fundamento. 2. Non requiritur intensio doloris *comparative summa* in sensu *Petri Soto* Lect. 14. et 15. scil. ut homo majore intensione doleat de peccato, quam de quolibet alio malo, et quam diligat quodlibet creatum bonum. Quis enim dicet matri intensissime dolenti ob mortem unici filii, an dolor de peccatis sit comparative intensior? *Si dicas*: hic excessus et comparatio denotatur per particulam *super omnia*, quam omnes TT. requirunt. R. Ut supra: haec comparatio non consistit in intensione, sed in appretiatione, quae posita est in tali amore boni vel odio mali, ut si necesse foret, potius amoveretur voluntas ab amore alterius boni, vel odio alterius mali, quam illius quod super omnia amare dicitur vel odio habere. Vide *Suarez* l. c. 3. Neque requiritur certa duratio temporis ad hoc ut contritio perfecta justificet extra Sacramentum, vel attritio disponat ad justificationem in

Sacramento, sed simul ac fit, est sufficiens utrinque dolor: sicut consensus in peccatum mortale, statim ac fit, est peccatum mortale et destruit gratiam. Hinc *S. Leo* Epist. 91. ad Theodorum recte ait: *Misericordiae Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire; apud quem nullas patitur venine moras vera conversio.*

501. *Q.* III. Qua ratione dolor possit fieri sensibilis, nisi requiratur certa intensio. R. Hoc sensu fit sensibilis, quod signo externo scil. per ipsam confessionem, tunsionem pectoris, petitionem Confessarii manifestetur; non autem eo sensu, quod debeat elici ab appetitu sensitivo. *La Croix* L. 6. p. 2. n. 669.

502. *Q.* IV. An sufficiens sit dolor Joannae, eo quod doleat, se non satis dolere. R. *Per se* loquendo et secundum sensum verborum non est sufficiens; quia dolor non qualiscumque, sed de peccatis, et quidem ex motivo supernaturali conceptus requiritur: atqui iste dolor Joannae secundum verborum significationem non est de peccatis, nec ex motivo supernaturali, sed de carentia doloris ex anxietate, vel alia causa naturali: ergo. Dixi, *per se*: quia frequenter poenitentes anxii et scrupulosi ita loquuntur bono sensu, scil. quod non sentiant proportionatum dolorem gravitati peccatorum, qualem optarent; ideoque hisce eximendus est scrupulus vel cum illis eliciendo verum dolorem, vel quaerendo an saltem animo doleant, quod Deum summum bonum offenderint, et voluntatem habeant non peccandi de caetero. *Laym.* L. 5. t. 6. C. 2. n. 5. ubi sic exponit sententiam *Sylvestri V.* Confessio.

503. *Q.* V. An continuo credendum sit poenitenti se accusanti, quod non habuerit dolorem sufficientem. R. Nisi poenitens certo affirmet, quod vel ex ignorantia, vel alia de causa omiserit dolorem, continuo non est credendum, sed prudenti Confessario incumbit quaerere et quidem ex rudioribus, an nesciverit eliciendum esse dolorem, vel an ignoraverit modum eliciendi, vel an ex incuria sine ulla praeparatione vix templum ingressus properarit ad confessionale. Si poenitens unum ex his affirmet, satis manifeste Confessarius colligere poterit veram esse accusationem omissi doloris. Si alioquin bene instructus ita se accuset, ex sequentibus signis sufficienter colligi poterit, an habuerit dolorem requisitum: 1. Si poenitens fateatur se a juventute bene instructum fuisse necessariis ad rite confitendum dispositionibus. 2. Si recordatus fuerit, quod ante confessionem saltem aliquod tempus impendere soleat ad digne praeparandum animum. 3. Si poenitens saepius ex devotione soleat confiteri. 4. Si sit tenerioris conscientiae, vel saltem bonae voluntatis erga Deum, nec diu pravis consuetudinibus inhaeserit, aut in proxima peccandi occasione vixerit; plura alia signa ex circumstantiis personae poenitentis, aliisve prudens Confessarius facile poterit colligere.

Casus II.

Joachim de valore confessionis anxius domi plerumque se disponit, examinando conscientiam, eliciendo dolorem et propositum, postea accedens ad templum in via colloquitur cum aliis; in templo nihilominus statim accedit ad Confessarium: subinde tamen ante absolutionem renovat dolorem et propositum: post absolutionem recordatur peccati quod mox confitetur sine novo dolore.

504. *Q.* I. Quomodo dolor debeat esse connexus cum absolutione: et an dolor Joachimi sufficienter fuerit connexus. R. Ad *primum.* Debet esse connexus vel physice, vel saltem moraliter: physice connectitur, quando non tantum ante confessionem et absolutionem, sed sub ipsa adhuc absolutione actus doloris ponitur; hoc modo dolor censetur perdurare *in se. Moraliter connectitur*, quando dolor physice praeteritus perdurat in suo effectu usque ad absolutionem, v. g. dum poenitens, postquam elicuit dolorem, accedit ad confessionale, confitetur, petit absolutionem: in his actionibus censetur vir-

tualiter permanere dolor, quamvis physice actus doloris praeterierit. Quamdiu autem dolor physice praeteritus censeri possit moraliter durare, pro praxi facile statui nequit. Merito censet *Stoz* l. c. p. 2 n. 50. nimis laxam esse sententiam, quae dicit sufficere dolorem ante unum alterumve annum elicitum, dummodo non sit retractatus. Alii idem concedunt, etsi intercedant quatuor, quinque, aut plures dies. Sed et haec sententia *P. Herzig* de munere Confessarii C. 3. n. 61. et *P. Stoz* l. c. n. 51. videtur minus tuta, et in praxi omnino illicita; cum dolor per tantum temporis intervallum facillime et quasi inadvertenter possit revocari per actum contrarium, et ita Sacramentum frustrationi exponi. Accedit quod, cum sententia contraria non accedat ad probabilitatem, vi propositionis primae ab *Innoc. XI.* damnatae illicitum videatur, illam sequi. Vide *P. Carden.* in cit. propos. 1. *sequi proindemalim tutiorem* (subnectit ibid. *P. Herzig*) quae censet, unam, duas aut quatuor horas, vel ad summum unum diem ac noctem non destruere moralem connexionem, ex supposito quod dolor nullo actu contrario sit revocatus: in hac tamen etiam intercapedine, praesertim si negotia quaedam disparata, e. g. occonomica longiora intercessissent, consultius existimo saltem in fine confessionis subjungere: *De his et omnibus peccatis meis doleo, Deum summum bonum a me per illa fuisse offensum.* Vid. *Lessium* in Auct. V. Confessio, Cas. 3., *Sporer* et alios. De dolore pridie confessionis elicito ait *Gobat* in Exper. T. 6. n. 160. valde probabile esse talem dolorem non sufficere, si sine ulla intentione aut cogitatione ad crastinam confessionem fuerit elicitus; tunc vero sufficere, si cum tali intentione fuerit conceptus dicendo: Cras volo confiteri, ideoque jam me volo examinare, dolorem et propositum elicere, quia cras forte non satis temporis suppetet.

Ex his patet responsio ad *secundum*, quod dolor a Joachimo domi conceptus adhuc moraliter fuerit connexus cum confessione; nec sufficiens connexio fuit interrupta per brevia colloquia in itinere ad templum, ex supposito quod non fuerint peccaminosa. *Neque obstat*, quod in aliis Sacramentis major requiratur connexio materiae et formae, quia poenitentiae Sacramentum est institutum in modum judicii, quod facilius patitur moram aliquam inter dolorem, accusationem et absolutionem.

505. *Q.* II. An dolor debeat referri ad confessionem, sive elici ex intentione confitendi R. Tutius est dolorem ita elicere, adeoque cum agatur de parte Sacramenti poenitentiae, in praxi potius suadendum est, ut referatur dolor ad confessionem, sic plerique vel virtualiter, vel formaliter secum ita poenitentes statuunt; *Quia volo confiteri, prius dolebo de peccatis.* An vero necessarium sit, ut contritio eliciatur ex intentione confitendi, utrinque a TT. defenditur. Affirmant *Praepos.*, *Bonac.*, *Dicast.*, *La Croix* l. c. n. 687. eoquod dolor sine relatione ad confessionem nequeat esse pars futurae confessionis; sicut ablutio facta sine intentione baptizandi non esset pars baptismi, etiamsi postea ablutionem istam quis vellet referre ad baptismum, solam pronunciando formam. E contra *Reginald.*, *Lugo*, *Tambur.* de Confess. L. 1. C. 2. §. 3, *Gobat.* l. c. n. 115. dicunt id non esse necessarium, sed sufficere quod dolor praecedens per voluntatem consequentem eo referatur, quamvis non renovetur. *Ratio* horum est, quod *Trid.* explicans conditiones doloris nihil insinuet de ista relatione. Praescindendo a speculatione utriusque sententiae in praxi tenendum, quod poenitens non debeat esse contentus eo solum dolore, quem ante praeparationem ad confessionem alia ex occasione forte elicuit; non deerit breve, sufficiens tamen spatium eliciendi novum dolorem, nec deerit gratia divina; nec aliunde prudens excusatio poterit allegari. Negativa tamen sententia serviet scrupulosis, qui continuo timent ne dolorem in ordine ad Sacramentum poenitentiae elicuerint, quia etsi actualem et formalem intentionem dolendi in ordine ad absolutionem expresse non habuerint, implicite tamen eam intentionem habuerunt se praeparando ad confessionem; si enim

ante confessionem quis interrogasset: Cur jam doles Deum a te esse offensum peccatis? certe respondisset: Quia volo confiteri, et absolvi a peccatis.

506. *Q.* III. An sufficiat dolorem adhuc elicere saltem ante absolutionem. R. In praxi quidem dolor eliciendus est ante confessionem; tum quia periculosum est, ne intra breve illud tempus, quod intercedit inter confessionem et absolutionem, poenitens vel obliviscatur dolorem, vel turbatus ex quaestionibus Confessarii non serium eliciat: tum quia praemisso dolore confessio magis procedit ex displicentia et detestatione peccatorum. Nihilominus juxta communiorem sententiam sufficit si dolor adhuc eliciatur ante absolutionem. *Ratio* desumitur ex communi sensu tum *Confitentium*, qui etsi dubitent an sufficientem dolorem elicuerint ante confessionem, existimant adhuc se satisfacere, modo adhuc serio ante absolutionem doleant; tum *Confessariorum*, qui non jubent repeti confessionem, si poenitens dolorem non praemiserit, sed ad eum adhuc eliciendum disponunt. *Confirmatur* ex eo, quod dolor etiam subsequens confessionem, sufficienter ita eam afficiat, ut fuerit et maneat dolorosa, non mere historica sui accusatio. *Suarez, Bonac., Sporer, Gobat, Stoz* l. c. n. 48. et plures alii apud *Lu Croix* l. c. n. 698. contra *Palao, Coninck* et *Laymann*, qui tamen non videtur nobis esse plane contrarius; quamvis enim L. 5. t. 6. C. 4. n. 4. asserat ad valorem Sacramenti poenitentiae requiri, ut dolor internus *aliquo modo* antecedat confessionem externam, ut sit dolorosa sui ipsius accusatio tendens ad reconciliationem cum Deo, postea tamen *modum* illum *aliquem* exponit dicendo: *Quamobrem pro majore securitate consuetum ac consultum est, praemittere confessionem generalem* (scil. per formulam consuetam: *Confiteor Deo omnipotenti etc.*) *ut, si ante dolor ex generali motivo conceptus non erat, saltem tunc concipiatur.* Ibid. refert sententiam *Suaresii*, quod confessio per consequentem contritionem sufficienter consummetur in ratione accusationis sacramentalis; et statim subdit: *Ad hoc vero omnino necessarium est ut dolor animi post peccatorum narrationem habitus externo aliquo signo declaretur, saltem humiliando se coram Sacerdote et absolutionem petendo seu expectando; tale enim signum relatum ad peccata paulo ante explicata, a quibus poenitens absolutionem petit, veram rationem sacramentalis absolutionis habet.* Ergo *Laym.* adhuc concedit satis esse, si exprimatur aliquo signo dolor ante absolutionem.

507. *Q.* IV. An dolor debeat praecedere absolutionem. R. *Affirmative*; quia peccator sine dolore non est dispositus ad remissionem peccati: ergo absolutio frustraretur suo effectu non sine sacrilegio. *Confirm.* Per absolutionem completur hoc Sacramentum quoad essentialia; ergo dolor subsequens non potest esse pars constitutiva illius. Ita *Stoz* l. c. n. 47. et *Bonac.* cum communi. *Lugo* hic n. 48. monet, ne in praxi quis audeat sequi aliquorum sententiam, quod sufficiat dolor si eliciatur sub absolutione, modo ante finem absolutionis finiatur, quia Sacramentum sic facile exponitur periculo nullitatis.

508. *Q.* V. An Joachim, dum post acceptam absolutionem peccatum omissum statim confitebatur, etiam novum dolorem debuerit elicere. R. Probabilissima est sententia, quod *necessario* non sit eliciendus novus dolor; quia prior dolor, quem poenitens ex motivo universali de omnibus peccatis, ideoque etiam de oblitis, elicuit, perduret adhuc moraliter vel potius virtualiter in tenui reminiscentia, imo in iisdem actibus poenitentiae continuatis etiam post absolutionem (supponimus enim priorem dolorem non esse revocatum): ergo sufficienter afficit novam illam confessionem, quae rectius moraliter dicitur una confessio cum priore. In praxi tamen praestat novum elicere dolorem, ut tutius procedatur in iis, quae pertinent ad valorem Sacramenti. *La Croix* l. c. n. 713.

509. Porro *observa* I. Dolor et propositum de mortalibus revocatur per aliud mortale subsequens, non autem per actionem de se indifferentem. Si enim motivum doloris fuerit universale, illud non amplius curat, qui de novo pec-

cat: si particulare, ergo de novo peccans jam non amplius dolet de omnibus; ergo non habet sufficientem dolorem. Praeterea dolor universalis de mortalibus et venialibus non revocatur per solum veniale, quia licet ex eodem motivo conceptus sit de utrisque, inaequaliter tamen fertur in venialia et mortalia; haec enim magis detestamur tanquam magis displicentia Deo, quam illa. Ita *Lugo* et *Tamb.*

Dolor de venialibus ex motivo universali elicitus revocatur per veniale aeque grave vel gravius; quia dum quis eodem modo, vel gravius venialiter peccat, non censetur amplius curare motivum, ex quo de praecedentibus doluerat: ergo prius motivum non amplius influit in actum doloris. Dixi, *ex motivo universali:* qui enim ob particulare et in uno tantum veniali reperibile motivum doluit, non revocat dolorem per veniale aliud, in quo illa ratio non reperitur. Vide de his *La Croix* l. c. a n. 417. In praxi, si quis post elicitum dolorem iterum leviter peccet, novum eliciat dolorem.

510. II. Qui confitetur tantum venialia, nihilominus debet de iis dolere. Scriptura enim et Concilia generaliter ad peccatorum remissionem requirunt dolorem, non distinguendo inter gravia et levia; neque ullum peccatum remittitur, quamdiu manet voluntarium, et non debite retractatum. Dolor tamen de venialibus non debet necessario esse universalis: quamvis enim sine dolore nullum remittatur peccatum, quia tamen venialia non per infusionem gratiae, sed per condonationem extrinsecam remittuntur, hinc potest remitti unum de quo quis dolet, quin remittatur alterum de quo quis non dolet.

Casus III. De proposito.

Kilianus graviter aegrotus confitetur: Fovi rancorem atque vindictam in animo: item a juventute nimium addictus fui foedissimae turpitudini. Doleo de omnibus peccatis meis, quia iis Deum summum bonum offendi. Confessarius postquam speciem ac numerum peccatorum extorsisset, quaerit an etiam habeat propositum: respondet poenitens, hoc dolori inclusum esse. Urget Confessarius quale habeat propositum: reponit Kilianus; Si mihi ex hoc morbo e vita migrandum sit, inimico libenter ignosco; si convaluero par pari referam; a turpi vero consuetudine abstinere vix potero.

511. *Q.* I. An ad confessionem requiratur propositum formale et expressum. R. cum *Suarez* de Poenitent. D. 4. Sect. 3. Assert. 1. *Per se* loquendo ad consequendam gratiam et remissionem peccati in confessione necessarium est formale propositum, quo quis per expressum voluntatis actum peccata vitare statuat. *Est haec sententia securior, et ita populo praedicanda,* ait *Suar.* cit. l. *Prob.* 1. Ezech. 18. 31. ait Dominus: *Projicite a vobis omnes praevaricationes vestras* (per verum dolorem, et detestationem iniquitatum) *et facite vobis cor novum, et spiritum novum* (scil. per serium propositum non peccandi de caetero). Item Apocal. 2. v. 5. *Age Poenitentiam, et prima* (sive nova) *opera fac.* Quibus verbis nova vita ad poenitentiam exigitur: atqui non exigitur nova vita, ut actu exercenda, cum pendeat ex futuro tempore: ergo exigitur ejus propositum praeter dolorem de praeterita vita. *Prob.* 2. *Trid.* sess. 6. C. 6. in dispositione ad gratiam loquitur aeque expresse de proposito inchoandi novam vitam et servandi divina mandata, sicut de odio et detestatione peccatorum: et sess. 14. C. 4. agens de Poenit. Sacram. docet contritionem esse *dolorem animi ac detestationem de peccato commisso cum proposito non peccandi de caetero.* Ergo sicut veteris vitae odium scil. dolor ac detestatio debet esse formalis: sic et novae vitae propositum debet esse formale. *Confirm.* Unus ex praecipuis finibus poenitentiae est emendatio vitae praeteritae, ad quem nullus actus aptior est, quam serium et expressum propositum: ergo merito praecipitur formale propositum. Vide *Bellarm.* L. 2. de Poenit. C. 6., *Henriq.* L. 4. C. 24. n. 2., *Gobat* T. 6. n. 293.

Dixi tamen, *per se* loquendo, quia per accidens subinde sufficit propositum *virtuale*, quod includitur in serio dolore, vi cujus poenitens ita constitutus est, ut nolit amplius peccare. 1. Quidem sufficit, dum quis inculpabiliter non cogitat de vita futura, ita tamen dolet de peccatis, ut si quaereretur ex ipso, an posthac velit evitare peccata, serio annuat. 2. Si quis ab elicito dolore serio statim moriatur, in quo casu impossibile est formale propositum, quod tamen plane abfuisse dici nequit, cum fuerit inclusum in dolore: stante enim illo dolore impossibile erat committi peccatum, adeoque in tali circumstantia sufficienter fuit exclusa voluntas peccandi. Sic videtur conciliari cum nostra aliorum sententia, quod sufficiat virtuale propositum, ut docuerunt *Major*, *Vega*, *Petrus Soto*, *Adrianus*, *Diana* P. 3. 4. resol. 116., *Gormaz*, *Cardenas* in 2. Crisi D. 2. n. 80. Ex quibus ad resol. casus respondendum est, quod Kilianus monitus de proposito prius debuerit serium et efficax elicere propositum.

511. *Q.* II. An propositum Kiliani censendum sit sufficiens. R. *Negative;* quia propositum ut sit sufficiens, debet esse absolute universale, alias non excluderet omnem voluntatem peccandi de caetero. *Confirm.* Ad propositum requiritur, ut sit efficax, h. e. tale, ut quamdiu existit cum eo non possit componi voluntas peccandi, ut ait *La Croix* l. c. n. 892.; atqui cum proposito Kiliani, dum existebat, conjuncta erat voluntas peccandi: ergo non erat efficax. Quid? quod ridiculum, illusorium et absurdum videatur hujusmodi propositum conditionatum: quilibet enim consuetudinarius satisfaceret proponendo; Si non habuero occasionem peccandi, non peccabo; si habuero, iterum peccabo. Fur itidem satisfaceret proponendo: Si nihil amplius a proximo potuero auferre, non furabor posthac; secus si potuero. Plura vide infra de munere Confessarii circa defectum propositi in poenitente.

§. III. *Principia practica de materia, qualitate et praecepto Confessionis Sacramentalis.*

513. *Principium* I. *Confessio sacramentalis est dolorosa peccatorum suorum post baptisma commissorum accusatio facta legitimo Sacerdoti ad eorum remissionem virtute clavium obtinendam.* Unde inferes, quod materia confessionis sint omnia et sola peccata post, non ante baptismum commissa a poenitente. Vide *Trid.* sess. 14. Can. 1. cit. n. 488. Hinc poenitentia recte dicitur *secunda post naufragium tabula:* de qua *Trid.* ibid. can. 2. *Confirm.* Ecclesia in subditorum tantum peccata jurisdictionem exercere post: atqui baptizati sunt tantum subditi Ecclesiae; ergo in baptizatorum tantum peccata jurisdictionem, ea retinendo vel remittendo, exercere potest. Duplex autem est materia confessionis, scil. alia *necessaria*, quae necessario subjicienda est clavibus, sive exponenda in confessione: alia *libera*, quae libere exponitur. Materia necessaria sunt peccata mortalia, ita ut omnia quoad numerum et speciem in confessione exprimenda sint; venialia vero sunt materia libera. Vide *Trid.* sess. 14. C. 5. de poenit. ubi ita docet: *Ex his colligitur oportere a poenitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri, etiam si occultissima illa sint, et tantum adversus duo ultima Decalogi praecepta commissa... Nam venialia, quibus a gratia Dei non excludimur, et in quae frequentius labimur, quamquam recte et utiliter, citraque omnem praesumptionem in confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat, taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt.* Ibid. can. 7. ita statuit: *Si quis dixerit, in Sacramento Poenitentiae ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino, confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita diligenti praemeditatione habetur, etiam occulta, et quae sunt contra duo ul-*

tima Decalogi praecepta, et circumstantias, quae peccati speciem mutant ... aut demum non licere confiteri peccata venialia, anathema sit. Ideoque venialia sunt etiam sufficiens materia ad impetrandam absolutionem, item peccata jam semel aut saepius confessa, uti ex praxi fidelium eadem peccata saepe repetentium patet; haec enim semper sunt, et manent verum doloris et dolorosae accusationis objectum. *Suar.* D. 18. Sect. 4. n. 8. et seqq.

514. *Princip. II.* Si spectetur qualitas confessionis, juxta *Trid.* l. c. c. 5. ea debet esse *integra*, *aperta* et *verecunda*. A moralistis plures recensentur qualitates confessionis, quarum aliquae sunt de ejus substantia, scil. ut sit *fidelis*, *integra* et *dolorosa*: aliae sunt de perfectione confessionis, quae omnes continentur his versibus.

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, et discreta, libens, verecunda,
Integra, *secreta, et* lacrimabilis, *accelerata,*
Fortis, et accusans, et sit parere parata.

515. 1. Confessio debet esse *simplex*, h. e. sine superfluis verbis et impertinentibus narrationibus ac circumstantiis. Recte tamen notat *Bonacina* D. 5. q. 5. S. 2. p. 2. §. 2. n. 1. cum *Henriq.* hanc conditionem maxime quidem convenientem esse, non tamen necessariam; alias redderetur invalida confessio, si nimis exacta, prolixa et superflua enarratione peccata explicentur, sicut rudiores et scrupulosi solent explicare, ea solum intentione, ut peccata magis et melius declarent.

516. 2. *Humilis*, scil. ut poenitens confiteatur peccata sua cum humilitate tum *interna*, agnoscendo statum peccatoris coram Deo, sicut publicanus *Luc.* 18. ex hac agnitione non ausus oculos levare ad coelum, humillimo affectu dixit; *Deus propitius esto mihi peccatori.* Item sicut filius prodigus *Luc.* 15. *Pater peccavi in coelum, et coram te etc.* Tum *externa*, sine jactantia, sed verbis submissis ac humilibus, et humili corporis compositione: flexis genibus, aperto capite, deposito gladio etc. (nisi aliud necessitas permittat) ut tanquam reus suorum veniam peccatorum petat.

517. 3. *Pura*, ut fiat confessio sincero animo, et intentione obtinendi peccatorum veniam, non vero ex malo fine.

518. 4. *Fidelis*, sive verax, sine fallacia, deceptione et mendacio, ut poenitens nihil studio omittat, quod commisit, neque aliquid confiteatur, quod non commisit, sed dicat certa pro certis, dubia pro dubiis.

519. 5. *Frequens*, sive saepius iterata: quaenam frequentia sit de praecepto, quaenam de consilio, dicetur in resol. cas.

520. 6. *Nuda*, sive clara, non palliata verbis adeo obscuris et amphibologicis, ut ex modo proponendi Confessarius nec speciem, nec gravitatem peccati possit dignoscere.

521. 7. *Discreta*, sive prudens, qualis erit si poenitens non afferat ea, quae ad rem non pertinent: si omissa historica totius facti narratione id solummodo dicat, quod exprimit peccati speciem, et simul omnia, quae sunt ejusdem speciei, in unum colligat, eorumque numerum exponat: sic multa brevissime confitebitur peccata. Item ad discretam confessionem pertinet, ne poenitens aliorum peccata immisceat, complicem prodat.

Peccant in hoc ii, qui ad explicanda peccata propria referunt peccata aliorum, uti solent uxores peccata mariti, famulorum famularumque, et e contra mariti peccata uxorum manifestare, quem abusum Confessarius tollere debet, tum ne ipsemet non impediens ejusmodi detractorias narratiunculas, cum facile possit, alienae detractionis reus fiat, tum ne poenitens quaerendo veniam peccatorum novam Dei offensam incurrat. *Reginald.* L. 6. n. 3. et 65.

522. 8. *Libens*, sive spontanea. voluntaria, non coacta: 1. quidem hoc sensu, quod poenitens debeat habere intentionem saltem implicitam recipiendi Sacramentum: adultus enim absque omni intentione valide non potest suscipere Sacramentum. 2. ne quis tantum ideo confiteatur, quia aliunde compellitur ad confitendum, quamvis non vitietur confessio, si forte aliquis ex metu infamiae aut poenae tanquam motivo secundario confiteatur, si nihilominus primario intendat consequi remissionem peccatorum. *Stoz* L. 1. p. 3. q. 2. n. 51.

523. 9. *Verecunda*, ut poenitens erubescat animo de turpitudine peccati et exponat peccata verbis honestis, et modo loquendi utatur verecundo. Cavendum tamen est, ne verecundia eo usque procedat, ut poenitentem posthabito Dei timore et amore inducat ad reticenda peccata. Monet hic *Bonac.* D. 5. q. 4. Sect. 2. punct. 2. n. 19. ne Confessarius deterreat sub ipsa confessione poenitentem verbis duris et asperis, sed reprehensionem, si ea opus esse videatur, potius differat usque ad finem confessionis.

524. 10. *Integra*: est autem integritas, quae huc pertinet, duplex, scil. alia materialis, formalis altera. *Materialis* est, quando poenitens omnia peccata mortalia post baptismum commissa, et nunquam confessa, aut nondum legitime expiata, tam quoad numerum, quam quoad speciem, rite confitetur. Haec integritas *per se* et *regulariter* ad omnem confessionem semper fuit et est necessaria, ut patet ex *Trid.* cit. supra n. 513. *Ratio* ibid. scil C. 5. sess. 14. subditur: *Constat enim Sacerdotes judicium hoc, incognita causa, exercere non potuisse, neque aequitatem quidem illos in poenis injungendis servare potuisse, si in genere duntaxat, et non potius in specie, ac singillatim sua ipsi peccata declarassent.* Ex iisdem rationibus adhuc *per se* requiritur dicta integritas. *Formalis* est, quando poenitens confitetur quidem aliqua peccata, etsi unum vel alterum, vel ex invincibili oblivione, vel ex alia justa causa omittat. Haec sufficit, quoties poenitens vel physice, vel moraliter est impotens ad confitendum omnia peccata. Hinc supra dixi, quod integritas materialis *per se* loquendo, semper sit necessaria, *necessitate praecepti divini*, scil. quando non excusante justa causa illa potest servari; cum autem hoc praeceptum sit affirmativum, non obligat semper pro semper sive pro omni casu, ideoque urgente justa causa tum saltem necessaria est, et sufficit ad valorem confessionis integritas formalis. Dixi 1. *necessaria est* scil. *necessitate Sacramenti* quia si nullum omnino peccatum exponatur, confessio esset nulla ex defectu materiae. Dixi 2. *et sufficit*, quia si accedente justa causa reticeatur aliquod peccatum, et tamen aliud exponatur, adhuc haberetur materia sufficiens ad valorem Sacramenti. Juxta communem a confessionis integritate materiali excusatur: 1. Qui praemisso diligenti examine peccatum, cujus quidem memoriam habuit, sub ipsa confessione obliviscitur, aut qui plane non reminiscitur peccati commissi; ad impossibile enim nemo tenetur. 2. Qui invincibiliter ignorat hunc vel illum actum, cujus quidem recordatur, esse peccaminosum. 3. Impotens ad exprimendum omnia ob defectum loquelae, vel ignorantiam idiomatis. 4. Prudenter timens sibi, vel Confessario grave ex integra confessione damnum. 5. Excusantur naufragi. 6. Milites mox praeliaturi. 7. Moribundi accelerante morte. Vide resol. cas.

525. 11. *Secreta*, h, e. confessio non fiat coram aliis audientibus, sed coram solo Sacerdote audiente, sive ad aurem Sacerdotis, hinc dicitur *auricularis*: quamvis enim absolute loquendo fieri possit publice; et olim subinde facta sit publice, hodie tamen non amplius in usu est. Vide *Trid.* sess. 14. de poenit. C. 5. Decipiuntur etiam illi, qui putant, quatuor primis saeculis obligationem fuisse publice confitendi peccata mortalia etiam occulta, ut patet ex Epist. 36. alias 80. *S. Leonis* Papae (qui sedit ab anno 440. usque ad annum 461.) ubi ita habet: *Illam etiam contra Apostolicam re-*

gulam presumptionem, quam nuper agnovi a quibusdam illicita usurpatione committi, modis omnibus constituo submoveri, ne videlicet de singulorum peccatorum genere, libello scripta professio publicetur, cum reatos conscientiarum sufficiat solis Sacerdotibus indicare confessio secreta.

526. 12. *Lacrymabilis*, h. e. cum vero animi dolore ac detestatione peccatorum, et proposito, non vero quod necessario debeat fieri confessio cum lacrymis, suspiriis externis, lamentis, ejulationibus, ut in §. praeced. dictum est.

527. 13. *Accelerata*, h. e. non nimium differatur; poenitentia enim sera est raro vera.

528. 14. *Fortis*, ut poenitens vincat respectum, ut vocant humanum, noxium confitendi pudorem, aliasque difficultates, de quibus *Trid.* l. c. ait: *Ipsa hujusmodi confessionis difficultas, ac peccata detegendi verecundia, gravis quidem videri posset, nisi tot tantisque commodis et consolationibus levaretur, quae omnibus digne ad hoc Sacramentum accedentibus per absolutionem certissime conferuntur.*

529. 15. *Accusans*, h. e. 1. propriae malae voluntati imputans peccata non complexioni naturali, multo minus defectui auxilii divini, consequenter nec Deo, quod esset blasphemum cogitare. 2. *Accusans*, non *excusans* peccata sua, nisi vere subsit causa excusans a gravitate peccati v. g. ignorantia, inadvertentia etc. 3. *Accusans* se, non alios. De complice dicetur infra.

530. 16. *Parere parata*, h. e. acceptet poenitens tum injunctam a Confessario poenitentiam, tum salutaria monita, instructionem, media emendandi vitam etc.

Denique notandum, quod effectus confessionis hoc versu continentur

Abluit, absolvit, sanat, corroborat, ornat.

Abluit scilicet culpam, absolvit a poena aeterna, sanat animae vulnera, corroborat per auxilia gratiae, ornat habitu virtutum infusarum.

531. *Princip. III.* Confessio sacramentalis necessaria est hominibus post baptismum in peccatum mortale lapsis, necessitate praecepti divini, et ecclesiastici. *Prob. primum* ex *Trid.* sess. 13. C. 5. ubi ita docet: *Ex institutione Sacramenti Poenitentiae... universa Ecclesia semper intellexit institutam etiam a Domino integram peccatorum confessionem, et omnibus post Baptismum lapsis jure divino necessariam existere.* Idem statuitur, can. 7. n. 514. et 524. Ibid. can. 6. ita habetur: *Si quis negaverit, confessionem sacramentalem, vel institutam, vel ad salutem necessariam esse jure divino, aut dixerit, modum secrete confitendi soli Sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper observavit et observat, alienum esse ab institutione et mandato Christi, et inventum esse humanum, anathema sit. Confirm.* 1. Christus *Joan.* 20. Apostolis dedit potestatem judiciariam remittendi et retinendi peccata; ergo hoc ipso imposuit fidelibus praeceptum confitendi peccata. Judex enim non potest ferre judicium de peccatis, nisi haec illi innotescant. *Confirm.* 2. ex perpetuo usu et sensu Ecclesiae Graecae et Latinae. Quid? quod hic usus jam indicetur in Actis *Apostolorum* C. 19. v. 18. *Multique credentium veniebant confitentes et annuntiantes actus suos.* Ejusdem meminit *S. Jacobus* in sua epist. C. 5. *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra*, h. e. homines hominibus ad hoc ministerium ordinatis scil. Presbyteris. *Confirm.* 3. ex eo quod si confessio non est de jure divino, incredibile foret, viros summos, ipsos Pontifices, Imperatores, Reges, Principes, aliosque sagacissimos, superbissimos, etiam improbissimos ad peccata gravissima, simulque occultissima simplici alicui Sacerdoti cum tanta saepe anxietate, humilitate et dolore manifestanda potuisse adduci. Recte proinde *Henricus VIII. Rex Angliae* in assertione septima Sacramentorum dixit: *Si humana ea lex*

fuisset (scil. de confessione auriculari) *vel accepta illa nunquam fuisset, vel aliquando in ea fuisset dispensatum cum viris principibus.* Recte etiam damnat *Trid.* l. c. can. 7. illam doctrinam . quae asserit, *confessionem tantum esse utilem ad erudiendum et consolandum poenitentem, et olim observatam fuisse tantum ad satisfactionem canonicam imponendam.*

532. Non tamen semper necessaria est ad remissionem peccatorum confessio sacramentalis *in re*, sed . quando fieri non potest reipsa, sufficit *in voto*, scil. per actum contritionis, vel charitatis *perfectae;* qui enim perfecte Deum diligit, vel ex motivo perfectae charitatis conteritur, paratus est ad servanda omnia mandata, ideoque etiam vel explicite vel implicite paratus est ad implendum praeceptum confessionis.

533. *Neque dicas:* per contritionem perfectam, vel actum charitatis perfectae homo accipit remissionem peccatorum. et justificatur; ergo frustra adhuc ea confitetur ad impetrandam remissionem. R. D. A. Accipit remissionem manente tamen obligatione peccata confitendi, dum datur copia Confessarii, et urget praeceptum confitendi C. Accipit remissionem peccatorum, et liberationem ab obligatione confitendi N. Ant, et Cons. *Vide Theol. Scholast.*

534. Probatur etiam *secundum* de necessitate confessionis ex praecepto ecclesiastico, quod habetur c. *Omnis utriusque sexus*, de Poenit. et Remis. ex *Conc. Later.* et in C. *Trid.* sess. 14. c. 8. vi cujus omnes et singuli utriusque sexus Christi fideles tenentur semel in anno confiteri, postquam ad annos discretionis pervenerint.

535. Porro *observa* 1. Praeceptum confitendi licet non statim obliget post commissum peccatum, obligat tamen, ne nimis diu differatur confessio. 2. Praeceptum confitendi etiam obligat per se in mortis articulo, sive in quolibet probabili vitae periculo; siquis tamen tunc nequeat confiteri, tenetur elicere contritionem perfectam, manente obligatione confitendi, si postea adhuc possit confiteri; quilibet enim tenetur lege tum naturali, tum divina adhibere medium a Deo ordinatum ad consequendam salutem aeternam. De obligatione confitendi ante celebrationem Missae, et sumptionem Eucharistiae, si quis sit in statu peccati mortalis, vide dicta C. praeced. et n. 54.

Resolvuntur Casus

CASUS I. De materia confessionis

Leo Judaeus nuper baptizatus confitetur, quod a suscepto baptismo nullum peccatum commiserit; addit praeterea, quod ante susceptum baptismum multa injuste acquisita possederit; quaerit Confessarius an saltem nunc restituerit: respondet Leo: Instructori meo id quidem promisi, sed sub ipso baptismo mutavi animum, volens injuste possessa retinere.

536. *Q.* I. An Leo (ex supposito quod non habuerit peccatum post baptisma) debuerit confiteri peccatum ante baptisma commissum R. *Negative;* quia peccata ante baptismum commissa et ipsum originale non sunt materia apta confessionis sacramentalis. *Trid.* enim sess. 9. C. 14. et sess. 14. C. 1. 2. 3. et 4. et can. 1. constanter tenet, Sacramentum poenitentiae ex institutione Christi esse pro peccatis post baptismum commissis. Vide dicta n. 513. et propos. 19. ab *Alex. VIII.* damnatam. *Ratio* est: quia juxta *Trid.* sess. 5. per baptismum ita tollitur id, quod veram et propriam rationem peccati habet, ut nihil prorsus in renatis supersit, quod eos ab ingressu coeli remoretur: ergo falsum est, quod post baptismum opus adhuc sit satisfactione nostra pro peccato originali; ergo etiam falsum est, quod homo debeat agere tota vita poenitentiam pro peccato originali. *Viva* in dicta propos.

537. *Q.* II. An Leo debuerit confiteri peccatum sub ipso baptismo commissum. R. *Affirmative:* quia in primo instanti baptismi jam erat fidelis, et sub-

ditus Ecclesiae quoad primum esse, sicut in primo instanti, quo quis peccat, est peccator. Deinde peccatum sub ipso baptismo commissum, vel continuatum impedit baptismi effectum: ergo non potest tolli per baptismum; ergo debet tolli per medium praeter baptismum institutum, scil. per Sacramentum poenitentiae. *Palao* T. 23. D. un. punct. 6. n. 2.

538. *Q.* III. Quomodo ergo tolluntur peccata commissa ante baptismum susceptum cum obice? R. Per dolorem supernaturalem; cum enim per hunc retractentur, reviviscit baptismus, et reviviscens omnia tollit peccata ante baptismum susceptum commissa: indigna autem susceptio baptismi et alia peccata, quae sub vel post baptismum commissa sunt, exponi debent in confessione. Vide *S. Thom.* 3. P. q. 69. a. 11.

539. *Q.* IV. An similis ratio habenda sit de peccatis in haeresi commissis, sicut de peccatis ante baptismum admissis. R. *Negative*; quia peccata in haeresi commissa, uti et ipsa haeresis sunt materia confessionis, quae secundum praxim facienda est post emissam fidei professionem: haeretici enim per baptismum subjiciuntur Ecclesiae.

Casus II.

Ludgardes Monialis se accusat, quod minus fervide responderit divinis inspirationibus; non fecerit bona, quae potuit: quod passa sit graves tentationes ad blasphemias contra Deum, quibus tamen non consensit; in fine addit: Accuso me de venialibus, quae per vitam commisi.

540. *Q.* I. An *solae* imperfectiones (quales sunt, non respondere singulis inspirationibus divinis, mane primam cogitationem non habere de Deo, infringere propositum, vel regulam sub peccato non obligantem, et similia) sint materia confessionis. R. *Negative. Ratio* est, quia de se non sunt peccata; ergo in illis *solis* non verificatur forma absolutionis. Nihilominus Confessarius in iis exponendis non debet facile impedire confitentem, nisi sit scrupulosus, aut alia ratio obstet. *Ratio* est; quia earum expositio servit ad exercendam humilitatem, et saepius imperfectiones habent adjunctum peccatum veniale, v. g. delectationis pure sensualis, impatientiae, negligentiae, otiositatis culpabilis etc. Idem dicendum est de transgressionibus regularum in religioso ordine, ubi illae non obligant sub peccato. *Lessius*, *Dicast.*, *Jansen.* P. 2. cas. 97. n. 1.; addi tamen debet materia certa, v. g. peccatum ex praeteritis confessionibus.

541. *Q.* II. An proclivitas ad malum, v. g. ad iram, superbiam etc. item an tentationes ad malum sint materia confessionis. R. *Negative*: quia nec proclivitas, nec tentationes ad malum nobis sunt liberae; ergo de se, nisi accedat consensus, etiam non sunt peccata; solent tamen tentationes subinde manifestare pii fideles non quidem in ordine ad absolutionem, sed ad melius explicandum conscientiae suae statum. De consensu requisito ad peccatum egimus in P. 1. n. 289. 293. De signis praestiti consensus ibid. n. 296. et 297.

542. *Q.* III. An possit absolvi Ludgardes, confitens in genere peccata venialia, quin meminisse potuerit, quaenam fuerint in specie. R. *Affirmative*; quia praebet materiam absolute sufficientem. Nec obstat quod haec materia non sit determinata secundum speciem, uti requirit *Trid.*, quia Ludgardes tantum exprimit speciem, quantum potest, si enim aliud specifice certum peccatum nosset, utique tutius foret illud addere. Eodem modo resolvit *Escobar* Theol. moral. L. 15. problem. 46. n. 208. de aegroto, qui circa mortis articulum solum aperuit Confessario veniale in communi. Pariter juxta *Sbogar* Tr. C. 3. n. 22. et *Bassaeum*, si quis sciat, se graviter peccasse in genere, oblitus tamen sit speciem peccati, tenetur se accusare de tali peccato eo modo, quo est in conscientia, quia jam adest materia certa peccati, licet ignoretur species. Hinc *per se* quidem ad formandum rectum judicium requiritur notitia peccati

secundum speciem et numerum; per accidens tamen sufficere videtur judicium circa peccatum in genere expositum, quamdiu ejus notitia secundum speciem haberi non potest.

543. *Quid*, si Confessarius dubitet, an peccatum poenitentis sit mortale vel veniale. Respondet ibi n. 21. *Sbogar*, quod eum debeat absolvere, quia jam habet materiam certam in genere moris, licet non in qualitate peccati.

Casus III.

Landulphus singulis annis facit confessionem generalem de tota vita, et dum singulis hebdomadis confitetur, peccatis ab ultima confessione commissis confuse immiscet quaedam peccata graviora jam saepius confessa, dubia vero nunquam confitetur.

544. *Q.* I. An confessio generalis de tota vita sit necessaria. R. Ex supposito quod quis omnia mortalia jam semel modo debito fuerit confessus, non est necessaria: quia sic poenitens satisfecit praecepto divino de confitendis mortalibus, et hoc ipso quod omnia fuerit dolorose confessus, remissa sunt; necessaria vero est, si praecesserint confessiones culpabiliter invalidae, saltem ab ultima invalida confessione. Dixi si *culpabiliter* etc. quando enim inculpabiliter aliquod peccatum grave fuit omissum, sufficit illud in proxima confessione exponere, quin jam exposita repetantur. Dixi etiam, *necessaria non est confessio generalis*; absque dubio enim valde expedit repetere per confessionem generalem peccata (excipe scrupulos); tum quia id conducit ad se humiliandum, tum quia sic facile defectus occulti supplentur. Ita *Comm.* addit *Laym.* L. 5. t. 6. C. 3. n. 5. non esse novum peccatum, si quis in confessione generali unum alterumve peccatum grave omittat, quod jam legitime confessus est: quia eo ipso non amplius sunt materia necessaria. Porro ad directionem eorum, qui volunt generaliter confiteri, Confessarius, si advertat non praecessisse confessiones sacrilegas, non sit importunus in quaerendo, nec passim omnibus suadeat, ut consulant catalogos peccatorum, vulgo *Peicht spiegel*; unde saepius ex notitia peccatorum nunquam cognitorum augentur tentationes.

545. *Q.* II. An Landulphus recte egerit, confuse peccatis necdum confessis commiscendo jam confessa. R. Regulariter loquendo decens est, ait *Laymann* L. 5. t. 6. C. 3. n. 5. de ea re Confessarium admonere, ut is praesentem poenitentis statum cognoscere et conformem poenitentiam injungere possit; levior enim poenitentia injungi debet pro peccatis jam semel aut iterum expiatis, quam pro nunquam confessis. Hinc etiam in confessione generali poenitens prius debet explicare, quaenam peccata commiserit ab ultima confessione. Ita *Reding* hic n. 29. *Sanch.* tamen L. 1. in Decal. C. 10. n. 71., *Lugo*, *Tamb.* et alii affirmant, id absolute necessarium non esse; eo quod peccatum sit idem, sive illud jam semel confessus fueris, sive non. Denique circa repetitionem peccatorum *Suar.* Disp. 18. de Poenit. sect. 4. n. 9. monet, duo extrema esse vitanda. 1. Ne quis putet, per se loquendo, necessarium esse peccata semel rite confessa iterum confiteri, quando de valore prioris confessionis rationabiliter non dubitetur. 2. Cavendus est contemptus necessariae dispositionis ex eo quod peccatum jam sit remissum; nova enim confessio iteratam requirit dispositionem. Ibid. n. 10. cum *Richardo* ait repetitam peccatorum confessionem fieri posse, quotiescumque homo movetur novo motu devotionis, erubescentiae et doloris.

546. *Q.* III. An peccata dubia sint materia confessionis. Ante R. *advertе*, quod tripliciter possis dubitare circa peccata: 1. An peccatum commiseris. 2. An id, quod commisisti, mortale sit an veniale. 3. An peccatum grave commissum fueris confessus; vel non. Praeterea ex dictis P. 1. n. 28. intellectus tunc proprie dicitur dubitare, quando proposita utraque parte nec

praebet assensum nec dissensum alterutri, quia vel caret omni vel sufficienti motivo, quo ad ferendum judicium actualiter determinetur; hinc si intellectus non praebeat assensum vel dissensum ex alia causa, v. g. ob distractionem ad alia objecta, non dicitur dubitare. Dubium *negativum* definimus cum *Babenstuber* T. 8. P. 6. D. 2. a. 2. n. 18. quando suspensio judicii accidit ob defectum vel omnis motivi inclinantis ad assensum vel dissensum, v. g. quando quis proposita quaestione: an stellae sint numero pares? ex defectu omnis motivi nec affirmat, neque negat, stellas esse numero pares: vel quando suspensio judicii oritur non quidem ex defectu omnis motivi, sed ex defectu sufficientis ad determinandum intellectum, ut ferat de alterutro extremo judicium. Dubium vero *positivum est*, quod nascitur vel ex motivis utrinque probabilibus et sufficientibus ad ferendum prudens judicium de partibus contradictionis, vel saltem ex motivis pro una parte contradictionis affirmanda sufficientibus, licet non adsint sufficientia pro altera parte. Hoc genus dubii eatenus non est verum dubium, quatenus id, quod ex iis oritur, non est suspensio judicii, quae est de essentia dubii. His praesuppositis.

548. R. 1. Qui dubitat *positive*, an commiserit mortale, vel an plene consenserit, tutius quidem agit, si illud confiteatur; non tamen tenetur confiteri. *Ratio* est, quia cum talis pro utraque parte habeat graves rationes, potest sibi formare prudens judicium reflexum, quod non commiserit mortale, vel quod plene non consenserit; libertas enim est in possessione contra legem, quia ante illud dubium certo erat liber a lege confitendi, certae autem libertati superveniens dubium praevalere nequit. *Suarez* D. 22. S. 9. n. 6. Vide P. I. de conscient. probab. a n. 76. et de conscient. dub. n. 53. Idem sentiunt de eo, qui positive dubitat, an peccatum certo commissum fuerit confessus; quia ob graves rationes potest deponi hoc dubium. Ita *Lugo*, *Dicast.*, *Gobat.*, *Stoz* hic n. 156. Contrarium videtur in praxi suadendum, quia lex confitendi est in possessione, et legi certae non satisfit per solutionem incertam, ideoque rationes pro priore casu allatae non pugnant pro hoc posteriore dubio positivo. *Jansen.* C. 92. n. 22. Pariter;

548. R. 2. Qui scit se peccasse graviter, dubitat vero mere *negative*, an sit confessus, tenetur adhuc peccatum illud confiteri. *Ratio* est, quia tunc lex confitendi est in possessione, nec potest stante dubio negativo (scil: quando intellectus destituitur omni motivo ex utraque parte) prudenter judicari, illi satisfactum esse; nulla enim habetur ratio id judicandi; ergo. Ita *Coninck*, *Haun.*, *Lugo*, *Carden.* in 1. Crisi D. 47. n. 41.

549. R. 3. Qui dubitat negative primo vel secundo modo, an peccatum commiserit, vel an commissum sit mortale, tenetur id confiteri, non quidem ut certum, sed tanquam dubium, juxta sententiam, usum et praxim antiquissimam, ut ait *Babenst.* l. c., *Suar.* l. c. n. 7. cum *Palud.*, *Richard.*, *Soto Nav.*, *Sylv.* et aliis Summistis. *Ratio Suaresii* est; quia stante dubio negativo homo dubitat practice de obligatione confitendi; stante autem dubio practico tutior pars est eligenda, nimirum quae magis removet periculum; atqui tutius est confiteri: ergo stante dubio negativo eligenda est confessio. *Major prob.* quia, qui mere negative ex defectu omnis motivi ex utraque parte dubitat, hoc ipso non habet prudens motivum ad deponendum dubium pro alterutra parte; similiter qui habet quidem rationes utrinque probabiles, non tamen sufficientes, ut possit se determinare ad ferendum judicium pro altera parte, manet in dubio: ergo cum negative dubitans an peccarit, non possit prudenter judicare, se non peccasse, tenetur confiteri.

Conf. 1. Lex confitendi omnia peccata est certa et in possessione: incertum autem est, an peccata dubia reipsa non sint peccata; ergo lex confitendi manet in possessione. Praeterea *Suaresio* certum est, integritatem hujus judicii sacramentalis postulare cognitionem hujusmodi dubiae conscientiae.

Conf. 2. Confitens de peccatis dubiis debet dolere; alias exponit Sacramentum periculo nullitatis: ergo etiam ea debet confiteri. Plura vide apud *Bardi* Discept. 6. de conscient. dub. C. 11. P. 4. §. 1. *Joannes Praepositus* contrariam opinionem ait esse speculative probabilem; concludit tamen a nostra sententia, quae est communis, non esse recedendum. Objectiones Caramuelis solutas vide apud *Bardi* l. c. et *Babenst.* l. c. a n. 31.

550. De peccatis dubiis porro resolves. I. Bene distinguendi sunt scrupuli a prudenti dubio, ideo Confessarius regulas pro scrupulosis P. I. T. 1. C. 4. traditas in promptu habeat in confessionibus scrupulosorum.

551. II. Peccata dubia regulariter non sunt materia sufficiens absolutionis: hinc si quis confiteatur sola peccata dubia, monendus est ut addat aliquod certum saltem veniale etiam ex praeteritis confessionibus, si nullum occurrat commissum ab ultima: quia non decet absque rationabili causa etiam conditionatam tantum absolutionem exponere periculo frustrationis, quod fieret, si peccata illa dubia revera non sint peccata: hinc *Laym.* l. c. cum *Suar.* tradit sequentem regulam: *Si Confessarius nullam certam, sed solum dubiam absolutionis materiam ex poenitente elicere possit, interdum sub conditione tacita absolvere eum poterit, si peccati gravitas, personae periculum, aliaeve circumstantiae id postulare videantur; interdum vero absolutione supersedere, si nulla necessitas appareat Sacramentum sub conditione ministrandi.*

552. III. Qui confessus est peccatum certum ut certum, de quo tamen dubitabat an sit mortale vel veniale, non tenetur id rursus confiteri, licet postea comperiat fuisse mortale, quia talis integre confessus est suum peccatum, et supponitur, nullam circumstantiam necessariam fuisse omissam. *Sanch.* L. 1. Decal. C. 10. n. 69. Addit *Babenst.* l. c. n. 37. quod ad valorem Sacramenti necessarium non sit ex institutione Christi, ut poenitens aut Confessarius certo cognoscat peccatum, an sit mortale vel veniale, cum id in omni casu scire sit impossibile; Confessarius tamen tenetur nosse, an hoc vel illud peccatum sit ex genere suo grave vel leve. Denique res plena periculi, maximeque inconveniens est, studio quaerere Confessarium indoctum et nescientem discernere inter lepram et lepram. Porro

553. IV. Juxta communissimam sententiam, qui confessus est peccatum mortale ut dubium, si postea deprehendat esse certum peccatum, tenetur illud iterum confiteri. *Ratio* est, tum quia peccatum jam ut certum est in conscientia, tum quia postquam peccatum certo cognoscitur esse commissum, lex confitendi est certa: an autem satisfeceris obligationi, dum illud confessus es ut dubium, est plane dubium: ergo lex certa confitendi est in possessione. *Dicast.* D. 9. dub. 2. n. 141. *Jansen.*, *Babenst.* contra *Arriag.*, *Bosco*, *Sporer* hic n. 397. et alios.

554. V. Peccata dubia in confessione explicanda sunt ut dubia, non ut certa, juxta num. 518., quia peccata eo modo explicanda sunt, quo sunt in conscientia; imo poenitens si confiteretur dubia ut certa, mentiretur in re gravi. Ita *Sanch.* l. c. n. 68. ubi tamen eos a peccato gravi excusat, qui bona fide et quadam simplicitate ducti existimant, esse consultius in confessione plus, quam minus dicere.

Casus IV. De Integritate materiali confessionis.

Leander vitae spurcissimae diu deditus tandem statuit emendare vitam: accedit proinde ad Confessarium, et confitetur: Ego peccata luxuriae commisi, et ut possem frui libidine multa furta commisi. Interrogatus de numero et specie peccatorum reponit: Nec numerum, nec speciem propter diuturnam consuetudinem possum exprimere: quantitas furti non excedit centum florenos.

555. *Q.* I. An et quomodo debeat exprimi numerus peccatorum. R. Si sciatur certus numerus, debet exprimi determinate; si certus non sciatur, exprimi debet verisimilis, qui ad veritatem a conscientia dictatam propius accedat, v. g. commisi hoc *decies circiter*, vel *plus minus*; sub his enim verbis aliae aliquot vices continentur vel excedentes, vel minuentes numerum. *Primum* probatur ex *Trid.* sess. 13. can. 7. ubi requiritur, ut omnia et *singula* peccata, quorum memoria cum debita et diligenti praemeditatione habeatur, exponantur; atqui si sciretur, et non exprimeretur certus numerus, non exponerentur omnia et singula peccata: ergo. *Secundum* patet ex eodem C. 5. ubi *Trid.* ita docet: *Constat enim, nihil aliud in Ecclesia a poenitentibus exigi, quam ut, postquam quisque diligentius se excusserit, et conscientiae suae sinus omnes et latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum ac Deum suum mortaliter offendisse meminerit; reliqua autem peccata* (tum quoad speciem, tum quoad numerum) *quae diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa esse intelliguntur.*

556. *Q.* II. Quid sit agendum cum Leandro, qui propter diuturnam consuetudinem nec numerum, nec speciem peccatorum exprimere satis potest. R. Recogitet et exponat quot annis immersus fuerit vitio, an paratus fuerit ad quaevis luxuriae vitia committenda cum variis hominibus: quoties circiter per mensem, septimanam aut diem solitus sit peccare cogitatione, verbo vel opere: recogitet quoties circiter per septimanam aut mensem enormius peccarit, et v. g. contra naturam, cum persona sacra, consanguinea, conjugata etc. Hac ratione Confessarius saltem prudens judicium poterit formare de statu poenitentis, cui moraliter impossibile est melius exponere numerum ac speciem. Vide P. I. de sexto praecepto Decal. Sic etiam satisfacit, qui diu odio habuit proximum, dicendo: Integro anno perstiti in odio, et quoties memoria inimici occurrebat, actus odii exercui, vindictam spirans, imprecans etc. id quod singulis diebus factum est. *Laym.* L. 1. t. 3. C. 3. n. 3.

557. *Q.* III. An, si quis numerum verisimilem per particulam *circiter* expresserit, postea vero reminiscatur, quod saepius peccarit, teneatur adhuc confiteri illum excessum. R. Si excessus ille sit modicus vel in se, vel respective ad numerum, quem expressit, non tenetur, quia sufficienter per particulam *circiter* fuit expressus, secus si notabiliter excedat. Juxta regulas autem prudentiae communiter quo major est numerus expressus, eo major etiam est excessus, qui in eo censetur contineri: sic in quatuor prudenter censetur contineri unum, in 9. aut 10. duo; in 30. tria aut quatuor: in 100. sex vel octo. Vide *Lugo*, *Navar.*, *Diana* P. 3. t. 4. Resol. 194. Porro *τὸ aliquoties* non se extendit nisi ad 2. vel 3., *τὸ saepius* nonnisi ad 4. 5. vel ad summum 6. vices.

558. *Quid*, si quis expressisset numerum certum sine *circiter*, v. g. Blasphemavi ter, postea vero certo recordaretur, quod quater blasphemaverit? R. Tenetur adhuc exprimere illam vicem, quia nullo eam signo aut verbo manifestavit. *Herzig* de munere Confessarii C. 3. n. 44. Qui bona fide dixit, se circiter decies quid fecisse, sed postea comperit, id vigesies a se factum fuisse, satisfacit, si proxima confessione, omissis prioribus decem vicibus jam confessis, dicat se decies id fecisse. *Ratio* est; quia per binas illas confessiones totum numerum peccatorum exprimit. Plura de numero peccatorum vide in P. I. n. 289. et seq. item n. 313. et seq.

559. *Q.* IV. An et quale examen conscientiae praerequiratur ad integritatem confessionis. R. Requiritur *diligens* examen, vel ut ait *Trid.* sess. 14. C. 5. de Poenit. diligens sui discussio: hoc ipso enim quod integritas ex praecepto divino requiratur, etiam praecipitur medium ad eam necessarium, scil. diligens discussio peccatorum. Quanta autem diligentia requiratur, unica regula vix potest definiri. Communiter requirunt AA. mediocrem sive ordinariam, qualem unusquisque pro status sui conditione, et judicii capacitate in re seria solet

adhibere. Hinc breviore examine indigent, qui frequenter, quam qui raro confitentur: rudes quoque ac imperiti non possunt tam exacte conscientiam discutere, sicut docti et probe instructi; ideoque Confessarius illos juvare debet, ut ait *Laym.* L. 5. t. 6. c. 8. n. 1. ubi addit, quod negligentia crassa, non vero levis tantum impediat valorem hujus Sacramenti.

560. An, qui debilis est memoriae, teneatur scripto adnotare peccata sua. R. Juxta *Sporer*, *Fill.*, *Bonac.*, *Babenst.* T. 8. P. 6. D. 5. n. 8. contra *Vasq.* non tenetur, tum quia haec est diligentia extraordinaria, tum quia plerique, qui scribere nesciunt, absque hoc medio satisfaciunt integritati, tum quia per confessionem in scripto prudenter timeri potest, ne quo casu publicetur. Ex eadem ratione *Laym*, et *Palao* affirmant, nequidem mutum tenere confiteri scripto; eo quod hic modus confitendi secundum se sit publicus. *Suarez* vero, *Gormaz* et alii asserunt, eum qui subito destitutus usu linguae, et aliter non potest integre confiteri, nisi ex scripto, et prudenter non timet manifestationem confessionis, teneri ad confitendum in scripto: qui enim tenetur ad finem, etiam obligatur ad media licita et secundum se facilia; ergo cum scriptura in his circumstantiis ponatur esse medium unicum, et cum absit morale periculum manifestationis, nec hoc medium sit magis publicum, quam nutus et voces, ad eam datur obligatio. Haec sententia tutior quidem est; illa tamen non caret sua probabilitate, praesertim quia si quis scribere possit, facile etiam nutu poterit peccatum exprimere; ergo scriptura non est unicum medium.

561. Juxta *La Croix* L. 6. p. 2. n. 1196. ex communi sententia sufficit, si quis per litteras peccata mittit Sacerdoti, et postea coram Sacerdote, qui ea legit, praesens dicat: *Accuso me de illis peccatis, quae a me scripta legit Reverentia vestra, et peto absolvi.* Id tamen sine rationabili causa fieri non debet, quia est contra communem et ordinariam praxim Ecclesiae. Ib. n. 1199. affirmat *La Croix* cum communi, si Confessarius viderit, vel aliunde extra confessionem cognoverit peccatum tuum, satis esse si dicas: *Accuso me de illo peccato, quod nosti.*

Q. V. Quaenam circumstantiae peccati necessario sint exprimendae in confessione.

562. Ante R. adverte. *Circumstantiae* aliae sunt *speciem mutantes*, quae ratione sui addunt actui peccaminoso malitiam specie distinctam ab ea, quam actus de se habet; sic ablatio rei e loco sacro furto addit speciem sacrilegii. Aliae sunt tantum *aggravantes* vel *notabiliter*, quae malitiam peccati intra eamdem speciem extraordinarie augent, faciuntque, ut idem peccatum sit multo gravius: talis est in furto circumstantia quantitatis notabiliter excedentis illam, quae constituit ordinarie furtum mortale, v. g. ablatio mille aureorum: item magis augent malitiam, major peccantis vehementia, intentio et duratio actus etc.; vel *non notabiliter aggravantes*, quae notabiliter non augent actum de se graviter peccaminosum. De circumstantiis speciem mutantibus locuti sumus P. I. n. 312. Jam

563. R. 1. Circumstantiae *impertinentes* non sunt explicandae in confessione; hae enim speciem peccati nec augent, nec minuunt, et idcirco dicuntur impertinentes.

564. R. 2. Circumstantiae generales, v. g. ingratitudo erga Deum, inobedientia etc. non sunt specialiter exprimendae *per se* loquendo: hoc ipso enim, quod sint generales et inbibitae in quovis peccato mortali, per se intelliguntur: ergo supervacaneum est eas addere, dicendo v. g. Sacrum omisi, ideoque ingratus fui Deo, inobediens Ecclesiae. Dixi *per se*, si enim eae circumstantiae formaliter et reflexe intendantur, v. g. si quis ideo graviter vellet peccare, quia positive vult contemnere Dei auctoritatem in praecipiendo, deberet hanc circumstantiam, quae addit novam malitiam specifice diversam, exprimere. *Suar.* D. 22. §. 4. n. 15.

565. R. 3. Circumstantiae, quae peccati speciem tantum augent, vel minuunt venialiter, licite quidem et recte exponuntur, necessario tamen exprimendae non sunt; eadem enim est ratio harum circumstantiarum, quae peccatorum venialium. Circumstantia autem, ratione cujus peccatum ex genere suo veniale evadit mortale, aperienda est, v. g. mendacium quod cedit in grave detrimentum proximi, ita *Comm.* Item circumstantiae, quae peccatum ita minuunt, ut quod iis seclusis fuisset mortale, ratione earumdem fiat vel nullum, vel veniale tantum peccatum, exprimendae sunt in confessione, v. g. si quis in extrema necessitate abstulit proximo sibi necessaria in notabili quantitate, debet extremam necessitatem simul aperire, quia alias se accusat de furto gravi, quod tamen non commisit. Vide *Bonac.*, *Stoz* L. 1. P. 1. q. 1. n. 82. et alios.

566. R. 4. Recte quidem exponuntur in confessione circumstantiae notabiliter aggravantes intra eamdem speciem, nulla tamen est obligatio *per se* loquendo, eas in confessione exprimendi. Ita *Babenst.* T. 8. P. 6. D. 5. n. 20. cum *S. Thoma* in 4. D. 16. q. 3. a. 2. quaestiunc. 5. ubi ita habet: *Alii vero dicunt, quod non sint de necessitate confitendae nisi circumstantiae, quae ad aliud genus peccati trahunt; et hoc probabilius est.* Item defendunt *D. Bonav.*, *S. Antonin.*, *Nav.*, *Less.*, *Stoz* l. c. n. 84., *Gobat* in Alphab. confit. n. 375., *Tambur.*, *Antonius Zerola*, *Sayrus*, *Regin.* et plures alii apud *Illsung.* T. 6. D. 6. n. 77. *Jansen.* hanc sententiam vocat vere probabilem, et in praxi tutam, ita ut eam sequens non exponat Sacramentum periculo nullitatis, sicut non exponit, qui ex oblivione vel ignorantia inculpabili peccati speciem omittit; certum enim est, tunc sufficere confessionem formaliter integram, etsi non sit integra materialiter.

Rationes, cur haec sententia non tantum ut probabilis quomodocumque, sed ut moraliter certa admittatur, in Theologia Schol. sunt sequentes. 1. A judicio gravissimorum DD. 2. Quia nulla obligatio est imponenda fidelibus tanquam necessaria, nisi de ea constet vel ex Scriptura, vel ex natura Sacramenti, vel ex doctrina Ecclesiae; atqui ex nullo horum capite constat, quod circumstantiae intra eamdem speciem mere aggravantes necessario sint explicandae in confessione: ergo. *Prob. min.* Conc. Trident. sess. 14. c. 5. et can. 7. jus divinum circa materiam confessionis declarans, et expresse de circumstantiis peccatorum loquens nihil aliud statuit, *quam eas circumstantias in confessione explicandas esse, quae speciem peccati mutant*; ergo *Trid.* non agnovit ex Scriptura, nec ex natura hujus Sacramenti, nec ex doctrina Ecclesiae eam obligationem, alias eam non dissimulasset, cum procedat doctrinaliter. *Confirm.* 1. Juxta R. J. ex can. 4. dist. 25. inclusio unius est exclusio alterius; vel ut alii declarant, in dogmatibus, quando affirmatur unum esse necessarium, et aliud tacetur, de quo similiter dubitatur, hoc negatur: atqui l. c. affirmat, necessarium esse ad integritatem confessionis, ut fideles explicent circumstantias speciem mutantes, et tacet necessarium esse, ut explicent mere aggravantes, de quo tamen similiter dubitabatur; ergo negat id esse necessarium. *Confirm.* 2. Ex dictis de hac lege non satis constat; in dubio autem an existat lex, ea non obligat, quia libertas manet in possessione: neque haec lex esset satis promulgata, cum eam plurimi et gravissimi DD. negent; ergo.

567. Contrariam sententiam cum gravibus AA. defendit *La Croix* l. 6. P. 2. n. 877. et *Henriquez* l. 5. c. 7. §. 6. quorum ratio est, quod omnia illa necessario exponenda sint in confessione, quae notabiliter variare possunt judicium Confessarii; sed circumstantiae notabiliter aggravantes possunt notabiliter variare judicium Confessarii: ergo. Patroni primae sententiae recte respondent Dist. M. Quae notabiliter possunt variare judicium circa speciem et numerum peccatorum C. M. Circa circumstantias non variantes speciem, nec augentes numerum N. M. Reliquas object. vide in Theol. Schol.

568. Denique alii cum *Esparza* et *Laym.* L. 1. T. 2. C. 10. mediam viam tenent, dicentes, necessario exponendas esse circumstantias aggravantes, quae se tenent *ex parte objecti* non autem quae se tenent *ex parte actus*. Sic ex horum judicio non satis est confiteri: Commisi furtum grave sed definite dicendum, quantum abstuleris, v. g. Furatus sum centum aut mille aureos. Item in peccato incestus, ajunt, exprimendum esse, an persona sit in primo, secundo, aut tertio gradu consanguinea. Verum cum nulla solida disparitas sit, cur circumstantias se tenentes ex parte objecti, non vero ex parte actus teneamur confiteri, manet in vigore prima sententia. Plura vide apud P. *Holzmann* Partis 5. Tom. 2. a n. 461.

569. Dixi supra n. 566. *per se loquendo* non esse obligationem, circumstantias aggravantes exprimendi, scil. quae oriatur immediate et directe ex ipso praecepto confessionis. Per *accidens* enim, et aliunde potest esse obligatio: ac 1. quidem si peccatum propter circumstantiam aggravantem sit reservatum, ne Confessarius forte non habens facultatem absolvendi a reservatis, limites potestatis suae excedat. Sic in Archi-Dioecesi Coloniensi gradus consanguinitatis, vel affinitatis in incestu exprimendus est, quia incestus cum consanguineis, vel affinibus in primo vel secundo gradu est peccatum reservatum. 2. Si duratio peccati tanta fuerit, ut prudenter credi possit illud saepius moraliter fuisse interruptum, ideoque numerice multiplicatum; ut contingere solet in diuturno odio, longa dilatione restitutionis etc. 3. Si poenitens de tali circumstantia interrogetur a Confessario, cui prudenter visum fuerit, id interrogare necessarium esse vel ad debitam dispositionem a poenitente eliciendam, vel ad salubre medium procurandum, vel ad obligationem restitutionis recte imponendam. *Ratio* est, quia tunc Confessario tamquam Judici, Doctori, et Medico competit jus interrogandi: ergo etiam poenitenti incumbit obligatio ad interrogata respondendi; unde damnavit *Innoc. XI.* propositionem in ordine 58. *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.* Ratio damnationis, quia Confessarius ad hoc ut rite absolvat, debet habere saltem probabile et prudens judicium de recta poenitentis dispositione, ideoque habet jus inquirendi an poenitens laboret impedimento veri propositi, quale praeter caetera est consuetudo peccandi. Deinde consuetudinario longe alia media praescribenda sunt: ergo. *Duarte V.* consuetudo n. 146.

570. At nonne poenitens *per se* tenetur aperire in confessione consuetudinem peccandi. R. *Per se* non tenetur; quia peccata praeterita non sunt circumstantia nova peccati hodierni speciem mutans. *Suar.* hic D. 22. sect. 4. n. 15. cum *Cano* contra *Sylvest.* Per accidens autem tenetur, si interrogetur a Confessario, ut patet ex n. praec. Vide *Lugo* de Poenit. D. 16. n. 201.

561. Q. VI. An poenitens in habita morosa delectatione venerea debeat exprimere objectum delectationis. R. Probabiliter non tenetur exprimere, nisi accedat desiderium opere peccandi, vel nisi expresse quis delectetur de persona non tantum ut objecto generice apto ad luxuriam, sed ut est conjugata, consanguinea etc. *Ratio* est, quia voluntas per simplicem complacentiam, sive morosam delectationem plerumque non tendit in objectum ut est a parte rei, sed ut proponitur ab intellectu; ergo si proponatur praescindendo a persona, in quam tendit delectatio, statu v. g. conjugali, vel libero, aut a circumstantia consanguinitatis etc. non contrahit diversam malitiam ex diversitate istorum statuum: atqui plerumque sic proponitur in simplici complacentia tantum sub ratione generica objecti venerei, praescindendo a statu personae: ergo. Ita *Stoz* L. 1. p. 3. n. 166. et seq. cum *Arriaga*, *Tambur.* et aliis. Contrarium defendunt *Salmanticenses.* T. 13. de peccat. D. 11. Dub. 3. n. 54. Dixi, *nisi accedat desiderium*, quia tunc intellectus proponit objectum non sub ratione generica objecti venerei, sed ut est affectum circumstantiis hujus vel illius status, aut conditionis.

572. *Q.* VII. An voto obstrictus debeat praeter delectationem morosam exprimere in confessione circumstantiam propriae personae. R. Voto obstrictus juxta communiorem id debet exprimere: de conjugato id pariter affirmant *Vasquez*, *Bonac.*, *Stoz* l. c. n. 167., idque probant ex communi sensu fidelium, et praxi. *Hurtadus* vero, *Sporer* et alii de conjugatis id negant, eo quod conjuges se non obligarint ad abstinendum a delectationibus etiam internis circa alienas personas: prior sententia in praxi tenenda videtur.

Casus V. De Integritate formali confessionis.

Lysippus Sacerdos vocatur ad aegrotum, quem usu linguae, et omni sensu destitutum reperit, ideoque anxius haeret an et quomodo moribundum debeat absolvere. Idem dum in festis solemnibus magnus est concursus confitentium, audito uno alterove peccato, poenitentes absolvit: saepe etiam urget poenitentes, ut praeter peccata etiam complices manifestent.

573. *Q.* I. An ad integritatem confessionis sufficiat signum doloris, si moribundus loqui nequeat. R. *Affirmative*; ut infra de munere Confessarii dicetur, et in sequenti quaest.

574. *Q.* II. Quaenam impotentia excuset ab integritate materiali. R. 1. Excusat *impotentia physica* omnia peccata exponendi, quia praeceptum divinum utpote prudentissimum non obligat ad impossibile. Talis impotentia n. 524. assignata est in ignorante peccatum, vel non recordante invincibiliter, in muto, moribundo destituto loquela, vel ignaro idiomatis quo utitur Confessarius: huc reducitur casus, quando ipse Confessarius viribus ita destituitur, ut ulterius confessionem excipere non possit, sed statim debeat absolvere dimidiata tantum confessione facta. Porro quamvis ignorans idioma Confessarii possit per interpretem confiteri, si velit; ad hoc tamen absolute non tenetur, tum quia haec confessio jam aliquo modo est publica, qualis tamen praecepta non est, tum quia ita confiteri difficile et periculosum est. Excipit *Tanncrus*: nisi interpreti per se jam nota essent poenitentis peccata. *Quid igitur faciendum* Confessario, si nec linguam poenitentis graviter infirmi intelligat, nec ille per interpretem velit confiteri? R. Habito doloris signo illum absolvat. Vide P. *Gobat* T. 6. a. n. 500. Facilis tamen habetur modus confitendi per interpretem: scil. Confessarius et poenitens sint in uno cubiculo, in proximo cubiculo sit interpres (vel si unicum tantum habeatur cubiculum, interpres faciem a poenitente penitus avertat, ita ut nullo modo illum videre queat): Confessarius vel ex indice peccatorum vel sine illo proponat peccata contra praecepta decalogi, Ecclesiae etc. Interpres singula proposita mox poenitenti suo idiomate recitet, poenitens si commiserit hoc, quod proponitur peccatum, Confessario nutu id significet, simulque numerum ex digitis demonstret. Hoc modo solus Confessarius satis percipiet speciem et numerum peccatorum, quin interpres possit peccata poenitentis cognoscere.

575. 2. Etiam excusat *impotentia moralis*, quae tunc adesse censetur, quando ex confessionis integritate, vel poenitenti, vel Confessario, vel tertio grave damnum eveniret. *Ratio* est, quia praecepta positiva non obligant ordinarie cum gravi damno: atqui praeceptum confessionis materialiter integrae est positivum: ergo. Sic Confessarius tempore pestis vel morbi contagiosi, quando excipiendo totam confessionem incurreret periculum vitae, potest perceptis aliquibus peccatis confitentem absolvere. *Coninck* D. 6. Dub. 9. n. 75. *Babenst.* l. c. n. 42. Item instante praelio, aut naufragio, dum omnium confessiones non possunt excipi, Confessarius praesens potest omnes simul, dicto uno peccato, quod minus infamat (vel si aliter fieri nequeat, dicentes in genere, se esse peccatores) absolvere, dicendo; *Ego vos absolvo* etc. *Busemb.* l. 6. t. 4. c. 1. de Sacram. cum *Sa* et *Coninck*.

576. *Q.* III. An liceat Confessario in magno concursu poenitentium auditis solum aliquibus peccatis eos absolvere, et confessionem reliquorum peccatorum gravium in aliud tempus differre. R. *Negative*; quia ex dictis ab integritate materiali non excusat, nisi impotentia physica vel moralis; atqui concursus poenitentium nullam inducit impotentiam: ergo. Vide Propos. 59. ab *Innoc. XI.* damnatam. *Confirm.* Si propter magnum concursum liceret dimidiare confessionem, plurima sequerentur inconvenientia, tum quia plurimis peccatis onusti plerumque expectarent talia festa, quibus inculpate liceret mediam tantum partem peccatorum excutere in aures Confessarii, tum quia illa forte peccata omitterent, ex quorum notitia deberent a Confessario salutaria media praescribi. *Sto*s L. 1. P. 3. n. 6. addit: *Meminerint Confessarii* (qui in magno concursu tantum solliciti sunt, ut multos audiant) *melius esse paucos bene audire, quam multos perfunctorie et male.*

577. *Q.* IV. An peccata in confessione omissa ob instans periculum vitae, vel ob aliam gravem causam non exposita, debeant adhuc in sequenti confessione exprimi. R. *Affirmative*. Patet ex propos. 11. damnata ab *Alex. VII. Ratio* est, quia Christus Dominus (ut loquitur *Tridentinum* sess. 14. c. 5.) Sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tanquam praesides, et judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quae Christi fideles ceciderint: atqui peccata mortalia ob periculum vitae, vel aliam gravem causam omissa nondum sunt delata ad Sacerdotem: ergo cessante periculo adhuc debent deferri; et hic est usus, sensus et praxis Ecclesiae.

578. *Q.* V. An verecundia excuset ab integritate materiali. R. *Negative*: quia verecundia per se et ex natura confessionis proprii delicti sequitur. De hac *Trid.* l. mox cit. ita docet: *Ipsa vero hujusmodi confessionis difficultas, ac peccata detegendi verecundia, gravis quidem videri posset, nisi tot, tantisque commodis et consolationibus levaretur, quae omnibus digne ad hoc Sacramentum accedentibus per absolutionem certissime conferuntur.* Ideoque invalidae sunt confessiones et repetendae, in quibus omissa sunt ex verecundia peccata mortalia.

579. *Adverte* 1. Quod gravia incommoda, quae ex integritate confessionis obventura timentur, ut inducant impotentiam moralem, debeant esse extrinseca confessioni, sive non immediate, et per se oriri ex ipsa confessione; ideo non licet peccatum grave omittere, etsi praevideam, quod Confessarius, qui me antea judicavit valde pium, mei aestimationem in se sit imminuturus: nec licet omittere peccatum, propterea quia timeo, subeundam esse magnam confusionem apud Confessarium, modo aliud damnum non sequatur. *Ratio* est, quia haec et similia per se et immediate ex confessione consequuntur, quae tamen illis difficultatibus non obstantibus a Christo fuit praecepta. *Esparza* q. 90. a. 2. ad 3.

580. *Adverte* 2. Metus alicujus mali, vel incommodi, ut excuset ab integritate materiali, debet esse gravis *ex opinione gravi fundamento subnixa*, v. g. si certa experientia constet, quid sibi vel aliis contigerit: si certo sciret confitens, alias hunc Confessarium peccatum jam revelasse, vel ad flagitium invitasse etc. *Ratio* est, quia praeceptum de integritate confessionis est in possessione, cui praevalere nequit superveniens dubium, vel levis suspicio poenitentis de detrimento aliquando sibi eventuro.

581. *Adverte* 3. Ut sufficiat integritas formalis, praeterea requiritur necessitas hic et nunc confitendi tali Confessario. Si enim absque gravi incommodo vel tuo vel tertii possis adire alium Confessarium, eique integre confiteri, vel differre confessionem aliquamdiu, non urgente praecepto, vel scandalo non obstante, ad hoc teneris. *Palao* T. 23. D. un. p. 11. n. 5.

582. *Q.* VI. An Superior auditis tantum reservatis possit sacramentaliter absolvere poenitentem, et remittere illum ad alium Confessarium pro obtinenda absolutione a non reservatis. R. Non licet, quia supponitur, neque adesse

impotentiam physicam, neque moralem. Pariter si urgeat praeceptum confitendi, et nequeas adire superiorem, confiteri teneris Sacerdoti inferiori omnia peccata etiam reservata, qui in tali necessitate tantum indirecte a reservatis absolvet, tibi autem postea incumbit onus adhuc comparendi coram Superiore, ut directe absolvaris a reservatis. *Bonac.* Disp. IV. de Euchar. Q. 6. punct. 1. n. 31. E contra *Duarte V.* Confessio. n. 140. resolvit, quod poenitens non tantum ob vitandum scandalum aut infamiam, sed etiam, ne per longum tempus debeat omittere confessionem et communionem, possit dimidiare confessionem, aperiendo inferiori tantum non reservata. At praeplacet prior resolutio.

583. *Q.* VII. An poenitens quando non potest aliter explicare suum peccatum, quam manifestando complicem sive socium criminis, et neque alteri confiteri, nisi illi, cui uterque notus est, obligetur ad illud manifestandum. Respondet *affirmative Babenst.* l. c. n. 46. cum *S. Th.* in 4. Dist. 16. q. 3. a 2., *Lugone* et aliis. Quia infamatio complicis in tali casu aeque est immediate conjuncta cum confessione, quam infamatio poenitentis. Porro de Sacramento poenitentiae, quod est ad complices in peccatis duas edidit constitutiones *Benedictus XIV.* prima incipit: *Suprema omnium Ecclesiarum;* altera vero: *Ubi primum.* Utramque illustravit commentariis *Lud. Anton. Muratori*, e quibus sequentes regulas pro Confessariis Theologia moralis *P. Antoine* recens impressa tradit.

584. I. Inquirere nomen poenitentis non licet, neque ejus habitationem, aliasve ejus qualitates et circumstantias, quae personam illius detegant *sine ulla rationabili causa* ... Ob hujusmodi curiositatem procul dubio peccaret Sacerdos.

585. II. Non licet poenitenti nomen complicis revelare; ejus enim est peccata sua, non aliena accusare. Peccato non caret, eoque interdum gravi, qui famae proximi sine ulla necessitate detrahit.

586. III. Si quis sponte, ex simplicitate tamen et ignorantia, complicis nomen in confessione detegit, uti rudibus e vulgo hominibus interdum evenit, non peccat; monendus tamen est, ut imposterum abstineat. Juvat hic addere regulam P. *Laym.* l. c. n. 13. Si Confessarius advertat, poenitentem paratum esse ad nominandum complicem circa ea peccata, quae sine complicis agnitione intelligi possunt, prohibere illum debet.

587. IV. Quicumque justo aliquo titulo sponte complicem in confessione revelat, nullum incurrit peccatum. Ejusmodi titulus est, ut petatur consilium ad rumpendam pravam consuetudinem, ad consulendum famae propriae, cui minatur insultum complex, si a peccato desistatur: potior enim est tutela conscientiae et famae propriae, quam alterius.

588. V. Nomen complicis sibi sive per ignorantiam, sive justo titulo revelatum sub sigillo confessionis Sacerdos retinere debet.

589. VI. Ad integritatem confessionis licite potest ac debet Sacerdos poenitentem interrogare de complice, cum videlicet occurrere possit circumstantia speciem peccati mutans: neque enim e. g. sufficit confiteri commissum carnale peccatum, sed simul aperiendum est, an adulterium, aut sacrilegium, aut incestus intercesserit.

590. VII. Confessarius in hoc casu interrogans, si nomen quoque, aut domum, aut alia signa exquireret a poenitente, per quae sibi persona complicis revelaretur, graviter peccaret; suo enim debito satis poenitens fecit aperiendo circumstantiam peccati, et dum caetera rite concurrant, absolvendus est; ulterior Confessarii interrogatio ad peccaminosam curiositatem est referenda, neque ad eam respondere poenitens tenetur.

591. VIII. Quando ex necessitate integritatis confessionis advertit poenitens, fieri non posse, quin Confessarius complicem sit cogniturus, puta, si res fuit cum sorore, aut uxore fratris, tunc ex sententia quorumdam gravium Theo-

logorum obligatur ad quaerendum alium Confessarium, cui ignotus sit complex. Alii vero TT. sentiunt, consilium hoc esse, non praeceptum; si enim, ut ait *Laym.* L. 5. t. 6. C. 8. n. 12., complici non aliud damnum eveniat, quam quod ejus fama apud solum Confessarium laedatur, posthabendum id est majori bono servandae integritatis: utitur enim tunc poenitens jure suo, et complex hoc aliquale famae dispendium sibi imputare debet, quando tale crimen admisit, quod coram legitimo judice aliter explicari nequit.

592. IX. Accidere interdum potest, ut adigendus sit poenitens ad revelandum complicem, cum nempe agitur de gravibus malis vitandis, quae in perniciem Reipublicae vergere possunt, sicuti accideret, si Principis vita periclitaretur, si aqua mortifera populo propinaretur, aut ex farina, cui gypsum mixtum foret, panis publicus conficeretur. Ut impediatur, si fieri potest, hoc malum, obligatur poenitens ad exquirendum consilium Confessarii, qui pro sua prudentia aut per se, aut per ipsum poenitentem remedia conquirat: nisi revelare velit poenitens minime est absolvendus; nam ex lege non minus justitiae quam charitatis tenetur ille pro virili curare, ut in tuto sit publica salus. De damno vitando, quod privatae alicui personae imminere potest, non loquor; nam fere semper suppressis complicum nominibus, consilium praebere potest Sacerdos.

593. X. Graviter peccat Confessarius, qui aut blandis artibus, aut minis haurire aut extorquere a poenitentibus nomina complicum absque justa necessitate velit: gravius etiam delinquit, si ob negatam revelationem absolvere poenitentem recuset.

594. XI. Neque gravis peccati reatum effugeret Sacerdos, si revelationem complicis exigeret, ut per operam suam correptio et correctio illius praestaretur; nam Confessarii munus tantummodo est, curare vulnera poenitentis, non vero aliena; exquirere peccata poenitentis, non aliena. De eodem puncto ad primam constitutionem *Benedicti XIV.* addit *Muratorius* l. c. Ad haec quisquis ex notitia complicis in confessione habita, quamvis licentia poenitentis confisus, complicem corrigendum suscipit, scandalis non paucis obnoxius est; indignatur enim, quicumque secreta sua crimina detecta videt, suaeque famae vulnus illatum a Confessario. In querelas igitur is facile erumpet, et sigillum sacramentale fractum suspicabitur, et Sacerdotem veluti proditorem tanti Sacramenti exclamabit: quae certe in perniciem Religionis vergere possunt.

595. Denique in Commentario ad primam constitutionem: *Suprema omnium Ecclesiarum*, idem *Muratorius* ait, quod in ea praxis eorum proscribatur, qui nullum justum titulum habentes complicum nomina scrutantur, et indebitae curiositatis reos se statuunt. Neque enim sapientissimus Pontifex damnationem ad eos casus extendit, in quibus aut integritas confessionis, aut publica necessitas, aut poenitentis ipsius conscientia exigit, ut poenitens complicem revelet. Quod cum accidit, ipsum poenitentem hortari, interdum etiam adigere potest ad revelandum, omisso tamen nomine et loco habitationis, si fieri potest.

Casus VI. De fideli confessione.

Leonardus confitetur: Ego sum maximus peccator: deliqui contra omnia praecepta Decalogi, et Ecclesiae. Quaerit Confessarius, quomodo deliquerit contra primum praeceptum. Respondet Leonardus: Nescio. Quaeritur ulterius, quid ergo commiserit contra alia praecepta. Item reponitur: Nescio. Infert Confessarius; Ergo mentiris dicendo, quod peccaveris contra omnia praecepta. Subjungit poenitens: Bene monet; nihil scio, quam quod nuper mentitus sum in confessione.

596. *Q.* I. Quale peccatum sit mentiri in confessione. R. I. Mentiri in confessione circa materiam gravem et necessariam confessionis, est peccatum mor-

tale, sic graviter peccat *primo*, qui negat se commisisse peccatum mortale, quod scit a se fuisse commissum, neque legitime hucusque in confessione expositum, neque justam negandi causam habet. *Secundo*, qui affirmat, se commisisse mortale, quod non fecit: in utroque enim casu graviter decipit Confessarium non sine gravi irreverentia Sacramenti. *Laym.* l. c. n. 15. Huc pertinent illi, qui majorem numerum peccatorum gravium, item qui dubia pro certis, et certa pro dubiis studio, non ex simplicitate exprimunt, de quibus supra n. 554.

597. R. II. Mentiri in confessione circa materiam sufficientem quidem, non tamen necessariam ad confessionem, est peccatum veniale; sic leviter peccat, qui affirmat, se commisisse hoc vel illud veniale, quod scit a se non esse commissum. *Excipe:* nisi fortassis hoc peccatum sit unica materia confessionis: tunc enim graviter peccaret, quia subjiceret Sacramento materiam minime sufficientem, cum non peccatum non sit materia absolutionis. Leviter etiam peccat, qui negat se commisisse aliquod mortale, quod hic et nunc non tenetur confiteri, vel quia per legitimam confessionem jam est remissum, vel quia habet justam et gravem causam illud omittendi. *Stoz* L. 1. P. 3. q. 2. n. 33. cum *Suarez*, *Coninck*, et aliis.

598. R. III. Mentiri in confessione in materia ad eam non pertinente, qualis est materia de se indifferens, et quae non continet rationem malitiae, peccatum grave vel leve est, prout grave vel leve esset, si extra confessionem fieret: sic leviter peccat, qui negat patriam aut nomen: omnino non peccavit, qui interrogatus de nomine respondit: Nomen meum non est peccatum. Eodem modo Leonardus noster non peccavit graviter, si ex simplicitate dixerit, se deliquisse contra omnia praecepta, quia plerumque rudes tali modo nil aliud volunt exprimere, quam se esse peccatores; secus si scienter falso id dixisset.

Casus VII. De Confessione annua.

Ludolphus se accusat, quod tempore paschali confessus quidem fuerit, sed sacrilege; ideo a Confessario jubetur repetere omnia tum omissa, tum invalide exposita peccata, cui Ludolphus: Reverende Pater, nullum peccatum omisi, imo et absolutionem a Confessario impetravi, is autem vel ex ignorantia, aut alio errore non advertit, quod noluerim deserere proximam peccandi occasionem.

599. *Q.* I. An Ludolphus, qui fecit confessionem voluntarie nullam, satisfecerit praecepto annuae confessionis. R. *Negative.* Vide Propos. 14. inter damnatas ab *Alex. VII. Ratio* est, quia qui voluntarie sic confitetur, non adimplet rem praeceptam; Christus enim et Ecclesia veram confessionem cum necessario dolore, proposito, et absolutionis receptione praecipiunt. Hinc Ludolphus peccavit tum peccato omissionis non adimplendo praeceptum, tum peccato commissionis sacrilegium committendo per confessionem invalidam ex defectu voluntario propositi.

600. *Q.* II. An huic praecepto Ecclesiae satisfaciat, qui facit confessionem nullam non culpa propria, sed Confessarii. R. Si defectus Confessarii, v. g. quod careat jurisdictione, aut debita intentione absolvendi etc. non sint noti poenitenti, satisfacit: quia talis non voluntarie, sed inculpabiliter fecit confessionem nullam; tenetur tamen confessionem repetere, ubi postea expertus fuerit nullitatem. *Duarte V.* Confessio n. 122.

601. *Hisce resolutionibus* adde I. Qui toto anni tempore ex justa vel injusta causa praeceptum confessionis non implevit, tenetur postea, cum primum poterit, confiteri: tempus enim non appositum est, ut exspiret praeceptum, sed ad statuendam obligationem, et ne diutius differatur confessio. *Duarte V.* Confessio n. 123. ubi addit, quod talis toties peccet, quoties oblata occasione omittit confiteri. Contrarium tenuit *Ledesma*, *Archidiaconus*, et alii.

602. II. Qui praevidet tempore paschali, vel toto anno sequente sibi defuturam copiam Confessarii, tenetur anticipato huic praecepto satisfacere; sicut qui praevidet, quod non possit audire ultimum Sacrum die festo, tenetur unum ex praecedentibus audire; tempus enim, ut supra dixi, non est annexum ad tollendam obligationem: ergo sicut praeceptum obligat post elapsum tempus, quo illud impletum non est, ita ante illud, quando futurum praevidetur impedimentum. *Fagundez* in 2. Pracc. Eccles. L. 1. C. 4. n. 16. cum *Sylv.*, *Adriano* et aliis.

603. III. Qui confitetur Regulari ab Ordinario approbato, satisfacit praecepto confessionis annuae: ita declaravit *Clemens X.* in Constit. quae incipit: *Superna* cit. a *Duarte* l. c. n. 126., *Azor* tom. 1. L. 13. C. 2., *Adrianus* in 4. de Confess. q. 5. Qui vero confitetur Regulari Episcopo praesentato, sed ab eo injuste reprobato, non satisfacit praecepto annuae confessionis. Vide Propos. 13. ab *Alex. VII.* damnatam. » Hic etiam notandum, meri- » to damnatam esse ab *Alex. VIII.* propositionem 20. quae ita habet: *Confes-* » *siones apud Religiosos factae pleraeque vel sacrilegae sunt, vel invalidae*; » merito etiam damnatam esse immediate sequentem 21. quia Novatores ista » asserentes falsis nituntur suppositis, scil. *primo*, falso dicunt, laxitatem in » injungendis poenitentiis a Religiosis inductam esse, ideoque confessiones » apud ipsos factas plerumque vel sacrilegas esse, vel invalidas, propterea » quod ob facilem aditum, quem habent ad Religiosos, a quibus leves poeni- » tentiae injunguntur, saepe deficiat propositum non peccandi de caetero. *Se-* » *cundo*, falso docent nimiam in poenitentia injungenda Religiosorum Men- » dicantium benignitatem oriri ex spe largioris eleemosynae a poenitentibus » obtinendae, ut idcirco Parochus possit suspicari, quod ab iis nimis leves sa- » tisfactiones hac de causa imponantur. Falsitas utriusque patet 1. ex eo, quod » praesens consuetudo Ecclesiae in administratione Sacramenti poenitentiae » etsi benignior, substantialiter tamen non differat ab antiqua licet rigidiore. » 2. Rigorem antiquum in poenis infligendis jam ante saeculum decimum ter- » tium, quo Religiosi Mendicantes initium duxerunt, Ecclesia remisit, ut osten- » dit *Viva* in cit. prop. 21.; teste enim Morino *statim post saeculum undeci-* » *mum poenitentiae exterioris severitas decrescere, minui et obsolescere coe-* » *pit*. 3. Bene sciunt Mendicantes, grave esse piaculum, ob spem lucri tempo- » ralis aliorum culpis connivere: ergo sine enormiter temeraria suspicione ne- » mo tam gravis peccati poterit accusare Mendicantes, utpote viros, qui ob spe- » cialem vitae immaculatae professionem, ob diuturnum studium, ob frequens » exercitium in resolvendis conscientiae casibus, et propter accuratum examen, » antequam approbentur, se satis aptos probant ad digne administrandum » poenitentiae Sacramentum. *Duarte* V. Confessio n. 144. Vide etiam Decre- » tum *Clement. VIII.* n. 481. relatum.

604. IV. In praxi quidem suadendum est omnibus, qui nonnisi peccata venialia habent, ut et ipsi praeceptum confessionis annuae observent, seque per gratiam sacramentalem contra tentationes irruentes roborent; ita docet usus omnium doctorum ac piorum fidelium; absolute tamen sub gravi peccato non obligantur hoc praecepto. *Ratio prima* est; quia *Trid.* sess. 14. cap. 5. cit. n. 513. expresse docet, peccata venialia etsi utiliter in confessione dicantur, taceri tamen citra culpam posse: ergo cum praeceptum confessionis, ut est divinum, se non extendat ad venialia, neque se ad ea extendit, ut est ecclesiasticum, cum tanta obligatio ex claris verbis alicujus legis nequeat probari. Ita *Fagundez* l.c. L. 2. C. 2. n. 8. cum *Nav.* in Manuali C. 12. n. 10 et 40., *Victoria*, *Toleto* et aliis contra *Cajet.* et fere omnes illos, qui docent votum et juramentum de re etiam levi obligare tamen sub gravi peccato. Ibid. addit *Fagundez* n. 19. cum *Angelo* contra *Nav.*, *Azor* et alios, quod nec obligemur sub veniali ex praecepto Ecclesiae semel confiteri in anno, quando mortalibus caremus: idque probat ex eadem ratione. Tridentinum enim l.c. disserte dicit, venialia *ci-*

tra culpam taceri posse. *Secundo*, quia alioquin venialia jam non essent materia mere sufficiens, ac voluntaria Sacramenti poenitentiae, sed aliquo modo obligatoria.

605. V. Juxta eumdem *Fagund.* l. c. L. 1. C. 6. causae excusantes ab hoc praecepto sunt 1. *Impotentia physica*, v. g. si non detur copia Confessarii; nemo enim tenetur ad impossibile. 2. *Impotentia moralis*, quando confessio fieri non potest sine gravi incommodo. Notandum vero, licet hic et nunc occurrat causa excusans a confessione unius vel alterius peccati, propterea non excusari quemquam ab impletione hujus praecepti, et confessione aliorum peccatorum mortalium, quia tunc tenetur reliqua confiteri tacendo illa, propter quae prudenter timet grave incommodum, cum obligatione ea confitendi, cessante causa excusante. Vide dicta a n. 574.

606. VI. De jure communi transgressor hujus praecepti *vivens ab ingressu Ecclesiae arceatur, et moriens Christiana careat sepultura*, ut patet ex c. *Omnis utriusque sexus.* L. 5. Decret. tit. 38. de poenit. et remiss.; ideoque talis ipso facto non incurrit excommunicationem, sed a judice prius ferenda est sententia. Addit *Canus* in relectione de Poenit. part. 5. has poenas non posse incurri, nisi quando transgressio praecepti est manifesta; quia tunc in judicio crimen potest probari, ut illi poenae imponantur. Dixi, *de jure communi*: nam teste *Fagund.* in aliquibus dioecesibus uti in tota Lusitania, excommunicatio ipso facto imponitur hujusmodi transgressoribus, et haec ibi incurritur ipsa omissione confessionis annuae, etiamsi sit occultissima, et in judicio externo probari non possit.

607. VII. Circa aetatem, in qua pueri baptizati ad hoc praeceptum adstringantur, ita statuit cit. cap. *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur.* Ex quibus communior docet, quod pueri incipiant obligari, quando adepti sunt sufficientem rationis usum, ita ut sint doli, sive peccati mortalis capaces, et sufficienter sciant discernere inter bonum et malum, licitum et illicitum; rationis enim usus non ex aetate, sed ex discretione pensandus est. Unde ex communi praesumptione parvuli non ante septimum aetatis annum, recte autem post illum completum censentur obligari ad confessionem sub praecepto ecclesiastico. Vide dicta P. I. n. 208. Quod autem statim (moraliter loquendo) post annos discretionis obligentur, probatur ex eo, quia tunc juxta communiorem obligantur aliis Ecclesiae praeceptis, v. g. audiendi Missam, diebus prohibitis abstinendi a carnibus; ergo etiam tum obligantur praecepto confessionis. Ita *Coninck* D. 5. de Conf. Dub. 5. n. 50., *Henriq.* L. 4. de Poenit. C. 5. n. 2., *Rosella*, *Sylv.* et alii contra *Sotum*, *D. Antonin.* 2. parte Summae tit. 9. c. 18. §. 2., *Ostiensem*, et alios, qui docuerunt, quod pueri ante 12. vel 14. annum non obligentur hoc praecepto, licet post septennium discernere inter bonum et malum, ac consequenter peccare possint. *Nequeverfert*, quod plus aetatis requiratur ad hoc, ut obligentur praecepto Eucharistiae percipiendae: tum quia hoc Sacramentum non est tantae necessitatis, sicut Sacramentum poenitentiae, tum quia ad intelligendum Ss. Eucharistiae mysterium, et ad eam debita reverentia suscipiendam plus requiritur, quam ad cognitionem peccati, et ad dolendum de eo.

ARTICULUS II. De Satisfactione Sacramentali.

§. I. *Praenotanda.*

608. I. Per Sacramentum poenitentiae remittitur quidem non tantum culpa, sed etiam poena aeterna; non tamen expungitur semper omne debitum poenae temporalis, ut docet Trid. sess. 14. C. 8. *de satisfactionis necessitate et fructu* ex sacris litteris et divina traditione; ideoque ibid. can. 12. ita definit: *Si quis dixerit, totam poenam simul cum culpa remitti semper a*

Deo, satisfactionemque poenitentium non esse aliam quam fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse, anathema sit. Et sequenti can. 13. *Si quis dixerit, pro peccatis, quoad poenam temporalem, minime Deo per Christi merita satisfieri poenis a Deo inflictis et patienter toleratis, vel a Sacerdote injunctis, sed neque sponte susceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo optimam poenitentiam esse tantum novam vitam, anathema sit.* Unde satisfactio alia est sacramentalis, alia extra-sacramentalis.

609. II. Satisfactio *Sacramentalis* est bonum aliquod opus unum aut multiplex virtute clavium injunctum poenitenti, partim ad persolvendam poenam temporalem pro remissis peccatis debitam et in hac vel altera vita adhuc luendam, partim ad praecavendum peccatum. Unde alia dicitur satisfactio *vindicativa*, quae ordinatur ad punitionem peccati commissi, et satisfaciendum Deo pro illata per illud injuria; alia *medicinalis*, quae praecipue ordinatur ad praecavenda peccata in posterum. Satisfactio *Extra-sacramentalis* fit non solum per pia opera sponte suscepta, sed etiam per aerumnas a Deo inflictas, et patienter toleratas, ut constat ex *Trid. cit.* In seq. §. de priore hic agemus.

§. II. *Principia de Satisfactione Sacramentali.*

610. *Principium I.* Confessarius, *per se* loquendo, tenetur sub gravi obligatione confitenti injungere poenitentiam, et quidem regulariter ante absolutionem. Patet ex *Trid.* sess. 14. c. 8. ubi ita docet: *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et poenitentium facultate, salutares et convenientes satisfactiones injungere, ne si forte peccatis connivent et indulgentius cum poenitentibus agant, levissima quaedam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem prae oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novae vitae custodiam, et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad praeteritorum peccatorum vindictam et castigationem. Confirm.* ex triplici officio Confessarii, nam ut Judex tenetur debitam pro delictis poenam exigere; ut Doctor, et Minister Sacramenti debet curare, ne Sacramento desit sua pars integralis, cujusmodi est satisfactio, quae a *Trid.* sess. cit. c. 8. ex omnibus partibus poenitentiae dicitur a Patribus perpetuo tempore fuisse commendata Christiano populo: denique ut Medicus tenetur poenitentem a relapsu praeservare, id quod abunde praestat injungendo satisfactionem medicinalem: ergo.

611. Dixi 1. *per se* loquendo: per accidens enim Confessarius excusatur ab impositione poenitentiae, si poenitens sit incapax illius persolvendae, sicut contingit in absolutione moribundorum, qui jam sensibus et viribus sunt destituti; si vero moribundus non penitus sit destitutus usu sensuum, injungendum est aliquod saltem leve opus, v. g. percussio pectoris, invocatio sanctissimorum nominum Jesu et Mariae, osculum Crucifixi, aut quinque SS. Vulnerum: poterit etiam Confessarius elicere actus fidei, spei, et charitatis, quos poenitens saltem mente simul eliciat. *Palao* Tit. 23. D. unica pun. 21. §. 2. n. 7. Juxta alios, si non possit poenitens per se implere opus injunctum, imponi potest eleemosyna, quam potest elargiri per alium.

Dixi 2. *sub gravi obligatione*, praesertim si poenitens peccata gravia nunquam ante confessa exposuerit: cum enim haec obligatio sit in materia gravi, procul dubio et ipsa erit gravis. *Babenst.* T. 5. P. 6. D. 5. a. 3. n. 5. Ib. n. 6. cum *Palao* ait, probabilius etiam sub gravi peccato teneri Confessarium injungere satisfactionem pro venialibus, aut mortalibus jam semel confessis; tum quia injunctio satisfactionis pertinet ad ritum hujus Sacramenti a Christo institutum, perpetuoque Ecclesiae usu receptum, quem data opera omittens implicite censeretur id agere ex contemptu institutionis divinae; tum quia

Confessarius aeque in confessione mortalium, ac in confessione venialium tenetur procurare integritatem Sacramenti; atqui satisfactio aeque pertinet ad integritatem Sacramenti in confessione venialium, ac mortalium; ergo. Ibid. tamen *Babenst.* ait probabilem esse sententiam *Lugonis* et *Illsung*, quod Confessarius in tali casu tantum peccet venialiter, eo quod desit suo officio tantum in re levi. Vide *Sporer* P. 3. C. 4. n. 544.

612. Dixi 3. *regulariter ante absolutionem:* 1. quidem ut omnes partes Sacramenti materiales subjiciantur Sacerdotis absolutioni tanquam parti formali: 2. ut ordo judicii melius servetur, qui exigit, ut reus satisfactionem prius spondeat, quam absolvatur. *Laym.* L. 5. t. 6. C. 15. n. 8. cum *Sylv.*, *Suar.* et aliis. *Confirm.* ex praxi universali, quam sine causa invertere non licet. Si tamen Confessarius forte ex quadam oblivione, aut turbatione non injunxisset poenitentiam, satis est si eamdem post absolutionem adhuc dictet, quia moraliter adhuc unus censetur actus confessionis. Ita *P. Gerardus Zetl* P. I. n. 228.

613. *Princip.* II. Poenitens sub obligatione ex genere suo gravi tenetur acceptare, et implere poenitentiam rationabilem obligatorie injunctam a Confessario. Dixi, *tenetur acceptare*: injungere enim poenitentiam et illam acceptare, sunt correlativa: ergo sicut Confessarius juxta *Trid.* debet injungere, ita poenitens eam tenetur acceptare. Hanc sententiam vocat *Suar.* hic D. 38. Sect. 7. n. 2. hoc tempore tam certam, ut post *Trid.* sine temeritate negari non possit. *Trid.* enim l. c. C. 8. expresse docet, in Sacerdotibus esse potestatem ligandi, non tantum ad infirmitatis medicamentum, sed etiam ad peccati commissi vindictam: quae potestas esset valde inefficax, nisi poenitens obligaretur ad poenitentiam et acceptandam et persolvendam. *Confirm.* In c. *Omnis utriusque* supra cit. eodem modo praecipitur fidelibus, ut confiteantur, et injunctam poenitentiam studeant implere: ergo. Ideoque *Sporer* l. c. n. 584. asserit veterum sententiam, scil. *Cajetani*, *Sylv.*, *Medinae*, hodie nonnisi extrinsece esse probabilem, quod nempe poenitens non teneatur acceptare poenitentiam, sed si semel acceptaverit, debeat illam implere. *Ratio* illorum erat, quod peccator in hac vita non teneatur satisfacere pro poena temporali, sed possit eam differre persolvendam in purgatorio.

§. III. *Resolvuntur Casus.*

Casus I. De obligatione Confessarii circa satisfactionem injungendam.

Martinus Confessarius praeter morem austerus poenitentias ex Jure Canonico, Conciliis et libris poenitentiariis colligit, moremque antiquum scrupulose sequitur, etiam imponendo poenitentias publicas: pro poenitentia injungere orationem pro defunctis nullo modo licitum esse statuit: idem nunquam audet dictare poenitentiam, nisi distinctam adhuc habeat singulorum peccatorum memoriam.

614. *Q.* I. Quid Confessario observandum circa Canones poenitentiales. R. cum *Gerardo Zetl.* 1. Praestat nosse nervum veteris rigorosae disciplinae ecclesiasticae: sic Can. 5. *Quae ipsis.* dist. 38. inter reliqua, quae Sacerdotibus necessaria sunt ad discendum, etiam recensetur Canon poenitentialis, ibique subditur: *Ex quibus omnibus, si unum defuerit, Sacerdotis nomen vix in eo constabit.* Propterea autem haec notitia est utilis, tum quia Confessarius ex ea discit aestimare gravitatem peccatorum, quae Ecclesia olim tam rigide punivit, tum quia facilius inveniet poenitentias congruas pro gravioribus delictis, denique quia ex rigore Canonum justum poenitenti horrorem peccatorum poterit incutere: ex quo promptius suscipiet mitiorem poenitentiam. 2. Observandum, quod Confessarius non debeat secundum totum antiquum rigorem procedere, uti habetur in Supplem. *D. Th.* q. 18. a. 4. *Sicut enim Medicus*

aliquando prudenter non dat medicinam efficacem, quae ad morbi curationem sufficiat, ne propter debilitatem naturae majus periculum oriatur; ita Sacerdos divino instinctu motus non semper totam poenam, quae uni peccato debetur, injungit, ne infirmus aliquis ex magnitudine poenae desperet, et a poenitentia totaliter recedat. Accedit, quod pleraeque graviores poenae a Canonibus Apostolicis et priscorum Conciliorum statutae sint potissimum pro foro Ecclesiae externo, et quidem ad arbitrium Episcopi injungendae.

615. *Q* II. Quinam sint praecipui Canones, qui contra vitia nostro tempore frequentiora timorem incutere possunt. R. Recenseo illos secundum ordinem Decalogi in compendio. *Circa I. praeceptum.* Juxta c. *in talibus* 1. de sortilegis. Peccans per sortilegia pro futuris inveniendis, vel per divinationes, 40. dies poeniteat. Juxta c. *qui divinationes*, quinquennio poeniteat, qui divinationes expetit.

Circa II. praecep. ex cap. *statuimus*, de maledicis. Qui blasphemaverit publice Deum vel Sanctum, et maxime B. Virginem, septem diebus dominicis praefestivis Ecclesiae in manifesto, dum missarum solemnia aguntur, stet, ultimo autem die sine pallio et calceamentis, ligatus corrigia circa collum, septemque praecedentibus feriis sextis in pane et aqua jejunet, Ecclesiam nullatenus ingressurus: quolibet quoque praedictorum dierum tres, si poterit, alioquin duos reficiat pauperes aut saltem unum. Quicumque sciens perjeraverit, quadraginta dies in pane et aqua, et septem sequentes annos poeniteat, nunquam sit sine poenitentia, et nunquam in testimonium recipiatur. c. *quicumque* 18. caus. 6. q. 1. Qui alios ad falsa testimonia vel perjuria attraxisse, vel quacumque corruptione sollicitasse convictus fuerit, usque ad exitum vitae non communicet. Can. *Si quis convictus* 7. caus. 22. q. 5.

Circa III. IV. et V. praecept. Qui opus aliquod servile die dominico festove fecerit poenitentiam aget tres dies in pane et aqua. Qui parentibus maledixerit, 40. dies poenitens sit in pane et aqua: qui parentes injuria affecerit, tres annos: qui eos percusserit, annos septem poeniteat. Si quis patrem aut matrem, fratrem aut sororem occiderit, toto vitae tempore non suscipiat Corpus Domini, nisi in obitu; abstineat a carne et vino dum vixerit, jejunet secunda et quarta et sexta feria. Si quis hominem occiderit, ad januam Ecclesiae semper erit, et in obitu communionem recipiet. Qui homicidii auctor fuit ob consilium, quod dedit, poenitentiam aget 40. dies in pane et aqua cum 7. sequentibus annis. Plura vide apud *P. Antoine* T. de Poenit. in Append. ad A. 3.

Circa VI. praecept. Sacerdos, qui fornicatur, poenitentiam agat annis decem, can. *presbyter* dist. 3. Si Sacerdos fornicatus sit cum filia sua spirituali, idest, quam baptizavit, aut de baptismo vel confirmatione suscepit, aut quae ipsi confessa est, poeniteat 12. annis, et in monasterio serviat Deo omnibus diebus vitae suae (can. *Si quis* 30. q. 1.), ipsa vero mulier debet omnia relinquere, et res suas pauperibus dare, et conversa usque ad mortem in monasterio Deo servire. Si laicus solutus cum foemina soluta concubuerit, poenitens erit tres annos. Si quae mulier cerussa, aliove pigmento se oblinit, ut aliis viris placeat, poenitentiam aget annos tres. Ita apud *P. Antoine* l. c.

Circa VII. praecept. Si quis Ecclesiam igne combusserit, 15. annos poeniteat, et eam sedulo restituat, et pretium suum pauperibus distribuat, can. 14. caus. 17. q. 4. Si quis justas mensuras, et justa pondera causa lucri mutare praesumpserit, 30. dies in pane et aqua poeniteat. Cap. *Ut mensurae.* Lib. 3. Decret. tit. 17. de empt. et vend. Plures Canones vide in fine Decreti Gratiani.

616. *Q. III.* An Martinus recte egerit injungendo poenitentias publicas R. 1. Si pro peccatis occultis injunxerit, graviter erravit: quia publica poenitentia pro occultis est contra usum Ecclesiae, et quodammodo infamativa poenitentis. Hinc Rituale Rom. disserte ait: *Pro peccatis occultis quantumvis gravibus manifestam poenitentiam non imponant.* R. 2. Nec pro peccatis pu-

blicis propria auctoritate potuit imponere poenitentiam publicam cum certa solemnitate peragendam, v. g. standi ad fores Ecclesiae cum cereo accenso etc. ut patet ex praxi, et satis clare colligitur ex *Trid.* sess. 24. de reform. c. 8. ubi postquam cum Apostolo monuisset, publice peccantes palam esse corripiendos, subdit: *Episcopus tamen publicae hoc poenitentiae genus in aliud secretum poterit commutare, quando ita magis judicaverit expedire.* Accedit, quod ex notitia peccati publice commissi ex confessione tantum accepta nullo modo liceat poenitentem accusare apud Superiorem: ergo Confessarius nec propria, nec auctoritate Episcopi potest in tali casu poenitentiam publicam injungere. R. 3. Hoc igitur sensu tantum Martinus poenitentiam publicam potuit imponere, ut poenitens coram iis, qui scandalum passi sunt, retractet sermones contra fidem, bonos mores, vel calumnias, detractiones etc. sic enim Confessarius non manifestat peccatum, sed poenitens inducitur ad id, quod ex se facere tenetur ad tollendum scandalum. *Antoine* l. c. cum *S. Th.*

617. *Q.* IV. An recte senserit Martinus, quod non liceat injungere pro poenitentia preces vel alia pia opera pro defunctis peragenda. R. Sensit contra communiorem, quam commendat Catechismus Rom. P. 2. de Poenit. n. 63. ubi ita docet: *Ex omni satisfactionum genere maxime convenit poenitentibus praecipere, ut certis aliquot, et definitis diebus orationi vacent, ac pro omnibus, et praesertim pro iis, qui ex hac vita in Domino decesserunt, preces Deo faciant. Ratio* autem est, quia actus charitatis, quo quis applicat aliis bonum opus, jam habet vim satisfactivam, sicut omne opus meritorium, adeoque hic quidem actus ex opere operato, et quatenus est pars integralis Sacramenti, determinatur in satisfactionem pro peccatis ipsius poenitentis, ipsum vero opus, quod ex charitate ponitur, potest prodesse tum poenitenti, tum defunctis, cum vi suae bonitatis habeat valorem impetratorium et satisfactorium. Ita *Lugo* D. 25. n. 62. *Palao*, *Rassler*, et alii contra *Vega*, et *Lohner*.

618. *Q.* V. An Confessarius, dum imponit satisfactionem, debeat necessario habere distinctam singulorum peccatorum memoriam. R. Cum id plerumque sit impossibile moraliter, satis est meminisse status poenitentis ex singulis antea auditis, et intellectis peccatis. *Antoine* in Theol. moral. T. de Poenit. a. 3. in fine q. 2. cum *Sylvio.*

619. *Q.* VI. Quaenam sit ultima mensura poenitentiae injugendae. R. Cum neque lege divina, neque humana certa poena sit praescripta, quae poenitentibus dictetur, merito pro ultima regula statuitur prudentia Confessarii, prout haec dirigi debet in sacro tribunali a superno lumine, a cognitione delicti, et personae delinquentis. Ita clarissime colligitur ex *Trid.* mox citato: debent ergo Sacerdotes Domini, quantum *spiritus et prudentia* suggesserit, *pro qualitate criminum, et poenitentium facultate* salutares et convenientes satisfactiones injungere. Specialiter caveat Confessarius 1. ne sit *nimium lenis*, prout non raro contingit vel ex *inani timore*, dum non audet juxta exigentiam sui officii poenitentibus in dignitate constitutis convenientem gravitati peccatorum poenitentiam injungere; vel ex *amore non ordinato*, vel ex *vana gloria*, ad comparandum sibi nomen boni Confessarii, vel ad obtinendum, aut conservandum numerum copiosum poenitentium. Ita *Gerard. Zetl* P. I. c. 4. n. 215. Perpendant Confessarii verba *Trid.* l. c. *ne si forte peccatis conniveant, et indulgentius cum poenitentibus agant, levissima quaedam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.*

620. 2. Caveat Confessor, ne sit *nimium severius*, qui rigor ordinarie oritur vel ex *indiscreto zelo*, dum Confessarius tantum intuetur gravitatem peccatorum, absque reflexione ad causas poenam mitigantes, de quibus infra: vel *ex scrupuloso animo, et nimia anxietate*, dum sibi persuadet, nunquam se officio suo satisfacere, nisi severiores poenitentias injungat: vel denique ex *inordinata passione*, dum ex defectu mansuetudinis facillime offenditur ab

ignorantia, vel importunitate confitentium, vel ipse nauseat onus excipiendi multorum confessiones. Meminerit talis Confessarius, obligationem imponendi poenitentiam esse commissam suae prudentiae, non inordinatae passioni. Meminerit quoque scrupulosus Confessarius, quod praestet mitius, quam rigidius agere cum poenitentibus. Vide c. *alligant* 12. causa 26. q. 7. *Alligant autem onera gravia et importabilia ... Tales sunt, qui grave pondus venientibus ad poenitentiam imponunt: qui dicunt et non faciunt: et sic, dum poenam praesentis poenitentiae fugitur, contemnitur poena peccati futura ... Deinde etsi erramus modicam poenitentiam imponentes, nonne melius est propter misericordiam rationem reddere, quam propter crudelitatem: ubi enim pater familias largus est, dispensator non debet esse tenax: si Deus benignus est, ut quid Sacerdos ejus austerus? Vis esse Sanctus? circa vitam tuam esto austerus, circa alienam benignus.* Sententia Magni *Gersonis* erat, tutius esse cum moderata poenitentia, quae sponte suscipitur, mittere poenitentem ad purgatorium, quam cum rigidiore non implenda in infernum.

621. *Q.* VII. Quaenam sint causae, ob quas poenitentia subinde levior possit injungi. R. 1. Poenitentis infirmitas corporalis. 2. Infirmitas spiritualis, vi cujus Confessarius *prudenter* timere potest, ne poenitens vel non impleat rigidiorem poenitentiam, vel per eam a confessione deterreatur. 3. Dolor extraordinarius, quem Confessarius ex ipsa confessione, vel suspiriis, saepe etiam ex lacrimis colligere potest. 4. Indulgentiae, quas poenitens lucrari ipso die confessionis intendit. *Laym.* L. 5. t. 6. c. 15. n. 12. et 13. Juxta aliquos levior etiam poena imponi potest, quando Confessarius post formulam absolutionis addit: *Passio D. N. J. C. etc.* Vide *La Croix* L. 6. p. 2. n. 1250.

622. *Q.* VIII. Quaenam opera pro poenitentia possint injungi. R. cum *Trid.* sess. 6. c. 14. Oratio, jejunium, eleemosyna, et alia pia spiritualis vitae exercitia: hae enim sunt satisfactiones poenales simul et medicinales. *Per jejunium* intelliguntur omnes corporis afflictationes, v. g. flagellationes, cilicia, lumicubationes, abstinentia a carne, vino etc. Huc etiam pertinet privatio licitarum voluptatum sensuum. *Per eleemosynam* intelligitur omne opus misericordiae tum spirituale, tum corporale. *Per orationem* omnis actus religionis in Deum, hujusmodi sunt preces tum *mentales* juxta dicta P. 1. n. 163. item meditationes de morte, inferno, aeternitate, passione Christi, actus interni virtutum, frequens recordatio Dei praesentis, repetita suarum afflictionum, et actionum oblatio ad gloriam Dei, actus fidei, spei, charitatis, contritionis etc.; tum *vocales*, v. g. preces jaculatoriae, rosarium, officia, litaniae, psalmi poenitentiales etc. Huc referuntur examina conscientiae, auditio Missae, et concionum, confessio, communio etc. Ita *Antoine* l. c. ubi subjungit, quod *ordinarie* non liceat injungere opera jam aliunde praecepta, quia etsi nulla peccata quis commisisset, nihilominus ea deberet praestare, quia sunt praecepta; adeoque nec sunt ad vindictam et castigationem. Dixi *ordinarie:* quia si ex rationabili causa opus aliunde jam debitum injungeretur, nova adderetur obligatio exequendi opus, quod si omitteretur, duplex esset peccatum. Pariter satisfactiones vindicativae non sunt, restitutio famae, compensatio damni, fuga occasionis peccandi etc. (vide dicta P. I. n. 202. et seq.); quia ad haec per se jam obligatur poenitens.

623. *Q.* IX. Quaenam sint poenitentiae salutares et convenientes, de quibus *Trid.* R. *Salutares* sunt, quae ad peccata commissa castiganda, et ad satisfaciendum Deo pro injuria, et ad praecavenda similia magis conducunt. *Convenientes* sunt, quae tum peccatorum multitudini et gravitati, tum statui, aetati, sexui, conditioni, et dispositioni poenitentis magis conveniunt: ideoque ut *satisfactiones vindicativae* sive *poenales* sint convenientes, debet haberi ratio infirmitatis, valetudinis, laboris, status, officiorum, paupertatis poenitentis, prout prudentia suggeret. Hinc errant illi, qui injungunt diu noctuque graviter la-

borantibus jejunia, famulis longas peregrinationes etc. *Satisfactiones medicinales* ut sint convenientes, Confessarius causam, radicem, ac motivum peccatorum poenitentis prius investiget, ut remedia eorum emendationi apta injungat: illae enim dicuntur medicinales, quae peccatorum causas ac radices resecant, malos habitus tollunt, pravas cupiditates coercent, occasiones peccandi removent et vitia curant: tales sunt actus virtutum interni et externi vitiis poenitentis oppositi. Unde Rit. Rom. monet: *Contraria peccatis poenitentias injungat, velut avaris eleemosynas, libidinosis jejunia, vel alias carnis afflictiones, superbis humilitatis officia, odio proximi laborantibus opera charitatis proximi etc.* Est quoque generale, et utile remedium, ut in materia, in qua quis commisit illicita, abstineat etiam a licitis, item frequens usus Sacramentorum poenitentiae et Eucharistiae.

624. Pro praxi ulterius *observa* I. Quamvis unica ac certa regula definiri non possit, qualis poenitentia pro peccato mortali sit injungenda, cum id fieri debeat cum reflexione ad vires, statum et dispositionem poenitentis; communiter tamen pro uno mortali, nisi sit nimis enorme, injungi potest rosarium, officium de Ss. nomine Jesu, de B. Virgine, Litaniae de omnibus Sanctis, Litaniae Lauretanae cum precibus, auditio Sacri, jejunium etc. Si plura mortalia in eadem confessione exponantur, non semper pro singulis peccatis singula rosaria injungenda sunt (alias subinde centum aut plura deberent injungi), sed poenitentia quaedam gravior cum leviore per plures dies persolvenda.

625. II. Consuetudinario praeter poenitentias mox assignatas injungi potest unum vel alterum opus ex sequentibus: 1. Ut certo die iterum confiteatur et communicet. 2. Ut toties, quoties usque ad proximam confessionem relapsus fuerit, determinatam aliquam poenitentiam persolvat, v. g. recitando Litanias Lauretanas, vel quinque Pater et Ave, det aliquam eleemosynam, corpus affligat etc. 3. Ut singulis diebus per mensem, vel septimanam, vel usque ad proximam confessionem certas preces persolvat, vel (si capacior sit) aliquandiu de quatuor novissimis meditetur. 4. Ut singulis diebus ad certum usque tempus, v. g. per octiduum, vel 14. dies mane firmiter statuat ab illo peccato abstinere, opemque Dei humillime imploret, se devote commendet B. Virgini, Angelo custodi, et Ss. Patronis, ut vesperi serium examen instituat, et si deliquerit, serio conteratur. Plura apud *Ger. Zetl* p. 1. n. 223.

626. III. Nunquam praestat pro poenitentia injungere, ut poenitens emittat votum abstinendi ab hoc vel illo vitio, sed si votum videatur esse conducens medium, praestat illud suadere emittendum ad tempus, ne poenitens gravioribus peccatis exponatur. Denique dissuadent plerique perpetuam injungere poenitentiam.

Casus II. De Obligatione admittendi et persolvendi poenitentiam.

Malachias poenitentiam sibi a Confessario injunctam obliviscitur, ideoque in proxima confessione aliam petit; hinc Confessarius rigidior plura rosaria, jejunia, et alia opera injungit. Malachias timens ne, si conqueratur, plura injungantur, rogat absolutionem; postea propria auctoritate sibi substituit devotulam aliquam, quae loco ipsius jejunet, ipse vero reliqua post plures menses persolvit.

627. *Q.* I. Quale sit peccatum, culpabiliter omittere poenitentiam R. Omittere grave em poenitentiam pro mortali injunctam v. g. confessionem, communionem, vel septem psalmos poenitentiales, aut rosarium, vel jejunium, est peccatum mortale: qui enim tenetur aliquid praestare, per se ad id obligatur graviter, si res sit gravis. Ita *Duarte V.* Poent. n. 505. cum comm. Omittere vero levem injunctam pro solis venialibus, aut pro mortalibus alias jam rite confessis, secluso contemptu et scandalo, probabilius est tantum veniale; quia completio partis integralis, qualis est satisfactio, per materiam levem non obligat nisi leviter pro ratione materiae. Ita *Antoine* de Poent. A. 3. q. 7. contra alios,

qui dicunt etiam sic esse mortale, eoquod sit gravis irreverentia Sacramentum privare sua integritate; contra quos *Jansen.* P. 3. casu 101. n. 4. ait, etiam veniale tantum esse, omittere gravem poenitentiam injunctam pro peccatis tantum venialibus, v. g. jejunium; quia judex debet commensurare poenam delicto; ergo si peccata sint tantum venialia, etiam obligatio ad poenitentiam videtur esse venialis.

628. *Q.* II. Quid? si quis oblitus sit, qualis poenitentia fuerit injuncta. R. Si possit interrogare Confessarium suum, debet interrogare: si non possit, ad nihil absolute tenetur: neque enim poenitens sua auctoritate subrogare potest aliud opus, nec illud elevare, ut sit pars Sacramenti: nec tenetur propterea iterum confiteri priora peccata, quia ab iis directe fuit absolutus, et talis obligatio non potest sufficienter probari; sed satis est accusare negligentiam, si quae intercurrit, ut ait *Jansen.* l. c. n. 7. Addit *Laym.* L. 5. T. 6. c. 15. sub fin. consultum esse, ut qui poenitentiam praesertim gravem oblitus fuit culpate vel inculpate, in proxima confessione similem (videlicet talem, qualis pro gravibus vel levibus injungi solet) a Confessario, sibi injungi petat. Anxii et scrupulosi satisfaciunt, eam, quam prudenter sibi putant injunctam, persolvendo.

629. *Q.* III. An Malachias satisfecerit substituendo aliam personam, quae loco ipsius partem notabilem poenitentiae impleret. R. *Negative.* Vide propos. 15. *ab Alex. VII.* damnatam. *Ratio* est, quia satisfactio est quasi materia hujus Sacramenti, et pars integralis tanquam actus poenitentis: ergo necessario debet poni a poenitente, sicut contritio et confessio, ideoque hic non valet regula Juris: *Quod quis per alium etc.* quia ibi tantum valet, ubi non exigitur ex speciali ratione actio personalis. Hinc addit *Duarte* l. c. n. 502. quod nec Confessarius ita possit imponere satisfactionem, ut poenitens per se vel per alium impleat. *Excipe*, si Confessarius jubeat, ut poenitens per alium mittat eleemosynam ad certum pauperem, quia hoc modo revera praeciperet actionem personalem, scil. elargitionem eleemosynae ab ipso poenitente faciendam, licet per alium alteri tradendam.

630. *Q.* IV. An poenitentia a Confessario injuncta possit in aliam mutari. R. 1. Non potest propria auctoritate mutari ab ipso poenitente, etsi opus substituendum videatur melius: reus enim non potest mutare sententiam judicis, nec subditus opus praescriptum a Superiore, nec satisfactio potest esse sacramentalis, nisi injungatur a ministro. *Antoine* l. c. q. 10.

631. R. 2. Nec alius Confessarius eam potest mutare extra confessionem; potest autem eam mutare, si poenitens priorem confessionem repetat. *Ratio* primi est, quia poenitentiae commutatio est impositio poenitentiae loco prioris, ideoque actus judicii sacramentalis, qui extra confessionem non potest fieri. Quod autem requiratur nova confessio, inde probatur, quia *Trid.* sess. 14. c. 5. ait, hoc judicium a Sacerdotibus, incognita causa, exerceri non posse. Contrariam sententiam, quod non necessaria sit repetitio prioris confessionis *Laym.* l. c. n. 16. cum multis gravibus AA. adhuc dicit probabilem. Vide etiam *Burghaber* cent. 3. c. 6. Propter diversitatem AA. *Gerard.*, *Zetl* l. c. n. 235. resolvit: Optime faciet Confessarius secundus, si vel simpliciter a poenitente petat, an prior confessio fuerit de similibus peccatis, qualia modo confessus est, vel obiter interroget, propter quae peccata principaliter ipsi poenitentia tam gravis fuerit injuncta; ex hoc enim sufficienter cognoscet causam et statum poenitentis. *Ratio* secundi est, quia omnes Confessarii habent aequalem (exceptis casibus reservatis) potestatem; ergo sicut primus, ita et secundus Confessarius potest mutare poenitentiam, etiam illam, quae pro casibus reservatis imposita est, inaequalitate enim sublata per primam absolutionem, aequalis est in omnibus Confessariis potestas. *Laym.* l. c.

632. R. 3. Potest poenitentia mutari ab eodem Confessario, qui illam imposuit, et tunc non erit necesse repetere priorem confessionem, si is adhuc recordetur statum poenitentis, et poenitens recurrat ad ejus tribunal intra tam

breve tempus, puta unius diei, ut moraliter censeatur idem judicium. Ita *Laym.* cum *Suar.* et aliis. Juxta *Gerard. Zell* haec mutatio ab eodem Confessario fieri potest, tum intra, tum extra confessionem ob jurisdictionem, quam is acquisivit in poenitentem, qui se voluntarie ipsi subjecit, ergo (infert ille) ratione confessionis factae manet semper hoc judicium suae potestati reservatum. Huic contradicit *Antoine* l. c. quod talis mutatio fieri debeat in alia confessione, quia est actus judicialis, et usus clavium, qui nonnisi in Sacramento exercetur. Haec sententia praxi tutiori inservit.

Quid? si idem Confessarius non amplius recordetur factae confessionis, et status poenitentis. R. Si nequidem confuse recordetur status poenitentis, repetenda est prior confessio ob rationes n. praec. in R. 2. allatas.

633. *Q.* V. Quando poenitens teneatur implere poenitentiam. R. 1. Si Confessarius nullum tempus determinaverit; tenetur poenitens eam implere, dum commode potest, ita ut peccet graviter, si illam ex gravi negligentia nimis diu, v. gr. per annum differat, tum quia haec esset gravis in re gravi negligentia, tum quia sic nimia fieret disjunctio partium Sacramenti: differre autem per breve tempus, v. gr. per aliquot septimanas, est veniale, *saltem si non sit medicinalis*; neque necessario implenda est ante comunionem. Neque peccaret mortaliter, qui post octiduum iterum confiteretur; quin prius persolvisset injunctam poenitentiam.

R. 2. Si Confessarius poenitentiam injunxerit determinato tempore persolvendam, mortale esset, eam sine causa notabiliter, v. g. ad plures septimanas, differre; secus, si tantum ad aliquot dies. *Ratio primi* est, quia circumstantia temporis in praecepto includitur.

634. Praeterea hic *observa* I. Qui poenitentiam quocumque modo distulit, tenetur eam postea adhuc implere, quamprimum commode potest, tum quia dilatio solutionis debiti ultra terminum non liberat debitorem onere illud solvendi, tum quia intentio Confessarii est, ut satisfactio fiat absolute; temporis vero determinatio tantum fit ad non differendam solutionem.

635. II. Non est necessarium ex praecepto aut institutione Christi, ut satisfactio ante absolutionem semper impleatur. Vide propositiones 16. 17. et 18. ab *Alex. VIII.* damnatas. In his falso asseritur, quod per modernam consuetudinem administrandi sacramentum poenitentiae ordo sit inversus, et inde ortus abusus. 1. Abusus non est quod poenitentes absolvantur, antequam absolverint poenitentiam, quia consuetudo tunc dicitur abusus, quando adversatur legi naturae, aut positivae: atqui moderna consuetudo absolvendi nec adversatur naturae sacramenti poenitentiae instituti per modum judicii, nec institutioni Christi, nec sacris Canonibus, contrarietas enim assignari nequit: imo per *Clement. Dudum.* de sepult. Sacerdos jubetur, *ut confessiones audiat, poenitentias imponat, et absolvat:* et *Sozomenus* l. 7. c. 17. refert, Poenitentiarium statim consuevisse poenitentes absolvere post impositas poenas. Textus, qui videntur contrarii, intelligendi sunt de absolutione Canonica, qua poenitens Ecclesiae reconciliabatur. 2. Nec est abusus, quod a venialibus passim absolvantur poenitentes. Tridentinum enim sess. 14. c. 5. expresse docet: *Venialia recte et utiliter, citraque omnem praesumptionem in confessione dicuntur:* ergo haec consuetudo non habetur pro abusu ab Ecclesia. *Viva* in cit. propos. Potest tamen Confessarius hic et nunc obligare poenitentem ad implendam vel totam poenitentiam, vel partem ante absolutionem, quando scilicet prudenter censetur id expedire, vel quando Sacerdos alias nequit judicare de dispositione poenitentis, quia nec Christus, nec Ecclesia id prohibuere. *Suar., de Lugo* hic disp. 14. sect. 10.

636. III. Probabilius sacramentalis poenitentia impleri debet cum intentione satisfaciendi. *Neque dicas:* Praecepto audiendi Sacrum die festo satisfacis, licet non habeas intentionem satisfaciendi praecepto: ergo a pari. R. 1. Sicut requiritur intentio audiendi Missam, ita requiritur saltem positiva

voluntas satisfaciendi. R. 2. Disp. est, quia poenitentia est pars Sacramenti: ergo debet moraliter uniri cum Sacramento, quod aliter fieri non posse videtur, nisi per intentionem. Praeceptum autem Ecclesiasticum tantum exigit, ut ponatur opus, v. g. audiatur Missa ex quacumque demum pia intentione. Ita *La Croix* L. 6. p. 2. n. 1286. cum *Vasq.*, *Dicast.*; et aliis contra *Sanchez*, et *Lugo*, quorum sententia contraria servit scrupulosis et anxiis, qui perpetuo dubitant, an sub ratione satisfactionis impleverint poenitentiam: eadem inservit rudibus, qui etsi expresse non habeant intentionem satisfaciendi plerumque tamen actu tenui cogitant ideo persolvere hoc vel illud opus, quia Confessarius injunxit.

637. IV. Qui poenitentiam implet in statu peccati mortalis, satisfacit quidem obligationi, ita ut non teneatur postea illam repetere; fructum tamen sive effectum satisfactionis non consequitur, quamdiu in statu peccati perseverat. *Ratio primi* est, quia talis faciendo id, quod jussus est facere, substantiam operis injuncti implet, modus autem operandi hic non cadit sub praeceptum, nisi Confessarius expresse illum imperaverit. *Ratio secundi* est, quia Deus non acceptat nostram satisfactionem, nisi simus in gratia constituti. Caeterum non est sufficiens fundamentum dicendi, quod talis peccet graviter persolvendo poenitentiam in statu peccati mortalis, tum quia eam non ponit nomine Christi, tum quia adhuc integrat Sacramentum, etsi non deleat poenas. Est tamen irreverentia venialis, ut ait *Laym.* cum *S. Thom.*, *Suar.* *Henriq.* et aliis l. c. n. 15. num. praecedente recte monet, quod peccatum veniale commissum, dum persolvitur poenitentia, v. g. si quis negligenter et distracte preces injunctas oret, non impediat fructum, quem operatur satisfactio, quia is non provenit ex virtute operantis, sed ex opere operato Sacramenti.

638. Si ad extremum quaeras, an poenitenti post absolutionem adhuc confitenti peccatum prius inculpabiliter omissum injungenda sit nova poenitentia. R. *Regulariter* est injungenda; quia cum sit novum judicium et Sacramentum, illud etiam integrandum est. *P. Sporer.* in Theol. Sacram. P. 3. c. 4. n. 544. resolvit, Confessarium, si poenitens tantum veniale omiserit, illudque adhuc confiteatur, posse dare novam absolutionem sine nova poenitentia, tacite extendendo primam injunctam ad hoc novum veniale, secus si inciderit peccatum mortale prius omissum; tunc enim deberet vel novam poenitentiam injungere, vel expresse priorem huc extendere dicendo: Persolve pro hoc et prius expositis peccatis poenitentiam antea injunctam eo diligentius etc.

639. Quid? si poenitentia videatur poenitenti juste gravior, vel irrationabilis. R. Licebit poenitenti difficultatem Confessario proponere humiliter, qua cognita rigorem mitigabit prudentia Confessarii; si vero eam mitigare nolit, poterit poenitens non accepta absolutione discedere, et alteri confiteri. *Suarez* hic D. 38. sect. 7. n. 4. ubi addit, quod Confessarius in tali casu non debeat esse difficilis, sed poenitentiam accommodare fragilitati poenitentis.

ARTICULUS III. De satisfactione per indulgentias et Jubilaeum.

§. I. *Praenotanda.*

640. I. Praeter satisfactionem sacramentalem homo etiam potest in hac vita satisfacere pro poena temporali residua ex peccatis suis remissis ex opere operantis per bona opera, ita ut haec non tantum sint conditio, ad cujus praesentiam nobis applicentur merita Christi, sed vera causa meritoria, ut constat ex damnata *Bajana* 77. *Satisfactiones laboriosae justificatorum non valent expiare de condigno poenam temporalem restantem post culpam condonatam.* Patet etiam ex *Trid.* sess. 14. de Poenit. can. 13. quem vide n. 608. Ad satisfaciendum hoc modo requiritur ex *parte operantis* status gratiae: quamvis enim peccator aliquid possit impetrare de congruo, v. g. auxilium ad poe-

nitendum, non tamen potest satisfacere in statu peccati, nam *Trid.* sess. 14. c. 8. vim satisfaciendi per propria opera fundat in unione cum Christo, *in quo*, ait, *vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus:* ergo sicut non meremur de condigno, nisi in gratia uniti cum Christo, ita nec satisfacimus. Hanc sententiam *Suarez* post Trid. vocat certam in 3. p. d. 37. sect. 2. num. 3. *Ex parte operis* vero requiritur ut sit voluntarium, moraliter bonum, et supernaturale vel in se, vel saltem ex aliqua intentione supernaturali. Aliqui cum *Henriq.* insuper requirunt, ut procedat ex formali intentione satisfaciendi: alii cum *Suar.* l. c. sect. 3. n. 5. dicunt satis esse, ut procedat ex quacumque voluntate placendi Deo, vel suae salutis aeternae; tum quia Scriptura nullibi requirit hanc formalem intentionem, tum quia nullus est, qui hoc modo non intendat vel formaliter, vel virtualiter consequi apud Deum omnem spiritualem effectum suis operibus proportionatum. Ibid. sect. 6. n. 5. et 8. ait, quod opus bonum eatenus proprie quidem et stricte sit satisfactorium, quatenus aliquo modo est poenale, cum Scriptura de satisfactoriis operibus loquens communiter poenalia proponat, ut Joelis 2. *in jejunio et fletu.* Matth. 11. *in cilicio et cinere etc.* Ibid. tamen n. 8. affirmat, omne opus bonum et meritorium simul esse satisfactorium, eoquod omne opus bonum quatenus homini laboriosum est, aliquo modo sit poenale, quamvis non tam stricte, sicut pure poenale: imo et actus interni, v. g. contritionis etc. multum valent ad satisfactionem.

641. II. Potest etiam homo justus in hac vita in alterum justum hominem transferre suas satisfactiones, queis per modum solutionis satisfiat pro poena temporali, ut fuse probat *Suar.* in 3. p. q. 48. sect. 2. cum *S. Thom.* Hoc genus satisfactionis vocatur suffragium. De his satisfactionibus hic non agimus, sed de Indulgentiis, et Jubilaeo.

642. III. *Indulgentia est remissio poenae temporalis debitae pro peccatis actualibus jam dimisssis concessa a Praelato Ecclesiae per applicationem. Thesauri Ecclesiastici.* Ita *Gobat* in Quin. T. 4. c. 2. n. 13. cum *Toleto, Lug.* et *Valentia*; addunt alii, praestitis certis operibus a concedente praescriptis 1. Dicitur *remissio paenae:* hic enim est effectus indulgentiae, non remissio culpae. 2. *Temporalis:* poena enim aeterna remittitur cum culpa. Hic intelligitur illa poena temporalis, quae vel ex sententia Dei in purgatorio, vel ex praescripto antiquorum canonum in hac vita luenda esset. 3. *Pro peccatis actualibus:* quia poena pro originali debita remittitur per baptismum. 4. *A Praelato Ecclesiae:* ordinariam potestatem concedendi indulgentias vi jurisdictionis supremae habet Papa: Episcopi tamen juxta c. *cum eo.* L. 5. Decret. tit. 38. *de Poenit. et remiss.* concedere possunt indulgentias unius anni in dedicatione Ecclesiae, et 40. dierum in anniversario dedicationis, et quoties occasio juste exigit. Vide *Gobat* in Quin. T. 4. c. 6. a. 5. . 5. *Per applicationem Thesauri Ecclesiae:* qui *primario* constat ex meritis et satisfactionibus infinitis Christi Domini, *secundario* ex meritis Deiparae Virginis et Sanctorum, ut ait *Clemens VI.* in extrav. *Unigenitus*, de poenit. et remiss.; quae merita asservantur in acceptatione divina, et in utilitatem Ecclesiae membrorum erogari possunt. De indulgentiis vide in Trid. sess. 25. speciale Decretum. Porro haec remissio per indulgentias fit subditis Ecclesiae scil. vivis fidelibus per modum absolutionis, et solutionis, quatenus Pontifex vi illius Matth. 16. *Quodcumque solveris super terram etc.* remittit poenam peccatis remissis adhuc debitam (ecce absolutionem), et simul de thesauro Ecclesiae exhibet, quantum sufficit pro illa poena (en solutionem): non subditis autem, v. g. defunctis per modum solutionis ob defectum jurisdictionis in eos: quatenus Pontifex ex thesauro Ecclesiae Deo offert aequivalens pro poena, quam debet defunctus, unde effectus pro defunctis pendet ab acceptatione divina.

Exempla indulgentiarum cum modernis univoca ex primis duodecim saeculis erudite collegit *Eusebius Amort.*

643. IV. Indulgentia 1. dividitur in totalem sive plenariam, et in partialem. *Totalis* sive plenaria de se in poenitente rite disposito est remissiva totius poenae post absolutionem sacramentalem peccatis residuae. *Partialis* est, quae de se in poenitente rite disposito est remissiva tantum partis poenarum residuarum peccatis jam remissis. Ita *Amort* sub fin. disp. 7. de indulg. Indulgentia partialis subdividitur in indulgentiam dierum, annorum, et in carenam sive quadragenam. Hinc (ut ait *Laym.* L. 5. t. 7. c. 3.) cum indulgentia unius anni, vel septennis, vel una carena conceditur, sensus est, dari indulgentiam remissivam tantae poenae peccatis adhuc debitae, quanta deleretur per poenitentiam unius anni, vel septem annorum juxta canones olim injunctam, aut per 40. dierum jejunium in pane et aqua secundum canones poenitentiales injungi solitum. Per *Carenam* enim sive carentiam ibid. intelligit *Laym.* jejunium in solo pane et aqua per 40. dies; similiter per *Quadragenam* remissionem poenitentiae, quae per jejunium quadragesimale subeunda erat. *Reginaldus* L. 7. n. 141. cum *Nav.* facit quidem differentiam inter indulgentiam plenam, pleniorem et plenissimam, ita ut per *plenam* dicat remitti poenam peccatis omnibus confessis debitam, per *pleniorem* remitti poenam peccatis tum confessis, tum mortalibus forte oblitis, per *plenissimam* vero remitti omnem poenam debitam tam venialibus, quam mortalibus confessis et oblitis debitam. Hanc differentiam desumit ab extrav. *Antiquorum* de Poenit. et Remiss. A. R. D. *Amort.* l. c. q. 9. ait, hos terminos significationem ab acceptione arbitraria auctorum accipere, *plenam* ab auctoribus vocari quamcumque indulgentiam plenariam; *pleniorem*, quae habeat annexam potestatem absolvendi a casibus reservatis, commutandi vota, dispensandi a juramentis, absolvendi a censuris, concordandi ac componendi circa restitutionem bonorum incertorum etc.: *plenissimam* denique, cui annectitur ea potestas commutandi, disponendi, componendi etc. sine clausulis limitantibus. *Gobat. vero* l. c. n. 273. ait, modernum stylum Curiae Romanae plurimorum jam annorum usu roboratum docere, quod per plenariam idipsum designetur, quod *Navarrus* intellexit per plenissimam.

644. V. Indulgentia iterum alia dicitur *localis*, quae conceditur omnibus certum locum pium, v. g. Ecclesiam, devote frequentantibus. Alia *realis*, quae alligatur rei mobili, v. g. rosario, vel numismati, ita ut indulgentia gaudeant personae rem illam devote gestantes. Alia denique est *personalis*, quae conceditur determinatae personae, vel certo generi personarum, v. g. Confratribus alicujus Sodalitatis, quin illa sit affixa certo loco vel rei. Hic potest addi *mixta* ex supra dictis. Ita *Amort.* l. c. q. 6. Quoad durationem alia etiam dicitur *perpetua*, quae conceditur sine praefixione termini, ideoque non indiget renovatione: alia *temporalis*, quae conceditur ad certum tempus, quo elapso renovanda est, et iterum petenda a concedente. *Quotidiana* vocatur, quam adeuntes certum locum pium quotidie, aut semel per annum quovis anni die diligendo lucrari possunt, qualis concedi solet locis votivis, ubi peregrinantes confluunt.

645. VI. *Jubilaeum* est indulgentia universalis et plenaria, quam summus Pontifex concedit omnibus fidelibus cum obligatione certa pia opera peragendi, simulque Confessariis specialem potestatem tribuit, vere poenitentes et confessos a gravissimis peccatis, censuris, poenisque Ecclesiasticis absolvendi, ac pleraque vota commutandi.

Jubilaeum ordinarium olim concedebatur singulis annis centesimis, dein quinquagesimis, nunc autem singulis vigesimis quintis. Sic magnum illud jubileum a *Bonif. VIII.* primo celebratum est Romae anno 1300.; postea anno 1350. a *Clem. VI.* ad annum quinquagesimum: denique anno 1425. ad vigesimum quintum a Syxto IV. revocatum est. Hoc solet promulgari Romae die Ascensionis Domini, et incipit in vigilia Nativitatis Christi a primis vesperis ad sequentes vesperas in eadem vigilia inclusive. Durante anno sancto

suspensae sunt per orbem omnes indulgentiae plenariae antea concessae, etiam directe concessae pro animabus defunctorum; possunt tamen indulgentiae alias pro vivis concessae durante anno sancto applicari defunctis, quamvis in concessione non fuisset expressa haec facultas, ut declaravit *Benedictus XIV.* in declaratione super Constitutione sua: *Cum Nos nuper.* Aliae etiam indulgentiae habentes annexa similia privilegia dicuntur concessae *instar*, sive *ad modum Jubilaei. Jubilaeum extraordinarium* est, quod a summo Pontifice extra vigesimum quintum annum alicujus saeculi ex justa causa conceditur, quale concessum est anno 1735. et 1741. Indulgentia *Cruciatae* vocatur, quae conceditur contribuentibus aut cooperantibus ad bellum sacrum contra infideles. Talis Bulla *Cruciatae*, teste *Amort* l. c. q. 8. in Hispania est perpetua, quia ibi perpetuo contra Turcas, Africanos et Mauros, invasores navium et urbium christianarum pugnandum est. His praenotatis breviter agemus de necessariis ad lucrandas indulgentias.

§. II. *Principia generalia de indulgentiis.*

646. *Principium I.* Indulgentiae concedi debent a legitimo dispensatore, justis de causis, et aliquo signo externo. Dixi 1. a *legitimo* dispensatore: cujusmodi sunt summus Pontifex, qui potestatem universalem a Christo in Petro accepit: item *Episcopi*, quorum tamen facultas non est tam generalis, ut dictum n. 642. Praeter Episcopos etiam S. R. E. Cardinales gaudent potestate concedendi indulgentias 100. dierum. Vide *Gobat* l. c. 6. et 7. Alii Episcopi inferiores, v. g. Praelati Religiosorum Ordinum tantum ex commissione Pontificis et Episcoporum possunt concedere indulgentias. *Laym.* l. c.

Dixi 2. *justis de causis*: ad hoc enim, ut licite et valide concedatur indulgentia, requiritur pia et rationabilis causa. Hanc secundam *Laym.* vocat cum *Suar.* et aliis communem contra *Palud. Ratio* est, quia Dominus non habet ratas profusiones thesauri a dispensatoribus prodigis factas: Pontifices autem et Episcopi sunt dispensatores mysteriorum Dei, ut Apostoli fuerunt 1. *Cor.* 4. 1.; ergo. *Confirm.* ex Clem. VI. extrav. *Unigenitus*, ubi expresse innuitur, thesaurum militantis Ecclesiae *propriis et rationabilibus causis vere poenitentibus et confessis esse applicandum.* Idem *Confirm.* ex epist. Leonis X. ad Cajetanum.

Dixi 3. *signo externo*: quia sine hoc non indicatur voluntas Superioris, tanquam actus jurisdictionis.

» *Q.* 1. Quis effectus indulgentiarum.

» R. Inter sententias a *Tannero* to. 4. et *Lud. Habert.* to. 5. et aliis nonnullis recensitas, quasi indulgentiae vel tantum tollant poenas in foro *Sacramentali*, vel tantum in foro *Ecclesiae*, vel immediate in foro *Dei* decretas, dico: Indulgentiae remittunt poenas immediate et directe injungendas in foro *Ecclesiae*, et saltem mediate et indirecte etiam in foro *Dei*, ut adeo sensus horum verborum: *Indulgentia* 100. *vel* 1000. *annorum* dicat: Lucranti remittitur a Deo tantum poenae, quantum delevisset per poenitentiam 100. vel 1000. annorum talem, qualis olim imponebatur in Ecclesia primaeva; quantum autem purgatorii respondeat tali poenitentiae, Deus novit: *Ratio* (praeter *S. Th., Alensem, Suarez hodie communem*) est: poena olim canonica, seu in *foro Ecclesiae* tollebat poenam in *foro Dei*: ergo cum poenis canonicis substitutae sint indulgentiae; siquidem illis datae sunt olim indulgentiae, qui in poenitentia canonica constituti inservichant Martyribus, et ab his obtinebant libellos supplices et suppletorios ad Ecclesiam etc. *a. p.* tum per communem olim fidelium persuasionem, tum per Pacianum in paraen. *In quantum poenae vestrae non perceperitis, in tantum vobis Deus parcet*; tum ex Tertulliano, qui jam tunc ab Ecclesia alienus carpit Martyres, quod lapsis misericordiam indulgeant, qua ipsi indigerent; *Sufficiat*

» *Martyri propria purgasse delicta*; *ingrati vel superbi est in alios* » *spargere, quod pro magno fuerit consecutus.* Ergo quia Martyres non » indigebant remissione a poenis canonicis, utpote quibus nullae erant » impositae, sed remissione a poenis in foro Dei etc.

» *Dices* 1. Remissio 100. vel 1000. annorum *est nimia:* quis enim tantum » reatum contrahat? 2. Olim adjuncta erat indulgentiis clausula: *de injunctis* » *poenitentiis*; ergo ubi non adjungitur, tantum remittit poenas in foro Dei. » R. *Ad* 1. N. Nam numerus peccatorum in peccatoribus inveteratis, diuturnitas » olim poenitentiarum canonicarum, v. g. septem annorum pro adulterio, totidem pro blasphemia, decem pro homicidio etc. ac severitas purgatorii tollit admirationem. *Ad* 2. Clausula haec est addita, vel ad poenas in » foro sacramentali *etiam* remittendas, ut cum Moya docebant 21. alii; vel remittendas poenas canonicas in foro Ecclesiae *tantum*, nihil determinando » de foro Dei; vel remittendas ambas simul, ita tamen ut primario remittantur poenae non taxatae in foro Dei, et concomitanter taxatae in foro Ecclesiae; quia facilius est relaxare poenas non taxatas, quam taxatas ab homine vel canone. Primum tenet *Amort*, secundum *Lugo*, tertium *Suar.*

» *Q.* 2. An plenaria possit obtineri non plenarie.

» R. *Potest obtineri non plenarie* seu solum quoad effectum partialem. » Ita *Viva* cum 16. aliis apud *Amort* in lib. speciali. 1. Non est ratio in contrarium. 2. Si plenaria tantum posset obtineri indivisibiliter, esset *minus aestimabilis*, quam non plenaria, quia difficillime et rarissime » fructuosa. 3. Ex communi consensu debet dari, et datur proportio inter » causam et effectum: ergo si causa est tantum partialiter sufficiens, dispositio si tantum inadaequata etc. 4. *In Sacramentis* magis dispositus acquirit plus gratiae, minus dispositus minus. 5. Potest remitti unum *veniale* » quoad culpam sine alio: ergo et quoad poenam. Plura *Gobat* n. 278.

» *Dices* 1. Natura indulgentiae plenariae est, quod remittat *totum* reatum » 2. *Gratia sanctificans* remittit aut omnia mortalia, aut nulla. 3. Qui *omittit unum opus* praescriptum, e. g. confessionem praescriptam, nihil omnino » obtinet . . . . . R. *Ad* 1. N. Sed quod *possit* remittere totum. *Ad* 2. N. C. Quia » gratia aeque repugnat uni culpae mortali, ac omnibus. *Ad* 3. Tr. antec. quod » sane dubium. N. C. Quia opera praescripta pertinent ad conditiones; *conditiones autem sunt de genere formarum indivisibilium*, ut parte omissa » censeatur omitti totum; aliter de dignitate subjecti retractantis peccata.

» *Q.* 3. An effectus indulgentiae pro defunctis sit infallibilis.

» R. *Pro negativa* stat *Laym.*, *Henriquez* cum 20. aliis apud *Amort* » lib. spec. p. 2. sect. 5. quia nullibi legitur, quod *Deus obligaverit se* » ad acceptandas semper indulgentias has pro casu et subjecto particulari. 2. *Pontifices* concedentes indulgentiam pro defunctis, quae concessio coepit saeculo XV. supponunt in Deo gratuitam acceptationem solutionis Sixtus IV. anno 1477. ait: *Indulgentia defunctis prodesse modo*, » *quo piae eleemosynae et orationes iis proficiunt.* Gregorius XIII. affirmat: Animabus de thesauro Ecclesiae subministramus, *ut illae, quantum divinae bonitati placuerit, adjutae ad coelestem patriam perve-* » *niant.* 3. Argumentum *calculatorium* ex *Viva* prop. 37. *Alex. VII.* Si » essent infallibiles, purgatorium jam foret saepe evacuatum; nam juxta » Ricciolium pro cursu 50. annorum dantur mille milliones hominum in » Orbe; tertia ex iis pars sunt infantes ante rationis usum decedentes; maxima reliquorum pars damnatur, exigua immediate ad coelum transit, » ultima trium circiter millionum cum dimidio ad purgatorium descendit: » ergo cum multitudo altarium privilegiatorum communium generalium, » indulgentiarum in Religionibus, Confraternitatibus, templis expositarum » hoc purgatorio eriperet, plures intra triennium liberarentur, quam a » mundi exordio ibi extitissent. *Affirmativam* tamen pro infallibilitate de-

» fendunt *Sotus*, *Navarrus*, *Suarez*, *Lugo*, *Gobat* p. 2. n. 484. etc.
» Quae autem conditiones ad hoc requirantur, non conveniunt.
» *Q.* 4. An probabilitas locum habeat in indulgentiis.
» R. Cum tria in indulgentiis reperiantur 1. concessio: 2. opera praescri-
» pta: 3. fructus et favores illarum, e. g. quod plenaria etiam prosit illi, qui
» retinet affectum erga aliquod peccatum veniale, quamvis tantum limitate:
» quod indulgentia sit habenda pro plenaria, in qua dicitur indefinite *conce-*
» *dimus indulgentiam peccatorum:* quod etiam post jubilaeum possint com-
» mutari vota, absolvi reservata etc. quorum in jubilaeo per oblivionem aut
» dilationem nondum facta commutatio, absolutio nondum data: quod impe-
» diti possint illud postea lucrari etc. dico: *Probabilitas non procedit in con-*
» *cessione, aut conditionibus praevie requisitis, sed solum in fructibus in-*
» *dulgentiae.* Ita contra *Viva* admittentem ubique probabilitatem, et contra
» *Bonacinam* ubique negantem. *Rat.* 1. sic salvatur illud; *favores sunt am-*
» *pliandi*; et simul: *indulgentiae valent, quantum sonant*, hoc est, quantum
» verba concessionis clare indicant; de dubiis effectibus dixit Urbanus VIII.
» *suam et Sedis Apostolicae mentem hanc esse, ut indulgentiae valeant eo*
» *modo, quo prudentes Theologi existimant valere*: ut habet Gobat. 2. Con-
» cessio cum requisitis conditionibus dependet unice *a voluntate conceden-*
» *tis*, confertque indulgentia remissionem poenae quodammodo *ex opere*
» *operato:* ergo sicut valor sacramentorum non admittit probabilitatem etc.

647. *Principium II.* Ut quis *sibi* lucretur indulgentias, requiritur 1. Ut sit baptizatus, et post baptismum actualiter peccaverit; quia soli baptizati sunt membra Ecclesiae: ait tamen *Laym.* l. c. c. 6. cum *Henriq.* probabile esse, quod indulgentiae applicari possint catechumenis tum vivis tum defunctis saltem per modum suffragii, cum saltem per fidem et charitatem Christo sunt uniti: ergo saltem aliquo modo sunt membra Ecclesiae. 2. Ut sit subditus concedentis, nec excommunicatus. 3. Ut sit in statu gratiae saltem tunc, quando ultimum opus praescriptum impletur; quia non dimittitur poena nisi post dimissam culpam. 4. Ut opus a concedente indulgentias injunctum eo tempore, quo praescribitur, impleat; sub hac enim conditione conceduntur indulgentiae. Plura vide apud *P. Gobat* l. c. c. 12. Addit *Amort* l. c. q. 31. quod etiam requiratur *intentio lucrandi indulgentiam saltem virtualis*, qualis esset, si homo eo die pergat ad Ecclesiam animo confitendi, quia scit ibi haberi indulgentiam. Praeterea exigit, ut fiat explicita oblatio orationis vel alterius boni operis ad fines in Bulla expressos, v. g. pro exaltatione S. M. Ecclesiae, concordia Principum Catholicorum etc. *Laym.* l. c. c. 6. n. 5. asserit, non requiri actualem, sed sufficere habitualem intentionem. Alii cum *Viva* dicunt contra *Navar.* et *Cajet.* intentionem lucrandi indulgentiam gratis requiri, cum id Pontifices non requirant: prior sententia pro praxi est tutior, hinc multi solent quotidie mane facere intentionem expressam lucrandi per opera istius diei, quidquid possunt lucrari. Dixi supra, *ut quis sibi lucretur indulgentias*: nam ad eas defunctis lucrandas per exhibitionem operis praescripti necesse non est, ut operans sit in gratia, dum indulgentia effectum consequitur, eoquod gratia requiratur ex parte recipientis indulgentiam; ita *Laym.* l. c. ubi subnectit, certum esse quod indulgentiae, quas Papa concessit fidelibus vivis, non possint applicari defunctis, nisi hoc ipsum etiam Papa concesserit; standum enim auctoritate et voluntate concedentis. Eodem modo frustra alteri vivo applicatur vel donatur indulgentia, si Pontifex non dederit potestatem ita applicandi, imo teste *Gobat* in Quin. c. 22. n. 249. raro haec potestas conceditur.

648. *Princip. III.* Indulgentiae cessant 1. Elapso tempore in Bulla concessionis expresso. 2. Si locus vel res destruatur, cui sunt annexae. 3. Cessante totaliter fine concessionis 4. Per revocationem.

§. III. *Resolvuntur Casus*

Casus I.

Menochius lucrandarum indulgentiarum perquam studiosus sollicite quaerit, an non dentur indulgentiae quaedam communiores omnibus fidelibus concessae. Idem, dum eodem subinde festo in pluribus Ecclesiis diversae indulgentiae promulgantur, in iis ad lucrandas indulgentias sollicite comparet, animo illas omnes consequendi eodem die.

649. Q. I. Quaenam indulgentiae communiores adhuc valeant. R. Inter eas hodie sunt *primo* illae, quae orantibus ad pulsum campanae feria sexta a *Bened. XIV.* 23. Decemb. 1740. concessae sunt sequenti tenore: *Ad Passionis, et Agoniae Redemptoris, et D. N. J. C. unde nobis vita, salus et resurrectio manavit, memoriam in omnium Christi fidelium animis excitandam, atque fovendam coelestibus Ecclesiae thesauris, quorum dispensationem Nobis credidit Altissimus, omnibus et singulis Christi fidelibus, qui singulis feriis sextis totius anni, hora tertia post meridiem, ad sonum campanae Ecclesiarum Metropolitanarum, Cathedralium et Parochialium (quarum Parochis, Rectoribus, aliisque quocumque nomine appellatis Superioribus, ut campanam uniuscujusque Ecclesiae hujusmodi pulsari faciant, injungimus, et in virtute sanctae obedientiae mandamus) flexis genibus quinquies orationem Dominicam, et toties salutationem Angelicam devote recitaverint, et oraverint, ac pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione, nec non salutari perditorum hominum emendatione pias ad Deum preces effuderint, centum dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.* Vide T. 1. Bullarii ejusd. Pontificis pag. 27.

650. 2. *Benedictus XIII.* 14. Septemb. 1724. concessit sequentes: *Omnibus vere poenitentibus et confessis, ac sacra communione refectis, qui mane, aut meridie, sive vespere ad pulsum campanae:* Angelus Domini, nuntiavit Mariae, et concepit de Spiritu Sancto: Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum: Et verbum caro factum est, et habitavit in nobis, *cum tribus* Ave Maria *flexis genibus devote recitaverint, et pro C. P. C. h. e. S. M. E. e. pias ad Deum preces effuderint, plenariam in uno die mensis dumtaxat, per unumquemque fidelem ad sui libitum eligendo lucrifaciendam indulgentiam concedimus. In reliquis vero anni diebus iisdem Christi fidelibus vere contritis, quoties id egerint, centum dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis relaxamus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.* Exorto postea dubio, an tempore paschali hae preces flexis genibus, an vero stando dicendae sint, *Bened. XIV.* confirmatis praedictis *Bened. XIII.* indulgentiis, praescripto rubricarum inhaerens, jussit orationem illam a vesperis cujuslibet sabbati usque ad totam Dominicam sequentem a stantibus recitari; ac insuper durante tempore paschali, quod in vesperis Dominicae Ss. Trinitatis terminatur, loco supra memoratae orationis antiphonam *Regina Coeli* etc. cum versiculo et oratione correspondente, *Deus qui per resurrectionem* etc. a stantibus dicendum substitui: iisdem eam devote recitantibus indulgentiis concessis, ita tamen, ut ii, qui eam antiphonam memoriter dicere nesciverint, easdem indulgentias acquirant supradictam orationem, *Angelus Domini*, recitantes. Ita *Amort* l. c. q. 25. ex Notificatione *Card. Guadagni* Vicarii Gen. Romae publicata die 20. April. 1742.

651. 3. Huc referuntur concessae a *Clemente XII.* 14. Aug. 1736. sequenti tenore; *Omnibus, qui sub horam noctis ad pulsum campanae psalmum* De

profundis, *vel semel* orationem Dominicam, et salutationem Angelicam, *cum versiculo* Requiem aeternam etc. *in suffragium animarum fidelium defunctorum flexis genibus devote recitaverint; quo die id egerint, centum dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis relaxamus. Insuper eisdem fidelibus vere poenitentibus et confessis, ac sacra communione refectis, qui per annum praemissa peregerint, ac pro C. P. C. h. e. S. M. E. e. pias ad Deum preces effuderint, plenariam in uno die cujuslibet anni dumtaxat per unumquemque fidelem ad sui libitum eligendo lucrifaciendam indulgentiam concedimus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.*

4. Huc pertinent indulgentiae numismatum vel rosariorum etc. benedictorum a Papa, quae in notificatione Romae edita sub *Benedicto XIII.* (cujus formulam imprimi extra Urbem prohibuit sua Sanctitas). Praecipua autem indulgentia ibi expressa, praeter alias partiales, est plenaria in festis Nativitatis D. N. J. C., Epiphaniae, Resurrectionis, Ascensionis, Ss. Trinitatis, et Corporis Christi, et die Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, et Nativitatis B. V., et in Nativitate S. Joan. Bapt., et in festis Ss. Petri et Pauli, et reliquorum Apostolorum, et in articulo mortis. Ad has tamen indulgentias lucrandas requiritur, ut quis ejusmodi coronas, et numismata secum habeat; dein ut quis saltem semel in hebdomada coronam Domini, aut rosarium, ejusque tertiam partem, aut officium vel divinum, vel parvum B. Virginis, vel defunctorum, vel septem psalmos poenitentiales, vel psalmos graduales recitare, aut rudimenta fidei tradere, aut detentos in carcere, vel alicujus domus hospitalis aegrotos visitare, aut pauperibus subvenire, aut Missam vel audire, vel si est Sacerdos, celebrare consueverit, et ut vere poenitens, et confessus Eucharistiae Sacramentum acceperit. Additur praeterea conditio, *ut ejusmodi coronae, cruces, rosaria, numismata, et sacrae imagines non transeant personam illorum, quibus a sua Sanctitate concessae, aut quibus ab his prima vice distribuuntur, neque commodari, aut precario dari possint; alioquin careant indulgentiis concessis: et aliqua re ex praedictis deperdita pro ea subrogari alia nullo modo possit.*

Praeterea huc reducuntur indulgentiae concessae se invicem salutantibus hac formula: *Laudetur Jesus Christus*, quae continentur in Bulla *Sixti V.* et in Notificatione *Bened. XIII.* quae incipit: *Alias sanct. mem. Sixti V.* Conceduntur autem his, qui salutaverit alios per formulam: *Laudetur Jesus Christus*, suo vulgari sermone, et his qui responderint; *In saecula*, vel *amen* aut *semper*, indulgentiae quinquaginta dierum: iis qui sanctissimum nomen *Jesu* aut *Mariae* devote invocaverint, indulg. 25. dierum: iis vero, qui praefata agere consueverint, si in articulo mortis constituti, et ore, vel si non potuerint, saltem corde sanctissimum nomen *Jesu et Mariae* invocaverint, insuper plenaria indulgentia adjicitur. Eaedem indulgentiae tribuuntur praedicatoribus, caeterisque omnibus, qui hanc salutationis formam usui esse curaverint. Item concesse bis centum dierum indulgentiae recitantibus Litanias B. V. Mariae confirmantur in notificatione *Bened. XIII.* Advertit *Amort* L. saepe cit. q. 47. in praefata confirmatione allegari, quod *Sixtus V.* salutantibus et respondentibus concesserit indulgentiam 100. dierum, hoc ita intelligendum, ut quinquaginta dies tribuantur salutanti, et reliqui 50. respondenti, si enim haec confirmatio non sic explicaretur, allegaret falsum, cum in Bulla *Sixti V.* salutanti tantum tribuantur 50 dies.

Denique commendandae sunt indulgentiae plenariae, quas primo *Bened. XIII.* iis concesserat, qui die festo S. Aloysii altare ipsius visitarent; has *Clemens XII.* ad quodvis aliud altare extendit, in quo ejusdem Sancti festum celebrari contigerit. Idem Clemens XII. postea Brevi Apostolico 7. Januarii 1740. *ad fovendam erga eumdem Sanctum miram ob tot gratias tum spirituales, tum temporales, populorum devotionem* indulgentias plenarias

singulis sex dominicis diebus lucrandas iis concessit, *qui sex dominicos dies vere poenitentes, sacraque communione refecti piis meditationibus aut orationibus ad ejusdem Sancti honorem ac Dei gloriam vacando sanctificaverint.*

652. Huc quoque pertinent indulgentiae perpetuae a *Benedicto XIV.* anno 1746. 16. Decembris per Bullam: *Quemadmodum nihil est* (quae in Tomo 2. ejusd. Bullar. est vigesima tertia) concessae tam docentibus, et addiscentibus methodum orationis mentalis, quam peragentibus ipsam orationem mentalem: ubi ita: *Primum itaque omnibus et singulis, sive qui tam in Ecclesiis, quam alibi, et ubicumque locorum publice et private quoscumque homines orandi seu meditandi rudes quomodocumque orare et meditari docuerint, sive qui pie orandi et meditandi institutioni hujusmodi, ut praemittitur, interfuerint, dummodo vere poenitentes, ac S. Communione refecti, qua vice id egerint, septem annos, et totidem quadragenas de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus.*

Iis vero tam docentibus, quam addiscentibus, qui assidue praemissa peregerint, ac similiter vere poenitentes, ac S. Communione refecti, pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, semel in mense, pro uniuscujusque commodo et arbitrio, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quam per modum suffragii animabus Christi fidelium, quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migraverint, applicare possint, misericorditer in Domino concedimus.

Insuper iis, qui per duos quadrantes continuatos, vel saltem per quadrantem horae singulis diebus, orationi mentali dabunt operam et vere poenitentes et confessi sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, ac pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, et S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces pariter effuderint, plenariam semel quolibet mense omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem, quam itidem per modum suffragii animabus Christi fidelium, quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migraverint, applicari possint, auctoritate et tenore similibus misericorditer in Domino elargimur.

Idem *Bened. XIV.* per Breve Apostol. *Pia Mater* (in Tom. 2. cit. Bullarii pag. 282.) ampliavit Episcopis facultatem impertiendi benedictionem cum indulgentia plenaria fidelibus in mortis articulo constitutis, etiam per alios tam in civitatibus, quam in dioecesibus ab ipsis subdelegatos, quod indultum non exspirat morte Pontificis, nec cessat subdelegatio per cessum aut decessum subdelegantis. Modus impertiendi benedictionem in articulo mortis servandus ab his, qui facultatem habent a Sede Apostolica delegatam ibidem ita praescribitur.

Benedictio in articulo mortis cum soleat impertiri post Sacramenta Poenitentiae, Eucharistiae, et Extremae Unctionis illis infirmis, qui vel illam petierint, dum sana mente et integris sensibus erant, seu verisimiliter petiissent, vel dederint signa contritionis, impertienda iisdem est, etiamsi postea linguae caeterorumque sensuum usu sint destituti, aut in delirium vel amentiam inciderint: excommunicatis vero, impoenitentibus, et qui in manifesto peccato mortali moriuntur, est omnino deneganda.

Habens praedictam facultatem, ingrediendo cubiculum, ubi jacet infirmus, dicat: Pax huic domui etc. *ac deinde aegrotum, cubiculum, et circumstantes aspergat aqua benedicta, dicendo antiphonam:* Asperges etc.

Quod si aegrotus voluerit confiteri, audiat illum et absolvat. Si confessionem non petat, excitet illum ad eliciendum actum contritionis: de hujus benedictionis efficacia ac virtute, si tempus ferat, breviter admoneat; tum instruat atque hortetur, ut morbi incommodu ac dolores in anteactae

vitae expiationem libenter perferat, Deoque paratum sese offerat ad ultro acceptandum quidquid ei placuerit, et mortem ipsam patienter obeundam in satisfactionem poenarum, quas peccando promeruit. Tum piis ipsum verbis consoletur, in spem erigens, fore ut ex divinae munificentiae largitate eam poenarum remissionem, et vitam sit consecuturus aeternam. Postea dicat:

V. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

R. Qui fecit coelum et terram.

Antiph. Ne reminiscaris, Domine, delicta famuli tui (vel ancillae tuae) neque vindictam sumas de peccatis ejus. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster etc.

V. Et ne nos inducas in tentationem.

R. Sed libera nos a malo.

V. Salvum fac servum tuum (vel ancillam tuam, *et sic deinceps*).

R. Deus meus sperantem in te.

V. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Clementissime Deus, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui neminem vis perire in te credentem atque sperantem, secundum multitudinem miserationum tuarum respice propitius famulum tuum N. quem tibi vera fides, et spes christiana commendant. Visita eum in salutari tuo, et per Unigeniti tui passionem, et mortem, omnium ei delictorum suorum remissionem et veniam clementer indulge, ut ejus anima in hora exitus sui te Judicem propitiatum inveniat, et in Sanguine ejusdem Filii tui ab omni macula abluta, transire ad vitam mereatur perpetuam. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Tum dicto ab uno ex Clericis adstantibus Confiteor *etc. Sacerdos dicat:* Misereatur *etc. Deinde:*

Dominus noster Jesus Christus Filius Dei vivi, qui beato Petro Apostolo suo dedit potestatem ligandi atque solvendi, per suam piissimam misericordiam recipiat confessionem tuam, et restituat tibi stolam primam, quam in baptismo recepisti, et ego, facultate mihi ab Apostolica Sede tributa, indulgentiam plenariam et remissionem omnium peccatorum tibi concedo. In nomine Patris etc.

Per sacrosanctae humanae reparationis mysteria; remittat tibi omnipotens Deus omnes praesentis, et futurae vitae poenas, Paradisi portas aperiat, et ad gaudia sempiterna perducat. Amen.

Benedicat te omnipotens Deus, Pater, Filius, et Spiritus Sanctus. Amen.

Si vero infirmus sit adeo morti proximus, ut neque confessionis generalis faciendae, neque praemissarum precum recitandarum tempus suppetat, statim Sacerdos benedictionem ei impertiatur.

653. *Q.* II. An dentur indulgentiae apocryphae? R. Plurimae circumferuntur, quas recenset decretum S. Congreg. ab anno 1678. quod incipit: *Delatae saepius.* Quae autem ab Innoc. XI. declaratur apocrypha, est solum Clementis X. adscripta recitantibus mane, vel vespere, aut meridie *Angelus Domini* cum *Deo gratias et Mariae*, ibique signanter additur: Nisi fuerint deinde Romani Pontificis auctoritate renovatae aut confirmatae; adeoque superius relatae indulgentiae de trina salutatione angelica propterea non debent censeri apocryphae. Vide *La Croix* L. 6. p. 2. n. 1370.

654. *Q.* III. An indulgentiae olim Regularibus concessae, et revocatae a *Paulo V.* hodie sint revalidatae. R. Non sunt revalidatae, ut constat ex damnata 37. propos. ab *Alex. VII.* Loco revocatarum dedit *Paulus V.* omnibus Regu-

laribus 1. Plenariam, qui causa profitendi *Regularem habitum susceperint*, die ingressus eorum in Religionem, si vere poenitentes, confessi, ac sacra communione refecti fuerint. 2. Plenariam *in die professionis* v. p. c. et c. r. f. 3. Cuivis Religioso plenariam *in festo principali sui ordinis*, si c. et S. C. r. 4. Plenariam *in articulo mortis*, si v. p. c. et S. C. r. aut saltem contritus nomen *Jesu*. ore, si potuerit, sin autem corde devote invocaverit. 5. Plenariam iis, qui ad Presbyteratus ordinem canonice promoti, et confessi primam Missam celebrabunt; nec non etiam iis Religiosis, qui pariter confessi, ac sacra communione refecti eidem Missae interfuerint, aut ipso die Missam similiter celebrabunt. 6. Plenariam facientibus exercitia spiritualia per dies 10., quos reduxit etiam ad 8. dies *Alex. VII.* Plura vide in Bulla *Pauli V.* quae incip. *Romanus Pontifex*. Item in Append. ad Tract. de Jubil. apud *Viva*.

655. *Q.* IV. Quaenam indulgentiae confraternitatum, aut sodalitatum adhuc valeant. R. Omnes hic recensere non patiuntur angustiae hujus operis. Anno 1748. per Bullam: *Praeclaris Romanorum Pontificum, Bened. XIV.* congregationibus sive sodalitiis adolescentium in Collegiis Societatis Jesu ad ipsius Primae primariae congregationis Romanae instar erectis vel erigendis concessas gratias, indulgentias, remissiones, et relaxationes confirmavit, et de novo ita extendit et ampliavit, ut sodales plenarias indulgentias (quas etiam animabus Christi fidelium, quae Deo in charitate conjunctae ex hac vita migraverint, per modum suffragii applicare possint) lucrentur 1. quo die in sodalitatem quispiam recipitur. 2. In mortis articulo. 3. Semel in hebdomada in iis diebus, in quibus juxta statuta et regulas sodalium conventus haberi solent, et vere poenitentes, ac confessi, et sacra communione refecti Ecclesiam, seu locum uniuscujusque congregationis, visitaverint, et ibi pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, et S. M. Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint.

Septem vero annorum, et totidem quadragenarum indulgentias, 1. concessit iis sodalibus praedictarum congregationum, qui corpora sodalium, vel aliorum Christi fidelium ad Ecclesiasticam sepulturam prosecuti fuerint: infirmi et impediti easdem lucrari possunt, qui audito signo companae genuflexi, si per infirmitatem licebit, orationem Dominicam, et salutationem Angelicam pro salute animae defuncti recitaverint; 2. qui sacrosantae Missae sacrificio diebus feriatis interfuerint: 3. qui conscientiam suam diligenter examinaverint vesperi, antequam cubitum eant: 4. qui pauperes infirmos: 5. aut in carcere detentos visitaverint: 6. qui pacem inter inimicos conciliaverint: ibid. additur: *Quas etiam omnes indulgentias consequi poterunt iidem adolescentes sive sodales ubivis locorum commorantes, si apud Ecclesiam eorumdem locorum, aut alibi, ut poterunt, opera praestabunt, quae sunt servanda ad indulgentias hujusmodi consequendas.* 7. Iidem sodales lucrari possunt indulgentias stationum almae Urbis, *si diebus quadragesimae, et aliis anni temporibus ac diebus stationum hujusmodi Ecclesiam Societatis Jesu, si ibi fuerit, alioquin aliam Ecclesiam, seu Cappellam in locis, ubi eos pro tempore esse contigerit, devote visitaverint, et ibi septies orationem Dominicam, et septies Angelicam salutionem recitaverint.* Denique in solatium sodalium, qui pie in Domino obierunt, concessit, *ut quandocumque Sacerdos aliquis saecularis, vel cujusvis Ordinis, Congregationis, Instituti Regularis sacrosanctum Missae sacrificium, sive ad altare cujusvis Congregationis, et sodalitatis hujusmodi, sive sodales ipsi Sacerdotes pro suis sodalibus ad quodlibet altare celebraverint, sacrificium hujusmodi perinde ipsis suffragetur, ac si ad altare privilegiatum fuisset celebratum.*

» *Indulgentia Portiunculae* potest in ipsa aede Portiunculae obtineri sine » communione, et toties, quoties quis illuc per dietam fuerit peregrinatus » etiam eodem anno: communicata tamen templis aliis ordinis s. Francisci re-

» quirit illo die sacram communionem, non tamen habet annexam po-
» testatem dispensandi, commutandi, absolvendi peculiarem.

656. *Q.* V. An quis eodem die uno eodemque opere possit lucrari plures indulgentias. R. 1. Si diversae indulgentiae, v. g. diversarum confraternitatum, vel affixarum diversis Ecclesiis etc. ex diversis titulis concessae fuerint ad eumdem diem, et opus praescriptum eodem die repeti non possit, vel non soleat, potest quis eodem die plures indulgentias iisdem operibus lucrari; ejusmodi opera initerabilia sunt, jejunium, communio etc. *Laymann* l. c. c. 6. cum *Corduba* et *Coninck*. R. 2. Si vero concurrant indulgentiae ex eodem titulo, v. g. si quis habeat duo numismata, quorum singulis indulgentia unius anni concessa est cum onere operum iterabilium, censendum est, non posse obtineri plures indulgentias simul eodem tempore, nisi iterentur opera; quia haec censetur esse mens concedentis hoc ipso, quod annectat, opera iterabilia. *Amort* l. c. q. 36. Huc pertinet decretum Congr. Indul. ab *Innoc. XI.* approbatum et promulgatum 7. Mart. 1678. ubi dicitur, *semel dumtaxat in die plenariam indulgentiam in certos dies Ecclesiam visitantibus concessam*, vel *aliud opus pium peragentibus lucrifieri*.

657. *Q.* VI. An quis ad lucrandas indulgentias possit perficere per alium opus injunctum. R. Si alius, qui jussu tuo perficit opus, sit causa propria operis v. g. si jubeas famulum orare, jejunare, vel alia opera *personalia* exercere, non lucraberis indulgentias, quia hoc casu tu non diceris orare, jejunare, sicut praecipit concedens indulgentias. Secus si alius non sit causa propria, sed tantum quasi instrumentum, v. g. si tu des eleemosynam famulo, ut is porrigat pauperi. *Suar.* hic disp. 52. sect. 7. Quoties enim opus simpliciter injungitur, necesse est, ut personaliter impleatur ab eo, qui lucraturus est indulgentias; secus si tenor Bullae injungat opus sub disjunctione, scil. *per se* vel *per alium* explendum.

658. *Q.* VII. Si indulgentia concedatur contritis et confessis, an ad eam lucrandam necessaria sit confessio actualis, an vero sufficiat contritio. R. Juxta Decretum datum Romae die 19. Maji 1759. et approbatum a Clemente XIII. requiritur confessio, contra responsionem a nobis datam in editione prima, secunda, et tertia. Verba Decreti sunt: *Ut Christifideles scire possint, quid sibi tenendum foret pro acquirendis indulgentiis in sententiarum varietate super intelligentia verborum: qui vere poenitentes, confessi, ac sacra communione refecti Ecclesiam visitaverint: quae in indulgentiarum Brevibus inseri solent, in Sacra Congregatione Indulgentiis, sacrisque Reliquiis praeposita, discussis die* 13. *Martii proximi praeteriti nonnullis dubiis, eadem Sacra Congregatio fuit in voto confessionem sacramentalem, quando in Brevibus apponitur pro indulgentiarum consecutione, peragi omnino debere etiam ab iis, qui sibi lethalis peccati conscii non sunt; nec non praefatam confessionem suffragari etiam posse, si expleatur in vigilia Festivitatis. Quod autem ad Ecclesiae visitationem spectat, eam impleri posse, sive ante, sive post aliorum piorum operum impletionem.*

659. *Q.* VIII. An is, qui opus praescriptum quidem perficit, sed non integre, lucretur indulgentias. R. Qui omittit partem notabilem, ita ut secundum aestimationem moralem non perficiatur opus quoad substantiam nequidem lucratur partem indulgentiae. Secus si omittatur pars minima, quia tunc adhuc moraliter, vel quoad substantiam censetur perfici opus praescriptum. Quaenam autem sit pars minima, sumendum est *respective*, v. g. si requiratur rosarium, omissio unius *Pater* et *Ave*, censeri potest pars minima: si vero requirantur quinque *Pater* et *Ave*, omissio unius utpote quintae partis non censetur pars minima. Ita *Amort* l. c. q. 34.

Formula petendi indulgentias Romae a S. Congregatione Indulgentiarum: *Beatissime Pater, Ecclesia Parochialis* (vel filialis, vel capella publica) *Sancti N.* v. g. S. Petri, *loci N. Dioecesis N. in qua aliae hucusque non fue-*

runt indulgentiae (vel si fuerint, additur: quam plenariae festo N.) *supplicat humillime pro indulgentia plenaria ad septennium festo Sancti N. quo die in hoc loco maxima populi est devotio. Et Deus.*

NB. Breve indulgentiarum Romae obtentarum, antequam promulgentur indulgentiae, prius debet ostendi Ordinario, a quo facultas conceditur eas promulgandi.

Elapso septennio, idem Breve Romam debet trasmitti una cum nova supplicatione pro concedendis indulgentiis iterum ad septennium.

Casus II. De Jubilaeo.

Melchior, postquam lucratus est Jubilaeum hujus anni 1751., *incidit in peccatum summo Pontifici alias reservatum, a quo, ut absolvatur, statuit denuo lucrari Jubilaeum et in proxima confessione petit absolutionem a reservato.*

660. *Q.* I. Quid requiratur ad hoc, ut quis Jubilaeum lucretur. R. Suppositis iis, quae sunt dicta n. 647. specialter requiritur 1. ut opera in Bulla Pontificia praescripta tempore ibid. praefixo rite peragat. 2. ut sit in statu gratiae, saltem dum ponit ultimum opus: eo enim momento lucratur indulgentiam, alios vero favores, v. g. absolutionis aut commutationis votorum, quando accedit ad Confessarium animo lucrandi Jubilaeum.

661. *Q.* II. An quis saepius idem Jubilaeum possit lucrari, quoties scil, repetit opera injuncta. R. Negant id fieri posse *Sanch.* L. 4. c. 54., *Suar.* · *Laym.*, *Faustus* et alii. Affirmativam tamen probabiliorem censet *Viva* de Jubil. q. 6. a. ult. cum *Nav.*, *Lug.*, *Bossio* et aliis. Quia beneficium Principis, non praejudiciale alteri, ampliandum et late interpretandum est juxta Leg. *benef.* de constit. Princ.; ergo quoties non limitatur ad unam tantum vicem, sive *semel* expresse, potest quis indulgentiam indefinite concessam toties quoties lucrari. Ita etiam Benedictus XIV. in epistola circulari ad Poenitentiarios et Confessarios Romanos 3. Decembr. 1749. Romae publicata declaravit n. 84: *Cum hac in parte non agatur de Jubilaeo duarum hebdomadum, sed de Jubilaeo integri anni, indulgentia hujus Jubilaei intra annum saepius obtineri potest, si praescripta pia opera saepius repetantur. Sed aliae gratiae Jubilaeo annexae, si quis post primam lucrationem de novo incurrit censuram, vel casum reservatum, aut de novo opus habeat commutatione votorum, de novo obtineri non possunt.* Ita refertur ab *Amort* post disp. 7. de indulg. in Append. n. 40. Ex eadem circulari eruit sequentes declarationes. Ex n. 2. ad lucrandas indulgentias Jubilaei praesentis praeter confessionem requiritur etiam sacra communio . . . non sufficit *sola communio sacramentalis*, quae sumitur in statu peccati mortalis, nec sola *communio spiritualis* consistens in desiderio fervido sumendi Eucharistiam, sed requiritur communio simul sacramentalis, et simul spiritualis. Ex n. 3. ad consequendas indulgentias hujus Jubilaei non sufficit actus contritionis cum confessione in voto, sed requiritur confessio actualis in re, et ex n. 77. et 78. tenentur etiam illi, qui habent solum peccata venialia. Vide dicta n. 651.

662. *Q.* III. An qui lucratus est jam Jubilaeum, sicut Melchior in nostro casu, et postea incidit in reservata, possit durante Jubilaeo adhuc absolvi a reservatis. Respondet *Viva* de Jubil. q. 2. a. 3. n. 3. cum *Leone* contra *Sanch.* et alios, probabiliter posse quemlibet absolvi intra tempus Jubilaei a reservatis post Jubilaei acquisitionem commissis. *Ratio* est, quia facultas ista in Jubilaeis concessa, cum respiciat favorem animarum, amplissime est interpretanda. Deinde si juxta probabilem quilibet potest toties lucrari Jubilaeum, quoties implet opera injuncta, poterit et talis denuo opera implere, et gaudere privilegio absolutionis a reservato; maxime si in prima confessione hoc beneficio opus ei non fuerit. Vide tamen n. praeced.

663. *Q.* IV. Quid notandum sit circa visitationem Ecclesiarum, quando illa tempore Jubilaei praescribitur. R. Visitatio Ecclesiarum vel locorum piorum, aut processio est peragenda, prout Ordinarius conformiter Bullae Pontificiae ordinaverit. Debet esse *devota*, pie orando ad intentionem Papae in Bulla praescriptam. Sic in epist. circul. *Benedicti XIV.* nuper cit. num. 73. 74. 75. 76. declaravit, ut refertur ab *Amort* l. c. num. 31. Quamvis Pontifex ardenter desideret, ut omnia opera pro lucrando Jubilaeo requisita fiant in statu gratiae, ac proinde, ut fiant post fructuosam confessionem vel contritionem, non tamen excludit a fructu indulgentiae eum, qui visitando Ecclesias se disponit ad reconciliationem cum Deo, et saltem ultimum opus peragit in statu gratiae: *Et visitationes Ecclesiarum fiant devote, hoc est, cum intentione ac voluntate honorandi Deum et sanctos, atque ut eundo ad Ecclesias, et intrando id fiat cum modestia, et ibi exerceatur aliquis actus Religionis: hinc non lucrantur Jubilaeum, qui eunt ad Ecclesiam sine ullo bono fine, sed ex mera curiositate; et si tantum itur animo spatiandi, et multo magis illi, qui constituti in peccato mortali habent animum alios inducendi in peccatum.* Denique juxta communiorem qui semel omittit visitare Ecclesias, non lucratur Jubilaeum, quia sic non impletur conditio determinati numeri praefixarum a Pontifice visitationum Ecclesiarum. Nec quicquam hic juvat praesumpta voluntas Pontificis, aut ejus praesumpta benignitas; ab expresso enim ad tacitum non licet in his procedere. Ita *Leo* punct. 3. de Jubil. num. 114. contra *Bossium.* Nec licet Ecclesias visitare pluries eodem die in ordine ad implendum numerum visitationum, quando expresse praescribitur, ut Ecclesiae visitentur per 15. vel 30. dies, quia sub his non simpliciter 15. aut 30. visitationes praescribuntur, sed determinate statuitur, ut visitationes fiant per 15. aut 30. dies. *Viva* l. c. q. 8. a. 5. contra *Pasqualigum.* Ibid. n. 7. ad quaestionem, an sufficiat oratio mentalis ad lucrandum Jubilaeum; respondet affirmative, quia haec est proprie dicta oratio, et eatenus potest judicari publica, quatenus tali tempore ad publicum Ecclesiae finem ordinatur. Quia tamen circa hanc variant AA. judicat *La Croix* L. 6. p. 2. num. 1421. tutius esse, miscere saltem vocalem. De oratione nuperrimi Jubilaei in epist. circul. saepe laudata *Benedict. XIV.* num. 83. declaravit sufficere piam orationem vocalem, laudandum vero esse, qui orat mentaliter, dummodo etiam adjungat aliquam orationem vocalem. Denique in genere de oratione hic ait *La Croix* l. c. n. 1423. quod requiratur oratio in *loco*, et *tempore*, et ex *intentione* per Bullam designatis.

664. *Q.* V. Quid notandum sit circa jejunium, si illud exigatur in Bulla ad lucrandum Jubilaeum. R. Requiritur ecclesiasticum trium dierum in Bulla Praefixorum, scil. Mercurii, Veneris, et Sabbati et quidem intra eamdem septimanam, ut longe probabilius cum communi defendit *Lugo* d. 27. n. 105. contra *Laym.*, et *Bonac.* Dixi *ecclesiasticum*, scil. pro consuetudine patriae: hinc ubi licet vesci lacticiniis et ovis, etiam licebit tempore Jubilaei, nisi id expresse prohibeatur in Bulla. Praeterea jejunium, si praescribatur, servandum est ab omnibus lucraturis Jubilaeum etiam a pueris, infirmis, et laborantibus, et alias dispensatis, nisi id Confessarius commutet. Ita *Laym.* l. c. cap. 8. n. 12.

665. *Q.* VI. Quid observandum circa eleemosynam, si exigatur a Bulla. R. 1. Danda est ab omnibus, qui Jubilaeum lucrari volunt, et quidem juxta *Navar.*, *Regin.*, et *Alloza*, secundum cujusque facultatem; juxta *Dian.* vero et *Rodrig.* sufficit etiam modica, si Bulla nihil determinet. 2. Probabilius pauperes etiam ad eam tenentur, aut debent petere commutationem, quia nemo tam pauper est, qui dare non possit obolum vel nummum, aut ab alio petere quem ipse postea elargiatur. *Viva* l. c. a. 6. contra *Faustum.* 3. Haec eleemosyna secundum commun. debet esse corporalis, sive aliquod opus ex 7. operibus misericordiae corporalis; hinc nomine eleemosynae etiam venit, domi

excipere pauperem etc. Ita *La Croix* l. c. n. 1426. cum *S. Thom.* 2. 2. q. 32. *Excipe*, nisi expresse aliud in Bulla exprimeretur.

666. *Q.* VII. Quid notandum sit circa facultatem absolvendi tempore Jubilaei. R. 1. Conceditur potestas absolvendi a reservatis, per quae intelliguntur casus Papales, et Episcopales: *excipe* casus Bullae Coenae, qui si non exprimantur in Bulla, etiam non datur facultas ab iis absolvendi; quia specialiter reservata specialiter exprimi debent. *Jansen.* p. 2. cas. 102. n. 6. Vide *Viva* l. c. q. 11. a. 1. An vero concedatur facultas absolvendi ab haeresi, dum conceditur in Bulla facultas a reservatis in Bulla Coenae, controvertitur ab AA. Affirmativam tenent *Sotus*, *Corduba*, *Regin.*, *Fagundez*, *Gobat* et alii, saltem pro foro conscientiae. Contrariam ut communiorem et tenendam defendit *Viva* l. c. cum *Suar.*, *Vasq.*, *Palao* et aliis, eoquod *Sixtus V.* anno 1589. et *Clemens VIII.* 1595. cum concessissent facultatem absolvendi a casibus Bullae Coenae, concesserint in specie etiam potestatem absolvendi ab haeresi; ergo non videtur in generali concessione illa facultas includi. *Confirm.* 2. ex cit. epist. circulari *Benedicti XIV.* ad poenitentiarios minores, ubi §. 2. n. 38. de data hoc tempore Jubilaei poenitentiariis Romae auctoritate absolvendi a censuris etiam reservatis in Bulla Coenae et ab omnibus peccatis, expresse innuit: *Non intelligitur unquam concessa auctoritas absolvendi ab haeresi externa, tametsi verba indulti universalia sint aut universalissima, si haeresis illa expresse et in individuo nominata non sit.*

667. R. 2. Praeterea conceditur facultas absolvendi in foro conscientiae ab excommunicatione, suspensione, et aliis ecclesiasticis sententiis et censuris, non item ab irregularitate ex delicto, ut defendit *Viva* l. c. q. 10. a. 1. contra *Bossium*, *Henriq.* et alios; quia ordinarie in Bulla Jubilaei expresse dicitur, quod nemini liceat super ulla irregularitate dispensare: ergo cum Bulla non distinguat inter irregularitatem ex delicto, et ex defectu, nec nobis licet ita distinguere. Adde, quod juxta communiorem irregularitas ex delicto proprie non sit censura; censura enim tollitur per absolutionem, seu per actum judicialem, irregularitas vero per dispensationem. Praeterea *notandum*, quod poenitens, antequam absolvatur a censura, prius debeat satisfacere parti laesae. Vide *Viva* l. c. q. 10. a. 2.

668. *Q.* VIII. Quid notandum sit circa commutationem votorum. R. In Jubilaeis non censetur concessa facultas commutandi vota, vel in iis dispensandi, nisi illa facultas exprimatur in Bulla. Ita declaravit *Benedict. XIV.* in cit. epist. circulari n. 47. Ibid. innuit, quod *commutare vota dispensando* idem sit, ac materiam operis pii, in quod votum commutatur, et quod in sola commutatione deberet esse majus vel aequale voto, possit aliquantisper recedere ab aequalitate cum voto. Ac proinde Confessarii bene attendant, an et qualis concedatur in Bulla facultas circa commutationem votorum; dispensandi enim potestas ordinarie non solet concedi. Pro praxi vota commutandi statuit *Lohner* 1. Attendendum esse ad circumstantias. 2. Materiam subrogatam non debere necessario proportionari materiae promissae quoad magnitudinem, durationem et numerum; sed sufficere, si sit aequalis officii divini, vel certe non notabiliter minoris. 3. Spectandum esse finem, et fragilitatem voventis. Sic votum non nubendi mutari potest in confessionem et communionem menstruam quamdiu erit in matrimonio, una cum alio pio opere, v. g. eleemosyna aliquot septimanis distribuenda, vel certis precibus persolvendis. Plura vide de commutat. vot. P. I.

669. *Q.* IX. An dictae facultates exerceri possint extra confessionem sacramentalem. Ad hanc quaest. *Bened. XIV.* in laudata epist circul. n. 63. postquam variorum AA. sententias erudite examinavit, ita pro nostro Jubilaeo respondit: *Nos vero ad tollendam e medio omnem ambiguitatem in instructionibus adjunximus, a poenitentiariis dari non posse absolutiones, com-*

mutationes, et dispensationes quascumque extra actum sacramentalis confessionis; hoc quippe nobis visum est debitum et proportionatum gravitati materiae, et qualitati ministerii, conducens ad rescindendam omnem litem, ac pariter conforme praxi nostrae poenitentiariae.

ARTICULUS IV. De absolutione, et ministro poenitentiae.

§. I. *Praenotanda.*

670. Praenot. I. Forma Sacramenti poenitentiae sunt verba, quae Sacerdos administrando hoc Sacramentum profert: de his *Trid.* sess. 14. cap. 3. ita innuit: *Docet praeterea S. Synodus, Sacramenti Poenitentiae formam, in qua praecipue ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse*: Ego te absolvo etc., *quibus quidem de Ecclesiae S. more preces quaedam laudabiliter adjunguntur; ad ipsius tamen formae essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius Sacramenti administrationem sunt necessariae.* Unde in Theol. Schol. graves AA. cum *S. Thom.* p. 3. q. 84. a. 3. cum *S. Antonino* et aliis docent, essentiam formae consistere in solis verbis; *Absolvo te:* tum quia *Florent.* et *Trid.* ea sola exprimunt, tum quia haec se solis exprimunt personam judicis, personam rei, ejusque absolutionem, et circumstantia personae confitentis peccata sua satis determinat et significat absolutionem cadere super peccata illius. Alii cum *Paludano, Soto* etc. docent, ad essentiam pertinere haec verba: *Absolvo te a peccatis*: tum quia Christus *Joan.* 20. instituens hoc Sacramentum expressam fecit mentionem peccatorum: *Quorum remiseritis peccata* etc.; tum quia *Flor.* et *Trid.* ad *absolvo te* apponunt *to* etc., tum quia verba, *absolvo te* sunt indifferentia ad absolutionem a peccatis et censuris: ergo ut determinate significent absolutionem a peccatis, debent determinari per haec, *a peccatis tuis*; quae sententia cum sit tutior, in praxi est praeferenda; agitur enim de valore Sacramenti. Plura vide in Theol. Schol. Nobis incumbit investigare, quomodo in praxi danda sit absolutio, quae est remissio peccatorum poenitentis facta a Sacerdote vi clavium, non autem pura declaratio peccatorum remissorum, ut constat ex *Trid.* sess. 14. can. 9. *Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronunciandi et declarandi, remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat se esse absolutum,... anathema sit.* Unde porro colliges, hanc formam non esse deprecatoriam, cum sit verus actus judicialis. Sensus autem illius, quem verba de se important, est: Ego te sententia judiciali loco Dei a peccatis tuis absolvo. Juxta alios idem sonant, ac confero tibi gratiam remissivam peccati, vel juxta *S. Th. tibi impendo Sacramentum absolutionis.* Vide *La Croix* L. 6. p. 2. n. 63.

671. II. Minister Sacramenti poenitentiae est solus Sacerdos. Patet tum ex *Joan.* 20. ubi solis Apostolis, eorumque successoribus a Christo dictum est, *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata etc.* tum ex *Flor.* et *Trid.* quod sess. 14. can. 10. ita definit: *Si quis dixerit, Sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi et solvendi non habere; aut non solos Sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus et singulis Christi fidelibus esse dictum: Quaecumque ligaveritis super terram.... et quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.... quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata, publica quidem per correptionem dumtaxat, si correptus acquieverit, secreta vero per spontaneam confessionem, anathema sit.* Nunc inquirendum, quid requiratur ad hoc, ut Sacerdos valide ac licite absolvat; et quid porro pertineat ad munus Confessarii.

§. II. *Principia pratica de absolutione, ejusque ministro.*

672. *Principium* I. Absolutio in praxi sic confertur. 1. Antequam poenitens confiteatur, Sacerdos formando signum crucis super ipsum dicit: *Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis, ut rite confitearis omnia peccata tua, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus S. Amen.* 2. Audita confessione cum poenitentem (ut habet *Rituale Rom.* auctoritate *Pii V.* editum) absolvere voluerit, injuncta ei prius et ab eo accepta poenitentia salutari, dicit: *Misereatur tui, omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis perducat te ad vitam aeternam. Amen.* Deinde dextera versus poenitentem elevata, dicit: *Indulgentiam, absolutionem, et remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens et misericors Dominus. Amen. Dominus noster Jesus Christus te absolvat, et ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis* (si poenitens sit in ordine sacro constitutus, additur *suspensionis*, alias, si nequidem sit subdiaconus, haec vox omittitur) *et interdicti, in quantum possum, et tu indiges. Deinde: Ego te absolvo a peccatis tuis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus S. Amen.* Postea subjungit: *Passio Domini nostri Jesu Christi, merita B. Mariae Virginis, et omnium Sanctorum, quidquid boni feceris, et mali sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiae et praemium vitae aeternae. Amen.* Item *Rit. Rom.* addit, in confessionibus frequentioribus, et brevioribus omitti posse. *Misereatur*, et *Indulgentiam*, et satis esse dicere: *Dominus N. J. C.* etc. usque ad *Passio Domini N. etc.* Urgente vero gravi aliqua necessitate in periculo mortis breviter dici posse: *Ego te absolvo ab omnibus censuris et peccatis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus S. Amen.*

673. Porro ad absolutionem sacramentalem requiruntur verba formalia, ita ut non sufficiat solus nutus, vel aliud signum sine verbis formalibus. Quamvis enim absolutio in foro externo subsistat, quae fit scripto; absolutionem tamen a peccatis verbis formalibus fieri debere, ex institutione Christi satis constat 1. ex CC. cum *Flor.* in decreto *Eugenii IV.* expresse dicat: *Forma hujus Sacramenti est: Ego te absolvo etc.* Vide etiam *Trid.* mox citatum n. 670. 2. Ex perpetuo usu Ecclesiae. 3. Ex communi sententia Theologorum, quam plerique cum *Suar.* hic d. 19. sect. 1. n. 3. vocant certam. 4. Denique etiam ex communi sensu fidelium.

674. Absolutio non potest absenti dari, ideoque ad hoc ut poenitens valide absolvatur a Confessario, debet ei esse moraliter saltem praesens. *Probatur* 1. ex eo quod *Clem. VIII.* decreto 16. Junii 1602. edito damnaverit ad *minus ut falsam, temerariam, et scandalosam hanc propositionem*, scil. *licere per litteras, seu internuntium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, et ab eodem absente absolutionem obtinere.* In eodem Decr. sub excommunicatione ipso facto incurrenda Romano Pontifici reservata prohibuit, ne ullus deinceps talem propositionem tanquam in aliquo casu probabilem defenderet, doceret, imprimeret, aut in praxim aliquo modo deduceret. *Prob.* 2. ex perpetua Ecclesiae praxi, quae nunquam consuevit dare absolutionem absenti; constans autem Ecclesiae praxis in materia Sacramentorum satis indicat, hanc et non aliam Christi voluntatem ac institutionem esse. *Prob.* 3. ex ipsa forma, ubi pronomen demonstrativum *Te* non videtur apte posse dirigi ad absentem in negotio conscientiae. *Viva* in Append. ad propos. damn. §. 10. ubi ex declaratione *Pauli V.* die 14. Julii 1605. facta in Congr. S. Officii, affirmat, quod absolutio, et confessio absentis non solum in sensu copulativo, sed nec in sensu divisivo liceant, ita ut neque absolutio in absentia valeat, quamvis confessio fuerit facta in praesentia Sacerdotis, neque liceat confessio in absentia facta, quamvis deinde absolutio conferatur in praesentia Sacerdotis. *Dicastillo* e contra d. 9. a n. 831. apud *La Croix* l. c. n. 1195. et

gravissimi AA. docent, declarasse eumdem *Clementem*, quod confessio absenti facta non sit invalida, si fuerit ordinata ad absolutionem praesente Sacerdote accipiendam, adeoque hi putarunt propositionem dictam non esse damnatam *divisive*, h. e. quoad singulas partes, sed *complexive* propter partem posteriorem falsam.

675. *Neque dicas I.* Refert *Baronius* ad annum 1164. Thomam Cantuariensem misisse internuntium ad Pontificem pro absolutione a culpa, siquam contraxisset ob aliquam cum Rege conniventiam circa violationem immunitatis Ecclesiasticae. R. S. Episcopus, cujus bonae mentis erat ibi culpam agnoscere, ubi culpa non est, seipsum suspenderat a Missa celebranda, qua suspensione ut liberaretur confugit ad Romanum Pontificem; *Alex. III.* rescripsit paterne, et monuit tantum, ut Confessario discreto confiteretur si forte conscientiae remorsibus tangeretur, ut videre licet apud cit. *Baron.*

676. *Nec dicas II.* In judicio forensi rite fertur sententia absolutoria in absentem: item absolutio a censuris rite fertur absenti: ergo a pari. R. N. C. A praxi et traditione Ecclesiae satis ostenditur, in hoc differre judicium sacramentale a forensi ex institutione Christi. Quoad *secundum*, sicut absolutio a censuris etiam potest conferri invito, ita pariter conferri potest absenti, eoquod pendeat ab institutione humana; absolutio vero sacramentalis unice pendens ab institutione Christi sicut nequit invito conferri, ita nec absenti. *Viva* l. c. Addit *Duarte V.* absolutio n. 15. id patere ex variis Rescriptis et Bullis Pontificum.

677. *Dixi* supra, quod absolvendus debeat esse saltem *moraliter praesens* Confessario; quamvis enim ordinarie physica praesentia requiratur, sufficit tamen, si poenitens moraliter praesens sit, ita ut Confessarius ipsi voce communi, h. e. qua colloquentes communiter uti solent, licet etiam paulo elatiore, loqui possit. Sic posset quis e fenestra absolvere poenitentem jacentem in platea et graviter vulneratum: item stans in littore naufragium passurum in torrente: pariter, ut saepe contingit, si poenitens post injunctam poenitentiam mox abeat, poterit Confessarius discedentem absolvere, si illum prope adhuc videat, quia adhuc moraliter est praesens: secus si eum non amplius videat, vel audiat, nec sciat ubinam sit. *Stoz* L. 2. n. 100. cum *Tamb.*, ubi praeterea addit, illum omnino invalide agere, qui extra domum in platea stans absolveret in superiore aliquo domus cubiculo jacentem, quem ante oblitus erat absolvere; quia hic absolvendus ei nec physice, nec moraliter praesens est.

678. *Princip. II.* Ad *valide* absolvendum rite poenitentem requiritur in ministro 1. Legitima et completa potestas *Ordinis*. 2. *Jurisdictionis*. 3. *Intentio absolvendi sacramentaliter, eaque vel actualis, vel virtualis.* De hac supra n. 49. et seq. Item a n. 51. 60. 65. 75. etc. Dixi, *completa potestas Ordinis*, h. e. non tantum potestas in Corpus Christi verum, sed etiam in Corpus Christi mysticum. Haec postrema (quae vocatur etiam potestas solvendi, atque ligandi, sive *Clavium*) datur quidem in ipsa ordinatione, sed est tantum facultas absolvendi *radicalis, et in actu primo:* ideoque ad ejus usum requiritur *Jurisdictio*, et ad delegatam jurisdictionem respectu saecularium accipiendam *Approbatio.* De hac jure novo *Trid.* sess. 23. cap. 15. de Reform. ita habet; *Quamvis Presbyteri in sua ordinatione a peccatis absolvendi potestatem accipiant; decernit tamen Sancta Synodus, nullum etiam Regularem, posse confessiones saecularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, et alias idoneus judicetur, et approbationem, quae gratis detur, obtineat; privilegiis et consuetudine quacumque etiam immemorabili non obstantibus.* De jurisdictione *Trid.* ita docet sess. 14. cap. 7. *Quoniam igitur natura et ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur, persuasum semper in Ec-*

clesia Dei fuit, et verissimum esse Synodus haec confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem.

679. Circa approbationem sequentia observanda sunt. I. Per approbationem secundum se et incomplete sumptam hic intelligitur authenticum testimonium Episcopi, vel ejus Vicarii de idoneitate Sacerdotis ad excipiendas confessiones: sic differt a jurisdictione, quod haec sit actus voluntatis dans potestatem expeditam absolvendi: approbatio autem sit actus intellectus circa idoneitatem Sacerdotis. Approbationem *complete* sumptam erudite definit *Clericatus* de Poenit. decis. 37. n. 3. *Approbatio Confessarii est judicium* Episcopi vel ejus Vicarii *de ejus idoneitate quoad scientiam et probitatem, simulque concessio Jurisdictionis pro audiendis et absolvendis poenitentibus in foro interno ac sacramentali.* Superior enim, qui debet approbare, reflectendo ad interrogata et responsa (cum praevie approbandum vel per se, vel per alios examinaverit), vel reflectendo ad ejusdem *scientiam*, *pietatem*, et mores aliunde sibi cognitos, judicium fert, an sit idoneus, nec ne, quod judicium internum signo externo, verbo, vel scripto manifestat declarando, eumdem esse idoneum, quae declaratio fit vel praevio, et separato testimonio idoneitatis, vel per concessionem actualem ipsiusmet jurisdictionis.

680. II. Est igitur approbatio omnibus Confessariis necessaria, ita ut ea deficiente nulla sit jurisdictio, et consequenter nulla etiam absolutio, ut probant *Sanch.* L. 6. de matrim. d. 28. n. 20., *Coninck* et alii, tum ex eo, quod *Trid.* cit. n. 678. expresse dicat, nullum Sacerdotem posse sine approbatione excipere confessiones; tum ex auctoritate Cardinalium, qui sic declararunt mentem Concilii, contra alios apud *Stoz* L. 2. q. 2. n. 32. Excipiuntur tamen 1. Parochi, quos Concilium ipsum excipit, qui hoc ipso, quod ipsis ab Episcopo animarum cura committatur, ad confessiones suorum excipiendas approbari censentur. *Laym.* L. 5. t. 6. c. 11. Standum tamen est statutis dioecesum, ubi ante praesentationem solent prius approbari ex praevio examine, et jurisdictio expresse concedi. 2. Excipiuntur Confessarii Religiosorum: cum enim Decretum *Trid.* novam suam ordinationem restrinxerit ad confessionem saecularium, hinc (ut infert *Laym.* l. c.) Regulares possunt cuique Sacerdoti, quem Praelatus ipsis secundum Ordinis statuta constituerit, confiteri, tametsi ab Episcopo approbatus non fuerit, quantum est ex vi hujus Decreti, ut addit *Stoz* l. c. n. 33. Confessarii tamen Monialium debent approbari ab Episcopo ex speciali Constitutione *Gregorii XV.* quae incipit: *Inscrutabili*, ubi ita statuitur: *Confessores vero sive Regulares, sive Saeculares, quomodocunque exempti, tam extraordinarii, quam ordinarii ad confessiones Monialium etiam Regularibus subjectarum audiendas nullatenus deputari valeant, nisi prius ab Episcopo Dioecesano idonei judicentur, et approbationem, quae gratis concedatur, obtineant.*

681. Circa jurisdictionem observanda sunt sequentia. I. Nomine jurisdictionis hic intelligitur potestas alios tamquam subditos in foro conscientiae judicandi. Haec duplex est *Ordinaria*, quam quis habet vi officii sui, cui annexa est cura animarum: talem habet summus Pontifex in omnes Christi fideles, Episcopus in dioecesanos, Parochus in parochianos, et, juxta *Laym.* L. 5. t. 6. c. 10. n. 3., Praelati exempti comparatione suorum subditorum. *Delegata* jurisdictio est, quae alicui competit ex concessione Ordinarii, ut idem *Laym.* ait l. c. Utriusque mentio fit in Decreto *Eugenii IV.* pro Armenis: *Minister hujus Sacramenti est Sacerdos habens auctoritatem absolvendi vel ordinariam, vel ex commissione Superioris.* Item in *Trid.* sess. 14. cit. n. 678.

682. II. Una ex praedictis jurisdictionibus absolute est necessaria ad validam absolutionem, ut patet ex *Flor.* et ex *Trid.* mox cit. *Ratio* autem est, quia absolutio a peccatis ex institutione Christi est actus judicialis; ergo qui vult aliquem valide absolvere, necessario in eum tamquam subditum debet habere

jurisdictionem; haec autem Sacerdotibus non confertur vi suae ordinationis, ut dictum est n. 678. Hanc rem aliqua comparatione communiter declarant AA. cum *Laym.*: sicut enim qui Juris Doctor creatur, is potestatem quidem accipit judicandi de rebus in Jure controversis, vel ex cathedra publice docendi; haec tamen potestas eo usque incompleta est, et remota manet, quia in actum exire nequit, donec assignatis ei subditis, sive accepta jurisdictione Judex, vel designata ei cathedra Professor alicubi constituatur: simili fere modo Sacerdos in ordinatione accipit potestatem absolvendi, sed eo usque incompletam, remotam et indeterminatam, quae in actum exire nequit, donec ea per potestatem jurisdictionis in certos subditos determinetur.

683. Porro hic notat *Laym.* l. c. quod in tribus casibus quilibet Sacerdos ex perpetua Ecclesiae consuetudine jurisdictionem obtineat. 1. In mortis articulo super omnia omnino peccata, scil. si alius non adsit Sacerdos complete approbatus, ut n. seq. ex *Trid.* demonstrabitur. 2. Super venialia peccata tantum; hoc autem in praxi hodie non tenet, contrarium enim declaravit *Congreg.* Card. in Decreto; *Cum ad aures* sub Innoc. XI. anno 1676. his verbis: *Non permittant, ut venialium confessio fiat simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo, aut Ordinario. Si Parochi et Confessarii, etiam Regulares, aut quicumque alii Sacerdotes secus egerint, sciant Deo optimo Maximo rationem reddituros esse, neque defuturam Episcoporum et Ordinariorum justam ac rigorosam animadversionem in contrafacientes, etiam Regulares, etiam Societatis Jesu.* Ideoque talis absolutio certo illicita est; invalidam quoque eam censet *Platelius.* Communior vero cum *Sporer* de Poenit. n. 669. *Lugone* et *Cardenas* probabilius saltem validam judicat. Vide *La Croix* L. 6. p. 2. n. 1489.... 3. Super mortalia, a quibus poenitens antea jam legitime absolutus est; non item super mortalia dubia, ut ait *La Croix* cum *Mendo* l. c. n. 1490.

684. *Princ. III.* Sacerdos approbatus, et habens jurisdictionem non potest valide absolvere extra articulum mortis a casibus reservatis, nisi specialem etiam absolvendi ab illis potestatem obtinuerit; ideoque caute advertendum, quousque se extendat jurisdictio concessa, et quinam casus tum a summo Pontifice, tum ab Episcopo in sua Dioecesi sint reservati. Est autem *Reservatio* restrictio jurisdictionis necessariae ad absolvendum a certis peccatis. *Casus reservatus* est peccatum, a quo Confessarius inferior ob ablatam vel non concessam a Superiore jurisdictionem absolvere non potest: vel, ut ait *Reiffenst.* in Theol. moral. t. 14. dist. 9. c. 1. n. 1. *Casus reservatus est peccatum mortale externum, ad cujus absolutionem inferioribus Sacerdotibus jurisdictio non est concessa.* De casuum reservatione *Trid.* sess. 14. c. 7. postquam necessitatem jurisdictionis ad valide absolvendum exposuit, docet: *Magnopere ad Christiani populi disciplinam pertinere sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quaedam, et graviora crimina non a quibusvis, sed a summis dumtaxat Sacerdotibus absolverentur. Unde merito Pontifices Max. pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare. Neque dubitandum est, quando omnia, quae a Deo sunt, ordinata sunt, quia hoc idem Episcopis omnibus in sua cuique Dioecesi, in aedificationem tamen, non in destructionem, liceat pro illis in subditos tradita super reliquos inferiores Sacerdotes auctoritate, praesertim quoad illa, quibus excommunicationis censura annexa est. Hanc autem delictorum reservationem, consonum est divinae auctoritati, non tantum in externa politia, sed etiam coram Deo vim habere.* Eadem sess. can. 11. ita definit Trid. *Si quis dixerit, Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere, quominus Sacerdos a reservatis vere absolvat, anathema sit.*

685. Dixi, *extra articulum mortis*: hanc enim exceptionem expresse facit *Trid.* cit. sess. c. 7. his verbis: *Verumtamen pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis; atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis, et censuris absolvere possunt: extra quem articulum Sacerdotes, cum nihil possint in casibus reservatis, id unum poenitentibus persuadere nitantur, ut ad Superiores et legitimos judices pro beneficio absolutionis accedant.* Quid vero agendum sit in aliis casibus necessitatis extra articulum mortis, ubi Superior conveniri nequit, dicetur in resolutione casuum.

Juxta *Pontas* V. absolutio casu 34. Sacerdos excommunicatus denuntiatus etiam in articulo mortis nec licite, nec valide potest absolvere, ut probat *Fagnano* per expressam declarationem s. Congr. Cardin. Conc. Trid. Interpretum, contra *Navar.*, *Paludanum*, *Silvestrum* et *Sotum*. Licitam et validam esse talem absolutionem, defendunt *Melch. Canus*, *Toletus*, *Bonac.*, *Azor.*

686. *Princip. IV.* Ad hoc ut Sacerdos *licite* absolvat, requiritur in eo 1. Status gratiae; ut in T. de Sacram. in genere diximus n. 54. 56. 84. et seq..... 2. Requiritur congrua scientia; cum enim Confessarius sit et *Doctor*, et *Judex*, et *Medicus* poenitentis, scire debet, quae ad triplex hoc officium pertineant.

687. *Princip. V.* Confessarii obligationes respectu poenitentis sunt sequentes: I. Confessarius, *per se loquendo* sub culpa gravi tenetur absolvere poenitentem *rite confessum, et dispositum. Ratio* est, quia poenitens per confessionem, quam voluntarie excepisse Confessarius supponitur, acquisivit jus ad absolutionem, neque in dubio, quod in ejus favorem prudenter h. e. ex gravi ratione resolvi potest, illo privandus est; hac enim lege vel conditione confessus est poenitens, ut absolvatur, cui Confessarius hoc ipso censetur consensisse, quod audiverit peccata, nisi constaret eum esse indispositum, aut nisi ex parte Confessarii sit defectus ex parte jurisdictionis ob occurrentem casum reservatum: ergo. *Confirm.* Si Confessarius pro libitu, et sine alia gravi causa, quam quia non vult posset negare rite disposito absolutionem, hoc Sacramentum ex eo maxime redderetur odiosum. Vide *Suarez* de poenit. d. 32. sect. 5. n. 2. cum Communi. Dixi supra, *per se loquendo:* quia quandoque causae graves occurrere possunt differendi ad aliquod tempus absolutionem, ut patebit ex resol. cas. *Laymann* L. 5. t. 6. c. 13. n. 10. *in Dico III.* recte ac nervose affirmat, quod Sacerdos poenitentem non absolutum sine gravi causa dimittere non possit, quia causa judicii sacramentalis coepta est, quare et ipsi poenitenti onerosum, et sacramento indecorum est, si non perficiatur, cum commode perfici potest. Addit *Stoz* L. 2. q. 3. a. 1. n. 87. quod Sacerdos, si juxta vere probabilem sententiam possit absolvere, et tamen absque justa et gravi causa recuset absolvere, peccet tum contra charitatem negando hoc officium charitatis, tum contra justitiam, quia laedit jus, quod poenitens per legitime factam confessionem acquisivit ad absolutionem, et praeterea injuste ei imponit onus eadem peccata iterum confitendi.

688. II. Sacerdos sub strictissima et gravissima obligatione tenetur sub sigillo servare ea, quae in ordine ad confessionem Sacramentalem ei sunt manifestata. Per hanc metaphoram (ut ait *Suar.* d. 33. ab initio) sive per sigillum confessionis intelligitur secretum illud, quod confessor servare tenetur de his rebus, quas in confessione audit. *Laym.* L. 5. t. 6. c. 14. n. 1. definit hoc sigillum, quod sit obligatio servandi ea secreta, et tacita, quae accepta sunt ex confessione tendente ad Sacramentum poenitentiae, saltem secundum propositum poenitentis. Dixi 1. sub *strictissima obligatione:* quia sine expresso consensu poenitentis, nullo unquam casu, illius boni consequendi, aut mali evitandi causa quodvis vel minimum peccatum, aut si quid

aliud sub confessionis sigillum cadit, directe vel indirecte, ante vel post mortem confitentis sine mortali sacrilegio revelare licet. *Laym.* ibid. n. 2. Dixi sub *gravissima obligatione*: quia haec oritur ex jure naturali, divino, et ecclesiastico. Ex *naturali:* ratio enim dictat, non esse manifestanda, quae alicui committuntur secreto, nec sine committentis incommodo manifestari possunt. Praeterea in confessione intercedit tacita pactio confessorem inter et poenitentem: hic enim peccata sua confitetur sub tacita conditione secreti, quod confessor tacite spondet hoc ipso, dum audit confitentem. Ex *divino:* hoc ipso enim, quod Christus peccatorum confessionem instituerit, voluit etiam, ut peccata secure, et sine ullo mali extrinseci inde secuturi metu possint exponi, alias confessio difficillima et maxime odiosa redderetur; si enim vel in unico casu liceret revelare dicta in confessione, poenitens merito timeret, ne forte hic et nunc adesset causa revelandi. Denique obligatio sigilli stabilitur *a jure Ecclesiastico*, uti patet ex c. *Omnis utriusque sexus*, de poenit. et remiss. desumpto ex c. 21. Conc. Gener. Lateran. IV. ubi praecipitur; *Caveat Sacerdos omnino, ne verbo aut signo, aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem: sed si prudentiori consilio indiguerit, illud absque ulla expressione personae caute requirat: quoniam qui peccatum in poenitentiali judicio sibi detectum praesumpserit revelare, non solum a Sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam perpetuam poenitentiam in arctum monasterium detrudendum.* Ex dictis liquet, quod fractio sigilli duplicem habeat malitiam 1. contra reverentiam Sacramenti, et haec semper est mortalis, etsi solum veniale reveletur, quia etiam per hoc valde odiosum redderetur Sacramentum, quae gravis irreverentia redundaret in Christum ejus auctorem. 2. Habet malitiam injustitiae contra tacitum pactum inter confessarium et poenitentem.

689. Dixi 3. non licet manifestare quicquam *sine consensu expresso poenitentis*: nam eo sponte dato licet justa de causa uti notitia in confessione accepta: cum enim obligatio sigilli sit in favorem poenitentis, potest is juri suo cedere, et dare facultatem revelandi aliquid in confessione manifestatum, imo in casu necessitatis, quando revelatio criminis necessaria est ad avertendum ingens damnum reipublicae, v. g. seditionis, persecutionis, caedium, aut damnum tertii, obligandus est poenitens, ut per se vel per alium imminens periculum avertat, si adhuc possit, aut Confessario facultatem illud manifestandi concedat, alioquin indignus est absolutione, cum ex defectu debitae charitatis sit indispositus.

690. Praeterea additur sine consensu *expresso*; non enim sufficit consensus praesumptus vel interpretativus, quo forte judicaret Confessarius, facultatem esse concessurum poenitentem, si ea peteretur, quia hoc modo iterum redderetur confessio valde odiosa; merito enim timerent poenitentes, ne aliquo casu ex tali praesumptione peccata sua manifestarentur. Hinc recte infert *Antoine* de poenit. c. 4. q. 1. R. 2. quod peccet Confessarius contra sigillum 1. Si plura peccata, aut pluribus aperiat, quam poenitens expresse voluit. 2. Si facultatem aperiendi aliquid injuria aut fraude a poenitente extorqueat, falso ei persuadendo, illum teneri hanc concedere, cum non teneatur. 3. Addit ibid. non sufficit, quod teneatur concedere, si reipsa non concedat; alias nihilominus redderetur confessio odiosa; poenitens enim potius discedet sine absolutione, quam ut prodatur delictum.

Si probus, et fortis confessor, sitque peritus,
Discretus, patiens, mitis, pius atque fidelis.

§. III. *Resolvuntur Casus.*

Sectio I. De absolutione poenitentium ex vario statu et conditione.

Casus I. De absolutione.

Melchior neo-Sacerdos, dum frequentes adsunt poenitentes, nonnisi brevissimam hanc formam adhibet: Ego te absolvo a peccatis tuis in nomine P. et F. et S. S., sine absolutione a censuris, quam formulam tam alta et intelligibili voce pronuntiat, ut eam adstantes audiant. Saepius etiam, dum poenitens post acceptam absolutionem dubium, quod modo incidit, exponit, absolute iterat super priora peccata formam: si dubium occurrat circa aliquod peccatum, conditionate absolvit, etsi certa peccata simul audiverit.

691. *Q.* I. An licite omittatur absolutio a censuris. R. Si Confessarius plane nihil advertat, quod ex confessione censurae cujusdam suspicionem possit movere, licite omittitur absolutio a censuris, tutius tamen et consultius est totam formulam absolutionis proferre incipiendo ab iis verbis: *Dominus noster Jesus Christus etc.*; quam praxim commendant cum Rituali Romano omnia fere Ritualia particularium Ecclesiarum, cui potius deberent se conformare Confessarii, quam nimis delicatae speculationi suae, vi cujus saepe contenti sunt breviore forma, si frequentiores poenitentes absolvere debeant.

692. *Q.* II. Quid observandum sit circa absolutionem a censuris. R. 1. Observet Confessarius, an occurrat censura reservata, et an habeat potestatem ab ea absolvendi. 2. Si poenitens afferat censuram reservatam, vel ipse Confessarius prius petat facultatem absolvendi, vel poenitentem remittat ad legitimum superiorem sine absolutione etiam a peccatis. Si habeat facultatem absolvendi, prius eum absolvat a censura, dein a peccatis, alias peccat mortaliter: eo quod in re gravi violet praeceptum Ecclesiae, quia qui est irretitus censura excommunicationis, illicite suscipit quodcumque sacramentum, adeoque etiam poenitentiae, nisi praemittatur absolutio a censura. Si excommunicatus sit in periculo mortis, licebit brevissime dicere: *Absolvo te a censuris et peccatis tuis in nomine P. et F. et S. S.* Ita Comm. cum *Suar.* d. 10. de cens.

693. R. 3. Si censura sit suspensionis, vel interdicti, consultius quidem etiam praemittitur absolutio ab ea; non tamen Sacerdos peccat mortaliter, si prius absolvat a peccatis, quia censura suspensionis, non prohibet usum sacramentorum, interdicti autem nonnisi aliquorum sacramentorum usum scil. extremae Unctionis, Ordinis, et Eucharistiae extra articulum mortis, non autem Baptismi, nec Confirmationis, nec Poenitentiae: ergo.

694. *Q.* III. *Quid agendum, si Confessarius inculpabiliter oblitus sit absolutionem ab excommunicatione.* R. Addat illam post absolutionem a peccatis, si potestatem habeat, nec opus est repetere absolutionem a peccatis; haec enim valida fuit, si bona fide data fuerit, et recepta a poenitente. *Sporer.* t. 3. de Sacram. c. 5. n. 632. et n. seq. pariter affirmat cum *Nav. Suar., Laym.* et aliis contra alios Canonistas et TT. validam esse absolutionem a peccatis non praemissa absolutione ab excommunicatione, quoties poenitens suae excommunicationis ignarus vel oblitus bona fide procedit, cum onere tamen postea petendi absolutionem ab excommunicatione, quando ei innotescet. *Ratio* est, quia durissimum videtur, quod poenitens excommunicationis suae inculpate oblitus, vel ignarus ita sit constrictus poena, ut nunquam possit justificari in Sacramento poenitentiae nisi per contritionem perfectam: neque praesumi potest, id intendi a pia matre Ecclesia, cujus potestas est non in destructionem, sed in aedificationem et remedium animarum. Dixi, *si bona fide;*

nam si excommunicationem sibi notam celaret, et sic mala fide absolutionem a peccatis quasi extorqueret, tunc ob defectum dispositionis ipsa etiam confessio tanquam invalida repetenda esset.

695. *Q.* IV. An quilibet Confessarius possit absolvere a censuris. R. A censuris per jus vel sententiam generalem latis, et *non reservatis*, quilibet potest absolvere, qui potest a mortalibus. *Probatur* ex c. *nuper* 29. de sentent. excomm. ubi *Innoc. III.* pro ratione ait: *Quia tamen conditor canonis ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi.* Hinc quilibet a peccatis absolvens semper praemittit generalem absolutionem a censuris. *Absolvo te ab omni vinculo excommunicationis etc. in quantum possum, et tu indiges.* Si vero censurae speciali sententia latae sint, specialis etiam ab iis absolvendi facultas requiritur.

696. *Q.* V. Quaenam formula adhibenda sit ad absolvendum a censuris. R. Caeremonias et formam absolutionis in foro externo (de quibus hic non agimus) vide in Ritualibus Dioecesanis; pro foro autem interno non est praescripta certa forma. Ideo agenda Herbipol. de Sacram. Poenit. in §. de absol. ab excommun. expresse praescribit: *In foro autem interiori confessarius habens facultatem absolvendi excommunicatum, absolvat juxta formam communem praescriptam in absolutione sacramentali*, quam vide n. 672. *Busemb.* de censuris L. 7. c. 1. dub. 6. hanc refert formulam pro absolvendo excommunicato in foro conscientiae: *Ego te absolvo a vinculo excommunicationis, quam incurristi propter NN.* (hic nominetur culpa, v. g. propter haeresim) *et restituo te Sacramentis Ecclesiae, et communioni fidelium. Deinde ego te etc.* Pro absolutione suspensi; *Ego te absolvo a vinculo suspensionis, quam incurristi propter NN.* (talem causam) *et restituo te executioni tuorum, vel officiorum, vel beneficiorum in nomine Patris etc.* Si dispensandum sit super irregularitate ex delicto, Confessarius habens facultatem dispensandi post verba: *Et tu indiges:* dicet, *Et dispenso tecum super irregularitate, quam incurristi propter NN.* (nominetur causa) *et habilito te ad actus legitimos. Deinde ego te absolvo etc.* Plura ubi agemus de censuris.

697. *Q.* VI. An Melchior recte agat ita proferendo formam absolutionis, ut adstantes intelligibiliter audiant repetendo eam: conditionate absolvendo, etsi praeter unum alterumve dubium adsit certum peccatum. R. Ad *primum* ut supra n. 27. sub fin. Indecens hoc est, et periculosum, tum quia hic modus sapit scrupulos et Confessarium exponit risui adstantium, tum quia facile poterit contingere, ut indispositum debeat dimittere sine absolutione, quo casu ex consuetudine pronuntiando alta voce simplicem benedictionem loco absolutionis contra sigillum facile prodet indispositionem poenitentis.

698. Ad *secundum* de repetitione formae responsum est supra n. 31. Porro ad dignoscendum an et quando repetenda sit absolutio *Sporer* l. c. a. n. 627. tradit sequentes regulas. 1. Repetenda est absolutio in eadem confessione tunc tantum, quando poenitens post primam absolutionem de novo confitetur aliquid, quod ante absolutionem necessario fuisset exponendum, v. g. si confiteatur novum peccatum specie diversum; si circumstantiam, quae mutat speciem: numerum, qui notabiliter excedit prius expressum etc. quae in his casibus materia necessaria absolutionis necdum erat subjecta clavibus. 2. E contrario non est repetenda absolutio, quando poenitens post primam absolutionem adhuc confitetur aliquid, quod prius non erat necessario confitendum. Si mortale dubium adhuc occurrat, jubeatur poenitens iterum in communi se accusare de antea dictis. 3. Si Confessarius rationabiliter dubitet, an absolutionem jam dederit, an omnia verba essentialia protulerit, an cum debita intentione etc. licite potest, imo (si poenitens confessus fuerit mortale) debet repetere absolutionem sub tacita saltem conditione: *Si nondum absolutus es.* Ita *Stoz* l. c. n. 76. cum *Tam.* ubi a peccato saltem gravi eos Confessarios excusat, qui ex nimia anxietate et scrupulis iterant formam, timentes ne Deum offendant, vel proximo noceant, vel exi-

stimantes ex perplexitate, id esse minus malum, quam non repetere. Denique in iterata absolutione statim facta post primam observandum, ut Confessarius non absolvat elevata manu, et palam formata cruce, sed quasi inadvertenter, ne si adstantes advertant iterum dari absolutionem, poenitentem suspicentur reum iterum fuisse peccati mortalis.

Ad *tertium*. R. Male agit Melchior conditionate absolvendo, cum exposita fuerint peccata certa praeter unum alterumve dubium. Praeterea observanda hic sunt, quae diximus n. 65. 66. 67. et 68.

Casus II. De absolutione moribundi.

Matthias neo-Parochus grassante morbo quotidie vocatur ad plures aegrotos: inter alios Petrum reperit voce ac sensibus plane destitutum; quia tamen adstantes testabantur, eum paulo ante desiderasse confiteri, hinc illum absolvit. Altera die vocatur ad Paulum, quem morti proximum, et voce pariter destitutum monet, ut daret signum aliquod doloris, quod cum frustra expectaret, dubius haeret, an debeat illum absolvere. Denique cum nosset, Andream hucusque vitam Christiano dignam duxisse eum jam jam moriturum absolvit sub conditione.

699. *Q.* I. An possit absolvi moribundus, qui loqui non potest; ideoque nec unicum confiteri peccatum. Respondet *Laym.* L. 5. t. 6. c. 8. n. 4. cum *S. Antonino, Sylv., Henriq., Suar.* et aliis gravissimis AA.: Infirmus in mortis articulo constitutus, qui vel Sacramentum poenitentiae expresse desideravit, vel saltem implicite, dum signa generalia poenitentiae edidit, etsi nullum peccatum in particulari confiteri possit, a Sacerdote absolvendus est, ea tamen manente obligatione, ut cessante impedimento peccata mortalia specifice subjiciantur clavibus, ut patet ex propos. 11. ab *Alex. VII.* damnata. *Prob. responsio* ex Conc. Carthag. III. can. 34. ut refertur dist. 4. de consecr. c. *aegrotantes* 75. et ex C. Araus. l. c. 11. et ex Carthag. IV. can. 76. ex Rit. Rom. de Poenit. §. ult. ubi ita docet: *Quod si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox et loquela aegrum deficiat, nutibus et signis conetur* (Sacerdos) *quoad ejus fieri poterit, peccata confitentis cognoscere: quibus utcumque vel in genere, vel specie cognitis, vel etiam, si confitendi desiderium sive per se, sive per alios ostenderit, absolvendus est.* Eadem verba citantur in Rit. Herbip. Concedit *P. Gobat* quod moribundus, de quo dubitatur, an jam mortuus sit, an vero adhuc vivat, debeat sub conditione (*si adhuc vivus*) absolvi: *intellige*, si sub ipsa confessione deficiat aegrotus, vel ante dederit signa poenitentiae.

700. Ex his ad casum propositum R. 1. Matthias debuit absolvere Petrum, quem per unum aut plures testes novit petiisse confiteri: quia petendo Confessarium externe est confessus, quae confessio externa in tali necessitate sufficit, quando adest physica impotentia aliter confitendi. *Nec obstat* Decretum *Clementis VIII.* cit. n. 674. de confessione Sacerdoti absenti facta; quia non loquitur de confessione ordinata ad absolutionem a Sacerdote praesente habendam: imo testatur Card. *Bellarm.* apud *Lugo* d. 17. a n. 76. et *Suar.* apud *Tann.* hic q. 9. n. 16. non fuisse unquam mentem Pontificis damnare absolutionem talis moribundi, quae fieret a Sacerdote praesente. *Stoz* L. 2. q. 3. n. 96. affirmat, in Decreto *Clem.* per confessionem intelligi tantum eam, quae est *ordinaria*, quando nimirum poenitens omnia peccata mortalia potest exprimere, non de *extraordinaria*, qualis habetur in moribundo usu vocis destituto. Idem dicendum, si qui signa poenitentiae viderunt, non amplius essent praesentes infirmo, sed in via Sacerdoti occurrenti indicarent; quia in hoc casu absolvit Sacerdos non tantum propter signa poenitentiae prius data, sed vel ipsam respirationem jam praesens censet esse signum externum poenitentis animi, quem prius per clariora signa prodiderat moribundus.

701. R. Ad *secundum*. Matthias recte distulit absolutionem, quamdiu nullum omnino censebat adesse signum poenitentiae; quia nec valide nec licite potest conferri sacramentum sine aliqua parte sua essentiali, qualis est confessio externa formalis vel virtualis saltem per signa; atque in posito casu nulla omnino erat confessio externa, cum nullo signo etiam dubio, ut supponimus, animi dolor et voluntas confitendi ostenderetur: ergo. Ex hac ratione ait *Sporer* de absol. sacram. n. 644. communissimam et sibi certissimam esse sententiam sub his terminis, quod moribundus loquela et sensibus destitutus, qui nullo nec certo, nec probabili, nec dubio aliquo signo externo ostendit dolorem ac voluntatem confitendi, nec licite etiam sub conditione unquam possit absolvi. Hinc etiam teste *P. Gobat* t. 7. n. 602. Superiores Societatis Jesu inhibuere suis, ne imposterum doceant hanc propositionem; *Moribundus, etsi nullum signum det, aut dederit contritionis, adeo ut Sacerdos nec sciat, nec prudenter putare possit, praecessisse sensibilem aliquam confessionem, absolvi potest.* Vide *P. Burgh.* cent. 1. cas. 81.

702. Sed (inquies cum *Clericato* de poenit. decis. 32. n. 7. in resolutionibus suis accurato et erudito, nec laxo) praxis est in contrarium, quam graves AA. laudant apud *Diana* p. 9. t. 6. resol. 20. et quam ipsemet secutus est, absolvendo sub conditione moribundum, quem rogaverat, ut pro signo manum suam stringeret, at ille oculos tantum in ipsum intendebat, et eos demittebat. R. Fateor plures graves AA. faciles esse in danda absolutione tali moribundo saltem sub conditione, sed nego supposition, quod facilem admittant casum, in quo nec *sciant*, *nec prudenter putare possint*, praecessisse, vel actu adesse sensibilem aliquam confessionem. Fundatur enim haec praxis *primo* in eo, quod in tali extrema necessitate administrandum sit etiam sacramentum poenitentiae, quando prudenter praesumi potest de dispositione poenitentis: atqui de quocumque homine Christiano (ut ibid. ait laudatus *Clericatus*) prudenter praesumi potest, quod in tali periculo constitutus, si vel per modicum tempus sui compos extiterit, non solum actu interno confessionem desideret, vel desideraverit, sed quovis externo et sensibili actu tanquam signo illud desiderium exprimat; cum autem saepe certum signum exprimere non valeat, hinc quodvis signum vel actus alias indifferens, v. g. suspiria, gemitus, fixus oculorum intuitus, et quosvis corporis motus (ut ait *Sto* l. c. n. 97.) in talibus circumstantiis pro prudenter dubio signo poenitentiae praesumi potest. 2. Hanc praxim cum *Tamburino* in methodo expeditae confess. L. 2. c. 10. §. 1. n. 11. fundant in eo quod per conditionem absolutioni conjunctam (*si sis capax absolutionis*) caveatur injuria sacramenti, et ex alia parte consulatur, quam fieri potest, saluti moribundi, qui est finis sacramentorum institutionis; ideoque haec praxis non potest dici ex toto contraria resolutioni superiori. Ex his

703. Ad *tertium* R. cum *Sporer* l. c. n. 648. Matthias recte egit absolvendo adhuc sub conditione Paulum, quem noverat hucusque christiane vixisse; quamvis enim vita alias christiane acta per se non sit ipsa de peccatis accusatio, qualis requiritur ad absolutionem, nec aliunde ordinata ad significandam accusationem (alias qui christiane viveret, constanter se accusaret) est tamen sufficiens ratio ad hoc, ut prudenter praesumi possit moribundum velle sibi, omni quo potest modo, in hoc articulo consulere, ideoque illum non tantum intus de peccatis dolere, sed etiam sua suspiria, respirationes, apertiones oculorum, aliosve corporis motus ordinare ad significandum dolorem de peccatis; etsi enim etiam haec de se potius significent dolores corporis, quam animi, nihilominus in tali moribundo, qui clariora signa dare nequit, merito censentur saltem dubia. *Confirm.* ex eo, quod plures zelosi Confessarii testentur, saepe aegrotos, qui diu sine vitae signo velut mortui decubuerunt, dum redierunt ad se, fassos esse quod omnia intellexerint,

quae pie suggerebantur, imo se existimasse, quod sufficientia signa doloris darent. Lege *Petrum Marchant.* in tribun. Sacram. T. 1. tr. 4. tit. 4. q. 3. dub. 7.

704. *Neque dicas*: Hoc modo liceret etiam sub conditione absolvere illum, qui dum actu peccat, repente incidit in articulum mortis, v. g. lethaliter vulneratum in duello, aut moribundum in via jacentem, quem nescio, an sit catholicus aut haereticus: an bene an male vixerit. R. N. parit. Quia aeque prudens praesumendi ratio in his non habetur, quod signa de se ordinata ad significandum dolorem tantum naturalem in animo vindictae pleno tunc ordinentur ad significandum dolorem animi supernaturalem, et voluntatem confitendi. Neque tamen, ut verum fatear, graves AA. desunt, qui etiam hoc concedunt, inter quos *Tambur.* in Methodo exped. confess. L. 2. c. 10. n. 12. de eo qui forte actualiter peccando subito destituitur sensibus, postquam fatetur, communiter AA. cum *Coninck* docere, talem non esse absolvendum, eo quod praesumendum non sit, cum esse attritum, nihilominus non veretur subjungere: *Sed ego sub paedicta conditione vix illum regulariter sine absolutione dimitterem: non quia velim absolvere non dispositum, sed quia rarissime evenit, ut tam cito sensibus quis, dum actu peccat, destituatur, ita ut vicinus morti non suae saluti consulere per aliquam attritionem velit.*

705. *Q.* II. Quando ejusmodi moribundus absolute, et quando conditionate tantum debeat absolvi. R. Quando signa *certa* doloris, et voluntatis confitendi praebet, debet absolvi absolute; si vero *dubia*, tantum conditionate. *Sporer* l. c. n. 641. triplicis generis signa distinguit, quae sufficiunt ad absolutionem moribundi. 1. ait: Signa *certa* sunt, quae ex natura sua ordinantur ad confessionem, v. g. si infirmus expresse dicat se dolere de peccatis, velle confiteri, idque vel coram Sacerdote, vel adstantibus dicat, et subito destituatur sensibus: hoc ex dictis est sufficiens signum ad absolutionem absolute dandam. 2. Signa *probabilia* sunt, quae quidem significant poenitentiam, sed sine clara relatione ad confessionem, v. g. si infirmus pectus tundat etc. et tunc in tali necessitate ejusmodi signa praesumuntur referri ad absolutionem impetrandam, ut ait *Laym.* adeoque sufficiunt ad absolutionem absolute concedendam, quamvis (ut addit *Sporer.* l. c.) longe tutius sit, eam impertiri sub conditione: *si sis dispositus.* 3. Alia sunt *dubia*, de quibus, cum sint de se indifferentia, dubitari potest, an oriantur ex dolore de peccatis, an ex vehementia morbi, vel dolore naturali, aut ex angustia mortis: v. g. si infirmus rogatus, an doleat, an velit absolvi, solum lacrymetur, suspiret, oculos attollat, manum Sacerdotis stringat etc. et tunc conditionate absolvendus est ob periculum nullitatis Sacramenti. Denique in casibus, ubi Sacerdos et valide et licite potest absolvere, etiam quivis Sacerdos in extremae necessitatis periculo ex charitate, Parochus autem simul ex justitia tenetur absolvere ejusmodi infirmum, uti docet *Comm.* cum *Vasq.*, *Lugo*, et *Sporer* l. c. n. 642.

706. Porro Confessarius moribundi *observet* sequentia. I. Hucusque locuti sumus de eo, qui voce destitutus confiteri nequit; si enim infirmus aliqua peccata saltem in specie posset exponere, deberet, et imprimis mortale, si quod haberet.

707. II. Confessarius infirmorum paratus sit ad eos suaviter excitandos ad actus fidei, spei, et charitatis, queis anima intellectu et voluntate Deo conjungatur: item ad actus resignationis in voluntatem Dei, patientiae, aliarumque virtutum; praesertim autem advertat, ad quam virtutem sit proclivior animus infirmi, item studeat erigere animum, quia plerumque in eo articulo occurrit defectus spei. Maxime vero insigni opus est prudentia, ne vel importunus sit Sacerdos in suggerendis piis affectibus, aut nimio clamore molestus sit infirmo: nec etiam oportet nimis esse credulum iis, qui recusant mature suscipere morientium Sacramenta. Denique studeat, in suis precibus saepe meminisse infirmorum sibi commissorum.

708. *Q.* Quid sentiendum de pacto illo, quod infirmi et jam absoluti subinde solent inire cum Confessario, ut in agone adhuc semel absolvantur. R. Aliter intelligi nequit, nisi quod in articulo mortis, si forte loqui non possint, aut certum signum doloris edere, jam nunc statuant, quo signo se velle indicare dolorem et accusationem peccatorum. tum quorum se accusarint, tum quorum forte denuo rei fuerint. Vide *Ant. Mayr.* Tr. 12. d. 2. n. 562.

Casus III. De neganda et differenda absolutione.

Marcus neo-Sacerdos invitatus ad excipiendas confessiones, ubi ingens est confluxus poenitentium, quoslibet poenitentes facillime absolvit, ratus, non esse praesumendum, quempiam in tali festo et loco votivo venire indispositum; ac propterea hic curam non esse habendam, an cuiquam neganda, vel differenda sit absolutio.

709. *Q.* I. Quid sentiendum sit de judicio Marci. R. Est judicium sine judicio. Pessime enim agit, si quis sive in concursu multorum, aut in solemniori festo, aut quocumque alio tempore invalide ex sua incuria aut ignorantia administret Sacramentum. Quinimo judicio ab experientia satis certo debuisset inniti, scilicet quod vel ideo inter bonos pessimi homines, consuetudinarii, in proxima occasione constituti, diu non absoluti in tali concursu comparcant in sacro tribunali, quia putant, Confessarios valde occupatos gravitatem peccatorum tum accuratius non esse examinaturos, nec eos fore admodum sollicitos de aperienda consuetudine, nec agnituros proximas peccandi occasiones etc. hinc fraudolenter sibi faciliorem promittunt absolutionem.

710. *Q.* II. An et quibus Confessarius teneatur denegare absolutionem. R. Hoc clarissime docemur ex Rituali Rom. ubi ita: *Videat diligenter Sacerdos, quando et quibus conferenda, vel neganda, vel differenda sit absolutio, ne absolvat eos, qui talis beneficii sunt incapaces, quales sunt* 1. *qui nulla dant signa doloris.* 2. *qui odia et inimicitias deponere,* 3. *aut aliena, si possunt, restituere,* 4. *aut proximam peccandi occasionem deserere,* 5. *aut alio modo peccata derelinquere, et vitam in melius emendare nolunt,* 6. *aut qui publicum scandalum dederunt, nisi publice satisfaciant, et scandalum tollant etc.* His igitur (infert *P. Antoine* de poenit. c. 3. a. 3. q. 5. in R. 1.) secundum hoc principium certum et doctrinam Patrum, Canonum, et s. Caroli in Instruct. Confess., absolutio denegari debet: quibus adde ignaros rerum fidei, quae sunt necessariae necessitate medii, juxta propos. 64. ab *Innoc. XI.* damnatam, de qua in P. I a n. 356. egimus. Item qui nesciunt elicere dolorem supernaturalem de peccatis, cum hic sit de necessitate Sacramenti.

711. *Q.* III. Quomodo practice procedendum sit cum consuetudinariis et recidivis. Ante R. *Nota.* Discrimen est inter consuetudinarium et recidivum: omnis consuetudinarius recidivus quidem est, sed non vicissim; qui enim semel aut iterum in peccatum antea remissum relapsus est, vere recidivus dicitur, non tamen consuetudinarius: quia talis ille solum appellatur, qui quasi ex habitu per actus frequentatos in certa specie peccati, v. g. blasphemiae, perjurii, imprecationis, luxuriae etc. contracto *frequenter* relabitur in idem peccatum. Quae autem frequentia relapsuum requiratur, ut aliquis habeatur pro consuetudinario, unica regula definiri nequit, sed attendendum est ad naturam peccati, item ad opus modumque peccandi. Sic peccata, quae cogitatione vel verbis committuntur, sicuti facilius committi solent, ita ad frequentiam pro consuetudine habendam, majorem exigunt numerum, quam quae fiunt opere. Praeterea ad consuetudinem requiritur relapsus per notabile tempus. Exemplum assignat *P. Holtzmann* p. 5. tom. 2. t. 4. de poenit. num. 590.; Qui singulis mensibus solet confiteri, et qualibet vice affert tres vel quatuor pollutiones, dicitur recidivus; ille vero consuetudinarius, qui quotidie, vel aliquoties per septimanam lapsus est. His praenotatis,

712. R. 1. Poenitenti, qui habet consuetudinem peccandi, nisi specialia det signa doloris, neganda est absolutio. Vide propos. 60. ab *Innoc. XI.* damn. ex qua damnata patet, negandam aut differendam esse absolutionem concurrentibus his tribus circumstantiis, uti advertit *Duarte* V. consuetudo n. 151. scil. 1. Si poenitens habet consuetudinem peccandi. 2. Si nulla sit spes emendationis. 3. Si tantum verbo tenus asserat, se dolere et proponere, absque eo, quod det signum sufficiens, ex quo colligatur, quod serio loquatur. *Ratio* est, tum quia Confessarius ut judex, ut possit absolvere, debet prudenter judicare, poenitentem esse sufficienter dispositum, habereque propositum efficax non peccandi: atqui de consuetudinario, qui solum ore profert se dolere et proponere, nisi specialia signa serii animi det, non potest ita judicare, cum experientia doceat, priora proposita fuisse inania, et cum serio proposito non posse stare tam frequentes relapsus; ergo. Tum quia Confessarius ut medicus non tantum debet priora vulnera curare, sed etiam alia, quantum potest, impedire, ut docet *Trid.* sess. 14. c. 8.; atqui non impediret, si talem absolveret, cum potius prudenter judicare possit, quod sicut prior facilitas absolutionis fuit ansa relapsus, ita et haec sit futura occasio relapsus: ergo.

713. *Neque dicas* 1. Poenitens habet jus ad absolutionem. 2. Fides adhibenda est poenitenti. 3. Juxta c. *Septies.* Dist. 3. de poenit. ex epist. 46. ad Rusticum: *Non solum septies, sed septuagies septies delinquenti, si convertatur ad poenitentiam, peccata condonantur.* R. ad 1. Consuetudinarius confitens habet jus ad absolutionem *subinde* accipiendam, quando fuerit rite dispositus C. *Statim* N. R. etiam ad 2. Fides est adhibenda poenitenti, quando protestatio non est contraria factis C. Si sit contraria N. Tunc enim potius factis, quam verbis prudenter credi debet. Denique R. ad 3. S. Hier. loquitur de eo, qui vere poenitens est, adeoque etiam de eo, qui praebet sufficientia signa propositi. Hinc

714. R. 2. Si consuetudinarius det signa specialia aut extraordinaria doloris, potest absolvi, v. g. 1. si sibi vim intulerit contra tentationes, ideoque conatum adhibuerit emendationis. 2. Si occasiones extrinsecas peccandi, circumstantias, et illecebras peccatorum amoverit novum vitae genus amplectendo, vel certam societatem pravam vitando. 3. Si remedia contra relapsum praescripta cum fructu adhibuerit. 4. Si post proximam confessionem rarius, quam antea solebat, lapsus fuerit. 5. Si ab aliquo tempore a peccato abstinuerit intuitu confessionis faciendae cum fructu. 6. Si poenitens longum et difficile iter susceperit proprio motu ad confessionem veram instituendam, vel si de industria hunc elegerit Confessarium, a quo sperabat efficaciora media praescribenda, eaque sollicite petat, ac prompte acceptet. Vide *La Croix* L. 6. p. 2. n. 1821. 7. Addunt alii, si suspiria, gemitus et lacrymas sinceras fundat etc. *Ratio* est, quia datis ejusmodi signis prudenter habetur spes emendationis.

715. Monet tamen *P. Laym.* L. 5. t. 6. c. 14. magnum periculum esse, ne consuetudinarius male dispositus sit, si compulsus a domino vel a praefecto accedat ad confessionem; idem periculum in iis est, qui ultimo die Communionis Paschalis repunt ad confessionale, potius ut accipiant schedam confessionis, quam ut seriam agant poenitentiam.

716. Porro de consuetudinariis *resolves* I. Nonnisi ex certis signis veri propositi eos esse absolvendos, qui ex consuetudine committunt peccata publica, v. g. blasphemias etc., quia fideles offenduntur, si videant hominem post repetitas confessiones perinde ut prius in peccatis suis persistentem. *Laym.* l. c.

717. II. In mortis articulo etsi dubium occurrat, an adsit verum propositum, nihilominus saltem sub conditione consuetudinarius debet absolvi; quia Confessarius urgente necessitate magis certus de dispositione non potest fieri. *Viva* in cit. propos. damn. n. 9.

718. III. Non est necesse ut judicet Confessarius, quod poenitens nunquam sit relapsurus, sed sufficit quod prudenter possit judicare, quod poenitens nunc

habeat verum dolorem ac propositum, et spem prudentem faciat emendationis; in his enim consistit plena ac sincera conversio. *Suar.* hic d. 32. sect. 2. n. 2.

719. IV. Etsi consuetudo juxta probabilem non sit circumstantia mutans speciem; poenitens tamen tenetur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem, ut patet ex propos. 58. ab *Innoc. XI.* damn. *Ratio* est, quia Confessarius habet jus interrogandi ea, quae pertinet ad cognoscendum propositum non peccandi: atqui ad hoc pertinet notitia, an poenitens habeat consuetudinem peccandi, item ut medicus, alias nequit salutaria praescribere media: ergo. Ita *Viva* in cit. prop. damn. Unde

720. V. Si poenitens aliis hucusque confessus prima vice tibi confiteatur, et videatur esse consuetudinarius, interroga an ante hanc confessionem frequenter sit relapsus in idem peccatum, an aliquo tempore abstinuerit, media adhibuerit etc. et facile patebit an sit absolvendus, nec ne.

721. VI. Non praestat eto rigoreindiscr, et verbis terrificis dimittere consuetudinarios, sed potius juvat verbis mansuetis, ut decet ministrum Christi, clare ostendere periculosum statum animae, voluntatem Christi, qui Sacerdotibus dedit quidem potestatem absolvendi, sed eos tantum, qui rite dispositi accedunt: ideoque magna hic opus est discretione, ne talem vel severitate avertat, aut lenitate seducat; maxime si sit prudenter sollicitus de mediis ad emendationem profuturis.

722. VII. Qui redeunt identidem cum iisdem venialibus facilius absolvi possunt, quia venialia potius ex fragilitate, quam ex defectu propositi committi solent. Ad ea tamen evitanda prodest praeter universale propositum, etiam speciale dirigere ad unum veniale, quod frequentius hucusque commissum, et contra illud specialia media adhibere, quo extincto transeundum ad alia singulari conatu. *Sporer* in Theolog. sacr. p. 3. c. 2. sect. 4. §. 4.

Casus IV.

Malchus confitetur, quod amaverit periculum peccandi. Instat Confessarius: quodnam sit illud. Reponit Malchus: Adhuc retineo mecum domi concubinam, quae mihi est periculo; quamvis itidem proponam, non peccare de caetero. Cui rotunde ait Confessarius: Et ego retineo indubitate veram sententiam, non absolvendum esse Dominum Malchum.

723. *Q.* I. Quid sit periculum, et quid occasio peccandi, quotuplex ea sit. R. 1. *Periculum* peccandi dicitur id, quod vel ab intrinseco vel ab extrinseco inclinat ad peccatum. *Occasio* vero est circumstantia *extrinseca* alliciens ad peccatum, ut cohabitatio, conversatio cum malis etc. Unde omnis occasio peccandi est periculum, sed non vicissim; nam qui contraxit consuetudinem mollitiei, est in periculo peccandi, etiam dum solus est, sive etiamsi nihil extrinsece illum ad peccatum alliciat, non tamen proprie dicitur esse in occasione peccandi.

724. R. 2. Occasio alia est *remota*, quae quidem habet vim alliciendi ad peccatum, raro tamen illud post se trahit, vel in qua quis raro admodum labitur. Alia *proxima*, in qua quis frequenter labitur. Dixi, *frequenter:* non enim requiritur universaliter ad occasionem proximam, ut quis frequentius peccet, quam non peccet, aut fere semper peccet; qui enim ter in septimana peccat cum persona, cui cohabitat, vere est in occasione proxima, nec tamen intra septem dies saepius peccat, quam non peccat. Porro occasio proxima iterum alia est *per se*, sive *absolute* talis, quae ob vim suam extrinsecam movendi passim respectu omnium vel plurimorum conjungitur cum peccato, ut habitatio cum concubina. Alia *per accidens* et *respective* talis, in qua passim non omnes, nec plerique, sed hic vel ille in particulari ex inclinatione sibi propria frequenter labitur. Iterum alia est *voluntaria*, quae facile vitari potest: alia *involuntaria*, quae vel *physice* vitari non potest, v. g. si quis

detineatur in navi, vel carcere, ubi ipsi adest occasio proxima peccati: vel *moraliter*, idque duplici sensu, scil. quando vel ea vitari non potest, nisi *cum peccato*, sicut miles non potest fuga deserere militiam, quae ipsi forte est occasio peccati, vel *nonnisi cum valde gravi incommodo*, v. g. non sine praesenti vitae periculo. Quantum autem debeat esse damnum, unica regula definiri vix potest; quia id desumi debet ex variis circumstantiis prudentis Confessarii judicio ponderandis. Juxta *P. Gobat*, occasio respectu illius est periculum certum, qui scit, si decies v. g. adeat illud, se labi septies vel octies: si autem bis vel ter, tunc judicat periculum esse probabile; leve vero si nunquam peccet, vel forte semel, et quasi casu.

725. *Q.* II. An possit aliquando absolvi, qui in proxima et voluntaria occasione peccandi versatur, scil. quam potest, et non vult omittere. R. *Negative*: et multo minus absolvi potest, qui eam directe et ex proposito quaerit, aut ei se ingerit. Vide propos. 61. ab *Innoc. XI.* damn. *Ratio* est, quia ille nequit absolvi, qui habet actualiter affectum ad grave peccatum; deest enim dolor efficax et propositum: atqui qui in occasione proxima voluntaria versatur, scil. quam potest et non vult omittere, hoc ipso censetur habere affectum ad peccatum, et multo magis, qui eam ex proposito quaerit: ergo.

726. *Q.* III. An proxima occasio peccandi sit fugienda, quando causa aliqua utilis aut honesta non fugiendi occurrit. R. Est fugienda, ut patet ex propos. 62. ab eodem *Innoc. XI.* damn. Pariter ex propos. 63. ab eodem damn. patet, quod non liceat quaerere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi; tum quia utilitas sive propria, sive proximi, aliave honestas non impediunt, quominus occasio illa sit et maneat proxima ac voluntaria, ut supponitur, ideoque formaliter peccaminosa: ergo: *Confirm.* 1. Talis vere censetur non habere propositum efficax, quia non vult adhibere medium ad vitandum peccatum necessarium, hoc ipso quod propter utilitatem quamdam renuat vitare occasionem et periculum peccandi, cum possit: ergo. *Confirm.* 2. Illa utilitas in hoc casu non est medium vitandi peccatum: ergo frustra eligitur a tali poenitente. Ideo Christus Matth. 18. dixit: *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, et projice abs te*, h. e. si ea, quae maxime, et ut pupillam oculi diligis, tibi sint occasio ruinae spiritualis sive peccati, abjice illa, *melius est enim* etc.

727. *Q.* IV. An concubinarius sit obligandus ad ejiciendam concubinam, si haec nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, dum deficiente illa nimis aegre ageret vitam, et aliae epulae taedio magno concubinarium afficerent, et alia famula nimis difficile inveniretur: R. Est obligandus, ita ut absolvi non possit, nisi dimittat concubinam. Vide propos. 41. ab *Alex. VII.* damn.

Sed nonne concubinario, qualis est noster Malchus, credendum est, si dicat, se habere propositum ejiciendi. R. *Negative*: quia praesumptio rationabilis est in contrarium.

728. Ex dictis I. *resolves* cum *Sporer* p. 3. Theol. sacram. c. 2. n. 328. juxta Comm. DD. concubinarium notorium vix unquam posse absolvi, nisi ejecta prius infami pellice, tum ob defectum propositi, tum propter publicum scandalum. *Trid.* sess. 24. de reform. matrim. c. 8. statuit, *hujusmodi concubinarios, tam solutos, quam uxoratos, cujuscumque status, dignitatis, et conditionis existant, si, postquam ab Ordinario, etiam ex officio, ter admoniti ea de re fuerint, concubinas non ejecerint, seque ab earum consuetudine non sejunxerint, excommunicatione feriendos esse, a qua non absolvantur, donec reipsa admonitioni factae paruerint.* Plures poenas vide ibid. De modo procedendi contra Clericos concubinarios vide *Trid.* sess. 25. c. 14. de reform.

729. II. Nec facile credendum concubinario occulto, quamcumque demum utilitatem afferat excusatoriam, praesertim si semel jussus concubinam ejicere id non praestiterit: quo casu (ait *Laym.* l. c. 11.) etsi jam denuo promittat

non est absolvendus, sed dicendum confitenti: *Tu prius praesta tuum officium, postea et ego praestabo meum.* Et ibid. subjungit: Nihilominus in certo casu circumstantiae concurrere possunt, ob quas Confessarius aliud decernet, v. g. si aliquis in gravi infirmitate vel mortis periculo constitutus alium hominem facile habere nequeat, qui necessaria ministret, praeter concubinam, ad quam tunc poenitens carnis affectum non gerat, ideoque putet se ejus occasione non lapsurum, cum primum autem convaluerit, a se amandandam promittat, tali casu absolvi poterit, si scandalum absit, videl. in concubinario occulto.

730. III. Pariter absolvi nequit, qui in domo aliena concubinam propriis expensis alit, et ad ipsam accedit, ac cum ipsa peccat; quia ex defectu propositi indispositus est, antequam eam amplius non visitet, nec cesset propriis expensis alere. *Duarte* V. occasio prox. n. 437.

731. IV. Qamvis graves AA. apud *La Croix* L. 5. n. 271. et *Burgh.* cent. 2. cas. 62. defendant, quod non sit obligatio eam occasionem externam deserendi, quam quis non potest desercre, nisi cum gravissimo incommodo, ideoque talem manentem in occasione proxima excusent a peccato, dummodo conetur cavere peccatum, adhibeatque nova media, et sit spes vincendi, eo quod in hoc supposito gravissimi incommodi moraliter impossibile sit vitare talem occasionem; ergo, ut ajunt, est involuntaria, ideoque non peccaminosa; ibidem tamen idem *La Croix* contrariam sententiam, quamvis rigidam, veram tamen affirmat, quae maxime pro praxi confirmatur ex damnatione propos. 41. ab *Alex. VII.* facta. Accedit, quod plerique illi AA. adversarii scripserint ante damnationem dictae, et aliarum propositionum, de quibus supra n. 726. egimus. Ideoque alii cum *Cajet., Lorca, Tann., Cardenas* recte statuunt, moralem illam impossibilitatem cum gratia divina, et adhibitis mediis vincendam esse, ac fugienda pericula formalia, etiam cum jactura omnium bonorum fortunae, famae et vitae, si aliter excludi non possint; quia homo tenetur etiam cum jactura vitae evitare peccatum: ergo etiam tenetur vitare formale ac proximum periculum peccati; velle enim manere in illo est moraliter velle peccatum: *Qui amat periculum peribit in illo.*

732. V. Semper hic notandum, quod per periculum peccati necessario fugiendum hic intelligatur periculum liberi consensus in peccatum, non autem periculum solius tentationis ad peccatum, aut alterius affectus mali: sic chirurgus potest medendi causa attingere partes illas alieni corporis, quae alias attingi absque peccato non possunt, quamvis in chirurgo ille tactus foret occasio proxima tentationum, aut motuum, dummodo absit periculum proximum consentiendi his motibus, uti ordinarie tum non adest ob speciales Dei gratias, si talis se praemuniat per media efficacia, de quibus infra n. 736. Idem dicendum de Confessario, qui turpissima saepe debet audire, de mercatura, officio advocati etc. *Jansen.* p. 2. cas. 98. n. 18.

733. VI. Qui constitutus est in occasione proxima *involuntaria* tunc potest absolvi, quando praeter vera signa doloris serium adhibet conatum ex occasione proxima faciendi remotam. *Ratio* est, quia haec occasio ipsi involuntaria est, et si serium sit propositum, occasio hucusque proxima per victoriam sui ipsius cum gratia Dei posthac illi erit remota; muniendus autem talis est bonis principiis, injungendae poenitentiae medicinales etc. Sic filius, qui a patre nequit discedere, neque facere ut ancilla e domo paterna expellatur, cum qua tamen hucusque frequenter peccavit, tenetur ex hac occasione proxima facere remotam, sive tollere periculum relabendi formalem, muniendo se per magnam peccati detestationem, per seria proposita cavendi ancillae alloquium, nunquam solus cum sola conversandi; sic adhibeat media, quae ipsi Confessarius suggeret. Idem esto judicium de filia, quae turpem consuetudinem habet cum famulo. Addit *La Croix.* L. 5. n. 278.; Si nihilominus

manet periculum formale et proximum, tenetur talis cum quocumque incommodo, etiam cum dispendio vitae abire. Denique speciatim:

734. VII. Juxta *P. Antoine* in Theol. mor. de poenit. L. 2. a. 3. R. 1. ad q. 5. et ex dictis absolutio *denegari* iis debet 1. qui nolunt rem alienam restituere, debita solvere, famam laesam, aut aliud damnum illatum resarcire, cum possint. 2. Qui renuunt uti mediis, quae Confessarius necessaria judicat ad emendationem; item qui nolunt pertinaciter poenitentias congruas et salutares persolvere. 3. Qui retinent voluntatem peccatum mortale committendi. 4. Qui nolunt inimicitias et odia deponere, injuriam condonare etc. 5. Qui publica scandala praebent aliis. 6. Qui nolunt abstinere ab usura, superstitionibus, contractibus aut commerciis illicitis, aut proxima, ut dictum est, occasione peccandi. 7. Qui ignorant res necessarias ad salutem necessitate medii, ut patet ex propos. 64. ab *Innoc. XI.* damnata.

735. Juxta *S. Carolum Borr.* in instruct. Confessar. *absolutio* generatim extra articulum mortis, *donec emendatio perspiciatur, differri debet his, qui licet se peccatum dimissuros polliceantur, ab illo tamen non separandos Confessarius probabiliter judicabit.* Huc pertinet regula, quam tradit *Lugo* hic d. 14. sect. 10.; *Certum est, quando dilatio necessaria est ad explorandum firmum propositum poenitentis, de quo non satis constat, debere differri absolutionem.* Hinc speciatim differenda est absolutio 1. Consuetudinariis ac recidivis, quamdiu eorum poenitentia aut emendatio prudenter dubia et suspecta Confessario videtur; praesertim quia his dilatio est remedium moraliter necessarium. Certe (ut ait *Bellarm.* serm. 8. de Adventu) in ejusmodi hominibus *non esset tanta facilitas peccandi, si non esset tanta facilitas absolvendi.* 2. Iis, qui obligationem gravem et urgentem negligunt implere, v. g. qui iterum iterumque promittunt, se statim satisfacturos proximo laeso in fortunae, aut famae bonis etc., et identidem id praestare negligunt. 3. Iis, qui bis terque promittunt reconciliationem cum inimico, sublationem scandali, nec tamen serio student satisfacere. 4. Quos Confessarius advertit negligentiores in examinanda conscientia, eliciendo dolore, in addiscendis necessariis necessitate praecepti etc. Ordinarie tamen poenitens non debet remitti ultra 15. dies; aeger enim non diu derelinquendus est a medico.

736. VIII. Media praedictis praescribenda sunt. 1. Proponat Confessarius motiva ad tollendam consuetudinem, quod mala consuetudo sit continuatum odium, et inimicitia cum Deo; quod sit catena, qua homo quotidie fortius alligatur a daemone; quod sit gravis lethargus animae in manifestum salutis periculum eam conjiciens; continuata afflictio et inquietudo animae, morbus inveteratus, qui nonnisi difficillime curari solet. 2. Descendat ad media, quorum alia sunt *generalia*, v. g. fervens oratio, praesertim matutina et vespertina, audita Missae quotidiana, sui demissio ac diffidentia, et filialis fiducia in Deo, frequens confessio apud eumdem Confessarium pium ac prudentem; consilium enim viri prudentis maxime necessarium est, teste *S. Bern.*, meditatio novissimorum hominis, lectio libri spiritualis, generosa victoria sui: *Tantum proficies, quantum tibi vim intuleris*: amor Dei (de quo *S. August.* l. 9. conf. c. 1. exclamat: *Quam suave mihi subito factum est carere suavitatibus nugarum*), odium peccati, quod nascitur ex recta opinione de falsitate objecti tantopere concupiti, fuga occasionum malarum. *Specialia* media sunt opera virtutum vitiis ac propensionibus pravis contrariarum. Talia assignavimus in P. I. ubi de pecc. capit. Praeterea valde juvat examen conscientiae quotidianum, praesertim particulare hoc modo: mane eliciatur propositum vitandi tale peccatum et ejus occasionem, illudque offeratur Deo cum humili petitione gratiae; addatur propositum statim eliciendi dolorem, et ultro hanc vel illam poenam subeundi, quamprimum denuo lapsus fuerit: juvat etiam quotidie novum eligere patronum, per cujus intercessionem a Deo pe-

tatur auxilium. Singulariter ad emendationem valet frequens per diem commendatio sui custodiae Angelicae. *S. Bernardus* inveterato peccatori suasit, ut primo ad honorem SS. Trinitatis per triduum a vitio abstineret, postea quartum diem ad honorem B. Virginis adjiceret, tantum effecit hoc consilium, ut poenitens elapso quatriduo ultro diceret: *Nolo amplius diurnas, sed perennes cum Deo inducias inire.*

Sectio II. Resolutiones de Confessore ut Judice, Doctore, et Medico.

Casus I.

Matthaeus Sacerdos Regularis petit approbationem, quam tamen non impetrat: nihilominus excipit confessiones, tum quia denegatio videbatur injusta, tum quia censebat satis esse, quod in illa dioecesi, ubi antea degebat, fuerit approbatus.

737. *Q.* I. An approbatio ita sit necessaria, ut ea etiam injuste negata, confessiones excipi nequeant. R. *Affirmative*; quia *Trid.* aperte innuit sess. 23. c. 15. de reform. *approbationem*, quae gratis detur, *obtineat.* Ergo non sufficit ut ea tantum sit petita, sed requiritur ut actu sit obtenta. *Elbel* hic n. 284. *Confirm.* 1. ex propos. 13. ab *Alex. VII.* damnata. *Confirm.* 2. ex Bulla *Urbani VIII. Cum sicut accepimus*; qui, ad confirmandum *Trident.* praeceptum, revocavit et annullavit indulta Regularibus concessa audiendi confessiones saecularium absque Ordinarii approbatione. *Duar.* V. confessio n. 128.

738. *Q.* II. An Matthaeus recte judicarit, se hoc ipso esse approbatum in hac dioecesi, quod fuerit approbatus in illa, ubi prius commoratus fuit. R. *Negative.* Colligitur ex *Trid.* quod l. c. requirit approbationem ab *Episcopis:* ac proinde satis indicat, non sufficere factam ab uno, quando Sacerdos mutato domicilio migrat in aliam dioecesim. *Confirm.* ex Constit. *Clementis X.* quae incipit: *Superna magni patrisfamilias*; ubi §. 4. decernitur et declaratur: *Religiosos ab Episcopo ad confessiones saecularium in sua dioecesi audiendas approbatos, non posse in alia dioecesi eas absque Episcopi dioecesani approbatione audire, quamvis poenitentes subditi sint ejus Episcopi, a quo ipsi Religiosi jam fuerant approbati.* Teste *Babenst.* t. 8. p. 6. d. 6. a. 2. n. 14. *Alexand. VII.* anno 1659. 26. Feb. damnavit hanc propos. *Regulares Ordinum Mendicantium semel approbati ab uno Episcopo ad confessiones audiendas in sua dioecesi habentur pro approbatis in aliis dioecesibus, nec nova indigent approbatione.* Controversia est inter AA. an idem tenendum sit de quocumque sacerdote sacculari. Plures cum *Carden.*, *Illsung* t. 6. d. 6. docent, in praxi tenendum esse, quod etiam Parochus hujus dioecesis non possit extra hanc dioecesim audire alienos sine approbatione Episcopi loci. Dixi, *alienos;* multi enim cum *Laurentio* et *Illsung* l. c. n. 177. non improbabiliter dicunt, saltem Parochum hujus dioecesis non indigere alia approbatione ad audiendam confessionem sui subditi, cum quo peregrinatur in alia dioecesi; quia cum ratione muneris sit pastor, et ordinarius ipsius Confessarius, satis a *Trident.* censetur pro illo in tali casu approbatus.

739. Certius constat, quod Regularis approbatus possit suum socium Regularem ejusdem Ordinis absolvere, in quacumque dioecesi existat cum illo, quia decreta Pontificum et *Trid.* tantum loquuntur de confessionibus Saecularium et Religiosorum alterius Ordinis. *La Croix* L. 6. p. 2. n. 1515.

740. De missionariis castrensibus docet *idem* l. c. n. 1518. cum *Laym.* L. 5. t. 6. c. 10. eos, qui praeficiuntur ab Episcopo alicui legioni pro administrandis Sacramentis, esse talis legionis Parochos, ubicumque terrarum illa fuerit, etiamsi alii milites in demortuorum locum subrogentur; cum enim talis legio sit ipsius Parochia, ipse semper est in sua Parochia; ubicumque sit illa legio.

741. *Q.* III. Quid faciendum, si monialis extra monasterium degens cum licentia Superiorum velit confiteri Sacerdoti non specialiter approbato pro excipiendis confessionibus monialium. Respondet *La Croix* l. c. n. 1526. interrogandum esse, an habeat facultatem cuicumque alias approbato confitendi, et si affirmet, credi posse; praesertim quia *Greg. XV.* in Constit. *Inscrutabili*, nonnisi videtur de iis loqui, qui vel ordinarii sunt Confessarii monialium intra clausuram manentium, vel qui extraordinarie ad illas audiendas deputantur. Maxime vero haec resolutio de iis probabilior est, quae diutius ex gravi causa et licentia Superiorum a monasteriis suis absunt, moranturque ibi, ubi nullus est pro ipsis approbatus Confessarius; tunc enim incredibile est, Papam velle eas tamdiu carere Sacramento poenitentiae; secus est de iis, qui unica die absunt a monasterio. De designatione Confessariorum extraordinariorum pro monialibus vide Constitutionem *Benedicti XIV. Pastoralis curae*; quae est quinquagesima sexta in Tom. 2. ejusdem Bullarii.

742. *Q.* IV. An qui beneficium curatum habent, possint sibi eligere in Confessarium, simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario. R. *Negative*: affirmativa enim est damnata ab *Alex. VII.* in ordine 16. Rationem vide supra ex *Trid.* n. 678.

743. *Q.* V. Quamdiu duret approbatio. R. Ea, quae datur titulo Parochiae, durat quamdiu quis gaudet illo beneficio curato. Si alio titulo, et sine restrictione ad certum tempus sit concessa, durat donec revocetur ex justa causa. Si ad certum tempus concessa sit, durat usque ad terminum praefixum. Ita *Comm.*

Casus II.

Nicolaus valde dubitat de sua jurisdictione, nihilominus intrepide excipit confessiones. Interim certam obtinet jurisdictionem, moxque in loco vicino, alterius tamen dioecesecos, invitatus ad festum solemne, etiam ibi audit confitentes.

744. *Q.* I. An liceat cum dubia jurisdictione, aut tenuiter probabili absolvere. R. Non licet extra casum necessitatis absolvere cum jurisdictione *negative* dubia, aut tenuiter probabili. *Ratio* est, quia stante dubio negativo, aut opinione tantum tenuiter probabili, nullum aut non sufficiens habetur fundamentum prudenter judicandi, quod quis reipsa habeat jurisdictionem; ergo sic absolvens exponit Sacramentum periculo nullitatis. Neque in tali casu Ecclesia supplet jurisdictionem, si reipsa desit. Dixi, *extra casum necessitatis*, dum non adest Sacerdos habens jurisdictionem certam aut vere probabilem: tunc enim necessitas facit ut Sacramentum non temere tractetur, et conditio adjecta (sub hac enim absolutio in tali casu conferenda esset) excludit irreverentiam Sacramenti, si forte Confessarius reipsa non habeat jurisdictionem. Porro talis necessitas tunc adesse censetur, juxta *Babenst.* l. c. a. 3. n. 9., si absente Confessario certo legitimo, alioquin poenitens celebrare aut communicare deberet sine confessione, vel si urgeat praeceptum annuae confessionis, vel confessio cum nota infamiae diu differenda esset. Ibid. addit, quod talis poenitens sub conditione absolutus monendus sit', ut peccata illa rursus confiteatur Sacerdoti certam jurisdictionem habenti.

745. *Q.* II. Quando in errore communi censeatur Ecclesia supplere defectum jurisdictionis.

Ante R. *observa*. Error communis hic dicitur, quando is, qui actum jurisdictionis exercet in aliquo loco, ab omnibus, vel saltem plerisque ibi existentibus existimatur habere jurisdictionem, cum tamen non habeat propter aliquod occultum impedimentum. Unde R. 1. Si error communis conjunctus sit cum titulo colorato sive putatitio collato a legitimo Superiore, Ecclesia supplet seu confert jurisdictionem, tam pro foro externo, quam interno. Talis titulus est collatio beneficii habentis annexam curam, apparenter quidem le-

gitima, cum tamen reipsa ob occultum aliquem defectum, v. g. ob occultam simoniam, aut excommunicationem sit invalida et nulla; item delegatio jurisdictionis apparenter tamen legitima; in tali inquam errore communi cum titulo colorato Sacerdos existimatus habere jurisdictionem valide absolvit, quia in tali casu Ecclesia uti potest supplere, ita etiam exigente communi bono animarum, reipsa censetur supplere defectum et dare jurisdictionem non quidem stabiliter, sed pro singulis tantum actibus. *Confirm.* In tali errore cum titulo colorato Ecclesia certo supplet jurisdictionem pro foro externo propter gravissima incommoda, quae alioquin sequerentur: ergo propter urgentem eamdem rationem Ecclesia pariter pro foro interno censetur supplere defectum in gratiam poenitentium, ne aliena malitia, vel ignorantia ipsis noceat ad interitum animarum; item ne debeant repeti plurimae confessiones, dispensationes iterato flagitari etc. *Cardenas* dissert. 2. in primam propos. ab *Innoc. XI.* damn. c. 6. a. 5. n. 149. *Babenst.* l. c. n. 11. hanc sententiam vocat moraliter certam, et fere omnium.

746. Dixi, *valide absolvit.* Confessarius enim conscius sui defectus, si tamen absolvat, peccat mortaliter; Ecclesia enim non in ipsius, sed poenitentium communi errore laborantium gratiam supplet jurisdictionem. *Suar.* de censur. d. 11. sect. 3. n. 13.

747. E contra non peccat Sacerdos, sed valide et licite absolvit, qui habet opinionem vere probabilem circa jurisdictionem, unaque titulum coloratum a legitimo Superiore collatum. *Ratio* est, quia si illa opinio vere probabilis a parte rei sit vera, tunc vere habet potestatem absolvendi; si falsa, tunc est error communis tam doctis, qui illam communiter supponuntur admittere ut probabilem, quam indoctis qui, quod docti affirmant, credunt: atqui in errore communi qui conjunctus est cum titulo colorato, certissime supplet Ecclesia jurisdictionem: ergo tunc certo Sacerdos habet jurisdictionem, ideoque valide et licite absolvit. *Cardenas* l. c. n. 155. *Babenst.* cum *Reding.* ibid. resolvit, licitum esse poenitenti petere et accipere absolutionem a Sacerdote habente rationem vere probabilem de sua jurisdictione, et titulum coloratum.

748. R. 2. In errore communi, ubi deficit titulus coloratus a legitimo Superiore, non aeque constat Ecclesiam supplere jurisdictionem. Affirmativam ut probabilem defendunt graves AA. apud *Cardenas* l. c. n. 151.; negativam vero probabiliorem dicit *Babenst.* l. c. n. 15. Haec cum certo tutior sit, videtur praeeligenda, praesertim cum vix unquam aut rarissime possit esse ejusmodi error communis, cui non sit conjunctus titulus coloratus, vel ex officio et beneficio, aut ex delegata jurisdictione, aut ex privilegio.

749. *Q.* III. An ad valide absolvendum sufficiat jurisdictio praesumpta aut ratihabitio de futuro. R. *Ad* 1. Praesumpta non sufficit, quia haec non est actualis concessio potestatis absolvendi, qualis requiritur ad absolvendum, sed esset concessio, sive voluntas Superioris concessuri jurisdictionem, si ea peteretur in his circumstantiis; ideoque ex praesumptione absolvens non absolvit ut habens jurisdictionem, sed ut habiturus, si etc. Eodem modo R. *Ad* 2. Multo minus sufficit ratihabitio de futuro; h. e. non sufficit, quod Sacerdos sibi formet hoc dictamen: Superior si resciverit a me nunc datam esse absolutionem, non erit dissentiens, sed ratam habebit: quia Sacramentum non potest esse dependens a nutu et voluntate futura Superioris. *Babenst.* l. c. n. 5. cum *Lugone* et *Salmant.*

750. *Q.* IV. An Nicolaus valide et licite absolverit in conterminis locis suae dioeceseos. R. Si ei constiterit de aliquo erecto recessu vel conventione inter confines dioeceses, vel legitima consuetudine, valide et licite absolvit. Per recessum quidem, ubi is erectus est inter confines dioeceses, expressa conceditur jurisdictio; per consuetudinem autem legitimam, et tacitum consensum Ordinariorum veram obtineri approbationem, ostendit *P. Elbel* p. 2. n. 299. cum *Sporer*, *Gobat*, et *Illsung* ex praxi satis recepta in variis Germaniae locis,

vi cujus vicini diversarum dioecesum Parochi invicem confitentur, et in festis solemnioribus in excipiendis confessionibus concurrentium fidelium se mutuo solent juvare. Dixi, *si ei constiterit etc.* ubi enim nec constat de conventione, nec de legitima consuetudine, sine expressa jurisdictione in confinibus dioecesibus nec licite nec valide quis potest absolvere: quia ex regula communi ab Episcopo loci, in quo quis audit confessiones, petenda est jurisdictio, ut satis patet ex laudata Bulla *Clem. XI.*

Casus III.

Nicomedes per recommendationem obtinet approbationem et jurisdictionem pro excipiendis confessionibus. Is quamvis Theologiam moralem valde neglexerit, intrepide tamen accedit ad sacrum tribunal. Cum vero brevi adverteret a se committi plures errores in administratione Sacramenti poenitentiae, hinc moralistas celebriores diligenter legit, et viros doctos de modo fructuose audiendi confessiones frequenter consulit.

751. *Q.* I. An peccet Sacerdos, qui sine debita scientia suscipit munus audiendi confessiones. R. Peccat graviter, tum quia quilibet tenetur habere scientiam officii, quod suscipit a se exercendum, praesertim erga alios, tum quia sine debita scientia talis se exponit manifesto periculo male fungendi hoc grandi munere cum injuria Sacramenti et detrimento animarum, imo et frequenter cum damno tertii. *Vae vobis duces caeci!* Matth. 23. *Suar.* hic d. 28. sect. 2. n. 6.

752. *Q.* II. Quaenam scientia requiratur in Confessario. R. Juxta *Rit. Rom. Imprimis meminerit Confessarius, se judicis pariter et medici personam sustinere, ac divinae justitiae simul et misericordiae ministrum a Deo constitutum esse, ut tanquam arbiter inter Deum et homines honori divino, et animarum saluti consulat.* De scientia spiritualis judicis vide Decret. P. 2. caus. 33. q. 6. c. 1. Ad validam absolutionem, teste *Antoine* de poenit. c. 3. a. 3. q. 1. juxta omnes requiritur, ut sciat proferre absolutionem, et cognoscere regulariter moralem actum, saltem sub communi ratione peccati; alias etiam absolvet illum, qui nullum peccatum, sed sola opera bona confitetur.

753. *Q.* III. Quae specialis scientia requiratur in Confessario, ut rite triplici officio doctoris, judicis et medici fungatur. R. 1. Qua *Doctor* scire debet 1. necessaria necessitate medii et praecepti; 2. motiva fidei, spei, charitatis, attritionis et contritionis; 3. obligationes variorum statuum poenitentium. Huc pertinet cognitio propositionum damnatarum. Vide *P. Gerard. Zetl* P. II. ubi c. 1. agit fuse de triplici obligatione Confessarii qua Doctoris, scil. poenitentis admonendi, instruendi in actibus necessariis, et dirigendi eorum conscientias in actibus moralibus.

754. R. 2. Qua *Judex*, ut ait *Suar.* hic d. 28. sect. 2. n. 2. sciat 1. discernere peccatum, et an veniale sit, an mortale, quaenam peccata specie differant, non quidem secundum exactam speculationem, sed ut communi et ordinario modo de his valeat ferre judicium: hinc necesse est, ut sciat praecepta Dei et Ecclesiae, et quaenam contra illa regulariter sint peccata gravia aut levia. 2. Sciat quid necessarium sit, ut poenitens sit sufficienter dispositus ad absolutionem, adeoque nosse debet partes et requisita poenitentiae, ut non tantum cognoscat, quae sint de substantia poenitentiae, sed etiam an poenitens sit dignus absolutione, quia non solum debet Sacramentum facere validum, sed etiam non dare sanctum canibus: huc pertinet notitia de consuetudinariis, constitutis in occasione proxima etc. 3. Consequenter etiam eum nosse oportet, quando ex peccato oriatur obligatio restitutionis, quaenam conditiones contractuum, impedimenta matrimonii etc. ut satisfactionem, vel ejus saltem propositum serium a poenitente requirat etc. 4. Scire debet casus reservatos, ut sciat quos poenitentes possit absolvere. 5. Sire oportet excom-

municationes quae ipso facto incurruntur; quia prius ab his debet absolvere, quam a peccatis. Ibid. n. 4. addit *Suar.* cum *Cajet.* et aliis, *non semper oportere, ut confessor per se ipsum possit haec omnia* scil. singula in singulis casibus ex tempore, ut ajunt, *discernere, sed satis esse, ut intelligat ea, quae frequentius accidunt, et de aliis dubitare sciat... Nam si dubitat, potest legendo vel alios consulendo semper in particulari scire, quod oportuerit, nec possumus majorem obligationem imponere; alias vix aliquis erit, qui possit confessiones audire.* De potestate, bonitate et scientia Confessarii qua judicis prolixe agit laudatus *P. Gerard. Zetl* P. I. Confessarii tam Saccularis, quam Regularis, c. 1. 2. et 3. ibid. c. 4. de obligationibus ejusdem Judicis, scil. 1. de obligatione audiendi confessiones: 2. examinandi et interrogandi poenitentes: 3. audita judicandi: 4. imponendi poenitentiam: 5. declarandi et injungendi ea, ad quae poenitens in conscientia tenetur: 6. absolvendi: 8. stricte servandi sigillum confessionis etc.

755. R. 3. Qua *Medicus* nosse debet morbos animae, peccatorum causas, pericula et medicinas: quales pro his vel illis peccatis injungendae sint poenitentiae: qua ratione dirigendus sit poenitens: quomodo confirmandus in bono etc.

756. Praeter scientiam opus est Confessario insigni prudentia, vi cujus congrua media applicet ad finem sui officii consequendum, qui est peccatoris vitia curare, et a committendis eum praeservare. *Dux indigens prudentia multos opprimet.* Prov. 28. 16. Absque prudentia zelus erit minus efficax, minus utilis, et valde periculosus, ut ait *S. Bern.* serm. 49. in Cant. Ad opportunam directionem Confessarii brevia hic lubet proponere monita, e quibus neo-Sacerdos facilem methodum fructuose excipiendi confessiones sibi comparabit.

Observanda ante administrationem Sacram. Poenitentiae.

757. I. Ne Confessarius taedium officii sui valde laboriosi concipiat, foveat animo magnam ejus aestimationem. 1. Recogitet quanta sit *dignitas* hujus judicii in tali causa, quae ad forum Dei pertinet: cui Angelorum unquam dictum est: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis?* 2. Perpendat quanti sit meriti labor et munus Confessarii: exercentur hic opera misericordiae: docet enim Confessor ignorantes, dubitantibus bene consulit etc. imo et mortuos spiritualiter ad vitam revocat: accedit meritum insignis patientiae, mansuetudinis et charitatis; quo denique graviores sunt molestiae, quas causant poenitentes rudes, indurati, refractarii etc. eo plus meriti exinde sibi comparabit Sacerdos, si ex sincero zelo divinae gloriae, et salutis animarum munus suum obeat.

758. II. Ingressurus confessionale praemittat actus variarum virtutum fidei, spei, charitatis tum Dei, tum proximi, contritionis, bonae intentionis hoc vel simili modo: *Omnipotens sempiterne Deus, ego indignus servus et minister tuus volo nunc administrare Sacramentum poenitentiae, sicut Christus Dominus ac Salvator noster instituit, et juxta ritum Sanctae Ecclesiae Catholicae, idque ad majorem honorem et gloriam tuam, ex amore tui, o Summum Bonum, et charitate proximi. Peto ad hoc tuam gratiam, ut digne fungar hoc officio, ut iniquos doceam vias tuas, et errantes in via iniquitatis reducam ad semitas justitiae tuae: cor mundum crea in me Deus, ne cum alios mundavero, ipse sordescam et reprobus efficiar.* Intentionem prolixiorem vide apud *P. Herzig* in Manuali Confess. p. 2. c. 1.

Observanda sub ipsa administratione Sacramenti Poenitentiae.

759. I. Confessarius 1. sit mansuetus, ne deterreat poenitentem; si tamen hic videatur durae cervicis esse, increpet opportune, importune, in omni tamen patientia. 2. Sit prudens in interrogando, adhortando, et praescribendo reme-

dia; praesertim in materia contra sextum sollicite caveat, ne indiscretis interrogationibus poenitentem praesertim alterius sexus et se ipsum scandalizet: praestat in ejusmodi examine (si videatur necessarium) a levioribus progredi ad graviora, v. g. a peccatis mentis ad peccata oris, cum maxima cautela, ne poenitens mala, quae ignorat, doceatur cum periculo ea deinde perpetrandi.

760. II. Confessarius poenitentem ordinarie non objurget nisi finita confessione, neque interrumpat confessionem, nisi ea longior sit, aut necessitas postulet ad aliquid rite intelligendum. Hinc Rituale Rom. tradit sequentem regulam: *Audita confessione Confessarius perpendens peccatorum... magnitudinem, et multitudinem pro eorum gravitate ac poenitentis conditione opportunas correptiones ac monitiones, prout opus esse viderit, adhibebit, et ad dolorem ac contritionem efficacibus verbis adducere conabitur etc.* Si tamen poenitens incipiat aliorum peccata detegere, mox moneatur, ut sua confiteatur, et de alienis sileat, ne detrahendo novum committat peccatum. Item si impertinentia immisceat, et velut historiam contexat, abrumpatur filum garrulitatis, monendo satis esse si sua peccata quoad numerum et speciem confiteatur.

761. III. De adultis quidem, quos Confessarius caeteroquin bene instructos esse advertit, ordinarie praesumi prudenter potest, quod sint bene dispositi, et quod seria confessio sit sufficiens doloris signum; expedit tamen, eos excitare, ut dolorem renovent; pueros autem et rudiores semper praestat interrogare, an et cur doleant de peccatis. Habeat Confessarius in promptu motiva doloris supernaturalis. Quos judicat magis proclives ad bonum, vel timidiores, primo excitet ad dolorem per considerationem beneficiorum a Deo acceptorum, duriores vero per considerationem poenarum.

762. IV. Juxta *P. Antoine* de poenit. c. 3. a. 3. q. 3. Confessarius tenetur admonere poenitentem de ejus erroribus I. si error seu ignorantia sit *culpabilis*; quia quamdiu talis ignorantia perseverat, poenitens est indispositus, eo quod ipsa sit peccatum. Item tenetur corrigere errorem, si poenitens putet hoc vel illud sibi esse illicitum, quod ei re ipsa est licitum, quia hic error est poenitenti perniciosus, et causa peccati. II. Si vero error aut ignorantia sit inculpabilis, tunc docendus est poenitens 1. si exinde sequatur grave malum, vel scandalum publicum. 2. Si error vergat in damnum injustum proximi. 3. Si ex errore sequatur malum occultum inculpabiliter ignotum, v. g. si matrimonium suum putet esse validum, et tale publice habeatur, quod tamen Confessarius ob impedimentum occultum cognoscit esse invalidum, tunc debet monere, quando monitio videtur profutura, nec ex ea scandalum publicum sequitur. Secus si probabile periculum sit, ne ex admonitione sequatur peccatum formale poenitentis vel grave scandalum et damnum innocentibus, v. g. filiis; tunc enim differenda est monitio, donec periculum cesset, et petatur interim dispensatio. Vide c. 6. de consang. et affinit. ubi *Innocent. III.* similiter respondet. Vide P. I. n. 21.

763. V. Juxta *P. Polancum* in directorio c. 1. Confessarius ita sit compositus exterius et interius, ut nihil videatur in vultu, et gestibus vel motibus, vel etiam in vestitu, nec in voce audiatur, quod non deceat virum maturum, et qui meminit se locum Dei tenere. Caveat, ne dum poenitens enorme peccatum confitetur, ipse det signum indignationis, quia ex eo saepe deterrentur poenitentes ab exponendis aliis forte adhuc gravioribus.

764. VI. Confessarius tunc tenetur examinare poenitentem, si prudenter judicet, vel dubitet, non sufficienter declarari peccata circa speciem, ac numerum. *Ratio* est, quia integritas confessionis est necessaria ad hoc, ut capax sit homo absolutionis; ergo priusquam Sacerdos absolvat, tenebitur probabiliter judicare, poenitentem integre esse confessum: ergo si hoc non judicet absque sua interrogatione, tenetur interrogare. *Suar.* de poenit. d. 32. sect. 3. n. 3. ibid. n. 7. resolvit, Confessarium, si ei constet aliunde, quod poenitens

aliquod peccatum omittat, teneri per se loquendo interrogare, eo quod teneatur curare, ut judicium hoc integre fiat. Caeteroquin observanda est communis regula, in hoc foro credendum esse poenitenti, tam pro se, quam contra se loquenti.

765. VII. Si dubia graviora circa valorem contractuum, votorum, aut matrimonii occurrant, non erubescat Confessarius differre resolutionem usque ad proximam confessionem, ne et seipsum, et confitentem exponat gravissimi erroris periculo.

766. VIII. Confessarius puerorum et puellarum tenerioris aetatis 1. advertat, an sufficienti usu rationis sint praediti, et absolutionis capaces: hoc colligendum est non ex sola aetate, sed multo magis ex ingenii, et educationis qualitate (post septennium regulariter esse solet praesumptio de usu rationis, non tamen sine frequenti exceptione). Signa rationis sufficientis sunt, juxta *Lessium* et *Gobat*, si sciant quid eventurum sit male agentibus, quid bene agentibus: si discernant bonum et malum: si erubescant mentiendo, vel impudica loquendo vel audiendo: si laudent obedientiam et pietatem: si peccata sua distincte explicent, bene percipiant propositas a Confessario quaestiones, et ad illas apte respondeant etc.

E contra signa defectus rationis sunt: si ingressi confessionale sileant, vel pueriliter tantum formulas quasdam ipsis inculcatas recitent: si ad omnes quaestiones affirmative respondeant, quamvis sint oppositae praecedentibus quaestionibus: si continuo respiciant ad ea, quae extra confessionale aguntur: si rosario vel pileo gesticulentur: si digitis fricent crates interjectas. 2. Advertat, an credant necessaria necessitate medii. 3. An habeant verum dolorem et propositum. 4. Si Confessarius advertat non adesse sufficientem usum rationis, dimittendi sunt sine absolutione, impertita sola benedictione, et injuncta aliqua poenitentia, v. g. ut recitent semel iterumque orationem dominicam cum salutatione Angelica: praestat etiam semper elicere cum parvulis breviter actus fidei, spei et charitatis, ne sine fructu dimittantur. Si peccatum certum confiteantur, et sufficientia adsint signa rationis et doloris ac propositi, absolvendi sunt: si maneat dubium de sufficienti rationis usu, nec habeant certum peccatum, pariter sine absolutione dimittendi sunt: si vero certum peccatum confiteantur, et dubium sit, an sufficienter agnoverint malitiam peccati, praemisso dolore et proposito, sub conditione poterunt absolvi, ne diutius gratia sacramentali carentes, gravius labantur. Denique si defectus sit ex parte examinis, Confessarius caute examen de levioribus instituat, v. g. an mentitus sit parvulus, an parentibus obedierit, an verbis iracundis et irreverentibus eos allocutus fuerit, an soleat irasci parentibus, sororibus etc., an in templo garrulus, irreverens fuerit, cum quibus soleat conversari domi, et in plateis: ex hac quaestione saepe produntur graviora peccata etc. etc.

767. IX. Confessarius adolescentum et juvenum si observet defectum ex parte examinis, caute interroget praecipue in materia castitatis: incipiat autem a magis ordinariis huic aetati peccatis, v. g. an parentibus obedierint, an sub Sacro garriverint, vel petulantias in templo exercuerint, oculis circumvagati sint, an mendacia dixerint, an cum malis sociis conversati sint, turpia cum iis locuti sint vel audierint, an pravis cogitationibus locum dederint, pecuniam parentum dilapidaverint, aut iis quid subtraxerint etc. etc. exprimatur quoque numerus: denique an otio sint dediti, negligant catecheses etc.

2. His commendandae sunt potissimum quotidianae preces matutinae et vespertinae, frequens exercitium fidei, spei, et charitatis, et propositi nunquam Deum offendendi, idque ex timore et amore Dei, confessio, et communio saltem menstrua, fuga pravi consortii, obedientia et reverentia erga parentes et Superiores, constans devotio erga B. Virginem, et S. Angelum custodem etc.

3. Bene attendat Confessarius, an dolorem eliciant ex motivo supernaturali, et non tantum verbo tenus, id quod facile cognoscere licebit ex iis, qui citissime et peccata deblaterant, et obiter tantum dicunt, quod doleant.

4. Adolescentibus tales poenitentiae sunt injungendae, quae sunt aptae vel ad bonam consuetudinem inferendam, vel ad malam extirpandam, v. g. examen vespertinum per octiduum, Sacro per aliquot dies devote intersint, illudque offerant ad certam gratiam, v. g. castitatis impetrandam, vel ad hoc illudve vitium extirpandum. Si lusui sint dediti abstineant per plures determinatos dies: si parentes offenderint, ut petant veniam, vel compensent singulari reverentia etc.

5. Sollicitos de electione status juvet Confessarius monendo, ut quotidie petant illustrationem Spiritus Sancti tum in precibus matutinis, tum in frequentibus sacris communionibus, idque per intercessionem matris boni consilii B. Virginis Mariae, per S. custodem, et specialiter eligant in Patronum deliberantium sanctum Aloysium: praeterea moneat, si advertat aliquem impulsum ad certum statum, ut examinent vires tum corporis tum animi, an videantur sufficientes huic statui: explicet difficultates huic statui proprias, et commoda, ea inter se conferat, et videat quid consideratis omnibus magis conducat ad suam salutem, et ad gloriam Dei: nec abs re erit si ipse Confessarius saepius in sacrificiis missae memor sit clientis de eligendo vitae statu deliberantis.

768. X. Confessarius plebejorum et rudium circa accusationem peccatorum gravium praecipue sit sollicitus, ut exprimatur numerus, quem plerumque illi negligunt: si haereant in enarratione peccatorum, juvet eos a peccatis internis ad peccata cordis, et operis instituendo examen, v. g. an dederint locum cogitationibus iracundis contra proximum, turpibus etc.; an blasphemaverint Ss. Sacramenta irreverenter pronunciando, detraxerint, rixati sint; an falso juraverint; an mala hominibus vel pecoribus imprecati sint; an inimicitias, odia foverint etc.; an nulli damnum intulerint in agris, hortis, sylvis etc., quomodo diebus festis Sacro interfuerint; an cum altero sexu turpia conventicula, colloquia etc. habuerint etc. 2. Attendat, an verum sciant elicere dolorem, parati sint ad restitutionem, si necessaria fuerit; an odia, consuetudinem maledicendi, imprecandi deponere efficaciter velint. Cum iis rudibus, qui nullum omnino peccatum confitentur, saepe difficultas maxima occurrit: quia plerumque est prudens suspicio crassae ignorantiae, ideoque operae pretium erit, si Confessarius examinet rudem de scitu necessariis, et ordinarie inveniet defectum doctrinae christianae. Hinc vel prius instruendus est, vel sine absolutione dimittendus, donec addiscat necessaria: si advertat stupiditatem quamdam saltem eliciat cum eo actum fidei, spei, charitatis, doloris, et propositi etc. Videantur dicta in P. I. n. 355. et seq. Praesertim conetur Confessarius intelligere, an hebetudo vel stupiditas oriatur ex peccatis quibusdam, quae mentem obcaecant, ut sunt luxuria, ebrietas etc. Quo casu discrete erit examinandus de hisce vitiis; sic regulariter differatur absolutio, et prius abducatur a vitiis. Secus si hebetudo oriatur ex complexione naturali, cujus signum est, si talis ad temporalia quoque hebes sit, si ad quaevis interrogata inepte respondeat, si caeteroquin bonae voluntatis sit, nec male vivat; si autem in negotiis temporalibus solers, industrius, et satis dexter sit, suspicio est, quod hebetudo oriatur ex peccatis. Si quis ita stupidus esset, ut ad omnem instructionem ignorans persisteret, nec quicquam posset capere de fidei mysteriis, fatuo vel infanti comparandus esset. Denique si hebetudo oriretur ex senectute, senexque antea sciverit necessario credenda, expositis cognitis peccatis, et praemisso dolore ac proposito absolvi, et sacra communione refici poterit, etsi dubium sit, an in moderno statu sufficienter penetret motiva fidei et doloris: si vero nunquam didicerit, laborandum, ut adhuc addiscat, quantum fieri potest, priusquam crescente senectute plane reddatur incapax.

769. XI. Plene fatuus non est capax absolutionis, quia non est capax actuum supernaturalium. Semifatuus saltem tunc potest absolvi, quando judicatur habere actus ad poenitentiam necessarios; talis enim est capax peccati, et actuum supernaturalium. Signa, quod aliquis non sit plene fatuus, eadem praeter alia esse possunt, quae supra de pueris adnotavimus; subinde etiam quidam delirant in uno, et prudentes sunt in alio, et hi capaces sunt absolutionis. Si dubium sit, quis plene vel semifatuus sit, disponendus est, quantum fieri potest, et saltem in articulo mortis sub conditione absolvi debet, imo et juxta graves AA. stante dubio, sub conditione absolvi potest in Paschate, ne si forte esset in statu peccati mortalis anima periclitetur.

770. XII. Surdus tantum, et non simul mutus, si confiteatur peccata sua, et doleat de iis, debet absolvi, injuncta poenitentia, ostendendo rosarium, vel digitis determinando numerum orationum dominicarum, ita tamen ut alii non advertant, praesertim si gravior poenitentia esset injungenda: quando vero surdus esset examinandus de numero, vel specie peccatorum, vel de dolore, id fieri deberet in loco separato, et non coram aliis. Idem dicendum est de iis, qui gravius audiunt.

771. XIII. Similiter mutus, qui non est surdus, in loco separato juvandus est per interrogationes, ad quas ille per signa respondere poterit. In articulo mortis facilius praesumuntur signa esse sufficientia, v. g. gemitus, si percutiat pectus etc. Extra articulum mortis is, qui mutus factus est, postquam didicit scitu necessaria, absolvi non potest, nisi scripto vel signo se accuset, et det signa doloris. Si mutus possit scribere, ei suadendum est, ut per scripturam confiteatur, nisi per signa sufficienter possit exprimere peccata. Si nesciat scribere, possit autem per signa exprimere speciem et numerum peccatorum, ad hoc tenetur; si speciem peccati nullo signo possit exprimere, absolvi tamen poterit, modo in genere se peccatorem signo generali fateatur, quia impotentia talem excusat ab ulteriori confessione. Denique si talis sciat, legere examen in scripto posset ipsi proponi, et poenitentia pariter praescribi.

772. XIV. Si poenitens surdus simul et mutus sit, per signa examinandus est, et intellecto uno alterove peccato, cum signo doloris, poterit absolvi, eique praebenda est Eucharistia non tantum in articulo mortis, sed etiam tempore paschali, modo signis ostendat, se hunc cibum spiritualem a profano discernere. Ita *Holzmann* p. 3. n. 50. cum *Henrincx*, *La Croix*, et *Gobat*; tum quia in tali perfectior discretio sperari nequit, tum quia ejusmodi miseri maxime indigent hac corroboratione spirituali. Hinc ibidem addit, quod Confessarius, si advertat ejusmodi hominem esse praeditum discretione non qualicumque, sed matura, possit eidem permittere et suadere, ut saepius, vel saltem in festis solemnioribus confiteatur, et ad sacram communionem accedat.

773. XV. Regulariter surdus et mutus, et simul caecus a nativitate habetur instar perpetuo amentis, et solius baptismi est capax. Vide dicta a n. 364. et seq. Si factus sit surdus, mutus, et caecus post usum rationis et instructionem, aut post frequentes confessiones et communiones, si det signa doloris, saltem in articulo mortis debet absolvi, imo et juxta *La Croix* L. 6. p. 2. n. 663. sacra communione pro viatico refici posset. Signa, per quae talis sufficienter prodit dolorem, sunt gemitus, percussio pectoris, vel si Confessarius prehensa aegroti manu percutiat ipsius pectus, et ipse aegrotus postea ultro percutiat pectus etc. Juxta *Lohner* tali non Eucharistia, sed sola extrema unctio dari posset: juxta alios, si talis certa alia doloris signa dare nequeat, adhuc posset absolvi sub conditione, si christiane vixerit.

774. XVI. Confessarius obligati ad restitutionem observet sequentia. 1. Bene intelligat radices restitutionis, ut secure possit discernere, an adsit obligatio restituendi. De duplici radice egimus in P. I. a n. 772. usque ad n. 874. ex quibus breviter prae oculis habet mensuram obligationis restituendi ortae *ex re aliena*, vel *ex injusta acceptione*. Mensura restitutionis faciendae *titulo*

rei acceptae est *quantitas possessionis*, h. e. tantum quis debet restituere, quantum possidet ex re aliena, vel in se, vel in aequivalenti, sive quantum ex illa non amplius existente factus est ditior. Mensura autem restitutionis faciendae *titulo injustae acceptionis* est *quantitas damni illati*, scil. tantum debes restituere, quantum alter ex tua damnificatione *formaliter injusta* laesus est. Discrimen inter utramque obligationem est; ille, qui tenetur ad restitutionem tantum ex re aliena *bona fide* possessa, si res consumpta sit, perierit vel casu vel ex culpa, ita ut nec aequivalenter existat, aut is exinde factus non sit ditior, ultra ad nihil tenetur, ita ut cesset tota obligatio, nec teneatur ad fructus, nisi in se vel aequivalenter extantes, nec ad damnum connexum, nec lucrum cessans. Item possessor bonae fidei non tenetur ad restitutionem facta legitima praescriptione; e contra qui tenetur ad restitutionem ex injusta acceptione, tenetur tum ad rem, tum ad fructus perceptos, ad damna secuta, ad lucrum cessans, nec cessat obligatio, donec damnificatus restituatur plene in eum statum, in quo fuisset, si damnum hoc ei non fuisset illatum.

A restitutione honorum excusaris

Si capiat usu, eadem si sponte remittat
Debitor: aut illi sit compensatio facta:
Debita si ignores: aut illi reddere possis
Non sine jactura famaeque, animaeque, statusque:
Si juste quidquam lusu, vel sorte parasti.

A restitutione famae excusaris

Si fama obtenta est, et apertum oblivio crimen
Abstulit: aut rapta a laeso tibi fama vicissim est;
Si donet laesus, vel condonare putetur (al. videtur):
Reddere sique potens non sis, vel non sine damno
Majori: vel famam alia si laesus eamdem
Perdidit ipse via, nihil illi reddere debes.

775. 2. Observet Confessarius, quod damnificatio sine culpa theologica facta non trahat post se obligationem restitutionis ante sententiam judicis; eo quod talis damnificatio non sit voluntaria: supponitur enim facta sine advertentia ad laesionem juris alieni: ergo nec est injuriosa formaliter.

776. 3. Sciat Confessarius sententiam vere ac solide probabilem hac in materia, v. g. quod leges noxales, ut vocant, non imponant obligationem restitutionis ante sententiam judicis, uti si animal alicujus sine culpa theologica domini intulerit damnum alteri, item quod probabiliter illam non imponant leges de contractibus. Eodem modo si dubia sit obligatio, vel casus difficilior occurrat, non erubescat Confessarius dicere poenitenti, ut post breve tempus redeat, donec rem penitius examinaverit, vel ut ipse poenitens alium virum doctum adeat. Interim si poenitens se ostendat paratum ad satisfaciendum suae obligationi, absolvi potest.

4. Si certa sit obligatio restituendi, et potens restituere difficilem se ostendat, doceri debet, non dimitti peccatum, nisi restituatur ablatum: nec absolvendus est, donec plene velit restituere. Si opponat poenitens, quod sine jactura famae non possit restituere, ostendat modum, quo famae consulatur.

5. Qui in prioribus confessionibus monitus non restituit, ordinarie non est absolvendus, donec restituat: nec facile credat Confessarius poenitenti dicenti, quod non possit restituere, donec impotentiam efficaciter probet.

6. Sciat Confessarius causas excusantes a restitutione, de quibus in P. I. n. 782. et 785. egimus. Eadem observet Confessarius circa poenitentem obligatum ad restitutionem famae. Ubi vero poenitens ostenderit impotentiam resti-

tuendi, nihilominus exquirat Confessarius, an promptam habeat voluntatem restituendi, si posset; hac enim voluntate deficiente, deficit necessarium propositum.

777. XVII. Confessarius circa poenitentes variis tentationibus vexatos conetur agnoscere, unde oriantur tentationes, an a corrupta poenitentis natura, an a daemone, an a vitiis assuetis, et continuo erigat animos tentatos, docendo, quod Deus permittat tentationes in bonum nostrum, scil. ad majus virtutum incrementum, ad augenda merita, veram animi pacem consequendam, quam parit frequens victoria, et quae nos daemoni terribiles facit, et Deo fortius conjungit. Praeter media, quae suggessimus in P. I. ubi egimus de peccatis capitalibus, suadeat Confessarius 1. Ut orta tentatione poenitens statim animo ad Deum confugiat, ejusque misericordiam imploret: oratio enim tanquam certum remedium a Christo proponitur: *Et ne nos inducas in tentationem*: item *Orate, ut non intretis in tentationem.* Hinc orta tentatione tentatus se quasi vocari a Deo existimet ad probandam fidem ac fortitudinem; *Resistite fortes in fide:* Deum non tantum spectatorem, sed etiam adjutorem experietur. 2. Opus est magna in Deum fiducia: *Omnia enim possum in eo, qui me confortat*: Deus omnipotens *faciet potentiam in brachio suo.* Si daemon pusillanimem advertat, magis insultat: e contra si advertat, se suasque suggestiones negligi ac contemni, spiritus superbus fugiet; ideoque fiduciae in Deum 3. conjungatur humilitas, et certo aderit gratia vincens superbum: *Humilibus enim Deus dat gratiam, superbis autem resistit.* 4. Ex humilitate tentatus aperiat patri spirituali tentationem; Satan enim nihil magis odit, quam machinationes suas in lucem protrahi. 5. Juvat exercere virtutem oppositam vitio, ad quod vult impellere tentator: cavendum tamen, ne id perturbate, et cum nimia intentione virium fiat, alias vel tentatio augebitur, vel caput debilitabitur. Hinc 6. saepius praestat animum tantum convertere ad aliud objectum externum, vel ad honestam occupationem externam. Denique contemptus fortis maxime necessarius est ad supprimendas cogitationes blasphemas, lascivas, haereticas etc. Nec facile permittendum examen, quod novas plerumque excitat tentationes. Objiciat continuo hosti infernali tentatus: Nolo offendere Deum: et hoc quidem sine altercatione cum hoste, sed, ut dixi, cum humilitate et fiducia.

778. Quae pertinent ad Confessarium scrupulosi habes in P. I. a n. 124. et seq. Cum foemineo vero sexu caute agat Confessarius tum extra, tum in confessionali: caveat ne ullo verbo vel signo prodat quidquam, quod possit movere suspicionem conscientiae minus purae. Universim, quoties cum altero sexu agendum, in Confessario paterna quaedam et spiritualis gravitas eluceat.

Observanda post administrationem Sacram. Poenitentiae.

779. I. Post exceptas confessiones laborem suum offerat Deo hac vel simili oratione: *Suscipe, o mi Deus, hunc laborem et obsequium ex amore tui et proximi susceptum: gratias ago pro tuo adjutorio, et peto humillime remissionem defectuum a me commissorum: omnes et singulos, quos absolvi, tibi enixe commendo, ut in novitate vitae ambulent: cor mundum crea in iis, et spiritu principali illos confirma.*

780. II. Recte suasit s. Xaverius, ut Confessarius post exceptas confessiones expendat, quomodo, qua mansuetudine, qua patientia etc. munere suo sit functus: quomodo dubia graviora resolverit; si dubitet de data resolutione, consulat libros aut alios viros doctos ut de errore commisso in proxima confessione possit admonere poenitentem, et deinceps exactius fungi officio suo.

781. III. Si erraverit Confessarius judicando circa peccatorum gravitatem, numerum aut speciem, absolutio propterea non est invalida, juxta *Comm.*, quia tunc ex parte poenitentis nullus adest voluntarius defectus dispositionis, nec illud judicium erroneum in Confessario tollit potestatem, neque volunta-

tem absolvendi: ergo. *Si* poenitentem male instruxerit, in proxima confessione errorem tollat. Quid censendum sit, si confessarius erraverit circa obligationem restitutionis, dictum est P. I. n. 787. Si advertat absolutionem a se datam fuisse invalidam, per se loquendo, tenetur in proxima confessione monere poenitentem, quod facile fiet, si jubeat, ut de omnibus peccatis se denuo accuset et doleat. Extra confessionem non moneat, nisi prius a poenitente facultatem obtineat loquendi de confessione, siquidem id fieri possit sine gravi incommodo et scandalo. Si vero monere nulla ratione possit, Confessarius agat poenitentiam de suo peccato commisso ob malam administrationem Sacramenti, et poenitentem Deo commendet, ut per contritionem vel alias confessiones justificetur. Vide P. *Suar.* de poenit. d. 32. sect. 2.

Sectio III. *De Casibus reservatis.*

Norbertus Sacerdos e dioecesi Bambergensi veniens Herbipolim, Nicasio Religioso confitetur peccatum complicis. Nicasius statim monet, hunc casum esse reservatum in dioecesi Herbipolensi, se vero non habere facultatem absolvendi a reservatis. Reponit Norbertus non esse reservatum hoc peccatum in dioecesi Bambergensi: At reservatum est, subjungit Nicasius, ubi modo confiteris; imo a summo Pontifice Bened. XIV. reservatum esse satis constat: ac proinde Norbertum sine absolutione dimittit. Altera die Norbertus ultro redit ad Nicasium, petitque sibi ostendi reservationem Pontificiam, ac de reservatione casuum varias Nicasio movet quaestiones.

782. *Q.* I. An Nicasius recte negarit absolutionem. Si Norbertus complex complicem absolvit, non potuit absolvi a Nicasio: potuit autem, si complicem non absolverit.

783. *Q.* II. Quomodo fieri possit reservatio, et quotuplex illa sit. R. *Ad* 1. Reservatio spectata *quoad modum* reservandi alia fit *directe*, quando Superior reservans jurisdictionem Confessarii, quam restringit, habet sibi subjectam aut subordinatam; sic Episcopus habet sibi subiectam jurisdictionem Parochorum et Curatorum suae dioeceseos. Alia *indirecte* fit, quando Superior reservans jurisdictionem Confessarii non habet sibi subordinatam, eoquod hic non sit ejus subditus, eidem tamen subjicit subditum suum quoad aliqua tantum peccata, non quoad omnia, a quibus proinde talis Confessarius non potest absolvere, cum careat jurisdictione in poenitentem respectu istorum peccatorum, quae sibi reservavit Episcopus. *La Croix* L. 6. p. 2. n. 1603.

784. R. *Ad* 2. Reservatio *quoad finem* spectata alia est *poenalis*, quae fit ex motivo vindicandi delictum: alia *medicinalis*, quae fit ex motivo praeservandi a peccato. Addit *P. Holzmann* p. 2. tom. 2. n. 686. alia *mixta*, quae fit ex utroque motivo praedicto, ibidemque ait mentem, sive motivum reservantis colligendum esse ex verbis decreti reservationis. De facto videntur omnes reservationes esse mixtae: quia communiter fiunt ex utroque motivo.

785. R. 3. Reservatio *quoad causam efficientem* iterum alia est *Papalis*, quae fit a summo Pontifice pro tota Ecclesia; alia *Episcopalis*, quae fit ab Episcopo pro sua dioecesi: denique alia *Regularis*, quae fit a Superiore Regulari pro toto Ordine, vel suis immediate subditis Regularibus. Porro illi omnes et soli possunt aliqua peccata reservare, ut ait *Babenst.* tr. 8. p. 6. d. 6. a. 4. n. 4., qui habent potestatem aliis conferendi jurisdictionem ordinariam vel delegatam. Ibid. n. 8. affirmat cum *Lugo*, *Mezger*, *et Illsung* potestatem reservandi Parochorum non esse in usu, viderique per desuetudinem penitus abrogatam; praesertim si quaestio sit de Sacellanis et Cooperatoribus, utpote qui suam jurisdictionem modo non habent a Parochis, sed ab ipso Ordinario illos constituente.

786. *Q.* III. Quaenam peccata Praelati Regulares possint reservare. R. Ex Decreto *Clem. VIII.* anno 1593. 26. Maji edito: *Nemo ex Regularium Superioribus peccatorum absolutiones sibi reservet, exceptis* undecim, quae ibi enumerantur, videlicet.

1. *Veneficium, incantationes, sortilegia.* 2. *Apostasia a Religione, sive habitu dimisso sive retento, quando fit egressio extra septa monasterii.* 3. *Nocturna ac furtiva e monasterio seu conventu egressio, etiam non animo apostatandi facta.* 4. *Proprietas contra votum paupertatis, quae sit peccatum mortale.* 5. *Juramentum falsum in judicio regulari seu legitimo.* 6. *Procuratio abortus et auxilium seu consilium ad hunc faciendum post foetum animatum, etiam effectu non subsecuto.* 7. *Falsificatio manus seu sigilli officialium monasterii aut conventus.* 8. *Furtum de rebus monasterii in ea quantitate, quae sit peccatum mortale.* 9. *Lapsus carnis voluntarius opere consummatus.* 10. *Occisio, vulneratio, seu gravis percussio cujuscumque personae.* 11. *Malitiosum impedimentum aut retardatio vel apertio litterarum a Superioribus ad inferiores, vel ab inferioribus ad Superiores.*

In eodem Decreto paulo post subnectitur: *Si quod aliud praeterea peccatum grave pro Religionis conservatione, aut conscientiae puritate reservandum videtur, id non aliter fiet, quam Generalis Capituli in toto Ordine, aut Provincialis matura discussione et consensu.* Quinam de facto ex praedictis casibus sint reservati in singulis Religiosis Ordinibus, docent statuta cuique sacrae familiae propria.

Casus hic undecim ad hosce versiculos apte rediguntur.

Sortilegus, proprius, nocturnus, apostata, furtum,
Luxurians, laedens, falsarius, impediensque
Scribentem ad Patrem monachum, perjurus, abortus.

787. *Q.* IV. Quinam sint casus summo Pontifici reservati in corpore Juris. R. Secundum partes singulas Juris Canonici casus Papae de Jure communi reservatos sequentes collegit *Palao* de cens. d. 3. pun. 23. §. 2. et seq., queis annexa est excommunicatio.

788. I. *Ex Decreto Gratiani* c. 26. *Siquis suadente* XVII. q. 4. *Excommunicatur* excommunicatione soli summo Pontifici reservata, *injiciens manus violentas in Clericum*, eum occidendo, mutilando, vulnerando, graviter percutiendo, trudendo, detinendo, trahendo, vinculando aut vi aliquid eripiendo, talemque violentiam inferendo, cui resistere nequeat.

Addit *Palao* l. c. quod actio contra clericum debeat esse tam gravis et statui clericali tam injuriosa, ut seclusa excommunicatione arbitrio prudentis sufficiat ad peccatum mortale constituendum, uti colligitur ex verbis textus: *Suadente diabolo:* item ex c. *nemo* 11. q. 3. Hinc *excipe* 1. percussionem levem, quae non involvit circumstantias aggravantes, a qua Ordinarius absolvit. c. *pervenit* de sent. excommunic. *Excipe* 2. Clericos impuberes, qui se percutiunt. *Excipe* 3. Praelatos Ecclesiasticos et instructores, qui clericos suae curae commissos castigatione moderata puniunt ob modum percussionis. *Excipe* 4. ab hac censura illum, qui ex subita passione, animo non advertente, vel joci causa clericum percutit. 5. Illum, qui ignorat clericum esse, quem percutit. 6. Illum, qui ob justam sui defensionem clericum aggressorem detinet, vel percutit, quia haec non est violentia, sed defensio, ut constat ex c. *Si vero.*, c. *Ex tenore.*, c. *Super eo.* de sent. excomm. Denique *excipe* 7. Nisi clericus privilegium canonis amiserit per veram aut interpretativam bigamiam, per dimissionem habitus et tonsurae clericalis, per exercitium artis ignominiosae, mimi, ludionis, cauponis, lanionis, per degradationem realem, per associationem inter latrones etc.

789. Nomine *Clericorum* intelliguntur 1. constituti in sacris Ordinibus, etiam excommunicati, suspensi, aut verbaliter depositi. 2. Clerici constituti in Minoribus, etiam prima tonsura tantum initiati. 3. Monachi, Moniales et Novitii hoc canone gaudent c. *non dubium.*, c. *de Monialibus* 10. c. *Religioso.* de sent. excomm. Plura de hoc casu apud *Busemb.* L. 7. c. 2. a. 4.

Casus reservati in Decretalibus.

790. II. *Excommunicatus a Delegato Papae ob solutionem non praestitam*, si per annum culpabiliter maneat in hac excommunicatione; deinde a solo Papa absolvitur; c. *quaerenti.* 26. de off. et potest. jud. deleg.

791. III. *Advertentes se falsas habere litteras Apostolicas*, h. c. nomine curiae Apostolicae falso expeditas, et non destruens vel reservans eas intra 20. dies, si saecularis sit, excommunicatur, si clericus suspenditur, et a solo Papa absolvitur; c. *Dura.* de crim. falsi.

792. IV. *Confringentes et spoliantes violentia sacrilega Ecclesiam*, postquam Episcopus eos fecit denuntiari, sunt excommunicati et a solo Papa absolvuntur. c. *Conquesti.* 22. de sent. excomm. Juxta alios haec excommunicatio jam lata est in c. *Canonica.* 11. q. 3. Item in c. *Omnes Ecclesiae.* 17. q. 4.

793. V. *Incendiarii ab Episcopo speciatim denuntiati.* In c. *Tua nos* de sent. excomm. Ex hoc quidem cap. *Bonac.* t. 3. de cens. d. 2. q. 3. pun. 43. affirmat, quod incendiarii ipso jure excommunicati sint, quia ibi Pontifex illos aequiparat clericorum percussoribus. *Palao* vero l. c. pun. 24. n. 5. cum *Cajet.*, *Barbosa*, *Navar.* et aliis ait, veriorem esse sententiam, quod nullus incendiarius excommunicatione afficiatur ipso jure, sed posita Dioecesani sententia, ut ibi fuse probat ex c. *Si quis membrorum*: item ex c. *pessimam.* Ibid. n. 8. addit, quod contracta excommunicatione per sententiam judicis, ejus absolutio reservetur Pontifici.

794. VI. *Scienter communicantes cum nominatim excommunicato in eodem crimine, propter quod excommunicatus est*, ei consilium, auxilium vel favorem impendendo, absolvuntur tantum ab excommunicatore, scil. Papa vel Episcopo excommunicante. c. *nuper.* 29. de sent. excomm. Ibid. ex c. *significavit.* 18. clericus, qui scienter ac sponte participat excommunicato a Papa in divinis officiis, involvitur eadem excommunicationis sententia, et tantum absolvendus est a Papa.

Qualiter excommunicatio lata in cap. *Clerici* de Immunit. Ecclesiar. adversus imponentes, exigentesque tributum a personis ecclesiasticis, reducta sit ad terminos Conc. Later. in c. *Non minus.* et c. *Adversus.* eod. tit. bene explicat *Palao* de cens. d. 2. pun. 19.

Excommunicationes reservatae in L. 6. Decret.

795. VII. Praeter alias excommunicationes, quae recurrunt in Bulla Coenae excommunicatio fertur in cap. *Quicumque.* de sent. excomm. in 6. in eos, *qui ob censuram excomm. suspensionis vel interdicti dederint licentiam, vel datam usurpant personaliter vel realiter offendi eos, qui censuram tulerunt*, si in ea contumacia spatio duorum mensium perseveraverint. Vide *Bonac.* de cens. d. 2. q. 3. pun. 15. n. 3. et 5.

796. VIII. Absoluti a censura in articulo mortis, *vel alio casu necessitatis ab eo, qui alias non potest absolvere, si postea cessante impedimento se non praesentent ei, a quo absolvi debebant, reincidunt in excommunicationem ferenti Episcopo vel Papae reservatam:* uti et ii, qui a Papa vel ejus Legato ea conditione absolvuntur, ut se suo Ordinario postmodum sistant, et hoc facere negligunt. c. *Eos qui* de sent. excomm. in 6.

In Clementinis.

797. IX. In Clement. 1. §. *Verum* de haereticis, cum reservatione excommunicantur Inquisitores Episcopo inferiores, eorumque vices gerentes si in officio suo ita deliquerint contra justitiam et conscientiam, ut spe lucri non procedant adversus haereticum, vel de haeresi suspectum, eo casu, quo procedere tenebantur, vel ex odio alicui falso haeresim imponant etc. Vide *Palao* l. c. pun. 26., *Bonac.*, *August.*, *Barbosa.*

798. X. In Clement. *Religiosi* de privilegiis, excommunicantur excommunicatione soli Papae reservata Religiosi administrantes moribundis Sacramenta Eucharistiae, vel extremae unctionis, matrimonia solemnizantes et benedicentes contra jura parochialia, et non habita super his speciali licentia Parochi. Item absolventes sine licentia ab excommunicationibus reservatis. Denique concedentes plenariam peccatorum remissionem sive indulgentiam sine facultate Sedis Apostolicae.

799. XI. In Clement. 1. *Si quis suadente*, de poenis, excommunicantur cum reservatione percutientes Episcopum, capientes et bannientes, vel hoc mandantes, ratificantes, socii, consiliarii, fautores, defensatores; ibid. aliae adhuc poenae his delinquentibus adduntur.

800. XII. Clerici Saeculares et Religiosi inducentes aliquem ad ineundum pactum, votum vel juramentum de sepultura in sua Ecclesia eligenda, vel jam electa ulterius non mutanda. Clement. *Cupientes.* §. *Sane.* de poenis. Monet *Palao* l. c. n. 21. et 22. Parochos non astringi hac excommunicatione, utpote quae in eorum favorem lata est, neque eos Religiosos, qui simpliciter, non vero per juramentum, votum aut promissionem ad illam electionem inducunt.

801. XIII. Domini temporales, qui cogunt Sacerdotes celebrare tempore interdicti, et qui evocant ad Missam interdictos et excommunicatos, et qui prohibent tales post monitionem abire ex Sacro. Item excommunicati et interdicti, qui nominatim a celebrantibus moniti, remanere praesumpserint. Clement. *Gravis*, de sent. excomm.

In Extravagantibus.

802. XIV. In Extrav. *Detestandae*, de sepult. excommunicantur excommunicatione Pontifici reservata exenterantes, et frustatim decoquentes corpora defunctorum, ut separatis carnibus ossa conservari, vel sepulturae causa alio deferri possint. Juxta *Cajet.* V. excomm. c. 70., *Bonac.*, *Palao* l. c. pun. 27. n. 4. haec excommunicatio tantum comprehendit illos, qui has actiones praestarent, ut corpus mortuum alibi tumulandum deferant, non vero qui ex alio motivo, v. g. causa anathomiae, vel ex odio aut vindicta, aut propter superstitiosos usus id faciunt.

803. XV. In Extrav. *Grave nimis*, de Reliquiis et Vener. SS. Damnantes peccati vel haereseos alterutram sententiam affirmativam vel negativam de immaculata Conceptione B. V. et speciatim asserentes, peccare mortaliter eos, qui immaculatam Conceptionem credunt, ejusdem officium celebrant, sermonem de ea audiunt, vel libros ejusmodi tenent.

804. XVI. In Extrav. *Sane*, de simonia. Dantes vel recipientes aliquid ob ingressum religionis per modum pacti vel conventionis. Notat hic *Palao* 1. quod huic excommunicationi locus non sit, si aliquid gratis, et sponte offeratur, aut accipiatur sine ullo pacto directo vel indirecto; item si pecuniam tribuas non ut in religionem recipiaris, aut professio tibi concedatur, sed in tui, aliorumque sustentationem, quia sic non fit commutatio rei temporalis pro spirituali, sed pro sustentatione temporali. 2. Quod hic intelligatur ingressus perfectus, qualis est professio, seu votorum emissio, non autem su-

sceptio habitus, seu Novitiatus. 3. Quod *Clemens VII.* ut monialium scrupulos sedaret, conventiones permiserit de dote tradenda, et recipienda pro congrua sustentatione.

805. XVII. In Extrav. 2. *Cum detestabile*, de simonia. Committentes *Simoniam realem*, h. e. dantes, recipientes, procurantes, mediantes aliquid dari pro susceptione, aut collatione ordinum, aut pro conferendo beneficio vel officio ecclesiastico.

806. XVIII. In Extrav. *Excommunicavimus*, de sent. excomm. Dantes vel recipientes, aut promittentes aliquid pro justitia vel gratia in curia Romana obtinenda; item non denuntiantes ejusmodi nundinatores justitiae, imo et utentes tali gratia aut justitia.

807. *Adverte* I. Absque dubio praeter dictas adhuc plures reservationes continentur in corpore juris, ut videre est in cap. *Fundamenta.*, de Elect. in 6. Item Extrav. 1. *Viam ambitiosae*, de Regul. ubi *Martinus V.* ut prospiceret conservationi Ordinum mendicantium, excommunicat ipso facto quoslibet Religiosos Ordinum mendicantium, qui sine speciali licentia Sedis Apostolicae convolant ad alios Monasticos Ordines (Ordine Carthusiensium tantum excepto) et ipsos Religiosos recipientes eidem excommunicationi subjicit. Item in Extrav. *Ad nostram* de Regular. excommunicantur Religiosi cujuscumque Ordinis, qui ad partes ultramarinas, ubi pauci fideles versantur, se conferunt absque expressa suorum Superiorum licentia sibi per ipsius litteras patentes concessa. Item ipsi Superiores licentiam ejusmodi concedentes aliis sui Ordinis fratribus, quam viris litteratis, providis et expertis. Quia vero hae et similes aliae non sunt universales, aliae vero dubiae, ideo sufficiat supradictas magis communes nosse.

808. *Q.* V. Quinam sint casus Bullae Coenae. Ante R. *adverte.* Bulla Coenae, quae incipit *Pastoralis Romani Pontificis vigilantia*, est Decretum quod Papa singulis annis die Coenae Domini, sive Jovis Sancto renovat. In ea cum excommunicatione latae sententiae soli summo Pontifici reservati casus sunt sequentes, quorum explanationem in extenso tradit *Palao* de cens. d. 3. a puncto 2. usque ad 22.

In §. I. Excommunicantur omnes *haeretici*, *eorumque credentes*, h. e. qui eorum erroribus assentiuntur signo aliquo externo et manifesto. *Eorum receptatores*, h. e. qui animo occultandi haereticum recipiunt, ne a judicibus capiatur, neve haereticorum poenas luat: item *eorum*, quatenus haeretici sunt *defensores aut fautores.* Item *Schismatici*, qui se a Romani Pontificis obedientia pertinaciter subtrahunt vel recedunt. Denique ii, qui sine speciali facultate sciuter legunt, retinent, imprimunt aut defendunt libros haereticorum de Religione tractantes, vel haeresim continentes.

In §. II. Appellantes ab ordinationibus seu mandatis summi Pontificis ad universale futurum Concilium, nec non ii quorum auxilio, consilio vel favore appellatum fuerit.

In §. III. Piratae discurrentes mare Ditionibus Pontificis subjectum, praecipue a Monte Argentario usque ad Terracinam, ac omnes eorum fautores, receptores, defensores.

In §. IV. Surripientes naufragorum Christianorum cujuscumque generis bona sive in ipsis navibus, sive ex eisdem ejecta in mari, vel in littore inventa. Hic intelligitur, ut ait *Palao* l. c. pun. 5., surreptio peccaminosa quae fit animo retinendi illa bona.

In §. V. Imponentes vel augentes nova pedagia, seu gabellas, praeterquam in casibus sibi a Jure, seu ex speciali Sedis Apostolicae licentia permissis; item exigentes proibita imponi, vel augeri.

In §. VI. Falsificantes litteras Apostolicas, nec non falso fabricantes eas et etiam falso signantes sub nomine Rom. Pontificis, seu Vice-Cancellarii, aut gerentium vices praedictorum.

I §. VII. Deferentes arma, aut alia usui bellico idonea ad Turcas, et alios Christiani nominis inimicos, vel ad haereticos per sanctae Sedis sententiam expresse et nominatim declaratos. Item annunciantes vel per se vel per alios iisdem in damnum Catholicae Religionis, quae statum Christianae reipublicae concernunt.

In §. VIII. Impedientes seu invadentes eos, qui victualia seu alia ad usum Rom. Curiae necessaria adducunt.

In §. IX. Violentas manus injicientes per se vel per alios in eos, qui ad Sedem Apostolicam veniunt, et ab ea recedunt. Item qui sine jurisdictione ordinaria aut delegata similia perpetrare audent contra morantes in eadem Curia.

In §. X. Violentas manus injicientes in Romipetas sive peregrinos ad Urbem devotionis seu peregrinationis causa accedentes, et in ea morantes, vel ab ea recedentes. Item in hoc dantes auxilium, consilium vel favorem.

In §. XI. Violentas manus injicientes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicae Legatos vel Nuntios, aut eos a suis Dioecesibus, Territoriis, Terris seu Dominiis ejicientes; nec non ea mandantes, vel rata habentes, seu praestantes in eis auxilium, consilium vel favorem.

In §. XII. Occidentes vel per se, vel per alios, seu quoquomodo percutientes, bonis spoliantes eos, qui pro negotiis suis ad Romanam Curiam recurrunt, ut eorumdem Advocatos, Procuratores, Agentes, Auditores vel Judices super dictis negotiis deputatos. Item praestantes ad hoc favorem, auxilium, vel consilium.

In §. XIII. Appellantes a gravamine, vel futura executione litterarum Apostolicarum ad laicam potestatem: facientes appellationem talem una cum actorum extraditione admitti: impedientes mandata Apostolica executioni tradi, aut a tabellionibus instrumenta confici, et confecta parti litiganti tradi: injicientes violentas manus in actores, et litterarum Apostolicarum executores; prohibentes, ne quis recursum habeat ad sanctam Sedem, gratias impetret, vel impetratis utatur; aut supprimentes ejusmodi litteras apud se, vel alios retinendo.

In §. XIV. Avocantes causas spirituales, vel spiritualibus annexas a judiciis ecclesiasticis (intellige Romanis), impedientes eos, qui ibi causas suas prosequi volunt; compellentes partes, quae agunt ut litteras suas a dictis judiciis ecclesiasticis revocent et consentiant, reos sive actionatos a censuris et poenis inflictis absolvi; impedientes litterarum Apostolicarum executionem, et omnes ad hoc quoquo modo favorem praestantes.

In §. XV. Trahentes vel trahi facientes, aut procurantes personas ecclesiasticas ad tribunalia saecularia; nec non condentes statuta vel decreta in praejudicium libertatis Ecclesiasticae, seu praejudicantia juribus alicujus Ecclesiae.

In §. XVI. Impedientes Praelatos et Judices Ecclesiasticos in sua jurisdictione Ecclesiastica, eludentes eorum judicia, et recurrentes ad Curias saeculares; procurantes decerni vel exequi, ac decernentes vel exequentes mandata poenalia dictis juribus ecclesiasticis derogantia; omnes denique ad hoc favorem praestantes.

In §. XVII. Usurpantes jurisdictiones, fructus, redditus et proventus ad Sedem Apostolicam, et quascumque ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarum, monasteriorum, et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum pertinentes, vel ea sequestrantes.

In §. XVIII. Imponentes decimas, et alia onera Clericis, Praelatis, et aliis personis ecclesiasticis, ac eorum, et Ecclesiarum, monasteriorum, et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum bonis, aut eorum fructibus; exigentes aut recipientes etiam a sponte dantibus hujusmodi injustas praestantias; cooperantes et quoquo modo favorem ad hoc exhibentes.

In §. XIX. Saeculares capientes vel bannientes Clericos, vel processantes,

aut sententiam ferentes, aut exequentes contra personas ecclesiasticas in causis criminalibus vel capitalibus sine Sedis Apostolicae licentia.

In §. XX. Omnes illi, qui per se seu alios directe vel indirecte sub quocumque titulo praesumpserint invadere, destruere, occupare, ac detinere in totum, vel in partem terras et loca vel jura ad ipsam Romanam Ecclesiam pertinentia, eique mediate vel immediate subjecta, et illius jurisdictionem usurpantes.

In §. XXI. Absolutio a praedictis casibus reservatur soli summo Pontifici, exclusis omnibus variorum ordinum privilegiis.

In §. XXII. Ita habetur: *Quod si forte aliqui contra tenorem praesentium talibus excommunicatione, et anathemate laqueatis, vel eorum alicui absolutionis beneficium impendere de facto praesumpserint, eos excommunicationis sententia innodamus.*

Hic notat *Palao* l. c. pun. 22. n. 5. cum *Navar.*, *Suar.*, *Bonac.* et aliis, quod haec postrema excommunicatio, etsi olim reservata fuerit, teste *Cajetano*, nullam tamen contineat reservationem, eo quod statuta sit post reservationem praecedente clausula, ideoque non extendatur ad subsequentia. Ibid. addit cum *Bonac.* quod, si quis existens in Italia extra Urbem absolvat ab his censuris *ex praetextu privilegiorum*, quod, inquam, talis incurrat excommunicationem reservatam ex decreto *Clement. VIII.* et ex declar. Cardin. edito anno 1601. 9. Januarii; si vero non ex praetextu privil. sed vel ex malitia vel ignorantia, aut in Urbe, vel extra Italiam, ab excommunicationibus praedictis absolvat, quod tunc non contineatur sub reservatione Clementina.

Memoriae juvandae causa hi casus versibus sequentibus contrahuntur.

Haeretici, a Papa appellans, cum fure pirata,
Augens vectigal, vel Breve falsificans.
Hostibus arma ferens, victum qui se amovet Urbe,
Quos Papa, aut pietas, aut sua causa ciat.
Praesulibus gravis, ad laicum spectantia sacrum,
Praelati, Ecclesiaeque usurpans jura, onus, et qui
His statuit, capitis noscit eosque reos.
Sedis Apostolicae terras quique occupet atrox,
Hos omnes Domini Coenae anathema ligat.

399. *Q.* VI. Quinam sint casus summo Pontifici reservati in Bullario. *R.* In Bullario Laertii Cherubini excommunicatione summo Pontifici reservata innodati sunt sequentes:

I. *Committentes simoniam confidentialem*, quae ex una parte statim impletur, ex altera vero impletio in tempus futurum differtur eo pacto expresso vel tacito ac confidentia, quod impletio infallibiliter sit secutura: haec fit duobus modis, scil. per *accessum* vel *regressum*. Vide P. I. n. 481. 492. et 508. Pactum expressum, quo committitur simonia confidentialis per *accessum* hoc aut simili modo fit: *Ego tibi confero, vel procuro hoc beneficium cum pacto, ut mihi, vel fratri meo, aut NN. idem ex debito justitiae suo tempore resignes.* Tacitum vero: *Si mihi beneficium contuleris, promitto, quod idem beneficium post decennalem fruitionem tibi ex mera gratitudine velim resignare*: vel; *Ego te ad hoc beneficium praesentabo, si meo fratri annuatim decimam partem fructuum, vel pensionem tot florenorum, non veluti pretium, sed velut motivum recompensationis, et gratitudinis reciproce soluturus sis.*

Simonia confidentialis per *regressum* committitur hoc vel simili pacto expresso, v. g. *Resigno tibi beneficium, si ex debito justitiae idem post adeptum aliud mihi resignare velis.* Tacito, v. g. *Cedo tibi hoc beneficium, si*

fratri meo ex motivo gratitudinis annuam ex eo pensionem pecuniariam velis persolvere. Vide Bullam *Pii V.* quae incipit: *Intolerabilis.* 6. Aug. 1579. de qua late agit *Palao* tr. 17. d. ult. de simonia p. 18. et 25.

810. II. Excommunicantur excommunicatione soli Papae reservata *foeminae ingredientes monasteria Monachorum, sive Regularium* sine praehabita Episcopi vel Superioris actuali licentia, solum sub praetextu facultatis habitualis. *Pius V.* in Bulla: *Personarum Regularium.* 22. Octobris 1566.

811. *Viri vel foeminae intrantes monasteria Monialium sub praetextu privilegii habitualis sine licentia actuali Episcopi vel Superioris.* Item admittentes tales personas externas sine dicta licentia actuali. *Greg. XIII.* in Bulla: *Ubi gratia.* 23. Decem. 1582.

812. IV. Idem *Greg. XIII.* in Bulla edita 14. Junii anno 1584. quae incipit: *Ascendente Domino*, praecipit in virtute sanctae obedientiae ac sub poenis excommunicationis latae sententiae, nec non inhabilitatis ad quaevis officia, et beneficia saecularia, et quorumvis Ordinum regularia, eo ipso absque alia declaratione incurrendis (quarum absolutionem sibi et successoribus ibid. reservat) ne quis, cujuscumque status, gradus et praeeminentiae existat, Societatis Jesu institutum, Constitutiones, aut istam Bullam, vel aliquem hujus Bullae articulum directe vel indirecte impugnare, vel eis contradicere audeat.

Huc pertinent excommunicationes latae a *Bonifacio IX.*, *Eugenio IV.*, et *Paulo IV.* in favorem Ordinis RR. PP. Praedicatorum et Franciscanorum, de quibus vide *Bonac.* t. 3. de cens. d. 2. q. 3. p. 44., *Salonium*, *Filliuc.* *Gambarupta* et alios.

813. V. De procurantibus abortum jam dictum est P. I. n. 670. et plura dicentur infra de casibus in variis dioeces. reservatis.

814. VI. Pugnantes in duello, vi Bullae *Greg. XIV. Detestabilis duellorum usus*, et aliarum Bullarum, quas citavimus P. I. n. 660. et infra n. 1430.

815. VII. Extrahentes eos, qui asyli causa fugiunt ad Ecclesiam, vi Bullae *Greg. XIV. Cum alias nonnulli:* exceptis iis, qui asylo non gaudent, quales sunt publici latrones, aliique, quos ab asylo exclusit *Bened. XIII.* in Constit. *Ex quo divini*, edita anno 1715.

816. VIII. Docentes, defendentes, aut in praxim deducentes, licere per litteras vel internuntium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, et ab eodem ita absolutionem obtinere, vi Bullae *Clementis VIII.*, de qua supra egimus.

817. IX. Docentes, edentes, defendentes, privatim vel publice disputantes, nisi impugnando, propositiones ab *Alex. VII.*, *Innoc. XI.*, et *Alex. VIII.* damnatas, quas I. Pars nostrae Theologiae statim in fronte offert. Item defendentes etc. propositiones 68. Michaelis de Molinos, quas vide apud *La Croix* ab initio Tomuli I.

818. X. Huc pertinet Constit. *Bened. XIV.* edita 31. Junii anno 1741. quae incipit: *Quanta cura*, de stipendio Missae, quam citatam n. 433. retulimus.

819. XI. Ab eodem *Bened. XIV.* in Const. quae incipit: *Sacramentum poenitentiae*, edita anno 1741. 1. Junii, ubi in §. 3., Sedi Apostolicae reservatur absolutio ab eo casu, quo quis vel odio, vel ira, vel alia indigna causa commotus, vel aliorum impiis suasionibus aut promissis, aut blanditiis, aut minis, aut alio quovis modo incitatus innoxium Sacerdotem apud Ecclesiasticos Judices falso *sollicitationis insimulat* vel per se, vel sceleste procurando, ut ab aliis id fiat: ita ut ejusmodi falsus delator a nullo Sacerdote quovis privilegio, auctoritate et dignitate munito, excepto mortis articulo, possit absolvi.

820. XII. Ibid. in §. 4. sequens reservatio habetur: *Omnibus et singulis Sacerdotibus tam Saecularibus, quam Regularibus cujuscumque ordinis ac dignitatis, tametsi alioquin ad confessiones excipiendas approbatis, et*

quovis privilegio ac indulto, etiam speciali expressione, et specialissima nota, et mentione digna suffultis, auctoritate Apostolica, et nostrae potestatis plenitudine interdicimus et prohibemus, ne aliquis eorum extra casum extremae necessitatis nimirum in ipsius mortis articulo, et deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confessarii munus obire possit, confessionem sacramentalem personae complicis in peccato turpi atque inhonesto contra sextum Decalogi praeceptum *commisso excipere audet, sublata propterea illi ipso jure quacumque auctoritate et jurisdictione ad qualemcumque personam ab hujusmodi culpa absolvendam: adeo quidem ut absolutio, siquam impertierit, nulla atque irrita omnino sit, tanquam impertita a Sacerdote, qui jurisdictione ac facultate ad valide absolvendum necessaria privatus existit; quam ei per praesentes has nostras adimere intendimus. Et nihilominus, si quis Confessarius secus facere ausus fuerit, majoris quoque excommunicationis poenam, a qua absolvendi potestatem Nobis solis, nostrisque successoribus dumtaxat reservamus, ipso facto incurrat.* Ibidem §. 5. *Declarantes etiam et decernentes quod nec etium in vim cujuscumque Jubilaei, aut etiam Bullae, quae appellatur cruciatae sanctae, aut alterius cujuslibet indulti, confessionem dicti complicis hujusmodi quisquam valeat excipere, eique sacramentalem absolutionem elargiri.* Ideo ad effectum hujus constitutionis idem *Bened. XIV.* in Bulla Jubilaei nuperrimi: *Benedictus Deus*, expresse provocavit ad hanc suam constitutionem in §. *Non intendimus.* Ideo hodie non potest praetendi ignorantia factae prohibitionis, vi cujus nullus complex Sacerdos, quocumque etiam gaudeat privilegio, potest valide absolvere suam complicem.

Denique hoc etiam pertinet excommunicatio lata a *Pio V.* in Bulla *Romanus Pontifex*, in Superiores non denunciantes suos religiosos, qui sunt suspecti de haeresi, Inquisitoribus, vel Ordinariis locorum. Item *Pii V.* in Bulla, *Decori*, in Moniales exeuntes de clausura absque licentia. Plura vide apud *Leonard.* de sacr. poenit. q. 14.

821. *Q.* VII. Quaenam sint peccata Episcopis reservata. R. Non sunt eadem in singulis dioecesibus, sed alia in aliis, quorum notitiam Confessarius haurire debet vel ex statutis Episcopalibus, vel ex Rituali dioeceseos, ubi intendit excipere confessiones. In commodum Confessariorum casus hic et in vicinis dioecesibus reservatos subnectere placuit. Plures reperire licet apud *P. Leonardelli* et *La Croix* L. 6. p. 2. a n. 1636.

822. I. *In Dioecesi Argentinensi casus Episcopo reservati sunt* 1. Blasphemia publica in Deum, B. Virginem Mariam, aliosve Sanctos cum attentione, et ex impietatis animo prolata:

Notandum hic additur 1. *Peccatum blasphemiae committi posse tam scripto, quam voce.* 2. *Hac in reservatione non comprehendi juramenta seu Sacramenta per Deum, Dei vitam, mortem et similia, quae ex consuetudine pessima certe et abolenda, inter loquendum saepissime proferuntur, nisi qui ea profert, intentionem expressam habeat Deo maledicendi et renunciandi, quod dijudicandum Confessariis relinquimus: eos autem adhortamur, ut omni studio in id incumbant, quo a nefandis illis loquendi modis Christiani deterreantur.*

2. Profanatio, aut impius usus specierum Ss. Eucharistiae, vel etiam chrismatis, aut alterius olei sancti, catechumenorum scilicet, et infirmorum. 3. Divinatio, sortilegium, incantatio, atque omne magicum exercitium. 4. Violenta et atrox percussio in Ecclesia, aut in alio loco sacro vel benedicto. Item furtum rei sacrae, atque etiam non sacrae depositae in loco sacro vel benedicto. Item fornicatio, adulterium, et alia graviora crimina contra sextum praeceptum in Ecclesia, aliove loco sacro, aut benedicto commissa. 5. Simonia et confidentia occulta, tam quoad committentes, quam quoad mediatores. 6. Sacrilegium cum moniali; item sacrilegium Parochi aut Vicarii cum

sua parochiana, et Confessarii cum poenitente, et vice versa. 7. Raptus virginum, vel mulierum honeste viventium: quo casu non raptor solus, sed et qui auxilium et consilium praebent, comprehenduntur. 8. Incestus in primo ac secundo gradu consanguinitatis vel affinitatis: item stuprum violentum et lenocinium. 9. Detestabilia bestialitatis aut sodomiae crimina. 10. Homicidium voluntarium. 11. Duellum, quo nomine intelliguntur omnes certantes in duello, qui ad illud provocant scienter, aut cooperantur. 12. In vitam conjugis insidiosa machinatio, licet mors non sequatur. 13. Procuratio abortus; sive foetus sit animatus, sive non, opere, consilio, vel auxilio, etiamsi abortus non sequatur. Item sumptio remediorum eo fine, ut procuretur sterilitas. 14. Oppressio parvulorum ex proposito, vel ex gravi negligentia. 15. Percussio patris vel matris, vel aliorum ascendentium. 16. Perjurium factum in judicio sive ecclesiastico, sive laico. 17. Peccatum falsariorum tam monetae, quam litterarum publicarum ecclesiasticarum: falsificatio autem Bullarum seu litterarum Apostolicarum, cum notorie denunciata est, reservatur summo Pontifici. *Ita ex monitis ad Confessarios Dioec. Argent. annexis approbationi ibid. impressae, quae datur Confessariis praedictae Dioec.* Ibidem adduntur censurae reservatae Episcopo Argentin. et generalia quaedam observanda circa absolutionem a reservatis.

823. II. *In Bambergensi.* 1. Enormis offensa parentum. 2. Notorius concubinatus. 3. Percussio clerici. 4. Ingressus in monasteria monialium. *Offensa parentum a moderno Celsissimo Bambergensi restricta est per Decretum:* Auxiliante Domino, *ad solam realem parentibus veris sive naturalibus tantum, sive legitimis simul, non vitricis aut novercis illatam.*

824. III. *In Basileensi, casus respectu omnium poenitentium reservati, sive occulti, sive manifesti sunt* 1. Homicidium voluntarium. 2. Haeresis et Apostasia. 3. Peccatum quodlibet habens annexam excommunicationem majorem, vel aliam censuram aut irregularitatem; quo spectat percussio clerici. *Ibidem alii de jure antiquo, vel consuetudine reservati sunt adhuc sequentes, si sint manifesti.* 1. Incendium. 2. Sacrilegium grave in locum sacrum, vel res sacras, ut violatio templi, aut immunitatis ecclesiasticae. 3. Blasphemia. 4. Perjurium. 5. Sortilegium, maleficium, incantatio. 6. Violatio voti speciatim castitatis per fornicationem, vel adulterium, vel contractum matrimonium. 7. Peccatum contra naturam, ut sodomia, bestialitas cum bruto vel daemone. 8. Incestus cum consanguineis, praesertim personis Religiosis. 9. Stuprum. 10. Adulterium, seu utraque persona, seu alterutra sit conjugata. 11. Procuratio sterilitatis aut abortus. 12. Procuratio toxici vel veneni, etiam homicidio nondum secuto. 13. Percussio parentum. 14. Oppressio infantum in lecto. 15. Neglectus parentum circa liberos. 16. Falsificatio litterarum Episcopalium vel Curiae Episcopalis.

Ibidem casus speciales Ecclesiasticorum reservati sunt 1. Celebrare missam coram excommunicato, vel in Ecclesia interdicta, vel in altari non consecrato, vel sine indumentis sacris scienter et sponte. 2. Promotum esse ad sacros ordines per saltum, vel ante requisitam pro quovis ordine aetatem, vel ab alieno Episcopo, vel extra tempora. 3. Sepelire excommunicatum vel interdictum in loco sacro. 4. Violare seu frangere sigillum confessionis sacramentalis. 5. Fornicari cum filia confessionis vel baptismi. 6. Notabilis neglectus circa Sacramenta, praesertim Ss. Eucharistiae cum irreverentia mortali.

825. IV. *In Fuldensi.* 1. Homicidium voluntarium etiam occultum. 2. Oppressio prolis cum negligentia parentum. 3. Procuratio abortus, aut sterilitatis. 4. Injectio manuum in parentes. 5. Perjurium et falsum testimonium in judiciis cum damno tertii. 6. Incantatio et maleficium. 7. Incestus intra primum et secundum gradum consaguinitatis inclusive. 8. Copulatio vagabundorum sine licentia ab Ordinario obtenta. 9. Abominatio cum bestiis.

826. V. *In Metensi.* 1. Haeretici, schismatici, fautores haereticorum, qui ipsorum concionibus aut caeremoniis probandi aut favendi causa interfuerunt. 2. Si quis sacrilegium commiserit, h. e. furtum rei sacrae in quovis loco, vel furtum rei profanae in loco sacro. 3. Si quis incantationem, sortilegium, magiam, divinationem exercuerit, hisque utentes consuluerit, sacris sive benedictis rebus abusus ad haec impie fuerit, maleficium maleficio solverit. 4. Simonia, sive confidentia etiam occulta, jam quoad committentes, quam ejus mediatores, si publicae sint, summo Pontifici reservantur. 5. Enormis et publica in Deum, Virginem Deiparam, vel in Sanctos blasphemia. 6. Homicidium voluntarium etiam ab ebrio vel irato perpetratum. 7. Duellum, h. e. si quis in duello pugnaverit, aut pugnantis patronus fuerit, qui ad illud inde secutum provocaverit voluntarie quasi comes fuerit. 8. Percussio clerici, patris vel matris, avi vel aviae. 9. Si quis sterilitatem vel abortum procuraverit, etiam ante foetum animatum, aut, ut contingeret, quovis modo consilium, consensumque petierit: *Homicidii enim festinatio*, inquit *Tertull.* Apolog. c. 9., *est prohibere nasci; nec refert, natum quis eripiat, aut nascentem disturbet.* 10. Si quis prolem oppresserit, sive suffocaverit, aut perire permiserit. 11. Si quis adulterium commiserit, quod judicio probatum fuerit, aut nulla tergiversatione in tota vicinia probari possit. 12. Si quis cum uxore, aut etiam rejecta uxore publicam concubinam fovet. 13. Si quis incestum intra secundum consanguinitatis vel affinitatis gradum commiserit. 14. Si quis sodomiticum peccatum vel bestialitatem commiserit. 15. Concubitus Confessarii cum poenitente, et poenitentis cum Confessario. *Sacerdoti, quocum illud crimen, aut aliud quodlibet tactu aliquo impudico admissum est, adimitur omnimoda facultas audiendi unquam confessionem illius, quocum, vel cum qua crimen admisit, etiam tempore Jubilaei.* 16. Fornicatio, et ea, quae sunt graviora carnis peccata, a Clericis, qui sunt sacris ordinibus initiati, nec non a personis quibuslibet solemni Religionis voto adstrictis, et cum ipsis commissa. 17. Raptus aut violatio virginum aut mulierum honeste viventium. 18. Matrimonium clandestinum, illud scil. quod contrahitur absque benedictione sacerdotali, testibus et aliis solemnitatibus requisitis. 19. Usura publica, quae vel in judicio publico probata, aut in confesso est apud reum coram judice, aut nulla tergiversatione in tota vicinia celari potest. 20. Peccatum ebrietatis commissum a Clericis, qui sunt sacro Ordine initiati, vel in beneficio ecclesiastico constituti, necnon a Religiosis etiam conversis. 21. Frequentatio cauponae. *Frequentatio dicitur, dum viri plebeji bis aut ter in mense cauponam sine necessitate adeunt praesertim diebus dominicis et festis; et talis esse debet, ut peccatum mortale committatur, v. g. dum qui bibit aut manducat plus, quam decet, aut ea insumit, quae ad familiae sustentationem sunt necessaria, aut turpia loquitur, cantat, agit, aut commoratur in popina cum scandalo, aut si est occasio jurgii inter virum et mulierem, aut parentes, aut est causa aut occasio aliqua, cur alii in haec peccata incidant, etiamsi ea ipse devitet, aut est in popina, dum celebratur officium divinum.* 22. Falsum testimonium sacramento roboratum coram judice legitimo.

827. VI. *In Archi-Dioec. Moguntina.* 1. Homicidium voluntarium. 2. Stuprum violentum. 3. Crimen incendiariorum. Adempta est quoque Confessariis potestas absolvendi complicem in peccato luxuriae.

828. *In Spirensi.* 1. Homicidium voluntarium. 2. Stuprum violentum. 3. Fornicatio Clerici in majoribus constituti. 4. Crimen incendiariorum. 5. Excisio notabilis segetis, arborum frugiferarum, vitium et vinearum ex odio tertii vel communitatis. 6. Depulsio foetus ex utero, sive animati, sive inanimati. 7. Realis offensa parentum, quae fit per violentam manus injectionem, tunsionem vel verberationem.

VIII. *In Archi-Dioec. Trevirensi.* 1. Enormis blasphemia in Deum, vel Sanctos in loco publico. 2. Abusus sacrae hostiae, chrismatis, olei sacri, vel cujusvis rei sacrae ad sortilegium, divinationem, incantationem, aliosve usus magicos. 3. Perjurium Clericorum attractis sanctis Evangeliis in judicio. 4. Crimen incendiarii, excisio notabilis segetis, arborum fructiferarum, vitium, vinearum ex odio tertii, vel communitatis. 5. Crimen falsariorum tam monetae, quam litterarum seu instrumentorum publicorum. 6. Sodomia, bestialitas, congressus carnalis cum daemone. 7. Commixtio Sacerdotis cum filia spirituali. 8. Homicidium voluntarium, quamvis occultum, et exhortatio, ex qua commissum est homicidium. 9. Depulsio foetus sive animati, sive inanimati. 10. Percussio enormis parentum. 11. Matrimonium, a sciente conjugem suam vel alterius contrahentis adhuc vivere, contractum.

829. IX. *In Wirceburgensi.* 1. Injectio manuum violenta in parentes. 2. Homicidium voluntarium, et mandatum ad illud, nec non abortus foetus animati studiose procuratus effectu subsecuto. 3. Stuprum violentum. 4. Crimen incendiariorum. 5. Adimitur jurisdictio Confessario complici (quamvis alias potestatem habeat absolvendi a reservatis) ut complicem criminis carnalis opere consummati absolvere nequeat, excepto periculo mortis, et quando tunc alius Confessarius haberi non potest.

830. X. *In Wormatiensi.* 1. Enormis blasphemia in deum vel Sanctos in loco publico cum intentione et advertentia prolata. 2. Crimen incendiarii, etiam nondum publice denuntiati, excisio notabilis segetum, arborum frugiferarum et vinearum ex odio tertii vel communitatis. 3. Crimen falsariorum tam monetae, quam litterarum vel instructionum publicarum, uti et testimonium falsum, vel scriptura falsa in judicio cum detrimento tertii. 4. Sollicitatio in loco confessionis a Sacerdote facta, sive ante, sive post confessionem. 5. Procuratio deliberata abortus et sterilitatis. 6. In parentes proprios violenta manuum injectio. 7. Revelatio sigilli sacramentalis directe vel indirecte a Sacerdote facta. 8. Machinatio in mortem conjugis, si mors sequatur.

Excommunicationes reservatae in Gallia summo Pontifici memoriae levandae gratia hisce carminibus comprehenduntur.

Ictus atrox cleri, fur frangens ostia templi,
Falsificans Bullas, et Simon, et ustor aperti.

Excommunicationes reservatas Episcopis in Gallia.

Percutere graviter clerum, consorsque duelli,
Clam Simon, clam urens, clam frangens ostia templi
Haereticus, claustri violator, et auctor abortus.

Vide versus ante n. 1432.

831. *Q.* VIII. Quid requiratur ad hoc, ut peccatum censeatur esse reservatum. R. *Ordinarie* non censetur reservatum nisi 1. sit *mortale.* 2. *externum.* 3. *in suo genere consummatum.* 4. *certum.*

832. Dixi 1. Nisi sit *mortale*: quia ad confessionem venialis peccati nemo obligatur; ergo veniale frustra reservaret Superior suo judicio. *Confirm.* Juxta *Trid.* sess. 14. c. 7. potestas reservandi data est *in aedificationem, non in destructionem:* ergo respicit causam aliquam necessitatis ac utilitatis disciplinae populi Christiani: atqui (subsumit *P. Sporer*) necessitas et utilitas populi solum exigit reservari peccata graviora, maxime quae sunt perniciosa communitati fidelium: ergo. Hinc. *Trid.* ibid. expresse ait: *Magnopere vero ad Christiani populi disciplinam pertinere sanctissimis Patribus nostris*

visum est, ut atrociora quaedam et graviora crimina non a quibusvis, sed a summis dumtaxat Sacerdotibus absolverentur. Ideoque quamvis concedatur, quod detur in Ecclesia potestas reservandi quaedam venialia, ordinarie tamen ea non solent reservari. *Bonac.* de poenit. d. 5. q. 6. punct. 5., *Laym.* L. 5. t. 6. c. 12., *Herinck.*

833. Dixi 2. Nisi sit *externum:* licet enim detur, quod peccata mere interna absolute possint reservari; eorum tamen reservatio fieri non solet, tum quia illa ad Ecclesiae gubernationem parum vel nihil conduceret, nec expediret, tum quia hoc ipso, quod peccata mere interna facilius committantur, et difficilius cognoscantur, Sacramentum per reservationem redderetur valde odiosum. *Laym.* l. c. n. 3. *Confirm.* ex Can. *Cogitationis* de poenit. Dist. 1. *Cogitationis poenam nemo patitur*, scil. ab homine, bene tamen a Deo, ut ibid. explicat glossa. Porro hic

834. *Observandum* I. distinguendum esse inter peccatum *mere internum*, quod solis potentiis internis, intellectu scil. et voluntate perficitur; 2. inter *occultum*, quod quidem nemine alio conscio committitur, concurrente tamen opere externo, v. g. verbo, facto, vel signo, ut si solus occidas Titium, nemine id audiente vel vidente: 3. denique inter *publicum*. Quid sit publicum sive notorium *jure et facto*, dictum est P. I. n. 967. *Fama* publicum est, quando rumor ex delicto ortus pervenit ad partem majorem communitatis, etsi illud ab initio patratum sit coram uno, aut altero tantum. Ex his

835. *Observandum* II. quod non sola peccata publica, sed etiam occulta tunc censeantur reservata, quando aliquod peccatum reservatur simpliciter et sine addito, quod reservetur publicum. De casibus Papalibus reservatis id certum ex prop. 3. et 4. ab *Alex. VII.* damnatis; ex qua damnatione constat, haeresim occultam vere esse reservatam. Eadem regula admittenda videtur de casibus Episcopalibus, ut ex praxi certum asserit *La Croix* L. 6. p. 2. n. 1627.; constat enim Episcopus saepe reservare occulta, v. g. homicidia voluntaria occulta etc.

836. Dixi 3. Nisi sit *in suo genere consummatum:* si enim lex reservans verbis generalioribus sine expressa restrictione utatur, verba legis accipienda sunt cum effectu. c. *Relatum.* 4. de Cleric. non resid., et L. *hoc edictum* 1. §. *autem. ff. quod quisque Juris. Confirm.* Reservatio est odiosa; restringit enim Episcopis, Parochis, aliisque potestatem, quae ipsis alias de jure communi competeret: ergo verba in rigore accipienda sunt juxta c. *Odia* de R. J. in 6., ideoque reservatio restringenda est ad solos actus perfectos, et non extendenda est ad imperfectos. Hinc si homicidium sit casus Episcopo reservatus, ille non incidit in casum reservatum, qui sola mente statuit occidere alium, quia nullus est actus exterior, nec simpliciter homicidium. Imo nec ille, qui hanc voluntatem graviter peccaminosam signo externo prodit, aut facto, v. g. vulnerando alium, modo mors inde non sequatur, quia haec reservatio generaliter lata non intelligitur tantum de actu exteriori, sed de illo, quem effectus sequitur, scil. verum ac proprium homicidium. Item si adulterium vel incestus sit casus reservatus, is hunc non censetur incurrere, qui solum exercet actiones turpes cum uxore aliena vel consanguinea, nisi exerceat copulam carnalem cum ea perfectione, ut generatio prolis ex copula sequi valeat. NB. Hic caute attendendum est ad *verba reservationis*; non enim requiritur semper, ut peccatum sit consummatum quoad omnem rationem, sed sufficit quod sit completum sub ea ratione, sub qua in reservationis decreto exprimitur, v. g. si ibi reservetur ab Episcopo *procuratio abortus etiam effectu non subsecuto*, ille incidit in casum hunc reservatum, qui media ad procurandum abortum adhibet, etsi abortus non sequatur, quia licet haec attentatio abortus non sit completa in ratione abortus, est tamen completa in ratione abortus attentati.

837. Dixi 4. Nisi sit *certum*; peccatum enim dubium non est peccatum simpliciter, sed cum addito *dubium*: ergo sub nomine peccati stricte dicti, quale censetur tantum reservari, dubium venire non debet. *Confirm.* Reservatio ex dictis est odiosa tam poenitentibus, quam Confessariis; ergo restringenda est et intelligenda de peccatis certis et claris. *Neque dicas: Clemens VIII.* anno 1601. 9. Jan. prohibuit absolutionem a casibus non solum *clare*, sed etiam *dubie* contentis in Bulla Coenae; ergo etiam peccata dubia sunt reservata. Respondent *Pellizzarius* tom. 1. t. 6. c. 1. n. 16., *Gobat* hic n. 357., et *Viva* a l 3. propos. *Alex. VII.* eumdem Pontificem anno 1602. 9. Nov. omisisse in alio Decreto eadem de re illa duo adverbia, *clare* et *dubie*, ideoque quoad haec revocasse prius Decretum.

Regulae pro interpretatione casuum Episcopis reservatorum hisce carminibus complectuntur.

Completum, externum, certum, mortale, favores
Auge, odium stringe, a potiori ratio nulla est,
Mas annos habeat bis septem, foemina bis sex,
Solve mandantes, quando non jura reservant.

838. *Q.* IX. Quarum personarum peccata sint reservata, et 1. quidem, an impuberes, h. e. masculi ante decimumquartum, foemellae vero ante duodecimum aetatis annum completum, perfectum rationis usum adepti incurrant reservationem. R. 1. Probabiliter multi contra multos defendunt, quod impuberes non incurrant casus reservatos Papales, qui annexam habent excommunicationem; ad hanc enim censuram incurrendam requiritur contumacia, ac proinde major aetas et prudentia, quam ordinarie possit praesumi de impuberibus. *Confirm.* ex c. 1. de sent. excomm. ubi *Alex. III.* de impuberibus Clericum percutientibus respondet, quod ad Sedem Apostolicam mittendi non sint, quia eos aetas excusat.

R. 2. Probabilius impuberes incurrunt reservationem Episcopalem, ex supposito quod aliter mens reservantium Episcoporum non sit declarata, ut expresse declarat Episcopus Argentinensis, quod nulla sit reservatio pro impuberibus. *Ratio* est, quia reservatio non est censura, nec pure poena, sed magis medicina, qua aeque indigent impuberes. *La Croix* L. 6. p. 2. n. 1691. cum *Lugone* et *Aversa* contra *Palud.*, *Graffium*, et alios.

839. *Q.* X. An ignorantes peccato suo annexam esse reservationem, nihilominus illam incurrant. R. Si reservatio sit mere poenalis, eam probabiliter non incurrunt, secus si reservatio sit medicinalis tantum, vel potius medicinalis, quam poenalis. *Ratio primi* est, quia qui poenam legis, contra quam agit, saltem invincibiliter ignorat, poenam non incurrit: ergo nec reservationem poenalem. *Confirm.* Poena videtur imponi contemptoribus legis, aut contumacibus, quales non sunt ignorantes legem, vel poenam annexam. Ita *Sanch.* de matrim. L. 9. d. 32. *Palao*, *Wiestner*, *Schmalzgrub.*, et alii, quorum tamen sententia procedit ex supposito, quod detur reservatio pure poenalis. Hinc *Babenst.* L. 8. p. 6. d. 6. a. 4. n. 24. ait: *Si sermo sit de casibus reservatis, qui habent annexam censuram, quales sunt plerique casus summo Pontifici reservati, res omnino videtur certa*, scil. quod ignorantes invincibiliter reservationem non incurrant.

Ratio secundi est, quia reservatio medicinalis importat meram et absolutam ablationem jurisdictionis propter bonum commune, sine qua poenitentis absolutio nulla est, sive scienter sive ignoranter deliquerit. Hanc sententiam *La Croix* l. c. n. 1608. dicit cum *Aversa* communissimam, et absolute tenendam tamquam claram et in praxi notam contra *Dian.*, *Burgh.* et alios. Ex his resolves, quod casus reservati Episcopales de facto incurrantur ab ignorantibus, cum reservationes Episcoporum sint potius medicinales, et fiant

non tam ad vindictam commissorum, quam ad cautelam committendorum peccatorum.

840. *Q.* XI. An peregrinus habens casum reservatum in sua dioecesi, et confitens in alia dioecesi, ubi ejus peccatum non est reservatum, ibi possit absolvi a quovis Confessario approbato. R. *Affirmative, dummodo non in fraudem reservationis e sua dioecesi exiverit.* Ita constat ex Constit. *Clem. X.* ab anno 1670. quae incipit: *Superna magni patrisfamilias*, ubi declarat §. 7. *posse Regularem Confessorem in ea dioecesi, in qua est approbatus, confluentes ex alia dioecesi a peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa, ubi idem Confessor est approbatus, absolvere, nisi eosdem poenitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam dioecesim pro absolutione obtinenda migrasse.* Rationem dat *Laym.* L. 5. t. 6. c. 10. n. 10. quia peregrinus judicatur et absolvitur secundum consuetudines ejus dioecesis, in qua judicio sacramentali se submittit, *cum tacito consensu Episcopi proprii.* Consentit *Suar.* de poenit. d. 30. sect. 1.

Confir. 1. ex eo quod juxta sententiam contrariam Confessarii tenerentur scire omnes casus in aliis dioecesibus reservatos, quod onus Confessarios nimium aggravaret. *Confirm.* 2. Reservatio immediate afficit Confessarium, utpote cujus facultatem restringit: ergo cum Confessarius extraneus subditus non sit Episcopo peccatum hujus peregrini reservanti, etiam ejus jurisdictio ab hoc Episcopo restringi nequit.

841. *Q.* XII. An peregrinus possit a quolibet approbato Confessario absolvi, si confiteatur peccatum tantum reservatum in dioecesi Confessarii, non vero in sua, unde venit. R. Non potest absolvi a quolibet approbato, sed a simul habente potestatem absolvendi a reservatis. *Ratio Suaresii* l. c. cum *Cajet.* est, quia licet talis poenitens alias non sit subditus hujus dioecesis, ubi confitetur, nunc tamen judicatur ut subditus, dum ibi confitetur: ergo debet judicari secundum jurisdictionem ibi concessam, maxime in foro sacramentali: ergo cum eo tempore in hac dioecesi Confessarius habeat jurisdictionem ligatam respectu hujus reservati peccati, et poenitens in ordine ad hunc actum fiat ejus subditus, non potest absolvere talem peregrinum. *Confirm.* ex Constitut. *Clementis X.* mox cit. ubi statuit, quod Confessarius possit absolvere confluentes ex aliena dioecesi a reservatis alibi, non autem a reservatis *in illa, ubi idem Confessor est approbatus:* ergo. Juxta alios ratio praecise petitur ex eo, quod reservatio immediate tangat Confessarium, cui tollitur jurisdictio in haec vel illa peccata: ergo a quocumque afferatur peccatum reservatum, ab illo Confessarius non habens potestatem, etiam non potest absolvere. Ita plurimi apud *Leonard.* in parte 2. decis. pract. casu 36. contra *Fagund. Stoz. Aeque dicas* cum *P. Enge* in manuali Paroch. p. 3. c. 2. §. 2. Talis peregrinus nec remittendus est ad suum Episcopum, utpote a quo hoc peccatum non est reservatum: neque ad Episcopum loci, ubi confitetur, cum non sit illius subditus: ergo. R. Vel potest remitti ad quemlibet Confessarium propriae dioeceseos, ubi facile absolvetur, cum non habeat casum ibi reservatum, vel potest in aliena dioecesi, ubi commoratur, remitti ad alium Confessarium, qui habet facultatem absolvendi a reservatis, vel saltem a Confessario petenda esset licentia ab Ordinario, pro hoc casu absolvendi a reservato.

842. *Q.* XIII. Quis possit absolvere a peccatis reservatis. R. 1. Extra mortis articulum, in quo quivis Sacerdos absolvere potest juxta dicta n. 685. *ordinaria potestas* competit. 1. Ipsi reservanti. 2. Ejus in officio successori. 3. Utriusque Superiori in jurisdictione spirituali. *Ratio* est, quia reservandi potestas ordinaria his competit: ergo et potestas ordinaria absolvendi; deinde reservans nec Superiorum suorum, sed inferiorum potestatem reservando ligat: ergo. Ex his infer, quod summus Pontifex possit absolvere ab omnibus casibus Papalibus et Episcopalibus, Episcopus vero a reservatis a se et suis antecessoribus.

R. 2. *Delegatam* potestatem habent ii omnes, quibus haec specialiter conceditur ab aliquo habente potestatem ordinariam reservandi, et a reservatis absolvendi. Patet ex praxi omnium dioecesium.

843. R. Jure *Trid.* sess. 24. de reform. c. 6. concessum est Episcopis, ut possint *in quibuscumque casibus* occultis, *etiam Sedi Apostolicae reservatis delinquentes quoscumque sibi subditos, in dioecesi sua per se ipsos aut Vicarium ad id specialiter deputandum in foro conscientiae gratis absolvere imposita poenitentia salutari. Idem et in haeresis crimine in eodem foro conscientiae eis tantum, non eorum Vicariis sit permissum.* Hinc difficultas oritur circa eum, qui interius fidei articulo dissentitur, suumque dissensum signo externo pandit, quin tamen idcirco fuerit ad forum judiciale deductus. De hoc quaeritur, an quamdiu delictum ejus occultum est, possit ab Episcopo pro foro conscientiae absolvi vi facultatis a *Trid.* concessae, an vero praefato Tridentini decreto haec facultas per Bullam *Coenae Domini* Episcopis sit adempta. Affirmativam, quod scilicet ea potestas sit adempta, erudite docet *Bened. XIV.* L. 7. de Synod. Dioeces. c. 32. ... 1. quidem, quia sufficienter derogatur Concilio Tridentino per illam generalem clausulam in Bulla Coenae contentam: *Non obstantibus Constitutionibus Apostolicis, et cujusvis Concilii Decretis.* 2. Quia idem non semel decisum est a sacris Urbis Congregationibus, quarum ministerio solent Pontifices mentem suam manifestare. 3. ait, quia majorem adhuc firmitatem huic sententiae adjecit *Alex. VII.* per damnationem tertiae propositionis, quam vide in P. I.

Idem *Bened. XIV.* ibid. n. 4. ait: *Communiter quoque Doctores, non tantum Episcopo, verum etiam cuilibet simplici Confessario facultatem concedunt absolvendi ab haeresi pure interna et mentali, nullo signo exteriori manifestata: absolutio quippe ab haeresi est summo Pontifici reservata, solum ratione censurae eidem haeresi annexae; Ecclesia autem, sicuti non potest per se directe et immediate praecipere, aut prohibere actum mere internum; .... ita non potest haeresim, quae in actum exteriorem non prodit, censura perstringere.* Ibid. subdit: *Censuram pariter evaderet, possetque pro foro conscientiae ab Episcopo aliove simplici Confessario absolvi, qui exterius verbo vel facto aliquem negaret fidei articulum, retento tamen interiori assensu circa illum: nam iste, etiamsi graviter contra fidei articulum peccaret, non tamen esset formaliter haereticus, ac propterea non irretiretur censuris in haereticos inflictis .... in foro autem externo esset puniendus tanquam haereticus, nec ei crederetur asserenti, se interiori assensu firmiter adhaesisse veritati, cui visus est exterius dissentire.* Notat etiam hic *P. Gobat*, quod Episcopi Germaniae a Sede Apostolica super hoc requisita solcant singulis quinquenniis obtinere facultatem ab haeresi absolvendi, cum potestate eamdem licentiam etiam aliis communicandi.

844. Aliud privilegium Episcoporum habetur ex jure Can. in c. *Mulieres.* c. *quamvis.* c. *de caetero.* de sentent. excomm. vi cujus possunt absolvere a quocumque peccato, et censura summo Pontifici reservata suos subditos, qui ob impedimentum perpetuum aut diuturnum non possunt accedere ad summum Pontificem. Huic privilegio neque per Bullam Coenae, neque per decretum *Alex. VII.* derogari, cum *communiore* affirmat *Duarte.* V. Bulla Coenae, n. 75. Ejusmodi impedimenta in specie recensent *Illsung.* t. 6. d. 6. q. 6. a. 3. n. 216., *Abbas Rassler* de poenit. c. 7. §. 18., *Filliuc.* t. 1. de cens. c. 1. a num. 36. Quorum *primum* est, periculum mortis in itinere, aut gravis alicujus incommodi incurrendi. 2. Infirmitas longa, etsi non sit periculosa. 3. Paupertas; ut si quis deberet mendicare, qui alias mendicare solitus non est; si alias mendicus esset teneretur ire, nisi mendicaudo cogeretur se, uxorem et liberos alere. 4. Ætas sive senilis, sive puerilis. 5. Sexus foemineus. 6. Obligatio alendi uxorem, filios et familiam arte aut labore. 7. Obligatio, qua quis alteri adstrictus est, qualem habent filii, servi etc. qui tunc excusantur, si

nequeant adire Pontificem sine magno incommodo parentum vel dominorum. 3. Impotentia ad iter faciendum, qualis est in claudis, aut podagra laborantibus etc. etc.

845. R. 4. Quibus Regularibus competat potestas absolvendi a casibus Papalibus, ex cujuslibet Ordinis privilegiis colligendum est. Confessariis Soc. Jesu *Paulus III.* anno 1545. in Bulla: *Cum inter*, concessit facultatem, *quorumcumque utriusque sexus Christi fidelium ad eos undecumque accedentium confessiones audiendi, et confessionibus diligenter auditis, ipsos et eorum singulos ab omnibus et singulis eorum peccatis, criminibus, excessibus et delictis quantumcumque gravibus et enormibus, etiam Sedi Apostolicae reservatis, et a quibusvis, ex ipsis casibus resultantibus sententiis, censuris, et poenis Ecclesiasticis (exceptis contentis in Bulla, quae in die Coenae Domini solita est legi) absolvendis.*

846. A casibus vero Episcopalibus reservatis nullus Regularis sine licentia Episcopi potest absolvere, etsi posset absolvere a quibuscumque Papae reservatis. Ita *Clemens X.* in Bulla: *Superna*, ubi §. 6. declarat, *ex facultatibus per Mare magnum, aliosve privilegia, Regularibus cujuscumque Ordinis, Instituti, aut Societatis etiam Jesu concessis, factam eis non esse potestatem absolvendi in casibus ab Episcopo sibi reservatis.* Ibid. §. 7. *Et habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicae reservatis, non ideo a casibus Episcopo reservatis posse absolvere. Confirm.* ex propositione 12. ab *Alexand. VII.* damnata. Vide etiam Constit. *Benedicti XIV.* infra n. 1426.

847. *Q.* XIV. Quid faciendum Confessario non habenti facultatem absolvendi a reservatis, si poenitens cum ejusmodi peccatis veniat. R. *Regulariter* ipsum non debet absolvere, sed vel illum mittere ad Superiorem (ut vult *Trid.* cit. n. 685.) vel ad alium Sacerdotem, qui habeat facultatem in reservata: vel si poenitens sine periculo aut gravi difficultate ad alium mitti nequeat, expedit, et ipse Confessarius a Superiore facultatem absolvendi saltem pro tali casu petat.

Dixi, *regulariter*: si qua enim necessitas poenitentem ad confitendum urgeat, v. g. si is ad evitandam infamiae notam, aut malam suspicionem celebrare, aut Eucharistiam sumere debeat, et Superior conveniri non possit, Confessarius potest talem absolvere, *sed cum onere, ut data opportunitate se sistat Superiori, vel alteri habenti facultatem absolvendi a reservatis.* Quo casu directe quidem a non reservatis, indirecte autem a reservatis, ut vult *Laym.* L. 5. t. 6. c. 12. n. 10. absolvetur. Juxta *Cobat* vero hic n. 385., *Sporer*, *Diana*, *Marchant.* et alios ab utrisque directe. *Ratio* est, quia Ecclesia pia mater et quilibet Superior non potest censeri velle obligare ad aliquid vel moraliter impossibile, vel ad tantum incommodum aut famae periculum in tali casu subeundum. *Confirm.* Ipse summus Pontifex in cap. *Quamvis.* 58. etc. *Mulieres.* 6. de sent. excom. expresse declarat, eos, qui ob inopiam, vel gravem difficultatem non possunt adire Romam, posse absolvi ab Episcopis: ergo a pari. Porro, si quis postea comparcat coram Sacerdote habente tantum delegatam potestatem in reservata, tenetur peccatum reservatum sacramentaliter illi confiteri; quia huic non datur jurisdictio in poenitentem, nisi pro foro sacramentali. Episcopus autem potest reservationem etiam extra Sacramentum tollere. Hinc resolvit *Babestuber* t. 8. p. 6. a. 4. n. 21. cum *Palao*, quando poenitens Superiori confessus fuit peccatum reservatum, ab ipso tamen non absolutus missus est ad inferiorem Sacerdotem, hoc ipso censeri sublatam esse reservationem. Juxta *Suar.* de poenit. d. 31. sect. 4. ob integritatem Sacramenti Superior non potest in confessione audire sola reservata, et pro absolutione non reservatorum remittere ad inferiorem.

848. *Q.* XV. An absolutus in articulo mortis a reservatis a Sacerdote non habente potestatem in reservata, etiam teneatur se sistere Superiori, si re-

convalescat. R. *Negative*; tum quia in tali articulo nulla est reservatio; ergo etiam nullum remanet onus reservationis: tum quia nullibi talis obligatio imponitur. *Excipe* tamen, *nisi in peccato annexa sit censura excommunicationis*: tunc enim talis se Superiori sistere debet, non quidem ut a peccatis absolvatur, sed ut obedientiam praestet, et se subjiciat remediis ac poenitentiis.. Si autem se non sistat, committit peccatum grave inobedientiae, et reincidit in sacramentalem censuram, ut colligitur ex c. *Eos qui* de sent. excomm. in 6.

849. *Q.* XVI. Quid hic intelligatur per articulum mortis, ubi cessat reservatio. R. Non intelligitur tantum praecise ultimum vitae instans, sed quodlibet probabile mortis periculum, in quo videlicet frequenter contingit, ut homines facile moriantur; tale periculum solent adducere gravis morbus, capitalis sententia judicis, imminens conflictus cum hoste, partus difficilis, navigatio tempestuosa, contagio pestifera etc. *Babenst.* l. c. n. 29. cum *Laymann.* et *Stoz.*

850. *Q.* XVII. An confessus habenti facultatem in reservata, sed oblitus suum reservatum, possit a quocumque Confessario postea absolvi. R. *Affirmative* cum *Leonard.* de poenit. q. 15. §. 6. n. 214., *Lug.*, *Navar.*, *Henriq.*, *Viva.* et aliis. *Ratio* est, quia talis absolvens expresse vel saltem virtualiter vult facere quantum potest, cum expresse dicat: *In quantum possum, et ut indiges*: atqui potest Confessarius tollere reservationem peccati obliti etiam directe, etsi indirecte tantum a culpa peccati obliti absolvat, quia ablatio reservationis non fundatur in sola vi indirectae absolutionis a culpa, sed in potestate Confessarii: ergo etiam censeri debet velle tollere reservationem peccati forte obliti. *Confirm.* Ipsi adversarii *Angelus*, *Sylv.* et *Rosella* fatentur nostram resolutionem veram esse, si absolvens intenderit poenitentem liberare ab omnibus peccatis et censuris. Item juxta *Suarez*, si poenitens expresse diceret, se velle absolvi a reservatis, si quae habeat; ergo etiam vera manet resolutio, etsi absolvens velit implicite absolvere, et poenitens absolvi a reservatis.

851. *Q.* XVIII. Quaenam sint regulae generales, ex quarum directione Confessarius facile possit judicare, an peccatum in confessione expositum sit reservatum, nec ne. R. Attendat, an adsint quatuor supra requisita, scil. an sit mortale, an externum, an consummatum eo modo, quo exprimitur in decreto reservationis, denique an sit certum. 2. In materia reservationis non valet argumentum a simili, nec majori ad minus, quia reservatio potius pendet ex voluntate, quam actione reservantis; unde non valet argumentum: Legens librum haereticum incidit in excommunicationem Bullae Coenae: ergo etiam audiens concionem HH. Nec valet: Haeresis est reservata: ergo etiam blasphemia, quae est peccatum gravius. 3. Quando reservatio vel excommunicatio fertur in *facientes*, illam non incurrunt *mandantes*, *auxilium ferentes*, *faventes*, nisi id exprimatur, vel aliunde clare colligatur. *Navar.* c. 27. n. 51. 4. Quando reservatio vel excomm. fertur etiam in *dantes consilium*, *auxilium et favorem*, intelligi debet de iis, qui efficaciter concurrunt, ita ut sine illo consilio, auxilio aut favore alias crimen commissum non fuisset. *Navar.* ibid. *Palao* et alii. 5. Quando excommunicatio vel reservatio fertur contra eos, qui aliquid *facere praesumunt*, non comprehenduntur ii, qui ex metu aut simili affectu id faciunt. Item, quando dicitur *scienter*, non incurrunt, qui id ignoranter fecerint. *Leonard.* hic. q. 15. §. 4... 6. Potestas *Ordinaria* absolvendi a reservatis est favorabilis, et late interpretanda, quia datur ob comune bonum. Pariter late interpretanda *delegata*, si detur in gratiam Confessarii; secus si detur in gratiam hujus tantum vel illius poenitentis, quia tunc non censetur dari, nisi pro bono privati. *Palao Sanch.* L. 8. de matrim. d. 2. n. 6.... 7. Circa peccatum complicis bene hodie notandum, quod duplici sensu possit sumi, et duplex sit reservatio a summo Pontif. *Bened. XIV.* juxta dicta num. 820. *Primo* enim peccatum complicis ita reservatum est ut nullus

Confessarius personam, cum qua ipsemet commisit peccatum turpe atque inhonestum contra sextum praeceptum, ab hoc peccato possit absolvere; quilibet vero alius Confessarius approbatus ambos hos complices, v. g. Cajum Sacerdotem et Bertam, cum qua Cajus peccavit, possit absolvere. *Secundo.* Si vero complex complicem absolvere ausus fuerit, a nullo Sacerdote, praeterquam a summo Pontifice (vel alio, qui gaudet speciali privilegio et facultate absolvendi a peccatis Sedi Apostolicae reservatis) talis complex Sacerdos potest absolvi.

852. Unde redimus ad primam Q. n. 781. propositam. Si *Norbertus* Sacerdos ille Bambergensis hoc sensu peccatum complicis fuerit confessus, ut praeterea non absolverit suam complicem, *Nicasius* Sacerdos Herbipolensis et quicumque alius approbatus illum potuit absolvere; secus si praeter commissum peccatum contra sextum praeceptum, Norbertus etiam absolverit Bertam suam complicem, sicut intellexerat Nicasius. Sic enim recte denegavit absolutionem, quia non habebat facultatem absolvendi a tali reservato.

Sectio IV. Casus de sigillo confessionis.

I. Nicanor neo-Confessarius in familiari colloquio cum Titio jocose dicit, primam suam poenitentem fuisse adulteram. Post alterum mensem, cum eumdem inviseret, ingreditur in conclave uxor Titii, quam Nicanor amice salutat, et eorum, quae nuper dixerat, immemor addit ipsam fuisse primam suam confitentem. Combinavit haec dicta cum dictis nuperis Titius, et postea incautum Confessarium tamquam adulterii testem ad judicem vocat, uxorem autem ab eo tempore omni modo aversatur.

853. *Q.* I. Quid dicendum ad praesentem casum. R. 1. Nicanor in dato casu vere violavit sigillum, quia vere manifestavit peccatum, quod ex sola confessione noverat. An vero graviter in hoc casu peccarit, ex eo resolvendum: si enim aliquo modo adverterit periculum revelationis, et nihilominus, licet jocose tantum, dictum incautum protulerit, peccavit graviter; secus si plane inadvertenter et ex mera imprudentia, non ex deliberata malitia locutus fuerit. Vide dicenda n. 861.

R. 2. Titius male egit contra sigillum confessionis vocando Nicanorem ad judicium, et aversando uxorem, quia utrumque fecit ex notitia, quae tantum orta est ex confessione sacramentali. Adde quod testimonium Confessarii ex scientia confessionis nullam fidem faciat in foro exteriori, ut patet ex c. *Dilectus* de excess. Praelat. ubi rubrica expresse ait, quod ad revelandum peccatum confessum Sacerdos compelli non possit. Neque notitia peccati ex sola confessione hausta ullo modo servit judici ad ferendam sententiam, quia non est notitia legalis et humana, ideoque nec utilis ad commercium humanum.

854. *Q.* II. Ex qua confessione contrahatur obligatio sigilli. R. Obligatio sigilli oritur ex omni et sola confessione sacramentali. Illa autem confessio censetur sacramentalis in ordine ad *inducendam* obligationem sigilli, quae ex intentione se accusandi in ordine ad *absolutionem* obtinendam fit ei, qui bona fide creditur judex legitimus, *etiamsi non* sequatur absolutio quavis de causa. Ita *Babenst.* t. 8. p. 6. d. 6. a. 5. n. 6. cum comm. DD. Unde

855. *Resolves.* I. Ille tenetur obligatione sigilli sacramentalis, cui poenitens confitetur bona fide existimans esse Sacerdotem, cum non sit, aut habere potestatem absolvendi, cum non habeat; quia talis confessio saltem in existimatione et intentione poenitentis est sacramentalis. Idem dicendum de eo, qui se finxit Sacerdotem, et ob talem finctionem causa fuit, quod poenitens sua peccata manifestaverit; quia poenitens hoc fecit animo confitendi, et in ordine ad sacramentalem confessionem. *Bonac.* de poenit. d. 5. q. 6. sect. 5. pun. 2. n. 2. cum *Regin.*, *Graffio*, et aliis contra *Onuphrium.*

856. II. Juxta *Nav.* in Summa c. 8. n. 7., *Adrian.* q. ult. de confess., *Salmant.* et alios etiam oritur obligatio sigilli ex ea confessione, quae scienter fit laico, aut Clerico non Sacerdoti, praesertim si quis erronee putaret, etiam laicum in absentia Sacerdotis posse absolvere, eo quod ista confessio saltem ex intentione poenitentis fiat sacramentalis. *Suarez* vero l. c. sect. 2. n. 2., *Bonac.* l. c. cum multis affirmant, inde non oriri hoc sigillum, sed tantum naturale secretum; eoquod non sit confessio sacramentalis exhibita Sacerdotio.

857. III. Obligatio sigilli oritur non tantum ex illa confessione, quam sequitur absolutio, sed ex omni alia, quae fit animo obtinendi absolutionem, sive sit valida, sive invalida, sive perfecta, sive inchoata tantum. *Ratio* est, quia omnis ejusmodi confessio saltem imperfecta et ex animo confitentis est sacramentalis. Ita *Babenst.* l. c. n. 16. cum *Rassler*, *Metzger* et *Salm.*

858. IV. E contra juxta *Laym.* l. 5. t. 6. c. 14. n. 1. non oritur obligatio sigilli, si quis animo simulato accedat et confiteatur, non ut Sacramentum poenitentiae accipiat, sed ut Sacramento vel Confessario illudat, vel ab ipso aliquid furetur, aut illum inducat ad peccatum. Addit *Suar.* l. c. n. 6. quando poenitens ipse aperte declarat talem animum, scil. non confitendi sacramentaliter, datam resolutionem esse certissimam, quia talis confessio nullo modo ad sacramentalem referri potest. In eo tamen casu, quo Confessarius adhuc dubius esset, an poenitens confiteatur animo obtinendi absolutionem, manet obligatio sigilli, quia praesumi debet in favorem tum poenitentis, tum confessionis, ne illa reddatur odiosa. *Suar.* l. c. n. 6., *Bonac.* l. c. n. 4. cum plurimis. Ibid. n. 9. concludit *Suar. Unde addendum est, quod licet poenitens accedat sine proposito recipiendi absolutionem, vel sine contritione, et proposito se emendandi; nihilominus si habeat voluntatem se accusandi, et subjiciendi in illo foro, ut potuerit, vel ut aliquo modo satisfaciat Ecclesiae, vel certe ut a Sacerdote aliquo modo curetur, id satis esse ad sigillum, quia jam illa est saltem inchoata confessio.*

859. V. Siquis Confessario extra sacramentalem confessionem dicat: *Hoc tibi secretum committo tanquam sub confessionis sigillo*, et Confessarius ita acceptet, orietur hinc obligatio secreti tantum naturalis, non sigilli sacramentalis. Ita *Laym.* l. c. n. 2. cum *S. Antonino*, *Palud.*, *Adriano* et aliis. *Ratio* est, quia non est in potestate hominis, cuipiam obligationem ejusmodi extra confessionem sacramentalem imponere, sed ad summum, si alter consentiat, secretum naturale.

860. *Q.* III. Quaenam sit materia sigilli sacramentalis. R. cum *S. Th.* in supplem. q. 11. a. 2. in corp. *Dicendum, quod sigillum confessionis directe se non extendit, nisi ad illa, de quibus est sacramentalis confessio, sed indirecte, id quod non cadit sub sacramentali confessione, etiam ad sigillum confessionis pertinet, sicut illa, per quae posset peccator, vel peccatum deprehendi. Babenst.* l. c. n. 12. totam materiam, in quam cadit obligatio sigilli, reducit ad sex classes. Ad *primam* pertinent omnia mortalia peccata tam in genere, quam in specie, ex quorum revelatione in notitiam personae deliquentis deveniri potest. Ad *secundam* omnia venialia in specie, non autem in genere. Ad *tertiam* peccatorum circumstantiae, ex quibus istorum notitia hauriri potest. Ad *quartam* imperfectiones et inhabilitates cum naturales, tum personales, quae ex peccatis cognitae sunt, v. g. defectus natalium, irregularitas, impedimentum matrimonii etc. Ad *quintam* peccata et defectus complicis, quos manifestavit poenitens in confessione. Ad *sextam* indispositio poenitentis, v. g. defectus doloris, propositi, scientiae necessariae etc. *Ratio* est, quia horum revelatio confessionem redderet odiosam. Unde

861. *Resolves* I. Confessarius violat sigillum, quamvis generatim dicat, Titium sibi confessum peccatum mortale, casum reservatum etc., vel si dicat, se illum non absolvisse: quia hoc cedit in infamiam confitentis, et Sacramen-

tum reddit odiosum. Suppresso vero nomine poenitentis tum quis loqui potest de peccatis in confessione auditis 1. Si illorum auctores nec directe nec indirecte manifestentur, quia ex hac manifestatione, quod haec vel illa peccata in mundo committantur, nulla fit Sacramento vel poenitenti injuria. 2. Si nulla omnino de auctore possit inde oriri suspicio, aut in certam familiam, aut locum redundare infamia. Monet tamen *Suar.* l. c. sect. 3. n. 8. ut sine magna utilitate, v. g. causa consilii capiendi a viro docto, vel necessitate non misceantur sermones de auditis in confessione, etiam in genere, praesertim coram multis, et maxime in eodem loco et civitate. *Ratio* est, quia ex istiusmodi colloquiis saepe rudes scandalizantur, existimantes sigillum violari, non raro etiam sagaces ex variis circumstantiis in cognitionem vel suspicionem peccatoris deveniunt.

862. II. Non licet Confessario loqui etiam de peccatis publicis in confessione auditis extra confessionem, *nisi aliunde illorum notitiam jam habuerit.* Unde graviter delinqueret Sacerdos dicens: Fur heri suspensus confessus est mihi sua furta etc. Dixi, *nisi aliunde* etc. quia non prohibetur Sacerdos de peccato aliunde sibi noto loqui, dummodo nihil addat ex notitia per confessionem accepta. *Laym.* l. c. n. 3.

863. III. Juxta *Sporer* p. 3. c. 7. n. 842. agit contra sigillum Confessarius, si dicat, hunc poenitentem esse scrupulosum, caput audientis rumpere, morosum, rudem et hebetis ingenii, *ex supposito quod tales defectus aliunde non sint noti. Ratio.* quia etiam similium manifestatio hominibus est ingrata, ideoque sufficiens ad Sacramentum odiosum reddendum. *Excusat* tamen *Lugo* hoc in genere Confessarios, qui hos defectus non cognoscunt ex confessione poenitentis, sed ipsi eos vident et percipiunt.

864. Q. IV. Quomodo sigillum confessionis differat a secreto naturali. R. Secretum naturale non semper pro semper obligat, sed ex justis causis cessat ejus obligatio, v. g. si observatio secreti cedat in grave damnum reipublicae, aut personae innocentis; item si secretum grave damnum allaturum esset illi, qui tibi id commisit, aut si tibi ipsi gravis mali periculum immineret ex secreto non manifestato. *Ratio* est, quia secretum non potest obligare contra charitatem alteri vel sibi debitam, nec quisquam, dum secretum servare promittit, censetur obligationem ad similem casum velle extendere. *Bonac.* de Restit. d. 2 q. 2. pun. un. n. 9., *Laym.* L. 3. t. 3. p. 2. c. 5. n. 1. et alii. E contra nullus casus datur, in quo non obliget sigillum confessionis seclusa expressa licentia poenitentis. Unde

865. *Resolves* I. Quod sigillum confessionis etiam cum periculo capitis obliget; violatio enim (cum sit ex praecepto divino et naturali prohibita, semperque injuriosa Sacramento, quod exinde redderetur odiosum) est intrinsece mala: ergo ad evadendum periculum vitae, aut conservandum totum mundum aeque parum illicita est, ac blasphemia. Ita communis. Imo nec licet ad evitanda gravia mala revelare culpam levem; quamvis enim talis revelatio non sit gravis infamatio poenitentis, est tamen injuriosa Sacramento, et intrinsece mala.

866. II. Addit *Suar.* hic d. 33. sect. 1. n. 16. nec licitam esse revelationem, etsi illa sit utilis poenitenti, et credatur non fore ingrata, contra *Altisiod.* tum quia cessante fine legis in particulari non cessat illius obligatio, tum quia non tantum ratio habenda est commodi poenitentis in particulari, sed etiam ipsiusmet Sacramenti. Ibid. affirmat *Suar.* cum *Covarr.* contra quosdam Canonistas, quod nunquam liceat etiam post mortem poenitentis manifestare peccatum illius, eo etiam casu, quod revelatio videretur necessaria ad impedendum usum alicujus matrimonii, quod nullum est. *Ratio* est, quia obligatio sigilli semper durat, et fama proximi etiam post mortem servanda est, imo hoc necessarium est ad bonum usum hujus Sacramenti; timerent enim vivi peccata sua aperire, si vel post mortem revelari possent.

867. III. Confessarius de auditis in confessione interrogatus vel debet eludere interrogationem dicendo, poenitentem fecisse quod debuit facere, aut quaestionem esse injustam et sacrilegam, ad quam nefas sit respondere, vel (si hoc non sufficiat) coram judice simpliciter, imo cum juramento, si opus sit, debet affirmare, se nescire poenitentem tale scelus commisisse: neque tunc Sacerdos utitur aequivocatione aut restrictione, nec mentitur, quia respondet ad sensum interrogationis; *homo* enim (ut ait *S. Th.* in supplem. q. 11. a. 1. ad 3.) *non adducitur in testimonium, nisi ut homo: et ideo absque laesione conscientiae potest jurare, se nescire, quod scit tantum, ut Deus*, h. e. Dei vices gerens.

868. *Q.* V. Quomodo violetur sigillum confessionis. R. Dupliciter. 1. *Directe*, scil. revelando expresse aliquid ex sola confessione cognitum. 2. *Indirecte*, aliquid ex confessione dicendo vel faciendo, ex quo quis cognoscere vel suspicari possit peccatum vel defectum poenitentis, ex quo poenitenti vel alteri pudor, molestia, infamia, damnum oriri posset, etiamsi audiens id aliunde sciat; haec omnia reddunt confessionem odiosam. *Antoine* de poenit. c. 4. q. 3. Unde

869. *Q.* VI. Quosnam obliget hoc sigillum. R. Omnes illos, qui peccata vel defectus ex confessione sacramentali etiam tantum inchoata sive licite sive illicite, sive mediate sive immediate perceperunt, excepto ipso poenitente circa peccata, quae concernunt solam ipsius personam. *Ratio primi* est, quia nisi quilibet ex praedictis teneretur obligatione sigilli, sacramentum redderetur exosum, et fideles arcerentur ab illius usu et frequentia. *Ratio secundi* est, quia obligatio sigilli est in favorem poenitentis, qui potest juri suo cedere, et dare licentiam revelandi sine irreverentia sacramenti, aliove incommodo. Tenetur tamen poenitens ad secretum circa ea, quae Confessarius illi dicit sub secreto. *Suar.* l. c. sect. 4. n. 2. cum *Rich.* et *Soto* contra *Palud.*

870. Specialiter tenentur obligatione sigilli 1. *Confessarius*, ut patet. De facto etiam Confessore dictum est num. 855... 2. *Interpres*, quo utitur poenitens ad confitendum, quia hic notitiam peccati accipit a confessione sacramentali, quod mediante ipso subjicitur clavibus. *Confirm.* Interpres non tantum est instrumentum poenitentis, sed etiam Sacerdotis, nam sicut poenitens per illud loquitur, ita Sacerdos suo modo per illum audit, ideoque participat secretum ejus. Ita *Suar.* l. c. sect. 4. n. 5. contra *Cajet.* 3. *Consiliarius*, quem Confessarius consulit circa peccatum poenitentis, sive culpabiliter sive inculpabiliter venerit in notitiam peccatoris, de cujus peccato consilium ab eo requisitum fuit; quia ea notitia oritur ex confessione sacramentali, et in ordine ad illam datur. *Suar.* ibid. n. 6. cum *Adriano* et *Navar.* 4. *Superior*, ad quem defertur casus reservatus vel a poenitente, vel a Confessario in ordine ad impetrandam facultatem absolvendi a reservato, quia etiam haec notitia oritur ex confessione saltem inchoata. 5. *Adstantes*, qui sive contra voluntatem, sive furtive de industria aut malitia alterius confessionem audiunt. Item omnes, quibus alterius confessio sacrilege revelata est. Item si quis coram multis ex necessitate praesentibus confitetur, v. g. in naufragio, conflictu, nosocomio etc. nemo ex praesentibus citra violationem sigilli potest revelare audita in confessione. Ita *Sporer* l. c. n. 852. Denique obligatur ad sigillum servandum, qui peccata poenitentis descripta legit, dum poenitens ex scripto confitetur. Qui vero peccata alterius scripta invenit ante vel post confessionem, juxta *Suar.* l. c. n. 5. tenetur ea reticere sub secreto naturali, juxta *Rodrig.* sub sigillo confessionis, quod *Antoine* tanquam favorabilius sacramento judicat esse tenendum. Notat hic *Leonard.* n. 148. eum, qui in ejusmodi chartam incidit non posse ulterius legere, si novit peccata esse scripta ad peragendam confessionem, scil. si noverit eum, qui scripsit; secus si non sit periculum veniendi in notitiam scribentis.

871. *Q.* VII. An licitum sit Confessario loqui cum poenitente de peracta confessione. R. 1. Licitum est, si fiat statim post datam absolutionem, dum confitens adhuc versatur in sacro tribunali; quia tunc censetur fieri in eodem judicio sacramentali, idque saepe est necessarium, quando videtur monendus adhuc esse poenitens. *Illsung. Lugo* de poenit. d. 73. sect. 5. n. 129.

872. R. 2. Etiam in sequenti confessione licitum est confessario loqui de illis, quae poenitens dixit in priori, si id necessarium, vel magis utile videatur, v. g. ad emendandam consuetudinem, eradicandam passionem etc. Debet enim Confessario, ut bene dirigat poenitentem, status illius esse perspectus, cujus cognitio ex praeteritis confessionibus optime hauritur. *Illsung.* hic n. 251.

873. R. 3. Extra confessionem non licet Confessario loqui cum ipso poenitente de peccatis in confessione auditis, sine facultate ejusdem; quia licet poenitens inde non infamaretur, posset tamen exinde rubore suffundi, quod haud dubie sacramentum redderet odiosum. *Laym* l. c. n. 9.

874. *Q.* VIII. An aliquando Confessario licitus sit usus notitiae ex confessione haustae. R. 1. Illicitum est uti notitia confessionis, quoties intervenit, vel prudenter timeri potest periculum violandi sigillum, vel causandi aliquod incommodum poenitenti. *Rationem* dat *Bonac.* l. c. sect. 5. pun. 4. n. 8. quia si liceret uti scientia ex confessione accepta, revelarentur peccata poenitentis saltem indirecte: alii enim, aut saltem ipse poenitens conjicere posset hanc vel illam sui correctionem etc. fieri ob peccatum in confessione auditum. Ibid. hoc confirmat ex *motu proprio Clementis VIII. quem* edidit anno 1584. die 26. Martii pro Regularibus, ubi praecepit ne Regulares ad Superioritatis gradum evecti scientia de aliorum peccatis habita in confessione utantur ad externam gubernationem, quam prohibitionem *Lugo* hic a num. 94. ait extendendam esse ad omnes Confessarios non tantum ob paritatem, sed efficaciam rationis, ne sacramentum reddatur odiosum.

875. R. 2. Licet uti notitia confessionis, quoties id fieri potest et sine omni periculo directe vel indirecte revelandi sigillum, et sine omni poenitentis incommodo, et sine periculo, ne odiosum reddatur sacramentum. Hinc licet orare Deum pro poenitente, ne pereat in hoc vel illo periculo peccati: libros aut doctos viros consulere de peccatis in confessione auditis sine ulla mentione nominis vel personae poenitentis: conquirere media, queis reducere possit poenitentem in viam rectam etc.: quia talis usus notitiae ex confessione haustae nec reddit sacramentum odiosum, nec difficilius. *Stoz, Banbenst.* l. c. n. 34. et Comm. Ex his

876. *Resolves* I. Male consulitur Confessarius, dum agitur de ejusdem candidati vel poenitentis promotione, vel admissione ad statum clericalem, vel religiosum, quia scientia Confessarii non pertinet ad hoc forum; maxime vero quia tum Confessariis saepe incautis sic datur occasio violandi sigillum, tum poenitentibus non sincere confitendi ad conservandam, vel acquirendam aestimationem Confessarii. Si tamen consuleretur Confessarius, idem deberet dicere, quod diceret, si non esset Confessarius hujus poenitentis, de quo consulitur; et multo magis, si de duobus sibi confitentibus consilium petatur: quando enim unum prae altero extollit, facile vir prudens diversitatem conscientiae inde colliget, unde timenda est saltem indirecta laesio sigilli. Ideoque Confessarius non aliunde, nisi ex scientia passim nota et moribus, qui cadunt sub oculos commendet. *La Croix* L. 6. p. 2. n. 2001.

877. II. Ad quaestionem, quid sit agendum, si poenitens taceat peccatum, quod Confessarius scit ab eo fuisse commissum. R. 1. Quando Confessarius *extra confessionem* complicis vel alterius ex fidei relatione cognovit peccatum poenitentis, vel ipse vidit, v. g. furantem, turpiter agentem; vel audivit blasphemantem etc. tunc ipsum speciatim interrogare potest et debet. *Ratio* est,

tum quia non prohibetur Confessarius uti notitia illa extra confessionem sacramentalem hausta ad utilitatem poenitentis; tum quia ex officio tenetur procurare integritatem confessionis, quando moraliter et licite potest. Ita *Laym.* L. 5. t. 6. c. 14. n. 25. ubi addit: Si poenitens interrogatus constanter neget peccatum, Confessarius regulariter illum debet absolvere, si nimirum stante notitia adhuc possit sibi prudens formare hoc vel simile dictamen: *Forte poenitens hoc peccatum jam fuit alteri confessus; vel nescivit esse peccatum saltem mortale; vel qui mihi retulerunt, falsum dixerunt* etc. *Ratio* est, quia in foro poenitentiae credendum est poenitenti sicut contra se, ita et pro se loquenti. Dixi, *regulariter, et stante illo prudenti dictamine;* si enim consideratis omnibus circumstantiis certo constaret, quod poenitens malitiose et mendaciter neget peccatum, neganda esset absolutio: quia nec valide nec licite *certe* indisposito datur absolutio; iterum *Laym.* ibidem cum *Henriq.* contra *Sotum, Holzmann.* t. 4. de poenit. n. 712. cum *Lug.* et *Tamb.*

878. R. 2. Quando Confessarius novit illud peccatum ex sola sacramentali confessione complicis, v. g. si ex confessione sponsi noverit fornicationem cum sponsa commissam, quam tamen sponsa statim post sponsum confitens non confitetur, tunc in specie non licet interrogare, sed tantum in genere, et quidem valde caute, v. g. an nihil amplius habeat, quod conscientiam gravet. *Ratio* est, quia speciatim interrogando se objiceret periculo revelandi peccatum a complice commissum; sponsa enim facile adverteret, quid sponsus confessus sit. In genere vero quaerendo non aeque incurritur periculum fractionis sigilli; quia ab trahendo a notitia prioris confessionis generica quaestio passim aliis poenitentibus potest proponi.

Quid, si sponsus dederit licentiam utendi notitia? Respondet *Stoz* hic n. 230. sub fin. ex tali licentia communiter oriri gravia scandala, si complex cognoscat vel suspicetur delictum suum innotuisse tantum dependenter a confessione sacramentali complicis, ideoque inde etiam odiosum fieri sacramentum.

879. An vero et quomodo absolvendus sit talis poenitens negans peccatum. R. ut supra. Si Confessarius adhuc dictamen possit formare, quod poenitens non ex malitia neget peccatum, vel non putaverit esse peccatum, vel jam confessus forte fuerit, regulariter debet saltem sub conditione absolvi, *si sis dispositus*, ex rationibus supra datis. Dixi iterum, *regulariter:* nam si Confessarius evidenter sciat, quod poenitens malitiose neget peccatum, non potest eum absolvere; quia nefas est ministrare sacramentum ei, quem evidenter scio indignum. Ita *Reiffenst.* in theol. mor. tr. 14. d. 8. q. 3. n. 44. cum *Lugone*, *Stoz* l. c. n. 104.

880. Sed quomodo in praxi Confessarius dimittet poenitentem sine absolutione, ne ex negatione illius violetur sigillum? Respondet *La Croix* L. 6. p. 2. n. 1969. cum *Dicast.* Dissimulanter super poenitentem dicat: *Misereatur tui* etc. dataque benedictione dimittat illum: si poenitens quaerat, an absolutionem dederit, dicat Confessarius: Feci officium meum, ne dubita: per hoc enim nec revelatur peccatum sponsi, nec hoc affert ullum incommodum sponsae, quae nihilominus debet illa peccata et hanc confessionem sacrilegam suo tempore repetere. Addit ib d. *La Croix*: *Pastor vero omnia dissimulando assistat eorum matrimonio.*

881. III. Poenitenti licet non absoluto (modo accesserit animo peccata subjiciendi clavibus) petenti schedam factae confessionis tenetur Confessarius eam dare, si soleat aliis petentibus dare schedam, quia negare eam in talibus circumstantiis esset indirecte dicere, quod non sit rite confessus vel absolutus. Ita *La Croix* L. 6. p. 2. n. 1944. cum *Laym.*, *Concina*, *Aversa* et aliis contra *Henriq.*, *Bonac.*, *Lug.* et alios.

882. IV. Confessarius cui poenitens, v.g. periculose decumbens confitetur, quod vixerit hucusque in concubinatu, et eam de facto adhuc secum habeat domi suae, non potest citra violationem sigilli monere concubinam, ne acce-

dat ad infirmum, aut discedat e domo; quia illa facile colligeret, quid infirmus confessus sit.

Sectio V. De sollicitatione.

883. *Q.* I. An poenitens sub gravi praecepto obligetur ad denuntiandum Confessarium sollicitantem ad turpia ac inhonesta. R. *Affirmative.* Ita statuerunt *Paulus IV., Pius IV.* quorum Constitutiones *Gregor. XV.* per Bullam: *Universi Dominici gregis.* ad fideles omnes extendit, constituitque denuntiandos esse Inquisitoribus, vel (ubi inquisitio non est) Ordinariis, sive eorum Vicariis Sacerdotes, qui sive in confessionali, sive in loco ad confessiones audiendas destinato, confessionem simulantes, ad inhonesta sollicitaverint, sive inhonestos sermones habuerint, sive turpia tractaverint. Huc pertinet Constitutio *Benedicti XIV.* quae incipit: *Sacramentum poenitentiae,* edita 1. Junii 1741. in qua n. 1. approbantur et confirmantur tum aliorum Romanorum Pontificum Litterae de sollicitatione, tum omnia et singula Decreta ad illarum interpretationem et declarationem emanata. Ex verbis Constit. *Benedicti XIV.* sequentes regulae deducuntur, quibus indicatur, quinam sint denuntiandi, quas ob causas, quando, et qua ratione denuntiare oporteat.

884. Prima Regula: *Denuntiandi sunt omnes et singuli Sacerdotes sollicitantes, sive absolvendi jurisdictione polleant, sive careant.* 2. *Qui aliquem poenitentem, quaecumque persona illa sit, sive pro se ipso, sive pro alia persona sollicitaverint.* NB. *Aliquem poenitentem.* Unde patet etiam denuntiandum esse Confessarium, sive sollicitaverit foeminam, sive masculum. Idem declaravit, teste *Laur. Cozza, Paulus V.* 3. Qui sollicitaverint *in actu sacramentalis confessionis, ante, vel immediate post.* 4. *Vel occasione, aut praetextu confessionis.* 5. *Vel etiam extra occasionem confessionis in confessionali.* 6. *Sive in alio loco ad confessiones audiendas destinato aut electo, cum simulatione audiendi ibidem confessionem.* 7. *Qui ad inhonesta et turpia sollicitare vel provocare sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam tunc, aut postea legendam tentaverint.* Vide etiam propositionem 6. ab *Alex. VII.* damn. 8. *Aut cum eis illicitos, et inhonestos sermones vel tractatus temerario ausu habuerint.* 9. Denunciare oportet, *etiamsi sollicitatio inter Confessarium, et poenitentem mutua fuerit.* 10. *Sive sollicitationi poenitens consenserit, sive consensum minime praestiterit.* 11. *Vel longum tempus post ipsam sollicitationem jam effluxerit.* 12. *Aut sollicitatio a Confessario non pro se ipso, sed pro alia persona peracta fuerit.*

885. His praemissis *Bened. XIV.* in ead. Constit. monet Confessarios, *caveant diligenter, ne poenitentibus, quos noverint jam ab alio sollicitatos, sacramentalem absolutionem impertiant, nisi prius denuntiationem praedictam ad effectum perducentes, delinquentem indicaverint competenti judici, vel saltem se, cum primum poterunt, delaturos spondeant ac promittant.* Ibid. de falsis delationibus, de quibus supra egimus n. 819.

Ex his manifesta est ratio responsionis supra datae, quod omnes poenitentes gravi praecepto sint obligati ad denunciandos sollicitantes Confessarios, nec id sine gravi culpa possint omittere: agitur enim de re gravi, cujusmodi est abusus sacramenti ac de crimine, quod prae se fert suspicionem haereseos.

886. *Q.* II. An mulier sollicitans pariter sit denuntianda. R. *Negative:* quia lex Confessarium, non poenitentem sollicitantem exprimit. Ita *Felix Potestas* in Exam. Ecclesiast. tom. 2. p. 3. c. 2. q. 6. ubi addit: Imo mulier denuntiando, si ipsa consensit, non tenetur suum manifestare consensum, quia materia denuntiationis est sollicitatio seu actus inhonestus Confessarii, non poenitentis. Constat ex Bulla *Greg. XV.* et Const. *Bened. XIV.* ubi expresse habetur: *ne aliqui sacerdotes, poenitentiae sacramento nefarie abutentes,*

poenitentibus pro curatione vulnus, pro pane lapidem, pro pisce serpentem, pro medicina venenum porrigant.

887. *Q.* III. An si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic possit ipsum absolvere absque onere denuntiandi. R. Tenetur adhuc ad denuntiationem faciendam, ut constat ex propos. 7. ab *Alexand. VII.* damnat. quam propositionem ita exponit *Viva*, docuisse scil. aliquos, sollicitatum in confessione non teneri ad denuntiandum Confessarium, si eidem sua peccata confiteatur, eo quod in tali casu Confessarius non teneatur sollicitatum monere ad se denuntiandum: ergo hoc ipso, quod Confessarius non injungat obligationem denuntiandi, poenitens non tenetur denuntiare. Hoc postea falsum *Viva* ostendit, quia Confessarius non injungit hoc onus, sed tantum declarat, sicut quando monet obligationem restitutionis; ideoque sive culpabiliter, sive inculpabiliter non moneat Confessarius, adhuc poenitens tenetur denuntiare, *nisi eum excuset aliunde ignorantia legis Pontificiae.*

888. *Q.* IV. An excusetur ab obligatione denuntiandi, qui ex denuntiatione prudenter timet periculum propriae vitae, aut alterius gravissimi damni. Respondet *Felix Potestas* l. c. q. 5. *affirmative*, eo quod praecepta humana non obligent cum gravi nocumento.

889. *Q.* V. An praemittenda sit ante denuntiationem correctio fraterna, si firmiter emendatio speretur. Respondet *Felix Potestas* l. c. c. 12. q. 6. n. 613. in similibus delictis ad S. Officium spectantibus, tam si sint de haeresi formali, quam de sollicitatione, et suspicione haeresis, omnino faciendam esse denuntiationem, nulla praemissa correctione fraterna, etiamsi emendatio speretur. *Ratio prima* est, quia in denuntiatione Evangelica praemittenda est correctio fraterna, minime vero denuntiatione judiciali: illa enim praecise est in gratiam fratris, ejus emendationem intendens; haec in gratiam legis, quae punitionem intendit, et in bonum publicum, quod praevalet commodo privato fratris. *Secunda ratio* est, quia aperta via correctionis, secluderetur via denuntiationi. *Confirm.* ex decreto sacrae Inquisit. coram *Alex. VII.* die 8. Julii 1660. ubi decernitur, etiamsi nulla fraterna correctio, vel alia monitio praemissa fuerit, teneri poenitentem ad denuntiandum. Alii, praesertim *Sotus*, *Canus Sylv.*, *Lopez*, *Ledesma*, *Fagund.* tenuerunt, praemittendam esse correctionem fraternam, si speretur emendatio, *ita ut, si ea facta firmiter credatur emendatio secutura, correctus non sit denuntiandus.* Horum *ratio* est, quod praeceptum correctionis sit de jure naturali et divino, praeceptum vero denuntiationis sit humanum, quod illi praevalere non potest. Ili quoque secuti sunt *D. Thomam*, qui 2. 2. q. 33. a. 7. in corp. ait: *Quaedam enim peccata occulta sunt, quae sunt in nocumentum proximorum vel corporale, vel spirituale, puta si aliquis occulte tractet, quomodo civitas tradatur hostibus, vel si haereticus privatim homines a fide avertat. Et quia ille qui sic occulte peccat, non solum in se peccat, sed in alios, oportet statim procedere ad denuntiationem, ut hujusmodi nocumentum impediatur, nisi forte aliquis firmiter existimaret, quod statim per secretam admonitionem posset hujusmodi mala impedire.* Verum cum delicta sollicitationis, et haeresis sint ita viscosa (ut ait *Potestas*) et nimium perniciosa Christianae Reipubl. ut non sit facilis per correctionem fraternam emendatio, hinc in praxi videtur praeferenda prima responsio, praecipue quia magis facit ad reverentiam sacramenti poenitentiae et avertit temerarios illus abusus.

890. *Q.* VI. Quomodo Confessarius in praxi debeat procedere, si poenitens dicat, se fuisse sollicitatum a Confessario. R. Quaerat caute 1. an ad peccatum grave contra sextum sollicitaverit: 2. an certus sit de sollicitatione, an vero dubitet, utrum factum sit animo sollicitandi, an causa examinandi peccatum, aut circumstantias peccati quia facile non est credendum hisce delatoribus. Vide de falso delatore n. 819.

APPENDIX

De rigore et benignitate Ecclesiae.

» *Nota* 1. Quatuor sunt, quae potissimum his ultimis saeculis Ecclesiae » Romanae objecta sunt, in quibus nimia indulgentia excedat, videlicet » in imponenda nimis levis peccatoribus *poenitentia:* in danda nimis cito » iis *absolutione:* in admittendis nimis facile fidelibus ad *S. Eucharistiam:* » in laxando nimium *indulgentiarum* thesauro, et id maxime opera aut » favore Regularium. 2. Qui ita quaerebantur, ad *duas classes* reducun- » tur: vel *Jansenii asseclae* sunt, vel indiscreti alias *rigoris amantes.* Ex » primo genere *stricte Janseniani* dicuntur, qui unam saltem ex 5. Jan- » senii propositionibus propugnant, aut defendunt eas non contineri in li- » bro Jansenii, aut nolunt sincere subscribere formulae Alexandri VII. et » Clementis XI. e. g. qui peccati reum faciunt hominem ob motus vo- » luntarios quidem, sed carentes libertate indifferentiae etc. Huc revo- » cantur *Quesnelliani*, qui Quesnello favent, et *Appellantes* ad Conci- » lium generale. Ex secundo genere rigorem indiscretum nonnulli tuentur » vel ex zelo proprio, vel ex zelotypia adversus quosdam in particulari, unde » natae propositiones 20. et 21. ab *Alex. VIII.* damnatae. Horum rigoristarum » doctrinae sunt: quoties quis relabitur, signum est, cum antea caruisse vero » dolore et proposito, unde priores confessiones sunt repetendae, poenitentiae » imponendae secundum primaevum rigorem antiquorum canonum: etiam » prima vice confitens mortale non est statim absolvendus: dispositus non est » ad absolutionem, in quo amor Dei castus non praedominatur supra omnes » alios affectus actuales et habituales etc. Vid. P. la Fontaine S.J. in Constit. *Uni-* » *genitus* propugnata; et lib. *Causa Quesnelliana seu Motivum Juris etc.* Nunc

» *Q.* I. An Ecclesia defecerit a fervore suo.

» R. *Neutiquam:* cum *deficere* etc. dicat ex aliquo defectu a via debita » recedere. *Ratio.* Ille non deficit, qui in rebus concernentibus solam di- » sciplinam modo majorem rigorem, modo majorem benignitatem pro di- » versitate circumstantiarum praesefert, maxime si hoc fiat ex gravibus » causis, et compensando rigorem per alia meliora: atqui id egit Eccle- » sia. *P. M. Quadrimembris* ex historia Eccl. collecta a Sozomeno, Arcudio, » *Clerico Romano*, P. Francolini, *Theologia Dogmatica* P. Antoine, *Ap-* » *paratu Eruditionis* P. Biner etc. Si in tria tempora dividatur actas Ec- » clesiae 1. *Sesqui primo saeculo* Ecclesiae disciplina fuit benigna: ergo si » rediit ad benignitatem, rediit Ecclesia ad statum primaevum. 2. *Per saecula* » *aliquot* successit rigor propter haereses Montani, et Novati, qui magnum » rigorem professi Ecclesiae benignitatem exosam reddidere. Hunc rigorem » auxit ob sectas Gnosticorum, et Valentinianorum, qui vitam nimis mollem » sectati a Catholicis discerni per rigorem debebant, prout modo discernuntur » Lutherani etc. Accessit poenitentiae privatae etiam publica, et publicae sim- » plici etiam solemnis temporibus persecutionum, ut sic difficultate recon- » ciliationis retraherentur fideles ab apostasia, et tollerentur scandala quo- » rumdam Christianorum inter Gentiles degentium. 3. Successive remisit hic » rigor ad *finem saeculi quarti* in orientali Ecclesia, in occidentali vero ad » *finem saeculi septimi* abrogata poenitentia solemni; tum sublata etiam omni » publica nativam benignitatem induit Ecclesia *circa saeculum duodecimum*, » quantum in re hac valde incerta colligi verosimile potuit; partim quod » rigor hic coeperit esse *noxius*, inaequalis pro diverso Episcoporum genio, » indiscretus in Poenitentiariis, absterrens Gentiles et haereticos ab ingressu » Ecclesiae, partim quod *suppletus* sit per expeditiones sacras, plures indul- » gentias, Religiosos Ordines identidem nascentes, ceu publicae poenitentiae

» professiones, ac frequentiorem Sacramentorum usum ex majori numero
» Sacerdotum.

» *Dices* 1. Ecclesia semper fuit *rigida*. 5. *Causa* mutati rigoris fuit frige-
» scens fidelium charitas. 3. Distinctio inter poenitentiam *publicam com-*
» *munem*, *et publicam solemnem*, est conficta.

» R. *Ad* 1. N. Patet benignitas ab exemplo Christi erga Petrum, Publica-
» num, Magdalenam et adulteram; exemplo Pauli incestuosum Corinthium
» ex anathemate Ecclesiae brevi restituentis; s. Joannis Ev. suum discipulum,
» postea latronem, illico recipientis etc. *Ad* 2. N. Certe *saeculo decimoter-*
» *tio*, quo cessatum omnino a rigore est, fuere Pontifices zelosissimi, uti In-
» nocentius III. Honorius III. etc. Concilia celeberrima Lateranense IV., duo
» Lugdunensia, Viennense, 90. particularia ubi rigor restitutus fuisset, si
» visum esset fore consultum. *Ad* 3. N. Publica *communis* fuit, quando
» poenitens abstinebat ab oblectamentis etiam licitis, vacabat jejuniis, se-
» cedebat a communi populo sacris vacante ad locum separatum etc. *So-*
» *lemnis* vero habebat insuper certos ritus, et quatuor gradus flentium, au-
» dientium, prostratorum, et consistentium, durabatque ad longius tem-
» pus, e. g. 7. vel 10. annorum.

» *Q.* 2. An Sacramentalis confessio nunc sit alia, quam olim.

» R. *Non esse aliam*, saltem quoad substantiam, et modum notabilem.
» Ita patet ex prop. 18. ab *Alex. VIII* damnata.

» *Dices* 1. Olim confessio *publice* facta. 2. Olim fideles non confitebantur unde cruitur confiteri *venialia* esse abusum ob rationes varias. 3. Olim
» *rarissime confessi* sunt primi Christiani, et quotidie licet communican-
« tes, sine confessione ad synaxim accedebant.

» R. *Ad* 1. semper confessio auricularis fuit in usu, ut praedicti auctores etc.
» et quando publica confessio de peccatis in specie facta est, facta est dum-
» taxat de peccatis publicis, et eam praecessit secreta, ex qua judica-
» batur, quid publice esset confitendum. Certe Tridentinum sess. 14. c. 5.
» *Non satis consulte humana aliqua lege praeciperetur, ut delicta, prae-*
» *sertim secreta, publica essent confessione aperienda*, utique cum hoc
» infamaret poenitentem, excitaret lites inter conjuges, foret supra fragi-
» litatem humanam, quod Ecclesia, quae a Christo et Spiritu S. regitur,
» factitare nunquam potuit. *Ad* 2. ex Bulla desumptum, et *ad* 3. con-
» trarium solide probat *Viva* a n. 17. prop. 18. damn. tum quia *Trid.*
» sess. 14. c. 5. confessionem venialium ex usu piorum hominum dedu-
» cit, tum quia sic pharmaco sanguinis Christi privarentur maxime ho-
» mines timorati, ut de monialibus misere deceptis narrat.

» *Q.* 3. An satisfactio sacramentalis sit danda juxta canones. R. *Non esse*
» quia juxta *Suarez* d. 38. sect. 4. de poen. canones poenitentiales nunquam
» erant leges, sed instructiones, et merae regulae directae, ut illas Confes-
» sarii sequi possent, quantum expedire censerent; et si etiam olim fussent
» legitimae, multis de causis eas non usu Ecclesia abrogavit, prout etiam
» hodie laicis non datur comunio sub utraque specie, nec communio parvulis
» etc. ut olim Morinus l. 2. c. 21. et l. 4. c. 9. ait: *Poene criminibus*
» *impositae ante Novatum breves admodum fuere, et quandoque pax sce-*
» *leratissimis statim reddita nulla imperata exteriori poenitentia.*

» *Dices* 1. Poenitentiae leves augent *libertatem* peccandi. 2. Olim ad ma-
« jorem peccati horrorem *pro occultis* peccatis imponebantur publicae poe-
» nitentiae. 3. Imo et canonicae.

» *Ad* 1. Si sint nimium leves, erit abusus hominum privatorum, quem
» roborat usus Ecclesiae; si nimium graves, absterrent homines a confessio-
» ne. *Ad* 2. N. Sed tantum pro peccatis *notoriis* et *ex voluntate* ipsius
» poenitentis qui quandoque petebat aliquam poenitentiam ab Episcopo: si-
» cut publica confessio, ita et publica poenitentia esset infamatio, et sigilli

» laesio, faceretque Sacramentum odiosum. *Ad* 3. N. Solemnis solum imponebatur extra Sacramentum ab Episcopo *pro foro externo*, pro delictis sufficienter probatis in judicio: idque tantum ob delicta *canonica tria* idololatriam, homicidium, adulterium, quibus successu temporis pauca alia accessere; ac *semel* in vita, nec *omni* hominum generi; cum excepti fuerint sex hominum classes, scil. juniores 40. annis, clerici, officiales publici, conjuges sine consensu alterius conjugis, milites, nisi arma deponerent, ac impediti morbis, itineribus, laboribus aliis: imo poterant eam saepe *redimere* pascendo pauperes, dando pecuniam ad redemptionem captivorum etc. ut patet ex ep. 1. Siricii Papae, Conc. Triburiensi anno 892. habito etc.

» *Q.* 4. An satisfactio implenda ante absolutionem.

» R. *Non esse* ordinarie loquendo. *Alex. VIII.* damnavit prop. 16. quia ad substantiam conversionis sufficit verus dolor, serium propositum, ac sincera confessio: ergo cum aspirante divina gratia haec brevi fieri possint etc.

» *Dices* 1. Poenitentibus dandum *tempus portandi*, et sentiendi statum, ac jugum peccati, et *Quesnellus*, et auctor *speciminum Moralium* docet. 2. *Natura* poenitentiae exigit, ut materia praecedat formam; ut primo fiat Confessio, deinde poenitentiae impositio, ac hujus executio, tandem absolutio. 3. Olim primum absolvebantur post impletam *integram* poenitentiam.

» R. *Ad* 1. N. Sed quamprimum e statu peccati, in quo opera sunt mortua, eluctandum, sicut a morbo: ita Christus fecit cum Magdalena et aliis: sic s. Cornelius Papa absolvit Trophimum. Ep. Melchiades Donatistas, Concilium Antiochense Samosatenos, Nicaenum Novatianos, Laodicense Photinianos. S. Augustinus in Ps. 36. ait: *nonne si vis* (converti) *modo fit? Ecce! cum loquor, muta cor, et factum est. Ad* 2. N. Totum naturale exigit, ut prius ponantur partes essentiales, qualis est etiam absolutio, tum primum integrales, qualis satisfactio: ipsum adeo judicium exigit prius sententiam, quam executionem: ita *Alex. VIII.* damn. prop. 17. *Per illam praxim mox absolvendi ordo poenitentiae est inversus. Ad* 3. Hoc verum est de absolutione *canonica* pro foro externo, qua poenitens reconciliatus est post solemnem poenitentiam Ecclesiae, non de *sacramentali*, quae dabatur statim pro reconciliatione per Sacramentum poenitentiae cum Deo: duas enim absolutiones distinguendas esse, norunt omnes contra Alexandrum Natalem Diss. 7. et 9. Hist. Eccles. et Tournelium, licet limitantius loquentem: alii explicant etiam de *communione Eucharistiae*, quae primum post reconciliationem extra sacramentalem concedebatur.

» *Q.* 5. An absolutio sacramentalis danda sit omnibus.

» R. Cum nullum sit peccatum adeo enorme, ut deleri nequeat per potestatem sacramentalem *danda est omnibus dispositis:* an autem *statim*, vel differenda absolutio, judicio prudentis Confessarii relinquitur.

» *Dices* 1. Ecclesia olim aliquibus criminibus, hominibus relapsis post solemnem poenitentiam, Clericis in graviora flagitia prolapsis, peccatoribus poenitentiam usque ad mortem differentibus etc. *omnino negavit* absolutionem et veniam. 2. Severius egerunt ss. Xaverius, Salesius, Carolus Borromaeus, Thomas Villanovanus cum peccatoribus, ne facilitate absolutionis citu relaberentur. 3. Poenitentia ex sententia Trid. est *laboriosus baptismus*, ubi remissio peccatorum acquiri sine magnis fletibus nequit. Ita Jacobus Jansenius discipulus Baji, et Magister Cornelii Jansenii: item Joann. Sinnichius *in Saule Exrege* etc.

» R. *Ad* 1. Hoc intelligendum de absolutione *extrasacramentali*, qua vel a culpis et poenis absolvebantur, et *Ecclesiae* reconciliabantur poenitentes, vel a prohibitione mensae Eucharisticae, vel ab omnibus simul. *Ad* 2. Sanctos allegatos esse potius contrarios rigoristis, cum plures per benignita-

» tem Ecclesiae ad Christum adduxerint, quam per rigorem omnes rigo-
» ristae. *Ad* 3. Ibi Trid. loquitur de plena peccatorum remissione quoad
» culpam, quam quoad poenam omnem temporalem. Sane *Praxis Sacra-*
» *menti poenitentiae*, quam scripsit Ludov. Habert, et *Pastor bonus* Joan-
» nis Opstraet etc. aliaque eorum opera ipsis adeo Episcopis Galliae displi-
» cuere, ut ea damnarent: falsa ergo thesis est: *Is solus censetur vere conver-*
» *sus, qui notabili tempore sua crimina retractavit per facta contraria.*

» *Q.* 6. An salutare sit poenitentes arcere a sacra synaxi.

» R. Ut quandoque abstinere ex humilitate, bonum est, ita frequenter
» aut diutius arcere poenitentem, perniciosum: ita prop. 22. *ab Alex.*
» *VIII.* damn. Certe hominem debilem privare maximo ad vitam melio-
» rem remedio est aegro tollere medicinam, ut convalescat. *S. Leo* ep.
» 87. ad Episc. Gall. *Nulli Christianorum facile communio denegetur:*
» *cognovimus enim... animam, pro qua Christi sanguis effusus est, ir-*
» *rogatione tam saevi suppliciі sauciatam, inermem, exutamque omni*
» *munimine, diabolicis incursionibus objectam.*

» *Dices* 1. Abstinentia ab Eucharistia est poenitentia Christo acceptis-
» sima et homini saluberrima. Ita *Arnaldus* de freq. com. 2. Dispositio
» ad Eucharistiam necessaria est *amor purissimus*, omnis mixtionis ex-
» pers, et *mundities cordis* non tantum a peccatis, sed etiam a privatis
» motibus, et operationibus phantasiae libera etc. 3. In prima Ecclesia nihil
» *frequentius*, quam pro poenitentia *medicinali* prohibere communionem.

» R. *Ad* 1. N. Pernicies patet ex probatione nostra. *Ad* 2. N. *Trid.*
» sess. 13. c. 7. pro dispositione necessaria requirit: *Ut nullus peccati*
» *mortalis sibi conscius absque sacramentali confessione ad Eucharistiae*
» *Sacramentum accedere audeat. Ad* 3. Potius constat ministros non Sa-
» cerdotes, et fideles plurimos quotidie communicasse. Innocentius XI. in
» decreto anni 1678. non reprobat frequentem, imo nec quotidianam com-
» munionem, sed tantum cautelas quasdam praescribit. Vide dicta n. 384.
» *De poenitentibus* determinate loquendo, abstinentia a communione *pu-*
» *blica* fuit iis imposita, et quidem raro, ob peccata tantum scandalosa.
» Soterus anno 176. decretum edidit, ut omnes durante licet poenitentia coe-
» nae Domini, et Sylverius teste Burchardo l. 5. c. 19. ut quinquies in anno
» ad sacram synaxim accederent. S. Aug. hom. 50. inter 50. habet similia.

» *Q.* 7. An indulgentiarum usus sit nimius.

» R. *Non esse*, si a quibusdam falso praetensis praescindatur: certe *Trid.*
» *decreto de Indulg.* magnopere cupit hos defectus, si qui irrepant, emenda-
» ri. *Paulus V.* revocavit omnes indulgentias Regularium, et iis pauciores
» concessit, et *Benedictus XIV.* in Bulla 41. t. 3. multas sustulit etc. *Innocen-*
» *tius XI.* decreto anno 1677. 18. Mart. dato statuit, ut si alias Ecclesiam ali-
» quam visitantibus indulgentia concessa sit, altera plenaria non valeat. Unde
» *deducitur* neminem posse pluries lucrari indulgentiam plenariam eodem
» die, nisi alterutra indulgentia 1. data sit pro defunctis. 2. aut certo perso-
» narum generi, e. g. Confraternitati etc. 3. aut ob aliud opus certum, e. g.
» doctrinam Christianam explicandam, vel audiendam, quadraginta hora-
» rum comprecationem, litanias etc. 4. aut sit indulgentia stationum, aut
» 7. altarium Basilicae Vaticanae. V. *Bonet* de Indulg., *Viva*, *Amort etc.*

» Caeterum qualem regiminis formam Ecclesia, qualem superioritatem
» exerceat Pontifex in rebus mere sacris, v. g. decernendis dogmatibus fidei,
» concedenda jurisdictione ecclesiastica etc. varii varie sentiunt 1. *Mart. Be-*
» *canus* de Reipublica Eccles. praemissis 13. praerogativis s. Petri supra reli-
» quos Apostolos, tribuit Pontifici in spiritualibus potestatem Monarchicam.
» *Binerus* in Appar. Erud. p. 3. n. 29. superioritatem supra Concilium. 2.
» *Honoratus Tournely* assignat Ecclesiae regimen mixtum ex Monarchi-
» co et Aristocratico, et Papae superioritatem supremam in singulas dum-

» taxat Ecclesias, non in omnes simul collectas. *Collet* illius continuator con-
» cedit primatum et infallibilitatem Sedi Apostolicae seu Papae cum Clero Ro-
» mano, non item Papae solitario. 3. *Marcus Antonius de Dominis* s. Petro
» attribuit primatum vocationis tantum, actatis et favoris, Ecclesiae vero
» regimen Aristocraticum. 4. *Horix* s. Petrum solum facit inspecturem con-
» fratrum suorum, ne officio suo desint, ridiculam asserit quaestionem de
» regimine Ecclesiae: taceo *modernos* quosdam, qui miscere conantur Luthe-
» ri principia cum Jansenii dogmatibus, ut Eclecticam Religionem sub juris
» naturalis aut publici schemate efforment, exemplo *Paschas. Quesnelli*, qui
» 30. annis per Belgium profugus, editis 25. variis opusculis, attraxit cum
» suo *Ant. Arnaldo* integram hominum factionem fictitii passim nominibus
» usam, multos adversus Pontifices excitantem, in ipsas adeo Accademias Lo-
» vanii et Duaci aditum tentantem, et plus libellorum undique spargentem,
» quam per duo saecula secta Calviniana disseminarit, ut refert lib. *Motivum*
» *juris etc. et Constitutio* Unigenitus *propugnata*. V. Card. Sfondrati, Danes etc.

CAPUT V. *De Sacramento extremae Unctionis.*

§. I. *Praenotanda.*

891. I. Sacramentum, quod a Grecis in Euchologio vocatur ἅγιον ἔλαιον, *oleum sanctum*; item εὐχέλαιον, *oleum cum oratione*; a latinis dicitur *extrema unctio*, tum quia infirmis in exitu vitae constitutis solet administrari, unde etiam *sacramentum exeuntium*, ut ait *Trid.* sess. 14. c. 3., dictum est, tum quia haec unctio inter caeteras unctiones, quae in Ecclesia sunt in usu, ordine postrema est. Praeterea hoc sacramentum *non modo poenitentiae* (ut iterum loquitur *Trid.*) *sed et totius Christianae vitae, quae perpetua poenitentia esse debet, consumativum existimatum* est a Patribus.

892. II. De fide est, extremam unctionem esse vere ac proprie Sacramentum. *Prob.* 1. ex Scriptura. *Jacobi* 5. v. 14. legitur: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit, remittentur ei.* Ex quibus verbis sic conficitur argumentum: ad sacramentum vere ac proprie dictum tria requiruntur, scil. *signum sensibile*: *promissio gratiae huic signo annexa*: *institutio divina*: atqui haec tria in laudatis Apostoli verbis attribuuntur extremae unctioni: ergo *Min. prob.* 1. Habetur *signum sensibile*, nimirum unctio cum oratione, et quidem hoc signum est perpetuum, et constanter fuit in usu in Religione Christiana, ut constat ex testimoniis patrum apud *Laym.* t. 8. c. 1. a n. 3. .... 2. Habetur *promissio gratiae, alleviabit eum Dominus*, dando gratiam, ut infirmus morbi incommoda patienter ferat, et contra timorem mortis, ac conscientiae stimulos erigatur ad spem in Deum: denique, *si in peccatis sit, remittentur ei.* 3. Habetur *institutio divina*, quam denotat Apostolus, cum tam fidenter promittat sacra illa unctione alleviandum infirmum, et peccata ejus remittenda, quam efficaciam nullus homo signo externo tribuere potest. De hac institutione *Trid.* l. c. cap. 1. ita docet: *Instituta est autem sacra haec unctio infirmorum tamquam vere et proprie Sacramentum N. T. a Christo Domino nostro, apud Marcum quidem* (c. 6.) *insinuatum, per Jacobum autem Apostolum ac Domini fratrem fidelibus commendatum ac promulgatum*: Infirmatur, inquit, quis in vobis? inducat Presbyteros etc. Ubi recte dicitur, hoc Sacramentum *Marci* 6. insinuatum; illud enim (ut ait *Bellarm.* de extr. unct. c. 2.) *dicitur insinuari, quod non expresse proponitur, sed adumbratur, et obscure indicatur per aliud tamquam symbolum*, neque illi unctioni legitur annexa gratia spiritualis, neque oratio Sacerdotum etc. quae omnia di-

stincte enumerat Apostolus *Jacobus*. Quando autem determinate Christus instituerit hoc Sacramentum, ex Scriptura certo non constat. Probabilius juxta *Laym.* l. c. n. 2. institutum videtur *Joan.* 20. dum Christus Apostolis dedit potestatem remittendi peccata, ubi quidem praecipue institutum est Sacramentum poenitentiae; quia autem potestas conferendi extremam unctionem includit potestatem remittendi peccata, hinc recte dicitur, utrumque simul esse institutum, idque confirmat ex *S. Chrysost.* L. 3. de Sacerd. et *Origene* hom. 2. Numerorum.

Prob. 2. ex *Trid.* l. c. can. 1. *Si quis dixerit, extremam unctionem non esse vere et proprie Sacramentum a Cristo Domino institutum, et a B. Jacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum, anathema sit.* Ex his recte definitur extrema unctio, Sacramentum a Christo Domino institutum, quo aegroti per sacram unctionem et orationem Sacerdotis in magnis morbi molestiis relevantur, et corpora etiam, si ita expedit, sanitati restituuntur.

893. III. De effectu hujus Sacramenti *Trid.* l. c. cap. 2. ita docet: *Res porro et effectus hujus Sacramenti illis verbis explicatur:* Et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit, dimittentur ei: *res etenim haec gratia est Spiritus Sancti, cujus unctio delicta, siquae sint adhuc expianda, et peccati reliquias abstergit, et aegroti animam alleviat et confirmat, magnam in eo divinae misericordiae fiduciam excitando, qua infirmus sublevatur, et morbi incommoda ac labores levius fert, et tentationibus daemonis calcaneo insidiantis facilius resistit, et sanitatem corporis interdum, ubi saluti animae expedierit, consequitur.* Idem *can.* 2. l. c. definit: *Si quis dixerit, sacram infirmorum unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos, sed jam cessasse, quasi olim tantum fuerit gratia curationum, anathema sit.*

Ex quibus liquet, triplicem esse effectum hujus Sacramenti. *Primum* confert gratiam sanctificantem, et quidem *per se*, gratiam secundam sive augmentum gratiae; cum sit Sacramentum vivorum: gratia haec, prout dicitur sacramentalis, denotat auxilia specialia ad alleviandam animam et abstergendas peccati reliquias, per quas intellige humanos defectus, et infirmitates ex peccato originali et actualibus contractas, quales sunt propensio ad malum, torpor ad bonum, quaedam gravedo animam deprimens, quominus ad coelestia se erigat, moeror et anxietas, quae moribundos vexare solet, et diffidentiam provocat. 2. Haec gratia Spiritus S. delicta, si quae adhuc sint expianda, et eorum reliquias abstergit: *quae reliquiae* (ut loquitur s. Carolus in instit. de extrem. unct.) *peccata esse intelliguntur, sive mortalia, sive venialia, quae post alia Sacramenta remanent; potest enim fieri, ut ignorante eo qui commisit, vel non valente confiteri, peccatum mortale remaneat, in quo delendo ita hoc Sacramento juvatur, ut fieri possit, eum per hoc Sacramentum salvari, qui alioquin fuisset damnandus.* Idem docet *S. Thom.* L. 4. contra Gentes c. 73. Praeterea per reliquias intelliguntur poenae temporales remissa culpa adhuc reliquae. 3. Effectus secundarius est sanatio corporis, ex hypothesi, quod saluti animae expediat, uti verba illa: *Et oratio fidei salvabit infirmum*, explicant *Hugo Vict., S. Thom., S. Bonav.* Et *Eugenius IV.* in Decreto ad Armenos ait: *Effectus* (extremae unctionis) *est mentis sanatio, in quantum autem expedit, etiam, corporis.*

§. II. *Principia practica de Sacramento extremae Unctionis.*

894. *Principium I. Materia* Sacram. extremae unctionis *remota est oleum ab Episcopo benedictum, materia proxima est unctio.* Utrumque clare colligitur ex verbis *S. Jacobi: Ungentes eum oleo.* Unde *Trid.* l. c. cap. 1. docet: *Intellexit enim Ecclesia, materiam esse oleum ab Episcopo benedictum;*

nam unctio aptissime Spiritus S. gratiam, qua invisibiliter anima aegrotantis inungitur, repraesentat. Dixi 1. *Oleum* scil. olivarum; oleum enim aliunde, quam ex olivarum baccis expressum v. g. ex nucibus, aut oleum ex semine lini etc. non dicitur simpliciter oleum, sed cum addito, et secundum quamdam similitudinem: ergo sicut aqua ex floribus aut herbis educta non est materia idonea baptismi, cum non sit simpliciter aqua, ita a pari. Dixi 2. *Ab Episcopo benedictum*, ita quidem ut, juxta probabiliorem ac communiorem *S. Thom.* in supplem. q. 26. n. 5., *Bellar., Estii, Suaresii, Sylvii* et aliorum, benedictio sit de necessitate Sacramenti, hinc post damnationem 1. propositionis ab *Innoc. XI.* contraria sententia *Victoriae, Cajetani, Natal. Alex.* et aliorum negantium benedictionem olei esse de valore, practice non est probabilis, hoc ipso quod quaestio sit de valore, et sententia affirmans sit probabilior, et fere communissima: alias enim Sacramentum exponeretur periculo nullitatis. Accedit quod *Trid.* sess. 14. c. 1. de extr. unct. expresse tantum loquatur de *oleo ab Episcopo benedicto.* Hinc invalida esset unctio, si absente oleo benedicto quis adhiberet oleum olivarum non benedictum. Praeterea ex praecepto Ecclesiae oleum debet eo ipso anno, quo adhibetur, esse benedictum, qui annus a die Jovis sancto ad eumdem diem Jovis sanctum sequentis anni reputatur. Ideoque peccatur graviter, si *extra necessitatem* adhibeatur antiquum.

Dixi 3. *Materia proxima est unctio*: quia usus vel applicatio materiae remotae dicitur materia proxima Sacramenti: ergo sicut ablutio in baptismo, ita in hoc Sacramento unctio, quae est applicatio olei ex verbis *S. Jacobi*: *Ungentes eum oleo*, est materia proxima. Porro *regulariter*, non una, sed plures in diversis partibus corporis debent fieri unctiones pro cujusque dioeceseos consuetudine. In Decreto *Eugenii IV.* pro armenis hic ritus describitur: *Infirmus ungendus est in oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum.* Unctio in renibus (de qua ibid. fit mentio) ex Conc. *Mediol. IV.* et plerisque Ritualibus pudoris causa praetermittitur. In praxi quilibet consulat Rituale dioeceseos, ubi ministrat, et sedulo adhibeat preces ac ritus ibi praescriptos.

895. *Princip. II.* Forma hujus Sacramenti est: *Per istam sanctam unctionem, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per visum deliquisti.* Quae tota forma repetitur in singulis unctionibus singulorum sensuum, mutato solo cujuslibet sensus vocabulo, scilicet quidquid *per auditum, per odoratum, per gustum et locutionem, per tactum, per gressum* deliquisti. De hac forma (uti et de materia) ait *Trid.* sess. 14. c. 1. de institut. Sacram. extr. unct.: Infirmatur quis in vobis *etc. Quibus verbis, ut ex Apostolica traditione per manus accepta Ecclesia didicit, docet materiam, formam, proprium ministrum, et effectum hujus salutaris Sacramenti; intellexit enim Ecclesia, materiam esse oleum .... formam deinde esse illa verba*: per istam unctionem *etc.* Idem *Trid.* l. c. can. 3. definit: *Siquis dixerit, extremae unctionis ritum et usum, quem observat Sancta Romana Ecclesia repugnare sententiae B. Jacobi Apostoli, ideoque eum mutandum, posseque a Christianis absque peccato contemni, anathema sit.* Ex quibus clare conficitur hanc formam *deprecatoriam* ex traditione universalis Ecclesiae satis determinari orationem generice a B. Jacobo expressam, neque eam mutandam esse, cum forma primario pertineat ad ritum et usum Sacramenti.

896. *Princip. III.* Minister hujus Sacramenti est Presbyter, sive solus Sacerdos legitime ordinatus. Patet ex verbis *S. Jacobi*: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros etc.* De quibus verbis *Trid.* sess. 14. c. 3. ita docet: *Nam et ostenditur illic, proprios hujus Sacramenti ministros esse Ecclesiae Presbyteros, quo nomine eo loco, non aetate seniores aut primores in populo intelligendi veniunt, sed aut Episcopi, aut Sacerdotes ab ipsis rite ordi-*

nati per impositionem manuum Presbyterii. Conformiter huic doctrinae definit can. 4. de extr. unct. *Si quis dixerit, Presbyteros Ecclesiae, quos B. Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse Sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed aetate seniores in quavis communitate, ob idque proprium extremae unctionis ministrum non esse solum Sacerdotem, anathema sit.*

Dixi supra in genere, *minister est solus Sacerdos*; *valide* enim quilibet Sacerdos administrare potest extremam unctionem, quia ad validam hujus Sacramenti administrationem in ministro habente intentionem hoc Sacramentum administrandi juxta institutionem Christi et ritum Ecclesiae, et adhibente debitam materiam et formam, sufficit potestas ordinis; *licite* vero illam administrare potest solus Sacerdos proprius, sive Parochus, et qui habet delegatam vel subdelegatam cum eo Curam parochialem, quali gaudent Sacellani, Cooperatores et alii cum facultate proprii Pastoris. Hinc si alius *sine proprii Pastoris licentia* extremam unctionem conferat, peccat graviter, et si sit Religiosus, insuper excommunicationem Papalem ipso facto incurrit juxta *Clement.* 1. de Privil. et Clement. *Dudum.* de Sepult. *Excipe* casum extremae necessitatis.

897. *Princip. IV.* Subjectum capax hujus Sacramenti est solus homo baptizatus, qui rationis usum adeptus est, et ex morbo vita periclitatur. Ita colligitur ex verbis *S. Jacobi*: *Infirmatur quis in vobis?* Et *Trid.* l. c. cap. 3. docet: *Declaratur etiam, esse hanc unctionem infirmis adhibendam, illis vero praesertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitae constituti videantur: unde et Sacramentum exeuntium nuncupatur. Quod si infirmi post susceptam hanc unctionem convaluerint, iterum hujus Sacramenti subsidio juvari poterunt, cum in aliud simile vitae discrimen inciderint.* Dixi supra 1. *Homo baptizatus*, quia sine baptismo, qui est janua Sacramentorum, homo non est capax aliorum Sacramentorum, quae Christus pro salute fidelium, sive Ecclesiae instituit. Dixi 2. *Qui rationis usum adeptus est*; hinc extrema unctio administranda non est infantibus et perpetuo amentibus ut constat ex praxi Ecclesiae. *Ratio* autem est, quia in his locum habere nequit forma: *Indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti*; infantes enim et perpetuo amentes sunt incapaces peccati personalis. Praeterea cum hoc Sacramentum sit consummativum poenitentiae, supponit illum, cui confertur, esse capacem poenitentiae, tentationum, et peccatorum actualium; praecipuus enim fructus, et finis extremae unctionis est, abstergere peccatorum reliquias, et tollere impedimenta introitus in regnum coelorum, ut ait *Laymann* L. 5. t. 8. c. 4.

898. *Princip. V.* Ad recipiendam validam et cum fructu extremam unctionem juxta Rituale Rom. *illud imprimis, ex generali Ecclesiae consuetudine observandum est, ut si tempus, et infirmi conditio permittat, ante extremam unctionem, poenitentiae et Eucharistiae Sacramenta infirmis praebeantur.* In homine justo sufficit voluntas vel actualis, vel virtualis, vel habitualis suscipiendi hoc Sacramentum, quamdiu non est retractata: imo videtur sufficere interpretativa, vel ut vocat *P. Antoine* de extr. unct. q. 5. generalis illa voluntas, qua unusquisque poenitens, et bene dispositus vult frui omnibus remediis ad salutem necessariis, vel utilibus a Christo institutis, ut constat tum ex *Rit. Rom.*, tum ex praxi Ecclesiae conferentis hoc Sacramentum subitaneo morbo oppressis, et sensuum ac rationis usu subito destitutis. Homo vero peccati mortalis sibi conscius praeter voluntatem recipiendi Sacramentum saltem generalem tenetur, si possit, praemittere confessionem, vel si nequeat, dolorem de peccatis, et quidem perfectum juxta illos, qui defendunt, quod extrema unctio ex attrito non faciat contritum. *Suarez* in 3. p. d. 41. sect. 1. n. 19. etsi concedat hoc Sacramentum posse aliquando facere hominem de attrito contritum, et infundere gratiam primam, nihilominus requirit, ut is qui conscius est sibi culpae mortalis et non potest confiteri, eliciat contritionem

perfectam; quia hoc Sacramentum per se supponit gratiam primam, infert: Est ergo contra institutionem hujus Sacramenti, quo quis sciens, se esse in statu peccati mortalis, illud suscipiat, quantumvis sit attritus. Et infra concludit: Alias tam esset per se institutum hoc Sacramentum in remedium peccati, sicut poenitentia, quod plane falsum est. In sequentibus vero casibus, ait, posse per accidens sufficere solam attritionem 1. Si vel invincibiliter putetur contritio, quae tantum est attritio. 2. Vel si quis invincibiliter putet, attritionem esse sufficientem dispositionem. 3. Si Sacramentum extremae unctionis detur ei, qui jam est destitutus usu rationis, sed antea compos mentis elicuit attritionem, quam non revocavit. Plura vide in Theol. Schol.

§. III. *Resolutio Casuum.*

Casus I. De Materia remota et proxima extremae Unctionis.

Nathanael Sacerdos inungit moribundum per errorem sacro chrismate loco olei; dum claudit vasculum, advertit errorem, ideoque denuo inungit. Post unctionem oculorum advertit moribundum ita deficere, ut non amplius det signum vitae; hinc omittit reliquas unctiones: paulo post iterum respirat aegrotus.

899. *Q.* I. An chrisma sit materia valida hujus Sacramenti: item an Nathanael in casu recte egerit iterando unctionem, cognito errore adhibiti chrismatis loco olei infirmorum. R. *Ad* 1. *Suarez* in 3. p. d. 40. sect. 1. n. 10. censet chrisma, licet mixtionem habeat balsami, esse sufficientem materiam, eo quod olim infirmis ungendis adhibitum fuerit, ut probat ex responso *Innocentii I.* ad Decentium, item ex Conc. Wormat. et Aquisgranensi. Nec refert, quod chrisma non sit benedictum benedictione olei infirmorum, quia illa benedictio in Pontificali probabiliter non estde necessitate Sacramenti, sed praecepti. Adde quod Concilia solum benedictionem Episcopalem tanquam necessariam exprimant; nihil autem de modo benedictionis determinent. Denique etiam ex eo probatur, quod mixtio balsami tam exigua esse soleat, ut oleum nec physice, nec moraliter quoad substantiam mutari censeatur, ideoque de chrismate vere affirmari potest, quod sit oleum ab Episcopo benedictum. Alii vero cum *Palud.*, *Soto*, et *Valentia* tenent contrarium, eo quod sicut hodie, ita et olim semper fuerint distincta unguenta confirmationis et extremae unctionis, quamvis uno eodemque vocabulo chrismatis expressa, ut probant ex Conc. *Meldensi*. Ex his *Laymann* l. 1. c. 2. n. 3. pro praxi deducit: Si ad manum non habeatur oleum infirmorum, non licere Sacerdoti ad extremam unctionem uti chrismate, quia saltem nunc consuetudo Ecclesiae repugnat; in casu tamen urgentis necessitatis id licitum esse concedit *Leonard.* t. 5. de extr. unct. c. 1. §. 4. n. 15., quia concurrente probabili DD. sententia, in casu necessitatis urgentis, materiam vere probabilem adhibere praestat, quam indigentem privare hoc medio salutis. Multo magis in tali casu adhibere potest oleum benedictum pro infirmis, si mixtum sit balsamo, aut alio liquore in quantitate tam modica, ut communi aestimatione adhuc censeatur esse oleum. *Babenst.* t. 8. p. 6. d. 7. a. 2. n. 3. cum *Palao et Salmant.*

Ad secundum respondet *Laym.* l. c. Si Sacerdos per errorem infirmum unxit sacro chrismate, probabiliter nihil esse repetendum, sed rem Deo commendandam, quia plerumque id fieri nequit sine scandalo. Alii censent saltem tunc esse iterandam unctionem, quando infirmus nec suscepit, nec suscipere potest aliud Sacramentum.

900. *Q.* II. Quid? si Parochus per annum advertat non sufficere oleum infirmorum usque ad illud tempus, quo recens benedictum accepturus est. R. Si facile non possit habere ab Episcopo, licebit in minore quantitate affundere oleum olivarum non benedictum, ut tenet communis DD. sententia ex c. *Quod*

in dubiis, de consecr. Eccles. ubi expresse habetur: *Non negamus, quin oleum non consecratum consecrato possit oleo commisceri.* Idem habetur in Rit. Rom. a *Paulo V.* approbato. Idem declaravit s. Congr. 1682. 23. Septemb.

901. *Q.* III. An de essentia hujus Sacramenti sint omnes unctiones in Decreto *Eugenii IV.* expressae, et formae prolationes. De hac quaestione Bened. XIV. in Tr. de Syn. Dioec. L. 7. c. 18. respondet 1. quod *ultro DD. omnes fateantur cum Suar. duas postremas unctiones, pedum scil. et renum necessarias non esse ad validam Sacramenti confectionem, tum quia non sunt in usu apud omnes Ecclesias, tum quia illa renum honestatis et pudoris causa semper omittitur in foeminis.* 2. Ibid. ait, quod antiquiores Scholastici cum *S. Bonav., Palud., Soto, Bellarm., Valentia*, et aliis plurimis existimarint, caeteras quinque sensuum unctiones pertinere ad substantiam, et integritatem Sacramenti. 3. Refert quod alii, et quidem recentiores passim cum *Sylvio, Nic., Serario, Becano, Estio, Nat. Alex.* etc. censeant, unctiones quinque sensuum necessarias quidem esse de praecepto, sed non de essentia, ideoque validum esse extr. unct. Sacramentum, si vel una tantum inungatur corporis pars, unica prolata forma universali omnes sensus complectente, idque probat ex peculiarum Ecclesiarum Ritualibus. 4. denique subjungit: *Sed quoniam neque de hac quaestione, quae sane gravissima est, ulla hactenus ab Apostolica Sede prodiit sententia, non debet Episcopus in sua Synodo aliquid de illa decernere, sed dumtaxat Parochos monebit, ut cum prudenter timent aegrotum decessurum, priusquam omnes absolvantur quinque sensuum unctiones, unicum sensum inungant, formam universalem pronuntiando . . . quin imo in praedicto eventu consultius esse, ut caput, a quo omnium sensuum nervi descendunt, sub eadem forma universali inungatur, non immerito advertit Coninck. Ne vero Parochi hac libertate abutantur, expedit ut Episcopus simul serio eosdem admoneat, a gravi culpae reatu non excusari, qui extra casum verae necessitatis, vel unam ex quinque sensuum unctionibus praetermittit.*

902. *Q.* IV. Sub qua forma universali inungendus sit moribundus, si urgeat necessitas. R. Si mora patiatur, Sacerdos inungendo unum oculum, unam aurem etc. dicat: *Per istas sanctas unctiones etc. indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti per visum, auditum, gustum, odoratum, et tactum.* Si periculum adhuc magis urgeat, item *in morbis contagiosis, et peste grassante, ut periculum vitetur, sufficit inungi sensus organum magis ad sacram unctionem expositum ac detectum dicendo: Per istam sanctam unctionem, et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum, et tactum.* Hanc regulam Benedictus XIV. l. c. refert ex Pastorali Mechlinicusi, ubi et aliam ex Rituali Parisiensi addit: *Si non possit super infirmum fieri, nisi unica unctio, ungatur oculus, vel aliud sensuum organum, et caeteris precibus praetermissis dicatur: Per istam sacri olei unctionem, et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid peccasti per sensus.*

903. Pro praxi *observa* sequentia. I. Sacerdos hoc Sacramentum administraturus, ne sacrum chrisma, aut oleum salutis adhibeat, attendat, quae pyxis notata sit littera I., quae denotat oleum Infirmorum. Unctio facienda est pollice manus dexterae Sacerdotis (tempore pestis fieri posse unctionem mediante instrumento, v. g. virga oblonga oleo tincta, affirmat *Buseb.* cum *Sylv.* et *Dian.*) in modum crucis, incipiendo ab oculo dextero ad sinistrum, item ab aure dextera ad sinistram etc. Si coecus a nativitate, vel carens manibus aut pedibus inungendus sit, unctio nihilominus fiat in parte vicina, quia licet talis peccare non potuerit quoad effectum illo sensu, potuit tamen delinquere quoad affectum. Dixi, *in modum crucis* debere fieri unctionem, qui modus ad substantiam quidem non pertinet Sacramenti; facile tamen negligi absque culpa saltem veniali non debet. *Laymann.* l. c. cum *S. Thoma, Suarez.*

et aliis. *Clericatus* de extr. unct. decis. 67. n. 18. illum Sacerdotem non excusat a gravi peccato, qui sine causa omitteret signum crucis in unctione, eo quod tum *Rituale Rom.*, tum alia passim Pastoralia id praescribant. Forma ordinarie non est tota enuntianda, priusquam uterque oculus, vel utraque manus sit inuncta, uti monet *Leonard.*

904. II. Presbyteri infirmi manus inungi debent exterius, quia interius jam inunctae sunt in ordinatione: aliorum vero, qui Presbyteri non sunt, manus inungendae sunt interius, sive in vola.

905. *Q.* V. An Sacerdos abrumpens unctionem, quia putat, aegrotum sub unctione esse mortuum, dum advertit moribundum denuo dare signa vitae, debeat repetere unctiones jam factas. R. Si mora intermedia fuerit brevis, sine repetitione addat reliquas unctiones, quia sic moraliter adhuc censentur uniri prioribus: si vero longior intercesserit mora, v. g. unius quadrantis horae, repetat jam factas, quia tunc non videntur priores cum posterioribus moraliter uniri. *Rit. Rom.* hanc tradit regulam: *Si dum inungitur infirmus decedat, presbyter ultra non procedat. Si dubitat, an vivat adhuc, unctionem prosequatur sub conditione pronunciando formam dicens* (scil. mente, *si vivis*) *per istam S. Unctionem etc.*

Casus II. De Ministro extremae Unctionis.

Nicephorus et Nivardus Sacerdotes aegrotum subito nimis deficientem ita inungunt, ut unus inungat, alter formam proferat. Postea Nicephorus de valore hujus extr. unct. dubius diu cum Nivardo hac super re disceptat; cui respondet Nivardus, constare ex pluribus antiquis Ritualibus, plures olim in Ecclesia latina adhibitos simul fuisse Sacerdotes in administratione extremae unctionis, ideoque nec de valore hic dubitandum esse.

906. *Q.* An hoc modo valide fuerit collatum Sacramentum extremae unctionis. R. *Negative.* Praxis continua Ecclesiae satis confirmat, alium non esse sensum verborum s. Jacobi (*orent super eum, ungentes eum etc.*) quam eumdem, qui orat proferendo formam, etiam debere inungere.

907. De ministro extr. unct. erudite docet *Bened. XIV.* in laudato opere l. 7. de Synodo c. 19...1. Administrationem solis esse commissam Sacerdotibus, atque unum sufficere ex definitione *Alex. III.* in cap. *Quaesivit* de verb. sign. 2. Neminem ambigere, quamvis unus sufficiat, plures tamen olim in Ecclesia latina adhibitos fuisse Sacerdotes, ac etiam nunc ratum esse, si a pluribus Sacerdotibus simul administraretur extrema unctio, modo singuli diversos inungant infirmi sensus, ac quilibet congruam unctioni formam pronunciet. 3. Etiam spectata hodiernae Ecclesiae disciplina laudabile esse, ut uni Sacerdoti administranti hoc Sacramentum alii assistant Sacerdotes. In ejusdem Constitutione, quae in Volum. 1. Bullarii est n. 57., ita habetur: *Nec refert, utrum eadem extrema unctio per unum vel plures Presbyteros fiat, ubi ejusmodi viget consuetudo, dummodo credant, et asserant* (loquitur de Graecorum consuetudine, apud quos septem vel saltem tres Sacerdotes inungunt) *illud Sacramentum, servata debita materia et forma, valide et licite confici ab uno Presbytero. Idem Sacerdos materiam adhibere, formamque pronuntiare respective debet, ac praeterea qui ungit, idem dicat formam respondentem: nec alius ungat, et alius formam pronuntiet.* NB. verba illa: *ubi consuetudo viget*; nam ubi ea non est, nec licet a pluribus simul conferri hoc Sacramentum, hoc ipso quod sit contra ritum communem.

908. *Si dicas*, ex verbis s. Jacobi, *inducat presbyteros*, potius erui, plures Sacerdotes necessario debere simul inungere. R. Est enallage numeri, et hic sensus idem sonat, ac inducat aliquem ex presbyteris; sicut dicimus peccata confiteri presbyteris, id est alicui ex presbyteris. Ita *Tournely* in praelect. theol. tom. 2. de extr. unct. a. 4. q. 3.

909. Sacerdos administrando hoc Sacramentum *regulariter* debet esse indutus superpelliceo, et stola. Dixi, *regulariter*: quia juxta probabilem *Quintanad.* et *Leand.* non est grave peccatum, dum in necessitate, si ista haberi non possint, administratur hoc Sacramentum sine iis.

910. Juxta *Clericatum* decis. 71. n. 11. communis est sententia, quod parochus ex justitia et sub gravi praecepto teneatur ministrare vel per se, vel per alium idoneum Sacerdotem extremam unctionem subditis suis graviter aegrotantibus, tum quia stipendia parochialia dantur sub hac obligatione ministrandi Sacramenta suis parochianis; tum quia parochus tenetur ex justitia ministrare suis non tantum necessaria Sacramenta, sed etiam illa, quae valde prosunt eorum saluti, et quae sunt instituta a Christo tanquam remedia valde proficua fidelibus, maxime in periculo constitutis, quales sunt periculose decumbentes.

911. Quaestionem, an parochus tempore pestis teneatur cum periculo propriae vitae ministrare suis parochianis Sacramentum extremae unctionis, ita resolvit *Clericatus* decis. 71. n. 20. In hac controversia, quia prima opinio affirmans obligationem absolute cum *Gabr. Sylvio*, et *Nugno* videtur esse nimis rigorosa, secunda autem eam negans cum *Villalobos*, *Tannero* et aliis censetur nimis laxa, ideo media tenenda videtur, scil. si infirmus paulo ante non sit confessus, aut post confessionem verosimiliter sciat parochus infirmum esse in statu peccati mortalis, neque posse amplius confiteri, in hoc, ait, casu teneri parochum sub mortali ei ministrare extremam unctionem, etiam cum periculo vitae, quia tunc hoc Sacramentum existimatur necessarium tali infirmo, ut eo mediante, si habeat saltem attritionem de peccatis, consequatur eorum remissionem, vitam spiritualem: secus si paulo ante sit confessus, nec aliunde sciatur, esse in statu peccati. Idem sentit *Suar.* in 3. P. d. 44. sect. 3. n. 15.

912. Quoad regulares circa administrationem extr. unct. idem modo laudatus *Clericatus* l. c. n. 23. 1. asserit, quod Praelati vel Superiores Regulares obligati sint ex justitia suis subditis graviter infirmis dare vel per se, vel per alios Sacerdotes a se deputandos extremam unctionem. Consentit *Lezana* tom. 3. de extr. unct., *Mastrius* et *Tamb.* de Jure Abbatum tom. 2. disp. 7. q. 7. *Ratio* est, quia ejusmodi subditi habent jus petendi ab eis hoc Sacramentum, ne sint pejoris conditionis, quam laici. Accedit, quod hi suis Praelatis praestent stipendia obsequii, reverentiae, ac obedientiae, quae sunt altioris conditionis, quam stipendia pecuniarum; ac propterea, si Superiores in hoc deficerent culpabiliter, peccarent mortaliter. Plura apud *P. Gobat* in Theol. exper. tr. 1. n. 137. et seq.

2. Regulares deputati a Superioribus ad hoc Sacramentum ministrandum aegrotantibus in monasterio, possunt illud dare non solum servientibus toti monasterio, sed etiam Praelato, aut religioso in particulari, praesertim si habitent continuo intra septa monasterii, imo etiam si soliti sint pernoctare in propria domo, casu quo corripiuntur lethali morbo in ipso monasterio; idem dicendum de aliis, qui amicitiae, sacrorum exercitiorum, vel cujuscumque negotii causa in monasterio corripiuntur subitaneo morbo. *Gobat.* l. c. t. 8. n. 862. et seq.

3. Ad quaestionem, an Regulares praesidentes Seminariis, vel Collegiis studentium erectis possint ministrare sacrum viaticum, et extremam unctionem convictoribus suis vel alumnis, ac famulis laicis ibidem inservientibus; respondet *Cleric.* L. 1. n. 27. cum *Lugone* in responsis moral. L. 4. dub. 33. *affirmative*, si regulares vel ipsi erexerint ejusmodi Seminarium, vel erectum tanquam domini possideant: quia tunc ipsi Regulares sunt domini domus illius, studentes autem sunt eorum commensales, et hospites: potissimum id desumitur ex privilegiis eorum, quae l. c. enumerat *Lugo*. Secus si alicubi in

tali Seminario ipsi Regulares sint convictores simplices, et famulantes convictoribus.

913. *Q.* II. In quo casu necessitatis Regulares licite possint extremum inungere quoscumque graviter decumbentes. R. Talis necessitas censetur, si parochus sit absens, vel irrationabiliter recuset ungere infirmum parochianum suum. *Ratio* est, quia praesumitur in tali casu tacita licentia summi Pontificis, et Episcopi; eorum enim mens est, ut fideles non defraudentur mediis ad eorum salutem institutis a Christo. Addit *Clericatus* l. c. n. 28. Quando agitur de aliquo opere licite faciendo, ad quod non est necessaria jurisdictio, sufficit praesumptus consensus Superiorum: atqui tale opus est administratio extr. unctionis: ergo.

914. *Q.* III. Quid ex parte ministri requiratur, ut digne administret extr. unctionem. R. Quae requirantur ad *valide* administrandum hoc Sacramentum, dictum est n. 896. scil. ut sit Sacerdos, et habeat debitam intentionem. Ut *licite* ministret, duplex dispositio ex parte ministri requiritur, 1. *Interna*, ut sit in statu gratiae; gravissima enim foret indecentia, si Sacerdos inimicus Dei in statu peccati mortalis ministret Sacramentum, quo Dei vices gerens alios sanctificaret. Ideoque si administraturus hoc Sacramentum advertat se esse in statu peccati gravis, debet vel prius confiteri, vel elicere actum contritionis, ne novo peccato se coinquinet indigne administrando. *Gobat* in Exper. d. 1. n. 55. Praeterea talis Sacerdos debet esse liber ab excommunicatione, suspensione, et interdicto Ecclesiastico. 2. Dispositio *externa* exigit, ut sit indutus superpelliceo et stola, et priusquam incipiat inungere aegrotum, recitet orationes in Rituali praescriptas. Recitatio psalmorum poenitentialium non est de praecepto, sed consilio: aliae vero orationes nempe *Adjutorium nostrum* etc. *Introcat*, *Domine Jesu Christe* etc., *Confiteor.* etc., *Misereatur* etc. usque ad primam unctionem absque gravi culpa non licet praetermittere, nisi evidenter infirmi vita per momenta deficeret, et tempus non sufficeret ad illas recitandas. Ita *Clericatus* decis. 74. n. 20. cum *Gobat*, *Tamb.* et *Quintanad.*

915. Circa locum administrationis praecipit Rit. Rom. *Sacerdos hoc Sacramentum administraturus, quatenus fieri poterit, parari curet apud infirmum mensam mappa candida coopertam, itemque vas, in quo sit bombacium, seu quid simile in septem globulos distinctum ad abstergendas partes inunctas, medullam panis ad detergendos digitos* (in aliquibus locis loco panis, et cum pane apponitur sal) *et aquam ad abluendas Sacerdotis manus; ceream item candelam, quae deinde accensa ipsi ungenti lumen praebeat: denique operam dabit, ut quanta poterit munditia ac nitore hoc Sacramentum ministretur.* His addenda aqua benedicta cum aspersorio ad benedicendum cubiculum et infirmum, et imago Crucifixi. Bombacium cum pane post usum debet comburi.

Casus III. De subjecto extremae unctionis.

Neanias Parochus vocatur ad infirmum, qui a tribus annis in amentia fuit, postea vocatur ad alium aegrotum, quem scit notitia privata paulo ante peccatum mortale commisisse; utrique negat extremam unctionem, eo quod ille sit amens, hic vero in peccato mortali constitutus.

916. *Q.* I. An Neanias recte negarit utrique infirmo extremam unctionem. R. Male egit in utroque casu: in primo quidem male, quia infirmus non fuit perpetuo amens, sed inter reliquos parochianos suos ante amentiam christiane vixit, ut supponitur, et sufficientem usum rationis habuit, ut potuerit bene vel male agere: ergo si in peccatis sit, indiget hoc medio, cujus est capax. Ideoque *Laym.* l. 5. t. 8. c. 4. n. 3. sequentem tradit regulam: *Tametsi deceat, idque curandum sit, ut infirmus ungatur, dum rationis capax est*

(*sic enim majore cum reverentia suscipiet*) ... *attamen negari non debet morituris, si vel paulo ante in phrenesim inciderunt, vel etiam diuturno tempore usu rationis privati extiterunt, modo prius, quam in talem amentiae statum pervenerint, Sacramentum hoc saltem interpretative desiderarint, nimirum christiane vixerint, atque salutis suae memores fuerint, quod quidem praesumendum, nisi contrarium appareat.*

917. Ad resolutionem secundi valet regula ejusdem *Laym.* l. c. ubi ita habet: *Si peccatum, vel etiam annexa excommunicatio occulta sit, ordinarie ministrari debent moribundo Sacramenta Eucharistiae et extr. unctionis, praemissa ad cautelam absolutione a censuris. Ratio est, quia phreneticus ex hac vita discessurus ordinarie ita se habet, ac si publice Sacramenta exeuntium peteret; peccatori autem occulto publice petenti Sacramenta ministrari debent*; scil. ne ex denegatione talis diffametur. Ibid. addit: Si tamen negatio Sacramenti, et causa negandi, scil. peccatum antecedens, occulta manerent, tunc teneri Sacerdotem ab administratione extremae unctionis abstinere. Denique ait, si vero notorium sit, infirmum ante amentiam mortaliter peccasse, vel in excommunicatione fuisse, tunc Sacramenti ministrationem non mereri, *nisi aliquibus conjecturis, vel saltem unius hominis testimonio probetur absolutum fuisse, vel poenitentiae, aut alia pietatis signa edidisse.* Pro contraria sententia citat *Clericatus* decis. 80. n. 6. graves AA. qui probabile esse censent, posse notorio ejusmodi peccatori in tali articulo constituto absolutionem sacramentalem sub conditione, *si capax es*, ministrari, et postea extremam unctionem, eo quod pie sit credendum, quod etiam ipessimus peccator, sentiens se vicinum morti, conetur actus saltem attritionis in corde elicere, ut salvetur.

918. *Q.* II. An puerperis, senibus, pueris et aliis in quovis periculo mortis constitutis possit ministrari hoc Sacramentum. R. *Ad* 1. Commune periculum ex partu non est sufficiens ratio sacrae hujus unctionis; ungenda tamen est puerpera, quando foetus est extrahendus violenter, vel si proxima est partui, in quo ejus mors ob specialis morbi concurrentis circumstantiam timetur. Hanc regulam ex *Quintanad.* tradit *Gobat.* t. 8. n. 845. ubi approbat factum cujusdam Cooperatoris, qui puerperae jam triduo conflictanti cum parturitione, et ex testimonio obstetricum in extremo discrimine ob diuturnos partus dolores constitutae data absolutione ministravit extremam unctionem.

919. R. *Ad* 2. Senibus, qui notabiliter deficiunt, et in mortis periculo etiam ob senectutem solam constituti prudenter judicantur, non est negandum hoc Sacramentum, quia senectus ipsa est morbus.

920. R. *Ad* 3. Pueris sufficientem usum rationis habentibus ad peccandum, non esse negandam extr. unctionem, affirmat *Babenst.* t. 9. p. 6. d. 7. a. 3. n. 4. cum *Laym. et Palao. Ratio* est, quia ut quis capax sit extremae unctionis, sufficit esse capacem Sacramenti poenitentiae; atqui tales pueri sunt poenitentiae capaces: ergo. Nec obstat ratio contraria *Soti*, quod tales pueri non sint capaces viatici, quia inter Sacramenta extr. unctionis et Eucharistiae nulla est ordinis connexio, sicut inter poenitentiam et sacram unctionem, quae est poenitentiae consummativum Sacramentum. Excusat tamen *Laym.* parochos, qui ob consuetudinem receptam in aliquibus dioecesibus, quam Episcopi tolerant, pueris ante 14. annum aetatis extremam unctionem non ministrant, quam consuetudinem valde reprehendit *Zambranus* de extr. unct. dub. 1. num. 8.

921. R. *Ad* 4. Passim omnibus in quovis periculo mortis constitutis non est danda extr. unctio, si periculum non oriatur ex morbo, ideoque non datur periculose navigantibus, aut navigaturis, nec praeliaturis, nec reis ad mortem condemnatis. Duos tamen casus admittit *Gobat* t. 8. n. 847. et 848. in quibus infelices rei a carnifice trucidandi muniri possint Sacramento. 1. Si adveniente die executionis obtruncandus vel suspendendus etc. gravissimo morbo obruatur. 2. Si reus fractis ossibus implexus rotae post illam horrificam confractio-

nem vivat adhuc per plures dies, quia talis ex vulneribus inflictis vere evasit gravissime infirmus. Neque est contra reverentiam Sacramenti, si ministretur in ipso supplicii loco, quia nullus plane locus determinatus est pro hac sacra unctione.

922. *Quid dicendum de more Graecorum*, qui sanos etiam inungunt oleo infirmorum. Respondet *Bened. XIV.* l. 7. de Synodo c. 1. jure ac merito Graecos gravis erroris insimulari, si ungendo sanos hoc sancto oleo hujusmodi Sacramentum conficere contendunt: ac monet Episcopos, ut severe interdicant, ne Graeci, si qui sint in eorum dioecesibus, eam unctionem loco satisfactionis per Confessarios imponendae poenitentibus injungant. Alii respondent, Graecos non adhibere illam unctionem tanquam Sacramentum, sed tanquam quid sacramentale.

923. *Q.* III. Quandonam hoc Sacramentum conferendum sit infirmis. R. Nec statim, dum infirmatur, et necdum est periculum mortis, alias invalide confertur; nec nimis sero, expectando donec aeger jam omnibus sensibus destitutus sit, quia tunc sicut minori vel nulla devotione, sic etiam cum minore fructu suscipitur; praeterea per morosam expectationem, quae plerumque fit ex respectu humano, aeger periculo exponitur, ne decedat absque salutari hoc medio, ut patet ab experientia. Itaque tunc est conferendum, quando prudenter judicatur adesse periculum mortis. *Catechismus Romanus* de extr. unct. c. 9. ita habet: *In quo tamen gravissime peccant, qui illud tempus aegroti ungendi observare solent, cum jam omnis salutis spe amissa, vita et sensibus carere incipiat.* Utrumque errorem, scil. nimiae accelerationis, et nimiae tarditatis in collatione hujus Sacramenti erudite exponit *Cleric.* decis. 47. a n. 30. et seq.

924. *Q.* IV. Quinam errores ex animis rudiorum hominum evellendi sint circa Sacramentum extr. unct. R. *Primus* error est, quo rudes credunt, actum esse de vita illius, qui sit sancto oleo hujus Sacramenti inunctus, ac solum ei superesse sepulchrum. Credant potius (ut recte ait *Bellarm.* L. c. de arte bene moriendi c. 8.) causam esse, qu d multi non convalescant, quia tam sero hoc Sacramentum expetunt, quando sine manifesto miraculo resitui non possunt. *Secundus* error est, quod extreme inunctus condere non possit testamentum: vanitas ac falsitas hujus erroris ex se patescit. Siqui condere non potuerint testamentum, id non contigit ratione datae sacrae unctionis, sed quia rem distulerunt usque ad extremum fere halitum: vel quia vis morbi subito hominem reddit incapacem faciendae dispositionis. *Tertius* error est, quod credant, si extreme inunctus forte convalescat, non possit incedere nudis pedibus, non saltare etc. Eccur hi superstitiosi non credunt, quod inunctus etiam non possit aliquid attingere nudis manibus, oculos aperire etc. quin peccet?

925. *Q.* V. An graviter peccet, qui hoc Sacramentum negligit suscipere, dum commode potest. Respondet *Clericatus* decis. 81. n. 15. cum *Salmant., Manstrio, Juenin*, receptissimam esse Summistarum sententiam, hujus Sacramenti susceptionem *per se* non cadere sub gravi obligatione et praecepto, sed esse tantum de consilio. *Ratio* est, quia 1. plurimis non constat de hoc praecepto. 2. Quia hoc Sacramentum non est necessarium ad salutem, sed utile et ad melius esse. 3. Quia juxta c. *Quod in te* de poenit. et remiss. prohibita est ministratio hujus Sacramenti tempore interdicti; certum autem est, quod Ecclesia nunquam prohibeat ea, quae homini sunt necessaria ad salutem. Dixi, *per se*, quia 1. ille peccat mortaliter, qui omittit hoc Sacramentum ex contemptu, illud nihili faciens, aut reputans esse quid puerile aut parum decens, de quo *Trid.* sess. 14. de extr. unct. c. 3. ait: *Nec vero tanti Sacramenti contemptus absque ingenti scelere, et ipsius Spiritus S. injuria esse posset.* 2. Peccat graviter, si ex omissione daret scandalum, vel movendo suspicionem, quod non credat, hoc esse Sacramentum, vel movendo adstantes

suo malo exemplo ad idem parvi faciendum. 3. Si infirmus esset in mortali, quod confiteri non posset, et non esset certus se habere veram contritionem: quia sic voluntarie respueret medium salutis, quo ex attrito fieri posset contritus. Contrarium affirmat *Joan. Wiegers* in 3. p. q. 32. n. 9. dicens, infirmum per se loquendo graviter peccare non suscipiendo hoc Sacramentum, sicut Sacerdos peccat graviter eum non inungendo. *Ludov. Habert* tom. 6. de extr. unct. c. 7. affirmat, Sacramentum unctionis esse necessarium necessitate praecepti divini et ecclesiastici, eo quod verbum *Inducat* in textu s. Jacobi aeque praeceptum sonet, ac ista; *Confitemini alterutrum* etc. Quorum tamen rationes satis efficaciter solvit iterum, iterumque laudandus *Clericatus* l. c. a. n. 17.

926. *Q.* VI. An hoc Sacramentum possit iterari; item quando et quoties.

R. *Ad* 1. Potest iterari, ut patet ex ratione *Trid.* n. 3. cit. quia non imprimit characterem. R. *Ad* 2. *Bened. XIV.* l. 7. de Synodo c. 23. decernit, extremam unctionem pluries in diversis infirmitatibus ab eodem infirmo rite suscipi, ac administrari debere; in eadem vero infirmitate non esse reiterandam, nisi forte infirmitate remissa iterum deinceps ingravescat, ac novum vitae periculum accedat: ibid. parochos monet, ne nimium scrupulose in hoc se gerant, sed si dubitent, an revera status morbi sit immutatus, vel an nunc idem, an diversum adsit vitae periculum, ut ad Sacramenti iterationem propendeant; eo quod haec iteratio conformior sit veteri consuetudini Ecclesiae, et per eam novum spirituale subsidium infirmo obveniat. Ex verbis *Trid.* n. 897. cit. deducit *Laym.* l. c. c. 4. n. 5. quod, dum idem est status morbi, quamvis diuturno tempore duret, non sit repetendum Sacramentum; secus si uno periculo remoto diversus morbi status incidat, quod tunc iterum ungi possit, licet intervallum temporis non longum, sed paucarum tantum hebdomadarum intercesserit, dummodo prudente practica consideratione censeantur diversa pericula.

CAPUT VI. *De Sacramento Ordinis.*

§. I. *Praenotanda.*

927. Praenot. I. Ordo vi nominis significat dispositionem rerum superiorum et inferiorum, quae ita inter se aptatae sunt, ut una ad alteram referatur. Ex communi usu ordo significat certum statum, vel conditionem hominum, qui alicui officio destinati sunt. Hic ad evitandas aequivocationes duplex debet distingui acceptio ordinis: 1. enim sumitur pro speciali potestate exercendi aliquod officium Ecclesiasticum in ordine ad conficiendam Eucharistiam, ritu sacro et solemni collata. Hoc sensu ordo sumitur passive, ut effectus Sacramenti, et est quid *permanens.* 2. Active sumitur pro ipsa ordinatione, aut sacra caeremonia, qua cuipiam praedicta potestas spiritualis ad ministeria Ecclesiastica exercenda confertur. Hoc modo ordo est quid *transiens.* De hac sacra ordinatione quaeritur, an sit Sacramentum.

928. II. Est de fide, quod ordo (Graecis χειροτονια, *manus extensio*, sive *impositio*) sit Sacramentum. Constat ex *Trid.* sess. 23. can. 3. *Siquis dixerit, ordinem sive sacram ordinationem non esse vere ac proprie Sacramentum a Christo D. institutum, vel esse figmentum quoddam humanum, excogitatum a viris rerum Ecclesiasticarum imperitis, aut esse tantum ritum quemdam eligendi ministros verbi Dei, et Sacramentorum, anathema sit.* Probatur etiam ratione. Ad Sacramentum proprie dictum tria requiruntur, ut sit signum externum sive sensibile, institutum a Christo, et habeat promissam, sive annexam gratiam: atqui haec tria habentur in sacra ordinatione: ergo. 1. Habemus signum externum, videl. manus impositionem, cui 2. An-

nexa est gratia, teste Apost. 1. Tim. 4. v. 14. *Noli negligere gratiam, quae in te est, quae data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii*: et 2. Timoth. 1. v. 6. *Propter quam causam admoneo, ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum.* Exinde 3. clare patet, hanc caeremoniam per impositionem manuum esse institutam a Christo; nullus enim hominum, sed solus auctor gratiae huic signo externo potest annectere gratiam: nec Apo tolus id bene sciens, tam audacter affirmasset, per illud gratiam conferri, et quidem sanctificantem, videl. *spiritum virtutis et dilectionis*, nisi de ea Christi institutionem, ac promissionem cognovisset. Mandatum Christi si desideres, id satis colligitur, quod Apostoli nunquam ausi fuissent sibi arrogare potestatem conferendi gratiam per impositionem manuum suarum, si Christus ritum illum usurpare non praecepisset, quem tamen ritum et ipsi successores continuo usurparunt. Vide c. 6. Act. Apost., 1.Tim. 4. et 5., 2. Tim. 1. Testimonia Patrum hic suggerit plurima *Bellarminus*, *Laym.* L. 5. t. 9. c. 2. et alii; sufficiat unicum allegasse test. *S. Ambros.* de dignit. Sacerd. c. 5. *Homo imponit manum, Deus largitur gratiam: Sacerdos imponit supplicem dexteram, Deus benedicit potenti dextera.*

929. III. Ordo ut Sacramentum institutus est a Christo in ultima coena verbis illis: *Hoc facite in meam commemorationem.* Luc. 22. ut infra de Sacerdotio magis patebit.

930. IV. Juxta *Trid.* septem sunt ordines, quatuor vocantur minores scil. Ostiaratus, Lectoratus, Exorcistatus, et Acolythatus: et tres majores, videlicet Subdiaconatus, Diaconatus, et Presbyteratus. Sess. enim 23. c. 2. ita docet: *Cum autem divina res sit tam sancti Sacerdotii ministerium, consentaneum fuit, quo dignius et majori cum veneratione exerceri posset, ut in Ecclesiae ordinatissima dispositione plures, et diversi essent ministrorum ordines, qui Sacerdotio ex officio deservirent, ita distributi, ut qui jam clericali tonsura insigniti essent, per minores ad majores ascenderent. Nam non solum de Sacerdotibus, sed et de Diaconis Sacrae Litterae apertam mentionem faciunt, et quae maxime in illorum ordinatione attendenda sunt, gravissimis verbis docent: et ab ecclesiae initio sequentium ordinum nomina, atque uniuscujusque eorum propria ministeria, Subdiaconi scil., Acolythi, Exorcistae, Lectoris et Ostiarii in usu fuisse cognoscuntur, quamvis non pari gradu: nam Subdiaconatus ad majores ordines a Patribus et sacris Conciliis refertur, in quibus et de aliis inferioribus frequentissime legimus.* Convenienter huic doctrinae in cad. sess. can. 2. definit: *Si quis dixerit, praeter Sacerdotium non esse in Ecclesia Catholica alios ordines et majores et minores, per quos velut per gradus quosdam in Sacerdotium tenditur, anathema sit.*

931. V. Porro Subdiaconatus, Diaconatus, et Presbyteratus dicuntur majores et sacri. *Majores*, tum quia propius et immediatius accedunt ad confectionem Sacramenti Eucharistiae, tum quia ordinatos in eminentiori gradu Ecclesiasticae Hierarchiae constituunt. *Sacri* vero, quia habent annexam obligationem perpetuae ca titatis, per quam ordinati Deo consecrantur, et ab incundo matrimonio impediuntur. Reliqui quatuor dicuntur *minores*, quia remotius ad conficiendam Eucharistiam concurrunt, et ordinatos in gradu inferiori Hierarchiae Ecclesiasticae constituunt. De his ordinibus tanquam receptis in Ecclesia mentionem fecerunt antiquissimi PP. *Clemens* l. 8. Constit. c. ult. *S. Ignatius* Epist. 11. ad Antiochenos salutari jubet *Presbyteros, Diaconos, Hypodiaconos, Lectores, Janitores*, et *Exorcistas.* Addit quidem etiam *Cantores*, sive *Psalmistas et Laboratores*, qui defunctorum corpora curare solebant, et *sacrorum vestibulorum custodes*, qui tamen non erant ordines, sed officia Ecclesiastica, de quibus vide *Baron.* ad annum Christi 44. Clarissime *Cornelius* Papa (qui sedit ab anno 254.) in epist. ad *Fabium Antiochenum* apud *Euseb.* l. 6. Hist. Eccles. c. 35. ait: *In Ecclesia Catholica* (de Romana loquitur) *Presbyteros esse* 46., *Diaconos* 7., *Subdiaconos* 7., *Acolythos* 42.,

Exorcistas et Lectores una cum Ostiariis 52. De his 7. ordinibus ait *Laym.* L. 5. t. 9. c. 3. quod haud dubie ex Christi Domini auctoritate proveniant, sive quod omnes ac singulos per se speciatim instituerit, et per Apostolos Ecclesiae tradiderit, ut illi existimant, qui defendunt, singulos hos 7. ordines esse Sacramenta, sive quod praeter majores quosdam ordines a se speciatim institutos, generalem insuper potestatem, ac mandatum dederit Ecclesiae alios inferiores ordines, quatenus expedire visum fuerit, constituendi, et multi cum *Victoria* censent.

932. VI. Ob quaestiones speculativas Theologorum, et Canonistarum (scil. an juxta Canonistas etiam prima tonsura sit verus ordo, item an Episcopatus sit ordo distinctus a Presbyteratu, item an singuli ordines tum majores, tum minores sint Sacramenta) non conveniunt AA. in danda definitione ordinis. Aptior videtur haec: Ordo est caeremonia sacra, qua per signum externum cum debita verborum forma confertur homini potestas spiritualis circa ministerium altaris vel proxime vel remote pro cujuscumque ordinis gradu exercendum. Dixi, *aptior*: quia haec definitio tum juxta illos, qui admittunt, omnes ordines esse Sacramentum, tum juxta illos, qui aliquos tantum ordines dicunt esse Sacramentum, ordini in genere convenit, et facit ordinem differre a reliquis Sacramentis. Alii, qui admittunt cum *Bonacina* d. 8. q. unica p. 1. n. 1. singulos ordines esse Sacramentum, dicunt, quod ordo sit Sacramentum, quo traditur specialis potestas (scil. vel immediata, ut in Sacerdotio, vel mediata, ut in reliquis ordinibus) ad conficiendum corpus, et sanguinem Christi.

933. VII. Sacramentum ordinis praeter gratiam secundam, sive augmentum gratiae sanctificantis (est enim Sacramentum vivorum) et jus ad speciales gratias ad digne obeunda ministeria Ecclesiastica, imprimit characterem, ideoque iterari non potest absque sacrilegio. Patet ex *Trid.* sess. 23. can. 4. *Si quis dixerit, per sacram ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proinde frustra Episcopos dicere: Accipe Spiritum S., aut per eam non imprimi characterem, vel eum, qui Sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse*, *anathema* sit.

Ilisce praenotatis primo de tonsura, tum de singulis ordinibus per breves quaestiones ita agemus, ut ordinandi facilem habeant methodum ea discendi, quae potissimum pertinent ad examen ordinandorum.

§. II. *De prima Tonsura.*

934. *Q.* I. Quid sit *prima tonsura.* R. Est caeremonia Ecclesiastica, qua per abscissionem capillorum a legitimo ministro sub certa verborum forma homo baptizatus transfertur a statu laicali ad statum clericalem, et fit capax ordinum, jurium, et beneficiorum Ecclesiasticorum.

935. *Q.* II. Cur vocatur prima tonsura. R. *Tonsura* vocatur a sacro ritu, quo per abscissionem capillorum homo e statu laicorum evehitur ad statum clericalem. *Prima* vocatur, quia est prima habilitatio ad deferendam tonsuram clericalem, quae postea augetur per reliquos ordines cum proportione ad augmentum gradus.

936. *Q.* III. An prima tonsura sit ordo. R. Negative, sed tantum est *praeparatio ad ordines suscipiendos*, ut docet *Catechism. Rom.* de Sacram. Ord. c. 7. n. 13. Ibid. n. 15. ita habet: *Post primam tonsuram ad Ostiarii ordinem primus gradus fieri consuevit. Ratio* est, quia per illam non confertur potestas spiritualis circa ministerium altaris, sed tantum fit segregatio a statu laicali, et deputatio ad statum clericalem, ut eam suscipiens fiat capax ordinum proprie dictorum. *Confirm.* ex *Trid.* quod sess. 23. c. 2. docet, diversos ministrorum ordines ita distributos esse, *ut qui jam clericali tonsura insigniti essent, per minores ad majores ascenderent*; ergo separat tonsuram a minoribus et majoribus ordinibus. Ibid. expresse recenset septem ordinum no-

mina, quibus non annumerat primam tonsuram; ergo. Contrarium defendunt Canonistae cum *Fagnano*, quorum argumenta erudite resolvit Eminent. Card. de Laurea Tr. de Sacr. Ord. d. 4. a. 7. et 8.

937. Multo minus tonsura est Sacramentum, quia nec est signum visibile institutum a Christo, nec habet annexam promissionem gratiae. Unde nec imprimit characterem.

938. *Q.* IV. Quomodo ergo tonsuratus se habet respectu ordinatorum? R. Eo fere modo, quo Novitius respectu Professorum in religiosa familia.

939. *Q.* V. Habetne tonsura materiam et formam? R. Habet quasi materiam et quasi formam; cum enim non sit Sacramentum, non indiget vera materia et forma.

Quaenam illa? R. quasi *materia remota* sunt capilli, *proxima* eorum abscissio. *Forma* sunt verba illa Psal. 15. v. 5. tum ab Episcopo, tum a tonsurando, proferenda: *Dominus pars haereditatis meae, et calicis mei, tu es, qui restitues haereditatem meam mihi.*

940. *Q.* VI. In quem finem hic ritus abscissionis capillorum observatur in Ecclesia. R. Ad significandum contemptum fastus saecularis et abdicationem negotiorum ac desideriorum saecularium, ut colligitur ex admonitione Episcopi tonsuram auspicaturi: *Oremus, fratres charissimi, Dominum N. J. C. pro his famulis suis, qui ad deponendum comas capitum suorum pro ejus amore festinant, ut donet eis Spiritum S. qui habitum Religionis in eis in perpetuum conservet, et a mundi impedimento, ac saeculari desiderio corda eorum defendat etc.*

941. *Q.* VII. An calvus possit suscipere primam tonsuram. R. *Affirm.* quia, cum prima tonsura non habeat veram materiam et formam, sufficiet eamdem caeremoniam adhibere, quantum fieri potest, quae adhibetur cum iis, qui non sunt calvi. *Sennyei* p. 1. c. 2. n. 11.

942. *Q.* VIII. Quis sit minister primae tonsurae. De jure ordinario Episcopus consecratus: ex privilegio autem Cardinales in suis Ecclesiis Titularibus, et Abbates. Dixi. *Consecratus*: quia Episcopi tantum electi ante consecrationem possunt quidem concedere dimissorias ad ordines Clericis sibi subditis, sed non ordinare: quia primum est tantum actus jurisdictionis, alterum simul actus ordinis. *Cleric.* de Sacr. Ord. decis. 12. n. 6.

943. Sed nonne cuilibet a quolibet Episcopo potest conferri prima tonsura? R. Per se tantum a proprio Episcopo, cum, ut dictum est, sit simul actus jurisdictionis. *Sennyei* l. c. n. 13.

944. *Q.* IX. Quisnam est effectus primae tonsurae. R. 1. est translatio a statu laicali ad clericalem. 2. Capacitas jurium, privilegiorum, et beneficiorum ecclesiasticorum. 3. Habilitas ad suscipiendos ordines. Sic Episcopus completo tonsurae ritu inquit: *Filii charissimi animadvertere debetis, quod hodie de foro Ecclesiae facti estis, et privilegia clericalia sortiti estis.*

945. Quid est status laicalis. R. Collectio hominum nullo speciali titulo ad servitium divinum deputatorum, neque quadentium privilegiis et beneficiis ecclesiasticis. Sic laicus dicitur, qui nullo speciali titulo est dedicatus divino servitio, nec gaudet juribus, et beneficiis ecclesiasticis.

946. Quid est status clericalis. R. Est collectio hominum ritu ecclesiastico ad servitium divinum deputatorum, et capacium jurium, privilegiorum, et beneficiorum ecclesiasticorum. *Clerus* a graeco κλῆρος, *sors*, *haereditas*, significat statum clericalem. *Clericus* est homo mas baptizatus, et per tonsuram a statu laicali ad ecclesiasticum translatus, et capax jurium, et beneficiorum ecclesiasticorum.

947. *Q.* X. Quaenam privilegia conferuntur per primam tonsuram. R. Praeter capacitatem ad beneficia ecclesiastica 1. Confertur privilegium fori. 2. Canonis. 3. Immunitas a tributis. *Privilegium fori* est immunitas a jurisdictione, et foro saeculari. *Privil. Canonis* est tale, ut si quis suadente diabolo

h. e. ex malitia percutiat Clericum, sit excommunicatus juxta Can. *Si quis suadente*, de quo vide n. 788. *Immunitas a tributis* est exemptio a gabellis, exactionibus etc. auctoritate laica impositis.

948. *Q.* XI. Quaenam conditiones requiruntur, ut Clericus gaudeat actu his privilegiis. R. 1. Ut gaudeat privilegio fori, debet habere beneficium ecclesiasticum, deferre clericalem habitum et tonsuram, et suae aut alteri Ecclesiae ex Episcopi mandato inservire, vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua schola vel Universitate, de licentia Episcopi, quasi in via ad majores ordines suscipiendos versari. *Trid.* sess. 23. c. 6. de reform. 2. Ut gaudeat privilegio immunitatis, non debet negotiari. 3. Ut gaudeat privilegio canonis, debet deferre habitum et tonsuram.

949. Qualem ergo tonsuram debent deferre Clerici? R. Intelligitur rasura capillorum per modum coronae in vertice, et in Minoristis sufficit, si sit tanta, quanta est particula communicantium, quae postea augeri debet cum proportione gradus ordinis. *Clericatus* de Sacram. Ord. decis. 10. non solam coronam sed etiam rescissionem capillorum intelligit, qui serviunt tantum vanitati. Hic *S. Hier.* in epist. ad Eustochium invehitur adversus Clericos, qui mulierum more catenatos crines nutriunt.

950. Ad quid corona clericalis in vertice? R. *Primo* significat coronam spineam Christi, sub quo tanquam capite spinis coronato Clericos divino servitio dedicatos non decet esse membra delicata. *Secundo* Significat Regale Sacerdotium, quod iis maxime convenire videtur, qui in sortem Domini vocati sunt, ut docet *Catechis. Rom.* l. c. n. 14. *Tertio*, ut supra dictum, significat amputationem curarum temporalium, et animum patentem divinis inspirationibus.

951. *Q.* XII. Quisnam est ille habitus clericalis. R. Ex Ecclesiae Decretis debet esse *talaris*, h. e. toga pertingens usque ad talos, vel saltem decenter longa et distinctiva Clericorum a saecularibus. Quoad colorem servanda est cujusque regionis consuetudo.

952. *Q.* XIII. An aliam praeterea vestem magis propriam habeant Clerici. R. *Affirm.* et illa vocatur *superpelliceum*, sic dictum, quia olim indui solebant super togam pelliceam. Est autem vestis lintea et candida ad denotandam animi simplicitatem, et candorem morum: simul perampla est, ut significet amplitudinem charitatis quae a Clerico exigitur.

953. *Q.* XIV. Quodnam sit officium tonsurati. R. Officium per se loquendo aliud non est, quam ut psalmos canat in choro, et ita vivat Deo, non mundo, sicut decet illum, qui speciali titulo rebus et servitio divino est addictus.

De subjecto primae Tonsurae.

954. *Q.* I. Quid requiritur, ut quis *valide* suscipiat tonsuram. R. requiritur 1. ut sit mas; mulieres enim incapaces sunt ordinum, et ministeriorum eccle iasticorum, ut patet ex 1. Cor. 14. v. 34. *Mulieres in Ecclesiis taceant*, et v. 35. *Turpe est mulieri loqui in Ecclesia.*

2. Requiritur, ut homo sit baptizatus: quia qui vult gaudere privilegiis ministrorum Ecclesiae, prius debet per baptismum intrare Ecclesiam, et aggregari numero Christianorum. 3. Requiritur, ut homo rationis usum habens non plane coactus tonsuram suscipiat.

955. *Sed qualis baptismus requiritur?* R. Baptismus fluminis, quia per baptismum flaminis et sanguinis non imprimitur ille character, per quem homo fit capax reliquorum Sacramentorum, et ministeriorum ecclesiasticorum.

956. *Q.* II. Quid requiritur, ut quis *licite* suscipiat tonsuram. R. 1. ut quis sit immunis a censuris ecclesiasticis et irregularitate. 2. ut sit Confirmatus. 3. ut sciat rudimenta fidei, legere, et scribere. 4. ut habeat animum clericandi. Ita statuit *Trid.* sess. 23. c. 4. de reform. *Prima tonsura non ini-*

tientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint, et fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere et scribere nesciant, et de quibus probabilis conjectura non sit, eos non saeculari judicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum praestent, hoc vitae genus elegisse.

957. *Q.* III. Quae scientia requiritur in tonsurando. R. Ex modo dictis juxta *Trid.* debet scire rudimenta fidei, quae n. Catechismi 5. Capitibus de Fide, Spe, Charitate, Sacramentis, et officiis Justitiae Christianae continentur. *Bened. XIV.* Tom. I. Bull. pag. 113. in Constit. 42., quae incipit: *Etsi minime* §. 10. de adolescentibus, qui ordinibus initiari volunt, ait: *rem fore magni commodi, multaeque utilitatis plenam, si qui se sistunt examini, eos Praesul potissimum interroget de iis, quibus Christiani hominis scientia continetur.*

958. *Q.* IV. Quae aetas requiritur. R. A Jure certus annus aetatis non est determinatus: plerumque tamen requiritur septennium completum, quia *Trid.* requirit, ut initiatus sciat rudimenta fidei, legere et scribere, quod ante usum rationis, qui anno aetatis septimo adesse censetur, raro potest reperiri. Alii juxta praxim variarum dioecesum requirunt decimumquartum aetatis annum.

959. *Q.* V. Quaenam sint Clericis prohibita. R. Praeprimis sequentia. 1. Ne opificia, mercaturas, et negotiationes sordidas exerceant. 2. Non dictent, neque proferant sententiam sanguinis, neque intersint, ubi de sanguinis sententia agitur. 3. Ne privilegiis suis renuntient: unde in manibus laici jurare non possunt, nec se subjicere judici laico, nisi cum privilegium fori amiserint, vel ab Episcopo licentiam obtinuerint, quam in criminalibus dare nequit. 4. Ne ludant aleis. 5. Ne intersint jocis mimicis histrionum, joculatorum, etc. item choreis. 6. Denique ne arma ferant etc. Vide *Sennyei* p. 1. c. 2. a n. 53.

960. *Q.* VI. Quomodo se debeat disponere tonsurandus ad tonsuram R. 1. Ante ordinationem bene se praeparet ad examen, ut sciat, quid sit tonsura, et rudimenta fidei. 2. Secum afferat attestationem baptismi. 3. Ipso die ordinationis ad locum ordinationis secum ferat *tunicam talarem, superpelliceum, et cereum*, si intra missarum solemnia tonsura conferatur: praeterea sciat memoriter versic. *Dominus pars haereditatis* etc. Denique si accepturus sit sacram Communionem a manibus Episcopi, prius confiteatur.

961. *Q.* VII. Quid coram Episcopo observandum sit tonsurando. R. Juxta *Pontif. Rom.* 1. Quando tonsurandus dicto *Kyrie eleison* sub missa vocatur, respondet, *Adsum*, moxque accedit, et facta profunda reverentia Pontifici, genuflectit coram illo. 2. Dicta oratione ab Episcopo, *Oremus, fratres charissimi D. N. J. C.* etc. dum Pontifex in fronte, in occipitio, ad utramque aurem, et in medio capitis praescindit capillos, cum eo tarde pronuntiat: *Dominus pars etc.* ut n. 939. dictum est. 3. Dicitur ab Episcopo oratio: *Praesta, quaesumus, omnipotens Deus* etc. a ministris antiphona: *Hic accipiet* etc. cum psalmo 23. *Domini est terra* etc. et iterum ab Episcopo oratio: *Adesto, Domine, supplicationibus nostris* etc. 4. Tum Episcopus accepta mitra sedet, et acceptum (quod Tonsus inserta utraque manu apte flectens coram Episcopo tenet) superpelliceum totaliter induit Tonsum, dicens: *Induat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, et sanctitate veritatis.* 5. Episcopus dicta oratione: *Omnipotens, sempiterne Deus* etc. Clericum sic alloquitur: *Fili charissime, animadvertere debes, quod hodie de foro Ecclesiae factus sis, et privilegia clericalia sortitus sis. Cave igitur, ne propter culpam tuam illa perdas, et habitu honesto, bonisque moribus Deo placere studeas, quod ipse tibi concedat per Spiritum S. suum.* R. *Amen.* 6. Si non adsint alii ordinandi, Episcopus dicit tonsurando: *Dic semel septem psalmos poenitentiales cum litaniis, versiculis, et orationibus, et omnipotentem Deum etiam pro me ora.*

§. III. *De Ostiariatu.*

962. Q. I. Quid sit Ostiariatus. R. Est ordo minor, in quo per traditionem clavium Ecclesiae sub certa verborum forma a legitimo ministro prolata confertur potestas aperiendi, et claudendi Ecclesiam, pulsandi campanas ad divinum officium, et ad illud admittendi dignos, et rejiciendi indignos.

963. Q. II. Quaenam sit materia remota et proxima Ostiariatus. R. Materia remota sunt claves Ecclesiae, proxima earum traditio.

964. Q. III. Quaenam sit forma Ostiariatus. R. Sequentia verba, quae profert Episcopus ad traditionem clavium: *Sic age, quasi redditurus Deo rationem pro iis rebus, quae his clavibus recluduntur.*

965. Q. IV. An valida esset ordinatio, si loco clavium Ecclesiae traderentur claves culinae, aut si unica clavis Ecclesiae traderetur. R. *Ad* 1. Probabilius est invalida, quia tunc falsificaretur forma, vi cujus actu debent esse claves Ecclesiae, cum dicantur ea tradi curae Ostiarii, *quae iis clavibus recluduntur* in praesenti; atqui clavibus culinae recluduntur tantum res, quae pertinent ad culinam, et pro quibus ordinandus non debet reddere Deo rationem: ergo. R. *Ad* 2. Valida esset ordinatio, si unica clavis Ecclesiae traderetur, quia adhuc sufficienter exprimeretur potestas hujus ordinis.

966. Q. V. An etiam traditio cymbali, ejusque pulsatio sit materia Ostiariatus. R. *Negative*: quia haec traditio non fit ab Episcopo, sed ab Archidiacono, neque forma illi correspondet. Additur autem haec caeremonia ad plenius declarandam potestatem, et officia Ostiarii.

967. Q. VI. Quaenam sint officia Ostiarii. R. Exprimuntur illa in admonitione Episcopi ad ordinandum. *Suscepturus, fili charissime, officium Ostiariorum, vide, quae in domo Dei agere debeas. Ostiarium oportet percutere cymbalum et campanam, aperire Ecclesiam et Sacrarium, et librum aperi e ei, qui praedicat. Provide igitur, ne per negligentiam tuam illarum rerum, quae intra Ecclesiam sunt, aliquid depereat, certisque horis domum Dei aperias fidelibus, et semper claudas infidelibus. Stude etiam, ut sicut materialibus clavibus Ecclesiam visibilem aperis et claudis, sic et invisibilem Dei domum, corda scil. fidelium, dictis et exemplis tuis claudas diabolo, et aperias Deo, ut divina verba, quae audierint, corde retineant, et opere compleant, quod in te Dominus perficiat per misericordiam suam.* Unde sequentia officia colliges. 1. Ostiarii est Ecclesiae januas dignis aperire, et indignis, h. e. infidelibus, excommunicatis, et quibus ab Ecclesia interdictum est, claudere. 2. Custodire vasa sacra, et omnem Ecclesiae supellectilem. Ostiarius (ut ait Catech. Rom. de Ostiar.) ex prima sua institutione erat Sacrarii custos, et Ecclesiae thesaurarius. 3. Pulsando campanam statis horis convocare populum fidelem ad divinum officium, et sub ipso sacrificio pulsando cymbalum ad elevationem excitare populum ad majorem attentionem, et devotionem. Ecce quomodo hic prius ordo jam referatur ad missae sacrificium. 4. Addit Conc. *Mediolanense I.* tit. de Ostiar. *Ostiarius in Ecclesia dormientes, vendentes, ementes, deambulantes, colloquentes, aliave ratione officia divina perturbantes, et quovis modo indecore, atque irreverenter se habentes moneat; si pertinaces sint, expellat, aut ad Superiorem deferat, mendicantes excludat etc.*

968. Q. VII. Quaenam debeant esse propriae virtutes Ostiarii. R. 1. *Zelus domus Dei.* Ostiarius imitetur exemplum Christi, qui e templo ementes et vendentes ejecit, Joan. 2. *et qui non sinebat, ut quisquam transferret vas per templum.* 2. *Vigilantia*, ut omnia in Ecclesia sint munda. Ostiarius cum Propheta Regio dicat; *Domine, dilexi decorem domus tuae, et locum habitationis gloriae tuae.* Psal. 25.

969. Dignitas hujus ordinis aestimari potest 1. Ex praestantia Levitarum in V. T. qui erant selecta Domini haereditas, excubantes ad quatuor portas domus Dei. Vide L. 1. *Paralip.* c. 9... 2. Ex dignitate eorum, qui praeficiuntur ad custodiam regii palatii, et thesauri: quidni longe major dignitas sit eorum, qui praeficiuntur ad custodiendam Dei domum, et curanda sacratissima, quae in ea recluduntur? 3. Denique quia Christus ipse exemplo suo illustravit ministeria Ostiariorum, ut dictum est n. praeced. *Neque dicas*: Laici hodie claudunt et aperiunt Ecclesias, pulsant campanas etc. ergo superfluus est hic ordo. R. Laici id non faciunt ex officio, neque cum speciali potestate Ecclesiastica ritu solemni ad id deputati sunt, sicut Ostiarii.

970. *Q.* VIII. Quo ritu conferatur hic ordo. R. 1. juxta *Pontif. Rom.* Ante ordinationem ordinando necessaria sunt: *praevia confessio*, propter sacram Communionem, quam e manu Episcopi accipit: *in capillis modestia: corona minorum ordinum: tunica talaris: superpelliceum*, quo indutus accedit: *candela pro offertorio, si ordines intra missam recipiantur.* 2. In missis, in quibus non dicitur *Gloria in excelsis*, post *Kyrie eleison* conferuntur minores ordines; in quibus vero dicitur *Gloria*, eo dicto proceditur ad minores ordines. In missis quatuor temporum dicta prima oratione ordinatur Ostiarius, post secundam lectionem Lector, et sic deinceps. Dum Archidiaconus vel alius minister ordinandum vocat, 1. ordinandus respondens, *Adsum*, accedit, et facta profunda Pontifici reverentia genuflectit coram eo: tum Pontifex illum admonet dicens: *Suscepturus, fili charissime* etc. Deinde claves Ecclesiae, *quas manu dextera tangit ordinandus*, traduntur ab Episcopo cum forma supra cit. *Sic age, quasi redditurus Deo* etc. 2. Post haec Archidiaconus ducit Neo-ostiarius ad ostium Ecclesiae, et facit illum claudere et aperire januam. 3. Idem Archidiaconus tradit Ostiario campanulam, quam Ostiarius pulsat. 4. Reducitur ad Episcopum, coram quo genua flectit. Episcopus autem versus ad ipsum dicit: *Deum patrem omnipotentem* etc. 5. Denique Episcopus mitra deposita, et conversus ad altare dicit: *Oremus.* Ministri vero: *Flectamus genua. Levate*, et statim Pontifex conversus ad genuflexum stans sine mitra dicit: *Domine sancte, pater omnipotens, aeterne Deus, benedicere* ✝ *dignare* etc. Dicta hac oratione Neo-ostiarii surgunt, factaque Episcopo reverentia recedunt.

§. IV. *De Lectoratu.*

971. *Q.* I. Quid sit Lectoratus. R. Est ordo minor, in quo per traditionem libri lectionum sub certa verborum forma a legitimo ministro prolata confertur potestas legendi publice in Ecclesia Scripturam sacram veteris et novi Testamenti, et scripta Ss. Patrum.

972. *Q.* II. Quaenam sit materia Lectoratus. R. Materia *remota* est liber lectionum, sive qui continet prophetias, epistolas, actus Apostolorum etc. ac etiam homilias, et sermones Ss. Patrum in Ecclesia legi solitos. *Proxima* est hujus libri traditio. Hinc valida esset ordinatio, si traderetur sacra Scriptura, aut Breviarium, quia in eo omnia ista continentur: secus si traderetur alius liber, in quo praedicta non continentur.

973. *Q.* III. Quaenam est forma Lectoratus. R. Sequentia verba a legitimo ministro proferenda: *Accipe, et esto verbi Dei relator, habiturus, si fideliter et utiliter impleveris officium tuum, partem cum iis, qui verbum Dei bene administraverunt ab initio.*

974. *Q.* IV. Quodnam sit officium Lectoris. R. 1. Legere publice in Ecclesia prophetias, quando in missa sunt legendae, item juxta *Clericatum* de Sacram. Ordin. decis. 19. n. 45. cantare in missarum solemniis *Introitum, Graduale, Alleluja*, et legere in Ecclesia lectiones Horarum Canonicarum. Ad Lectorem etiam pertinet sacra lectione fidelium animos excitare ad debi-

tam Sacrificii reverentiam. Epistolas autem et Evangelium non canit ex officio sub missa; ad haec enim specialiter ordinantur Subdiaconus et Diaconus. De hoc officio lector's testatur *Martyrol. Rom.* die 4. April. *In Africa passio Ss. Martyrum, qui in persecutione Genserici Regis Ariani in die Paschae in Ecclesia caesi sunt, quorum Lector, dum in pulpito Alleluja cantaret, sagitta in gutture transfixus est.*

Secundum officium est, libros sacros et canonicos fideliter et diligenter custodire. Sic in *Martyr. Rom.* ad diem 11. Febr. et apud Episcopum *Sarnellium* in speculo Cleri saec. P. 1. p. 116. legitur, *S. Saturninum* Lectorem ac Martyrem tempore Diocletiani et Maximiani incarceratum fuisse, et a praesidibus requisitum, ut sacros libros traderet, quibus respondit, cum ferreis pectinibus crudeliter dilaniaretur: *Altius fodite hisce pectinibus in pectore meo; intus enim reperietis sacros libros, quos in visceribus impressos custodio.*

Tertium est catechizare, sive rudimenta fidei exponere, ut patet ex verbis formae: *Esto relator verbi Dei* etc. Confirm. ex *Martyr. Rom.* quod ad diem 12. Decemb. ita habet: *Romae S. Sinesii Mart. qui tempore B. Sixti Papae Lector ordinatus, cum multos convertisset ad Christum, apud Aurelianum Imperatorem accusatus, gladio percussus martyrii coronam accepit.*

Quartum denique antiquitus erat benedicere panem et novos fructus, uti colligitur ex Pontificali Rom. ubi Pontifex in degradatione Lectoris sic ait: *In Ecclesia Dei non legas ulterius, aut cantes, aut fructus novos ullatenus benedicas, quia tuum officium non implevisti fideliter et devote.* Ex dictis officiis collige iterum, quomodo hic ordo jam pertineat ad sacrificium missae.

975. *Q.* V. Quaenam sint virtutes Lectoris. R. 1. *Notitia mysteriorum fidei.* Quomodo enim Lector alios docebit ea, quae ipse ignorat? 2. *Firma et viva fides.* Hinc ordinans monet neo-Lectores: *Quod ore legitis, corde credatis, et opere compleatis, quatenus auditores vestros verbo et exemplo vestro docere possitis.* Hinc tertia virtus est *zelus salutis animarum,* qui consistit in verbo et exemplo.

976. Quanta sit dignitas Lectoris, patet tum ex eo, quod Ostiarius aperiat fidelibus ostium Ecclesiae, Lector autem aperiat corda fidelium per instructionem in mysteriis fidei, tum ex epist. 33. et 34. *S. Cypriani*, qui illustres Christi Confessores Aurelium et Celerinum in praemium suae confessionis Lectoratus ordine sublimavit. Refert etiam *S. Greg. Naz.* Orat. 3. Julianum priusquam a fide deficeret, honori sibi duxisse, si ad Lectoris gradum proveheretur.

977. *Q.* VI. Quo ritu conferatur hic ordo. R. 1. Ordinandus ad Lectoratum iisdem instructus comparere debet, quibus Ostiarius. 2. Dum Archidiaconus vocat ordinandum, respondet, *Adsum*, et mox facta profunda reverentia coram ordinante genuflectit, quem admonet Pontifex dicens: *Electus, fili charissime, ut sis Lector in domo Dei nostri officium tuum agnosce* etc. Deinde ordinans tradit ordinando librum lectionum, quem ordinandus manu dextera tangit, ordinante interim dicente: *Accipe, et esto verbi Dei relator* etc. Postea surgit ordinans, et cum mitra conversus ad genuflexum dicit: *Oremus, fratres charissimi* etc., tum conversus ad altare mitra deposita dicit: *Oremus.* Ministri subjungunt: *Flectamus genua. Levate.* Deinde stans conversus ad ordinatum genuflexum sine mitra dicit: *Domine sancte, pater omnipotens* etc. Dicta hac precatione surgit neo-Lector, et recedit.

§. V. *De Exorcistatu.*

978. *Q.* I. Quid sit Exorcistatus. R. Est ordo minor, in quo per traditionem libri exorcismorum sub certa verborum forma a legitimo ministro prolata confertur potestas manus imponendi super energumenos sive baptizatos, sive catechumenos, legendique exorcismos ad daemones fugandos. *Energumenus* di-

citur is, qui est obsessus a daemone; *Catechumenus* vero, qui instruitur in ordine ad suscipiendum baptismum.

979. *Q.* II. Quae sit materia et forma Exorcistatus. R. Materia *remota* est liber exorcismorum, *proxima* est ejusdem libri traditio. Forma sunt sequentia verba a legitimo ministro prolata: *Accipe, et commenda memoriae, habe potestatem imponendi manus super energumenos sive baptizatos, sive catechumenos.*

980. *Q.* III. Quodnam sit officium Exorcistae. R. cum *Clericato* l. c. decis. 19. n. 34. Officium Exorcistae est, et semper fuit, expellere daemones de humanis corporibus per adjurationes et exorcismos ab Ecclesia approbatos. Olim Exorcista ex officio etiam monebat populum, ut qui non essent communicaturi, locum darent communicaturis. Exorcista quoque dimittebat energumenos post Evangelium, et praedicationem e missa, ne tumultus intra missarum solemnia ab energumenis fieret. Ecce quomodo et hic ordo ministerium exerceat ad sacrificium missae. Daemones enim ab obsessis ejicit, ut cum debita reverentia missae possint interesse.

981. *Si dicas* 1. Frustranea videtur esse haec ordinatio; conceditur enim potestas adjurandi daemones, et usus hujus potestatis prohibetur Exorcistis. R. Non prohibetur absolute et simpliciter, sed tantum ne fiat sine Episcopi licentia, idque ex gravissimis causis, scil. ne temere et inconsulto etiam Sacerdotes exorcizent, antequam de vera obsessione constet.

982. *Si dicas* 2. S. Clemens L. 8. Constit. c. 26. laudat hanc s. Thadaei Apost. sententiam: *Exorcista non fit ordinatione.* R. Hic liber sub Gelasio Papa in Conc. septuaginta Episcoporum anno 494. inter apocryphos rejectus est. Juxta alios ex hoc loco nihil aliud colligitur, quam quod Apostoli judicarint, Exorcistas sua aetate non esse specialiter ordinandos, cum Spiritus S. miraculorum dona in credentes promiscue effunderet.

983. *Q.* IV. Quibus virtutibus potissimum debeat studere Exorcista. R. 1. Singulari conscientiae puritati, ut colligitur ex adhortatione Episcopi: *Stude igitur, ut sicut a corporibus aliorum daemones expellis, ita ab animo tuo et corpore omnem immunditiam et nequitiam ejicias, ne illi succumbas, quem ab aliis tuo effugas ministerio.* 2. Studeat mortificationi passionum, et vitiorum: *Disce,* pergit ordinans in sua admonitione, *per officium tuum vitiis imperare, ne in tuis moribus aliquid sui juris inimicus valeat vindicare; tunc enim recte in aliis daemonibus imperabis, cum prius in te ipso eorum omnimodam superes nequitiam.* 3. Deditus sit orationi et jejunio: est enim genus daemoniorum, quod non ejicitur, nisi in oratione et jejunio. 4. Humilitati, ne in superbiam elatus, ipsemet in judicium incidat diaboli. 1. Tim. 3. 6.

984. Dignitatem hujus ordinis colligere satis licet ex potestate adversus principes tenebrarum, de qua *S. Cyprianus* epist. 45. sic habet; *Hodie etiam geritur, ut per Exorcistas voce humana et potestate divina flagelletur et uratur, ut torqueatur diabolus.* Si quaeras, cur Minoristis tanta potestas jam concedatur. R. Id facit ad confundendum superbissimum hostem humani generis, et ad ostendendam efficaciam exorcismorum.

985. Q. V. Quo ritu conferatur Exorcistatus. R. 1. Ordinandus iisdem instructus, quibus Lector, dum vocatur ab Archidiacono: *Accedat, qui ordinandus est ad officium Exorcistarum,* respondet, *Adsum,* et mox facta profunda coram ordinante reverentia flectit, auditque admonitionem *Ordinandus, fili charissime* etc. 2. Episcopus tradit ordinando librum exorcismorum, quem ordinandus manu dextera tangit, quamdiu Episcopus formam pronuntiat: *Accipe, et commenda memoriae* etc. 3. Episcopus stans cum mitra conversus ad Exorcistam dicit: *Deum patrem omnipotentem, fratres charissimi, suppliciter deprecemur* etc. 4. Tum Episcopus deposita mitra conversus ad altare dicit: *Oremus:* et Ministri; *Flectamus genua. Levate.* Mox Episcopus ad or-

dinatum conversus dicit: *Domine sancte, pater omnipotens* etc. Dicta hac oratione neo-Exorcista facta profunda reverentia recedit.

986. Q. VI. Ex quibus signis Exorcista possit colligere, aliquem vere esse obsessum. R. *Clericatus* l. c. decis. a n. 17. quatuor signa recenset. *Primum* est, quando qui se obsessum asserit, revelat occulta sive absentia. *Secundum* est linguarum peregrinarum peritia et locutio, quas loquens nunquam didicit. Sic testatur *S. Hier.* in vita s. Hilarionis de Aulico Imperatoris Constantii loquente perfectissime Syro idiomate, etsi linguam Francam et Latinam tantum didicerit, ex quo s. Hilarion deprehendit, Aulicum praedictum fuisse daemoniacum. Ex his signis deducitur argumentum energumeni, nisi vel ex speciali Dei gratia, vel ex boni Angeli ope ea scire noscatur. *Tertium* signum est ex inconditis vocibus, clamoribus, et ululatibus belluinis, ex insolito membrorum stupore, summa inquietudine: et e contra ex viribus in corpore humano non ordinariis, ita ut rumpant vincula et catenas etc. etc. *Quartum* signum est, si obsessi renuant proferre Ss. Nomen Jesu, aut ad occultam applicationem sacrarum reliquiarum exhorrescant, concutiantur, blasphement etc. Plura vide apud *P. Ubald. Stoiber* in armamentario ecclesiastico ad insultus diabolicos elidendos. P. 1. c. 2. q. 6.

987. Caveat Exorcista, ne impertinentes ad expulsionem daemonis quaestiones proponat, nec a modo exorcizandi in ritualibus praescripto facile recedat, nec adhibeat fidem, si quae prodat diabolus in praejudicium tertii. Denique in hoc negotio consulat peritos auctores, qui de modo exorcizandi agunt. Erudite omnia huc pertinentia collegit mox laudatus *P. Stoiber*, *Delrio*, *Tirrhaeus*, *Clericatus* l. c. et alii. Praeprimis Exorcista ne facile credat, aliquem esse energumenum, nisi adsint signa obsessionis a doctis et piis viris approbata. *Bened. XIV.* Tom. I. Bullar. pag. 570. in Lit. ad Episc. Augustanum quae incipiunt: *Sollicitudini nostrae* §. 43. ita habet: *In exorcizandis energumenis illud potissimum intersit, ut ante omnia dignoscatur, an revera obsessus sit a daemone is, qui talis esse affirmatur; ubi vero ita esse constiterit, eligatur ab Ordinario sacerdos perfectae pietatis, vitae integritatis, atque prudentiae; hic autem ad expellendum daemonem, non quidem picta vel lignea manu, aliisve ineptis nugis utatur, sed praescriptas in Rituali Romano regulas adamussim servet....* Sub finem addit: *Clemens Papa XI. in quadam epistola encyclica data die 21. Junii 1710. districte mandavit, ut nemo exorcizans a norma in praedicto Rituali Romano* (quod fuit publicatum a Paulo V. 1614.) *praescripta, ulla ex parte discedere praesumat.*

§. VI. *De Acolythatu.*

988. Q. I. Quid sit Acolythatus. R. Est ordo minor, in quo per traditionem candelabri cum cereo extincto, et urceolis vacuis sub certis verborum formis a legitimo ministro prolatis confertur potestas accendendi cereos in Ecclesia, eosque ad altare deferendi, et vinum etaquam porrigendi ad Ss. Eucharistiam.

989. Q. II. Quaenam sit materia et forma Acolythatus. R. *Ad primum.* Duplex est *materia remota*, candelabrum cum cereo extincto, et urceoli vacui: *proxima* est utriusque materiae traditio.

990. R. *Ad secundum.* Forma pariter duplex est. *Forma* respondens primae materiae est: *Accipe ceroferarium cum cereo, et scias, te ad accendenda Ecclesiae luminaria mancipari, in nomine Domini.* Respondet ordinandus: *Amen.* Forma respondens traditioni urceolorum est: *Accipe urceolum ad suggerendum vinum et aquam in Eucharistiam Sanguinis Christi, in nomine Domini.* Respondet iterum neo-Acolythus: *Amen.*

991. Q. III. An utraque materia sit de essentia hujus ordinis. R. cum *D. Th.* in 4. dist. 24. q. 2. a. 2. Utraque materia et forma est de essentia hujus ordi-

nis, tum quia non est ratio unam alteri praeferendi, tum quia antiquissima Ritualia utramque referunt. *Morinus* de Sacr. Ord. p. 2. a p. 210. a Conc. Carthag. IV. de anno 398. usque ad Pontificale Rom. sub *Greg. XIII.* de anno 1575. refert septemdecim vetustissima Ritualia, ubi leguntur eaedem materiae et formae. Juxta *D. Bonav.* in 4. d. 24. p. 2. dub. 5. sola candelabri traditio cum cereo est materia necessaria hujus ordinis; juxta *Durandum* vero traditio urceoli. Praeferenda videtur prima sententia.

992. *Q.* IV. Quodnam sit officium Acolythi. R. Juxta admonitionem Episcopi ordinantis, *Acolythum oportet ceroferarium ferre, luminaria Ecclesiae accendere, vinum et aquam ad Eucharistiam ministrare.* Ex his iterum patet, quomodo etiam Acolythatus ordinetur ad sacrificium missae, cum Acolythi sit praeparare et accendere luminaria ad sacrificium. Hinc in ordinatione ei traditur cereus extinctus, quia modo accipit potestatem accendendi cereos in Ecclesia. 2. Acolythi est, sequi Diaconum cum cereo accenso, quando accedit ad cantandum Evangelium; nam inde a graeco ἀκολουθέω *sequor*, *Acolythus*, vel melius *Acoluthus*; vel juxta eos, qui derivant com *Magrio* ab ἀκωλύω, *non prohibeo*, Acolythus id est non prohibitus a ministerio altaris: vel latine est *pedissequus*, vel *sequens*. 3. In sacrificio vinum et aquam ministrat.

993. *Q.* V. Quaenam sint virtutes Acolyto propriae. R. Ut praebeat se ipsum exemplum bonorum operum. Ita colligitur ex admonitione Episcopi: *Non enim placere Deo poteris, si lucem Deo manibus praeferens, operibus tenebrarum inservias, et per haec aliis exempla perfidiae praebeas: sed juxta quod veritas dicit: Luceat lux tua coram hominibus* etc. ... *Esto igitur sollicitus in omni justitia, bonitate, et veritate, ut et te, et alios, et Dei Ecclesiam illumines.* Secunda virtus est singularis modestia, praesertim in Ecclesia.

994. *Q.* VI. Quo ritu conferatur hic ordo. R. Vocatus ordinandus ab Archidiacono respondet, *Adsum*, et mox accedit, et facta profunda reverentia excipit flectens adhortationem Episcopi: *Suscepturus, fili charissime, officium Acolythi* etc. 2. Post adhortationem tradit ordinans candelabrum cum candela extincta, quod ordinandus tangit manu dextera, donec prolata sit forma: *Accipe ceroferarium* etc. Tum ordinans tradit urceolum vacuum, quem similiter dextra tangit neo-Acolythus, dum ordinans dicit: *Accipe urceolum* etc. 3. Postea stans Episcopus mitra conversus ad genuflexum dicit: *Deum patrem omnipotentem* etc. 4. Facta benedictione Episcopus sine mitra se vertens ad altare dicit: *Oremus*: et Ministri: *Flectamus genua. Levate.* Mox ordinans conversus ad Acolythum adhuc genuflexum dicit: *Domine sancte, pater omnipotens* etc. .... *Per eumdem Christum D. N.* Amen. *Oremus. Omnipotens sempiterne Deus* .... *Per eumdem C. D. N.* Amen. 5. Denique Episcopus accepta mitra sedet, et ad minores ordines ordinatum sic alloquitur: *Fili dilectissime, diligenter considera ordines per te susceptos; stude sancte et religiose vivere, atque omnipotenti Deo placere, ut gratiam suam possis acquirere, quam ipse tibi per suam misericordiam concedere dignetur. Dic semel septem psalmos poenitentiales cum litaniis, versiculis et orationibus, et omnipotentem Deum etiam pro me ora.*

995. De subjecto minorum ordinum eadem observa, quae dicta sunt n. 954. de prima tonsura: item quae ibidem dicta sunt, quid requiratur ad hoc, ut valide et licite recipiantur. Quibus adde statutum *Trid.* sess. 23. c. 5. de reform. ut *ad minores ordines promovendi bonum a parocho, et a magistro scholae, in qua educantur, testimonium habeant.* Ibid. c. 11. Trid. exigit, ut saltem latinam *linguam intelligant.*

996. An minores ordines sint verum Sacramentum, utrinque disceptatur in Theol. Schol. Probabilius id negant *Vasq.*, *Durand.*, *Cajet.*, *Medina*; quorum *ratio* est, quod hi potius debeant dici ritus quidam sacri ab Ecclesia instituti, tanquam praeviae dispositiones ad ordines majores: nec eorum institu-

tionis vestigium ullum habetur in Scriptura: nec gratiae iis annexae promissio ostendi potest, nec certa definitio Ecclesiae: ergo. Contrarium sentiunt alii cum *Bellarmino*. Quare cum res haec incerta sit, diutius huic speculationi immorari non placet. Ita *Laym.*

§. VII. *De Subdiaconatu*

997. *Q.* I. Quid sit Subdiaconatus. R. Est ordo major et sacer, in quo per traditionem calicis vacui cum patena vacua, et libri Epistolarum sub certis verborum formis a legitimo ministro prolatis datur potestas mediante Diacono assistendi Presbytero in sacrificio missae, et solemniter cantandi epistolam.

998. *Q.* II. Quaenam est materia et forma Subdiaconatus. R. Materia remota primaria est calix vacuus cum patena vacua; *proxima* ejusdem traditio. Ita expresse docet C. Florent. in Decreto *Eugenii*, ubi §. 15. de Sacram. Ord. sic habet: *Subdiaconatus vero* traditur *per calicis vacui cum patena vacua superposita traditionem.* Forma huic materiae correspondens est: *Vide, cujus ministerium tibi traditur. Ideo te admoneo, ut ita te exhibeas, ut Deo placere possis.* Materia *remota secundaria* est liber Epistolarum: *proxima* ejusdem traditio; forma vero sunt sequentia verba: *Accipe librum Epistolarum, et habe potestatem legendi in Ecclesia sancta Dei tam pro vivis, quam pro defunctis in nomine Patris, et Filii, et S. S. Amen.* Dixi, *materia secundaria*: quia (ut testatur *Emin. Cardin. de Lauraea* d. 6. de Sacr. Ord. n. 54. et *Morinus* de sacris Ordin. p. 3. exercit. 12. c. 1. n. 6. et 7.) antiquissima Ritualia ab anno 500. usque ad annum 1200. non faciunt mentionem traditionis libri epistolarum. *Confirm.* ex Conc. Carthag. IV. de anno 398. ubi definitum est, sicut refertur in cap. *Subdiaconus* 16. dist. 23.: *Subdiaconus, cum ordinatur, quia manus impositionem non accipit, patenam de manu Episcopi accipiat vacuam, et calicem vacuum.* Nulla hic fit mentio traditionis libri epistolarum. Valeret tamen ordinatio, si Episcopus per errorem traderet calicem cum vino, quia utile per inutile non vitiatur, neque per hoc falsificaretur forma.

999. *Q.* III. Quodnam sit officium Subdiaconi. R. Juxta Pontificale Rom. Subdiaconum oportet 1. Aquam ad ministerium altaris praeparare; hic mentio fit solius aquae, quia Subdiaconi est, affundere vino paululum aquae ante oblationem, dicendo: *Benedicite, pater reverende.* 2. Diacono ministrare. 3. Pallas altaris et corporalia abluere. 4. Calicem et patenam in usum sacrificii Diacono offerre. 5. Item solemniter, h. e. cum manipulo et ex officio in missa cantare Epistolam. Adde ex aliis Ritualibus, 6. panem consecrandum pro populo in altari ponere. 7. Crucem in supplicationibus gestare. Jure antiquo Subdiaconi debebant stare ad januas, per quas ingrediebantur mulieres, ne quis egrederetur, neve aperiretur janua tempore oblationis. Ut constat ex Constit. Apost. L. 8. c. 11. ibid. statutum legitur: *Unus autem Hypodiaconus ministret aquam Sacerdoti ad lavandum manus.* Praeterea juxta Epist. 1. *S. Fabiani* Papae olim Subdiaconis demandatum fuit, gesta martyrum colligere, et in scriptis consignare.

1000. *Q.* IV. An ordo Subdiaconatus sit sacramentum. R. Certo ac clare id non habetur ex Scriptura, nec ex Conciliis, nec ex PP., ideoque inter Theologos affirmativa et negativa defenditur ut probabilis. Rationes in utramque partem erudite colligit *Bened. XIV.* L. 7. de Synodo Dioeces. c. 24. in fine subjungit: *Ideo autem rationes attigimus, quae in utramque partem adducuntur, et paulo prolixius illas expolivimus, quae postremae* (scil. neganti Subdiaconatum esse Sacramentum) *favent opinioni, ut videant Episcopi, non posse indubitanter sacrilegii damnari, qui conscientia peccati lethalis ordines Diaconatu inferiores suscipere non formidant.* Nimirum si conferatur Subdiaconatus extra missam, dum non percipit ordinandus Eucharistiam.

1001. Q. V. Quid requiratur, ut quis valide ordinetur ad Subdiaconatum. R. 1. Ex parte subjecti requiritur, ut sit mas. 2. Baptizatus. 3. Habeat intentionem suscipiendi hunc ordinem. Ex parte vero ordinis requiritur, ut conferatur sub debita materia et forma, et a legitimo ministro.

1002. Q. VI. Quid requiratur ad hoc, ut quis licite ordinetur in Subdiaconum. R. 1. Ut sit Confirmatus. 2. Non sit irretitus censura ecclesiastica, nec sit irregularis. 3. Ut receperit primam tonsuram, et quatuor minores ordines. 4. Ut habeat legitimam aetatem, scil. vigesimum secundum aetatis annum saltem inchoatum, juxta *Trid.* sess. 23. c. 12. de reform.... 5. Ut habeat titulum legitimum sustentationis. 6. Ut non sit conjugatus ex c. fin. de temp. Ordinat. in 6. ubi proibetur, ne vel prima tonsura conferatur conjugato. 7. Ut habeat sufficientem scientiam. Alii insuper 8. exigunt sanctitatem vitae. 9. Congruum tempus ordinationum. 10. Vocationem divinam. Quae pro memoria continentur in vers. seq. *Confirm. Immunis, sit et Ordo, scientia et aetas: caelebs et sanctus, titulus, tempusque, vocatus.*

1003. Q. VII. Cur praerequiritur Confirmatio. R. Quia Ecclesia vult habere ministros in fide roboratos; hinc *Trid.* sess. 23. c. 4. reform. ait, *prima tonsura* nequidem initiandos, qui non sunt Confirmati.

1004. Q. VIII. Quid sit titulus; cur requiratur titulus; et quotuplex sit. R. *Ad* 1. et 2. Titulus est remedium, quo providetur ordinando de sufficiente et perpetua sustentatione; ideo requiritur titulus, quia indecens est, Clericum in sacris ordinibus constitutum mendicare, aut ex sordido quaestu vivere. Hinc statuit *Trid.* sess. 21. c. 2. de reform. ne quis ordinetur sine sufficienti titulo congruae sustentationis. R. *Ad* 3. Titulus est duplex, ecclesiasticus et patrimonialis. *Ecclesiasticus* subdivitur in beneficialem, paupertatis, et titulum mensae. *Beneficialis*, sive *titulus beneficii* est jus fruendi bonis Ecclesiae. *Titulus mensae* est remedium, quo alicui providetur de congrua et perpetua sustentatione a Magno Principe. *Patrimonialis* est, quando ordinandus actu habet bona propria et immobilia ad sustentationem sufficientia. Hic titulus modo coepit anno 1179. in Conc. Later. III. sub Alex. III., antea enim saltem usque ad saeculum X. ordinati sunt in ministerium Ecclesiae, et eo titulo alimenta ab ea acceperunt.

1005. Q. IX. Qualis esse debeat titulus beneficii. R. Requiritur, ut ordinandus pacifice possideat beneficium perpetuum, certos habens redditus ad honestam sustentationem sufficientes judicio prudentum, et habita ratione loci. Probatur ex *Trid.* quod sess. 21. c. 2. de reform. statuit, *ne quis deinceps Clericus saecularis, quamvis alias sit idoneus moribus, scientia, et aetate, ad sacros ordines promoveatur, nisi prius legitime constet, eum beneficium ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere.*

1006. Q. X. Qualis debeat esse titulus patrimonii vel pensionis. R. debet esse sufficiens ad congruam sustentationem. De hoc *Trid.* sess. 21. c. 2. de reform. ita statuit: *Patrimonium vel pensionem possidentes ordinari non possint, nisi illi, quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate vel commoditate Ecclesiarum suarum, eo quoque prius perspecto, patrimonium illud, vel pensionem vere ab eis obtineri, taliaque esse, quae eis ad vitam sustentandam satis sint, atque deinceps sine Episcopi licentia alienari, aut extingui, vel remitti nullatenus possint, donec beneficium ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliunde habeant, unde vivere possint.*

1007. Q. XI. Quinam ordinentur titulo paupertatis. R. Illi, qui post Novitiatum votum paupertatis religiosae in aliqua Religione approbata valide, et juxta statuta sui Ordinis emiserunt.

1008. Q. XII. Penes quem sit determinare, quaenam quantitas proventuum ex beneficiio, vel patrimonio sufficiat ad alimoniam Clerici. Respondet *Be-*

ned. XIV. L. 7. de Syn. c. 72. n. 7. *Absque periculo obviandi juri communi et sacro Conc. Trid. tuto poterit Episcopus in sua synodo non solum praefinire quantitatem proventuum, qui censeantur sufficientes ad alimoniam subministrandam Clerico suam incolenti dioecesim, sed etiam statuere et determinare, num inter ejusmodi proventus sit numeranda, an potius detrahenda stips, respondens numero missarum, ad quas celebrandas Clericus sive per se, sive per alium adigitur, lege sibi indicta a fundatore beneficii, quod possidet.*

1009. Q. XIII. An ordinatio facta cum ficto titulo non solum illicita, sed etiam invalida sit. R. Valida quidem est, cum omnia essentialia supponantur adesse, sed illicita, et graviter peccaminosa, quia violatur grave praeceptum Tridentini, et Ecclesiam in re gravi decipitur. *Si dicas*: Juxta cap. *Sanctorum Canonum.* dist. 70. *sine titulo facta ordinatio irrita habeatur.* R. Irrita habeatur quoad exercitium ordinis suscepti C. Irrita quoad valorem N. Deinde haec statuta mitigavit *Innoc. III.* ut patet. ex c. *cum secundum Apostolum.* L. 3. Decret. *de praebendis.* Item ex c. *si Episcopus*, de praebendis in 6. An vero is incurrat suspensionem, qui absque titulo, vel cum ficto titulo sacros ordines suscipit, utrinque defenditur. Affirmant complures cum *Suar., Vasq., Palao, Bonac., Aversa* eoquod poena illa fuerit olim per canones imposita, *Trid.* autem *antiquorum canonum poenas super his innovaverit*, ac proinde manet poena suspensionis super hoc casu. *Negativam* tenent *Tambur., Tolet., Gobat* et alii, eo quod jam ante *Trid.* haec poena videatur sublata ab *Innoc. III.* Vide *Leonardelli* de tit. mensae n. 138.

1010. Q. XIV. Qualis scientia requiratur in eo, qui vult ordinari Subdiaconus. R. 1. Debet scire requisita ad hunc ordinem, ejusque materiam et formam. 2. Obligationes huic ordini annexas, de quibus infra n. 1017. Unde et scire eum oportet media servandi castitatem, et modum recitandi breviarium. 3. Requiritur studium et capacitas ea addiscendi, quae ad altiores ordines requiruntur. Hinc *Trid.* sess. 23. c. 12. de reform. statuit, ut *nemo iis initietur, quem non scientiae spes majoribus ordinibus dignum ostendat.* Ibid. c. 13. ita statuit: *Subdiaconi et Diaconi ordinentur, habentes bonum testimonium, et in minoribus ordinibus jam probati, ac litteris, et iis quae ad ordinem exercendum pertinent, instructi, qui sperent, Deo auctore, se continere posse: Ecclesiis, quibus adscribentur, inserviant, sciantque maxime decere, si saltem diebus dominicis et solemnibus, cum altari ministraverint, sacram Communionem perceperint.*

1011. Q. XV. Quid sit vocatio divina. R. Est actus providentiae divinae, quo Deus hos prae aliis eligit, et praeparat dotibus congruis ad sacra ministeria digne obeunda. Vocationem prius oportet bene examinare; teste enim Apostolo ad *Hebr.* 5. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron.* Quid, quod ab hac vocatione dependeat tota series gratiarum?

1012. Q. XVI. Unde quis cognoscere possit, se vocatum esse a Deo. R. 1. Alia sunt indicia, ex quibus certo colligitur, quosdam non esse vocatos; v. g. notabiles defectus corporis, unde quis ineptus est ad ecclesiastica munia rite obeunda; item congeniti defectus animi, v. g. animus nimis ferox, agrestis indoles, ingenium obtusum etc. Alia sunt indicia dubia, v. g. defectus animi morales, et voluntarii, pravae consuetudines, et habitus vitiosi, qui quidem tolli possunt, sed animum nimis depravant. R. 2. Indicia, ex quibus sufficienter colligi potest aliquem esse vocatum a Deo, sunt 1. Competentes naturae dotes. 2. Spiritus ecclesiasticus, sive studium procurandae Dei gloriae et salutis proximi, et propensio ad ecclesiasticam disciplinam, unde etiam oritur propensio erga sacras caeremonias, et sacras Scripturas. 3. Immunitas a defectibus supra recensitis. 4. Pura intentio. 5. Profectus in eradicandis vitiorum habitibus, et acquirendis virtutibus. 5. Donum continentiae. In probatione spiritus, an ex Deo sit, necesse est frequenter in preci-

bus petere a Deo illustrationem intellectus, et hoc negotium mature tractare cum viro pio ac docto, praesertim cum Confessario.

1013. *Q.* XVII. Quaenam requiratur sanctitas in ordinando Subdiacono. R. Ut vel a baptismo innocenter vixerit, vel peccati maculas a notabili tempore per poenitentiam eluerit, ut solutus a vitiosis habitibus, et in virtutibus, praesertim in castitate radicatus extra morale relabendi periculum constitutus censeatur. Ideoque Neophyti olim ordinabantur.

1014. *Q.* XVIII. Quid circa interstitia notandum. R. Nomine interstitii intelligitur tempus intermedium inter praecedentem, et sequentem ordinationem. De hoc *Trid.* sess. 23. c. 13. de reform. ita statuit: *Promotis ad sacrum Subdiaconatus ordinem, si per annum saltem in eo non sint versati, ad altiorem gradum, nisi aliud Episcopo videatur, ascendere non permittantur. Duo sacri ordines non eodem die, etiam regularibus, conferantur, privilegiis ac indultis quibusvis concessis non obstantibus quibuscumque.* Ibid. c. 11. statuit: *Hi vero nonnisi post annum a susceptione postremi gradus minorum ordinum ad sacros ordines promoveantur, nisi necessitas aut Ecclesiae utilitas judicio Episcopi aliud exposcat.* Haec interstitia ab Ecclesia merito instituta sunt, tum ut inferiores Clerici ad eum virtutis et scientiae gradum eo melius se praeparent, quo major perfectio virtutis et scientiae inesse debet initiando Sacerdoti, tum ut ipso usu et experientia edoceri possint, quantum sit ecclesiasticae pondus disciplinae. Adde ex *Trid.* mox cit. ut interea *in unoquoque munere juxta praescriptum se exerceant, idque in ea, cui adscripti erant, Ecclesia, nisi forte ex causa studiorum absint.* Poenam pro iis, qui non servant interstitia *Clemens XIII.* per constitutionem: *Summum Pontificem.* Episcopo decernendam reliquit, sicque Bullam *Sixti V.* quae incipit *Sanctum et salutare*, ad terminos Conc. *Trid.* revocavit, ut probat *Habert* c. 10. de Ord. §. 3. q. 6.

1015. Q. XIX. Quaenam sint tempora ordinationum. R. Sunt dies Sabbatini quatuor temporum scil. *post Crux. post Cineres, post Spiritus, atque Luciae.* Item Sabbatum Passionis, et Sabbatum Sanctum. Circa tempora ordinationum non tantum summus Pontifex, sed etiam illi Episcopi possunt ex justa causa dispensare, quibus concessum est a summo Pontifice. Ita *Gregor. III.* anno 1582. 22. Septembr. per Bullam: *Pium et utile Societatis Jesu Institutum*, omnibus Episcopis concessit facultatem ut alumnos Societatis Jesu idoneos et comprobatos a Societate, et qui licentiam a Praeposito Generali dictae Societatis pro tempore existente, vel ab eo Delegatis habuerint, *absque ulla functione in ordinibus ipsis, interstitiorumque ad illos suscipiendos observatione, aut inquisitione de cantu, officiis, et caeremoniis Ecclesiasticis, idoneitate, proprii Ordinarii licentia, et aliis in aliis requisitis, ad minores, ac etiam extra tempora a jure statuta, tribusque Dominicis, vel aliis festis diebus, etiam continuis, ad sacros, etiam presbyteratus, ordines promoveant.*

1016. Q. XX. Quid sit ordinari per saltum. R. Est suscipere ordinem superiorem, praetermisso inferiore.

1017. Q. XXI. Quaenam obligationes sint annexae Subdiaconatui, et reliquis ordinibus majoribus. R. Tres, scil. 1. obligatio servandi castitatem; 2. recitandi Breviarium; 3. deferendi habitum et tonsuram.

De prima obligatione annexa ordinibus sacris.

1018. *Q.* I. Qualis sit obligatio servandi castitatem. R. Est gravis ob grave praeceptum Ecclesiae. Huic obligationi tria insunt. 1. Ordinatus non tantum tenetur abstinere *jure divino* ab actibus venereis illicitis, qui etiam laicis extra matrimonium vetantur, adeo ut si eorum aliquo se coinquinet, praeter speciem illius actus inhonesti, etiam malitiam sacrilegii teneatur in confes-

sione exprimere; sed et 2. sacris ordinibus initiatus *jure ecclesiastico* tenetur abstinere ab actibus venereis licitis in matrimonio, quod forte ante ordinationem contraxit; et 3. abstinere a contrahendo matrimonio, quod ei non tantum est illicitum, sed irritum et nullum.

1019. Q. II. Unde probetur, in sacris et majoribus ordinibus constitutos jure ecclesiastico, non divino obligari ad castitatem. R. Sunt, qui teste *P. Azor* tom. 1. l. 13. c. 12. q. 1. cum *Waldensi*, *Turriano* et aliis probabiliter defendunt, hanc obligationem procedere a jure divino. Communior tamen Theologorum et canonistarum sententia tenet, eam tantum provenire a jure ecclesiastico. 1. Quia nullus reperitur locus Scripturae, in quo constitutis in sacris et majoribus ordinibus matrimonium prohibeatur, nec aliquis Concilii Canon, aut Decretum Pontificis cujusdam, quo declaretur, dictam obligationem esse de jure divino. 2. Quia si haec obligatio esset de jure divino, Papa non posset circa illam dispensare, cum tamen saepius dispensatum sit, ut probat Eminen. Cardinalis *de Lauraea* d. 9. de Sacram. Ord. num. 204.... 3. Conc. *Trid.* sess. 24. can. 9. expresse habet, prohibitionem matrimonii in ministris sacris esse ex lege ecclesiastica; ibidem enim ita definit: *Si quis dixerit, Clericos in sacris ordinibus constitutos, vel regulares castitatem solemniter professos posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica, vel voto, et oppositum nihil aliud esse, quam damnare matrimonium, posseque omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt, se castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum, anathema sit* etc.

1020. De disciplina ecclesiastica circa continentiam *Tournely* in praelect. Theol. de septem Sacram. t. 2. q. ult. de Ord. tradit sequentia.

1. In Ecclesia Graeca nunquam licitum fuit Episcopis, Presbyteris, Diaconis, et Subdiaconis uxorem ducere post ordinationem, ut constat ex can. 6. Synodi *Quinisextae* seu *Trullanae* ab anno 692., qui ita habet: *Quoniam in Apostolicis Canonibus dictum est, eorum, qui non ducta uxore in Clerum promoventur, solos Lectores et Cantores posse uxorem ducere, et nos haec servantes decernimus, ut deinceps nulli penitus Hypodiacono, vel Diacono, vel Presbytero post sui ordinationem contrahere liceat. Si autem hoc ausus fuerit facere, deponatur.*

2. Nunquam licuit Episcopis in Ecclesia Graeca, nec etiam nunc licet uti conjugio, quod ante ordinationem contraxerunt, ut constat ex can. 21. ejusdem Synodi. Praeterea constat, Ecclesias Graecas, et alias Orientales his temporibus nullum ordinare Episcopum, nisi aut virgo sit, aut viduus, aut si uxoratus, continentiam polliceatur.

3. Lege per idem Conc. *Quinisextum* confirmata, licitum est Graecis Presbyteris, Diaconis et Subdiaconis retinere uxores legitime ante ordinationem ductas, et uti conjugio.

In Ecclesia Latina nunquam licuit Episcopis, Presbyteris et Diaconis uxorem ducere, aut uti conjugio ante ordinationem contracto, ut constat ex can. 33. Concilii *Eliberit.* IV. de anno 305., item ex can. 1. Conc. Carthag. II. de anno 397. ubi ita statuitur: *Omnibus placet, ut Episcopi, Presbyteri et Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiae custodes etiam ab uxoribus abstineant, ut quod Apostoli docuerunt, et observavit antiquitas, nos quoque custodiamus.*

De coelibatu Subdiaconatui annexo idem *Tournely* l. c. tradit sequentia. 1. Conc. *Eliberit.* mox cit. praecepisse, Subdiaconos manere coelibes. Idem ab aliis conciliis particularibus statutum fuisse, probat *Clericatus* de Sacram. Ord. decis. 27.... 2. Ait, saeculo V. sanctum Leonem M. primum e summis Pontificibus Subdiaconis legem continentiae imposuisse: saeculo VI. sanctum Gregorium Papam legem, qua praedecessor ejus Pelagius II. Subdiaconos Sicil. ab uxoribus separaverat, sic temperasse, ut nullus deinceps ad Subdiaconatum promo-

veretur, nisi perpetuam continentiam professus, indulsisse tamen ut, qui matrimonium jam contraxerant, eo uterentur. 3. Addit, sacculo demum XI. legem continentiae coepisse universaliter obligare Subdiaconos post Decretum *Urbani. II.* in Concilio *Claromontano*, nihilominus post varia statuta ab *Alex. VII.* Denique anno 1294. *Bonifacius VIII.* clarissime declaravit, ordinem sacrum habere sibi annexum votum castitatis, non solum impediens matrimonium contrahendum, sed etiam dirimens contractum. Vide cap. 1. de voto, et voti redempt. in 6.

1021. Q. III. An haec obligatio castitatis oriatur ex voto, quod faciunt, qui sacros ordines suscipiunt, sive ex praecepto Ecclesiae. R. Tres sunt sententiae circa hanc quaestionem. *Prima* tenet cum *S. Thom.* 2. 2. q. 88. art. 7., Emin. Card. *de Lauraea*, *Sanchez* L. 7. de matrim. d. 27. et aliis, hanc obligationem oriri ex voto. *Secunda* tenet cum *Valentia* d. 9. q. 5. pun. 5., *Aversa* et aliis, ministros sacros obligari ad castitatem ex solo praecepto ecclesiastico. *Tertia*, et verior sententia tenet cum *Hurtado*. *Perez* et aliis apud *P. Gobat* tr. 8. n. 755. quod haec obligatio oriatur immediate ex voto, mediate vero ex praecepto ecclesiastico. Probatur *primum* ex *c.* 1. dist. 31., ubi *S. Gregorius M.* ait: *A praesenti die Episcopis omnibus dicatur, ut nullum Diaconum facere praesumant, nisi qui se victurum caste promiserit:* atqui promissio facit votum; ergo. *Confirm.* ex cap. unico de voto in 6., ubi *Bonif. VIII.* declarat, *Oraculo sanctionis, illud solum votum debere dici solemne, quantum ad post contractum matrimonium dirimendum, quod solemnizatum fuerit per susceptionem sacri ordinis, aut per professionem* etc. *Secundum* de praecepto constat ex pluribus Canonibus, praecipue ex can. 1. et seq. di t. 31. item ex c. *Si quis eorum.* dist. 32., et ibid. c. *Omnium Sacerdotum.* Leo Papa expresse ait: *Nec Subdiaconis quidem connubium carnale conceditur.*

1022. *Nec dicas* 1. Quod nemo ordinandorum explicite hoc votum faciat; quia, etsi ordinandus verbis id non faciat, illud tamen facit facto, scilicet suscipiendo ordinem, sicut praecipit Ecclesia: atqui Ecclesia praecipit, ut ordinandus promittat, se caste victurum: ergo. Vel si aliter rem explicare velis, dic, catenus Subdiaconum obligari ex voto, quatenus vi praecepti ecclesiastici aeque obligatur ad castitatem, ac is, qui eam libere vovit, ideoque obligatio ex praecepto aequivalet obligationi ex voto; hinc Subdiaconus aeque committit sacrilegium peccando contra castitatem, ac is, qui obstrictus voto formali contra eam peccat.

1023. *Nec dicas secundo* cum *Wicleffo*, ut refert *Thomas Waldensis*, lex perpetuae continentiae est contraria juri naturali et divino, quod exprimitur *Genes.* 1. his verbis: *Crescite et multiplicamini*: ergo. R. *N. Antec.* S. Paulus 1. *ad Cor.* 7. *v.* 7. ait: *Volo enim vos omnes esse, sicut me ipsum*. hoc est. coelibes: v. enim 8. addit: *Dico autem non nuptis et viduis, bonum est illis, si sic permaneant, sicut et ego.* Atqui Apostolus non potuisset hoc statuere, si coelibatus esset contra jus naturale et divinum: ergo. Verba Genesis enunciata sunt propter genus humanum universim spectatum, quod per generationem erat propagandum, vimque habent praecepti tantum, ubi sine conjugio genus humanum deficeret; alias B. Virgo, s. Joseph, s. Joannes, et plures alii, imo et Christus Dominus adversus hoc praeceptum deliquissent.

1024. *Nec dicas tertio:* S. Paulus cit. locis nullam condit legem de coelibatu, sed consilium solummodo dat, ut patet ex v. 25. ibid. *De virginibus praeceptum Domini non habeo, consilium autem do.* Quin et Christus reliquit cuilibet liberum: ergo. R. Nec Ecclesia quemquam cogit ad amplectendum statum, cui annexus sit coelibatus, sed qui libere eligit hunc statum, libere se obligat ad obediendum praecepto Ecclesiae: sicut enim ideo Apostolus 1. *ad Tim.* 3. *v.* 12. viduas dicit habere damnationem, quae primam fidem, hoc est, promissam continentiam irritam fecerunt; ita damnationi obnoxii sunt,

qui libere Subdiaconatum amplexi, perpetuam continentiam non servant; hos enim post promissionem libere factam Ecclesia cogit in proposito manere, ipsisque nuptias interdicit: scilicet sicut Dominus vult servos suos, qui libere famulatui suo se addixerunt, esse coelibes, vel sicut rex matrimonium militibus interdicit, ita Ecclesia antecedenter neminem cogit ad suscipiendum ordinem, sed consequenter ex conditione, quod ordinem libere susceperit, obligat ad castitatem.

Denique nec obstat, quod haec lex multis sit occasio ruinae; non enim occasio est per se, sed per accidens, et quidem iis tantum, qui temere, et sine continentiae dono ac studio ad ordines obrepunt tanquam fures, vel qui media nolunt adhibere, de quibus egimus Part. I. n. 759.

Nec dicas quarto: Quilibet obligatur ad castitatem; ergo superfluum est hoc praeceptum ecclesiasticum. R. *D. Antec.* Quilibet obligatur ad castitatem secundum statum suum, vel ad virginalem, vel vidualem extra matrimonium, vel saltem ad matrimonialem, stante matrimonio, C. Quilibet determinate obligatur ad castitatem virginalem, N.

1025. *Q.* IV. Quid? si quis ignoraret Subdiaconatui esse annexum hoc votum. R. Si haec ignorantia esset positiva, ut si videat conjugatos passim ordinari, uti apud Graecos, probabiliter non tenetur ad castitatem: secus si ignorantia esset negativa. Hinc ait *Clericatus* hic decis. 27. n. 64. Si daretur aliquis ignorans hanc obligationem vovendi, vel qui intra se diceret, nolo vovere, nec me obligare ad castitatem, adhuc esset obligatus ad illam ex praecepto Ecclesiae, et absolvi non posset in foro conscientiae, nisi admonitus de obligatione vovendi voveret: quia eligendo Subdiaconatum tenetur profiteri castitatem.

Ibid. num. 65. addit laudatus *Clericatus*, in tribus casibus ordinatos in sacris obligatos non esse ad castitatem. *Primus* est, si ordinatio non esset valida: votum enim castitatis est accessorium ad ordinationem. *Secundus* casus est, si ordinetur puer ante usum rationis, quae ordinatio quidem supponitur valida, quamvis illicita sit; ordinatus tamen, nisi illam ratificet in annis pubertatis, eousque non obligatur; ideoque poterit postea statum laicalem amplecti, et uxorem ducere; secus de impubere, qui est doli capax. *Disparitas* est, quia infans, sive rationis usum non habens nec vult Subdiaconatum, nec obligationem; habens autem usum rationis supponitur velle suscipere ordinem: ergo ut potest ac debet velle suscipere annexam obligationem. Idem affirmat *Benedictus XIV.* in instructione Cophtorum tom. I. Bullar. pag. 516. *Tertius* casus est, si quis ordinetur per vim et metum gravem: in hoc casu si vim patiens expresse protestetur, se nolle ordinari, certum est, invalidam esse ordinationem, et nullam adesse obligationem castitatis; at si consentiat, et libere suscipiat ordinem, etsi praecesserit violentia, tenetur ad castitatem; contrarium alii sentiunt apud *Salmanticenses* t. 8. c. 6. a n. 55.

De obligatione recitandi Breviarium.

1026. *Q.* I. Quid sit Breviarium. R. Quoad nomen est breve quoddam compendium sacrae Scripturae, sermonum et homiliarum ss. Patrum, et vitae Sanctorum: alias etiam vocatur *Horae Canonicae*, quia preces illae per sacros canones praescriptae, et ab Ecclesia ad laudandum Deum hoc ordine horarum determinatae sunt: vel, ut ait *Durandus*, quia ad certas horas regulantur. Ab aliis simpliciter dicitur *Canon*, quia sicut Vasalli Regibus, et coloni Dominis sui canonem, sic personae ecclesiasticae canonem divini obsequii quotidie Deo solvant. Ita *Gonzalez* in Comment. ad c. *Presbyter.* In c. *Dolentes*, etiam vocatur *Officium divinum*, quia praecipuum, ac maxime proprium Clericorum munus est, precibus apud Deum nomine Ecclesiae insistere, ut ait *Laym.* L. 5. t. 1. c. 2. Denique ab Urbano VIII. vocatur *Divina psalmodia:* a s. Hier.

Psallentia: ab Ivone Carnotensi *Pensum*: a s. Macario et Mabillonio *Cursus*: ab aliis *Orarium*. Ex quibus recte dices, Breviarium quoad rem esse publicas ac statas preces ex sacrorum canonum decreto ab ecclesiasticis personis quotidie horis diurnis et nocturnis nomine Ecclesiae ad Deum persolvendas Ita *Laym.* l. c.

1027. *Q.* II. Quot sunt partes Breviarii. R. Undecim. 1. Calendarium. 2. Rubricas generales. 3. Psallerium. 4. Proprium de Tempore. 5. Proprium Sanctorum. 6. Commune Sanctorum. 7. Officium B. V. M. 8. Officium Defunctorum. 9. Quindecim Psalmi Graduales, quos teste *Cornelio a Lapide* populus hebraicus in gradibus templi Salomonis psallere solebat. 10. Psalmi Poenitentiales cum Litaniis omnium Sanctorum, Ordo commendationis animae, Benedictio mensae, et Itinerarium Clericorum. 11. Officia ad libitum.

1028. *Q.* III. Unde proveniat obligatio recitandi Breviarium. R. Ex antiquissima consuetudine legitime introducta, quae habet vim legis, ideoque praeceptum de recitandis horis canonicis non est juris divini, sed positivi ecclesiastici, quia nec ex sacra Scriptura, nec ex traditione, nec ex Sanctorum Patrum testimonio colligitur, eas esse institutas jure divino. Ita communior sententia Theologorum et Canonistarum contra *S. Antoninum, Abbatem, Rosellam* et alios, qui defendunt, recitationem Breviarii esse de jure divino, quorum argumenta scite solvit *Sylvester* V. Hora q. 8. n. 9. Horum discrepantiam erudite conciliat *Clericatus* de Sacr. Ord. decis. 25. num. 19. asserens, quod Pensum jure divino et naturali praecipiatur personis ecclesiasticis, modus autem et ritus hoc determinate officium recitandi sit de jure ecclesiastico.

1029. *Q.* IV. Quis redegerit in hanc formam horas canonicas. R. Certo affirmari nequit, quis fuerit primus et proprius auctor; *longinquitate enim temporis saepe fit, ut originis ratio lateat*, ut ait can. 6. Concilium Toletanum VI. Modum et formam quamdam praebuit ipsa Scriptura, et exemplum Apostolorum. Psalmista David psalm. 118. v. 62. dicit: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi*; et v. 164. *Septies in die laudem dixi tibi*. Apostoli vero ac Discipuli orabant ora tertia quando super eos descendit Spiritus Sanctus. Actor. 2. v. 15. s. Petrus hora sexta orationi vacabat. Actor. 10. v. 9. et ad templum cum Joanne ascendit *ad horam orationis nonam*. Act. 3. v. 11. Successu temporis in eum ordinem, quem nunc tenemus, Breviarium redegerunt summi Pontifices. *Primo* quidem Theodosius Imperator (ut testatur *Gonzalez* in cap. 2. de celeb. miss. num. 19.) rogavit s. Damasum Papam circa annum 368., ut divinum officium pro singulis horis melius disponeret, qui hoc negotium commisit D. Hieronymo: hic Psalterium, Evangelia et Epistolas distribuit, quod opus s. Damasus postea approbavit, et in omnib s Ecclesiis observandum praecepit, statuitque, ut in fine cujuslibet psalmi diceretur *Gloria Patri* etc. 2. circa annum 494. *Gelasius* Papa in Concilio Romano confirmavit lectiones, quae ex utroque testamento positae sunt in Breviario legendae pro tempore, ut eruitur ex cap. *Sancta* §. 82. dist. 15.... 3. Sequente saeculo V. *S. Gregorius M.* denuo emendavit priorem formam, quae duravit usque ad annum millesimum. Saeculo XI. a *Gregorio VII.* denuo reformata forma antea prolixior, quam adhuc in breviorem methodum redigendam *Innocentius III.* anno circiter 1200. tradidit *Haymonio* Ministro Generali Ordinis s. Francisci, quam approbavit *Gregorius IX.* Irrepsere nihilominus novae lectiones, et mutilationes psalmorum; hinc denuo ad legitimam formam reduxit *S. Pius V.* anno 1568., ut patet ex ejus Bulla, *Quod a nobis*. Postea, quia Breviarium denuo ob incuriam typographorum, et audaciam aliquorum erat aliquantum depravatum, denuo emendatum fuit jussu *Clementis VIII.* anno 1602. per Bullam, *Cum in Ecclesia*. Denique *Urbanus VIII.* anno 1631. aliqua, quae in hymnis a metri elegantia deflectebant, castigavit. Bullas mox citatas vide ab initio Breviarii.

1030. *Q.* V. Quinam obligentur ad recitandum Breviarium. R. Tria genera personarum ecclesiasticarum ad hoc tenentur. 1. *Clerici beneficiati*. 2. *Re-*

ligiosi Clerici. 3. *Constituti in ordinibus sacris*, nempe Subdiaconi, Diaconi, et Presbyteri.

1031. Dixi 1. *Clerici beneficiati*; hi enim sub gravi peccato tenentur ad recitationem Breviarii, et si omiserint sine legitima causa, ad restitutionem fructuum; nomine autem beneficii (ut ait *Clericatus* de Sacr. Ord. decis. 25. num. 23.) veniunt Episcopatus, Canonicatus, Praepositurae, Parochiae. Beneficia simplicia, qualia sunt Clericatus ac Praestimonia, necnon Capellaniae Ecclesiasticae, hoc est, auctoritate Episcopi erectae. Haec obligatio patet ex Concilio Lateranensi sub *Leone X*. sess. 9. §. *Statuimus*, ubi exprimitur communis illa regula: *Beneficium datur propter officium.* Item ex Constit. *S. Pii V.*, quae incipit: *Ex proximo*, in qua expresse ita habetur: *Nos huic rei evidentius atque expressius providere volentes, statuimus, ut, qui horas omnes canonicas uno vel pluribus diebus intermiserit, omnes beneficii seu beneficiorum fructus, qui illi vel illis diebus responderent, si quotidie dividerentur: qui vero matutinum tantum, dimidiam: qui caeteras alias horas, aliam dimidiam: qui horam singulam, sextam partem fructuum ejus diei amittat; tametsi aliquis choro addictus non recitans omnibus horis canonicis cum aliis praesens adsit, fructusque et distributiones forte aliter assignatas, sola praesentia, juxta statuta, consuetudinem, vel alias sibi lucrifecisse praetendat; is etiam praeter fructuum et distributionum amissionem, grave peccatum intelligat se admisisse.* Ad plures casus resolvendos observa.

1032. I. Probabilius esse judicat *Suarez* tom. 2. de virt. et statu Relig. L. 4. c. 19. n. 7. contra *Navarrum*, quod Beneficiatus non obligetur ad recitandum officium ratione solius tituli ante acquisitam possessionem, *nisi per Beneficiatum stet habere illam*; quia, licet quis habeat dominium radicale seu proprietatis beneficii a die collationis, nondum tamen habet dominium utile; ideoque non videtur obligatus ad laborandum in vinea Domini, donec utilitatem ex illa accipiat.

1033. II. Qui malitiose moras trahit, aut negligit, aut impedit, quo minus beneficii possessionem consequatur, tenetur recitare officium; quia per talem vere stat habere possessionem beneficii; nec fraus aut negligentia debet illi prodesse, neque Ecclesia privanda est officio suo propter culpam Beneficiati. *Suarez* l. c. n. 8., ubi addit: Si vero talis moralem diligentiam adhibeat, rationabiliter excusatur a recitatione Breviarii, donec possessionem accipiat. Similiter n. 9. contra *Navarrum* resolvit, illum, qui acquisito jure ad beneficium per litem impeditur, ne possessionem accipiat, non teneri pro eo tempore ad recitandum ratione solius tituli.

1034. III. Post titulum, et pacificam possessionem beneficii per se loquendo, statim quis tenetur recitare, quamvis fructus beneficii non statim accipiat, modo habeat moralem spem certam obtinendi illos: quia talis perfecte et complete habet beneficium. *Suarez* ibid. c. 20. num. 1. et num. 16. resolvit, illum, qui post acceptam possessionem beneficii ita privatur fructibus, ut ea privatio sit quasi perpetua beneficii spoliatio, non teneri recitare horas, eoquod tunc perinde se habeat, ac si non haberet stipendium; secus si ablatio fructuum non sit perpetua. Dixi supra, *per se statim tenetur*: quia ratione diversarum consuetudinum variarum Ecclesiarum tum Cathedralium, tum Collegiatarum neo-Canonici illis annis, quos vocant annos Carentiae, nondum obligantur ad pensum horarum; unde respiciendum est ad statuta et consuetudinem Ecclesiarum. Idem *Suarez* sequenti cap. 21. num 5. tenet etiam ex beneficio tenui oriri obligationem recitandi horas; quia, dum jus cap. ult. de rescript. in 6. dicit, beneficium dari propter officium indistincte loquitur: ergo non tantum sufficiens, sed etiam tenue beneficium comprehendit. Contrarium defendunt *Lessius*, *Tambur.* et alii apud *Gobat* tr. 5. Theol. Exper.

n. 578. tenue beneficium *Sanchez* et *Viva* censet esse illud, quod non suppeditat tertiam partem congruae sustentationis.

1035. IV. Qui possidet duo beneficia, nonnisi semel de die tenetur recitare horas canonicas: similiter sentiendum de eo, qui est Sacerdos, Parochus, et Religiosus. Ita *Gobat* l. c. n. 579.

1036. Dixi 2. *quod ad recitandum Breviarium teneantur Religiosi Clerici.* Hanc obligationem dupliciter esse spectandam, recte observat *Laym.* l. c. c. 4. *Primo*: quatenus illa incumbit toti Communitati sive Capitulo, imprimis autem Praelato, cui absque dubio sub gravi peccato incumbit curare, ne in sua Ecclesia officium divinum statis horis praetermittatur. *Secundo:* quatenus illa obligatio afficit singulos Religiosos utriusque sexus, qui Religionem choro addictam professi sunt, de quibus duplex est sententia: alii enim cum *Medina*, *Cajetano*, *Armilla*, et gravissimis AA. sentiunt, Religiosos Professos non existentes in Sacris non teneri sub peccato gravi de jure dicere officium, neque ex professione, neque ex victu, nisi Ordinis regula vel consuetudo vim regulae obtinens ita statuat. *Laymann* vero cum *S. Antonino*, *Bellarm.*, *Azorio* et aliis l. c. n. 2. intrepide affirmat, contrariam sententiam tenendam esse, quod singuli Religiosi (exceptis Novitiis, et Fratribus Laicis) qui profitentur Religionem choro addictam, aeque ac majoribus ordinibus initiati obligentur ad Breviarium vi consuetudinis generalis, quae in omnibus Religionibus choro addictis cum tali obligatione acceptata est, consentientibus Praelatis ac Superioribus. In hac sententiarum varietate *Gobat* l. c. n. 571. ita resolvit; si Religiosus in Sacris nondum constitutus, aut monialis confiteatur, se aliquoties non persolvisse horas canonicas, expediet interrogare, quisnam in ejus monasterio sit communis sensus de gravitate culpae ex omissione Breviarii. Dixi: *quisnam sit communis sensus*, scil. tum Superiorum, tum subditorum ejusdem Ordinis; neque enim a particularis cujusdam personae opinione regula obligationis desumi prudenter potest. Vide *Donatum* de Regularibus tom. 4. t. 18. q. 9. n. 5. ubi demonstrat, monialem teneri privatim officium recitare, quando in choro ipsum non persolverit; postea affirmare non dubitat; *Contraria opinio mihi videtur omni probabilitate carere, ne dicam, quod sit temeraria contra communem, scandalosa, et odiosa saluti animarum.* Sic ille. Idem sentiunt *Salmant.* de Horis Canon. c. 2. n. 19., *Babenst.* t. 2. d. 2. a. 3. a n. 25., ubi etiam a n. 32. erudite solvit objectiones.

1037. *Tertio.* Ad recitandas quotidie horas canonicas obligantur sub peccato gravi *omnes, qui ad ordines sacros sunt promoti.* De hac obligatione Benedictus XIV. in instructione super dubiis ad ritus Coftorum, quae incipit: *Eo quamvis tempore*, et habetur in Tom. I. ejus Bullarii pag. 511. §. 43. ita docet: *In Ecclesia Occidentis imposita est Presbyteris, Diaconis et Subdiaconis dicta obligatio*, scil. dictum recitandi Officium divinum, *quamvis nullum beneficium Ecclesiasticum fuerint assequuti. Cohaeret enim ordini sacro diurnum pensum horarum canonicarum, illudque veteri traditione acceptum, et immemorabili consuetudine in more positum fuisse, docet communior Theologorum opinio.* Juxta *P. Gobat.* in Theol. experim. 561. haec obligatio incipit, ut primum aliquis insignitur Subdiaconatus ordine; ita ut illo die non quidem teneatur dicere omnes horas, sed illas, quae a tempore correspondente horae ordinationis secundum consuetudinem Ecclesiae solent recitari, v. g. incipiendo a Sexta vel Nona.

1038. *Q.* VI. Quaenam materia censenda sit gravis vel levis in omissione horarum. R. Ad committendum peccatum mortale requiritur omissio partis notabilis, v. g. horae minoris, aut integri nocturni cum suis lectionibus. *Ratio* est, quia (ut ait *Stoz* L. 1. p. 3. q. 3. n. 382.) Ecclesia pia mater praesumi non potest, aeternae damnationis reum velle illum facere, qui leviorem partem omittit. Ibidem n. 380. ex *Diana P. Stoz* ait, a sacra Congregatione

improbatam esse sententiam eorum, qui putant unam ex horis minoribus esse materiam levem.

1039. *Q.* VII. Quaenam causae excusent a recitatione Breviarii. R. Quatuor sunt causae excusantes. 1. Impotentia physica, et moralis. 2. Charitas proximi. 3. Metus. 4. Dispensatio. Ita *Clericatus* de Sacram. Ordinis decis. 27. p. 29. cum *Sanchez*, *Reginaldo*, et *Gobat*.

Dixi 1. *Excusat impotentia physica;* sive ea sit *intrinseca*, quae oritur ex defectu corporali intrinseco, ut contingit in coeco et muto, sive sit *extrinseca*, ob defectum alicujus mediiextrinseci ad recitandum necessarii, qualis est defectus Breviarii. *Ratio* horum est, quia impossibilium non est obligatio. *L. impossibilium. ff. de R. J.* Haec impossibilitas interdum est inculpabilis, v. g. si quis Breviarium in itinere amittat, et aliud habere non possit; interdum vero est culpabilis, v. g. quia studio abjecisti, vel domi reliquisti breviarium, praevidens, te alibi nullum esse accepturum. In hoc casu eo die peccas mortaliter, quo voluntarie abjecisti Breviarium: reliquis vero diebus, quibus Breviario carere cogeris, non peccas, quia illae omissiones non amplius sunt voluntariae, ut supponitur: secus si non sit retractata prior voluntas; tunc enim sequentes omissiones censerentur adhuc voluntariae. Ita *Stoz* l. c. n. 420. *Impotentia moralis* tunc adesse censetur, quando non nisi cum maxima difficultate recitari potest Breviarium: sic excusat gravis infirmitas, de qua *Stoz* l. c. tradit sequentem regulam: Infirmitas, ut excuset, non debet esse levis (haec enim non adfert morale impedimentum) nec debet necessario esse gravissima, sed sufficit, si sit notabilis, ita ut ex recitatione immineat grave valetudinis incommodum, v. g. magnus dolor capitis, virium lassitudo notabilis etc. *Ratio* est, quia incredibile videtur, piam matrem Ecclesiam cum tanta severitate hoc pensum horarum a graviter infirmo exigere. Si dubium adsit, an infirmitas censeri debeat sufficienter excusans, standum est judicio Superioris, aut alterius viri prudentis, Confessarii aut Medici, ne plus tribuatur imaginationi, quam veritati: quamvis enim Confessarius vel Medicus dispensare in hoc casu nequeat; potest tamen infirmum dubio liberare, et secundum praesentes circumstantias declarare, justam excusationis causam adesse. Ita *Laymann* l. c. cap. 6. n. 1. Ibid. huc reducit casum, quo quis ex *inculpata* oblivione unam vel plures horas omittit. Ex his

1040. Porro *resolves* I. Carens Breviario, coecus, vel oculis graviter laborans, si totum Officium, vel notabilem illius partem sciat memoriter, tenetur recitare; quia hic nullam habet impotentiam implendi praeceptum, sed commode, ut supponitur, potest saltem partem implere; ergo tenetur. Ita *Sanchez* in Cons. mor. L. 7. c. 2. dub. 46., *Palao* et alii. Coecus tamen, nisi jam sciat memoriter magnam partem Breviarii, non obligatur, ut adhuc discat memoriter, quia hoc communiter est nimis difficile, et medium extraordinarium, ad quod nulla lex obligat. *Illsung* t. 5. d. 1. q. 1. a. 6. n. 41.

1041. II. Qui solus nequit recitare horas, posset autem cum socio, tenetur adhibere socium, siquem commode habere possit. *Ratio* est, quia hic commode potest implere praeceptum; deinde qui obligatur ad finem, obligatur etiam ad media necessaria, quando ea absque extraordinario onere habere potest: atqui talis obligatur ad finem, scilicet recitandas horas, et socium, tanquam medium sibi ad hunc finem necessarium supponitur commode posse habere: ergo. Secus si non nisi magno sumptu socium possit habere; quia hoc modo esset onus extraordinarium, et nimis difficile. *Laymann* loc. cit. n. 2., *Bonac.*, *Illsung* et alii. Surdus non tenetur adhibere socium, quia ineptus est ad recitandum cum alio; tum quia totum id, quod alter recitat, non audit, ideoque non facit sibi commune; tum quia commode non potest respondere. Ita Comm. cum *Suarez*.

1042. III. Qui amisit, vel secum non habet Breviarium, ita ut non possit recitare Matutinum, ex Diurnali tamen (ut vocant) potest recitare reliquas

horas, tenetur illas recitare, ut patet ex propositione 54. ab *Innoc. XI.* damnata. *Ratio* est, quia quando materia praecepti est divisibilis, tunc, qui non potest implere totum, tenetur implere partem, quam potest implere; sicut qui nequit solvere totum debitum, tenetur solvere partem, quam potest solvere. Recte tamen addit *Duarte* V. Horae Can. n. 306. quod aegrotus, qui non potest recitare Matutinum et Laudes, et dubitat, an possit recitare reliquas horas, non teneatur ad illas: quia hoc ipso, dum ejusmodi aegrotus dubitat prudenter, ideo dubitat, quia timet periculum detrimenti ex recitatione orituri: ergo merito censetur liber a recitatione; supponimus autem, non adesse tantum vanum timorem.

1043. Dixi 2. quod excuset *charitas proximi*, uti si quis deberet tota die assistere infirmis et moribundis, ita ut non haberet moram recitandi horas. *Gobat* hic addit n. 727. extra necessitatem Jubilaei vel Paschatis rarissime posse omitti horas ob multitudinem excipiendarum confessionum.

1044. Gravis occupatio tunc solum excusat, quando vel non potuit praeveniri, vel nequit praetermitti sine gravi scandalo, aut proprio, aliorumve damno, ac insuper recitationem Officii secum non compatitur. Haec enim si concurrant, censeretur adesse moralis impotentia. *Sanchez* l. c. dub. 52. Hinc qui praevidet ejusmodi occupationem cum recitatione Breviarii incompossibilem sibi obventuram, tenetur anticipare eam. Ita *Bonacina* de Hor. Can. disp. 1. q. 6. pun. 2. *Ratio* est, quia obligatio hujus praecepti durat tota die, et impleri potest certa diei parte, v. g. summo mane, uti supponimus, et simul praevidetur non posse impleri reliquis diei horis: ergo tunc debet impleri, quando potest.

1045. Dixi 3. quod *metus* excuset a recitandis horis, scilicet si recitaturus Officium prudenter timeat grave aliquod corporis vel bonorum detrimentum, v. g. si quis Subdiaconus inter haereticos vel infideles degens recitando Breviarium incurreret grave malum, vel vitae jacturam. *Ratio* communis est, quia lex humana cum tanto detrimento non obligat. Ita *Sanchez*, *Tambur.*, et alii.

1046. Dixi 4. quod quarta causa excusans a recitatione Breviarii sit *dispensatio*. Per se et regulariter solus summus Pontifex potest dispensare; quia Ecclesia condidit hanc legem per Pontificem tanquam Caput, ergo etiam potest per illum per se et regulariter eam tollere. Addit hic *P. Gobat* n. 729. quod Episcopus, *per se loquendo*, nequeat dispensare, cum inferior *regulariter* ac *per se* non possit relaxare legem Superioris, sed tantum per accidens, ubi de acquisito dispensandi jure constat. An, et in quibus casibus dispensare possint Superiores Religiosorum choro addictorum, et non habentium ordines sacros desumendum est vel ex consuetudine legitima, vel ex specialibus privilegiis singulorum ordinum. *Illsung* t. 5. d. 1. q. 1. a. 6. n. 42. *Julius III.* in Bulla: *Sacrae Religionis*, Praeposito Generali Soc. Jesu, et aliis, quibus ipse Generalis auctoritatem suam ad hoc communicaverit, concessit facultatem iis, quos ob infirmitatem judicaverint excusandos, commutandi divinum Officium in aliud opus pium, seu leviorem orationem, durante tamen infirmitate.

1047. Excommunicati, suspensi, depositi, aut degradati, non liberantur onere recitandi Breviarium, ne ex propria iniquitate commodum ferant, ut docet *Laym.* L. 4. t. 1. c. 4. n. 4. cum communi. Hi tamen sub recitatione Officii debent omittere *Dominus vobiscum*. *Gobat.* l. c. n. 731. cum *Sanch.*

De modo et ordine recitandi Breviarium.

1048. *Q.* I. Quomodo debeat recitari Officium divinum. R. Debet vocaliter recitari *studiose* et *devote*. *Probatur* ex cap. *Dolentes*. 9. L. 3. Decret. tit. 41. de Celebr. Miss. quod desumptum est ex Concilio Gen. Lateran. sub *Innoc. III.* ubi expresse ita habetur: *Districte praecipientes in virtute obedientiae, ut divinum Officium nocturnum pariter et diurnum quantum eis dederit Deus,*

studiose celebrent pariter et devote: τό studiose pertinet ad *officium oris*, ita ut recitari debeat Breviarium integre, rite, ordinate, tempestive, absque syncopatione, omissione verborum, abscissione syllabarum, et juxta ritum Breviarii Romani: *τό devote* pertinet ad *officium mentis*, ita ut debeat recitari cum debita *intentione et attentione*. Devotio enim proprie nihil aliud est quam prompta voluntas exequendi ea, quae ad divinum cultum pertinent: improprie sumitur pro interno solatio orto ex oratione.

1049. *Q.* II. Quid, et quotuplex sit intentio. R. Intentio est actus voluntatis, quo quis deliberate hoc vel illud agere statuit, v. g. recitare horas. Intentio haec alia est actualis, alia virtualis, alia habitualis. *Actualis* est actus voluntatis, sive propositum nunc existens ad hoc, vel illud agendum, v. g. ad recitandum breviarium. *Virtualis* est intentio actualis praeterita realiter perseverans in serie actionum ad eumdem finem intentum ordinatarum, v. g. dum quis praemissa intentione actuali arripit breviarium, vadit ad chorum, incipit horas secundum ordinem et ritum, quin actualiter denuo cogitet volo recitare, vel recito breviarium. *Habitualis* est intentio actualis praeterita tantum non retractata; haec potest esse in dormiente. Virtualem alii confundunt cum interpretativa et implicita, quam nos dicimus esse in eo, qui incipit opus eo animo ac deliberatione, ut quaerenti, quid agat, vere possit affirmare: Recito breviarium. Vide dicta n. 44. et seq.

1050. *Q.* III. An obligatus ad horas teneatur illas recitare cum aliqua saltem intentione orandi. R. *Affirmative*. 1. Quidem requiritur *aliqua saltem intentio*, quia alias illa recitatio sine intentione non esset actio humana, qualis certe praecipitur ab Ecclesia. 2. Requiritur saltem *aliqua intentio orandi*, scilicet vel actualis, vel virtualis, vel saltem implicita. *Ratio* est, quia prudenter non potest praesumi, recitationem Breviarii ex alio fine praecipi ab Ecclesia, quam ad colendum Deum; ideoque directe praecipit recitationem tanquam opus externum, indirecte autem animum sive voluntatem colendi Deum. *Confirm.* Nuda lectio rerum contentarum in Breviario est res mere indifferens, imo illa lectio in idiomate ignoto est actio puerilis (ita enim se habet, sicut labor puerorum, qui discunt legere linguam sibi ignotam), atqui non est credibile, quod Ecclesia, atque omnes Superiores Ecclesiastici tot legibus ac statutis urgeant publicam atque privatam recitationem Breviarii, nisi velint eam persolvi tali modo, qui ex indifferente faciat bonam ac meritoriam: ergo. Accedit, quod Breviarium olim vocatum fuerit *Orarium* ab orando: ergo recitatio Breviarii aliter exercita non fuit, nisi per modum orationis. Ita *P. Gobat* in Theol. exper. t. 5. a n. 740. cum *Suarez* et communi Theol. et Canon. contra *Dicastillo*. Hinc idem *P. Gobat* n. 753. cum *Aragonio* resolvit quod is, qui recitat divinum Officium, non animo orandi, sed aut se exercendi in legendo, aut psalmos addiscendi, teneatur illud reiterare, cum talis teneatur orare, et non oret.

1051. *Q.* IV. Quaenam in praxi est optima intentio. R. Illa, quam in Breviario praefigit Ecclesia per orationem: *Aperi Domine* etc. et: *Domine in unione illius divinae intentionis* etc.

1052. Porro *observa*, quod non requiratur intentio implendi praeceptum de recitando Breviario, quia sufficit ponere opus praeceptum. Vide dicta in Part. I. de Legibus n. 174.

1053. *Q.* V. Quotuplex sit attentio. R. Duplex. 1. *Attentio interna*, et est actus intellectus, quo quis advertit ad id, quod agit. 2. *Attentio externa* consistit tum in externa compositione corporis in modum orantis, tum in eo, ut quis abstineat ab omni actione incompossibili cum recitatione Breviarii, aut eam impediente. Attentio interna iterum est triplex: *Superficialis*, *Litteralis*, et *Spiritualis* sive *Mystica*. *Superficialis* est advertentia animi ad verba, ut ea recte, secundum ordinem et ritum, ac integre proferantur, ita ut nihil omittatur, *ac ne aliquis in eis erret*, ut ait *S. Thom.* 2. 2. q. 83. a. 13.

in corp. *Litteralis* est advertentia animi ad communem sensum, sive significationem verborum. *Mystica* sive *Spiritualis* est advertentia animi ad scopum et finem orationis, scilicet ad Deum, vel ad rem, pro qua oratur, ut ait *S. Thom.* Haec exercetur vel per memoriam praesentis Dei, quem quis vult colere, vel per recordationem beneficiorum, quae quis per orationem a Deo vult petere, vel per memoriam mysteriorum vitae ac passionis Christi ac Sanctorum. Ex his spiritualis est praestantissima: litteralis praevalet mere superficiali. Demum quaelibet harum attentionum alia est actualis, alia virtualis, sicut supra n. 1049. de intentione locuti sumus.

1054. *Q.* VI. An, et qualis attentio requiratur. R. 1. Exterior attentio adhibenda est sub mortali saltem hoc sensu, ne quis actionem omnino incompossibilem cum oratione conjungat cum recitatione horarum. Hanc sententiam vocat omnium *P. Gobat* l. c. n. 806. R. 2. Praeter externam requiritur sub mortali etiam attentio interna actualis vel virtualis saltem superficialis. *Probatur utraque pars* ex cit. cap. *Dolentes*, ubi egregie reprehenduntur *silentium in choro fugientes, effundentesque auditum ad sermones indebitos* (en defectum attentionis externae); et postea districte praecipitur, ut *studiose* ac *devote* persolvant divinum Officium: atqui hoc fieri nequit, exclusa omni attentione interna: ergo. *Confirm.* Contraria sententia requirit intentionem saltem virtualem et implicitam colendi Deum, vel orandi: atqui haec intentio non subsistit cum exclusione omnis attentionis internae, cum oratio ex essentia sua sit elevatio mentis in Deum; ergo. Accedit, quod recitans Breviarium sine ulla attentione saltem superficiali se exponat periculo, non tantum verba sed et integros sensus mutilandi, omittendi etc. Denique abhorret animus cogitare, satisfieri menti Ecclesiae vel per privatam deblaterationem (sit venia verbo) psalmorum acceleratam, et psittacorum more prolatam. Ita *Laym.* L. 4. t. 1. c. 5. n. 10. cum gravibus auctoribus contra *Durandum, Angelum, Rosellam*, et alios. Dixi quod requiratur *saltem attentio interna superficialis*; quamvis enim perfectior sit oratio cum attentione spirituali vel litterali; per attentionem tamen superficialem conjunctam cum debita intentione sufficienter salvatur oratio vocalis quoad substantiam: neque ostendi potest lex, qua plus *necessario* requiratur. Nec quisquam diffitebitur, Moniales, aliosque idioma, in quo recitant, non intelligentes, cum attentione superficiali satisfacere.

1055. *Q.* VII. Quaenam sint media servandi attentionem contra irruentes distractiones. R. Alia sunt *negativa*, v. g. non circumvagari oculis, non properare ad alia negotia etc. Alia *positiva*, v. g. frequenter renovare intentionem laudandi Deum, quod fieri facile poterit in fine psalmorum devote pronuntiando, *Gloria Patri* ... saepius meminisse praesentis Dei, sensum verborum bene intelligere, ideoque interpretes psalmorum saepe consulere, attendere in homiliis ad doctrinas Patrum, vel in aliis lectionibus ad vitas et virtutes Sanctorum, denique pie attendere ad mysteria Passionis, quae per septem horas denotantur, juxta notos versus pro juvanda memoria:

Haec sunt, septenis propter quae psallimus horis.
Matutina *ligat Christum, qui crimina purgat,*
Prima *replet sputis, causam dat* Tertia *mortis,*
Sexta *cruci nectit, latus ejus* Nona *bipartit,*
Vespera *deponit, tumulo* Completa *reponit.*

Porro sensus scripturae 1. est *litteralis*, quem Spiritus S. proxime et immediate intendit, et *mysticus*, qui per rem, quae verbis indicatur, remote significatur. 2. Alius est *verus*, quem Deus directe intendit; alius *accommodatitius*, quem homines ad res aliquando similes accommodant. 3. Etiam so-

lemniter dividitur in Litteralem, Alegoricum, Moralem, et Anagogicum, juxta sequentes versus.

Littera gesta docet, quid credas Allegoria,
Moralis quid agas, quid speres Anagogia.

Quatuor hi sensus exprimuntur in vocabulo Jerusalem; in sensu litterali significat Metropolim Palaestinae; in allegorico Ecclesiam militantem; in morali vel tropologico animam hominis; in anagogico Ecclesiam triumphantem. *S. Hieronymus* excelluit in exponendo sensu litterali, *S. Ambrosius* in allegorico, *S. Augustinus* in anagogico, *S. Gregorius* in morali sive tropologico.

1056. Ex dictis *resolves*. I. Ille satisfacit praecepto, qui cum bona intentione incipit, et cum sufficienti attentione superficiali pergit recitare horas. etsi patiatur distractiones; *Dicendum enim* (ait *S. Th.* 2. 2. q. 83. a. 13. ad 1.) *quod in spiritu et veritate oret, qui ex instinctu Spiritus* (cum bona intentione) *ad orandum accedit, etiamsi ex aliqua infirmitate mens postmodum evagetur.*

1057. II. Cum illis distractionibus tantum non satisfit praecepto, quae tollunt omnem attentionem superficialem; secus de illis, quibus sive voluntarie, sive involuntarie admissis, recitans nihilominus advertit, se nihil omittere, nihil perperam pronuntiare etc. Ideoque is, qui sub recitatione deliberate exercet actiones cum attentione superficiali incompossibiles, quales sunt v. g. legere, scribere, confabulari, per fenestras prospicere, ubi frequens est populus, vel alia objecta, quae non ad distractiones tantum, sed ad peccata graviora alliciunt, et ad illa oculos convertere etc., idque per notabilem partem Officii, talis, inquam, non potest dici satisfacere, teneturque repetere eam partem, quam persolvit inter tales distractiones: quia nullam potest dici habere attentionem, et voluntarie conjungens actiones incompossibiles, interpretative censetur nolle recitare horas: ergo. Vide *Laymann* L. 4. t. 1. c. 5. num. 12., *Suarez*, *Bonac.* Dixi de *distractionibus per notabilem partem Officii;* cum enim in hac materia ab omnibus levitas materiae admittatur, is tantum veniaaliter peccare censendus est, qui voluntarie breves distractiones admittit.

1058. III. Juxta *Laymann* L. 4. t. 1. c. 15. n. 10. si Beneficiatus se accuset, quod sub recitatione Breviarii frequentissimas distractiones habuerit, vel sine attentione interna recitaverit horas, non statim imperandum est, ut restituat fructus, quia, etsi peccaverit per voluntarias distractiones, eatenus tamen justitiae satisfecit, quatenus opus externum praeceptum bona intentione et aliquali attentione, ut supponitur, persolvit.

1059. IV. Scrupulosus circa recitationem horarum *observet* sequentia. 1. Si anxius sit, an habuerit intentionem, audacter secum statuat, quod habuerit, et cogitet: Prudenter praesumo, adfuisse intentionem hoc ipso, quod recitem vel recitaverim Officium. Si urgeat anxietas; Nescio, an voluerim satisfacere obligationi; quid tum? non enim requiritur expressa intentio satisfaciendi, sed sufficit intentio dicendi Officium, vel colendi Deum, vel suae obligationi satisfaciendi. In decursu non sit sollicitus de intentione: haec enim perseverat, quamdiu pergit recitare, statque cum brevi distractione; imo etsi amissa esset per longiorem moram, rediret tamen per exclusionem distractionis, prosequendo coeptum opus; imo ex metu, ne amissa sit, vel non renovata, colligat certo, quod adsit intentio.

2. Eodem modo se resolvat, si dubius sit de attentione, quamdiu certus est, quod non conjunxerit actiones, quae ex natura sua plane tollunt omnem attentionem. Si iterum urgeat anxietas: Oculis aliquoties circumvagatus sum, subito interrogatus respondi, et iterum perrexi etc. R. Hae actiones ex natura sua non tollunt omnem attentionem.

3. Si dubitet, an bene expresserit omnia, an voluntarie fuerit distractus, nihil repetat; potius enim credendum, recte omnia peracta esse, donec *certo* constet de opposito. *Illsung.* t. 5. n. 40., *La Croix* l. 5. a n. 1350.

4. Inter recitandum non haereat scrupulosus, sed praemissa intentione alacriter decurrat sine haesitatione et intentione capitis, sine anxia sollicitudine, ne distrahatur; haec enim vel maxime causat distractiones; non facile repetat verba, multo minus sensus integros, et Deum non sibi proponat tantum ut exactorem severissimum, cui satisfacere vix possit, sed ut benignum patrem, cui magis placet virilis ac moderata cura, quam servilis timor, et anilis anxietas.

5. Expleta hora vel officio scrupulosus nihil repetat, etsi timeat, ne recitaverit male, quia Ecclesia non obligat cum tanto gravamine; imo si decies repeteret, decima recitatio eumdem secum timorem traheret, quem prima; sic quotidie usque ad duodecimam nocturnam debebit repetere, et statim iterum incipere Officium, ut praesentem diem iterum impendat pro iterandis horis cum eadem anxietate iterum persolvendis. Cave, scrupulose, repetitiones horarum, ni brevi velis insanire.

6. Confessarius scrupulosi si advertat, quod nimium temporis consumat in recitando, determinet ei tempus ordinarie requisitum, et a nobis impendi solitum, et urgeat, ut accurate intra limites praefixos determinatas horas persolvat.

1060. *Q.* VIII. Quale Officium obligati ad horas debeant recitare. R. Generatim loquendo, tenentur recitare illud Officium, quod pro ea die, qua recitant, praescribitur in proprio suae dioecesis, aut sui Ordinis, vel si utantur Romano, ex illo, quod recognovit *Urbanus VIII.* Unde

1061. *Resolves* I. Quod is peccet, qui *advertenter*, et *sine justa causa* Officium Canonicum unius diei commutat cum Officio alterius diei. Hinc damnata est ab *Alexandro VII.* propositio in ordine 34. *In die Palmarum recitans Officium Paschale satisfacit praecepto. Lugo* tamen L. 5. resp. mor. dub. 8., et *Viva* hic n. 16. excusant illum a peccato et debito repetendi eadem die Officium, qui inadvertenter Officium pro Officio recitat (excepto solo Paschali in die Palmarum) tum quia talem bona fides excusat, tum quia Ecclesia ceu pia mater non praesumitur exigere suppletionem alterius Officii; praesertim, si Officium persolutum fere aequale sit omisso. *Holzmann* p. 3. n. 466. Item si quis errorem post aliquas horas deprehendat, iidemaffirmant, sufficere, si extunc ille error corrigatur.

1062. II. Omnis Clericus sive saecularis, sive regularis, existens alibi tanquam advena, potest recitare Officia, quae recitaret in Dioecesi sua vel Collegio, v. g. de Reliquiis, Dedicatione, Patrono etc. Ita *La Croix* L. 4. n. 1244.

1063. *Q.* IX. Quomodo ulterius recitandum sit Breviarium. R. *Primo, vocaliter*, hoc est, ut verba voce exprimantur; probabilius autem necesse non est, ut recitans sine socio se ipsum audiat, quia alias, si esset surdus, aut fieret notabilis strepitus, aut musicorum concentus, non posset quis persolvere Officium; sufficit igitur, ut tam articulate formentur (*NB.* non tantum in gutture, intra dentes, et vix mota lingua inchoentur formari) verba, ut se ipsum posset audire, si non adesset externum impedimentum, aut ipse accurate auscultaret. *Palao* t. 7. d. 2. punct. 2. Si quis recitet cum socio, ambo ita tenentur proferre verba, ut ea mutuo percipiant, quia quilibet debet communicare, vel sibi suam facere eam partem, quam alter, et non ipse recitat. *Reginaldus* L. 4. c. 10. n. 87. Addit hic *La Croix* l. c. n. 1301. quod nimia celeritas faciens, ut socius verba non possit satis percipere, sit ordinarie veniale peccatum, nec obliget ad repetendas horas; secus si alter ob nimiam celeritatem socii vix unum alterumve sensum possit percipere. Nec satisfit praecepto, si secundus incipiat, priusquam alter suos versus absolverit, *idque fiat in notabili quantitate*, v. g. si alter incipiat, dum primus vix mediam partem versus absolvit; quia quae simul proferuntur, non constituunt

orationem ab Ecclesia praescriptam, quae essentialiter debet esse successiva, et habere unam partem post alteram. Satisfit tamen praecepto, si alter incipiat ad unam alteramve syllabam ultimi verbi.

1064. *Secundo.* Recitandum est *integre*, scilicet ut non solum nihil omittatur, sed etiam ut omnia verba sine truncatione vel mutilatione proferantur. Haec si fiat, in materia notabili, et in singulis fere sensibus, culpam gravem continet, quia fit variatio sensuum: si vero truncatio non variet sensum, et non fiat frequens, raro culpam mortalem involvit: imo nulla culpa erit, si fiat ex inadvertentia, vel balbutie, vel in ultimis tantum syllabis. Vide *Lessium* L. 2. c. 37. n. 56.

1065. *Tertio.* Recitandum est *continue*, hoc est sine interruptione partis horae a parte ejusdem horae. Juxta *P. Gobat* in Theol. exper. t. 5. n. 679. si fit interruptio notabili tempore durans, esset quidem venialiter peccaminosa, non vero graviter; eoquod, licet sit aliqualis irreverentia coeptum colloquium cum Deo interrumpere, non tamen potest ostendi lex graviter id prohibens: imo si brevis sit interruptio, aut ex justa causa longior, v. g. si Confessarius, qui incoepit horam recitare, Officium interrumpat, ut venientes aliquos poenitentes audiat et absolvat, non peccat, nec erit cur repetat ea, quae jam rite recitavit: quia interruptio facta est ex justa causa. Ibidem num. 671. *P. Gobat.* ait, justas causas interrumpendi esse, v. g. siquid facias ad tollendam distractionem: si quis te alloquatur, cui humanitatis causa debes respondere: si ad manus non habeas lectiones, sed solos psalmos, et interim suppetat justa causa recitandi Matutinum, poteris differre lectiones etc. Porro affirmat *La Croix* l. c. n. 1305. cum *Lessio*, *Navarro*, et aliis, Matutinum posse etiam sine causa dividi tota nocte a Laudibus, in fine autem tunc debet addi *Pater noster*, non autem esse opus addere orationem diei, eoquod specialiter tantum in nocte Nativitatis Christi id praecipiatur: contrarium affirmant et *Bonacina* et *Gavantus*, qui dicunt, debere addi orationem diei, sed sine commemorationibus. Probabilius est initio Laudum divisarum non debere dici *Pater* et *Ave*, quia nullibi praescribitur, imo nec dicitur initio Completorii, quamvis sit hora distincta.

1066. *Quarto.* Recitandum est *ordinate*, hoc est, sine inversione ordinis, ita ut prius recitari debeant Matutinum et Laudes, dein Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperae et Completorium. Juxta communiorem tamen apud *Palao* t. 7. d. 2. punct. 4. hic ordo *(secluso contemptu et scandalo)* non obligat graviter, sed sub veniali peccato, quia non pertinet ad substantiam praecepti; licet enim invertatur, tamen totum Officium persolvitur. Juxta *La Croix* l. c. n. 1309. causa sufficiens invertendi ordinem est 1. Si quis mane non habeat in promptu Breviarium, nec commode possit exspectare, poterit ex Diurnali, quod habet, recitare horas diurnas, postea recitaturus Matutinum. 2. Si quis invitetur ab amico ad recitandas horas minores, cum ipse necdum recitaverit Matutinum poterit cum invitante orare saltem tum quando sine aliqua inurbanitatis nota id negare non potest. 3. Si quis sero veniat ad chorum hora jam incoepta, poterit pergere cum aliis canere, et omissa postea supplere. *Laym.* l. c. c. 5. n. 7. Denique juxta *P. La Croix* l. c. n. 1311. si quis oblitus sit recitare aliquam horam, vel partem horae notabilem, potest eam postea solam supplere, etiam sero vespere, si tunc prius recordetur, nec necessarium est aliquid aliud repetere. Si vero in media hora advertas, te quaedam omisisse, potes pergere ad finem, et postea supplere defectum.

1067. *Quinto.* Recitandum est *statuto tempore*. Hoc incipit ab hora duodecima unius noctis, et durat ad duodecimam immediate sequentis noctis. Quamvis autem quis satisfaciat praecepto quoad substantiam, ut mortaliter non peccet, si intra 24. dictas horas Officium recitet; quia tamen horae ipsae ex pia praxi Ecclesiae tempus praedictum ita inter se partiuntur, ut Matutinum cum Laudibus *(nisi pridie sit anticipatum)*, Prima, Tertia, Sexta,

et Nona vindicent sibi tempus antemeridianum, Vesperae vero et Completorium tempus pomeridianum; ideo saltem peccat venialiter, qui *sine causa rationabili* horas, quibus assignatum est tempus antemeridianum, recitat tempore pomeridiano aut vicissim, quia tempus est saltem modus praeceptum afficiens, et circumstantia de congruo observanda. *Confirm.* ex orationibus in diversis horis praescriptis. Sic certe sapit inconvenientiam, si quis sub noctem recitet hymnum ex Prima, *jam lucis orto sidere*. Dixi, *sine rationabili causa*: non enim peccaret, qui ex justa causa non servaret tempora. Causae ejusmodi sunt juxta *La Croix* l. c. num. 1313. concio paranda, major devotio, periculum impedimenti obventuri, item si tempus matutinum tibi sit aptius ad studendum, maxime si studia urgeant ex officio, item impedimenta orta ex cura animarum etc. etc. Habetur etiam ex Bulla *Clementis VII.* data pro Clericis Regularibus, quae incipit, *Dudum pro parte vestra;* quod ratione itineris aut alterius occupationis, quando creditur, quod majori cum devotione dicturi sint Officium, possit illud a Clericis Regularibus recitari mane totum usque ad Completorium inclusive. Denique vi Bullae *Julii III.* quae incipit, *Sacrae Religionis*, possunt Sacerdotes Societatis Jesu ex facultate Praepositi Generalis, aut ejus, quem ipse ad id substituerit, Officium divinum Missae postponere justis de causis.

Dixi etiam supra, *nisi Matutinum pridie sit anticipatum*: licet enim ex privilegio omnibus concesso recitare Matutinum et Laudes privatim vespere antecedente, horis in tabella, quae Romae anno 1706. typis Camerae Apostolicae prodiit, et passim in Directoriis habetur.

Alias commodius traditur sequens regula: *Subtracta medietate horarum pomeridianarum ab hora diei duodecima usque ad occasum Solis, restabit tempus, quo licet pridie Matutinum et Laudes sequentis diei post Vesperas privatim anticipare*; v. g. vigesimasecunda Decembris *numerantur horae quatuor a meridie ad occasum, subtracta medietate, a quatuor remanent duae; ergo hora secunda licebit. Inspice tabulam oppositam.*

OCCASUS SOLIS	HORA ANTICIPANDI
21 Jan. med. 5	HORA 2. cum quadrante.
19 Febr. paulo post 5	» medio tertiae.
21 Martii 6	» 3.
Circa init. April. med. . 7	» 3. cum quadr.
21 April. . . . . hor. 7	» medio quartae.
22 Maji . . . . . hor. 8	» 4.
22 Junii paulo post 8	» 4.
23 Julii 8	» 4.
23 Augusti 7	» medio quartae.
Init. Septembr. . . med. 7	» 3. cum quadr.
23 Septembr. 6	» 3.
23 Octob. 3. quadr. ad . . . 5	» medio tertiae.
24 Novemb. 2. quadr. ad . . 4	» 2.
22 Decem. . . . . hor. 4	» 2.

1068. *Q.* X. An quis unico Officio possit satisfacere duplici praecepto pro die praesenti et crastino. R. *Negative*: quia id expresse prohibetur in Decreto *Alexandri VII.* damnantis propositionem 35. *Ratio* est, quia obligatio recitandi horas est affixa diei, quatenus pro qualibet die Officium recitari debet; ergo sicut duo dies non potest esse unus dies, ita pro duobus diebus unum idemque Officium recitari non potest. Ex eadem ratione omissio Officii pro hodierno die non potest altero die suppleri.

1069. *Q.* XI. An Beneficiatus omittens Officium teneatur ad restitutionem fructuum ante sententiam judicis. R. *Affirmative*, ut patet ex propositione ab *Alexandro VII.* damnata. Huc quoque pertinet, quod habens beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet non satisfaciat suae obligationi, si Officium per alium recitet, ut patet ex propositione 2. ab *Alex. VII.* damnata. *Ratio* est, quia obligatio recitandi horas est onus personale, non secus ac onus audiendi Missam, implendi poenitentiam. Hinc *Trident.* sess. 24. cap. 12. de reform. ait: *Omnes divina per se, et non per substitutos, compellantur obire beneficia. Confirm.* Constitutus in Sacris non potest huic obligationi satisfacere per alium; quia haec est annexa ordini sacro: ergo nec satisfacit Beneficiatus, quia dicta obligatio est annexa beneficio. Hinc infert *Viva* cum *Lugo*, quod orans per alium peccet graviter, etiamsi fructus beneficii velit esse pauperum, quia onus recitandi non est conditionatum, *si velit fructus beneficii facere suos.* Neque restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas antea Beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerit, ut patet ex propos. 33. ab *Alexandro VII.* damnata. *Ratio* est, quia donatio praecedens fuit omnino liberalis: ergo per eam nequit satisfieri obligationi supervenienti, quae prius jam absolute transiit in dominium pauperis.

De ritu recitandi vide Rubricas generales praefixas Breviario, et Rubricistas *Gavantum*, *Lohnerum*, *Halden*, *Merati* et alios.

§. VIII. *Quae ante et sub ordinatione observanda sint ab ordinando Subdiacono.*

1070. I. Pridie, vel ipsa die ordinationis emitti solet professio fidei in loco designato. In fine formulae professionis ad illa verba: *Ita spondeo, voveo, ac juro: sic me Deus adjuvet*, indicem et medium digitum imponit Evangelio illius diei, sequentibus vero verbis: *Et haec sancta Dei Evangelia*, addit, *manu mea corporaliter tacta*, dein recitat initium Evangelii.

1071. II. Ante ordinationem observet 1. quod ordinandus Subdiaconus debet habere vestes sacras, scilicet *Amictum*, sive humeralem, *Albam*, *Cingulum*, *Manipulum*, *Tunicellam*, ac denique, praeter dictas vestes, candelam. 2. Paulo ante ordinationem in Sacristia, vel alio loco designato humerale imponit capiti ad modum cuculli, dein induit albam, et cingulo se praecingit; postea humerale removet a capite, ita ut jaceat circa collum: tunicellam complicatam imponit brachio sinistro: manipulum tenet manu sinistra, dextra vero candelam nondum accensam.

III. In ipsa ordinatione observanda sunt 1. Cum Archidiaconus dicit: *Accedant, qui ordinandi sunt Subdiaconi*, surgunt, et propius accedunt ad altare, et dum cujuslibet nomine est lectum cum titulo, ad quem ordinatur, dicit quilibet alta voce, *Adsum.* Tum Clerici stantes excipiunt admonitionem Episcopi, quae incipit: *Filii dilectissimi....* et finitur: *In nomine Domini huc accedite.* Qua finita cum Diaconandis et Presbyterandis se prosternunt in terram, uti de Parasceve Sacerdos cum ministris, et sic jacent, usquedum finitae sint Litaniae omnium Sanctorum.

2. Finitis Litaniis surgunt, et facta reverentia in modum coronae flectuntur coram Episcopo, qui eos rursus admonet: *Adepturi, filii charissimi..... quod ipse vobis praestare dignetur, qui vivit et regnat Deus in saecula saeculorum.* R. *Amen.*

3. Post admonitionem surgit primus, et genuflexus ante Episcopum tangit calicem vacuum cum patena vacua, ita quidem ut pollicem imponat patenae, digitis vero tangit cuppam calicis, idque tamdiu, donec Episcopus dixerit: *Videte, cujus ministerium vobis traditur; ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis.*

4. Post haec Archidiaconus tradit urceolos cum pelvi ac manutergio. Ordinandus (vel adhuc flectens coram Episcopo, vel ut alibi mos est, in cornu epistolae) manum dexteram (vel utramque manum pro more dioeceseos) ita applicat, ut digiti tangant manutergium et urceolos, pollex autem interiorem partem pelvis, quae etiam dicitur *bacile*. Deinde recedit ad locum suum, ibique flectit, donec Episcopus stans cum mitra dixerit: *Oremus, Deum ac Dominum nostrum.... per omnia saecula saeculorum.* R. *Amen.* Tum deposita mitra Episcopus conversus ad altare dicit: *Oremus.* Ministri: *Flectamus genua. Levate.* Et mox Pontifex versus ad ordinandos genuflexos dicit sine mitra, *Domine sancte, pater.... Per D. N. J. C.* R. *Amen.*

5. Finitis his orationibus, Episcopus accepta mitra sedet, et primus ordinandus surgit, et immediate ante Episcopum flectit, qui ejus capiti imponit amictum, dicens: *Accipe amictum, per quem designatur castigatio vocis, in nomine Patris* ✠, *et Filii* ✠, *et Spiritus Sancti* ✠. Tum respondet ordinandus, *Amen.* Deinde porrigit manipulum (quae est vestis propria Subdiaconi) quem Episcopus immittit brachio sinistro, dicens: *Accipe manipulum, per quem designatur fructus bonorum operum, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Ordinandus iterum respondet, *Amen.* Post haec Episcopus imponit ei tunicellam, dicens: *Tunica jucunditatis et indumento laetitiae induat te Dominus, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti,* ac ipse respondet, *Amen.*

6. Omnibus indutis, tres vel quatuor flectunt coram Episcopo, qui eis tradit librum Epistolarum, quem simul omnes tangunt manu dextera (Herbipoli utraque) ita ut pollex tangat chartam, reliqui vero digiti imponantur libro, dicente Episcopo: *Accipite librum Epistolarum, et habete potestatem legendi eas in Ecclesia sancta Dei, tam pro vivis, quam pro defunctis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti,* ac tum quilibet respondet, *Amen.*

7. Postquam omnes tetigerunt librum, suggerente Archidiacono, recedunt ad locum, ubi ab initio fuerunt; primus autem ex ordinatis Subdiaconis tempore Epistolae legit vel cantat Epistolam stans ex cornu Epistolae.

IV. Post ordinationem observanda sunt 1. Quando Episcopus legit Offertorium, accenduntur candelae: dein unus post alterum, primo quidem Sacerdotes, deinde Diaconi, tum Subdiaconi, et sic deinceps accedunt, et quilibet facta reverentia genuflexus porrigit candelam suam, simul osculans manum dexteram Episcopi, vel potius annulum, et facta denuo reverentia recedit ad locum suum.

2. Post *Agnus Dei* et *primam orationem* accedit primus neo-Sacerdotum, dein primus neo-Diaconorum, tum primus neo-Subdiaconorum, factaque prius genuflexione Sacramento, osculatur altare extra corporale, et accipit pacem ab Episcopo, ita ut sinistrae genae conjungantur, et ipse ponit manus infra brachia Episcopi, et dicenti Episcopo: *Pax tecum,* ipse respondet, *Et cum Spiritu tuo.* Facta dein reverentia Sacramento recedit, et proximo neo-Subdiacono (manus ejus humeris imponens) dat pacem dicens: *Pax tecum*; et sic unus alteri. Si adsint Minoristae, ultimus Subdiaconus Acolytho pacem dat, et hic reliquis.

3. Postquam Episcopus sumpsit sacrum Sanguinem, accedunt omnes neo-ordinati, et genuflexi post Sacerdotes dicunt: *Confiteor* (exceptis tamen Sacerdotibus): dum Episcopus dixit: *Indulgentiam, absolutionem,* bini et bini secundum ordinem, primo scilicet neo-Sacerdotes, dein Diaconi, postea Subdiaconi etc. accedunt ad supremum gradum altaris, accipiunt sacram Eucharistiam, prius tamen osculantes manum Episcopi dexteram, qua sacram hostiam tenet. In aliquibus tamen dioecesibus propter incommoditatem Episcopus non praebet manum deosculandam.

4. Data benedictione, accedunt omnes ad altare. Episcopus vero alloquitur neo-ordinatos: *Filii dilectissimi.....* Postea injungit Subdiaconis et Diaconis Nocturnum illius diei recitandum, neo-ordinati inclinatione capitis respondent, se id facturos.

§. IX. *De Diaconatu.*

1072. *Q.* I. Quid sit Diaconatus. R. Diaconatus vi vocis significat ministerium a διακόνεω, *ministro officium* vel *operam praesto;* hinc Diaconus idem est ac minister. Secundum rem est ordo major et sacer, quo per impositionem manus dexterae Episcopi, et traditione libri Evangeliorum sub certis verborum formis ab Episcopo prolatis confertur potestas spiritualis in sacrificio Missae proxime assistendi Presbytero et cantandi solemniter Evangelium. 1. Dicitur *Ordo,* cujus mentio frequens est in Actis Apostolorum; et *Tridentinum* sess. 23. can. 2. definit: *Si quis dixerit, praeter Sacerdotium non esse in Ecclesia Catholica alios ordines et majores et minores, per quos velut per gradus quosdam in Sacerdotium tendatur, anathema sit:* atqui inter illos ordines, per quos ad Sacerdotium ascenditur, etiam est Diaconatus: ergo est ordo. 2. Dicitur *major,* quia proxime accedit ad ministerium altaris. 3. *Sacer* dicitur, quia annexum habet votum vel obligationem castitatis.

1073. *Q.* II. An Diaconatus sit Sacramentum. R. *Affirmative. Prob.* Diaconatus habet omnia requisita ad rationem Sacramenti; ergo. *Prob. anteced.* 1. Est *signum sensibile,* quod est impositio manus Episcopi, et traditio libri Evangeliorum. 2. Est *signum collativum gratiae,* ut constat ex forma hujus ordinis: *Accipe Spiritum Sanctum:* et *Trid.* sess. 23. can. 4. definit, Episcopos non frustra dicere per sacram ordinationem: *Accipe Spiritum Sanctum:* et per eam imprimi characterem: ergo. *Confirm.* 1. Anastasius II. circa annum 496. scribens ad Anastasium Imperatorem c. 7. expresse innuit, per *Ordinationem Presbyteri et Diaconi conferri gratiam Sacramenti.* 3. Est, *institutionis divinae: Trid.* enim sess. 23. can. 6. ita definit: *Si quis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex Episcopis, Presbyteris, et Ministris, anathema sit.* Atqui Diaconi sunt principales ministri in Hierarchia Ecclesiastica: ergo sunt ex institutione divina. Alii sic inferunt. Ex cit. can. *Trid.* fide divina tenemur credere, in Hierarchia Ecclesiastica esse aliquos ministros divinitus institutos: atqui ob diversitatem opinionum variorum Theologorum nondum tenemur credere fide divina Subdiaconos, aut inferiores ministros esse divinitus institutos: ergo superest unice, ut Diaconi fide divina credantur divina ordinatione instituti. *Confirm.* ex testimonio s. Ignatii Martyris, qui in epistola 14. ad Ephes. scribit: *Enitimini, charissimi, subjecti esse Episcopo, et Presbyteris, et Diaconis; qui enim his obedit, obedit Christo, qui eos constituit. Confirm.* etiam ex trito *S. Aug.:* Quod in nullo Concilio institutum legitur, et semper ubique observatum et observandum est, illud institutionis divinae credi debet; atqui Diaconorum ordo in nullo Concilio institutus legitur, et in Ecclesia Dei extitit tempore Apostolorum, et deinceps semper et ubique tum in Ecclesia Graeca, tum in Latina retentus et observatus fuit: ergo Diaconorum ordo divinitus institutus esse credi debet.

Si dicas; S. Cyprianus epist. 65. ad Rogationum scribit: *Meminisse autem Diaconi debent, quoniam Apostolos, id est, Episcopos et Praepositos Dominus elegit, Diaconos autem post ascensum Domini in coelos Apostoli sibi constituerunt Episcopatus sui, et Ecclesiae Ministros.* R. Dist. Apostoli Diaconos *constituerunt per ordinationem,* C. *Quoad primariam institutionem,* N.

1074. *Inst.* Ex c. 6. Act. Apost. potius eruitur, Diaconatum esse tantum ministerium profanum dispensandi eleemosynas, et ministrandi mensis, non vero spiritualem potestatem; ibid. enim ita legitur: *Non est aequum, nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis. Considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu Sancto, et sapientia, quos constituamus super hoc opus.* R. Ministrare mensis fuit solum of-

ficium Diaconorum, N. Secundarium tantum, C. Ex cit. cap. sequitur solum, quod murmur Graecorum adversus Hebraeos fuerit occasio eligendi septem Diaconos, scilicet *Stephanum*, *Philippum*, *Prochorum*, *Nicanorem*, *Timonem*, *Parmenam* et *Nicolaum*, qui curam gererent viduarum, quarum victui necessaria suppeditabat Ecclesia, et mensis praeficerentur; constat autem ex Scriptura et traditione, Diaconos ad spiritualia et augustiora officia fuisse ab Apostolis ordinatos. Dixi 1. *Constat ex Scriptura:* nam in textu cit. eliguntur septem *pleni Spiritu sancto et sapientia*: hae dotes sane aliud spectant, quam ministerium mensarum. Ibid. v. 6. legitur: *Et orantes imposuerunt eis manus*; ergo ordinati sunt iisdem plane caeremoniis, quibus Saulus et Barnabas Actor. 13. et alii ministri sacri, scilicet oratione, et impositione manuum. Ibid. vers. seq. s. Stephanus Jerosolymis dicitur verbum Dei praedicasse, imo signis et prodigiis confirmasse. Actor. 8. Philippus Samariae praedicavit Christum, et fecit multa signa. Et juxta v. 35. c. 8. Eunucho Reginae Candacis evangelizavit Jesum, eumque baptizavit. Ergo eorum officium non tantum erat ministrare mensis.

Dixi 2. *ex traditione.* S. Ignatius Martyr epist. ad Trallianos scribit: *Oportet et Diaconos ministros existentes mysteriorum Jesu Christi, secundum modum omnibus placere; non enim ciborum et potuum sunt ministri, sed Ecclesiae Dei.* S. Justinus saeculo II. scrib. Apol. 2. Diaconos fidelibus *Eucharistiam distribuisse.* S. Laurentius (teste s. Ambrosio) Xysto II., cum duceretur ad martyrium, dixit: *Tu nunquam sine ministro Sacrificium offerre consueveras. Quid ergo in me displicet Paternitati tuae? ... experire, utrum idoneum ministrum elegeris, cui commisisti Dominici Sanguinis dispensationem.* Ergo Diaconorum officium solum non erat ministrare mensis.

1075. *Q.* III. Quaenam est materia et forma Diaconorum. R. ex Theologia Scholastica. *Clericatus* de Sacr. Ord. decis. 29. a n. 5. quinque refert opiniones circa hanc quaestionem, quibus tres sunt celebriores. *Prima* tenet, quod sola manus Episcopi impositio super caput ordinandi sit materia essentialis. Hanc sententiam *Morinus* tribuit *D. Bonav. Secunda* tenet in ordinatione Diaconi materiam esse traditionem libri Evangeliorum. Hanc defendunt *Ricardus, Paludanus, Greg. de Valentia, Lud. Meratius, Bonac.* de Sac. Ord. disp. 8. q. un. pun. 3. n. 4., *Emin. Card. de Lauraea* et alii. *Tertia* defendit, non solum manus impositionem, sed et traditionem libri Evangeliorum esse materiam Diaconatus. Hanc sententiam iterum dupliciter hodie defendunt: alii enim affirmant, utramque esse essentialem, alii vero dicunt solam manus impositionem esse de essentia Diaconatus, traditionem vero libri Evangeliorum esse de praecepto Ecclesiae, ideoque ordinatum sine hac traditione non posse *licite* exercere suum ordinem, sed caute prius supplendum esse, quod incaute fuerat praetermissum. Addunt praeterea, quod ad traditionem libri Evangeliorum propterea non dicatur frustra: *Accipe potestatem* ex eo, quod jam collata sit per manus impositionem, sed collatam potestatem tunc publice designari et declarari. *Ratio* horum est, quia haec traditio nec ab Apostolis fuit adhibita (tunc enim nondum erat conscriptum Evangelium) nec modo adhibetur a Graecis in ordinatione Diaconorum.

1076. Ex his sequitur sententiam magis communem esse, quod tum impositio manus Episcopi, tum traditio libri Evangeliorum sit materia essentialis Diaconatus. *Forma* pariter est duplex. Prima, quae correspondet impositioni manus, consistit in his verbis: *Accipe Spiritum sanctum ad robur, et ad resistendum diabolo, et tentationibus ejus, in nomine Domini.* Altera forma correspondens traditioni libri Evangeliorum est: *Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei tam pro vivis, quam pro defunctis in nomine Domini. Prob.* per partes. Imprimis manus impositio est de essentia Diaconatus, quia hoc modo ordinati sunt primi septem Diaconi. Act. c. 6. v. 6. *Et*

orantes imposuerunt eis manus. Confirm. 1. ex concilio Carthag. IV. quod can. 4. ita statuit: *Diaconus cum ordinatur, solus Episcopus manum supra caput ejus ponat. Confirm.* 2. ex antiquissimis Ritualibus usque ad saeculum IX. ubi in ordinatione Diaconi semper fuit adhibita, et hodiedum adhibetur impositio manus Episcopi.

1077. Denique etiam traditio libri Evangeliorum est materia essentialis, licet secundaria. *Prob.* 1. ex concilio Flor. quod in Decreto *Eugenii IV.* loquens de ordine ait: *Sextum Sacramentum est ordinis; cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur; . . . Diaconatus vero* traditur *per libri Evangeliorum dationem.* Atqui materia est de essentia Sacramenti: ergo juxta *Flor.* traditio libri Evang. ita est de praecepto, ut sit de essentia simul. *Confirm.* 1. ex Pontificali Rom. impresso ann. 1582. jussu *Gregorii XIII.* in quo P. 1. de ordinat. Diac., dum Episcopus tradit librum Evang., notatur in margine: *In hoc actu imprimitur character hujus ordinis:* ergo ad traditionem libri Evang. etiam confertur ordo Diaconatus. *Subs.* Atqui ordo confertur, dum traditur materia, et pronunciantur verba: ergo. *Confirm.* 2. Illa debet censeri vera materia alicujus ordinis, cujus traditioni conjungitur forma expressiva ministerii, sive potestatis alicujus ordinis; sicut enim effusioni aquae conjungitur forma expressiva effectus baptismi; ita forma in Sacramento ordinis debet exprimere potestatem, quae confertur ordinato: atqui traditioni libri Evangeliorum clarissime Episcopus injungit formam expressivam ministerii Diaconalis: ergo. Plura apud *Bellarm.* de Sacr. Ord. c. 9., *Hallerium, Isambertum, Laym.* L. 5. t. 9. c. 5., *Cajet., De Lugo, Salmant.* et alios.

1078. *Neque dicas:* Apostoli ordinando primos Diaconos non tradiderunt librum Evangeliorum: ergo haec traditio non est de essentia. *Confirm.* In nullo concilio ante Florent. enunciatur haec traditio libri Evang., nec ullum Rituale, aut auctor Catholicus primis nongentis annis post fundatam Ecclesiam tacit ejus mentionem: ergo. Respondet ad haec *Mastrius* in 4. L. Sent. d. 4. de Sacram. Ord. n. 36 cum *Bellarmino, Coninchio, Marchino, Aversa*, et aliis: sicut Christus instituit externam peccatorum confessionem, tanquam determinatam materiam poenitentiae; num autem haec facienda sit verbo, vel scripto, aut aliis signis sensibilibus, non determinavit, sed Ecclesiae determinandum reliquit; item sicut materiam et formam matrimonii instituit consensum contrahentium externis verbis, vel aliis signis expressum; haec autem signa in particulari non determinavit, sed ea communi usui, et Ecclesiae dispositioni reliquit: ita pariter instituit materiam hujus ordinis in traditione alicujus rei, qua Diaconi officium designaretur; quaenam autem res in individuo tradi deberet, hoc determinationi Ecclesiae reliquit. Sic facile conciliantur ritus diversi Ecclesiae tum primitivae tempore Apostolorum, tum hodiernae Ecclesiae Latinae et Graecae; semper enim ordinarunt Diaconos per signum sensibile, et verba, quae collationem potestatis Diaconalis tum ad mentem Christi, tum ex dispositione Ecclesiae significant. Infert porro *Bonacina*, quod ex peculiari facultate Christi, concessum quidem fuerit Apostolis, conferre Diaconatum sine traditione libri Evangeliorum, cum nondum esset editum Evangelium; non tamen hanc unicam materiam, scil. impositionem manus ita fuisse institutam a Christo, ut Apostolis, et eorum Successoribus non simul dederit potestatem conferendi ordinem per traditionem instrumentorum, quibus indicatur potestas, quae in unoquoque ordine confertur. *Confirm.* Licet Sacramentum Confirmationis ab Apostolis (Actor. 8. et 19.) collatum fuerit sola manus impositione, non facta ibi mentione unctionis chrismatis; utraque tamen et impositio manus, et chrismatio est materia hujus Sacramenti: ergo a pari.

Praeterea recte ait *Clericatus* l. c. decis. 29. n. 32. cum initium scriptum non reperiatur, quando coeperit Ecclesia ordinare Diaconos cum traditione libri Evangeliorum, recte dici potest, procedere ex traditione Apostolica, cujus

fidelissima custos est Ecclesia Romana. Testatur *Morinus* Tr. de Sacr. Ordinat. p. 3. Exercit. 9. c. 1. n. 4., in Sacramentario Anglicano, quod ante annos octingentos scriptum est, expresse ita haberi: *Postea tradit ei* (Diaconando) *Episcopus sanctum Evangelium, dicens: Accipe istud volumen Evangelii, lege et intellige, et aliis trade, et tu opere adimple.* In Rituali Bellovacensi, teste *Morin.*, quod scriptum est anno 970., in ordinatione Diaconi ita legitur: *Tunc porrigit Episcopus ei textum Evangelii, ita dicens: Accipe licentiam legendi Evangelium in Ecclesia Dei.*

1079. Q. IV. Quaenam sint officia Diaconi. R. Comprehenduntur hoc versu.

Praedico, baptizo, dispenso, canto, ministro.

Probatur ex admonitione Episcopi, ubi ita habetur: *Diaconum enim oportet ministrare ad altare, baptizare, et praedicare.* Ad ministrare requiritur cantare Evangelium, et dispensare Eucharistiam. *Primum igitur officium est* ab ultimo verbo versus, *Ministrare*, hoc est, Sacerdoti sacrificanti immediate assistere, ministrare illi hostiam cum patena; vinum autem in calice cum Sacerdote offert, brachium dextrum Sacerdotis sustentans, et dicens: *Offerimus, tibi Domine* etc. Hostiam non offert cum Sacerdote; illius enim oblatio peragitur a solo Sacerdote, ut patet ex verbis: *Quam ego indignus famulus tuus offero*: calicem vero cum toto populo offert, cujus nomine Diaconus cum Sacerdote dicit: *Offerimus.*

Secundum Officium est *cantare solemniter Evangelium* in Missa, hoc est, ex officio, et cum veste propria Diaconi, scil. cum stola transversa.

Tertium est *dispensare Eucharistiam*, non tamen sine commissione Parochi. In casu necessitatis, v. g. dum viaticum esset deferendum ad moribundum, affirmat *Gobat* in Theol. exper. t. 4. n. 445. cum *Quintanad.* posse Diaconum, absente Parocho, dispensare Eucharistiam, eoquod tum sit tácita voluntas Ordinarii.

Quartum est *baptizare*, idque cum solemnitatibus et caeremoniis ab Ecclesia praescriptis in Rituali tum quoad exorcismos et insufflationes, tum quoad praescriptas unctiones: intelligo tamen, si id officii ab Episcopo vel proprio Sacerdote ob rationabilem causam Diacono committatur, puta, si proprius Sacerdos ob gravem infirmitatem, vel ob baptizandorum multitudinem, vel excommunicationis censuram baptismum vel per se, vel per alium Sacerdotem nequeat conferre. Ita *Laym.* L. 4. t. 2. c. 7. n. 3. Vide etiam c. *Diaconus.* dist. 93. Quod si Diaconus sine commissione Parochi baptizet solemniter, incurrit irregularitatem decretam in c. 1. de Cler. non Ordin. Ministr.

Quintum est *praedicare*, Hoc est (juxta *Gobat* l. c. t. 8. n. 81.) per modum catechismi exponere fidei articulos: ex commissione autem Parochi ei tantum licet ex pulpito per modum concionis verbum Dei praedicare. NB. Diaconus solemniter ministrans Eucharistiam, praedicans, baptizans debet esse indutus Alba, et stola transversa.

1080. *Q.* V. Quid requiratur ad hoc, ut quis valide et licite suscipiat Diaconatum. R. ad utrumque, ut supra n. 1001. et seq. Excipe aetatem; Diaconus enim debet habere annos viginti et duos completos, vel vigesimum tertium saltem inchoatum. De interstitiis vide n. 1014., de obligationibus Diaconi n. 1017. quibus adde, quod Diaconus teneatur scire rite fungi suis officiis. *Minister* hujus ordinis est Episcopus.

1081. *Si dicas:* Olim fuerunt etiam ordinatae Diaconissae: ergo ad valide suscipiendum Diaconatum non requiritur, ut ordinandus sit mas. Respondet *Emin. Card. de Lauraea* sub dist. Ordinatae sunt ordinatione propria et sacramentali, collativa alicujus potestatis circa ministerium altaris, N. Mere caeremoniali, et simplici benedictione. C. *Instu:* Ordinatae sunt per manus impositionem. R. *Dist.* Consecrativam, N. Mere deprecativam, C. Porro juxta *Cle-*

ricatum de Sacram. Ord. decis 31. n. 11. primo Diaconissae vocabantur illae mulieres, quarum mariti de earum consensu assumebantur ad ordinem Diaconatus: hae enim vovebant continentiam, et ad imitationem viduarum serviebant Deo. 2. Magis proprie vocabantur Diaconissae illae virgines vel viduae, quae virtutibus ornatae eligebantur, et caeremonialiter initiabantur Diaconissae, quarum officia erant, custodire januas Ecclesiarum, de quibus s. Ignatius in epist. ad Antioch. *Saluto sacrarum portarum custodes Diaconissas.* Item cathechumenas docere symbolum fidei, et orationem Dominicam, assistere mulieribus catechumenis, dum baptizabantur, deferre ad egenas eleemosynam, visitare mulieres infirmas, mortuas vestire etc.

1082. *Q.* VI. Quibus potissimum virtutibus debeant esse ornati Diaconi. R. Eae desumuntur ex admonitione Episcopi ante ordinationem: *Estote nitidi, puri, casti, sicut decet ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei ... et quia comministri et cooperatores estis corporis et sanguinis Domini, estote ab omni illecebra carnis alieni ... Curate, ut quibus Evangelium annunciatis, vivis operibus exponatis.*

1083. Q. VII. Quo ritu conferatur Diaconatus. R. I. Ante ordinationem indutus amictu, alba, cingulo et manipulo, tunicellam sive dalmaticam habens super brachium sinistrum, et teneus stolam, dextera vero candelam comparet in loco ordinationis. Vocatus nominatim ab Archidiacono, respondet: *Adsum.*

II. In ipsa ordinatione 1. lecta Epistola evocantur ab Archidiacono dicente. *Accedant, qui ordinandi sunt ad Diaconatum.* Tum genuflexi coram Episcopo excipiunt ejus admonitionem, qua peracta, recitantur Litaniae (nisi ante jam dictae sint in ordinatione Subdiaconorum) postea Episcopus primo dicit orationem: *Comune votum* etc. *Oremus, fratres* etc. et Praefationem; ad cujus finem, dum dicit Episcopus, *et admissa purgare, et ea quae sunt agenda, concedere,* primus surgit, et ante Episcopum flectit, inclinans caput, cui Episcopus solus manum dexteram imponit, dicens: *Accipe Spiritum Sanctum* etc.; postea primus recedit, et accedit alius. In quibusdam vero dioecesibus, ubi plurimi simul ordinantur, Episcopus circumferens singulis in loco suo flectentibus manum imponit. Dein Episcopus tenens extensam manum dexteram, dicit: *Emitte in eos .... Per eumdem D. N. J. C.* etc.

Post haec Pontifex sedens cum mitra cuilibet ordinando ante se genuflexo, stolam, quam singuli in manibus habent, imponit successive super humerum sinistrum, dicens: *Accipe stolam candidam de manu Dei: adimple ministerium tuum; potens enim est Deus, ut augeat tibi gratiam suam, qui vivit et regnat* etc. cui respondet, *Amen.* Interim ministri stolam alligant sub brachio dextero. Tum induit eum Episcopus tunicella, dicens: *Induat te Dominus indumento salutis, et vestimento laetitiae, et dalmatica justitiae circumdet te semper. In nomine Domini.* Ordinandus respondet, *Amen.* Quo facto recedit ad suum locum, si alii adhuc induendi sint, alias manet genuflexus.

Postremo indutis omnibus accedunt terni vel quaterni, quibus Episcopus tradit librum Evangeliorum, quem ipsi dextra tangunt; dicente Episcopo: *Accipe potestatem legendi Evangelium* etc. *In nomine Domini.* Respondent Ordinati, *Amen.* Tum facta reverentia recedunt, et flectunt, donec omnes tetigerint. Post haec Episcopus stans ad altare conversus sine mitra, dicit duas orationes.

Quibus finitis, facta reverentia (suggerente Archidiacono) redeunt ad loca sua, ubi ab initio, erant; primus tamen Diaconorum recitat sub Sacro, vel cantat Evangelium stans ex cornu Evangelii.

§. X. *De Presbyteratu, sive Sacerdotio.*

1084. Q. I. Quid sit Presbyteratus. R. Est ordo sacer et major, in quo per traditionem calicis cum vino, et patenae cum hostia, et per impositionem ma-

nuum Episcopalium sub certis verborum formis alicui confertur potestas in corpus Christi verum, et corpus Christi mysticum. Ideoque duplex Sacerdoti datur potestas, scil. per consecrationem conficiendi corpus et sanguinem Christi, et simul potestas Christi fidelibus (hi enim sunt membra Ecclesiae, quae est corpus mysticum) remittendi vel retinendi peccata.

1085. *Q.* II. Est ne Presbyteratus Sacramentum? R. *Affirmative. Prob.* 1. Ad Sacramentum N. L. proprie dictum tria requiruntur: 1. ut sit signum externum: 2. ut sit signum institutum a Christo: 3. ut sit signum collativum gratiae: atqui haec tria habentur in ordinatione Presbyteri: ergo. *Prob. min.* Imprimis habetur *signum externum* per *impositionem manuum*, traditionem instrumentorum. Deinde est a *Christo institutum*, *et collativum gratiae*. De impositione enim manuum ait Apostolus 2. ad Timoth. 1. v. 6. *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum:* atqui nemo Apostolorum poterat impositioni manuum annectere gratiam Dei, sed solus Deus: ergo. Ne vero quis interpretetur gratiam improprie dictam, statim eam explicat s. Paulus, subjunges v. 7. *Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, et dilectionis, et sobrietatis*: et 1. Tim. 4. v. 14. *Noli negligere gratiam, quae in te est, quae data est tibi per prophetiam cum impositione manuum Presbyterii.* De traditione instrumentorum n. seq. probabitur. *Prob.* 2. ex *Trid.* quod sess. 23. de Sacram. Ord. can. 3. ita definit: *Si quis dixerit, ordinem sive sacram ordinationem non esse vere ac proprie Sacramentum a Christo Domino institutum .... anathema sit.* Can. 6. cit. supra n. 1073. definit, Presbyteros pertinere ad Hierarchiam Ecclesiasticam divina ordinatione institutam.

1086. *Q.* III. Quaenam sit materia et forma ordinis Presbyteratus. R. Triplex hic iterum est sententia. *Prima* asserit, solam manuum impositionem esse materiam hujus ordinis essentialem, traditionem vero instrumentorum esse materiam tantum integrantem ex praecepto Ecclesiae. Hanc defendunt *Morinus* de Sacram. Ord. p. 3. exercit. 7. c. 1., *Durandus*, *Becanus*, *Arcudius*, *Habert*, et alii. Inter hos tamen non una est opinio, quaenam impositio manuum sit essentialis, an unica, vel duplex, imo triplex, an posterior. *Secunda* sententia affirmat, materiam ordinis Presbyteratus esse solam traditionem calicis cum vino, et patenae cum hostia: hanc defendunt *Vasquez*, *Gregor. de Valentia* t. 4. d. 9. q. 1. pun. 5., *Bonacin.* et alii. Nos cum *tertia* tenemus, quod duae sint partiales materiae ac formae ordinis Presbyteratus, quae integrant unum Sacramentum, ita ut postrema ordinationem primam moraliter perficiat, et characterem jam impressum augeat, ut ait *Laymann. Primae* ordinationis materia *remota* est calix cum vino, et patena cum hostia; *proxima* vero est traditio calicis cum vino, et patenae cum hostia. Forma huic materiae correspondens sunt haec verba ab Episcopo proferenda: *Accipe potestatem offerre sacrificium Deo, Missasque celebrare tam pro vivis, quam pro defunctis, in nomine Domini. Secundae* ordinationis materia est impositio manuum Episcopi super caput ordinandi cum sequenti forma: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis, et quorum retinueris, retenta sunt.* Ita *Bellarm.* de Sacr. Ord. l. 1. c. 9., *de Lauraea*, *Palao*, *Laym.*, *Mastrius*, *Fagnanus*, *Babenst.* et alii. *Probatur* primum, quod duplex debeat admitti materia et forma. Christus Dominus diverso actu Apostolis in ultima coena dedit potestatem conficiendi Corpus et Sanguinem suum, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem* (Luc. 22. v. 19.); quae verba de ordinatione Apostolorum in Sacerdotes intelligenda esse, definit *Trid.* sess. 22. can. 1. cit. supra n. 965. et diverso iterum actu post resurrectionem iisdem dedit potestatem remittendi peccata, dicens: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata* etc. Joan. 20. ut iterum patet ex *Trid.* sess. 14. can. 3. de Sacram. poenit.: ergo etiam in ordinatione Presbyteri duplex haec potestas sub duplici materia et forma, per quam utraque potestas exprimatur, debet conferri. *Pro-*

batur secundum de duplici hac determinata materia. Imprimis Conc. Flor. in Decreto *Eugenii IV.* expresse ita habet: *Ordinis materia est illud, per cujus traditionem confertur ordo: sicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino, et patenae cum pane porrectionem.* Et paulo post subdit: *Forma Sacerdotalis est, accipe potestatem offerendi* etc. *Confirm.* 1. ex Concil. *Trid.* sess. 22. c. 1. in quo agens de prima oblatione in ultima coena, ubi et Christus ordinavit Apostolos Sacerdotes, ita docet: *Corpus et Sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit, ac sub earumdem rerum symbolis, quos tunc novi testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit, et iisdem, eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent, praecipit per haec verba: Hoc facite in meam commemorationem, ut Ecclesia semper intellexit.* Ergo Christus calicem cum speciebus vini, et corpus suum sub speciebus panis non tantum praebuit, ut sumerent, sed et earumdem rerum symbola praebendo, ac dicendo: *Hoc facite* etc. Apostolos Sacerdotes constituit, in Ecclesia relinquens potestatem, ut simili quodam modo traditione calicis cum vino, et patenae cum hostia successores Apostolorum constituerentur Sacerdotes. Unde recte Christus dicitur determinasse materiam et formam non tantum hic in genere, sed etiam aliquo modo in specie, tradendo Apostolis species panis, et calicem cum speciebus vini. *Confirm.* In reliquis Sacramentis illa dicitur esse materia, ad cujus applicationem jungitur forma exprimens effectum Sacramenti, ut patet in baptismo etc.; ergo etiam in ordinatione Sacerdotis traditio calicis cum vino etc. recte dicitur materia, utpote ad cujus traditionem exprimitur potestas consecrandi, quam Christus aliis tantum verbis dedit, dicens: *Hoc facite.* Haec enim verba expresse significant mandatum consecrandi; ergo includunt necessario concessionem potestatis consecrandi, utpote quam ante nullus Apostolorum habebat.

1087. *Neque dicas* 1. Prima vel secunda impositio manuum potest dici materia primae ordinationis. R. Neutri conjungitur forma exprimens potestatem consecrandi; ergo rectius dicitur neutra harum esse materia. *Dices:* Orationes antecedentes et sequentes habent se per modum deprecatoriae formae. R. Sicut hoc ab adversariis sine fundamento asseritur, ita a nobis cum fundamento negatur, utpote qui assignamus veram formam convenientem verbis Christi non deprecatoriis: *Hoc facite* etc.

1088. *Neque dicas* 2. Ante millesimum annum in nullo Rituali quidquam legebatur de traditione calicis. R. Falsum hoc esse, constat ex libello de divinis officiis, quem anno 780. scripsit *Albinus Alcuinus* Ven. Bedae discipulus, ubi testatur, tunc fuisse in usu non solum manus Episcopi impositionem iis, qui Sacerdotio inaugurabantur, sed etiam traditionem calicis habentis vinum aqua mixtum, ac patenae panem continentis cum forma: *Accipe potestatem* etc. Refert etiam *Clericatus* l. c. decis. 32. n. 33. cum *Morino* librum scriptum circa annum 800.; in quo expresse habetur: *Hoc facto* (scilicet inunctis manibus) *accipiat* Episcopus *patenam* cum oblatis, *et calicem cum vino, et dicat: Accipe potestatem offerre sacrificium* etc. Ergo ante annum millesimum legitur de traditione instrumentorum. E contrario fortius sic licet inferre: nullibi legitur initium traditionis calicis cum vino etc. ergo antiquissimus est illius usus, imo ad tempora Apostolorum referendus.

1089. De impositione manuum cum forma: *Accipe Spiritum Sanctum* etc. Concilium Tridentinum sess. 14. c. 2. de Sacram. extr. unct. docet: *Illius Sacramenti ministros esse aut Episcopos, aut Sacerdotes ab ipsis rite ordinatos per impositionem manuum.* Idem concilium Tridentinum sess. 23. de Sacram. Ord. can. 4. subdit: *Si quis dixerit, per sacram ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proinde frustra Episcopum dicere: Accipe Spiritum Sanctum etc.; anathema sit.* Ergo haec est altera forma partialis et essentialis ordinationis Presbyteratus: cum neo-Sacerdos prius jam consecret cum Episcopo, antequam accipiat potestatem absolvendi.

1090. Denique sepositis speculationibus scholasticis, sicut *Ludovicus Habert* (postquam fatetur, quod nihil certi definiri possit, an prima vel secunda impositio manuum, an simul tertia sit essentialis) denique concludit pro praxi, caute observandum esse quidquid praescribitur in Pontificali Romano: ita idem in nostra sententia pro praxi admittimus.

Eamdem regulam Benedictus XIV. l. 7. de Synodo dioeces. c. 25. n. 1. statuit: *Si Episcopus velit in sua Synodo peculiariter disserere de singulis ordinibus, quod a plerisque ad ordinandorum instructionem prudenter factitatum comperimus, diligenter curet, ut omnia adamussim iis respondeant, quae de iisdem ordinibus a catechismo Romano traduntur, atque omnino declinet quaestiones in scholis agitatas, maxime circa materiam et formam trium Hierarchicorum ordinum* . . . Deinde subjungit sequentem casum: *Quidam Sacerdotio initiandus, etsi omnes consuetas manuum impositiones ab Episcopo accepisset, ad Episcopum tamen solita patenae cum hostia, et calicis cum vino instrumenta porrigentem, ad alia tunc temporis distractus non accessit. Re postea detecta, quid facto opus esset, dubitatum, atque a sacra Congregatione petitum est.* Postea erudite refert idem Pontifex singula variorum Theologorum sententias circa materiam et formam ordinum Hierarchicorum, scilicet Episcopatus, Presbyteratus et Diaconatus, et sub finem ita testatur: *Quia autem nonnulli non infimi Theologi dixerunt, impositionem manuum praeambulam porrectioni instrumentorum simul cum hac in unam coalescere materiam, qua, una cum verbis ab Episcopo instrumenta exhibente prolatis, prima confertur Sacerdotalis potestatis pars, conficiendi nimirum corpus Christi: idcirco sacra Congregatio scite animadvertens, praeviam illam manuum impositionem jamdiu antea peractam, non posse moraliter conjungi cum traditione instrumentorum, quae postmodum fieret, ut etiam hujus opinionis in re tanti momenti rationem aliquam haberet, totam ordinationem sub conditione iterandam rescripsit.*

1091. Q. IV. Quid requiratur ad ordinationem Presbyteri. R. Alia requiruntur ad valorem ejus, alia ad liceitatem. Ad *validam ordinationem ex parte subjecti* requiritur 1. Ut sit mas. 2. Ut sit baptizatus baptismo in re, sive fluminis. 3. Ut habeat intentionem suscipiendi hunc ordinem, eamque vel actualem, vel virtualem, vel habitualem. Intellige de adultis: ordinatio enim parvulorum ante usum rationis valida quidem est, sed illicita, de qua Benedictus XIV. Tom. I. Bullarii sui *in instruct. super dubiis ad ritus Ecclesiae* §. 20. ita habet: *Si tamen in hujusmodi provide institutarum legum contemptum contingeret fortasse ab Episcopo legitima auctoritate suffulto non solum minores, sed etiam sacros ordines infanti conferri, concordi Theologorum et Canonistarum suffragio definitum est*, validam, *sed* illicitam *censeri hanc ordinationem, dummodo nullo laboret substantiali defectu materiae, formae et intentionis in Episcopo ordinante; . . . aeque tamen certum et exploratum est, per hanc ordinum collationem non subjici promotos obligationi servandae castitatis, nec aliis oneribus ab Ecclesia impositis, cum electio status a libera cujusque pendeat voluntate, et Altissimo nostra, non autem aliena vota reddere teneamur.*

1092. *Ad validam ordinationem ex parte ministri* requiritur, ut sit Episcopus verus, et legitime consecratus, deinde ut habeat intentionem vel actualem vel virtualem. Nec sufficit, ut communi errore habeatur pro vero Episcopo; communis enim error non supplet defectum juris divini. Episcopus tamen verus factus haereticus valide ordinat, quia per haeresim non aufertur character Episcopalis. Episcopus etiam Graecus valide ordinat Latinum, si debitam materiam et formam adhibeat.

1093. *Ex parte rei sive Sacramenti* requiritur ad valorem, ut adhibeatur debita materia et forma. Huc reducunt aliqui conditionem necessariam, scilicet physicum et immediatum instrumentorum contactum ab ordinando.

1094. R. 2. *Ad liceitatem ex parte subjecti* sive suscipientis requiritur: 1. ut habeat legitimam aetatem, scilicet annos viginti quinque saltem inchoatos: 2. ut sit constitutus in majoribus ordinibus, ne ordinetur per saltum, et sic fiat irregularis: 3. ut non sit irretitus aliqua censura vel irregularitate: 4. ut habeat scientiam officio suo competentem.

1095. *Q.* V. Quae scientia requiratur in ordinando Presbytero. R. Debet scire ea, quae pertinent ad officia sua rite peragenda. Hinc 1. speciatim scire tenetur, quae pertinent ad primam potestatem conficiendi Corpus et Sanguinem Christi, de quibus vide cap. 3. de Eucharistia. 2. Quae pertinent ad validam et licitam administrationem Sacramenti poenitentiae, de qua cap. 4. egimus. Praeterea Sacerdos simul suscipiens curam animarum, debet scire non tantum rite sacrificare, sed etiam aliis Sacramenta administrare, et docere populum ea, quae sunt scitu necessaria necessitate medii et praecepti, et quae pertinent ad officia hominis Christiani, quae sunt declinare a malo, hoc est peccato, et facere bonum.

Porro necessaria *necessitate medii* alia sunt necessaria ad credendum, alia ad habendum, alia ad faciendum. *Necessaria creditu* sunt 1. quod sit Deus, et 2. quod sit vindex malorum, et 3. remunerator bonorum, juxta illud Apostoli ad Hebr. 11. v. 6. *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit.* In praxi Curati etiam post promulgatum Evangelium huc reducant instructionem de mysterio Trinitatis et Incarnationis, ut diximus in P. I. de Fide n. 346.

Necessaria factu sunt baptismus in re respectu parvulorum, respectu adultorum vel in re, vel in voto, et post lapsum sive peccatum actuale commissum poenitentia, vel in voto, hoc est amor Dei supernaturalis super omnia, vel contritio perfecta, quia haec habent eumdem effectum, quem baptismus in re, scilicet justificationem hominis. Dicuntur autem baptismus vel poenitentia in voto, quatenus amans Deum super omnia paratus est ad omnia praestanda, quae Deus exigit ad salutem consequendam, ideoque paratus est talis ad suscipiendum baptismum, si sciret illum esse necessarium, et daretur occasio illum suscipiendi.

Necessaria habitu est gratia sanctificans; sine hac enim nemo potest salvari: hinc gratia dicitur semen gloriae.

1096. *Q.* VI. Quaenam sint officia Sacerdotis N. L. R. Juxta Rituale Romanum *Sacerdotem oportet offerre, benedicere, praeesse, praedicare, et baptizare:* quae includuntur in his tribus, scilicet quod debeat sacrificare, sacramenta administrare, et pascere populum verbo et exemplo.

Dixi 1. *Sacrificare*, hoc est Missas celebrare, quod est primarium munus Sacerdotum. Dixi 2. *Sacramenta administrare*, scilicet baptismum conferre, absolvere subditos confitentes a peccatis (subditos, inquam, quia vi ordinis Sacerdos non habet jurisdictionem, quae requiritur ad absolutionem, ut dictum est num. 678.); item dispensare Eucharistiam, dare extremam unctionem, ac denique assistere matrimonio suorum parochianorum. Huc etiam pertinent sacramentalia, veluti benedictio salis, aquae lustralis, cereorum, herbarum etc. Dixi 3. *Pascere populum verbo et exemplo*: quamvis autem non omnium Sacerdotum sit verbo praedicare, omnibus tamen convenit laicis bono exemplo praelucere, ut ex eorum vita et moribus in iis agnoscant et revereantur personam Christi, quam ad altare sustinent.

1097. *Q.* VII. An Episcopatus sit ordo realiter distinctus ab ordine Presbyteratus. R. Probabilius est realiter distinctus ordo tanquam vere et proprie Sacramentum. Habet enim haec ordinatio sacra omnia requisita ad rationem Sacramenti, scilicet impositionem manuum tanquam signum sensibile, institutum a Christo Domino ad significandam gratiam, uti satis patet 1. ad Tim. 4. v. 14. *Noli negligere gratiam* etc. et 2. ad Tim. 1. v. 6. *Admoneo te, ut resuscites gratiam* etc. Deinde in ordinatione Episcopi cum impositione manuum

dicitur: *Accipe Spiritum Sanctum.* Ergo imprimis Episcopatus est Sacramentum: quod autem sit ordo distinctus a Presbyteratu, eruitur ex eo quod in consecratione conferatur nova potestas confirmandi et ordinandi; ergo etiam distinctus character imprimitur; hic enim fundatur in potestate spirituali exercendi actus hierarchicos, quales sunt confirmare et ordinare. *Confirm.* ex Trid. quod sess. 23. c. 4. dicit: *Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem praecipue pertinere*; et can. 6. Episcopatum definit pertinere ad Hierarchiam Ecclesiasticam divina ordinatione institutam; atqui ad eam pertinet ut ordo distinctus a Presbyteratu: ergo. Ita *Scotistae, Durandus, Cajetanus, Bellarminus, Valentia*, et contra probabilem Thomistarum, *Gonet, Babenst.* t. 8. p. 5. d. 11. a. 1. n. 7. qui contendunt, Episcopatum non esse ordinem distinctum a Presbyteratu vi ordinis et intensive, sed tantum extensive, eoquod sit tantum extensio quaedam characteris ad confirmandum et ordinandum, non autem augeat intrinsece characterem sacerdotalem, sed in esse Sacramenti eum tantum perficiat et consummet, ut ordinatus Presbyter non tantum possit conficere Eucharistiam, sed etiam alios ordinare ad eam conficiendam, ut ait *Laymann* L. 5. t. 9. c. 4. Plura vide apud Theologos Scholasticos.

§. XI. *Quo ritu conferatur Presbyteratus.*

1098. I. *Ante ordinationem.* Ordinandus 1. adaptat casulam, ita ut pars posterior in principio ordinationis tantum ex media parte dependeat, quod duobus modis fieri poterit: 1. si medietas partis posterioris attollatur usque ad collare, et ibi acu majore affigatur parti superiori casulae. Hic modus est facillimus; quando enim postmodum acus extrahitur, indutus est tota casula. Alter modus est, si pars inferior interius usque ad foramen casulae, quod collum circumdat, elevetur, et parumper extrahatur per modum collaris.

2. Indutus amictu, alba, cingulo, et stola ex humero sinistro defluente, et sub brachio dextero colligata, brachio sinistro imponit casulam, ut superius dictum est, adaptatam; dextera vero tenet candelam et mappam albam, vel eam inserit cingulo pro ligandis post unctionem manibus.

II. *In ipsa ordinatione.* Si Subdiaconi vel Diaconi simul ordinentur, cum illis vocatur ad Litanias, iisque absolutis recedit ad locum suum. Si vero soli Sacerdotes ordinentur, lecto Graduali aut Tractu evocantur ordinandi: *Accedant qui ordinandi sunt ad ordinem Presbyteratus*, et mox nominatim leguntur. Post nomen suum lectum quilibet accedens respondet, *Adsum*, et coram Pontifice in modum coronae se disponunt, admonitionemque genuflexi excipiunt; ante admonitionem eos praesentat Archidiaconus Episcopo, dicens: *Reverendissime pater, postulat sancta mater Ecclesia* etc. Facta praesentatione Episcopus annunciat populo et Clero, dicens: *Quoniam, fratres charissimi, rectori navis* etc. Postea convertit sermonem suum ad ordinandos, eos admonens: *Consecrandi, filii dilectissimi* etc. in fine: *Quod ipse nobis concedat per gratiam suam.* R. *Amen.*

2. Post admonitionem (dum ordinantur soli Sacerdotes, recitantur Litaniae) juxta Rituale Romanum surgunt omnes, et ordinandis coram Pontifice binis et binis successive genuflectentibus Episcopus stans ante faldistorium suum cum mitra imponit simul utramque manum super caput cujuslibet ordinandi successive, nihil dicens. Tum is, cui manus Episcopi impositae sunt, statim surgit, et coram unoquoque Sacerdote saltem superpelliceo et stola induto flectit, qui et ipsi utramque manum imponunt. In aliquibus dioecesibus quando plures ordinantur, Episcopus solet circumire, et genuflexis secundum ordinem manus imponere, et post illum Sacerdotes praesentes. Interea tam Pontifex, quam Sacerdotes utramque manum tenent extensam super ordinandos; dum singulis manus impositae sunt, Pontifex stans cum mitra dicit: *Oremus*

fratres charissimi, sub qua oratione Sacerdotes adstantes tenent dextras tantum extensas.

3. Finitis orationibus et Praefatione primus genuflectit ante Pontificem, qui ei adaptat stolam in modum crucis, dicens: *Accipe jugum Domini: jugum enim ejus suave est, et onus ejus leve.* Ordinandus interim cingulo firmat stolam. Deinde Episcopus imponit ei casulam adhuc complicatam, dicens: *Accipe vestem sacerdotalem, per quam charitas intelligitur; potens est enim Deus, ut augeat tibi charitatem et opus perfectum:* cui respondet ordinandus: *Deo gratias;* factaque reverentia recedit ad locum suum.

4. Indutis omnibus Pontifex sine mitra dicit orationem: *Deus sanctificationum omnium auctor etc. Per omnia saecula saeculorum. Amen.* Postea intonat: *Veni Creator Spiritus:* et dum hic hymnus a choro decantatur, fit consecratio, ideoque quamprimum gremiale sive mappula super gremium Episcopi est posita, primus accedit et coram Episcopo flectit, ambasque manus apertas, et ita junctas porrigit inungendas, ut digiti auriculares se tangant. Sub unctione dicit Episcopus: *Consecrare et sanctificare digneris, Domine, manus istas per istam unctionem, et nostram bene ✣ dictionem.* Respondet ordinandus: *Amen.* Pergit Episcopus: *Ut quaecumque benedixerint, benedicantur, et quaecumque consecraverint, consecrentur et sanctificentur in nomine Domini nostri Jesu Christi.* Respondet ordinandus: *Amen.* Tum Episcopus jungit sive claudit manus cuilibet successive, quas aliquis ministrorum mappula alba linea, videlicet dexteram super sinistram alligat, et mox unusquisque ad locum suum redit, et sic clausas manus tenet.

5. Omnibus inunctis Episcopus extergit pollicem, ac tunc primus iterum accedit, genuflectit, et accipit calicem cum vino, ac calici superpositam patenam cum hostia, ita ut medii digiti tangant cuppam calicis, indices autem imponantur patenae et hostiae, dicente Episcopo: *Accipe potestatem offerre Sacrificium Deo, Missasque celebrare tam pro vivis, quam pro defunctis, in nomine Domini.* Respondet ordinatus: *Amen.* Tum surgit, et facta Episcopo profunda reverentia paululum recedit, et genuflectit. Dum Pontifex legit Graduale, aut Tractum, et Evangelium, ordinati Sacerdotes in loco destinato cum medulla panis et aqua bene lavant manus, et ea mappula, qua manus erant ligatae, eas extergunt.

6. Candelas suas accendunt, et lecto Offertorio Pontifici cum mitra sedenti offert ut genuflexi, et osculantes ejus manum; postea quivis statim accedit ad librum suum.

7. Quando Episcopus detecto calice sumit patenam cum hostia, ac incipit: *Suscipe, Sancte Pater,* ordinatus una cum ipso simul pronunciat ex libro usque ad finem. Ubi advertendum 1. quod orationi secretae dici adjungatur, et quidem sub una clausula, Secreta pro ordinatis: *Tuis, quaesumus Domine* etc. quam vide in fine Missalis post Missas et orationes pro Defunctis, de collatione ordinum, ubi etiam Postcommunio ponitur. 2. Advertendum est, quas commemorationes Episcopus ante Epistolam fecerit, sive quae fuerit secunda et tertia oratio, ut secrete et post communiones respondeant. 3. Attendat, ut simul cum Pontifice pronunciet singula verba, praesertim consecrationis, ubi etiam consultum est renovare intentionem consecrandi cum Episcopo: caveat autem maxime, ne ibi praeveniat Episcopum.

» Caveant neo-Sacerdotes ne praeveniant aut sequantur Episcopum in con-
» secratione; quia si aliquis praeveniret Episcopum cum intentione conse-
» crandi, tunc revera ipse consecraret, minime vero Episcopus, quod maxime
» absurdum esset. Ideo in consecratione panis faciant intentionem non absolu-
» tam consecrandi, sed conditionatam, scilicet si simul cum Episcopo absolvant
» verba consecrationis; secus si Episcopum praeveniant aut sequantur. Haec
« enim videtur esse mens Ecclesiae tam sollicite monentis, ne Episcopum in pro-
» latione verborum praecedant aut subsequantur. In consecratione autem ca-

» licis habeant intentionem conditionatam duplicem; et primam quidem, si in » priore consecratione vere consecraverint panem (non potest enim licite una » materia sine altera consecrare) ac deinde secundam, si simul cum Episco- » po fiat. Ad tollendos omnes scrupulos convenientius erit, si forment gene- » ralem intentionem proferendi verba juxta mentem Ecclesiae, vel dicendi » illa non formaliter seu significative et cum intentione consecrandi, sed tan- » tum materialiter in signum potestatis sibi concessae.

8. Finita prima oratione post Agnus Dei: *Domine Jesu Christe* etc. primus ordinatorum accedit ad dexteram Episcopi, factaque genuflextione osculatur altare, et accipit pacem, et respondet: *Et cum Spiritu tuo.* Facta dein genuflexione descendit, et pacem dat alteri neo-ordinato Presbytero, dicens: *Pax tecum:* ille tertio, et sic consequenter: tum pergit cum Episcopo in secunda oratione: *Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi* etc.

9. Postquam Pontifex sacrum Sanguinem sumpsit, a Subdiaconis et Diaconis (non autem a Presbyteris) dicitur *Confiteor*, dictoque ab Episcopo *Misereatur et Indulgentiam*, bini vel terni accedunt, et flectunt in supremo gradu altaris, et dum Episcopus dicit: *Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam tuam in vitam aeternam*, singuli respondent, *Amen*, et priusquam sacram hostiam sumant, osculantur manum (vel annulum) Episcopi, qua hostiam tenet. Postea statim recedunt, et sumunt ablutionem ex calice, quem aliquis ministrorum porrigit; ubi autem omnes communicarunt, prosequuntur neo-Sacerdotes Missam cum pontifice.

10. Dum Episcopus manus lavit, dixitque responsorium: *Jam non dicam vos servos* etc., mitra tectus ad ordinatos se convertit, qui ante altare coram illo stantes profitentur fidem, quam praedicaturi sunt, recitantes Symbolum Apostolorum, *Credo in Deum Patrem omnipotentem* etc., quo dicto primus ordinatorum flectit ante Episcopum cum mitra sedentem, qui ei manus imponit, dicens: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis, et quorum retinueris, retenta sunt.* Deinde casulam complicatam explicat, et dimittit, dicens: *Stola innocentiae induat te Dominus.* Tum manus suas junctas ponit inter manus Pontificis, cui dicenti: *Promittis superiori tuo Ordinario pro tempore existenti reverentiam et obedientiam?* respondet: *Promitto.* Tum Episcopus dat osculum, dicens: *Pax Domini sit semper tecum*, respondet ordinatus, *Amen*, et facta reverentia recedit ad locum suum, ei secundus, huic tertius succedit, et sic deinceps.

11. Quando omnes ad sua loca reversi sunt, genuflexi excipiunt admonitionem et benedictionem, postea legunt cum Episcopo Communionem et Postcommunionem, cui sub una clausula addunt Postcommunionem pro ordinatis: *Quos tuis, Domine* etc. deinde commemorationes, siquae faciendae sint. Deinde *Benedicamus Domino*, vel *Ite Missa est*, prout tempus exigit. *Placeat tibi sancta Trinitas* etc. ex ordine Missae.

12. Data benedictione ab Episcopo excipiunt ultimam admonitionem, et preces injungenti his verbis: *Ad Presbyteratum vero ordinati post primam vestram Missam, tres alias Missas, videlicet unam de Spiritu Sancto, aliam de B. Maria semper Virgine, tertiam pro fidelibus Defunctis dicite, et omnipotentem Deum etiam pro me orate*; inclinatione facta, promittunt se facturos. Denique cum Episcopo dicunt, *Dominus vobiscum*, leguntque ultimum Evangelium. Post haec recedunt, et vestes Sacerdotales exuunt.

» Q. Quae privilegia ordinatorum.

» R. Revocari ad quatuor. 1. Est privilegium *fori*, ut immunes sint Cle- » rici a tribunali laico. 2. *Canonis*, quod exprimitur. can. 17. q. 4. *Si quis* » *suadente diabolo in Clericum, vel Monachum violentas manus injece-* » *rit, anathematis vinculo subjaceat etc.* 3. *Libertas ab oneribus* exigenti- » bus *actionem* vel honestam, e. g. officium magistratus, regendae civitatis, » tutelae, curatelae etc.; vel mediam, e. g. stationes vigiliarum obire, anga-

» rias etc.; vel sordidam, e. g. fodere arenam, purgare aream, lacunas, cale-
» facere balnea etc. 4. *Libertas ab oneribus exigentibus praestationem*; vel
» tributa, sive haec imponatur immediate *personis*, ut capitatio etc. sive *bo-*
» *nis* Ecclesiasticorum, titulo jurisdictionis de novo, postquam ea jam Cle-
» ricis haberi coepta sunt (idem est de bonis *Ecclesiarum* tam consecratis,
» quam temporalibus reddituum). Ita *Schmalzgrueber* l.3. tit.49. n. 27. cum
» 25. aliis. *Titulus* enim *jurisdictionis* exigit praestationes in signum pote-
» statis in uno, et subjectionis in altero, quae non dantur inter statum lai-
» calem et clericalem etc. Accedit Bulla Urbani VIII. *Romanus Pontifex* 1641.
» *Corollar.* 1. Clerici tenentur solummudo ad onera *mixta*, scilicet actio-
» nes, per alios submissas praestandas, vecturas equis suis faciendas etc. et
» *realia*, scilicet daudos sumptus etc. quando alterutra imponuntur titulo
» 1. *dominii proprietatis particularis*, e. g. si Clerici habeant emphyteuses
» etc. 2. *Pacti et reservationis*, e. g. si bona prius habuerunt haec one-
» ra, et cum his empta sunt a Clericis. 3. *Necessitatis publicae*, e. g. quando
» tempore belli sunt aeraria exhausta etc. sub limitatione tamen duplici; si
» non sufficiunt facultates laicorum, et postquam Papa, aut in urgente ne-
» cessitate Episcopus, et Clerus deliberaverit, consenserit, ac determinave-
» rit, quantum Clerici contribuere debeant. 4. *Impensarum communium*, e. g.
» ad pontes, fluvios inundantes reficiendos etc. ubi commune est commodum,
» cum limitatione tamen, quam *Schmal.* ponit n. 33. etc.... 5. *Privilegii Pon-*
» *tificii* laicis Principibus concessi. 6. *Poenae*, ubi ob delictum perdunt sua
» privilegia, e. g. si Clerici exercent negotiationem proprie talem etc.
» 2. Comparere autem, et judicari *a judice laico* Ecclesiastici possunt 1. *in*
» *civilibus ob quatuor causas:* quando Ecclesiasticus actionem civilem in-
» tentat contra laicum, tenetur actor sequi forum rei: quando Clericus succe-
» dit in causam jam coeptam coram judice saeculari: quando Clericus non con-
» venitur nomine proprio, sed alieno cujusdam laici: quando Clericus est va-
» sallus alicujus laici in causa feudali. 2. *In criminalibus ob tres causas:*
» si realiter degradetur: si abjecto habitu enormia crimina committat, e. g.
» latrocinium, seditionem, assassinium etc.: si exerceat artem ignominiosam,
» et ter ab Episcopo monitus non resipiscat, e. g. histrionem, macellarium,
» cauponem agat etc. 3. *Privilegium canonis* perdit Clericus, si deprehen-
» datur mulierem ipso facto sollicitare ad turpia, si inveniatur a laico turpi-
» ter agere cum uxore, matre, sorore et filia, si fiet bigamus aut degradetur
» realiter. Vide *Bonac., Layman, Filiuc., Eugubin.* decis. fori Eccles. etc.
» *Dices* 1. Clerici sunt *membra reipublicae*; ergo titulo jurisdictionis etc.
» 2. *Res* transit cum onere ad Ecclesiasticos: ergo et persona cum subjectione
» sua ad Ecclesiam. 3. Primis Ecclesiae temporibus *parebant* Clerici Impera-
» toribus ethnicis. 4. Paulus *appellavit ad Caesarem etc....* R. 1. Sunt mem-
» bra, *sed privilegiata*, et tantum obligata aliunde ad leges municipales. *Ad*
» 2. Aliud est in rebus, et ubi non sit *mutatio intrinseca* status: aliud in
» personis. *Ad* 3. Ex necessitate et quidem solius *facti* congruentia, ut sic
» evitetur major tyrannis etc. *Ad* 4. Tanquam ad judicem de jure quidem
» incompetentem, sed necessarium ad vim injustam repellendam: quod autem
» Justinianus *L.* 25. *et* 33. *c. de Epis. et Cler.* potestatem sibi arrogarit in
» Episcopos, quod Henricus IV. Imp. Benedictum X. deponere attentarit,
» fuerunt actus irriti, quos correxere tum in *Authen. cassa. C. de SS. Ec-*
» *clesiis* Fridericus., tum in *Novel.* 123. ipse Justinianus.

CAPUT VII. *De Sacramento matrimonii.*

Equidem solum matrimonium, non vero sponsalia proprie ac stricte talia, habet rationem Sacramenti; cum tamen sponsalia ad illud sint quaedam veluti via et praeparatio, etiam de his ea sunt prius tractanda, quae pertinet ad re-

solutiones practicas; ac proinde 1. agemus de natura, effectibus, ac denique de dissolutione sponsalium; 2. de matrimonio, ejusque impedimentis.

Sectio I. *De sponsalibus.*

ARTICULUS I. *De natura et effectibus sponsalium.*

§. I. *Praenotanda*

1099. I. *Sponsalia* a spondendo dicta sunt, h. e. a sponte promittendo; spontanea enim promissio in hoc contractu maxime requiritur. Praeterea haec appellatio a veterum Romanorum usu desumitur, apud quos moris erat, ut puella viro promitteretur a patre, vel tutore, vel amicis, sub quorum cura erat; hinc promittens *Sponsor*, puella promissa *Sponsa*, is vero qui repromisit, se eam ducturum in domum suam *Sponsus*, ipse vero contractus dictus est *Sponsalia*. ff. de verborum signif.

1100. II. Sponsalia sumuntur tripliciter. 1. Minus proprie significant munera a sponso data sponsae, ut 1. Reg. 18. *Non habet Rex sponsalia necesse.* Et juxta L. 1. c. *Si nuptiae ex rescripto.* 2. Magis proprie et frequentius sumuntur pro matrimonio de praesenti contracto copula nondum consummato, et sic non differunt a matrimonio rato tantum; qua acceptione dictum est Matth. 1. *Cum esset desponsata Maria Joseph.* Et in eodem c. Maria appellatur conjux Josephi: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam.* Hinc etiam conjuges post benedictionem coram Sacerdote prima nuptiarum die communiter adhuc *sponsus et sponsa* a matrimonio rato vocantur. Vide c. *Tertio loco.* 13. de praesumpt. Item c. 2. et fin. de sponsa quorum. Et c. *Qui desponsatam* 12. XXVII. q. 2.... 3. Proprie sumuntur pro futuri matrimonii promissione. Notandum hic, quod improprie subinde sumantur uxor pro sponsa, ut *Genes.* 19. Jacob dixit ad Laban: *Da mihi uxorem meam*, quae tamen tantum ipsi erat promissa. Sic etiam c. *Juvenis*, de sponsal. sponsa de futuro vocatur uxor. Sponsalia in dubio sumuntur pro futuri matrimonii promissione, ut arguitur ex c. *In nostra* de injuriis. Et l. 3. §. *Haec verba.* ff. de negotiis gestis. Similiter in dubio nomen *Sponsi et Sponsae* accipitur pro iis, qui matrimonium futurum promiserunt; in favorabilibus tamen, (non vero odiosis) juxta *Th. Sanchez.* L. 1. de sponsal. d. a n. 2. nomine matrimonii etiam sponsalia, et nomine uxoris, mariti vel conjugum, sponsi vel sponsae designantur, et vicissim, ut arguitur ex L. 5. *Non sine. c. de bonis, quae liberis.* Et c. *Odia.* 15. R. J. in 6.: quam regulam tamen limitat *Kugler* P. I. de sponsal. §. 1. n. 2. cum *Laym.* scil. nisi ex adjunctis aliud colligi debeat, et nisi alicubi aliud vel ipsa lex exprimat, vel communis aut frequens usus loquendi suadeat, vel ratio legis et mens legislatoris, aut disponentium intendat. Exempla vide apud *Konig* super Tit. de spons. n. 4. Porro ad cognoscendum, quando dispositio dicatur favorabilis, et quando odiosa, juxta *Sanch.* l. c. n. 4. considerandum est intentum primum disponentis; si enim id primario sit in favorem alicujus aliquid statuere, est favorabilis; licet in damnum et odium alterius non redundet. Si vero primum intentum sit in alicujus odium et poenam, est odiosa, quamvis cedat in favorem alterius. Agemus nunc potissimum de sponsalibus tertio modo spectatis.

§. II. *Principia generalia de requisitis ad veram sponsalia, et eorum effectibus.*

1101. *Principium I.* Sponsalia recte quidem dicuntur *futurarum nuptiarum promissa* juxta. c. *Nostrates.* 3. XXX. q. 5. vel *mentio et repromissio futurarum nuptiarum* juxta L. 1. ff. de sponsal. Clarius tamen, ut omnes

conditiones essentiales exprimantur, dicuntur *promissio vera, voluntaria, deliberata et mutua signo sensibili expressa futuri matrimonii inter personas jure habiles.* Ita *P. Kugler* cum *Illsung* et communis TT. l. c. n. 2. Unde sponsalia, ut sint valida, debent habere sequentes conditiones, ex quibus, si una vel altera deficiat, Confessarius tuto poterit resolvere, eum, a quo forte consulitur, non obligari sub contractu sponsalitio.

1102. *Primo* debent esse *promissio*; solum enim propositum non sufficit, cum non inducat obligationem. Intelligitur autem *vera ac seria* matrimonii promissio, h. e. facta animo ac intentione se obligandi, ita ut non sufficiat ficta et simulata. *Ratio* est, quia ficta promissio non est propria promissio, qualis tamen essentialiter requiritur in definitione sponsalium ex utroque jure allata. *Confirm.* 1. Ubi ficta promissio est, ibi deest consensus internus, sive animus se obligandi ad matrimonium; ergo hoc ipso nulla sunt sponsalia, et obligatio nulla. *Confirm.* 2. Obligatio promissionis oritur ex privata lege, quam sibi promittens imponit; ergo sicut nulla lex obligat, nisi legislator obligare intendat, ita a pari. *Confirm.* 3. ex c. unic. h. t. in 6. ubi sponsalia dicuntur *nulla ex defectu consensus.* Et can. *Ubi non est*, unic. XXX. q. 2. expresse habetur: *Ubi non est consensus utriusque, non est conjugium.* Nec sufficit, quod ficte promittens exhibeat consensum externum; hic enim sine consensu interno non valet ad inducendam obligationem, ut constat ex c. *Tua nos.* 26. h. t. ubi in fine expresse habetur, quod sine consensu caetera (scil. dolus externus etc.) nequeant foedus perficere conjugale. Et juxta c. *An humanae aures.* 11. XXII. q. 5. *Non debet aliquis verba considerare, sed voluntatem et intentionem.* Accedit tritum illud: *Actus agentium non operantur ultra voluntatem eorum.*

1103. *Secundo* requiritur, ut *promissio sit perfecte deliberata, et perfecte ac directe voluntaria.* Haec deliberatio supponit 1. *Usum rationis*: 2. *usum rationis expeditum*: 3. *usum rationis perfectum*, per quem obligatio sponsalium directe cognoscatur: item ut cognoscatur id, quod promittitur, absque errore tum circa personam, quacum contrahitur, tum circa conditiones ad talem contractum essentialiter requisitas. Dixi etiam, *perfecte ac directe voluntaria*, ita ut includat directam intentionem se obligandi. *Ratio* est, quia haec promissio inducit gravem obligationem justitiae, quam nemo censetur velle sibi imponere, nisi cum plena advertentia, et deliberatione. Juxta *Sanch.* l. 1. de spons. d. 8. n. 5. requiritur et sufficit talis advertentia et deliberatio, qualis requiritur et sufficit ad committendum peccatum mortale; quia sponsalia suapte natura obligant sub mortali: ergo requirunt deliberationem ad mortale requisitam. Deinde talis deliberatio sufficit ad votum, juxta c. *Sunt, qui opes.* 17. q. 4. c. *veniens*, de voto; ergo etiam sufficit ad sponsalia. Adde tamen hoc discrimen, quod ad peccandum sufficiat voluntarium et liberum in causa, sive indirectum, non item ad sponsalia, nec ad votum. Vide infra n. 1130. *Confirm.* Jus c. *Litteras.* c. *Ad dissolvendum*, de despons. impub. praescribit septennium ad contrahenda sponsalia, quia in ea aetate, nisi manifeste contrarium aliunde appareat, praesumitur usus rationis; et e contrario ante septennium ordinarie non adest sufficiens deliberatio ad graviter peccandum, nisi malitia suppleat aetatem, sive usus rationis eam antevertat. Addit hic *Sporer* p. 4. c. 1. sect. 2. de spons. n. 159. cum *Bonac.*, quod per accidens tum requiratur major deliberatio, quando cognoscitur periculum, vel adest prudens dubium, ne subsit defectus, ex quo sponsalia aliunde sint nulla. Valida tamen esse sponsalia inita ante septennium, si malitia supplet aetatem, sive si certo constet, adesse usum rationis capacem peccati mortalis, affirmant plurimi gravissimi TT. et Canonistae, apud *Kugler* l. c. n. 79. contra *Panormit.*, *Konig*, *Mastrium*, et alios.

1104. *Tertio* requiritur *mutua promissio.* Patet. ex L. 1. ff. de spons., ubi expresse sponsalia dicuntur *mentio et repromissio nuptiarum futurarum.*

Deinde sponsalia non numerantur (ut ait *Laym.* l. 5. t. 10. c. 1. n. 2.) inter simplices promissiones, sed inter contractus onerosos, qui ultro citroque obligant; ergo etiam ex utraque parte exigunt promissionem. Ideoque non sufficit ut una pars tantum acceptet promissionem alterius, sed insuper requiritur, ut altera quoque pars repromittat, vi cujus illa quoque vicissim se obliget ad matrimonium suo tempore contrahendum; sola enim acceptatio post se non trahit obligationem praedictam. Unde communis fere DD. sententia apud *Laym.* l. c. est, quod *sponsaliorum contractus claudicare non potest*, h. e. ex una tantum parte contrahentium obligare, scil. tum, quando fit contractus.

1105. *Quarto* requiritur ut utraque promissio *signo externo* vel *sensibili* sit expressa; quia sine manifestatione aliqua non potest inter homines fieri contractus, nec acceptari promissio; ideoque nec oriri obligatio. *Confirm.* Promissio solo animo concepta ab alio ignoratur: ergo ab illo non potest acceptari. Nec tamen necessaria sunt determinata et sola verba, quia a jure nullibi sola verba determinata sunt; itaque sufficiunt illa verba vel signa externa, quae sufficienter consensum internum contrahentibus exprimunt. *Palao* de spons. d. 1. punct. 3. num. 1.

1106. Denique *quinto* requiritur, ut promissio fiat *inter personas jure habiles*, scil. inter eas, inter quas matrimonium aliquando valide et licite consistere possit pro eo scil. tempore quo sponsalium obligatio est adimplenda. Porro ad hanc habilitatem contrahendi requiritur *primo*, ut mas et foemina contrahentes nullum impedimentum matrimonii habeant, quia cum sponsalia sint promissio futuri matrimonii, ut valida sint debent esse promissio validi et liciti matrimonii, hoc ipso, quod promissio etiam jurata rei impossibilis aut illicitae non valeat juxta reg. 58. Jur. in 6. *Secundo* contrahentes debent habere aetatem a jure requisitam, scil. septennium regulariter completum, ut patet ex c. *Litteras* 4. c. *Accessit* 5. c. *Ad dissolvendum.* 13. L. 4. Decret. tit. 2. de despons. impub. Item ex c. un. in 6. eod. tit. Item ex L. *In sponsal.* 14. ff. de sponsal. *Ratio* data est n. 1103.

Denique alii ad sponsalia adhuc alias conditiones requirunt, praesertim ut sint libera ab errore circa personam, quia alias deest substantialis consensus. Item ut sint libera a gravi metu injuste incusso, de quo in resol. casuum.

1107. *Principium II.* Sponsalia duos potissimum effectus habent, scil. naturalem et canonicum. *Primo* enim ex justitia et sub peccato gravi contrahentes utrinque obligant ad ineundum suo tempore matrimonium. *Ratio* est, quia omnis contractus onerosus obligat ex justitia, et graviter in re gravi: atqui sponsalia sunt contractus onerosus inducens mutuam obligationem, et materia est gravis, quia magna injuria infertur alteri, si sponsalia non impleantur: ergo. Ita comm. DD. Arguitur ex can. de spons. 46. can. de conjugali. 50. causa 27. q. 2. Item ex c. *Ex litteris.* 10. c. *Requisivit.* 17. L. 4. Decret. Tit. 1.

1108. *Secundo.* Inducunt sponsalia *impedimentum publicae honestatis*, h. e. inchoatam quamdam affinitatem inter sponsum et consanguineos sponsae, et vicissim, vi cujus species quaedam inhonestatis est, in uxorem velle habere consanguineam sponsae cui quis, licet necdum corpore, animo tamen et promissione conjunctus est. Hoc impedimentum jure novo *Tridentini* tantum se extendit ad gradum primum consanguinitatis; sess. enim 24. c. 3. de reform. matrim. ita statuit: *Justitiae publicae honestatis impedimentum, ubi sponsalia quacumque ratione valida non erunt, sancta Synodus prorsus tollit; ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant, quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest hujusmodi prohibitio absque dispendio observari.*

§. III. *Resolutiones casuum de essentia et effectibus sponsalium.*

Casus I. De ficta promissione.

Onuphrius, postquam festo encaeniorum diu saltaverat cum Ottilia, eidem coram multis aliis promittit futuras nuptias verbis quidem claris, animo autem nec promittendi, nec se obligandi. Ottilia statim reprom ttit: paucis tamen post diebus videt Onuphrium familiariter agentem cum alia puella, ideoque illum factae promissionis admonet, qui mox rotunde negat, seriam fuisse promissionem.

1109. *Q.* I. An Onuphrius in conscientia contraxerit obligationem ducendi Ottiliam stante ficta promissione. R. *Negative:* quia promissioni defuit consensus internus; ergo nec fuit vera promissio, nec inde oritur obligatio ducendi Ottiliam juxta dicta n. 1102. *Laym.* L. 5. t. 10. c. 10. n. 10. addit: *Si autem puella decepta damnum aliquod passa est, id ei secundum justitiae aequalitatem compensari debet. Palao* de spons. d. 1. punct. 2. n. 2. sub distinctione respondet, quod ficta promissio inducat obligationem fidelitatis, non vero justitiae.

1110. *Q.* II. An si Onuphrius protulisset verba promissoria animo se non obligandi, fuissent vera sponsalia post se trahentia obligationem. R. Sententia affirmativa *Petri de Ledesma* ex eo aliquibus adhuc videtur probabilis, quia obligatio est effectus naturalis promissionis, sicut calefacere est effectus naturalis ignis; ergo sicut posito igne necessario sequitur calefactio, ita posita promissione necessario sequitur obligatio. Contrariam tamen sententiam *Th. Sanch.* dicit esse veriorem l. 1. de spons. d. 9. n. 5. et cum eo *D. Bonav. S. Antonin. Sylv. Armilla* et alii, quia velle promittere, et nolle se obligare, non est promittere: ideoque ruit argumentum prioris sententiae, imo potius probat pro secunda, scil. sicut veri ignis effectus naturalis est calefacere, ita verae promissionis effectus est obligare; exclusio autem obligationis destruit veram promissionem: ergo.

1111. Quid? si quis habeat intentionem promittendi, et se obligandi, sed simul animum non implendi obligationem. R. Talis praeterquam quod peccet graviter, adhuc vere obligatur, quia vere promittit, et intentio non implendi non tollit obligationem promissionis.

1112. *Q.* III. An et quomodo peccet ficte promittens matrimonium. R. Peccat, et quidem, per se loquendo, graviter. *Ratio* est, quia est mendacium graviter perniciosum; decipitur enim alter in re gravi, et adducitur ad repromissionem seriam matrimonii, quod ficte tantum alter promittit. Ita *Sporer* in Theol. sacram. p. 4. c. 1. n. 155. Dixi, *per se loquendo*; *Sanchez* enim l. c. n. 3. excusat a peccato illum, qui eo pacto fidem daret, ut alter facile colligere posset, jocose tantum promitti, nec inde damnum aliud sequeretur. Item si quis tantum ex fidelitate promitteret, nec peteret repromissionem, nec aliud damnum oriretur; quia in his casibus non esset mendacium perniciosum.

1113. *Q.* IV. Ad quid in foro externo teneatur ficte promittens matrimonium. R. Si puella deceptorem apud judicem accuset, et probet, deceptorem verbis promissionem significantibus usum fuisse, hic vero in exceptione fictionis probanda deficiat, compellendus est a judice ad ineundum matrimonium, ut dicetur n. 1119.

1114. *Q.* V. An ficte promittens matrimonium, et sub spe illius deflorans virginem, teneatur corruptam ducere. R. Probabilius tenetur in conscientia corruptam determinate ducere. *Ratio* est, quia in contractibus innominatis, *do ut des*, vel *facio ut facias*, ubi alter ex sua parte promissum implevit, tenetur etiam alter implere, quamvis ficte contraxerit, eoquod tenebatur ex justitia vere contrahere; ut, si ficte promisi Petro centum aureos, ut eat Romam,

ubi Petrus adivit, teneor dare; ergo cum in praesenti casu puella ex parte sua contractum impleverit, dando corpus suum, et defloratur teneatur habere animum implendi, etiam tenebitur contractum implere. *Si dicas:* ergo obligatur ex promissione ficta. R. Indirecte; directe autem ex justitia stricte dicta, qua obligabatur sincere promittere; cum enim post fictam promissionem possit habere animum vere promittendi, et teneatur hunc animum habere, etiam tenebitur eam ducere. Item tenetur ex acceptatione copulae, quae sub conditione matrimonii, et non aliter concessa est. Denique tenetur ex damno illato, pro quo non tenetur decepta aliam compensationem acceptare. *Aliud* enim *pro alio invito creditori solvi non potest.* L. *Mutuum.* 2. §. 1. ff. de reb. credit. Confirm. 1. c. 1. de adult. et stupr. ita statuitur: *Si seduxerit quis virginem, dormieritque cum ea, dotabit eam, et habebit uxorem:* ergo cum textus utatur particula copulativa *et*, defloratur non satisfacit tantum dotando, sed tenetur eam ducere. *Confirm.* 2. Talis deceptor in foro externo compelletur corruptam ducere, tum ne ex sua malitia commodum reportet, tum ne in commerciis humanis porta fraudibus pateat; ergo etiam in foro interno obligatur ad eam ducendam; cum hoc forum alteri conformari debeat, nisi illud falsae praesumptioni innitatur. Ita plurimi cum *Sanch.* l. 1. de sponsal. d. 10. n. 3., *Palao, Laym., Gobat, Lessio, Pichler* contra *Wistner, Ledesma, Perez* et paucos alios; qui defendunt, quod sufficiat corruptam vel ducere, vel dotare. Quorum rationes scite solvit *P. Kugler* de spons. p. 2. §. 2. q. 3. a n. 41.

Idem tamen l. c. n. 44. notat cum citatis AA. deceptorem non obligari ad matrimonium *primo*, si puella ab eo defloratа etiam fornicetur cum alio: *secundo*, si puella se jactaverit virginem, et contrarium postea patefiat: *tertio*, si puella aliam satisfactionem v. g. pecuniariam sponte acceptet; *quarto*, si ex futuro matrimonio gravia mala et infausti exitus praeviderentur: *quinto*, si aliquod impedimentum dirimens interveniret. Denique si puella fictionem facile potuit advertere aut colligere ex certis circumstantiis.

1115. *Q.* VI. An, si puella etiam juramento addito, asserat se a Cajo corruptam, Cajus vero neget, standum sit in foro externo verbis puellae. Respondet *P. Gobat* hic n. 186. *negative*, nisi alia indicia id manifestent, v. g. cubatio in eodem lecto, turpes tactus etc. Imo etiam tunc potius reo juramentum deferendum esset. *Ratio* est, quia actori, sive ei incumbit probatio, qui dicit, non qui negat. L. 2. ff. de prob. Deinde si confessio talis mulieris passim reciperetur, daretur occasio pauperioribus falso nominandi ditiores. Vid. *Brunem., Kon., Kug.* l. c. n. 24.

1116. *Q.* VII. Ad quid obligetur is, qui defloravit vel impraegnavit foeminam absque ulla promissione matrimonii.

R. 1. Quoad *forum internum.* Si foemina sine *impraegnatione* defloratа, aut corrupta nullum praeterea passa sit damnum, puta, quia flagitium mansit occultum, vel illa praeterea non nubit difficilius, in conscientia ad nihil obligatur foeminae *ante sententiam judicis.* Si vero foemina coram judice sufficienter probet defloration vel corruptionem, obligatur ad id in conscientia, ad quod eum judex condemnat, ut eruitur ex c. 1. de adulter.

Quando autem foemina ex violatione passa est damnum, sponte tamen consensit in violationem, rursus violator illi ad nihil obligatur in conscientia: quia, cum consentienti non fiat injuria, foemina quae libere consensit, sibi debet imputare damnum absque injuria illatum. Si vero per vim, fraudem, metum injuste incussum, ideoque per injuriam ad flagitium induxit, damnumque intulit, tenetur in conscientia ante sententiam judicis resarcire damnum, vel dotando illam congruenter, vel ducendo; quia tum jure divino, tum humano requiritur, ut quis tantum restituat, quantum damnificavit. Ita communis DD. sententia ex c. 1. de Injur. Secus si quis precibus tantum, non vi, vel fraude impetravit usum corporis; per has enim non infertur injuria.

R. 2. Quoad *forum externum.* Qui virginem veram, vel communiter habitam pro tali corrupit, et usum corporis injuste impetravit, scil. fraude, dolis, promissis, vi, injusto metu (imo juxta probabilem) importunis precibus, debet a judice condemnari ad illam vel dotandam, vel ducendam, electione penes violatam existente. Vide c. 1. et 2. de Adult., *Laym.* L. 3. de Just. t. 3. c. 13., *Pichler* de spons. n. 9. et seq. Si simul impraegnaverit puellam, praeter dicta, prolem illegitimam impraegnans debet alere.

Casus II. De signis sponsalia significantibus.

Otto Onuphriae diu sibi familiarissimae tradit annulum, quem illa mox acceptat, dicens: Nunc tandem video, quod serio mecum agas: hucusque enim videbaris tantum mihi illudere.

1117. *Q.* I. An per hanc traditionem et acceptationem annuli censeantur valide inita sponsalia. R. Per se loquendo, *negative*: quia traditio et acceptatio annuli, alteriusve similis doni potest esse mere gratuita, praesertim si antecedenter non egerint inter se de contrahendo. Secus si praecesserint, vel conjungantur verba, vel circumstantiae, quae solent in contractu sponsalitio adhiberi; quia tunc merito censeri possunt sufficientia signa mutui consensus et contractus sponsalitii. Item dicendum de similibus signis, v. g. quando Cajus dicit Bertae porrigens ei vitrum vini: *Propino tibi in matrimonium*, et illa respondet. *Deus tibi benedicat*: vel si simul jungant manus etc. *Gobat* t. 10. n. 69., *Reiffenst.* hic n. 37. ubi ait, in Germania plerumque haec signa significare contractum sponsalitium, maxime si addatur: *Propino tibi in matrimonium. Do annulum in matrimonium etc.*

1118. *Q.* II. Quaenam regulae generales hic observandae sint tum pro foro interno, tum pro externo. R. *Prima regula* est. Pro utroque foro requiruntur et sufficiunt talia verba vel signa externa, scriptura, nutus etc. quibus sponsus et sponsa significant promissionem veram reciprocam de futuris nuptiis, sive signa ejusmodi sint ex propria significatione, sive ex consuetudine loci, sive ex propria voluntate contrahentium; dummodo sponsus et sponsa inter se significent, intelligantque veram promissionem. Ita *Sporer* l. c. n. 175., *Reiffenst.* l. 4. Decret. tit. 1. de sponsal. n. 29.

Secunda regula. In foro interno principaliter attenditur intentio contrahentium. Hinc quando constat, adfuisse intentionem spondendi inter sponsos satis cognitam per verba vel signa adhibita, quamvis ex se non sufficienter sint expressiva promissionis, vera censentur sponsalia. Ita *Sporer* l. c. num. 177.

1119. *Tertia regula.* In foro externo principaliter attenditur ad verba: hinc Judex Ecclesiasticus, cui de intentione spondentium non constat, debet judicare secundum verba, aut signa intellecta, vel juxta communem modum loquendi, ut expresse habet c. *Ex litteris* 1. de Spons., vel intellecta juxta communem modum et consuetudinem loquendi in eo loco, ubi sponsalia sunt contracta. L. *Semper in stipulat.* ff. de R. J. Quare si verba vel signa mutuam promissionem futurarum nuptiarum ex se, aut ex circumstantiis significent, pronuntiabit sponsalia valida: si non significent, pronuntiabit invalida: si vero adeo dubia sint, ut ex iis non possit conjici mens utentium, juxta *Sporer* hic n. 178., *Gobat, Perez* et alios non pro valore sponsalium, quia standum est pro libertate possidentis illam, nisi jus aliquid in contrarium statuat; sed hic nihil statuit in contrarium quoad sponsalia: ergo. Standum esse pro valore sponsalium affirmant *Tannerus, Tamburinus* et alii non pauci, propterea quod communiter doceant AA. ex c. fin. de *Sent. et Re judicata*, in dubio favendum esse valori matrimonii. At R. quae statuuntur in causa matrimonii, hoc ipso non statuuntur pro sponsalibus: ergo a matrimonio universaliter non valet argumentatio ad sponsalia. Eamdem regulam tradit *P. Pichler* tit. 1. de sponsal. n. 11. *Si consideratis omnibus maneat dubium, an*

per verba significetur promissio matrimonii, proferens autem neget, cum intentione promittendi esse prolata, judex debet illum absolvere, vel ad summum potest illi juramentum purgatorium deferre. Si autem verba ex se clare significent promissionem matrimonii, proferens autem dicat, ea non serio, sed jocose esse prolata, judex praesumere debet serio esse prolata, nisi jocus aliunde probetur, vel de eo satis constet. Si dubium sit, an serio vel ex joco prolata sint, iterum habet locum juramentum purgatorium.

1120. *Q.* III. Quaenam censeantur esse verba certo significantia sponsalia. R. Sequentia. *Promitto tibi matrimonium: Obligo me ad te ducendum, tibi nubendum, tecum contrahendum matrimonium: Sub fide mea te ducam: Diabolus me rapiat, nisi ducam te: Tu sis futura mea uxor: Quam vere vivo, te ducam etc.* Vide *P. Pichler* l. c.

1121. Inter verba dubia recenset *Kugler* l. c. n. 14. cum *Sanch.*; *Non ducam aliam nisi te:* quia haec verba sensum tantum exceptivum et conditionatam promissionem faciunt: *Si aliquam ducturus sim, ducam te.* Similiter juxta *Pichler* l. c. n. 11. per se sponsalitiam promissionem non faciunt haec verba: *Tu es mea charissima, thesaurus meus, cor meum: Tu es vel eris mea: Promitto tibi amorem et fidelitatem* etc. quia haec verba saltem in Germania potius tantum sunt amatoria, quibus amasii utuntur.

Casus III. De Habilitate Contrahentium.

Orestes contraxit primo sponsalia cum Aurelia deinde cum Aureliana, quam simul impraegnavit cum promissione matrimonii.

1122. *Q.* I. An prima vel secunda sponsalia praevaleant. R. Praevalent prima; his enim utpote valdis non potest praejudicare promissio, et fornicatio cum sponsa secunda. Vide c. 1. de sponsa duorum. Tenetur tamen Orestes Aurelianae resarcire damnum, et natam ex ea prolem alere. Ita *Leonardelli* de sponsal. n. 20. cum *Navar.*, *Soto*, *Henriq.*, et aliis contra *Dianam*, *Conink*, *Paluo* et alios; quorum *ratio* est, quod titulus onerosus, qualem habet sponsa secunda ob traditionem corporis, praevaleat titulo gratuito primae. Verum negatur suppositum, quod prima habeat titulum mere gratuitum, utpote quae ex justitia et contractu oneroso se obligavit. Aliqui hic censent cum *La Croix* L. 6. p. 5. n. 74., quod sponsa prima teneatur ex charitate cedere juri suo in tali casu. Ab aliis vero contrarium non improbatur, quia quaerere jus suum non est contra charitatem.

1123. *Q.* II. Quid, si sponsa secunda fuerit soror primae? R. Hoc casu sponsus neutram poterit ducere; non primam, quia cum illa contraxit impedimentum affinitatis per copulam cum sorore habitam: non secundam, propter impedimentum publicae honestatis ortum ex primis sponsalibus cum ejus sorore.

Casus IV.

Oswaldus promittit Antoniae matrimonium; illa vero tacet, et colloquium alio divertit. Altera statim die Oswaldus Antoniae pinguem arrham offert, quam tamen illa non admittit.

1124. *Q.* An in hoc casu contracta sint vera sponsalia. R. *Negative:* quia sponsalia sunt promissio mutua, nec ex sola taciturnitate rite semper infertur repromissio, nisi illa vestita sit aliis circumstantiis clare indicantibus consensum; illa enim est quid indifferens ad assensum et repromissionem: et licet, qui tacet, consentire videatur, juxta R. J. 43. in 6., id tamen in re, in qua multa deliberatione opus, et ex qua oritur gravis obligatio, non tenet; unde tacens prudenter praesumitur velle melius deliberare de dando consensu, quam actu consentire. Addit hic *Gobat* n. 70. cum *Sanch.* quod taciturnitas, sive non contradictio, tunc censeatur signum positivi consensus quando paren-

ter, audiente nec contradicente puella, dicerent: *Hanc nostram filiam damus tibi in sponsam.* Secus si alius, sub cujus potestate patria non est constituta, ita loqueretur. *Ratio*, quia si filia non consentiat desponsationi a parentibus factae, ne eorum factum contemnere videatur, mentem suam deberet tunc explicare; ergo, si taceat, videtur consentire.

Similiter sola missio et acceptatio arrhae aut jocalium per se non est signum promissionis aut repromissionis, nisi praecedant aut comitentur verba, aut circumstantiae clarius consensum significantes. Certius signum repromissionis est copula secuta post factam promissionem.

Porro hic notandum, quod *arrha* sit res quaedam vel mobilis, vel immobilis a sponsis, vel eorum parentibus post contracta sponsalia sibi invicem quasi pignus in securitatem futuri matrimonii data differt; a *sponsalitia largitate*, quod haec sit donatio inter sponsos de futuro, facta in signum amoris, non in pignus futuri matrimonii; alias vocatur *jocalium*, *dotalium*, *donum sponsalitium*, *donatio ante nuptias*, *mundus muliebris*.

Quaeres, quid sit juris circa arrham. R. 1. Licite apponitur sponsalibus, ut patet ex L. 3. et 5. C. h. t. . . 2. Ubi non obstat consuetudo, post contractum matrimonium restituenda est danti, quae datur quasi pignus, hoc autem praestita satisfactione redit ad dantem. Juxta *Pichler* de spons. n. 20. arrha secuto matrimonio in Germania dicitur manere penes accipientem. 3. Arrha revertitur ad dantem, si juste resiliat. 4. Si vero injuste resiliat a sponsalibus, perdit arrham, ut patet ex L. cit. . . . 5. Si accipiens injuste resiliat, in duplo debet arrham restituere, vel, si ita conventum est, in quadruplo, v. g. si accepit 50. ff., reddere debet 200. . . . 6. Si minorennis dedit arrham, resiliendo non amittit, nec si accipit, tenetur ad duplum.

Quid ergo juris circa jocalia? R. 1. Si sequatur matrimonium, manent penes accipientem irrevocabiliter. L. 12. c. de donat. ante nupt. R. 2. Si non sequatur matrimonium sine alicujus culpa, restitui debent donanti, nisi sponsus antea dederit oscula sponsae (et a fortiori si habuit copulam aut tactus impudicos); tunc enim sponsus dimidiam partem amittit, et sponsa eam lucratur. L. 15. et 16. c. eod. tit. R. 3. Si ex culpa donantis non sequatur matrimonium, res donata manet penes accipientem; si ex culpa accipientis, redit ad dantem. L. 15. l. c.

1125. Ad plurimos alios casus de sponsalibus resolvendos *observa* sequentia. I. Probabilius ordinarie septennium pro sponsalibus requisitum debet esse physice, sive de momento ad momentum, et non tantum moraliter completum; quia Jura requirunt septennium completum, c. 4. et 5. de respons. impub.: atqui completum non est, si vel una dies desit: ergo. Ita plurimi cum *Sanch.*, *Palao*, *Illsung*, *Wagnereck*, *Wiestner* contra *Bonac.* et alios.

1126. II. Sponsalia per parentes pro infante contracta hunc puberem factum regulariter non obligant. Ita plurimi cum *Sanch.* L. 4. n. 3., *Laym.*, *Oberascher.* *Pirrhing*, et aliis contra *Navar.*, *Sotum* et alios. *Prob.* 1. ex c. unic. XXX. q. 4. Item ex c. un. §. fin. de despons. impub. in 6. ubi statuitur, quod sponsalia pro filiis absentibus aut ignorantibus contracta, hos non obligent, nisi eadem postmodum libero suo consensu ratificaverint; ergo idem dicendum est de sponsalibus, quae pater contraxit pro infante. *Nec obstat* c. 1. de despons. impub. in fine, ubi de filio in infantia desponsato dicitur: *Postquam filius pervenerit ad perfectam aetatem, omnino debet hoc adimplere.* Indicatur enim tantum debitum decentiae, si causae gravissimae patris has nuptias deposcerent, non autem debitum praecepti.

1127. III. *Valida* sunt sponsalia sine consensu parentum inita, quamvis ordinarie *illicita*. *Prob.* 1. *pars.* Quia filii in eligendo vitae statu sunt sui juris ac libertatis, nec a parentibus per se loquendo impediri possunt: ergo per se valide ineunt sponsalia, invitis vel inconsultis parentibus. *Sanchez* L. 4. d. 23. n. 10. *Laym.*, *Konig* de sponsal. n. 47. *Confirm. Trid.* sess. 24. c. 1. de reform.

matrim. anathemate ferit dicentes, *Matrimonia a filiis familias sine consensu parentum contracta irritu esse, et parentes ea rata vel irrita facere posse.* Ergo cum matrimonia sine consensu parentum inita sint valida, etiam valida sunt sponsalia, cum in his nihil obstet. *Prob.* etiam *secunda pars.* Quia pietas et reverentia parentibus debita exigit, ut filii in re tam ardua eorum consilium petant, quamvis illud sequi non semper debeant, si justam causam habeant non sequendi. Ideo per se loquendo saltem peccant venialiter ex defectu reverentiae debitae, et ob concurrentem contemptum parentum; saepius autem graviter delinquunt, si gravis contemptus interveniat, vel si justas parentum causas contradicendi, et impediendi talia sponsalia, v. g. ob gravia mala ex iis oritura, negligant. Ita *Leonard.* hic n. 19.

1128. IV. Sponsalia personae catholicae cum haeretica *communiter* sunt illicita et invalida. *Prob.* Matrimonium inter tales ob periculum perversionis sive conjugis, sive liberorum in fide et moribus est illicitum, ut patet ex c. 16. XXVIII. q. 1. desumpto ex Concilio *Agathensi*, ubi ita habetur: *Non oportet cum hominibus haereticis miscere connubia, et vel filios, vel filias dare, sed potius accipere, si tamen se profiteantur Christianos esse futuros et Catholicos.* Idem habetur ex Concil. *Chalcedon.* et *Laodicensi* apud *Sanch.* Ergo talia sponsalia sunt de re illicita, ergo nulla; alias, si valerent, deberent obligare ad illicitum, quod repugnat juxta c. fin. de pacto, et c. 18. de jurejur. *Pichler* h. t., *Gobat.*, *Sporer.* *Nec refert*, quod ejusmodi matrimonium sit validum, ut probat consuetudo; potest enim illud contrahi, etiamsi non praecesserint sponsalia.

Dixi: *Communiter sunt illicita et invalida*: conditionata enim sponsalia, *si pars acatholica se converterit ad fidem catholicam ante contractum matrimonium* licita sunt et valida; item si concurrant sequentes conditiones. 1. Ut absit periculum perversionis personaque catholica libere permittatur vivere in sua Religione. 2. Ne impediatur educare proles ritu catholico, unde *Gobat* t. 9. n. 221. impia et nullo casu licita dicit esse ea pacta, quibus conjux catholicus promittit aperte vel occulte, se permissurum, ut quidam ex filiis nascituris educentur in fide catholica, quidam in acatholica. Num. tamen sequenti idem *Gobat* cum *Tannero* ait, eo casu videri licitum adjicere cautionem ut saltem aliqua pars prolium catholice educetur, sitale matrimonium catholicae cum haeretico multum momenti habiturum esset ad promovendum bonum publicum, nec tamen via aut ratio suppeteret, qua a marito posset impetrari libera facultas omnes proles catholice educandi. 3. Ut catholicus vel catholica non facile possit invenire conjugem sibi parem et competentem. 4. Ut ille, cum quo matrimonium contrahitur, non sit haereticus denuntiatus, aut notorius percussor Clerici. 5. Ut in loco, ubi contrahitur, passim vigeat consuetudo sic contrahendi absque scandalo. Ita *Kugler* de sponsal. n. 116. cum *Arsdekin* et *Lessio.*

1129. V. Sponsalia debent esse circa determinatam personam. Hinc non essent sponsalia inductiva impedimentum publicae honestatis, si Titius promitteret, se unam indeterminate ex tribus sororibus ducturum: sicut enim matrimonium non potest contrahi, nisi cum una determinata; ita nec sponsalia quae sunt via ad matrimonium. Tenetur tamen vi simplicis promissionis unam ex iis accipere, quae sibi prae aliis placuerit. Si Titius unam ex iis seligat, sed haec renuat, non tenetur ad aliam ex illis ducendam; quia, quantum in ipso est, satisfecit promissioni.

1130. VI. Ad sponsalia requiritur libertas formalis et directa, ideoque promissio ebrii aut amentis, licet prius praevisa, non constituit sponsalia, quia actiones in ebrietate aut amentia factae nec sunt deliberatae, nec actiones humanae; ergo carent conditione essentialiter requisita ad sponsalia. *Illsung.* t. 6. d. 1. n. 14. *Confirm.* 1. Juxta c. *dilectus* de spons. furibundus matrimonium contrahere nequit, quia cum furibundo non potest intervenire consensus legi-

timus: ergo a pari. *Confirm.* 2. Votum sive promissio Deo facta requirit libertatem directam: ergo etiam promissio homini facta. Affirmat tamen *P. Kugler* l. c. quod sint valida sponsalia, si Titius ante ebrietatem sibi praesens dicat: *Promitto tibi matrimonium, si in ebrietate dixero, quod velim te ducere*; quia haec promissio jam est ante ebrietatem, ideoque immediate libera, quamvis tantum conditionata; verba autem in ebrietate postea prolata non sunt ipsa promissio, sed impletio conditionis adjunctae; sicut siquis voveret abstinere a vino, si in ebrietate percusserit proximum, subsecuta percussio non est ipsum votum, sed conditio voti.

1131. VII. An valida sint sponsalia ex metu gravi, injuste et ad sponsalia extorquenda incusso contracta, utrinque a TT. et Canonistis defenditur. Valida esse affirmant *Lessius* de J. et J. l. 2. c. 17., *Haunoldus* super tit. de sponsal. n. 21., *Henriq.*, *Wiestner* et alii; eoquod nec naturali, nec positivo jure irritentur. Negativam tenent *Sanch.*, *Laym.* L. 3. t. 4. c. 6. n. 3., *Palaus* de sponsal. d. 1. punct. 2. n. 6., *Engel*, *Konig*, *Wex* in suo opusc. Canon. Trid., qui dicit, hanc esse communem Pontificii Juris Interpretum. *Ratio* hujus probabilioris sententiae est, quia nequit dari obligatio ad actum omnino invalidum et illicitum; atqui matrimonium ex ejusmodi sponsalibus initum esset actus invalidus, quia metu in sponsalium obligatione incusso extortus: ergo respectu illius non potest dari obligatio. Juxta hanc sententiam talia sponsalia non trahunt post se impedimentum publicae honestatis. Plura in Theol. Scholast.

1132. VIII. Pariter inter AA. controversum adhuc manet, an contractui sponsalitio apponi possit conditio poenalis, v. g. ut pars *injuste* resiliens pendat centum aureos. Affirmativam ut probabiliorem tenemus cum *Laym.* L. 5. t. 10. c. 1. n. 8., *Gobat.* t. 10. n. 173., *Pichler* de spons. n. 22. contra *Sanch.*, *Tannerum*, *Kugler* et alios; tum quia appositio et exactio poenae non officit verae libertati matrimonii; qui enim non habet causam justam resiliendi, mortaliter peccat, si resiliat: ergo jam privatus est aliunde libertate resiliendi, utpote qui sub mortali obligatus est stare data fide; ergo: tum quia ipsum Jus minatur poenam injuste resilienti, ut patet ex c. *Ex litteris.* 10. de spons. *Confirm.* ex *Novel.* 18. *Leon.* Imper. Quod similis poena invalide adjiciatur, si per conventionem solvi deberet a *juste* resiliente, satis clare patet ex c. *Gemma* 29. h. t.

1133. IX. Juxta *Laym.* L. 5. t. 10. c. 1. n. 4., *Palaum* de spons. d. 1. punct. 8. n. 2. judex Ecclesiasticus a sponsalibus sine justa causa resilire volentem altera parte invita primo moneat, ut promissis satisfaciat; si adhuc obsistat, eum poenis intentatis cogere potest. Imo etiam debet, nisi ex invitis nuptiis mali eventus timeantur, ut habetur in cit. c. *Ex litteris* 10. de spons. *Si monitis non acquieverit, Ecclesiastica censura compellas, ut ipsam, nisi causa rationabilis obstiterit, in uxorem accipiat.* Satis autem rationabilis causa plerumque assignatur in c. *Requisivit.* 17. eod. tit. quia *coactiones difficiles solent frequenter exitus habere.* Ideoque (ut vult *Palao* l. c. n. 3.) si judex advertat, nihil profuturam excommunicationem aliamve poenam, potius ab illa imponenda abstineat; si ea imposita sponsum videat adhuc pertinacem, ab ea illum absolvat.

1134. X. Sponsalia clandestina, h. e. sine Parocho et testibus contracta valida, et per se loquendo licita sunt. *Ratio* est, quia a nullo Jure irritata vel prohibita reperiuntur. *Per accidens* in variis locis illicita sunt ob specialem prohibitionem, ideoque contrahenda sunt juxta statuta dioecesana. Vide *P. Pichler* de spons. n. 24.

1135. XI. Sponsalibus licet adjicere *conditionem* (quae exprimitur per particulam *si* in contractu); aut *modum*, qui exprimi solet per τό *ut*; aut *diem*: quia haec adjicere nullo Jure prohibitum est. Et L. *In transactionibus.* ff. de Pact. *Quisque rei suae modum ponere potest.* De his observa sequentia. 1. Sponsalia inita sub conditione de praeterito vel praesenti aequivalent absolutis, si

tunc impleta sit conditio, v. g. si dicas: *Ego tibi promitto matrimonium, si sis catholica*: eo ipso sunt absoluta sponsalia, quod sit catholica puella.

2. Si promissio sit de futuro contingenti, v. g. *si pater consensurus* sit, suspenditur obligatio sponsalitia, donec pater consentiat, cujus consensu posito absque novo consensu contrahentium sponsalia conditionata transeunt in absoluta, et absoluta oritur obligatio per §. 6. Instit. de V. O. Ex hisce sponsalibus conditionatis ante impletam conditionem non inducitur impedimentum publicae honestatis, ut patet ex c. unic. de sponsal. in 6., ubi hoc impedimentum adscribitur illi, qui *pure* ac *determinate* cum una contraxit.

1136. 3. Sponsalia conditionata de futuro licet suspensam inducant obligationem matrimonium actu incundi, obligant tamen ante impletam conditionem, ut uterque sponsus bona fide expectet eventum conditionis, *si sit possibilis et honesta*; nam ad hoc tacite se obligant, qui contrahunt sub conditione. Unde eruitur 1. quod neuter pro libitu possit resilire a sponsalibus: 2. quod irrita sint alia sponsalia, quae durante conditione contrahuntur, v. g. *Onocrotalus contrahit sponsalia cum Afra, si centum aureos in dotem datura sit: postea sub eadem conditione contrahit cum Barbara, quae statim affert centum aureos.* Haec postrema sponsalia nulla sunt, utpote facta contra fidem priorum. *Sporer* hic n. 211. cum *Coninck*, *Laym.* contra *Sanch.*

1137. 4. Eruitur, quod sponsus, qui malitiose impedit, quominus conditio impleatur, maneat adhuc obligatus servare fidem conditione non impleta, v. g. *Orestes sincere promittit matrimonium Alexandrae, si pater consentiat, paulo post mendaciis ac fraudibus patri persuadet ne consentiat.* In hoc casu Orestes non est liber a sponsalibus, tum quia omnis sincere contrahens censetur se obligare, ne tam malitiose agat, tum quia alias non reliquisset patri libertatem consentiendi, a qua tamen ambo contrahentes voluerunt dependere obligationem suam. *Confirm.* ex Reg. Juris 161. ff. de R. J. *In J. Civili receptum est quoties per eum, cujus interest, conditionem non impleri, fiat, quominus impleatur, perinde haberi, ac si impleta conditio fuerit;* scil. perinde respectu impedientis impletionem. Sponsa tamen impeditionem sciens posset resilire, quia sponsus malitiose impediens conditionis eventum hoc ipso fidem fregit, et sponsalibus renuntiavit. Ita *Sporer* hic n. 210. cum *Gobat* de spons. n. 273.

1138. *Q.* An valeant sponsalia contracta sub conditione turpi aut impossibili, v. g. *Promitto tibi matrimonium, si velis per fornicationem mihi 10. flor. lucrari*: vel, *si tuus nasus cras tribus ulnis longior fuerit, quam hodie.* *R.* cum *Palao* de spons. d. 1. punct. 16. n. 4., *Gobat*, *Sporer.* conditio impossibilis irritat contractum, turpis vero illum suspendit, donec conditio impleatur, ita quidem ut rescindendus sit contractus ante eventum conditionis, post completam autem conditionem etsi cum peccato oriatur obligatio ad contrahendum matrimonium. *Ratio* est, quia omnes alii contractus initi sub conditione impossibili sunt irriti, sub conditione turpi suspensi, idque jure communi: ergo cum hoc jus correctum non sit in sponsalibus, sed in matrimonio, standum est pro sponsalibus, sicut pro aliis contractibus. Non pauci tamen cum *Sanch.* L. 5. disp. 17. n. 2. probabiliter tenent, quod ejusmodi sponsalia valeant, et conditiones de impossibili vel turpi habeantur pro non adjectis, sicut in matrimonio, juxta c. *fin. de conditionibus appositis.* Verum cum multa statuta sint in specialem favorem matrimonii, ut de clandestinitate, aetate, indissolubilitate etc. quae non pertinent ad sponsalia, etiam hoc speciale eo extendendum non esse videtur.

ARTICULUS II. *De Dissolutione Sponsalium.*

§. I. *Praenotanda.*

1139. Hucusque de sponsalibus validis et invalidis egimus. Inquirendum nunc est, an et quomodo sponsalia valide contracta iterum possint dissolvi, ita ut cesset obligatio illorum. Praecipue ex dictis notandum est, quod sponsalia priora non solvantur per posteriora contra fidem priorum inita, sed posteriora sunt invalida et nulla etiamsi haec essent absolute inita, aut jurata, aut cum fornicatione aut impraegnatione, priora vero conditionata tantum. *Ratio* est, quia sunt de re illicita et contra jus acquisitum primae sponsae vel sponsi. Neque juramentum potest firmare contractum de se nullum, neque potest esse vinculum iniquitatis juxta c. 18. de *Jurejur.* Hinc sponsalia secunda in tali casu etiam post se non trahunt impedimentum publicae honestatis, quia invalida sunt.

§. II. *Principia generalia de dissolutione sponsalium.*

1140. *Principium* I. Sponsalia puberum licite et valide dissolvuntur *mutuo et libero utriusque consensu*, etiamsi juramento fuissent firmata, aut copula carnalis accessisset. *Ratio* est, quia omnis contractus ex natura sua solubilis (qualis est sponsalitius, non vero matrimonialis) sicut ex mutuo contrahentium consensu nascitur, ita per eumdem dissolvitur, juxta notissimam regulam primam J. in quinto L. Decret. tit. 41. *Omnis res, per quascumque causas nascitur per easdem dissolvitur*: et juxta Regulam 35. *Juris Civilis*, ff. de R. J. *Nihil tamen naturale est, quam eo genere quidque dissolvere, quo colligatum est: ideo verborum obligatio verbis tollitur, nudi consensus obligatio contrario consensu dissolvitur.*

Dixi 1. *Sponsalia puberum:* nam sponsalia impuberum ante completam pubertatem (h. e. in masculis ante completum decimumquartum, in foemellis vero ante duodecimum aetatis annum juxta c. *Attestationes*, de despons. impub.) non possunt dissolvi mutuo consensu sine dispensatione, juxta c. *Litteras.*, c. *Accesserit.*, c. *Continebatur.* de despons. impub., ne scil. aetas illa ob inconstantiam exponatur nimiis mutationibus, ut ait *Sanch.* Completa vero impubertate ordinarie conceduntur illis proximi tres dies, intra quos alter ab altero etiam invito resilire potest juxta c. *De illis* de spons. Si tamen impuberes pubertati propinqui sponsalia sua juramento aut copula carnali firmarint, dissolvi non possunt, nisi mutuo consensu ex c. *Ex litteris*, ex c. *A nobis* de spons. *Laym.* L. 5. t. 10. c. 1. n. 17.

1141. Advertendum hic, quod, si impuberes contrahant sponsalia de praesenti, sive matrimonium ratum, hoc quidem erit nullum, valebit tamen in vim sive rationem sponsalium, ut patet ex c. fin. de despons. impub., et c. un. eod. tit. in 6. Si vero ante pubertatem contrahant matrimonium de praesenti, et malitia ac potentia generandi suppleat aetatem, matrimonium est validum, juxta c. 9. et fin. de despons. impub. ex supposito, quod non sit clandestinum matrimonium. Denique si pubes cum impubere contraxerit, neque ante, neque post hujus pubertatem resilire potest, nisi alter quoque pubes factus dissolutioni consentiat, quia pubes nihil de privilegio impuberum ex ulla lege participat. *Sporer* hic n. 197.

Dixi 2. *Etsi juramento fuissent firmata*, quia sublato contractu velut principali cessat juramentum tanquam accessorium, et juramentum sequitur naturam actus, cui adjungitur. Ita multi cum *Pontio* contra *Sanch.*

Dixi 3. *Etsi copula carnalis accessisset*, quia copula per se nullam addit vim sponsalibus: damnum tamen si illatum sit, aliter compensari debet. Vide *Pignatellum* t. 9. Consult. 134. ubi refert, S. Congregat. declarasse, mutuo

consensu dissolvi sponsalia, quamvis per copulam carnalem essent confirmata. *Kugler* de spons. p. 3. n. 6.

1142. Dixi etiam, *mutuo et libero consensu*: dissolutio enim valida non erit, nisi consensus ex utraque parte sit liber a fraude, dolo, et metu gravi injuste incusso; quia remissio hujus et cujusvis juris est quaedam species donationis, quae debet esse libera. Hinc recte infert *Reiffenst.* h. l. n. 207. cum *Sanch.* et *Palao*, illum minime tutum esse in conscientia, qui a sponso, incusso magno metu, consensum extorquet: si per mendacia illam decipiat, se hoc vel illo morbo laborare etc.

1143. Porro hic notandum, quod ad dissolvenda mutuo et libero consensu sponsalia de jure quidem non requiratur auctoritas judicis; ubi tamen in aliqua Dioecesi expresse prohibetur, ne sponsalia praesertim publica, sive coram parocho contracta, aut etiam secreto inita, sed postea evulgata, dissolvantur, nisi causa prius per Episcopum cognita, etiam standum est loci consuetudini, aut Episcopi prohibitioni. Seclusa vero tali prohibitione manet regula communis assignata c. *Praeterea* 2. de sponsal. et matrim. ubi ita habetur de sponsis, qui sponsalia legitima et absoluta inierunt: *Si autem ad invicem admittere noluerint, ne forte deterius inde contingat, ut talem scil. ducat, quam odio habet, videtur, quod ad instar eorum, qui societatem interpositione fidei contrahunt, et postea eamdem sibi remittunt, hoc possit in patientia tolerari.*

1144. *Princip.* II. Quando una pars resilire attentat, et adhuc dubitatur de sufficientia causae ad resiliendum, ad Episcopum spectat rem dijudicare, et sententiam ferre, an obligent sponsalia, vel an sint dissolvenda; quia urget probabile periculum injustitiae, ne inique alteri in dubio spolietur jure sibi acquisito. Ita *Comm.* cum *Sanch.* Addit *Sporer* hic n. 230. cum *Henricx*, manente dubio post inquisitionem nec per sententiam judicis, nec propria auctoritate unius e sponsis posse fieri validorum sponsalium dissolutionem; quia hoc casu non subesset justa causa dissolvendi, fieretque parti possidenti jus certum ex sponsalibus certo validis injuria.

1145. *Principium* III. Praeter mutuum et liberum consensum ex parte sponsorum causa sufficiens ad dissolvenda sponsalia est recessus unius a fide data. Videlicet quando unus sponsorum vel juste vel injuste et cum peccato resilit, alter quoque, *si velit*, poterit juste resilire; si vero nolit, pars altera injuste resiliens adhuc obligatur ad fidem servandam. *Ratio* primi est, quia si una pars juste resiliat, hoc ipso tribuit alteri parti potestatem resiliendi, et liberat ab obligatione nubendi. Si vero injuste, manet illud tritum: *Frangenti fidem fides frangatur eidem. Ratio* secundi est, quia *nemo ex delicto suo meliorem suam conditionem facere potest*, l. *non fraudantur.* ff. de R. J., ideoque pars innocens injuste resilientem tenere potest obligatam. *Reiffenst.* de spons. n. 210. cum Comm.

1146. Porro potest quis vel *expresse* vel *tacite* recedere a sponsalibus. *Expresse*, quando quis manifestis verbis dicit, nolle se fidem sponsalitiam servare: *tacite* vero, quando quis ita se gerit, ut ipso facto recusare sponsalia merito censeatur, id quod fieri amat variis modis. 1. Quando sponsus absque licentia sponsae in aliam terram domicilium mutaturus se confert, animo non amplius redeundi, solvuntur sponsalia ex parte sponsae. Ita Communis ex c. *de illis* de spons. et matrim. ubi etiam de juratis sponsalibus fit mentio. *Ratio* est, tum quia taliter discedens merito censetur renunciare juri suo, tum quia sponsa sponsum vel vagum, vel alio commigrantem sequi non tenetur, nisi id expresse promiserit, cum se non obligare censeatur ad talem eventum.

1147. 2. Etiam tunc solvuntur sponsalia, quando sponsus non quidem cum animo emanendi, sed tamen sine spe brevi redeundi, in aliam terram discedit, tum quia aequum non est, quod sponsa tam longum atque incertum expectare teneatur reditum cum periculo propriae incontinentiae, vel amittendi

alias commodas nuptias, praesertim cum ad id, ut supponitur, se non obligarit. *Reiffenst.* l.c. n. 213. cum *Sanch., Palao, Barbosa.* De absentia alterutrius sponsi plura in §. seq.

1148. 3. *Per nimiam dilationem*, ita quidem, ut si terminus praefixus fuerit ad finiendam obligationem, v. g. *nisi nuptiae usque ad pascha proximum celebrentur, resilire liceat*, tunc manifestum est, post tempus elapsum cessare obligationem. Si vero terminus statutus sit non ad finiendam, sed ad exequendam, et non differendam obligationem, ita ut dilator deinceps censeatur esse in mora culpabili, tunc post elapsum tempus statutum, pars quae parata est ad celebrandas nuptias, postea ob culpabilem alterius moram juste resilire poterit, ut colligitur ex c. *Sicut* 22. de spons. et matrim. Altera autem pars moram culpabilem trahens, adhuc obligata manet, si alteri contrahere libeat; in tali enim contractu duplex est obligatio, 1. nuptias celebrandi, 2. eas praefixo tempore celebrandi. Unde licet haec secunda obligatio violetur, et ob eam violationem justa praebeatur causa alteri parti resiliendi; manet tamen prior obligatio principalis scil. nuptias celebrandi, siquidem altera pars adhuc velit. *Laym.* L. 5. t. 10. c. 2. n. 17.

1149. Denique si nullus terminus nuptiis celebrandis praefixus fuerit, obligatio est contrahendi illo tempore, quo altera pars *rationabiliter* exigit: alias culpabiliter et sine justa causa nolendo contrahere peccat, et censeri potest resilire, ut et altera pars possit resilire: si vero ex justa causa se nunc impeditam excuset, tenetur altera aliquo adhuc tempore expectare. *At quamdiu*? R. Id arbitrio prudentis est determinandum tum ex necessitate illius, qui differt, tum ex damno, molestia, periculo incontinentiae partis exspectantis. *Sporer* l. c. n. 289. Hinc, quando subest periculum peccandi, monendi sunt a Confessariis et Parochis, ut non diu differant matrimonium, nec permittenda frequentiora conventicula. Praeterea *Trid.* sess. 24. c. 1. in decreto de reform. matrim. expresse ita statuit: *Conjuges ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam in eadem domo non cohabitent.*

1150. *Princip.* IV. Sponsalia etiam dissolvuntur *per notabilem mutationem ex parte unius, vel utriusque sponsorum.* Ac *primo* quidem per mutationem *sacram*, scil. per *professionem religionis approbatae*; quia per talem professionem solvuntur sponsalia de praesenti, ut patet ex c. *Ex publico* 7. de convers. conjug. Ergo multo magis solvuntur sponsalia de futuro.

1151. Per solum ingressum in religionem approbatam, professione non secuta, non solvuntur sponsalia, sed suspenditur obligatio ex parte ingredientis; ex parte vero remanentis in saeculo tollitur obligatio, ita ut ante egressum sponsi illico valeat alteri nubere, si velit; si vero egredientem exspectare, et adhuc ducere velit, egrediens tenebitur illam ducere. *Ratio* primi est, quia ingressus in religionem nec ex natura sua (novitius enim potest iterum egredi, et nuptias celebrare) nec ejus jure positivo solvit sponsalia, quia nullum potest allegari; juris enim dispositio concessa est in favorem professionis, quae cum sit odiosa (vergit enim in praejudicium sponsae) extendi non debet ad solum ingressum. Ita *Navar., Sylvest., Laym.* l. c. n. 3. contra *Sanchez*, qui L. 1. d. 42. n. 4. affirmat, etiam ex parte ingredientis solvi sponsalia, saltem si bona fide ingrediatur, scil. animo non egrediendi, nec in speciale damnum sponsae. *Ratio* secundi est, tum quia hoc ipso, quod quis ingrediatur religionem, censetur animum mutasse, ac juri suo renuntiasse: ergo hoc ipso, quod pars remanens in saeculo etiam velit non amplius obligari, mutuo consensu sponsalia dissolventur; tum quia nulla pars praesumitur in contractu sponsalitio se obligare ad expectandum, donec finiatur novitiatus. Ita *Laym.* l. c. *Reiffenst.* hic n. 226. et communis contra *Durandum, Armillam*, et alios.

1152. Porro mutationes notabiles, et sufficientes ad sponsalia partim ex una, partim ex utraque parte dissolvenda censentur sequentes. 1. Si supervenit impedimentum dirimens matrimonii, v. g. per affinitatem, si sponsus ante nu-

ptias fornicetur cum matre, aut sorore sponsae suae. Item per susceptos sacros Ordines etc. 2. Fornicatio unius ex sponsis, aut alia notabilis impudicitia dirimit sponsalia ex parte innocentis, ut recedere possit, si velit: si nolit, pars nocens manet obligata, ne ex iniquitate lucrum reportet, ut patet ex c. *quemadmodum*. 25. de jure jur. Vide dicta de sponsalibus secundis n. 1121. ... 3. Per fornicationem spiritualem. Sic juste resilit sponsa, si experiatur sponsum post sponsalia a fide defecisse, sive in haeresim incidisse. 4. Si quis ex sponsis gravi infamia, v. g. ex furto commisso incipiat laborare. 5. Si superveniat magna infirmitas, aut deformitas, mutilatio, paupertas, graves inimicitiae, defectus promissae dotis etc. Item si quid horum latuerit, et postea detegatur. Ex his *Sporer* l. c. n. 279. cum *Laym.* et *Tambur.* tradit sequentem regulam generalem. *Quoties post contracta sponsalia superaccidit aliquid, quod eorum executionem, scil. matrimonii contractum et usum reddit notabiliter difficiliorem, quodque si initio fuisset, cordatum hominem similis conditionis merito ab illis sponsalibus absterruisset, toties cessat obligatio illius, ut etiam nolente altera parte resilire juste possit. Ratio* est, quia intentio spondentis non praesumitur ad talem mutationem, quae quemvis hominem potuisset avertere a contractu sponsalitio, se extendisse.

» Modi quibus dissolvi possunt sponsalia, hisce versibus complectuntur.
» *Dissensus, crimen, fuga, tempus et ordo: secundo,*
» *Morbus, et affinis, vox publica cumque reclamat.*
» Vid. Theol. Eccl. *P. Cartier.*

§. III. *Resolvuntur Casus.*

Casus I.

Pancratius contrahit sponsalia de futuro cum Cordula; deinde init sponsalia de praesenti sive matrimonium ratum cum Ursula, quae tamen in primo puerperio statim post nuptias moritur (fuerat autem ante novem menses impraegnata a Cajo, et nunquam cognita carnaliter a Pancratio). Pancratius post mortem conjugis anxius haeret, an adhuc obligetur vi primorum sponsalium ducere Cordulam adhuc paratam ad nubendum.

1153. *Q.* I. Quid ad hunc casum dicendum sit. R. Imprimis si duae istae sponsae non sint sorores, obligant Pancratium sponsalia secunda sive de praesenti, ut patet ex c. 1. de sponsa duorum, ex c. 22. et 31. de sponsal., quia vinculum matrimonii fortius est: si vero sponsa secunda sit soror primae, matrimonium illud est invalidum propter impedimentum publicae honestatis ortum ex primis sponsalibus.

1154. *Si dicas*: etiam ex matrimonio rato, licet invalido oritur impedimentum publ. hon. modo non sit invalidum ex parte consensus; ut dicetur de impedimentis: ergo nec primam nec secundam sororem potest ducere. R. Explico anteced. Etiam ex matrimonio rato invalido oritur impedimentum publ.hon. *Agens retro*, sive dissolvens praecedentia sponsalia N.; *non agens retro*, h. e. tantum dirimens sponsalia subsequentia C. Aliud est de affinitate vera et carnali, quae agit retro et dirimit sponsalia praecedentia, sive affinitas illa oriatur ex fornicatione, sive ex matrimonio consummato. Vide c. unic. de sponsal. in 6.

1155. *Q.* II. An per sponsalia de praesenti cum Ursula penitus solvantur sponsalia de futuro cum Cordula. R. Eatenus solvuntur, quatenus Cordula sponsa prima, dum inaudit, quod sponsus suus contraxerit matrimonium cum alia, liberrime possit alteri nubere; sic enim mutuo consensu censentur sponsalia ista dissolvi. Ex supposito autem, quod prima sponsa velit expectare mortem Ursulae, et non obstet aliud impedimentum, an tunc Pancratius adhuc ducere teneatur Cordulam, utrinque defenditur a TT. Probabilius videtur dicendum, quod prima sponsalia de futuro non penitus solvantur, sed suspen-

dantur, ideoque juxta hanc sententiam Pancratius post mortem conjugis adhuc tenetur ducere Cordulam. *Ratio* est, quia matrimonium superveniens neque ex natura rei, neque ex jure positivo extinguit priorem sponsalium obligationem ex parte injuste resilientis Pancratii. *Confirm.* 1. Matrimonium non est impedimentum perpetuum satisfaciendi obligationi per prima sponsalia contractae: ergo ex natura sua non penitus illam extinguit: ergo cum nulla lex istam obligationem penitus extinguens possit assignari, illa manet suspensa, donec impedimentum sit sublatum. *Confirm.* 2. Per matrimonium superveniens non extinguitur votum perpetuae castitatis ante contractum matrimonium libere emissum, sed tantum suspenditur; ergo nec sponsalia extinguuntur. Ita plurimi cum *Palao* de sponsal. d. 1. 21. n. 4., *Adriano*, *Ledesma*, *Goninck*, *Franc. Schmier* l. 4. t. 1. c. 5. sect. 1. §. 2. n. 21. et seq., *Sporer*, *Kugler*, et aliis contra *Sanch.*, *Laym.* l. 5. t. 10. c. 2. n. 22., *Bonac.* et alios.

Casus II.

Paulus, postquam contraxit sponsalia cum Paulina, emittit votum suscipiendi sacros ordines, et si forte non admittendus sit ad eos ex defectu tituli, addit expressum votum perpetuae castitatis, putans jam duplici titulo esse dissoluta sponsalia.

1156. *Q.* I. An Paulus tam in foro interno, quam externo liber censeri debeat ad obligatione sponsalitia propter votum simplex castitatis post sponsalia emissum. R. Probabilius nec in foro interno, nec externo liber censeri debet. *Ratio* est, quia utrumque votum est in praejudicium sponsae, et neutrum est privilegiatum (prout est sola professio religionis): ergo neutrum est de objecto licito et honesto, ac proinde neutrum acceptatur a Deo, in quantum est contra jus tertii: sicut si quis centum florenos, quos homini jam promisit, vel ex justitia debet, vellet postea promittere Deo, aut templo transcribere. *Confirm.* 1. Juxta *Suar.* generaliter votum non facit rem licitam, sed praesupponit eam esse licitam; atqui post sponsalia non est sponso licitum sine consensu sponsae vivere in coelibatu, aut sacris ordinibus; ergo nec ei hoc licitum fieri potest per votum coelibatus, aut per votum suscipiendi sacros ordines. *Confirm.* 2. ex c. *Veniens.* 5. qui Clerici vel voventes; ubi mulier post sponsalia votum continentiae emiserat, ne sponso suo (de cujus severitate plura audierat) nubere cogeretur: sponsus de voto certior factus aliam sibi copulavit; sponsa vero postmodum a voto liberari petebat. Respondit *Alex. III.* ut ei *de fide mentita et voto violato* congrua satisfactio injungatur: ergo judicavit Pontifex per illud votum sponsalia non fuisse dissoluta, alias non jussisset injungi poenitentiam etiam propter fidem sponsalium violatam. Ita *Suar.* t. 3. de Relig. l. 9. c. 17. n. 12., *Sanch.*, *Laym.* L. 5. t. 10. c. 1. n. 6., *Engel*, *Wiestner* et alii contra *S. Thom.*, *Cajet.*, *Sotum*, *Henriq.* et alios graves AA. cum quibus.

1157. *Si dicas* I. Sponsalibus tacita conditio inesse censetur, *nisi statum perfectiorem continentiae amplecti voluero.* Atqui per votum castitatis sponsus amplectitur statum perfectiorem. R. N. M: Haec conditio nec inest ex natura rei contractui sponsalitio: alias in quacumque promissione homini facta similis conditio includeretur. Item homo non tenetur ad id semper, quod est perfectius; ergo sicut potest eligere minus perfectum, ita etiam ad illud potest se obligare tertio, uti contingit in sponsalibus. Nec potest praesumi ex mutuo contrahentium consensu, quia hoc gratis asseritur; nec inest ex jure positivo, cum tale nullibi extet: ergo. Alii transmissa majore distinguunt min. Status castitatis est perfectior absolute comparatus cum matrimonio C. m. Comparatus cum circumstantia injuriae tertii N. Deinde coelibatus proprie non est status.

1158. *Si dicas* II. In sponsalibus, imo et in matrimonio rato intelligitur conditio, *nisi statum Religiosum elegero:* ergo a pari. R. D. A. Intelligitur ex claro jure c. *Verum* 2., c. *Ex publico.* 7. de convers. conjug. et ex *Trid.*

sess. 24. de matrim. can. 6. C. Intelligitur ex natura rei N. Simile non affirmat jus de voto simplici castitatis.

Inst. juxta c. *pervenit.* 3. de jurejur. *Promissum non infringit, qui in melius id commutat.* R. Explico: qui in melius commutat sine injuria tertii, vel quando id fit cum consensu promissarii, vel quando melius datur eidem promissario, cui debebatur minus bonum C.; si fiat cum injuria tertii, sine consensu promissarii, vel alteri promissario N. Jus loquitur de commutatione voti in melius, quae fit eidem promissario scil. Deo.

1159. *Q.* II. An votum Pauli simpliciter debeat censeri invalidum. R. cum *Sporer* hic n. 259. Valet et acceptatur a Deo, in quantum respicit voventem, ideoque si Paulina resiliat (uti potest juste resilire, quia certior facta de voto a Paulo emisso, merito censet eum renuntiasse sponsalibus) hoc casu votum a Paulo servari debet. 2. Si adhuc matrimonium contrahat vel cum prima sponsa, vel cum alia, reddere quidem tenebitur debitum, petere autem illud non poterit, donec dispensationem impetraverit. 3. Dissoluto matrimonio per mortem conjugis rursus suum votum integre servare debebit. Denique servandum est ab eo votum in iis omnibus, in quibus sine injuria conjugis servari potest.

1160. Porro *resolves* I. Quamvis ex dictis regulariter illicite agat, qui post inita sponsalia vovet castitatem, quia agit contra jus tertii; nihilominus juxta *Laymann* l. c. n. 7. ob probabilitatem sententiae contrariae per accidens in foro conscientiae excusabitur a peccato, si bona fide, et sincero animo amplectendi statum perfectiorem continentiae resilierit, paratus tamen sit ad contrahendum matrimonium, si compellatur a judice. Illum vero, qui non ex sincero animo, sed ex odio sponsae et in fraudem eligit continentiae votum, nequidem adversarii in conscientia tutum esse affirmant, ut fatetur *Tamburinus.*

1161. II. Per se loquendo, licitum est sponso vel sponsae post contracta sponsalia emittere votum ingrediendi ac profitendi religionem: cum enim uterque sponsus licite possit profiteri religionem, etiam licite poterit professionem vovere. Dixi, *per se, sive secluso damno alterius* sponsorum, v. g. si sponsa gravem infamiam passura sit, si spe matrimonii jam impraegnata sit etc. Vide dicta n. 1150. Si *quaeras*, an pertale votum solvantur sponsalia. R. Ad hunc effectum solvuntur, ut sponsus libere possit ingredi Religionem, sponsa autem post acceptam notitiam hujus voti matrimonium cum alio possit inire. Si vero sponsus vel libere vel coacte ante professionem egrediatur e Religione, nec alibi velit profiteri, et sponsa ei adhuc fidelis perstiterit, probabilius vi sponsalium adhuc tenetur illam ducere, ut diximus supra n. 1151. quia quod a jure professioni adjudicetur dissolutio sponsalium et matrimonii rati, hoc ipso non adjudicatur voto profitendi. Ita *Palao*, *Tamb.* hic l. 7. n. 7. et alii contra *Laym.*, *Gobat* et alios.

1162. III. Quod susceptio ordinis sacri dissolvat sponsalia actu contracta, probabilius defendunt *Sanch.* L. 1. d. 47., *Perez*, *Tamb.* contra *Paludanum* et alios. *Ratio* est, quia illud impedimentum, quod facit, ut inter personas impeditas absolute nequeat consistere matrimonium, etiam facit, ut obligatio ex praecedentibus sponsalibus orta totaliter cesset: atqui susceptio ordinis sacri est tale impedimentum, ut constat ex *Trid.* sess. 24. can. 9.: ergo.

1163. IV. Sponsalia absoluta, quae quis post votum perpetuae castitatis, vel suscipiendi sacros ordines, vel non nubendi, vel ingrediendi religionem contrahit, sunt invalida, quia sunt de re illicita, scil. de matrimonio ineundo, unde non obligant, etsi jurata sint. Si tamen sponsa voti ignara decepta sit, ita ut grave inde damnum pateretur, v. g. propter impraegnationem, tenetur sponsus illud compensare etiam per matrimonium, servata tamen continentia, quantum potest fierisine injuria conjugis, ut dictum est n. 1159. Juxta *Laym* l. 5. t. 10. c. 2. n. 5. in tali casu voto obligatus debet petere dispensationem a voto; cum enim per votum Deo prius jam acquisitum sit jus, vovens propria auctoritate illud non potest tollere statum voto contrarium ineundo; ideoque requiritur,

ut legitimus Superior tanquam Dei vicarius causa prius cognita obligationem remittat per dispensationem. Haec sententia a *Laymann* vocatur communis, et in praxi recepta: hinc praeferenda est opinioni aliorum affirmantium cum *Lessio*, quod *utiliter* petatur dispensatio, sed non *necessario*. Vide *P. Kugler* de spons. p. 3. q. 3. n. 64. Dixi supra: *Sponsalia absoluta sive absolute inita*: valerent enim conditionata, si utraque pars conscia voti vel alterius impedimenti promitteret matrimonium ineundum, *si obtineatur dispensatio*. Item valerent, siquis ligatus voto castitatis tantum ad tempus, v. gr. ad biennium promitteret matrimonium: sic enim inirentur sponsalia exequenda tempore cessantis voti, sicut ab impubere tempore pubertatis.

1164. V. Ordines minores non dissolvunt utrinque sponsalia, quia non constituunt statum incompossibilem cum nuptiis. Si tamen sponsus invita vel inscia sponsa suscipiat ordines minores, solvuntur sponsalia ex parte sponsae, tum quia sponsus hoc modo censetur remittere sponsae jus suum in illam, tum quia est notabilis mutatio sponsi, qui per ordines etiam minores specialiter jam dedicatur cultui divino, et officiis Ecclesiasticis. *Sporer* de sponsal. num. 256. cum *Gobat* contra *Sanch.*

Casus III.

Pelagia, carnaliter cognita a Petro, desponsatur Philippo: ante nuptias anxia quaerit a Confessario, an Philippo sponso suo teneatur fateri, se esse defloratam. Interim Philippus subobscuram accipit notitiam de vitio; ideoque recusat celebrare nuptias, ad quas tamen, cum delictum non posset probare, compellitur a judice.

1165. *Q.* I. An teneatur Pelagia manifestare Petro vitium hoc occultum. R. Nisi gravida sit, licebit tacere et dissimulare defectum, quantum potest sine mendacio: imo (ut addit La *Croix* l. 6. p. 3. n. 182) potest post contracta sponsalia cogere sponsum ad matrimonium, tum quia *per se* hoc non officeret matrimonio, tum quia licet sponsus posset ob hujusmodi defectum, si eum sciret, etiam in poenam fractae fidei resilire, eique non servare fidem; sponsa tamen talem poenam non tenetur in se et per se ipsam exequi. Denique nimis durum esset obligare ad se diffamandum, vel abstinendum a matrimonio. *Sanch.*, *Burghab.* cent. 2. cas. 20. Ibid. tamen addit, quod nubendo peccet graviter, si probabiliter putet, quod sponsus defectum virginitatis sit deprehensurus, et valde aegre durante matrimonio laturus. Hinc dixi, *nisi gravida sit*: tunc enim vel deberet declinare matrimonium, vel vitium manifestare, quia alioqui sponsus post matrimonium deberet alere prolem alienam, et proles postea legitime nasciturae damnum inde paterentur. Vide *La Croix* l. c. n. 183.

1166. *Q.* II. An universim contrahens licite occultet, aut taceat defectum, quem si sciret alter, sponsalia probabiliter non contraheret. R. Si defectus multum noceret alteri parti, vel matrimonium redderet difficilius, vel plane impediret cohabitationem, qualis defectus est, epilepsia, oris graveolentia incurabilis, ut ait *Gobat.* de spons. n. 304., item morbus gallicus, lepra, gravis infamia etc., neutiquam liceret, quia per occultationem ejusmodi defectus alter graviter deciperetur: ideo tali defectu laborans debet vel a contractu sponsalitio abstinere, aut resilire, sive defectus ante, sive post inita sponsalia emerserit. Aliud est de levibus defectibus, aut ordinarie adhaerentibus, ut si foemina sit rixosa, impatiens, vel sponsus melancholicus etc. Vide *P. Sporer* de sponsal. n. 283. et seq.

1167. *Q.* III. An post sponsalia inita pars una notabiliter ditior vel nobilis facta possit ab altera jam impari resilire licite. R. Affirmativam quidem multi retinent cum *Illsung*, *Amico*, *Hurtado* et aliis: negativam autem tanquam probabiliorem plures neoterici tenent cum *Sanch.* L. 1. d. 59., *Palao*, *Konig*,

Coninck, et aliis. *Ratio* est, quia si pars una deterior non sit facta, iniquum est, ut ab altera parte privetur jure suo. Nec ullus erit, qui ei potestatem negabit jus suum prosequendi apud judicem: atqui per hoc, quod una pars evaserit ditior, altera non est reddita deterior: ergo.

1168. *Q.* IV. An notabilis deformitas sponsae superveniens sit respectu sponsi causa sufficiens dissolvendi sponsalia R. Probabilius *affirmative*; quia valde notabilis deformitas ab initio existens impedivisset sponsalia, ita ut sponsus forte horruisset tam deformem personam vel a longe intueri: ergo etiam superveniens eorum executionem juste impediet. *Excipe* casum, in quo propter solas divitias seposito omni intuitu personae jam antea contraxisset. Ita *Kugler* l. c. n. 101., *Illsung*, *Vallensi*, *Konig* et aliis contra *Covarr.*, *Matienza*, *Ludov.*, *Lopez* et alios.

1169. *Q.* V. An si uterque sponsus et sponsa cum aliis fornicentur, solus sponsus, an etiam sponsa juste possit resilire. R. Videtur utrique competere jus resiliendi, tum quia fornicatio est tacita, et virtualis renunciatio sponsalium, tum quia utrique datur sufficiens causa diffidendi de altero, quae fundabit vel maxime separationem animorum contra finem matrimonii. Ita *Palaus* de spons. d. 1. p. 25. n. 10., *Illsung*, *Tanner.*, 1. contra *Sanch.*, *Laym.* l. c. n. 12., *Sporer*, qui soli sponso in tali casu adjudicant jus resiliendi, propterea quod foedior et detestabilior sit incontinentia foeminae, quam viri. At respectu finis matrimonii uterque par esse videtur: 2. contra *Paludanum* et alios, qui contendunt, neutrum resilire posse, eo quod paria delicta pari compensatione tollantur, juxta c. *intelleximus*, de adult. Sed cum ibi decisio sit pro statu matrimonii, hinc pro ejus insolubilitate solum facta est.

1170. *Q.* VI. An resilire liceat sponso propter violentam sponsae oppressionem. R. *Affirm.* tum quia sponsa inde censetur multo vilior, tum quia can. *Raptor.* caus. 27. q. 2. permittitur sponso recedere a sponsa violente rapta: ergo a potiori, si fuerit violente oppressa. *Laym.* l. c. n. 11. ubi idem non concedit de sponsa, quae in somno inscia patitur fornicationem. *Palaus*, *Oberascher* et alii contra *Tabienam*, *Armillam* et alios. Idem dicendum de violenta oppressione ante sponsalia, si postea manifestetur, nisi pars innocens illam scivisset ante contractum, et tamen contraxisset.

Sectio II. *De Matrimonio.*

ARTICULUS I. De essentia, usu, obligationibus, et indissolubilitate matrimonii.

§. I. *Praenotanda de Matrimonio.*

1171. I. Nomen matrimonii a *Matre* derivatur, propterea quod sit quasi *munium* sive officium matris. Dicitur etiam *connubium* a velo, quo sponsae accepturae nuptialem benedictionem ex modestia obducebantur. Praeterea vocatur *conjugium* ab eodem jugo, cui uterque sponsus submittitur, juxta illud 1. Cor. 7. v. 4. *Mulier enim sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter et vir etc.*

1172. II. Matrimonium triplici modo considerari potest, 1. Ut est *contractus naturalis in officium naturae* ad propagandum et conservandum genus humanum. 2. Ut est *contractus civilis* ad affinitates, amicitias et foedera inter cives Reipub. sancienda. 3. Ut est sacramentum N. L. ad gratiam conjugibus communicandam, ut proles pie ac christiane educentur. Quatenus est contractus naturalis ac civilis, definitur: *Conjunctio maritalis viri ac foeminae legitime contrahentium individuam vitae societatem retinens.* Sic per modum contractus indissolubilis matrimonium jam olim Deus in paradiso instituit, *Gen.* 2. ut docet c. un. de vot. et voti redempt. in 6., et *Trid.* sess. 24. in

doctrina de Sacram. matrim. primario quidem in officium naturae ad propagandum et conservandum genus humanum; post peccatum vero succedente concupiscentia cessit in concupiscentiae remedium; in lege denique gratiae eumdem contractum Christus elevavit ad rationem sacramenti. Hinc ratio sacramenti ita innititur contractui, ut quando contractus ex quocumque essentiali defectu invalidus est, nec sacramentum existat. Sic definitur vel potius describitur a *P. Canisio: Sacramentum N. L. quo vir et mulier legitime contrahentes, individuam vitae societatem ineunt, gratiaque divina donantur, tum ut soboles honeste et christiane suscipiatur ac educetur, tum ut foedae libidinis et incontinentiae peccatum evitetur:* vel convenienter definitioni mox allatae: *Est conjunctio maritalis viri ac foeminae legitime contrahentium, individuam vitae societatem retinens, divinitus instituta in signum conjunctionis Christi cum Ecclesia, habens promissionem gratiae ad uniendos simul conjugum animos, et prolem pie ac christiane educandam.* Ita *Tournely* in praelect. theol. de 7. Eccles. Sacram. tom. 2. de Sacram. matrim. q. 1. Canon. 41. XXVII. q. 1. brevissime ait: *Nuptiarum bonum semper est quidem bonum, sed in populo Dei fuit aliquando legis obsequium, nunc est infirmitatis remedium, in quibusdam vero humanitatis solatium.*

1173. III. Porro matrimonium *in fieri* sive *active* sumptum consistit in actuali conjunctione per mutuum consensum, et contractum, quo initur matrimonium. *Passive* vero sumptum sive *in facto esse*, est ipsum vinculum matrimoniale, quod ex tali contractu provenit; consensus enim mutuus est potius causa efficiens, item est transitorius, matrimonium autem stabile est ac permanens: ergo rectius dicitur constitui in vinculo. Neque hoc vinculum, seu nexus perpetuus, quo conjuges inter se uniuntur dici debet effectus subsequens matrimonium; expresse enim ait *s. Thom.* in supplem. q. 44. a. 1. in R. ad 1. *Conjunctio illa vinculum est, quo conjuges ligantur formaliter, non effective.* Pariter essentia matrimonii non consistit in usu, seu carnali conjunctione Prob. 1. ex Matth. 1. v. 20. *Joseph fili David noli timere accipere Mariam conjugem tuam;* in quem locum *s. Aug.* l. 1. de nupt. et concup. c. 1. ait: *Conjux vocatur ex prima fide desponsationis, quam concubitu nec cognoverat, nec fuerat cogniturus: nec perierat, nec mendax manserat conjugis appellatio, ubi nec fuerat, nec futura erat carnis ulla commixtio. Prob.* 2. Eo ipso perficitur contractus matrimonii, quo conjuges mutuo sibi tradunt potestatem in sua corpora, etsi postmodum ea potestate nunquam usuri sint, quia usus rei, de qua contrahitur, non pertinet ad essentiam contractus: sed est quid consequens illam: nec necesse est, ut qui habet jus et dominium in rem, ea actu utatur, imo actuali usui libere renuntiare potest. Ergo. *Confirm.* ex reg. 30. ff. de R. I. *Nuptias non concubitus, sed consensus facit:* et c. *omnis res.* 4. XXVII. q. 2. *Matrimonium enim non facit coitus, sed voluntas.*

Neque dicas: S. Paulus ad Ephes. 5. satis clare innuit, carnalem conjunctionem pertinere ad essentiam matrimonii per illa verba: *erunt duo in carne una.* R. S. Apostolus non designat per haec verba actum, seu usum matrimonii, sed mutuam translationem dominii in corpus conjugis utriusque, ad quod dominium sufficit jus radicale, et in actu primo, licet per accidens aliunde impediatur. Adde, quod textus graecus l. c. habeat εἰς σάρκα μίαν, *in carnem unam.*

1174. IV. Matrimonium dividitur in legitimum, ratum, et consummatum. *Legitimum* est, quod solo legitimo consensu inter habiles personas contractum est juxta leges naturales et civiles. Talia fuere matrimonia in lege naturae et scripta, et adhuc sunt inter infideles, v. g. Turcas, Judaeos, et alios non baptizatos; haec tamen non habent rationem Sacramenti. *Ratum* est, quod inter baptizatos juxta leges Ecclesiasticas est contractum, cui tamen necdum accessit copula carnalis. Hoc includit quidem legitimum, sed insuper habet ratificationem Ecclesiae, et rationem Sacramenti. Sic *Innoc III.* in c. *quanto,*

de divortiis ait: *Etsi matrimonium verum inter infideles existat, non tamen est ratum. Consummatum* dicitur, quod accedente copula carnali completum est inter personas, quae legitime contraxerunt.

1175. V. De fide est, quod matrimonium baptizatorum sit verum N. L. Sacramentum. Sic *Trid.* sess. 24. can. 1. de Sacr. matrim. definit: *Si quis dixerit, matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis Evangelicae sacramentis a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre, anathema sit*: et S. Paulus ad Ephes. 5. v. 32. ait de matrimonio: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, et in Ecclesia* ibid. v. 25. Apostolus satis aperte significat, matrimonio annexam esse gratiae spiritualis promissionem, dum hortatur conjuges ad mutuam dilectionem non tantum carnalem, sed ad exemplum Christi: *Viri*, ait, *diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam*, l. c. v. 25. Est enim unio conjugalis signum unionis Christi cum Ecclesia: *Sacramentum hoc magnum est.... in Christo et in Ecclesia. Confirmatur* ex *S. Aug.* L. de bono conjugali c. 18.: *In Christianorum nuptiis plus valet sanctitas Sacramenti, quam foecunditas uteri.* Idem patet ex universalis Ecclesiae traditione, de qua *Trid.* sess. 24. ab initio disserte ait: *Cum igitur matrimonium in lege Evangelica veteribus connubiis per Christum gratia praestet; merito inter novae legis Sacramenta annumerandum sancti Patres nostri, Concilia, et universalis Ecclesiae traditio semper docuerunt.* Ex dictis igitur manifestum est, nullam deesse matrimonio conditionem ad verum Sacramentum: 1. enim est signum sensibile per mutuum contrahentium consensum externis signis expressum. 2. Est a Christo institutum. 3. Vim habet ad conferendam gratiam, eam scil. sacramentalem, vi cujus animi contrahentium conjungantur, proles pie ac christiane educentur, et foedae libidinis peccatum evitetur. Juxta illud *S. Aug.* L. 9. de Genes. ad lit. c. 7.: *Hoc nuptiarum bonum verum tripartitum est: fides, proles, sacramentum: in fide attenditur, ut praeter vinculum conjugale cum altera vel cum altero non concumbatur: in prole, ut amanter suscipiatur, benigne nutriatur, religiose educetur: in sacramento, ut conjugium non separetur.* Confert autem *per se* hoc Sacramentum gratiam secundam, quia est Sacramentum vivorum.

1176. VI. Matrimonii ut Sacramenti *materia remota, et circa quam* sunt corpora contrahentium nulla lege impedita (juxta aliquos consensus internus): *materia proxima, et ex qua* est consensus mutuus contrahentium, prout habet *rationem traditionis* juris saltem radicalis in corpora, signo aliquo externo sufficienter expressus. *Forma* vero est idem consensus mutuus, prout habet *rationem acceptationis* traditorum corporum, vel saltem juris radicalis in corpora, verbo aut alio signo externo manifestatae. *Ratio* est, quia Sacramentum matrimonii celebratur per modum contractus: ergo sicut in omni contractu res de qua contrahitur, est materia remota, consensus materia proxima, acceptatio autem rei firmat contractum et quasi formam imponit; ita etiam fieri censendum est in contractu matrimonii. *Minister* hujus Sacramenti juxta communiorem non est Parochus assistens, sed ipsi contrahentes; tum quia hi ponunt materiam et formam scil. mutuum consensum; tum quia ante *Trid.* valebat matrimonium clandestinum sine assistentia Parochi. Unde verba assistentis Sacerdotis: *Ego vos conjungo etc.* habent hunc sensum: Ego tanquam testis, auctoritate mihi concessa ab Ecclesia, matrimonium vestrum ratum habeo et confirmo. Ita tenent *Sotus, Bellarm., Suar., Henriq., Sanch.* l. 2. d. 5. Juxta contrariae sententiae patronos, qui admittunt cum *Melch. Cano, De Marca, Sylvio, Maldonato, Tournely* in praelect. Theol. de matrim. q. 3. assistentem Sacerdotem esse ministrum, praedicta verba: *Ego vos conjungo* etc. sunt forma Sacramenti matrim. Juxta eosdem ratio Sacramenti separari potest in fidelibus a ratione contractus. De his omnibus vide Theol. Schol. Quando a Christo matrimonium elevatum sit ad rationem Sacramenti, dissident DD.

Alii dicunt, hoc factum esse *Joannis* 2. dum Christus interfuit nuptiis. Alii vero cum *D. Antonino*, *Victoria*, *Sanchez* l. 2. d. 4. n. 4. affirmant. *Joann.* 2. approbatum esse, institutum autem *Matth.* 19. dum Christus sublato libello repudii matrimonii inseparabilitatem praecepit dicens: *Itaque jam non sunt duo, sed una caro: quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.*

§. II. *Principia generalia de essentia, indissolubilitate, et obligationibus matrimonii.*

1177. *Principium* I. Consensus ad matrimonium essentialiter requisitus primo debet esse *verus et mutuus*: quia matrimonium est serius inter duos contractus ultro citroque obligans. Unde si una pars ficte contrahat, graviter peccat ob deceptionem alterius in re gravi, et matrimonium pro tunc reddit invalidum. Juxta c. *Tua.* 26. de spons. et matrim. tenetur deceptor satisfacere parti deceptae. Vide dicta n. 1102. de ficta promissione sponsalitia. Item si una pars consentiat, altera suspendat assensum, nullum est matrimonium. Per *verus et mutuus* intelligitur etiam consensus propriis ipsorum contrahentium; quia hi soli, nulla vero alia potestas humana, habent potestatem suorum corporum ad tradendum eorum dominium in usum conjugalem. 2. Debet esse *consensus de praesenti*, quia per verba, sive promissionem de futuro fiunt tantum sponsalia. c. 31. de sponsal. et matrim. 3. Debet esse perfecte *deliberatus et voluntarius*, quia est contractus de re gravi, gravem utrinque post se trahens obligationem. Unde consensus datus in amentia, somno, plena ebrietate, aut ex metu gravi injuste incusso non sufficit. 4. Debet esse *consensus verbis vel signis externis manifestatus*; quia contractus matrimonialis est Sacramentum, ideoque est signum sensibile; item est contractus inter homines, non Angelos, requirens mutuam traditionem, et acceptationem coram Paracho, et testibus manifestatam: ergo necessario consensus matrimonialis debet exterius manifestari, *regulariter* quidem *verbis*, ut docet *Florent.*, vel aliis signis consensum mutuum sufficienter exprimentibus, *nam surdi et muti possunt contrahere matrimonium per consensum mutuum sine verbis*, juxta c. *Tuae fraternitati* 25. de spons. et matrim... 5. Debet esse *consensus inter personas habiles* ad valide et licite contrahendum matrimonium, quales censentur mas et foemina nullo impedimento dirimente vel impediente obstricti, aut per legitimam dispensationem habiles facti. Per se etiam intelligitur, quod consensus durans, non revocatus, et suo modo absolutus requiratur, ut dicetur in resol. casuum.

1178. *Princip. II.* Postquam *Trid.* annullavit matrimonia clandestina, duplex solemnitas matrimonii requiritur. *Prima* pertinet ad valorem (ubi *Tridentinum* est receptum) scil. *assistentia Parochi proprii* utriusque, vel saltem unius sponsorum *una cum duobus vel tribus testibus. Secunda* requiritur de praecepto, ut trinae praecedant denuntiationes. De utraque solemnitate *Trid.* sess. 24. in Decreto de reform. matrimon. c. 1. *praecipit, ut imposterum, antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter missarum solemnia publice denuntietur, inter quos matrimonium sit contrahendum; quibus denuntiationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie Ecclesiae procedatur, ubi Parochus, viro et muliere interrogatis, et eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat: Ego vos in matrimonium conjungo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, vel aliis utatur verbis juxta receptum uniuscujusque provinciae ritum. Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiose impediri posse, si tot praecesserint denuntiationes, tunc vel una tantum denuntiatio fiat, vel saltem Parocho, et duobus vel tribus testibus praesentibus, matrimonium celebretur. Deinde ante illius consummationem denuntiationes in*

Ecclesia fiant, ut, si aliqua subsunt impedimenta, facilius detegantur; nisi Ordinarius ipse expedire judicaverit, ut praedictae denuntiationes remittantur, quod illius prudentiae et judicio sancta Synodus relinquit. Qui aliter, quam praesente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi seu Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et hujusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos presenti decreto irritos facit et annullat. Insuper Parochum vel alium Sacerdotem, qui cum minore testium numero, et testes, qui sine Parocho vel Sacerdote hujusmodi contractui interfuerint, nec non ipsos contrahentes graviter arbitrio Ordinarii puniri praecipit. Plura ubi de impedimento clandestinitatis.

1179. *Princip.* III. Conjuges contrahentes matrimonium legitimum simul contrahunt generatim quadruplicem obligationem: 1. *mutuam mariti et uxoris*, quae consistit in redditione conjugalis debiti (nisi ambo mutuo consensu statuerint abstinere ab usu matrimonii sive copula carnali), item in fide intemerata thori, denique in individua vitae, pacis, et charitatis societate. De gravi obligatione reddendi debiti conjugalis ait *S. Paulus* 1. Cor. 7. v. 3. et. seq. *Uxori vir debitum reddat, similiter autem et uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi.* Eadem gravis obligatio patet ex ratione contractus mutui. 2. Obligationes propriae mariti ad uxorem sunt, eam sustentare, protegere, et ordinato amore prosequi: *Viri diligite uxores vestras* (ad Ephes. 5. v. 15.) *sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et se ipsum tradidit pro ea, ut eam sanctificaret* ... Ibid. *v.* 28. *Ita et viri debent diligere uxores suas, ut corpora sua: qui suam uxorem diligit se ipsum diligit. Nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam.* 3. Obligationes propriae uxoris ad maritum sunt, obedientia, reverentia, liberorum et familiae gubernatio competens. *Uxor autem timeat virum suum;* ad Ephes. 5. v. 33. ... 4. Obligationes communes marito et uxori respectu prolium sunt, dilectio, educatio corporalis et spiritualis. De quibus obligationibus egimus in P. I. de quarto praec. Decal. Ex his circa obligationem primam patet, tum quod usus conjugalis sit licitus et honestus, modo fiat 1. *debito jure*, h. e. ex valido matrimonii contractu: 2. *debito fine et circumstantia:* 3. *intra terminos honestatis naturalis.* De singulis in resol. cas.

1180. *Princip.* IV. Matrimonium consummatum inter baptizatos ex voluntate Christi est omnino indissolubile quoad vinculum. Patet ex Matth. 19. v. 6. *Itaque jam non sunt duo, sed una caro; quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Item ex Marci. 10., Lucae., 18. v. 18., et ex 1. Cor. 7. v. 10. *Iis autem, qui matrimonio juncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere; quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari, et vir uxorem non dimittat.* Et *Trid.* sess. 24. can. 5. definit. *Si quis dixerit, propter haeresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a conjuge, dissolvi posse matrimonii vinculum, anathema sit.* Ibid. can. 7. *Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit et docet, juxta Evengelicam et Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum, matrimonii vinculum non posse dissolvi, et utrumque vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud matrimonium contrahere, maecharique eum, qui dimissa adultera aliam duxerit, et eam, quae dimisso adultero, alii nupserit, anathema sit.*

1181. Dixi 1. *Matrimonium consummatum* etc. quia matrimonium *ratum* est solubile etiam quoad vinculum tum per *professionem religiosam*, tum

per *Pontificis dispensationem. Primum* probatur ex *Trid.* quod sess. 24. can. 6. de Sacram. matrim. definit: *Si quis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum per solemnem religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit.* Idem patet ex c. *verum.* 2. de convers. conjug. Quod autem textus Scripturae num. praeced. allegati intelligendi sint de matrimonio consummato quoad vinculi indissolubilitatem, declaratur tum ex ipsis verbis textus, tum ex c. *ex publico.* 7. de conv. conjug. ubi in fine ita habetur: *Sane quod Dominus in Evangelio dicit, non licere viro, nisi ob causam fornicationis, uxorem suam dimittere, intelligendum est secundum interpretationem sacri eloquii de his, quorum matrimonium carnali copula est consummatum.* Accedit ratio theologica, quod juxta communem catholicorum matrimonium consummatum significet conjunctionem Christi cum Ecclesia, sive verbi divini cum natura humana, quae conjunctio indissolubilis est; e contra matrimonium ratum significet conjunctionem Christi cum anima per gratiam, quae conjunctio dissolvi potest, et actu dissolvitur per peccatum mortale. *Secundum* probatur ex eo, quia, quod professio religiosa dirimat matrimonium ratum, non habetur ratione *voti*, ideoque non jure naturali, aut divino dirimit, sed ratione *voti solemnis*, quae *voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiae est inventa*, ut expresse innuit *Bonif. VIII.* in c. *Quod votum.* un. de voto in 6. Ergo cum Pontifex non quidem auctoritate humana, sed divinitus concessa possit per legem universalem ob professionem in religione approbata dissolvere matrimonium, id pariter poterit per dispensationem, quando id exigit causa valde gravis. *Confirmatur* ex eo, quod multi Pontifices jam dispensarint in matrimonio rato, uti *Gregor. VII., Eugen.*, et *Pius IV., Jul.* et *Paulus III.* et alii. Imo teste *Henriq.* L. 11. c. 8. n. 11. de matrim. *Gregor. XIII.* una die undecies dispensasse fertur in matrimonio rato: ergo. Vide *Pignatell.* t. 1. consult. 148., *Clericatum.* de Sacr. matrim. decis. 15. n. 13. et seq. ubi num. praecedentibus etiam referuntur graves rationes adversariorum.

1182. Dixi 2. *Matrimonium consummatum est omnino indissolubile quoad vinculum;* potest enim fieri justis et gravibus de causis divortium, sive separatio a thoro et mensa, vel (ut alii loquuntur) a lecto et tecto, manente nihilominus vinculo conjugali, ita ut neutra pars possit ante mortem unius inire aliud matrimonium. *Prob.* ex *Trid.* quod sess. 24. can. 8. de Sacr. matrim. ita definit: *Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter conjuges, quoad thorum, seu quoad cohabitationem, ad certum incertumve tempus fieri posse decernit, anathema sit.* Idem patet ex toto tit. 19. de divortiis L. 4. Decret. Potest autem divortium fieri 1. *pietatis causa*, v. g. quando ambo conjuges sine periculo incontinentiae mutuo consensu a thoro se separant; aut quando cum consensu uxoris maritus sacros ordines suscipit, aut unus de licentia alterius in religione approbata professionem emittit, quo casu altera pars remanens in saeculo castitatem vovere, vel pariter religionem ingredi debet. Sic c. 5. de convers. conjug. expresse habetur; *Nullus conjugatorum est ad sacros ordines promovendus, nisi ab uxore continentiam profitente fuerit absolutus.* Ibid. c. *cum sis* 4. *Alexander III.* ita statuit: *Auctoritate Apostolica prohibemus, ne in Episcopatu tuo virum vel uxorem (nisi uterque ad religionem migraverit) transire permittas*, scil. ad religionem. *Verum si ita uxor senex est, et sterilis, quod sine suspicione possit esse in saeculo, dissimulare poteris, ut, ea in saeculo remanente, et castitatem promittente, ad religionem transeat vir ejusdem.*

2. Divortium fieri potest *propter delictum unius*, unde parti innocenti datur justa causa petendi aut faciendi divortium. Sic divortium perpetuum quoad thorum et mensam petere vel instituere licet conjugi innocenti propter alterius adulterium carnale, consummatum, satis cognitum, et non remissum, licet pars adulterans sit invita et reconciliationem petat.

Ita communis fundata in jure naturali, quod permittit, ut frangatur fides illi, qui fidem fregit: item in jure divino *Matth.* 5. et 19. atque in jure Ecclesiastico c. 4. de divortiis, ubi ita habetur: *Si notorium est, mulierem ipsam adulterium commisisse, ad eam recipiendam praefatus vir cogi non debet, nisi constaret, ipsum cum alia adulterium commisisse.* Idem confirmatur ex c. 5. ibidem. Nomine adulterii etiam hic intelligitur sodomia et bestialitas, non tamen soli tactus turpes, oscula etc. Tunc autem propria auctoritate licet instituere divortium, quando adulterium est notorium notorietate juris vel facti, si vero non sit notorium, vel non satis certum, divortium petendum est a Judice Ecclesiastico: *Nemini enim licet* (auctoritate propria) *uxorem suam sine manifesta causa fornicationis dimittere.* c. 9. de spons. et matrim. Addit hic *P. Pichler* de divort. n. 10., quod *in foro interno*, si innocenti moraliter vel physice *certo* constet de adulterio compartis, cesset obligatio debiti, licet adulterium coram judice probari nequeat, quia matrimonium non aliter obligat ad thorum, nisi sub conditione, si servetur fides conjugalis. In foro autem externo, si adulterium non sit notorium, nec possit probari in judicio, divortium propria auctoritate instituere prohibet scandalum, et subinde etiam obstat specialis prohibitio judicis praeter c. 4. de divort. mox cit.

1183. *Ad tempus* autem (quamdiu scilicet causa separationis durat) potest fieri divortium 1. propter lapsum unius in haeresim, vel apostasiam omnimodam a fide Christiana. Patet ex c. 7. de divort. ubi ita resolvit *Innoc. III. Si alter fidelium conjugum vel labatur in haeresim, vel transeat in gentilitatis errorem, non credimus, quod in hoc casu is, qui relinquitur, vivente altero possit ad secundas nuptias convolare.* Ergo propter has causas non fit dissolutio quoad vinculum. Idem de haeresi patet ex *Trid.* sess. 24. can. 5. supra cit. *Urbanus* autem *III.* c. 6. de divort. resolvit: *De illa vero, quae viro suo labente in haeresim, ipsius consortium sine judicio Ecclesiae declinavit, videtur nobis, quod mulier... ei, cum reversus fuerit, est reddenda, quae etiam si reverti noluerit, compellatur. Si vero judicio Ecclesiae ab eo recessit, ad recipiendum eum nullatenus dicimus compellendam.* 2. Divortium temporale fieri potest *ob periculum animae*, quando unus conjugum instigat alterum ad gravia peccata, ut est sodomia, veneficium, latrocinium, furtum etc. quia jure naturali, divino et humano licet removere periculum ruinae spiritualis etiam cum incommodo illius, qui instigat ad illud. Vide can. 5. XXVIII. q. 1.... 3. *Ob periculum corporis*, quod ex unius morbo contagioso, v. g. lepra, lue venerea etc. imminet parti sanae. Vide c.1. de conjug. lepros. et seq. ib... 4. *Ob saevitiam unius*, v. g. si maritus uxorem nimis crudeliter tractet, vel si uxor insidias vitae mariti struat etc. c. *ex transmissa* 8. de restit. spoliat. 5. *Ob valde molestam cohabitationem* ex perpetuis jurgiis, discordiis ac rixis, si ab unius inveterata improbitate quotidie moveantur, nec prudenter credantur alia via posse impediri: ex his enim periclitatur salus animae et corporis. Haec tamen divortia temporalia requirunt auctoritatem judicis ad vitandum scandalum, quamdiu pars nocens non redierit ad frugem, vel periculum non cessaverit. *Pichler* de divort. n. 17.

1184. *Princip.* V. Causas matrimoniales adjudicare pertinet ad judicium Ecclesiasticum. Patet ex can. 12. sess. 24. *Trident. Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad judices Ecclesiasticos, anathema sit.* Quo ordine et forma, et coram quibus causarum matrimonialium judicia sint peragenda, erudite docet Constitutio *Bened. XIV.* quae incipit: *Dei miseratione.* Vide T. 1. ejusdem Bullarii p. 81. Idem Pontifex de lege: *Ne quis:* eod. de *Judaeis* (ubi agitur de matrimonio Judaeum inter et Christianam) expresse ait, *quod haec lex, utpote a laico Principe condita, nullam habere vim in matrimoniis debeat.* Tom. III. ejusd. Bull. epist. II. quae incipit: *Singulari nobis consolationi* §. 7.

1185. *Princip.* VI. Polygamia simultanea, qua vir unus simul habeat plures uxores, prohibita est jure divino, naturali, ecclesiastico et civili. Dixi 1. *jure divino*, ut patet ex ipsa institutione matrimonii a Deo facta in paradiso, dum Gen. 2. v. 24. praecipit: *Adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una.* Ad quem statum primaevum Christus reduxit matrimonium, Matth. 19. Praeterea pluralitas uxorum repugnat sacramentali significationi matrimonii, cum non possit significare unionem unius Christi cum una ejus sponsa Ecclesia. Dixi 2. *jure naturali*, non quidem *absoluto*, ut multi contra multos defendunt, quasi esset ita intrinsece malum habere plures simul uxores, ut nunquam etiam ex dispensatione divina possit fieri licitum, sicut odium Dei nunquam potest fieri licitum; sed *conditionate* tantum, scil. nisi Deus ex supremo suo dominio in corpora nostra dispenset, sicut in V. T. dispensavit cum Abraham, Jacob, et David. Ideo autem a DD. asseritur simultanea pluralitas esse contra jus naturale, quia repugnat saltem finibus secundariis nuptiarum. *Primo* quidem parem in viri corpus habet potestatem uxor, ac vir in corpus uxoris: ergo sicut mulier tradere non potest jus in corpus suum alteri viro, ita nec vir tradere poterit jus in corpus suum secundae, vel tertiae, vel pluribus uxoribus. *Confirm.* Repugnat rem venditam et traditam uni, denuo alteri tradere: ergo a pari. 2. Inter fines matrimonii absque dubio lege naturali computari debet animorum intima conjunctio, individuae vitae societas, pax in re familiari, filiorum liberalis educatio etc. Atqui pacificae cohabitationi, conjunctioni animorum repugnat pluralitas uxorum, quae non facile inter se, et cum ipso marito forent concordes tum propter foecunditatem unius, et sterilitatem alterius, ut patet in Sara et Agar. Dixi 3. *jure Ecclesiastico*: sic *Trid.* sess. 24. can. 2. definit: *Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum, anathema sit.* Vide c. *si quis.* 9. XXXII. q. 7., totum titulum *de sponsa duorum*, c. *gaudemus*, de divort. l. 1. ff. de his, qui not. infam. l. 2. c. de incest. nupt. Item *ex poenali ordinatione Caroli V.* art. 121. Adde ordinationem criminalem *Josephi I.* art. 19 §. 25. ubi in polygamiam statuitur poena gladii. Ex his eruitur, quod magis adhuc prohibita sit *polyandria*, ut una uxor plures simul habeat viros, cum hoc magis repugnet generationi, et bonae educationi prolis; neque in polyandria unquam a Deo dispensatum fuit, neque illa ab ulla gente etiam barbara unquam permissa est.

Denique dixi, *polygamia simultanea:* quia successiva post mortem unius permissa est, teste Apostolo ad Rom. 7. v. 3. *Igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro; si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro.* Idem habetur 1. Cor. 7. v. 39. Haec tamen polygamia successiva, quae etiam vocatur bigamia, inducit irregularitatem, uti dicetur Tractat. ultimo.

§. III. *Resolvuntur Casus.*

Casus I. De contractu matrimonii.

Petronius cum Pelagia matrimonium contracturus praemissis trinis proclamationibus statuto die comparet coram Parocho et testibus. Dum interrogatur a Parocho de consensu, capite tantum annuit; sponsa prae gaudio incipit flere, et praeterea nihil respondens porrigit manum.

1186. *Q.* An utrinque censeri possit adfuisse sufficientem consensum. R. *Affirmative.* Ex parte sponsi sufficienter denotabat consensum annutus: solo enim nutu valide et licite fiunt alii contractus, nec constat de praecepto, quod sola verba formalia necessario requirantur. Imo consensus saepe aliter exprimi non potest, sicuti in muto: nihilominus ad praecavenda plurima incommoda praestat verbis formalibus uti, ideoque in solemni benedictione monendi sunt contrahentes, ut expressis verbis annuant. Sponsa pariter consensisse praesumenda

est hoc ipso, quod libere accesserit, nec contradixerit, sed juxta morem ad confirmandum consensum porrexit manum. De signis exprimentibus consensum, item de verbis certo vel dubie exprimentibus illum, fuse agit *P. Kugler* de matrim. p. 1. c. 1. §. 6. et 7. a n. 50. et seq. Vide etiam *Schmalzgrueber* tit. 1. de spons. n. 275. His tamen studio non immoramur, cum post *Trid.* in contrahendis matrimoniis coram Parocho et testibus non tolerentur signa ambigua, et in Ritualibus exprimantur tales verborum formae, queis certo significatur consensus.

Casus II. De ficto consensu.

Plutarchus ex Hollandia in Franconiam redux urgentibus parentibus tandem absque animo vere contrahendi, sed accipiendi largam a parentibus et sponsa pecuniam in facie Ecclesiae init matrimonium cum Christina. Post nuptias clam redit in Hollandiam, ibidem cum Alexandra valde sibi nota contracturus; prius tamen rem aperit Sacerdoti Catholico, cujus suasu redit in patriam, et cohabitat cum Christina.

1187. *Q.* I. An et quomodo peccaverit Plutarchus ficte contrahendo matrimonium. R. Duplex commisit peccatum grave, injustitiae et sacrilegii; quia Christinae bona fide se obliganti ad matrimonium in re gravi gravem intulit injuriam; ac praeterea contra reverentiam Sacramenti egit: sacrilegii enim reus est minister ficte signa Sacramenti adhibens. *Laym.* de matrim. c. 6.

1188. *Q.* II. An valeat hoc matrimonium. R. Non valet; sine consensu enim matrimonium non subsistit, ut patet tum ex natura contractus, tum ex c. 14. et 26. de sponsal.

1189. *Q.* III. Ad quid Plutarchus in utroque foro sit compellendus. R. 1. In foro externo compelli debet ad cohabitandum cum Christina, quia pro valore matrimonii stat praesumptio violenta et vehementissima, cum propriis verbis coram Parocho et testibus contraxerit: ideoque in hoc foro non creditur Plutarcho alleganti etiam cum juramento fictionem, quia in causis valde arduis, qualis est matrimonialis, locum non habet juramentum suppletorium, praesertim in favorem proprium, sed requiruntur probationes luce meridiana clariores, dum agitur de matrimonio dissolvendo. Ita *Laym.* l. c. n. 3. ex c. *per tuas* de prob. et l. *generaliter*, *C. de non numerata pecunia.*

R. 2. In foro interno credendum quidem est Plutarcho asserenti fictionem; valet enim pro hoc foro regula *S. Thom.* quodlib. 1. a. 12. *In foro judiciali creditur homini contra se, sed non pro se simpliciter asserenti; in foro autem poenitentiae creditur homini pro se et contra se.* Nihilominus modis omnibus prohiberi debet, ne matrimonium cum tertia contrahat, sed praestito consensu vero redintegret matrimonium ficte initum; tum quia alio modo injuriam Christinae illatam, (praesertim si copula accesserit) nequit compensare; tum quia contractus saltem innominatus hic intercessit. Deinde vix poterit alia via tollere scandalum ex ficto matrimonio solemniter celebrato publice divulgandum, neque hic debet absolvi in confessione, donec deceptae sponsae satisfacere plene statuat. Refert tamen *P. Laymann* l. c. n. 2. quosdam casus, in quibus deceptor non ad matrimonium, sed ad compensandum alio modo damnum obligandus est: 1. Si decepta pro virgine se falso jactaverit, sic deceptio deceptione quasi compensatur. 2. Si ex tali matrimonio infelices exitus merito timeantur. 3. Si decepta, cognita deceptione, aliam damni compensationem sponte accipiat. 4. Si deceptor, non exspectata Ecclesiae sententia, et derelicta putatitia uxore, aliam valide duxerit.

1190. Quid si talem deceptorem, dum aliam duxit, judex Ecclesiasticus propositis censuris compellat ad primum matrimonium? Respondet *Laym.* ib. cum *S. Th.* in supplem. q. 45. a. 4. Si nulla ratione effugere possit, quominus deserta posteriore legitima uxore, priori putatitiae adhaereat, potest quidem illi

aliquamdiu cohabitare; potius tamen excommunicationis sententiam secundum forum externum sustinere debet, quam ut in copulam consentiat, quia id foret verum adulterium, quod judex ecclesiasticus jubere non potest. Vide etiam c. *Inquisitioni*, de sentent. ex omm.

1191. *Q.* IV. Quomodo revalidandum sit matrimonium Plutarchi cum Christina ficte initum? Respondent graves AA. cum *Sanch.* L. 2. d. 32. n. 9. et *Laym.* l. 5. t. 10. c. 6. satis esse, ut ille, qui non legitime consensit, adhuc consentiat, dummodo altera actu vel virtute praestitum consensum non revocarit; quia in tali contractu ex una parte ficto nihil deest naturali aut divino jure requisitum, nisi consensus illius, qui ficte contraxit; supponitur enim, quod consenserit altera pars absolute, nec revocarit consensum: ergo si solus accedat verus consensus loco prioris simulati, licet parte altera inscia, convalescet contractus. Citat pro hac sententia *Sanch.* l. c. multos et graves AA. ibique infert 1. in tali casu non oportere alteri conjugi manifestari, matrimonium fuisse invalidum, quia hoc tantum necessarium est, ubi novus ipsius consensus exigitur, qui in hoc casu non requiritur: 2. satis esse solum consensum internum ab eo ponendum, qui antea ficte consensit, quia externum consensum jam praebuerat, et solus internus desiderabatur; ergo satis est hunc supplere: ideoque 3. non esse necessarium, ut matrimonium iterum celebretur coram Parocho et testibus, utpote qui jam contractui externo astiterunt: hic autem proprie non celebratur matrimonium, sed tantum suppletur defectus interni consensus. Hanc sententiam confirmat *Sporer* hic n. 465. ex declaratione *Pii V.* et Congregationis Cardinalium, teste *Barbosa*, ibique fuse probat, quod quando matrimonium invalide est contractum ob impedimentum occultum coram Parocho et testibus, necesse non sit iterum adhibere Parochum et testes, sed quod sufficiat supplere defectum, v. g. ex parte consensus. Denique alii cum *Ledesma, Pontio et Comitolo* novum utriusque partis consensum requirunt, tum quod decepta non censeatur consensisse, nisi et altera pars consenserit, tum quod consensus sponsae non fuerit acceptatio corporis vere traditi, sed ficte oblati, quae sententia non caret sua probabilitate, praesertim cum aliquo modo agatur de valore sacramenti: ideoque in praxi suadendum, ut Parochus praemisso pio colloquio in praesentia bonorum amicorum ex talibus conjugibus conetur elicere novum consensum, quaerendo v. g. nonne nihil aliud vultis, nisi ut in matrimonio pacifice, et sicut decet bonos ac Christianos conjuges, vivatis? sic facile uterque affirmative respondebit, quin pars innocens de praeterita fraude quidquam advertat.

Porro hic adverte de revalidando matrimonio invalide contracto propter impedimentum utrique contrahentium notum: si matrimonium sit nullum propter aliquod impedimentum indispensabile, cui ambo conjuges sibi conscii sunt, debent separari saltem a thoro, si subsit periculum incontinentiae, aut si impedimentum sit publicum, etiam quoad cohabitationem: si vero impedimentum sit dispensabile, petenda est dispensatio; interim autem abstinendum a copula. Obtenta dispensatione debet poni ab utraque parte novus consensus, et quidem si possit fieri, probabiliter coram Parocho et testibus, uti dictum est n. praeced.

1192. *Q.* V. Quid agere debeat Confessarius, si in confessione deprehendat impedimentum dirimens ante, aut post matrimonium contractum? R. 1. Si ante matrimonium contractum advertat, omni modo hortetur; ut desistant a contrahendo, vel saltem differant, donec impetraverint dispensationem.

Quid, si parata sint omnia ad nuptias, urgeat infamiae periculum, vel alia gravia damna prudenter timeantur? R. Si his rationibus ita adhaereant contracturi, ut a contractu nolint desistere, suadere debet unicum remedium (quod *Pontius* l. 5. c. 35. vocat rationabile) ut non contrahant absolute de praesenti, sed sub conditione, *si Papa dispenset*, animo interim cohabitandi instar fratris et sororis; ita ut nullos actus turpes exerceant, multo minus matrimo-

nium consumment, donec Papa dispensaverit. *Ratio* est, quia necessitas videtur excusare tales sponsos, qui bona fide coguntur adjicere conditionem utramque; prima quidem de impetranda prius dispensatione de se in ejusmodi circumstantiis prohibita non est, nec aliunde obstat valori contractus matrimonialis; alteram vero de cohabitatione instar fratris et sororis jus ipsum permittit in eo casu, quo vel ambo vel alteruter sponsorum primo bimestri deliberat de ingressu in religionem: ergo etiam in hoc casu ex gravissimis causis permissa videtur. Vide *P. Burghaber* cent. 2. cas. 100.

R. 2. Si Confessarius advertat impedimentum post contractum *mala fide* matrimonium, h. e. cum ipsi contrahentes antecedenter vel sciverint, vel saltem dubitaverint de valore, debet 1. indicare (intellige, poenitenti in confessione, extra quam id revelare nunquam licet) matrimonium esse nullum, et necessario vel dissolvendum, vel si possit fieri, revalidandum per dispensationem; interim vero utrique abstinendum a copula, aliisque actibus venereis, quia uterque mala fide supponitur contraxisse, et possessio m. f. coepta nullum jus tribuit in dubio. 2. Si vero unus conjugum *certo* sciat, vel in, vel post contractum matrimonium impedimentum dirimens adesse, nec petere, nec reddere licite potest debitum, sed *potius* (ut respondet *Innoc. III.* c. *inquisitioni* 14. de sentent. excom.) *debet sententiam excommunicationis sustinere, quam per commercium carnale cooperari peccato mortali* ; ille enim actus putatitie conjugalis esset fornicatio, cum certo sciat non esse verum matrimonium ; et licet pars in bona fide existens petendo debitum non peccet, valide tamen id petere nequit, quia ex matrimonio invalido jus petendi valide non accipit. Dixi, *si certo sciat* : si enim unus conjugum dubitet, aut credat *ex causa probabili et discreta, quamvis non evidenti et manifesta* adesse impedimentum, *debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet :* si vero id credat ex causa *levi et temeraria* (deposita conscientia dubia) potest reddere et exigere debitum. Ita in eod. c. *inquisitioni*, mox laudato. Vide *p. Sporer* t. 4. c. 2. n. 371. et seq., et dicta in P. I. a n. 68.

R. 3. cum *Bonacina* de imped. matrim. q. 3. puncto ult. et aliis ibid. cit. Confessarius non tenetur admonere poenitentem, qui invalide contraxit matrimonium ex ignorantia invincibili juris et facti, quando certo nullum sperat fructum ex monitione, sed certo praevidet grave scandalum, vel alia damna inde oritura : item quando scit, dispensationem non posse impetrari, monitionem autem fore frustraneam, eo quod admonitus adhuc sit accessurus ad uxorem, quam nunc scit, non esse suam. *Ratio* est, quia actus frustraneus nullibi praecipitur, et inter majora mala non evitanda minus semper est eligendum. Qui sequuntur *Paludanum* in 2. sent. d. 34. q. 1. procedunt ex hoc dictamine; quod ignorantia invincibilis impedimenti dirimentis, sive legis irritantis non obsit valori actus contra legem positi.

E contra Confessarius tenetur monere talem poenitentem 1. quando monitio speratur profutura, sine scandalo et damno; item quando facile impetrari potest dispensatio: 2. quando adest periculum damni communis, scil. quando plures sciunt hujusmodi impedimentum, et inde scandalizantur; tunc enim bonum commune praevalet privato: 3. quando poenitens dubius post contractum matrimonium redditur, et interrogat de impedimento: 4. quotiescumque ignorantia est invincibilis, et culpabilis. Vide dicta n. 762.

Denique quilibet alius, qui extra confessionem impedimentum dirimens certo aut probabiliter sciat, debet illud sub gravi obligatione manifestare parocho, vel alteri Superiori Ecclesiastico, quia in hunc finem praemittuntur denunciationes.

Casus III.

Placidus et Pulcheria neo-sponsi ad exemplum S. Elzarii et B. Delphinae mutuo consensu ante nuptias post consuetam S. Communionem ambo per-

petuam castitatem in matrimonio servandam vovent, ac postea coram Parocho et testibus contrahunt.

1193. *Q.* An valeat matrimonium, quod contrahitur sub pacto vel sub voto servandi castitatem, item nunquam exigendi debitum conjugale. R. *Affirmative*; tum quia ejusmodi pactum, votum vel conditio non est contra substantiam matrimonii, quae plus non exigit, quam ut detur jus mutuum in corpora in actu primo, licet hoc per accidens aliunde ligetur; tum quia conjuges toto tempore conjugii possunt licite abstinere a copula: ergo etiam sub pacto vel voto ad hoc se possunt obligare.

Si dicas: juxta c. fin. de condit. appos. haec conditio, *si generationem prolis evites*, est contra substantiam matrimonii, ergo etiam haec: *si castitatem servaveris*. R. D. antec. Est contraria substantiae matrimonii, si evites generationem prolis positive, et immediate in se, v. g. procurando abortum C. Si evites negative, abstinendo a copula N.

1194. Ad plures casus de essentia contractus matrimonialis resolvendos breviter *observa* I. Quamvis expresse in jure non prohibeantur matrimonia inita sub conditione de praesenti, praeterito vel futuro, dummodo conditio non sit turpis, impossibilis, aut repugnans substantiae matrimonii (uti innuit *Urbanus III.* c. *super eo*, de condit. appos.), recte tamen monent *Tamb.*, *Gobat*, et *Sporer* hic n. 326. ut a Parocho non admittantur, nisi ex causa gravissima, in promissione de praesenti conditiones praesertim de futuro, v. g. si sponsus officium obtinuerit, sed prius exspectetur conditionis eventus, quam matrimonium celebretur per verba de praesenti; tum quia ex ejusmodi conditionibus non subsistentibus vel non impletis, et consequenter ex nullitate matrimonii oriri possunt gravia incommoda, scandala, et dissensiones; tum quia tales conditionate contrahentes facile sibi persuadebunt, ante eventum conditionis licitos sibi esse actus conjugales.

1195. II. Quamvis conditio de praesenti vel praeterito non suspendat matrimonium quoad valorem, sicut conditio de futuro, suspendit tamen quoad usum licitum, donec impletio conditionis cognoscatur, quia alioquin contrahentes se exponunt periculo fornicationis, si forte conditio non subsistat. Porro in praxi quidem tutius est, ut ii qui sub conditione contrahunt, impleta postmodum conditione novum ponant consensum: speculative tamen loquendo absolute id necessarium non est; cum enim consensus ille referatur in eventum conditionis, nec ab alterutro, uti supponitur, sit revocatus, etiam perseverare censetur usque ad conditionis eventum. Eodem modo sentiendum de praesentia Parochi post impletam conditionem. Denique si ante eventum conditionis accesserit copula, probabilius convalescit, et absolutum evadit matrimonium, quia tunc uterque conjux *videtur recessisse a conditione apposita*. Ita c. *per tuas*. 6. de condit. appos.

1196. III. Ad contractum matrimonii essentialiter quidem pertinet translatio juris corporis, et acceptatio illius ex parte sponsi et sponsae; necesse tamen non est, ut illa translatio expresse intendatur, sed sufficit, quod uterque facere velit id, quod fit per contractum matrimonialem, vel sicut solet contrahi in Ecclesia Dei. Ita communis.

1197. IV. Valide etiam contrahitur matrimonium per procuratorem, ut patet ex praxi, et ex c. *Procurator* 9. de procuratoribus in 6. ubi tria decernuntur: 1. quod procurator ad contrahendum pro altero matrimonium debeat habere speciale mandatum: 2. quod procurator non possit deputare pro se alium, nisi hoc specialiter sit ei commissum: 3. si procurator, antequam contraxerit, a domino fuerit revocatus (licet insciis sponsa et procuratore), matrimonium postea contractum erit nullum. Debet autem procurator contrahere coram Parocho et testibus: quia praestare id, et eo modo, quod et quo modo essentialiter requisito, principalis praestare tenetur. *Excipe*, quod procurator contrahendo non debeat esse in statu gratiae, et consequenter non peccet de novo,

contrahendo in tali statu; quia hic non suo, sed sui principalis nomine agit; ergo cum principalis contrahens sit minister et suscipiens hoc Sacramentum, ipse debet esse in statu gratiae, non quidem necessario illo tempore, quo procuratorem constituit, sed tunc, quando judicat, procuratorem actu contrahere. *Sporer* hic n. 325. contra alios, qui affirmant, non requiri, ut procurator coram Parocho et testibus contrahat. Si principalis in amentiam inciderit post datam commissionem, vel eo tempore, quo per procuratorem completur contractus, *Pontius*, *Lugo* de Sacram. d. 8. n. 108., *Diana*, *Aversa*, *Kugler* de matrim. p. 1. c. 4. post §. 10. q. 10. n. 439. contra *Sanch.*, *Henriq.*, *Bonac.*, *Arriag.* et alios multos dicunt, matrimonium fore invalidum, quia sicut mandatum expirat morte mandantis, ita videtur expirare mandante facto furioso, vel amente, ut habetur L. *qui servum* 47. et L. *si quis alicui* 48. ff. de acquir. haeredit. *Quid*, si principalis dormiret, vel ebrius esset tum, quando procurator contrahit? R. Esset validum matrimonium, quia persisteret adhuc intentio habitualis, imo per procuratorem agendo plusquam habitualis, sed virtualis. De aliis modis inter absentes contrahendi matrimonium per epistolam vel nuntium, vide *La Croix* l. 6. p. 3. n. 258. et n. 264., *Kugler* l. c. q. 11. Quod valide contrahatur matrimonium per interpretem, quando vel ipsi contrahentes se non intelligunt, vel Parochus et testes eorum idioma non callent, affirmat *communis* cum *Sanch.* L. 3. d. 39., *Bossio*, et *Diana*; quia et alii contractus legitime fiunt per interpretem, imo et confessio sacramentalis: ergo a pari.

1198. V. Licitum est matrimonium conscientiae, quod dicitur ad *morganaticam* seu *Lege Salica* contractum. *Ratio* est, quia tale matrimonium nihil aliud est, quam legitima conjunctio viri illustris cum foemina inferioris conditionis in facie Ecclesiae, eo pacto inita, ut uxor et liberi ex ea nati dono nuptiali (quod *morganatica* dicitur), vel alia certa portione tempore sponsalium destinata sint contenti, et a ceteris bonis avitis ac paternis sive propriis, sive feudalibus una cum titulis, dignitatibus, et insignibus abstineant; atqui tale pactum non est contrarium substantiae matrimonii, sed tantum effectus quidam civiles amputantur; ergo. Praeterea honestas talis matrimonii satis patet ex fine bono et honesto, scil. tum ut bona familiae conserventur pro liberis prioris matrimonii vel agnatis, tum ut in non valente se continere, vel si paris conditionis uxorem habere nequeat, evitetur periculum illiciti concubitus, uti insinuat tit. 29. L. 2. feudal. Plura de hoc vide apud *Konig* super tit. de sponsal. num. 91., *Krimer* in L. 4. Decret. num. 556., et *Kugler* loc. cit. a n. 461.

1199. VI. Probabilius sponsi in peccato mortali constituti non peccant dupliciter indigne suscipiendo et administrando hoc Sacramentum, sed graviter tantum delinquunt indigne suscipiendo; quia solus minister qua talis peccat graviter, qui ad administrandum Sacramentum specialiter est deputatus et consecratus: ideo juxta c. *quaesitum*. fin. de tempor. Ordin. soli Sacerdotes et Clerici sub interminatione divini judicii monendi et obtestandi sunt, ne, antequam poenitentiam egerint, Sacramenta administrent. *Suar.* t. 5. de Sacr. d. 16., *Sanch.*, *Laym.*, *Bonac.*, *Filiuc.* contra *Hurtad*, *Perez* et alios. Vide etiam n. 54. supra de Ministr. Sacram.

1200. VII. Matrimonium infidelium sive non baptizatorum, quamvis sit contractus pure civilis, jure tamen naturali indissolubilis est, excepto unico casu, dum unus conjugum convertitur, nec potest sine animae periculo, sine blasphemia, aut alia injuria Creatoris parti infideli cohabitare, ut patet ex epist. 1. ad Corinth. c. 7. v. 15. item ex c. *quando* 7. et ex c. *gaudemus*. 8. de divort. In hoc casu conversa potest discedere ab infideli et alteri nubere: prius tamen, quam transeatur ad alia vota, infidelis interrogari debet, an absolute recuset cohabitare, vel nonnisi cum contumelia Creatoris, h. e. cum execratione Christi nominis et despicientia Christianae Religionis. Ita *Benedictus XIV.* L. 6. de Synod. c. 4. n. 3. Ibid. addit, quod si absit infidelis, vel lateat, ita ut interrogari non possit, tunc petenda sit dispensatio summi Pontificis, antequam

cum alio contrahatur. Huic sententiae adhaesisse testatur S. Congregationem Concilii anno 1722. *Si vero alter fidelium conjugum vel labatur in haeresim, vel transeat ad gentilitatis errorem, non credimus, quod in hoc casu is, qui relinquitur, vivente altero, possit ad secundas nuptias convolare*, ait *Innoc. III.* in cit. c. *quando*. Eodem modo expresse *Bened. XIV.* in Constit. 89. quae incipit: *inter omnigenas*, et habetur in tom. 1. Bullar. §. 12. resolvit: *Quod si alicujus fidelis uxor ad Turcas confugiat, et cum aliquo ex istis nefarias nuptias contrahere audeat, non licet viro aliam uxorem in illius locum ducere; quum matrimonium jure divino conjugibus superstitibus indissolubile, per hujusmodi mulieris facinus minime dissolvatur. Unde qui in tali casu alteram ducit moechatur, et nisi ab ea omnino separetur, a Sacramentis arcendus est.*

Desere spernentem, vel blasphemare volentem,
Vel te credentem scelus ad mortale trahentem:
Non sunt absque mora sic vincula rupta priora.

1201. VIII. Si infideles matrimonium contraxerunt cum impedimento dirimente tantum ex jure ecclesiastico, v. g. consanguinitatis aut affinitatis, verum ac validum manet post eorum conversionem; quia in infidelitate contrahentes non obstringebantur legibus ecclesiasticis, ut patet ex cit. c. *gaudemus*. Secus si fuerit contractum cum impedimento ex jure naturali dirimenti, v. g. quando pater filiam, et frater sororem duxerat. *Laym.* l. c. n. 6. Quaestio, an matrimonium infidelium post utriusque baptismum transeat in Sacramentum, utrinque defenditur a TT. Negativam tenet *Esparza* l. 10. q. 112. a. 6., *Illsung*, *Perez*, *Krimer* n. 352. et alii. Affirmativam vero *Bellar.* l. 1. de matrim. c. 5. sub fin., *Sanch.*, *Laym.*, *Gobat* tr. 10. n. 390. Hi qui affirmant, iterum dupliciter rem explicant; alii enim cum *Sanch.* et *Gobat* dicunt, matrimonium infidelium transire in Sacramentum per ipsum baptismum, alii e contra cum *Laym.* l. c. insuper requirunt novum consensum, quamvis non requirant assistentiam Parochi, aut benedictiones; quam sententiam *P. Kugler* l. c. q. 7. n. 405. merito vocat securiorem et probabiliorem, quia sic facilius assignatur materia et forma talis matrimonii evecti ad statum Sacramenti, et melius ostenditur causa omnimodae indissolubilitatis. In praxi quoque tutius erit pro valore Sacramenti, si novus consensus ponatur in facie Ecclesiae, et recipiantur simul consuetae benedictiones. Denique communissima sententia *Sanchesii* l. 2. d. 8. n. 2. est contra *Sotum*, *Catharinum* et alios, si fidelis ex dispensatione Pontificis contrahat matrimonium cum infideli, matrimonium non sit Sacramentum ex parte fidelis; quia sicut matrimonium est unicus contractus duorum, qui nequit claudicare, vel esse tantum in uno, sic etiam ratio Sacramenti nequit esse tantum in uno.

1202. IX. De matrimoniis Catholicorum cum haereticis *Bened. XIV.* L. 6. de Synod. Dioeces. §. 3. erudite probat, quod *Ecclesia iisdem fere legibus, quibus Christianis interdixit, ne connubia inirent cum infidelibus, Catholicos pariter a sacrilegis nuptiis cum haereticis contrahendis deterruerit* ... et ibid. atque in Constit. 34. quae incipit: *Matrimonia* addit: *Iis igitur in provinciis, in quibus ejusmodi conjugia non sine sacrorum canonum contemptu passim celebrantur, debet Episcopus, in sua praesertim synodo, ab illis in propriarum animarum perniciem contrahendis Catholicos absterrere*. Idem tamen clare in T. III. Bullarii sui, in epist. 2. quae incipit: *Singulari nobis consolationi*. §. 11. asserit, *illicita quidem, sed rata esse matrimonia catholicorum cum haereticis*.

1203. X. Juxta communiorem et moraliter certam sententiam (sicut eam vocat *Suarez* t. 3. de virtut. et statu Relig. l. 7. c. 1. n. 19.) sufficit coexistentia moralis consensus utriusque contrahentis, v. g. siquis prius consentiat, ac de-

mum illo consensu non revocato, sed tacite durante consentiat alter ex intervallo; tum quia hoc sufficit in aliis contractibus, ut patet; tum quia nulla lex exigit necessario coexistentiam physicam, aut immediatam consensuum successionem, uti volunt quidam apud *Cardenas* in Crisi Theol. d. 56. n. 477.

1204. XI. Valet matrimonium contractum ex vehementi passione, v. g. irae, amoris etc. nisi constaret mentem a passione ita fuisse abreptam, ut non adfuerit tanta deliberatio, quanta ad peccatum mortale sufficit et requiritur, quod tamen nec praesumitur, nec nisi rarissime fieri solet. *Ratio* est, quia plerumque homines ex ejusmodi passionibus graviter peccant: ergo censentur habuisse sufficientem deliberationem: ergo etiam sufficientem habent ad se obligandos Deo vel homini. Adde, quod concupiscentia augeat voluntarium: ergo actum non facit irritum. *Sanch.* L. 2. d. 8. n. 5.

1205. XII. Juxta *P. Kugler* hic q. 31. n. 618. cum *Fagnano, Bossio* et aliis probabilius est, quod in furioso lucida intervalla habente praesumendum sit, ab eo contractum esse matrimonium tempore lucidi intervalli, non in furore, contra *Sanch., Pirrhing* et alios, ita ut pro valore actus judicandum saltem in causa matrimoniali. *Ratio* est, quia contraxisse coram Parocho et testibus aliam non fundat praesumptionem, nisi contractum fuisse eo modo, quo solet contrahi a sanis hominibus; alias, si adfuisset signum dementiae, Parochus et testes debuissent contractum impedire. Praeterea non potest praesumi, quod pars altera cum summo suo damno consensisset, aut non statim resiliisset, si advertisset, compartem esse furiosam: ergo postmodum audienda non est, quia stat praesumptio contra eam.

1206. XIII. An matrimonia ex gravi metu injuste incusso contracta sint jure naturae irrita, utrinque defenditur, ut videre licet apud *P. Kugler* q. 32. n. 624. et seq. Communior tamen et probabilior sententia tenet, ea dirimi solo jure Ecclesiastico, et quidem non tantum in foro externo, sed etiam interno. Vide c. *Significavit.* 2. de eo, qui duxit. Praeterea communissima est sententia, quod metus tantum levis neque in foro interno, neque externo irritet matrimonium, dummodo metum passus non ficte, sed vere consentiat; quia tale matrimonium neque ex lege naturae, neque positiva est irritum; imo lex positiva fere unice provocat ad metum gravem, ut patet ex c. *veniens.* 15. et c. *consultationi.* 28. de sponsal. ergo. Communior pariter sententia est, quod solus metus reverentialis, non accedentibus aliis graviter absterrentibus, non irritet contractum matrimonii, quia etiam hic metus se solo censetur levis. Vide *Laym.* L. 5. tr. 10. p. 2. Denique communissima contra *Covarr., Sotum* et alios defendit, quod metus juste incussus non irritet matrimonium. Vide *P. Kugler* hic q. 39. num. 685.

1207. XIV. Confessarius non potest denegare absolutionem parenti, qui juxta leges, ubi tales extant et receptae sunt, filiam vel filium exhaeredaret contrahentem invitis parentibus, aut illis inconsultis, in iis casibus, quibus tenentur consensum, aut consilium eorum petere. Ita *Sanchez* L. 4. d. 24. n. 25. quamvis ipsemet ibidem defendat, quod illicite taliter contrahentes exhaeredentur, eo quod ejusmodi leges videantur injustae. Sed *contra est.* Tales leges non tollunt libertatem matrimoniorum, sed tantum abusum moderantur, neque disponunt circa substantiam, sed tantum corrigunt modum inordinatum contrahendi, neque legi Ecclesiasticae contrariantur, sed tantum aliquid addunt pro earum confirmatione, et meliori observatione: ergo sunt justae. *Confirm.* Jus Ecclesiasticum tales nuptias tanquam illicitas reprobat c. *Honorantur* 13. et c. fin. XXXII. p. 2. c. *Aliter.* 1. c. *Nostrates.* c. XXX. q. 5. ideoque etiam graviter peccant filii justam parentum voluntatem, justaque consilia negligendo, maxime si praevideant inde oritura gravia odia, rixas, scandala inter familias cum perturbatione reipubl. ergo leges juste possunt ejusmodi exhaeredationis poena plectere, et parentes eam licite exequi. Vide *Bossium* de contr. matrimon. c. 11. n. 208. Oppositam tenet *Krimer* in l. 4. Decret. n. 498. et

n. 1767. De legibus civilibus a jure canonico correctis circa valorem matrimoniorum a filiisfamilias initorum sine consensu parentum, et servorum sine dominorum consensu, erudite disserit *Bened. XIV.* L. 1. de Synod. Dioeces. c. 37. et n. 4. concludit: *Verum postea consultius visum est Ecclesiae, praefatas civiles LL. pluribus saeculis a se aut approbatas aut toleratas corrigere, et abrogare, statuitque, ut deinceps nuptiarum validitas a solo penderet contrahentium consensu, nequaquam autem a nutu eorum, sub quorum dominio vel potestate contrahentes existunt.*

Casus IV. De Usu Matrimonii.

Priscilliana se accusat, quod frequenter usa sit matrimonio ob solam voluptatem: 2. quod aliquoties marito negarit debitum tum ob intentam sequenti die sacram Communionem, tum ne multiplicetur proles. Denique petit instrui, quandonam peccent conjuges in usu conjugii.

1208. *Q.* I. An et quomodo Priscilliana peccaverit exercendo opus conjugii ob solam voluptatem. R. Certum est ex proposit. 9. ab *Innoc. XI.* damnata, quod peccaverit, et quidem seclusa alia inordinatione graviore, saltem venialiter. *Ratio* est, quia saltem est contra debitum ordinem quaerere actum propter voluptatem, cum voluptas sit propter actum, idque praesertim in actu conjugali, qui ex se ordinatur ad prolis generationem. *Confirm.* ex s. Aug. qui l. 1. de nupt. c. 15. ait: *Carnis concumbendo petere voluptatem, sed non praeter conjugem, venialem habet culpam.* Dixi, ob *solam* voluptatem; nam vacare copulae propter voluptatem tanquam propter finem subordinatum vel potius medium ad generationem, non est peccatum; nam qui sic exercet opus conjugii, sequitur ordinem naturae, quae destinavit eam voluptatem ad reddendam faciliorem generationem prolis, et consecrationem speciei.

Omnia peccata, quae committi solent in usu matrimonii his versibus continentur.

Sit modus, et finis, sine damno solve, cohaere (id est cohabita)
Sit locus, et tempus, desit violatio voti.

1209. *Q.* II. Ex quo fine honestum sit, ac licitum uti copula conjugali. R. Ex fine primario matrimonii, scilicet prout institutum est a natura ad generationem prolis, ad conservandam speciem, ac praeterea prout est institutum tanquam Sacramentum ad generandam et educandam prolem in ordine ad glorificandum Deum, aut etiam ex eo fine matrimonii, ut conjux satisfaciat gravi obligationi ex justitia reddendi debitum. Qui praeter hos fines primarios intendit, vel exercet copulam conjugalem ex alio fine secundario, v. g. propter vitandam incontinentiam, propter sanitatem, non peccat, quia sic non intenditur solus finis secundarius; secus si excludatur finis primarius. *Duarte* V. copula n. 158. et seq.

1210. *Q.* III. An Priscilliana licite denegarit debitum ex dictis rationibus. R. Si maritus absolute et serio exegerit, vel Priscilliana adverterit in marito periculum incontinentiae, dissensionum etc. peccavit graviter, non obstante utraque ratione: quia cum maritus serio et juste petierit, illa non satisfaciendo suae obligationi et defraudando maritum jure suo, deliquit in re gravi.

1211. Nec excusat 1. instans devotio, futura, aut praeterita sacra Communio, quia abstinentia ab actu conjugali propter instantem devotionem est de consilio in reverentiam Ss. Sacramenti, vel ad devotionem dignius peragendam; redditio vero debiti de justitia. Praeterea quamvis petitio debiti ante vel post sacram Communionem a multis non excusetur a culpa veniali, redditio tamen a plerisque culpa excusatur. Denique actus conjugalis de se est licitus, honestus ac meritorius; ergo de se non obstat devotioni, sed ex accidenti, *si pietas debita per hoc omnino impediatur.* Ideoque suadet quidem convenientia, ut in so-

lemnioribus festis, quibus uterque conjux intendit accedere ad S. Eucharistiam, communi consensu abstineatur a copula, juxta Apost. 1. Cor. 7. *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi.* Absolute tamen sub gravi praecepto usus conjugii tunc prohibitus non est. Juxta c. *Vir cum propria* XXXIII. q. 4. *Si quis sua conjuge non cupidine voluptatis captus, sed solum liberorum creandorum gratia utitur, ipse profecto de ingressu Ecclesiae, seu de sumendo Corporis Dominici Sanguinisque mysterio, suo est relinquendus judicio, quia a nobis prohiberi non debet accipere.* Praeterea olim quidem severa lege fuisse prohibitum usum conjugii in solemnioribus festis, *nunc vero id contineri intra limites meri consilii*, ait *Bened. XIV.* de Synod. l. 5. c. 1. n. 8.

1212. 2. Regulariter non excusat *multiplicatio prolium*, tum quia primarius finis matrimonii est propagatio generis humani, cujus gratia omne incommodum conjugibus est perferendum, tum quia melius est proli, ut vivat inops, quam ut omnino non vivat. Adde, quod saltem in perpetuum non possit negari debitum ob periculum incontinentiae; ergo frustra negabitur ad breve tempus, post quod nihilominus fiet conceptio. *Laym.* l. 5. t. 10. c. 1. n. 16. contra *Sotum*, *Sa*, *Rodrig.* et alios. Ibid. tamen excipit casum, quo absente omni periculo incontinentiae res eo loco sita esset, ut ob prolium multiplicationem extrema penuria timenda esset, id quod inter Christianos raro eveniet. Censet etiam *S. Ant.*, licere conjugibus mutuo consensu abstinere a copula ad vitandam prolium multitudinem, modo absit periculum incontinentiae.

1213. *Q.* IV. An uxori liceat negare debitum ob incommoda et molestias, quas gravidae patiuntur, vel ob ordinariam difficultatem partus. R. Non licet: quia nubendo ejusmodi poenis a Deo Evae et aliis mulieribus impositis se sponte subjecit. *Antoine* tr. de obligat. cert. stat. c. 3.

1214. *Q.* V. Ob quas causas liceat negare debitum. R. 1. Duobus primis mensibus a contracto matrimonio uterque conjux licite negat debitum; conjugibus enim datur bimestre ad deliberandum, an vel matrimonium consummare velint, vel ingredi statum religiosum, c. *ex publico* 7. de convers. conjug.

2. Conjux licite negat debitum, si compars adulterium commiserit; frangenti enim fidem, fides merito non servatur; pars tamen nocens potest petere debitum tanquam benevole concedendum, non exigendo tanquam debitum, quia non tenetur crimen suum prodere, nec poenam hanc in se exequi, donec ei a conjuge innocente imponatur, quamvis in foro externo crimen probare nequeat, modo de eo certo aliunde constet. *Laym.* l. c. n. 4. Nam sola suspicio aut tenuis probabilitas adulterii non sufficit ad debitum juste negandum.

3. Conjux non tenetur reddere debitum, si inde grave damnum, vel periculum sibi vel proli merito timeat. *Busemb.* cum *Perez*, v. g. si illud petat morbo contagioso, peste, lepra laborans (*excipe*, nisi morbus ante contractum matrimonium fuerit cognitus, et non sit nimis gravis); item si petat ab uxore aegrotante, cui copula graviter noceret. Plura in q. seq.

4. Petenti in ebrietate, amentia, furore negari potest, quia tunc non petit humano et rationabili modo. *Sanch.* l. 9. d. 23., *Laym.* l. c. n. 9. *Excipe* tamen casum, quo uxor adverteret in ebrio periculum incontinentiae. Item si maritus sit tantum semiamens, vel semiebrius; tunc enim uxor petenti tenetur reddere debitum, quia possessio juris ad petendum stat pro viro. Si uterque conjux in amentiam incidat, separandi sunt donec ad mentem redeant. Juxta *Sanch.* l. c. n. 8., *Barthol.*, *et Petrum Ledesma*, regulariter illicitus est concubitus, quando uxor amens est, et maritus mentis compos, quia praesens periculum est, ne mulier amens foetum in utero necet; cessante autem tali periculo, quia sterilis est amens, ut nulla subsit spes concipiendi, licitus adhuc est congressus, sicut licitus est senibus.

5. Si nimis frequenter petatur debitum, v. g. si ter una nocte reddiderit, potest, quarta vice negari; videtur quoque nimis frequenter peti, si maritus

non contentus nocturna redditione etiam per diem petendi habeat consuetudinem; secus si quandoque tantum id contingeret. *La Croix* l. 6. p. 3. n. 396. cum *Rodriq.* et *Gobat.*

6. Si conjux jure petendi debiti privatus sit ob incestum commissum cum conjugis consanguinea in *primo* vel *secundo* gradu. Quod autem incestuosus in poenam criminis amittat jus petendi debitum, patet ex c. *Tuae fraternitatis.* 10. de eo, qui cognovit consang. uxoris suae. De hoc plura, ubi de impedim. matrim. Huc reducitur, si conjuges mutuo consensu castitatem voverint; si auctoritate publica celebraverint divortium; et probabiliter, si paulo ante petitionem debiti maritus crudeliter verberibus exceperit uxorem: quia sicut propter diuturnam saevitiam potest fieri divortium a thoro et mensa; ita satis probabiliter propter eamdem saevitiam una alterave vice potest negari debitum, nisi praevideat uxor, inde orituram majorem saevitiam, et majora mala.

7. Ex dictis e contrario inferes, quod evoluto primo bimestri conjux conjugi *serio, juste, rationabiliter, et humano modo* petenti teneatur ex justitia et sub mortali reddere. Dixi 1. *serio petenti*, h. e. tanquam debitum; quodsi enim uxor advertat, quod maritus tantum benevole petat, nec aegre ferat, si una vel altera vice modeste denegetur, vel potius ad breve tempus differatur, non erit mortale; secus vero, si pars petens valde aegre videatur latura negationem, aut prae verecundia non ausit instanter petere, vel sit in periculo incontinentiae; tunc enim erit mortale vel semel negare, multo magis si negatur ex pertinacia, odio, vindicta, aut nonnisi post rixas etc. etc. Hinc si Confessarius audiat inter conjuges esse continuas rixas et odia, caute et prudenter interroget poenitentem, an forte causam praebeat, non praestando, ad quae obligatur vi matrimonii, quia frequenter uxores ex passione irae ac vindictae excoecatae, nequidem sibi ducunt peccato, si per plures dies non cohabitent. Dixi 2. *juste petenti*, nam si, ut dictum est, ab adultero, vel incestuoso petatur marito, injuste, h. e. a non habente amplius jus, petitur. Dixi 3. *rationabiliter et humano modo petenti*, ut dictum est de eo, qui petit in amentia, ebrietate, aut cum proximo periculo morbi etc. non enim censentur conjuges ad ejusmodi casum non praevisum se obligasse, nisi periculum infectionis esset valde remotum, proximum autem periculum incontinentiae.

1215. *Q.* VI. In quibus casibus non liceat petere debitum. R. 1. *Sub mortali* non licet conjugi, qui vovit castitatem sive ante, sive post initum matrimonium, juxta saepe dicta ex c. 3. de convers. conjug. Unde ei nec licet inchoare actus ordinatos ad copulam, cum facta sit promissio abstinendi ab omni actu venereo: *excipe* actum redditionis debiti, ad quem obligatur ex justitia. 2. Non licet petere ei qui tempore matrimonii culpabiliter cognovit consanguineam personam compartis in primo vel secundo gradu. 3. Qui *extra casum necessitatis* prolem suam baptizat, aut in baptismo vel confirmatione tenet, ut dicetur de impedimento spiritualis cognationis: secus si in casu necessitatis.

1216. R. 2. Per se saltem *veniale* est petere debitum tempore fluxus menstrui ordinarii. Ita *Sanchez.* L. 9. d. 21. n. 7. et 8. ubi contra eos qui dicunt esse mortale, ait damnum grave ex tali coitu, quod timent illi AA. imminere proli, esse incertum et rarum, cum constet innumeros tempore menstrui coire, rarissime tamen grave damnum in prole inde inveniri. *Ratio* autem peccati venialis est turpitudo, et indecentia in eo coitu. Nec ab hac culpa eximit conjugis sterilitas; quamvis enim tunc cesset damnum prolis, non tamen cessat dicta indecentia. Hinc Ezech. c. 18. v. 6. vir justus dicitur: *si fecerit judicium et justitiam ... si ad mulierem menstruatam non accesserit.* Denique ibid. addit. *Sanch.; Quare si aliqua ratio sit huic turpitudini praeponderans, et actum honestans, vacabit culpa: nempe si ad vitandam in se, vel in alio fornicationem, vel ne conjux suo consortio odio sit, vel alia similis.* Unde uxor tunc licite reddit debitum, sicut et maritus licite petit: imo si una pars urgeat serio debitum, altera reddere tenetur. *P. Bened.*

Schmier Theol. Sacram. tr. 24. q. 29. n. 135. Addit tamen *Sanchez* l. c. sub fin. Si conjuges probabiliter existiment prolem monstruosam ex eo concubitu gignendam, quamvis non peccet mortaliter exigens debitum, et uxor id reddere possit, eam tamen ad id non teneri, quia detrimentum magnum est tum proli perpetuo miserrime vivere, tum matri prolem miserrimo affectam morbo habere. Dixi supra, *tempore fluxus menstrui ordinarii*, sive naturalis: nam si sit quasi perpetuus, quo quaedam foeminae quasi continuo morbo laborant, licebit tam petere, quam reddere debitum; quia durissimum esset conjuges obligare ad abstinendum perpetuo ab usu matrimonii.

1217. 2. Secluso abortus periculo licite citra culpam etiam venialem potest peti et reddi debitum tempore quo uxor est gravida, tum quia nulla lex assignari potest, quae usum matrimonii tunc prohibeat, tum quia esset gravissimum onus, et res mille peccandi periculis exposita, si vir toto tempore, quo uxor gravida est, scil. per novem menses, idque fere singulis annis, teneretur abstinere ab usu matrimonii. Addit *Sanch.* L. 9. d. 22. n. 6. quod, si talis coitus esset culpa venialis, laqueus injiceretur matrimonio, quia vel toto tempore, quo uxor uterum gestat, conjuges deberent abstinere a copula, vel innumera essent admittenda venialia, quod esset multiplicare peccata sine necessitate. E contra si adsit probabile periculum abortus (de quo debet constare per experientiam, vel per prudens judicium medici, cum per se et ordinarie, teste *Palao*, proximum saltem periculum abortus non subsit) usus matrimonii illo tempore graviter illicitus est; quia tunc vergit in interitum prolis innocentis. Monet *Sanch.* l. c. n. 1. periculum incontinentiae hic non praeponderare verisimili periculo abortus, quia illi periculo aliis mediis spiritualibus ad breve tempus consuli potest absque damno foetus, ideoque propter periculum incontinentiae praesente periculo abortus, licitus non redditur usus. Auctoritates in contrarium afferri solitae non omnino interdicunt concubitum tempore, quo uxor praegnans est, sed tantum volunt, ne modus et temperantia excedatur, vel intelligendae sunt de consilio, vel de casu, in quo est periculum abortus, aut oppressionis prolis.

1218. *Quid?* si uxor hactenus nonnisi mortuas proles genuerit. R. cum *Sanchez* contra *Sylvium*. Per hoc non redditur illicitus usus conjugii, quia adhuc felicem partum sperare possunt; experientia enim constat mulieres post frequentes abortus tandem feliciter peperisse. Suadendum tamen, ut hujusmodi conjuges, oratione, aliisque piis operibus benedictionem Dei efflagitent, vitent intemperantiam et alias culpas. Item si sint foeminae nobilioris conditionis, ut vitent frequentiores choreas, moderentur irae vehementiores motus etc. Si sint de plebe, ne tollant, vel portent onera graviora: mariti autem caveant, ne verberibus, trusionibus, tunsionibus male tractent uxores gravidas.

1219. Licitum est per se loquendo petere et reddere debitum post partum, dum in puerpera continuatur sanguinis purificatio, nisi forte ex eo concubitu gravis morbus immineret: *nam tunc de culpa judicandum esset juxta morbi gravitatem, ejusque probabilitatem*, ait *Sanch.* L. 9. d. 22. n. 12. contra alios, qui dicunt esse mortale uti matrimonio durante illa immunditie; item contra illos, qui dicunt, esse saltem veniale propter indecentiam, sicut supra n. 1216. de immunditia menstruatae locuti sumus. Varietatem sententiarum conciliat *Abulensis* c. 5. Matth. q. 244. ubi ait, absolute non esse necessarium, purificationis tempus expectare, sed aliquantulum, si recenter foemina enixa sit, donec ab immunditiis purificetur, et antea accedere ad illam non esse mortale. *Si dicas*, talem copulam prohiberi can. fin. dist. 5. ubi expresse ita habetur: *Nisi purgationis tempus prius transierit, mulieres viris suis non debent admisceri.* Respondent enim plerique cum *Aversa*, *D. Antonino* et aliis, textum ex *S. Gregor.* allatum loqui de consilio, non de praecepto, vel de casu, quo immineret periculum gravis morbi, vel potius dicendum, hoc, quod olim erat praeceptum, nunc intra limites meri

consilii contineri, ut supra diximus n. 1211 unde *vo debent*, hodie significat decentiam abstinendi durante illa immunditie, non obligationem sub gravi peccato, nisi ut dixi, accedat aliud grave incommodum, quo probabiliter praesente, mulier non teneretur reddere debitum; hoc vero absente, si maritus precibus inductus nolit desistere, et sit incontinentiae periculum, ad reddendum teneretur.

1220. *Q.* VII. An licitus sit usus conjugii ante ablactationem infantis. R. *Affirmative*: tum quia non extat lex prohibens, tum quia durissimum esset conjugibus imo periculum plurimorum peccatorum, si toto tempore, quo infans lactatur, deberent sub peccato ab usu matrimonii abstinere. Adde, quod periculum inficiendi lac ex tali coitu rarum sit, ut testantur periti medici. *Sanch.* L. 9. d. 22. n. 15. excusat a reddendi debiti obligatione mulierem, dum advertit ubera exsiccari praecedente copula, aut lac valde perniciosum proli inde reddi, praesertim cum premente paupertate aliter non possit sustentari infans.

1221. *Q.* VIII. In quibus casibus non liceat reddere debitum petenti. R. cum *Laym.* l. 5. t. 10 c. 1. n. 17. Duplex hic observanda est regula. 1. Si petens graviter peccet ob circumstantiam, quae ipsum actum conjugalem reddat graviter peccaminosum et absolute utrique conjugi illicitum, tunc regulariter etiam reddere debitum sub gravi peccato non licet, v. g. si ambo conjuges mutuo consensu voverint castitatem, si copula petatur modo contra naturam peragenda, v. g. in vase praepostero, vel si in vase naturali, at situ innaturali cum periculo effusionis seminis extra vas naturale; talis enim redditio esset intrinsece mala, et nullo modo honesta posset fieri. Item si debitum petatur in loco sacro, vel publico, aut cum periculo abortus, aut alio gravi damno sanitatis conjugum. Dixi, *regulariter:* excusaretur tamen reddens a peccato, si periculum majoris damni ex negatione debiti prudenter timeret. De loco sacro vide P. 1. num. 468. *Ratio* est, quia reddens in priore casu formaliter cooperaretur ad actum graviter illicitum, secus in secundo casu.

Secunda regula. Si petens peccet mortaliter ob circumstantiam, quae afficiat solam circumstantiam personae petentis, v. g. quia ipsa sola voverit castitatem, aut habet intentionem malam in petendo, tunc alter potest ac debet reddere debitum: similiter si conjux petendo peccet solum venialiter, propter modum leviter inconvenientem. *Ratio primi* est, quia per hoc, quod conjux voverit castitatem, aut ex mala intentione petat copulam, non perdit jus in corpus alterius conjugis, neque hic immunis est ab obligatione reddendi debitum. Ita *S. Antonin.* contra *Riccard.*, *Comit.* et alios. *Ratio secundi* est, quia fere semper adest ratio praeponderans, propter quam reddens peccato alterius veniali non censeatur formaliter cooperari, scil. ratio discordiarum, periculum incontinentiae etc.; suadent tamen AA. ratione voti, ut compars, quae non vovit, prius petat debitum, dum praevidet a vovente petendum, et praesertim suadendum, ut petatur dispensatio. Addunt alii, quod, si uxor sine gravi incommodo possit dehortari, ne peccaminose petat, imo si spes effulgeat, fore ut per unam alteramve negationem debiti absterreatur altera pars a peccaminosa petitione, poterit saltem ex charitate amice negare debitum.

1222. *Q.* IX. An conjuges teneantur aliquando petere debitum. R. 1. Per se loquendo non tenentur, quia *cum liberum sit unicuique suo juri renunciare* (juxta c. 6. de privil.) nemo per se tenetur uti jure suo. R. 2. per accidens autem tenentur 1. si alter, praesertim uxor, ex signis videatur cupere hoc remedium, licet ex verecundia taceat, quia tunc potius debitum redditur interpretative petenti. *S. Th.* in 4. dist. 32. a. 2... 2. Si alioquin in comparte sit periculum incontinentiae. 3. Si id necessarium sit ad fovendum amorem mutuum. 4. Si generatio prolis necessaria sit ad avertendum grave damnum religionis, vel reipubl.

1223. *Q.* X. An liceat exigere usum conjugii praecise ad vitandam in se incontinentiam, quamvis nulla forte sit spes prolis. R. cum *Navarro*, *Laym.*

Sporer hic n. 187. et aliis contra veteres non paucos, *affirmative*. *Ratio* est, quia matrimonium secundario institutum est in remedium concupiscentiae, ut colligitur ex 1. ad Corinth. 7. *Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat. . . . et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram.* Et Catechism. Rom. P. 2. de matrim. n. 13. exponens causas, ob quas vir et mulier conjungi debeant docet: *Tertia est, quae post primi parentis lapsum ad alias causas accessit, ut scil. qui sibi suae imbecillitatis conscius est, nec carnis pugnam vult ferre, matrimonii remedio ad vitanda libidinis peccata utatur. Confirm.* Approbante Ecclesia licite contrahunt senes, quibus ob senium nulla est spes suscipiendae prolis. Vide *D. Antoninum* 3. P. tit. 1. c. 20. §. 5.

1224. Q. XI. Quandonam peccent conjuges in usu conjugii. R. Praeter dicta peccant I. mortaliter, si habeant copulam extra vas debitum, quia talis copula est sodomitica, et contra naturam. Ideo haec circumstantia speciem mutans, scil. copulae sodomiticae cum propria conjuge, necessario est in confessione explicanda. Nec excusantur a gravi peccato qui inchoant copulam in vase non debito cum animo illam consummandi in debito; quia adhuc graviter agitur contra honestatem naturalem.

1225. II. Peccant graviter conjuges, si semen scienter et voluntarie extra vas effundant vel ante copulam, vel abrupta copula: item si uxores semen jam receptum voluntarie ejiciant, quacumque de causa; quia quaelibet talis effusio est intrinsece mala, et peccatum contra naturam, utpote directe opposita fini conjugii et copulae carnalis, scil. generationi prolis. Excipit *P. Sporer* hic n. 490. effusionem involuntariam, si praeter intentionem accidat, v. g. ex festinatione, ex metu, ob senium, ob indispositionem alterius partis. Vide dicta P. 1. n. 755. Idem n. seq. 491. cum *Sanch.* mulierem a gravi peccato excusat, quae post seminationem a solo viro in debito vase factum, statim post copulam se tactu excitat, ut et ipsa seminet; eo quod haec provocatio sit actus conjugalis consummatio. Hanc provocationem plane illicitam esse defendit *Stephanus* de s. Paulo.

1226. III. Si durante copula conjuges mentem ad alios divertant, ita ut vir aliam mulierem, aut mulier alium virum desideret. Hoc peccatum in confessione aperiendum est cum objecto cogitato (*Duarte V.* copula n. 163.); quia hic effectus vere est adulterinus.

1227. IV. Peccant conjuges graviter, si servato quidem vase debito non servent situm naturalem in cocundo *cum periculo effusionis seminis extra vas*; quia cum talis effusio voluntaria semper sit graviter peccaminosa, etiam probabile illius periculum voluntarie in ejusmodi situ electum conjunctum est cum gravi peccato. Si tamen absit periculum praedictum, et non servetur situs naturalis sine necessitate, aut justa causa, v. g. si vir vel stando, vel a tergo, vel succumbendo exerceat opus conjugale, multi cum *Sanch.*, *Laym.*, *Sporer* et aliis dicunt, non esse peccatum mortale, sed veniale; eo quod absente dicto periculo non peccetur contra substantiam actus conjugalis, nec impediatur generatio. Nihilominus monendi sunt conjuges, ut abstineant a tali congressu; praesertim, si sine justa causa fiat, eo quod sapiat nimis inordinatam concupiscentiam.

1228. V. Si positive impediant generationem, vel conceptam prolem extinguant: item si actum conjugalem exerceant cum probabili periculo abortus.

1229. VI. Si hic actus exerceatur coram aliis, ob grave scandalum. Caveant parentes, ne filios vel filias jam adultas in eodem cubiculo, multo minus lecto dormientes habeant, unde non raro ipsi parentes seducunt suos ad gravissima peccata committenda. Imo caveant, ne affectus suos coram prolibus inepte et scandalose prodant.

1230. VII. Denique absque dubio peccant conjuges, si semen privatim effundant, cum haec privata pollutio sit semper mala et fini generationis contraria.

1231. Q. XII. An et qualia sint peccata conjugum tactus, aspectus, amplexus, oscula, colloquia venerea etc. R. De tactibus vide P. I. n. 731. Hic breviter notandae sunt sequentes regulae, quas tradit *P. Sporer* hic n. 500. 1. Si praedicta exerceantur *cum periculo proximo pollutionis*, *cum actuali dubio de valore matrimonii*, item *cum voto castitatis*, conjuges peccant mortaliter; de ultimo, scil. de voto, certum est; de dubio pariter manifestum; in hoc enim nunquam licet operari. De periculo pollutionis probatur; quia, cum haec graviter repugnet generationi, aeque illicita est conjugatis, ac aliis; ac proinde tenentur sub mortali vitare illius periculum proximum, et non ponere causam proximam, qualis in tali casu sunt praedicti actus ex supposito. 2. Si vero fiant (secluso periculo pollutionis etc.) inter conjuges in ordine ad copulam, vel ad contestandum, aut fovendum amorem conjugalem, culpa vacant: quia cui concessus est finis, etiam concessa sunt media ordinata ad illum finem; finis autem conjugalis est amor et copula, media sunt praedicti actus: ergo. 3. Si praecise fiant ad majorem voluptatem, quamvis ordinentur ad copulam, sunt peccatum veniale ex dictis. Probabiliter etiam sunt peccata venialia in conjugibus, etsi exerceantur absque animo perveniendi ad copulam, modo absit periculum pollutionis; quia tales actus ordinantur ex natura sua ad copulam ipsis licitam, nec quidquam illis deest, nisi quod hic et nunc non referantur ad eam: solus autem defectus debiti finis est per se loquendo tantum venialis. Vide *Sanch.* L. 9. d. 44. n. 12., *Laym.* L. 1. t. 3. c. 6., *Gobat*, *Diana* contra *D. Antonin.*, *Sylv.*, *Paludanum* et alios, qui dicunt hos actus tunc esse graviter malos, eo quod conjugibus non sint liciti, nisi referantur ad copulam. Illud non videtur negandum, quod plerumque tales actus sint graviter peccaminosi ob periculum pollutionis proximum, quod raro abesse potest, cum ex se commotionem spirituum genitalium valde excitent. 4. Juxta *P. Antoine* tr. de oblig. parent. 3. q. 8. R. 2. graviter illiciti sunt conjugibus tactus quidam valde infâmes, quando scil. inter membrum tangens, v.g. linguam, et partem, quae tangitur, obscoenam foeda nimis est disproportio; quia tales actus graviter dedecent naturam rationalem, et sapiunt aliquam brutalitatem, nec conjugium potest eos excusare, utpote qui ex se non ordinantur ad copulam conjugalem. Clarius de his loquentem vide *p. Sporer* hic n. 498. Denique probabilius peccat mortaliter conjux, si in mariti absentia se libidinose, sive ex delectatione venerea tangat, et ex apprehensione mariti absentis voluntarie delectetur commotione spirituum genitalium, quia talis commotio non potest tunc ordinari ad actum conjugalem, sed per se tendit ad pollutionem. *Laym.* L. 1. tr. 3. c. 6. n. 14. contra *Sanch.* De morosis delectationibus conjugum, viduarum, sponsorum ex actibus praeteritis vel futuris, vide P. I. n. 310.

ARTICULUS II. *De impedimentis impedientibus matrimonium.*

§. I. *Praenotanda.*

1232. Impedimentum matrimonii dicitur omne id, quo stante, matrimonium ab aliquibus personis nonnisi illicite, vel omnino invalide contrahitur. Unde duplicis generis sunt impedimenta, *impedientia* tantum, et *dirimentia*. *Impedimentum impediens* tantum est, quod matrimonium reddit illicitum, quamvis contractum relinquat validum. Hoc impedimentum, quod est impediens respectu matrimonii, evadit dirimens respectu sponsalium, et haec facit nulla; eo ipso enim, quod stante impedimento impediente, v. g. voto castitatis, matrimonium illicitum sit, non potest induci obligatio ad illud contrahendum: quae tamen induceretur, si sponsalia valerent. Vide c. fin. de pact. *Dirimens* est, quod matrimonium reddit illicitum et invalidum.

1233. II. Posse ab Ecclesia pro Christianis statui certa matrimonii impedimenta, est de fide. Sic *Trid.* sess. 24. de Sacr. matrim. can. 3. ita definit: *Si quis dixerit, eos tantum consanguinitatis, et affinitatis gradus, qui in Levitico exprimuntur, posse impedire matrimonium contrahendum, et dirimere contractum, nec posse Ecclesiam in nonnullis eorum dispensare, aut constituere, ut plures impediant, et dirimant, anathema sit.* Et can. 4. *Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse, anathema sit.* Dicta potestas statuendi impedimenta non extenditur ad infideles non baptizatos, licet habitent in ditionibus Principum Christianorum, quia nec sunt membra Ecclesiae, nec habent fundamentum subjectionis ad Ecclesiasticam jurisdictionem, nempe characterem baptismalem, ut ait *Suar.* L. 4. de LL. c. 19. Quod etiam haeretici impedimentis ecclesiasticis sint subjecti, vide in Theol. Schol. *Bened. XIV.* Tom. III. Bull. in Ep. II. quae incipit; *Singulari nobis consolationi*, ita habet §. 14. *Postremo exploratum habemus, ab haereticis baptizatos, si ad eam aetatem venerint in qua bona a malis dispicere per se possint, atque erroribus baptizati adhaereant, illos quidem ab Ecclesiae unitate repelli, iisque bonis orbari omnibus, quibus fruuntur in Ecclesia versantes, non tamen ab ejus auctoritate et legibus liberari*: ergo et IIH. tenentur legibus Ecclesiasticis de impedimentis matrimonii.

1234. III. Contrahere scienter et voluntarie in impedimento dirimente matrimonium est peccatum mortale, tum quia in re gravi agitur contra legem Ecclesiasticam, tum quia sic contrahentes se exponunt periculo perpetui concubinatus. *Sanch.* L. 7. d. 5. Dubitans, an in impedimento dirimente existat, inquirere tenetur in veritatem, alias erit ignorantia vincibilis, et culpabilis. An licite et valide contrahi possit matrimonium sub vera probabilitate juris et facti de impedimento matrimonii, vide apud *Cardenas* super propos. ab *Innoc. XI.* damnatas diss. 2. a n. 522. et seq.

1235. IV. Agetur in hoc articulo de impedimentis impedientibus, quae sequentibus versibus comprehenduntur.

Ecclesiae vetitum, nec non tempus feriatum,
Atque catechismus, crimen, sponsalia, votum
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

Ex his 6 in suo rigore adhuc manent haec quatuor,

Ecclesiae vetitum, tempus, sponsalia, votum;

De quibus in paragrapho sequenti. De duobus reliquis breviter notasse juvat sequentia. Nomine *catechismi* intelligitur impedimentum, quod olim contrahebatur ab eo, qui respondebat pro infante, quando supplebantur caeremoniae post baptismum in necessitate collatum. Hoc impedimentum jam sublatum esse passim affirmant AA., et quidem vel per illa verba *Trid.* sess. 24. de reform. matrim.: *omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis*; vel sola consuetudine, ut contendit *Perez.* Pro praxi *Bonac.* recte monet Parochos, ut in libro distinguant patrinos catechismi, a patrinis baptismi.

Nomine *criminis* intelligitur impedimentum, quo olim prohibebantur contrahere matrimonium illi, qui certa crimina antiquis canonibus expressa commiserant. Inter crimina etiam pro impedimento habebatur susceptio propriae prolis ex baptismo in ordine ad impediendam redditionem debiti, vel si quis propriam prolem baptizaverat in necessitate, talis etiam post mortem conjugis non poterat licite contrahere aliud matrimonium. Item publice poenitentibus non lice-

bat contrahere matrimonium, quamdiu durabat publica poenitentia. De quibus adhuc restant memoriae gratia sequentes versus:

Incestus, raptus sponsatae, mors muliebris;
Susceptus propriae sobolis, mors presbyteralis:
Vel si poeniteat solemniter, aut monialem
Accipiat, prohibent haec conjugium sociandum.

Haec per non usum sublata nunc esse passim testantur AA. contra *Rebellum* siquidem videntibus, nec contradicentibus Episcopis, multis his impedimentis ligati contrahant matrimonium nulla dispensatione petita. Addit *Palao* de sponsal. d. 3, p. 2. n. 23. quod siquis, securitatis gratia, velit habere dispensationem, eam concedere possit Episcopus. Vide *P. Kugler* p. 2. de imped. matrim. c. 1. §. 3. a n. 1075.

§. II. *Principia de impedimentis impedientibus.*

1236. *Princip.* I. Praeter statum peccati mortalis (in quo citra grave peccatum contrahere non licet) 1. matrimonium reddit mortaliter illicitum *Ecclesiae vetitum* sive *interdictum*, per quod intelligitur prohibitio facta ab Episcopo, aut ejusdem Vicario, vel etiam Parocho de non contrahendo matrimonio ob dubium impedimenti alicujus, donec veritas innotescat. De hoc vide L. 4. Decret. tit. 16. *de matrimonio contracto contra interd. Eccles.* ubi in duobus cap. adstruitur, matrimonium contra interdictum Ecclesiae contractum per hoc quidem non dirimi, sic tamen contrahentibus imponendam esse poenitentiam, eosque separandos esse, donec cognoscatur de causa interdicti. Ergo ex his patet graviter peccare eos, qui contra *vetitum* Ecclesiae contrahunt; nisi certo constet (ut ait *Kugler* l. c. n. 1056. cum *Conink*) interdictum esse plane injustum. Dispensat autem regulariter in interdicto Episcopus, si ipse vel inferior illud posuerit; secus, si superior.

1237. Ad hoc impedimentum commode reducitur 1. Interdictum Juris communis post *Trid.* ne sponsi contrahant matrimonium absque praemissa trina denuntiatione, de qua facta est mentio n. 1178. Novissime etiam *Bened. XIV.* in constitutione, quae incipit: *Satis vobis compertum*, edita 17. Novembr. 1741. et habetur in tom. I. ejusdem Bullarii pag. 89. jubet, ut accurate praemittantur denuntiationes juxta regulam a *Trident.* traditam, monetque Episcopos ne facile dispensent a publicationibus. Et sub finem §. quinti addit: *Praeterea licet Episcopo relictum sit omnimode super denuntiationibus dispensare, haec tamen facilitas non a sola dispensantis voluntate pendet, sed a Tridentino coercetur arctis prudentiae, discretique arbitrii legibus, quod idem est, ac legitimam causam dispensationis requirere.*

1238. 2. Ad impedimentum interdicti merito reducitur *excommunicatio*; quamvis enim valeat matrimonium (ut arg. ex c. *significasti* 6. de eo, qui dixit) dum unus vel uterque contrahens excommunicationi subjacet; graviter tamen peccat, qui in excommunicatione majore vel minore matrimonium contrahit; quia talis agit contra grave praeceptum in re gravi. Vide *Laym.* l. 1. t. 5. p. 2. c. 3. n. 4., *Bonac.*, *Conink.* Imo talis dupliciter peccat, tum suscipiendo Sacramentum in peccato gravi, tum recipiendo in excommunicatione; juxta nonnullos etiam ideo, quia indigne administrat Sacramentum.

1239. 3. Huc reducitur *omissio benedictionis nuptiarum;* quia etsi sine illa valide, illicite tamen contrahitur matrimonium saltem primum. Porro benedictio dup ex solet adhiberi, una in ipso contractu matrimonii de praesenti, dum Parochus dicit, *Ego vos conjungo* etc., altera regulariter in templo sub Sacrificio Missae una cum variis precibus. Quod utraque non tantum sit de consilio, sed de praecepto, satis patet ex consuetudine Ecclesiae, quae

compellit fideles ad illas suscipiendas: satis eas commendat *Trid.* sess. 24. c. 1. de reform. matrim.: satis clare praeceptum arguitur ex. c. 1. 2. 3. 4. et 5. XXX. q. 5. Hinc certum est, quod peccet graviter, qui eas omittit ex contemptu: anathemate enim ferit illos *Trident.* sess. 24. can. 11. qui benedictiones et caeremonias, quibus Ecclesia in solemnitatibus nuptiarum utitur, damnaverit. Excusant quidem a gravi peccato *Bonacina, Tambur.*, *Perez* eos, qui ex sola negligentia illas omittunt; sed dum in locis, ubi consuetudo et facilitas suscipiendi solemnes benedictiones viget, vix possit deesse suspicio gravis contemptus, nec desit grave scandalum, raro ejusmodi omissio caret culpa mortali.

1240. *Principium* II. Secundum impedimentum impediens est *tempus feriatum*, sive certa quaedam tempora, quibus celebratio nuptiarum ab Ecclesia prohibita est, de quibus *Trid.* sess. 24. c. 10. ita statuit: *Ab adventu Domini nostri Jesu Christi usque in diem Epiphaniae, et a feria quarta cinerum usque in octavam paschatis inclusive, antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus observari sancta synodus praecipit: in aliis vero temporibus nuptias solemniter celebrari permittit; quas Episcopi, ut ea, qua decet modestia et honestate fiant, curabunt; sancta enim res est matrimonium, et sancte tractandum*: et can. 11. ejusdem sess. *Si quis dixerit, prohibitionem solemnitatis nuptiarum certis anni temporibus superstitionem esse tyrannicam, ab ethnicorum superstitione profectam, aut benedictiones et alias caeremonias, quibus Ecclesia in aliis utitur, damnaverit, anathema sit.*

Notat hic *Laym.* L. 5. t. 10. p. 4. c. 15. non prohiberi absolute ipsum matrimonii contractum praemissis etiam denunciationibus in dictis temporibus celebrari, si nuptialis benedictio et solemnis traductio sponsae cum signis laetitiae, convivia, chorae nuptiales etc. intermittantur; tum quia Tridentinum expresse tantum loquitur de solemnibus nuptiis; et c. *Cappellanus*, de feriis dicat, Romanae Ecclesiae consuetudinem esse, *ut quocumque tempore matrimonium contrahatur.* Adde ex Rit. Rom. ubi expresse habetur, dictis temporibus *solemnitates nuptiarum prohibitas esse, ut nuptias benedicere, sponsam traducere, nuptialia celebrare convivia: matrimonium autem omni tempore contrahi po'est.* Vide *Antoine* c. 3. de imped. matrim. Pro praxi, uti ibidem subdit cum *Laym.*, *Gobat* et aliis, attendendum est ad consuetudinem ecclesiarum; quia in plerisque dioecesibus saltem in Germania Parocho non licet assistere iis temporibus matrimonio absque speciali causa, et urgente necessitate, v. g. si quis in periculo mortis constitutus, vel statim discessurus concubinam ducere velit, eique ad spiritualem salutem matrimonium expedire videatur; quamvis etiam tunc, si fieri possit, ab Ordinario licentia sit petenda.

1241. *Princip.* III. Tertium impedimentum sunt sponsalia prius legitime cum alio contracta, et nondum dissoluta; haec enim impediunt, quominus licite matrimonium cum alio, vel alia contrahatur. Hinc peccat graviter contrahens contra fidem primo datam, ad quam servandam obligatur ex justitia. Quod autem valeat matrimonium subsequens, dictum. est n. 1153.

1242. *Princip.* IV. Quartum impedimentum est votum simplex perpetuae castitatis, vel ingrediendi et profitendi Religionem, vel suscipiendi Ordinem sacrum, vel nunquam nubendi. Quodlibet ex his quatuor votis impedit, quominus licite contrahatur matrimonium, quamvis valeat contractum. Constat ex c. *meminimus.* 3. ex c. *consuluit.* 4. *Qui Clerici vel voventes.* Ubi expresse respondet *Alex. III. Quod sicut simplex votum matrimonium impedit contrahendum, et non dirimit jam contractum, ita habitus sine professione susceptus, ne contrahatur, impedit, sed contractum nunquam dissolvit.* Vide ibid. c. *Rursus* 6. Ideoque graviter peccat contra Religionem, qui voto simplici castitatis obstrictus contrahit matrimonium; quia in re gravi violat fidem Deo datam. *Excipe* casum, quo personae ligatae voto castitatis simplici

contraherent matrimonium sub conditione servandi castitatem; sic enim valide et licite contraherent.

§. III. *Resolvuntur Casus.*

Casus I.

Quadratus, contractis cum Genovefa sponsalibus, incipit familiarite agere cum Quintiliana: familiaritatem advertens Genovefa, rem defert ad Parochum, qui Quadrato matrimonium severe prohibet, negatque, se illi unquam adsiturum. Quadratus amore Quintilianae captus, Parochumque decepturus, quemdam amicorum suorum rogat, ut Parochum una cum duobus bonis amicis tanquam testes futuros ad mensam invitet. Adest invitatus cum aliis Parochus; sub convivio etiam comparet Quadratus cum Quintiliana, et coram omnibus alta et clara voce contrahit matrimonium de praesenti, licet Parocho juste invito et stomachante, et hoc quidem factum est tempore interdicti localis.

1243. *Q.* I. Quot peccata commiserit Quadratus sic contrahendo. R. 1. Commisit peccatum grave *injustitiae*, contrahendo contra fidem Genovefae datam; supponitur enim injuste resiliisse. 2. *Duplicis inobedientiae*, quia contra gravem et justam prohibitionem Parochi contraxit, et quidem neglectis trinis denuntiationibus. 3. *Sacrilegii*, suscipiendo sacramentum matrimonii in statu peccati mortalis; juxta alios etiam administrando. Quod autem valide nihilominus contractum fuerit hoc matrimonium, patet ex eo quod adsint omnia ad valorem requisita; nec obstat, quod dolose, contra vetitum Parochi, et coram illo invito contractum sit, quia haec omnia non faciunt, ut non sit simpliciter coram Parocho et testibus contractum, uti dicetur de imped. clandest. Vide etiam *Sanch.* L. 3. d. 5. et 39.

1244. *Q.* II. An valide et licite contrahatur matrimonium tempore interdicti localis, aut generalis, prout hoc significant censuram, aut cessationem a divinis. R. 1. Quod valide contrahatur, passim affirmant AA. cum Glossa per c. *Alma mater* de sentent. excomm. in 6. Vide *Covarruv.* eod. c. *Alma.* Et *ratio* est, quia nullus extat canon irritans. R. 2. Probabilius etiam licite contrahitur. *Ratio* est, quia illa solum Sacramenta illicite suscipiuntur tempore interdicti, quae sunt pure spiritualia, et ab Ecclesia dispensantur per ministrum specialiter ad id ordinatum: atqui matrimonium est contractus quidem naturalis, cui per accidens adjecit Christus rationem Sacramenti, nec administratur per ministrum specialiter ad id ordinatum, cum ipsi contrahentes sint ejus ministri, uti dictum est. n. 1176.; ergo. *Confirm.* ex cit. c. *Alma mater* ubi dicitur, *quocumque tempore* posse contrahi matrimonium: ergo etiam tempore interdicti. Denique eo tempore non prohibentur alii contractus per se naturales: ergo nec contractus matrimonii, qui per se naturalis est. Ita *Sanch.* L. 7. d. 8. n. 2. cum *Rosella, Sylv., Navar., Palud., D. Antonino*, et aliis contra *Leandrum.* Ibid. ait n. 3. posse etiam eodem tempore praemitti consuetas denuntiationes, et n. 11. etiam nuptiales benedictiones servata moderatione in c. *alma* indicata; nimirum submissa voce, januis clausis, exclusis excommunicatis et interdictis: excipit tamen n. 12. *nisi Ecclesia speciali interdicto affecta sit.*

Casus II.

Quido Parochus praemissis duabus proclamationibus a sponso Praetoris filio rogatur, ut tertiam condonet; diu reluctatus tandem importunis precibus benigne annuit, putans omissionem unicae denuntiationis esse parvitatem materiae. Jubet igitur sponsos postridie adesse, ut pro more exa-

minentur: sub examine reperit sponsum et sponsam plane ignaros mysteriorum fidei. Accedit quoque testis revelans impedimentum dirimens; quo cognito, mox prohibet matrimonium, et sponsos mittit ad Ordinarium, a quo post duos menses tandem obtinent facultatem nuptias celebrandi.

1245. *Q.* I. An Quido peccasset mortaliter, si unam ex tribus denuntiationibus omisisset. R. *Affirmative*; quia id fecisset sine licentia Ordinarii, et sine necessitate maxime urgente, contra grave praeceptum *Tridentini*, quod vide n. 1178. Praeterea certum est, quod talis agat contra praxim communem, et se reum faciat gravissimae poenae, de qua infra n. 1250. Ita *Leander*, *Mazt. Perez*, *Illsung*, *Antoine* de matrim. c. 3. q. 2. contra *Sanch.* L. 3. d. 5. n. ., *Tamb.* et alios, qui dicunt, quod talis omissio sit venialiter peccaminosa, si parochus aliunde sit certus de carentia impedimenti; secus si non sit certus.

1246. De denuntiationibus (quae etiam vocantur proclamationes, edicta, banna) porro observa 1. *Ordinarie* illae non debent fieri in diebus festivis; quia Tridentinum expresse dicit, ut fiant *in diebus festis*. Citat etiam *Bossius* declarationem S. Congregationis, quod nequidem Episcopus possit jubere ut in diebus ferialibus fiant. At *Bonac.* q. 2. de matrim. p. 6. n. 18., *Laym.*, *Gobat* et alii judicant, eas fieri aliquando posse non tantum diebus dominicis, et festis universalibus, sed et particularibus alicujus loci, imo et alio die, quando ad concionem, et missarum solemnia magnus est concursus populi; quia tunc satisfit intentioni et fini Tridentini, scil. ut in frequentia populi, qualis haberi solet in festis, facilius detegantur impedimenta matrimonii, et sic non fit dispensatio in lege *Trid.*, sed praesumptive secundum illam agitur. Alii monent consuetudinem locorum in hoc puncto observandam esse, quae per accidens illicita fieri posset, si populus forte ex denuntiatione facta die non festo scandalizaretur.

1247. 2. Jubet Trident. ut denuntiationes fiant *tribus continuis diebus festivis*. Ex praxi patet haec verba non esse necessario ita intelligenda, ut illa festa sint immediate continua sine intervallo ferialium dierum; sed ut inter unam, et alteram denuntiationem non intermedient festa. Ait tamen *Bonacina* l. c. n. 15. cum *Sanch.*, *Gutierez* et aliis contra *Henriq.* parochum non peccare mortaliter, si unum vel alterum diem festum inter unam alteramve denuntiationem interponat; secus si multos dies festos, aut dominicos interponat; quia in secundo, non item in primo casu in re gravi censeretur graviter agere contra prohibitionem Ecclesiae. Praeterea *Sanchez* L. 3. d. 6. n. 8. *Pirrhing*, *Illsung*, et alii volunt inter unam et alteram proclamationem aliquot dies interponi debere, sicut decretum fuit in Conc. Moguntino sub *Sebastiano Archiepiscopo* cap. 38. et in Conc. Coloniensi sub *Adolpho Archiepiscopo*. Absolute tamen eas fieri posse in tribus immediate continuis festis, v. g. in triduo Paschatis, affirmant *Tambur.*, *Gonzalez*, *Pontius* et alii, quia sic vere adhuc secundum verba Tridentini proceditur. Itaque circa hoc respiciendum est ad statuta et praxim cujusque dioecesos. Denique si intra duos menses post factas denuntiationes matrimonium non contrahatur, denuo repetendae sunt; nisi aliter Episcopo videatur, ait *P. Antoine* ex *Rituali Romano*, quia interea potuit intervenire novum impedimentum, v. g. affinitatis.

1248. 3. Addit *Trident.* ut denunciationes fiant in *Ecclesia inter missarum solemnia:* ex praxi tamen diversarum Ecclesiarum huic legi satisfit, si fiant post concionem, vel alias publicas devotiones. Vide *Barbosam* de officio Episc. alleg. 32. n. 16. et 17. ubi asserit, denuntiationes hoc modo fieri in facie Ecclesiae non quidem materialiter, sed formaliter sumptae, hoc est in multitudine fidelium.

1249. 4. Vult *Tridentinum*, ut denuntiationes fiant *a proprio contrahentium Parocho*; ita tamen ut etiam alteri facultatem promulgandi possit concedere, sicut alteri Sacerdoti potest facultatem concedere assistendi matrimonio. Quod si igitur contrahentes pertineant ad diversas parochias, sub gravi

peccato (ut ait *Kugler* de imped. c. 4. §. 1. num. 231.) denuntiationes fieri debent in utriusque contrahentis parochia, uti patet ex praxi, et ex declaratione S. Congreg. 21. Febr. 1592. quam citat *Pignat.* t. 9. consult. 133. n. 90. *Ratio* est, quia uterque Parochus talium contrahentium est proprius; item quia in parochia sponsi non potest haberi notitia de impedimentis sponsae, et vicissim. Hinc etiam praxis obtinuit, ut Parochus unus non possit assistere matrimonio, nisi prius habeat testimonium alterius Parochi de denuntiationibus factis. Addit tamen *P. Kugler* de imped. c. 4. §. 1. n. 231. cum *Laym.*, *Sporer*, *Pirrihing*, *et Wiestner*, si alicubi vigeat consuetudo, ut contrahentes in solo loco contractus denuntientur, eam damnari non posse. Item quando ob locorum distantiam, vel ob rationabilem causam non posset id fieri in utriusque Parochia, in quo casu, si v. g. sponsus spectet ad aliam dioecesim, peti debet testimonium a Parocho loci, ubi natus et baptizatus est, qui testari debet, neque sibi, neque aliis privatim examinatis notum esse aliquod impedimentum. Juxta decretum *Clementis X.* anni 1670. 4. August. tales exteri remittendi sunt ad Ordinarium, et ab eo examinandi, an substent impedimento. De vagis ita statuit *Trid.* sess. 24. c. 7. de reform. matrim. *Multi sunt, qui vagantur et incertas habent sedes, et ut improbi sunt ingenii, prima uxore relicta, aliam, et plerumque plures, illa vivente, diversis in locis ducunt. Cui morbo cupiens sancta Synodus occurrere, omnes, ad quos spectat, paterne monet, ne hoc genus hominum vagantium ad matrimonium facile recipiant; magistratus etiam saeculares hortatur, ut eos severe coerceant: parochis autem praecipit, ne illorum matrimoniis intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, et re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint.* Hanc cautelam *Tridentini* ob identitatem rationis *Conink*, *Pirrhing* et alii merito extendunt ad illos peregrinos, et alienigenas, qui alibi domicilium fixum habentes contrahunt in loco, ubi ignoti sunt, quod tamen sine licentia Parochi dicti domicilii valide fieri non potest, nisi in novo loco aliud domicilium acquisiverint. Addit *Pignatellus* tom. 7. consult. 23. n. 2. praeter *inquisitionem* in vagos et ejusmodi peregrinos, et praeter licentiam Ordinarii insuper a *Congreg. Inquisitionis* requiri, ut fidem, aut testimoniales habeant a suis Ordinariis, quod sint liberi. Ex his colligitur, quod quidem vagorum matrimoniis quilibet Parochus, ad quem veniunt, valide assistat, cum alium proprium non habeant; illicite ta men assistat, peccetque mortaliter, si omittat diligentem inquisitionem, rem non deferat ad Ordinarium, et ab eodem non habeat licentiam; quia agit contra praeceptum grave *Tridentini*.

1250. Causae dispensandi super denuntiationibus sunt 1. Quando prudenter timetur malitiosum impedimentum nuptiis ponendum, v. g. per maleficium, vim, dolum, subornationem falsorum testium etc. 2. Nimius pudor, dum vel valde senes et decrepiti, vel valde dispares statu, conditione etc. contrahunt. 3. Si magnates contrahant. 4. Vicinitas temporis, quo prohibetur solemnitas nuptiarum; praestat enim denuntiationes omittere, si aliunde satis constet de carentia impedimenti, quam cum periculo incontinentiae, aut dissolutionis sponsalium nuptias differre. 5. Si renovetur prius matrimonium ex aliquo occulto impedimento irritum. 6. Si contrahentes sint vagi et ignoti, quia (ut ait *Gobat*) tali casu denuntiationes essent superfluae. Plura vide apud *Laym.* L. 5. t. 10. p. 2. c. 4. n. 11., *Kugler* hic n. 239. et seq. Nunquam absque commissione Episcopi dispensare potest parochus, sive ut penitus omittantur denunciationes, sive ut differantur post matrimonii contractum: si vero in articulo mortis concubinario contrahenti assistat, ubi accedere non posset ad Episcopum, non dispensaret; sed per epikeiam declararet, legem in tam arduo casu non obligare. *Parochus autem* (ut docet *Bened. XIV.* L. 7. de Synod. Dioeces. c. 69. n. 2.) *matrimonio interesse praesumens, cui legitimae non praecesserint denunciationes, suspensione ab officio triennio duratura, aut etiam gravi pri*

poena plecti jubetur, c. cum inhibitio §. fin. de clandest. despons... ipsis vero contrahentibus, qui Ecclesiae mandatum in re sane gravi contemnunt, condignam poenitentiam injungendam in eod. cap. statuitur.

1251. Porro de denunciationibus *Sporer* tradit sequentia de matrim. a n. 379. I. Denunciationes sunt quasi edictum, quo praecipitur fidelibus, ut si noverint aliquod impedimentum sive dirimens sive impediens, illud Parocho manifestent sub gravi obligatione, tum propter impediendum peccatum proximi, ad quod tenentur ex praecepto divino, tum propter reverentiam sacramenti, tum propter hoc ipsum praeceptum Ecclesiasticum ob gravem finem graviter obligans; id quod fidelibus inculcandum est in catechesi, et concionibus.

1252. II. Testis volens manifestare impedimentum dirimens conjunctum cum infamia, utpote ortum ex gravi delicto sponsi vel sponsae, debet servato ordine charitatis prius monere solum obnoxium illi impedimento, ut desistat a matrimonio, alioquin se suae conscientiae satisfacturum in eo denuntiando. Huic monitioni etiam repetitae si non acquiescat reus, servandum erit praeceptum Christi, *dic Ecclesiae*, ideoque manifestandum est Parocho, etiamsi illud impedimentum infamatorium nosses sub secreto naturali, aut jurasses te non manifestaturum; quia hic non agitur de punitione alterius, sed de peccato vitando, de reverentia sacramenti, de praecepto superioris, qui triplex titulus praevalet legi de servando secreto naturali, quod habetur extra confessionem sacramentalem. *Confirm.* ex S. Th. 2. 2. q. 70. a. 1. ad 2. ubi ait, secreto commissa esse manifestanda, ubi vergunt in damnum publicum, aut tertiae personae: atqui si adsit impedimentum dirimens, cederet in damnum animae vel unius vel utriusque mala fide contrahentis, et in irreverentiam sacramenti: ergo. Posset etiam testis amice suadere contrahenti, ut rem aperiat prudenti Confessario, qui media suggeret pro impetranda dispensatione.

1253. III. Haec obligatio manifestandi tunc cessat, quando ex revelatione imminet grave malum revelanti, sive *ex se*, v. g. si ipse revelans esset complex delicti, sive aliunde, v. g. quando timetur grave scandalum publicum ex revelatione, sive quando tertio innocenti immineret grave damnum vitae, fortunae, honoris, vel famae; tum quia non tenemur cum gravi nostro incommodo promovere correctionem proximi, vel impedire ejus peccatum, neque lex charitatis aut reverentia sacramenti obligat ad gravius incommodum aut scandalum; non enim facienda sunt mala, ut eveniant bona. Plura vide apud *Sanch.* L. 3. d. 13., *Gobat* hic n. 536. et seq.

1254. *Q.* II. An Quido potuerit, ac debuerit prohibere sponsos a contrahendo matrimonio ex eo, quod doctrinam Christianam ignoraverint. R. *Affir.* Patet ex epistola Encyclica *Bened. XIV.* (quae est in ejusdem Bullarii tom. 1. quadragesima secunda et incipit: *Etsi minime*, de doctrina Christiana populis tradenda) ubi §. 11. ita scripsit: *Verum cum matrimonio jungendi non sint, si Parochus, ut debet, prius interrogando, deprehendit, marem seu foeminam, quae ad salutem necessaria sunt, ignorare; vix tantae, ac tam luctuosae ignorantiae locum relinquet Episcopus, qui Pastores animarum moneat officii sui, et huic si desint, negligentiae repetat poenas.* Neque per hoc Episcopus aut Parochus dicendus est ponere novum impedimentum matrimonii, quia (ut idem Pontifex contra *Sanchez* L. 7. de Synodo Dioc. c. 29. n. 5. respondet) tantum sic inculcat impedimentum, quo illi ignorantes jam detinentur. Etenim *qui fidei rudimenta ignorat, quae ex gravi praecepto scire tenetur, quamdiu illa non addiscit, cum potest, versatur in statu peccati mortalis, ac propterea jure ac merito a matrimonio contrahendo arcetur.* Ibid. n. 6. docet, *quandoque evenire, ut quis praecipua fidei nostrae mysteria et sciat et credat, caetera pariter, quae necessitate praecepti sunt addiscenda, aliquo saltem rudi modo perceperit, sed quia hebetis est ingenii, et exilis memoriae post omnem adhibitam diligentiam illa memoria retinere, et recitare non valeat: in hoc autem rerum statu non debet per-*

petuo arceri a matrimonio, quod est institutum in officium naturae, et propterea nemini sine propria culpa est denegandum, sed curabit Parochus, ut qui eo memoriae defectu laborat, frequenter audiat, quae semel crasse didicit, ne ab ejus mente penitus elabantur.

Ex his liquet de quibus instituendum sit examen ante nuptias, scil. de necessariis necessitate medii, et praecepti, de actibus fidei, spei, charitatis, doloris de peccato, de matrimonio, an sit sacramentum, de gravibus obligationibus conjugum etc. Quando examen sit instituendum, debet desumi ex consuetudine cujuslibet dioecesos: per se loquendo praestaret, si praemitteretur tribus denuntiationibus, ut si forte ignari mysteriorum fidei esse reperiantur, adhuc possint instrui.

1255. *Q.* III. An Quido recte fecerit non assistendo matrimonio propter unicum testem de impedimento. R. *Affirmative*; est enim, teste *Bossio*, communis sententia Theologorum et Canonistarum, contra *Pontium* et *Dianam*, quod ad impediendum matrimonium, vel ad dissolvenda sponsalia sufficiat unus testis de impedimento, ut colligitur ex c. *Praeterea.* 12. de sponsal. Item ex c. *Super eo.* 22. de testib.; et probatur; quia unus testis, *si alioquin sit integrae existimationis*, saltem dubium facit valorem matrimonii, et oppositio impedimenti ipsis contrahentibus est favorabilis ut evitent magna incommoda, quae incurrerent per matrimonium invalidum: ergo recte etiam egit Quido, dum ipse rem non decidit, sed decidendam Ordinario reliquit.

ARTICULUS III. *De impedimentis dirimentibus matrimonium.*

Impedimenta dirimentia (de quibus singulis per singulos paragraphos nunc agemus) quindecim hodie numerantur, et designantur sequentibus versibus memoriae causa.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Ætas, affinis, si clandestinus, et impos,
Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto:
Haec facienda vetant connubia, facta retractant.

§. I. *Principia et resolutiones casuum de primo impedimento dirimente, scilicet de Errore.*

1256. *Praenotanda.* 1. Errare juxta *S. Aug.* in Enchir. c. 21. *est aliud pro alio putare.* Unde error sive contractus erroneus hic potest dici actus, quo quis putat se contrahere cum hac, vel tali persona, quae tamen non est haec, vel talis. 2. Juxta q. 1. causae XXIX. §. 2. *Error alius est personae, quando hic putatur esse Virgilius, cum sit Plato: alius fortunae, quando hic putatur esse dives, qui est pauper, vel e converso: alius conditionis, quando putatur esse liber, qui servus est: alius qualitatis, quando putatur esse bonus, qui malus est.* Communiter error fortunae reducitur ad errorem qualitatis. 3. Hinc alias error dicitur versari vel *circa qualitatem personae intrinsecam*, v. g. qui ducit personam, quam putat esse nobilem virginem, cum sit plebeja, aut corrupta: vel *circa qualitatem personae extrinsecam*, v. g. si ducat filiam, quam putat esse divitem, cum sit pauper. Si una pars se fingat talem, qualis non est, et sic inducat aliam partem ad contractum matrimonii, errori conjungitur *fraus et dolus.* Error subdividitur in antecedentem, et concomitantem. *Antecedens* dicitur, qui dat causam contractui, ita ut inducat ad volendum, et eo non existente, contractus non fieret: hic efficit, ut actus sit involontarius, cum nil volitum, quin praecognitum. *Concomitans*, qui non dat causam contractui, nec inducit ad volendum; hic error *non facit in-*

voluntarium, quia non causat aliquid voluntati repugnans; sed facit non voluntarium, quia non potest esse actu volitum, quod ignoratum est. Ita D. Th. 1.·2.·q. 6. a 8. in corp. Ex his statuitur

1257. *Principium* I. Error personae, sive circa substantiam personae irritat matrimonium, et quidem jure naturae. *Ratio* est, quia error personae, si sit antecedens, facit contractum matrimonii involuntarium circa substantiale ipsius objectum, quod est ipsa persona determinata a contrahente; si vero sit concomitans, licet non faciat contractum positive involuntarium, facit tamen negative involuntarium, quia incognitum non potest esse actu volitum; ergo uterque error tollit consensum, qui tamen absolute necessarius est ad omnem contractum, idque ex jure naturali, cum contractus sit consensus duorum vel plurium in idem placitum. *Confir.* ex q. 1. causae 29. supra cit. ubi expresse habetur: *Error vero personae et conditionis conjugii consensum non admittit.* Unde

1258. *Inferes* I. Quod Ecclesia in hoc impedimento dispensare non possit, quia ipsa non ponit hoc impedimentum, nec potest supplere consensum ad matrimonium requisitum.

1259. *Inferes* II. Quod neque valeat matrimonium infidelium cum dicto impedimento contractum, quia et hi subsunt legibus juris naturalis.

1260. *Principium* II. Error circa solam qualitatem personae: puta circa nobilitatem, divitias, virtutem, virginitatem, indolem bonam vel malam etc. non irritat matrimonium, tametsi proveniat ex dolo alterius contrahentis, et det causam contractui. Excipe 1. nisi contrahens actualem voluntatem habeat, et *expressam* apponat conditionem non accipiendi mulierem hanc in uxorem, nisi nobilis sit, aut virgo, aut dives etc. 2. Nisi error qualitatis redundet in errorem personae. Primam partem *Laym.* L. 5. t. 19. p. 4. c. 2. n. 2. vocat communem, et *ratio* est, quia stante errore circa qualitatem personae adest consensus absolutus in personam, cum qua contrahitur, et quae est objectum directum et substantiale hujus contractus; ergo sicut defectus accidentium non tollit substantiam rei, ita nec tollit consensum absolutum in rem ipsam. *Confirm.* 1. ex cit. q. 1. XXIX. §. 5. *Error fortunae, et qualitatis consensum non excludit.* S. Th. in 4. d. 30. q. 1. a. 2. ad 4. ait: *Diversitas fortunae non vitiat aliquid eorum, quae sunt de essentia matrimonii, nec diversitas qualitatis. Confirm.* 2. Matrimonium ex errore solius qualitatis initum nulla lege irritatur: ergo. *Confirm.* 3. Talis error tantum tollit consensum circa ignoratum: atqui rei substantia, scil. persona, non ignoratur, sed tantum qualitas; ergo non tollit consensum circa substantiam, sive personam. Denique si error circa qualitates vitiaret contractum matrimonii substantialiter, vix ullum matrimonium subsisteret, ut patet ex lamentis conjugum dicentium: Si te novissem esse talem, numquam tibi nupsissem.

Ratio exceptionis primae est, quia consensus conditionatus non subsistit non subsistente conditione, cui alligatur: atqui consensus expresse supponitur alligatus qualitati personae: ergo qualitate illa non subsistente non subsistit conctractus matrimonialis. *Ratio exceptionis secundae est,* quia si error qualitatis redundet in personam, impedit consensum circa objectum substantiale per ipsam qualitatem determinatum.

Applicatio principiorum

Casus I.

Laban habebat duas filias, nomen majoris Lia, minor vero appellabatur Rachel, quam diligens Jacob ait ad Laban: Serviam tibi pro Rachel septem annis. *Consensit Laban: expletis septem servitii annis Jacob petiit sponsam suam Rachel a patre, qui vocatis multis amicis ad convivium, fecit nuptias, et vespere Liam introduxit ad Jacob. Facto mane*

vidit Liam, et dixit ad Laban; Nonne pro Rachel servivi tibi, quare imposuisti mihi? *Genes* 29.

1261. Q. An validum et verum fuerit hoc conjugium. R. Fuit invalidum primitus ex errore circa personam, quia Jacob non consenserat in Liam, sed in Rachel; factum tamen postea est verum matrimonium, quando cognito errore novum dedit consensum. Ita expresse habetur in cit. q. 1. XXIX. §. 3. *Jacob ergo et Liam non fecit conjuges praecedens consensus, sed subsequens.*

Casus II.

Raymundus mercator valde dives, ut cum nobilibus affinitatem contrahat, petit a Rapsace, quem nobilem esse putat, ejus filiam, eamque primogenitam, quam prae reliquis prudentem, pulchram, et pudicam esse audierat. Rapsaces loco primogenitae dat secundogenitam non aeque bonam, dicens eam esse primogenitam. Raymundus bona fide contrahit, sed compertis postea erroribus Rapsaci filiam remittit.

1262. Q. An hoc matrimonium fuerit invalidum ex eo, quod sponsa non fuerit nobilis et primogenita. R. Si utraque qualitas fuerit a Raymundo primario intenta, et sponsam non aliter, nisi sub conditione, *si sit nobilis, et primogenita*, expresse et actualiter voluerit ducere, non fuit validum, quia error redundabat in personam; in solam enim nobilem et primogenitam consensit, et non in aliam: fuisset autem validum, si tantum in virginem praesentem, quam putabat esse nobilem et primogenitam, consensisset; quia tunc nullus error redundans in substantiam adfuisset. *Laym., Sporer* de imped. matrim. n. 7. et Communis. Dixi supra, si espresse et actualiter *non alitervoluit contrahere*: nam in foro externo, si talis conditio expresse apposita non probetur, standum est pro valore matrimonii; in foro autem conscientiae Raymundus debuit esse certus, quod contrahendo actualiter non alium habuerit animum, quam sub iis conditionibus contrahendi; sola enim habitualis intentio, vel potius talis dispositio non sufficit, qua quis ita comparatus est animo, ut non contraheret cum hac persona, si sciret eam non esse talem, qualem ipse putat, v. g. primogenitam, virginem, divitem etc. eoquod in contractu non attendatur ad id, quod quis faceret, si sciret, quae postmodum experitur, sed ad id, quod reipsa circa substantiam contractus facit. *Confirm.* Matrimonium est status perpetuus et indissolubilis; ergo nisi clare conditio excipiens circa qualitates exprimatur, inconveniens est, ut alligatus credatur qualitatibus, et accidentibus facile mutabilibus.

§. II. *De impedimento conditionis.*

1263. *Principium generale.* Impedimentum conditionis est, quod oritur ex ignorantia conditionis servilis, dum homo liber contrahit matrimonium cum mancipio, putans esse personam liberam. Per servum hic intelligitur stricte talis, scil. persona, quae vel ex nativitate, aut captivitate, vel emptione, aut aliunde domino alieno in perpetuum quoad dispositionem subest. Quod error conditionis invalidet matrimonium, constat ex c. *proposuit* 2. de conjug. serv., ubi *Alex. III.* ait separandum esse matrimonium, quando liber ignoranter contraxit cum ancilla, nisi postea hoc sciens illam cognoverit: idem constat ex c. 4. ibid. In c. 3. eod. tit. *Urbanus III.* statuit, quod (si alicubi ex consuetudine partus sequatur conditionem patris) natus ex libero et ancilla liber sit, et ut liber matrimonium contrahat.

Dixi supra, *dum homo liber* etc. Si enim servus contrahat matrimonium cum serva, valide et licite contrahit, etiam invito domino, ut constat ex c. *dignus est* 1. de conjug. serv. *Nec obstat.*, quod servi, invito domino, non admittantur ad professionem religiosam, aut sacros ordines; quia per hos servi

totaliter abstraherentur a servitiis domino suo debitis, hoc ipso, quod per professionem et sacros ordines quis in perpetuum servitio divino mancipetur, per matrimonium non eximitur servitiis domino praestandis. Dixi 2. *putans esse liberum;* si enim liber conditionem servilem alterius partis, cum qua contrahit, sciat, matrimonium valet, ut constat ex can. 2. 4. 5. XXIX. q. 2. et c. 2. ac fin. de conjug. serv.

1264. *Q.* I. An error conditionis dirimat matrimonium jure naturali, an ecclesiastico. ℟. Probabilius jure ecclesiastico; quia stante hoc errore adhuc manet substantialis consensus in hanc determinatam personam, et mutua corporum traditio; ergo contractus quoad substantiam subsistit, et nihil adest, quod impediat contractum ex jure naturae. Ita plurimi cum *Sanchez* L. 7. d. 19. contra non paucos *Manstrii* sequaces, qui affirmant, quod infideli decepto licet omni jure transire ad alias nuptias, postquam errorem conditionis cognoverit; secus secundum primae sententiae patronos.

1265. *Q.* II. An validum sit matrimonium personae liberae cum servo originario, et adscriptitio. ℟. *Affirm.* quia licet tales servi adscriptitii quamdam servitutis speciem praeseferant, eo quod dominis suis obstricti sint quoad certa obsequia, ita ut iis non liceat discedere a territorio sine remissione vel gratis facta, aut pretio remissionis persoluto, et insuper omnes praediorum redditus, dempto tantum necessario victu, dominis suis afferre debeant; proprie tamen servi et mancipia non sunt, sed liberi. *Confirm.* ex l. 7. c. 37. n. 4. *Bened. XIV.* de Synod. Diocces. ubi ita: *Quod autem affirmat Bohemerus jur. Eccles. Protestantium L. 4. tit. 9. §. 6., nempe in Pomerania, Westphalia, et Boemia, ubi adhuc remanent vestigia antiquae servitutis, et etiam hodie reperiuntur homines proprii, hoc est existentes sub dominorum proprietate, istorum connubia non esse aliter valida, quam ex dominorum consensu; aut est accipiendum de servorum conjugiis quoad effectus civiles; aut non est admittendum a Catholicis illis in regionibus degentibus, qui sanctioribus Ecclesiae legibus reguntur.*

§. III. *De impedimento voti.*

1266. *Princip. generale.* Votum solemne castitatis in religione approbata non tantum dirimit matrimonium contrahendum, aut subsequens, sed etiam jam contractum pure ratum, et nondum consummatum jure Ecclesiastico dissolvit; ita ut pars remanens in saeculo post professionem ab altero emissam possit et licite et valide inire aliud matrimonium; quem effectum non habet susceptio sacri ordinis, ut infra dicetur. Constat ex *Trid.* quod sess. 24. can. 6. de Sacr. matrim. ita definit: *Si quis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit:* et ibid. can. 9. *Si quis dixerit, Clericos in sacris ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto..., anathema sit.* Idem patet ex c. un. de voto in 6., et ex *S. Hier.* l. 2. contra Jovin. c. 7., ex *S. August.* in psalm. 38. et epist. 6. ad Theodorum Monachum.

Dixi, *votum solemne* etc., quia votum simplex castitatis non dirimit, sed impedit tantum ex supra dictis, quo minus licite contrahatur matrimonium. *Excipe* vota simplicia Soc. Jesu, quae ex speciali constitutione *Gregorii XIII.* in Bulla: *Ascendente Domino,* matrimonium contrahendum dirimunt, quamvis antea contractum non dissolvant. *Laym.* de imped. voti n. 2. cum *Vasq. et Sanch.*

1267. De eo, qui post emissum votum simplex castitatis init matrimonium, ita habet *S. Thomas* in 4. dist. 38. q. 1. a. 3. ad 3. *Qui contrahit matrimonium per verba de praesenti, post votum simplex non potest cogno-*

scere uxorem carnaliter sine peccato mortali, quia adhuc restat sibi facultas implendi continentiae votum ante matrimonium consummatum. Scil. intra duos menses jus adhuc habet ingrediendi religiosum ordinem: ergo vel deberet prius petere dispensationem, vel abstinere a copula, vel eligere religionem. Ibid. ad 4. addit D. Angelicus: *Talis post contractum matrimonium obligatur ad servandum votum; propter quod mortua uxore tenetur totaliter continere, et quia ex matrimonii vinculo non obligatur ad debitum petendum, ideo non potest petere debitum sine peccato, quamvis possit sine peccato reddere exigenti, postquam obligatus est ad hoc per carnalem copulam praecedentem. Hoc autem intelligendum est, sive mulier petat expresse, sive interpretative, ut quando mulier verecunda est, et vir sentit ejus voluntatem de redditione debiti; tunc enim sine peccato reddere potest, et praecipue si ei timet de periculo castitatis.*

1268. *Q.* II. Quas poenas incurrat Religiosus post professionem matrimonium contrahens. R. Ipso facto excommunicationem incurrit juxta Clement. un. L.4. de consang. et affin., ubi eamdem poenam incurrit contrahens cum moniali, aut cum constituto in sacro ordine. Praeterea perpetuus concubinatus foret, quamdiu ab Ordine Religioso post professionem, vel post susceptum sacrum ordinem apostata uteretur matrimonio.

§. IV. *De impedimento cognationis spiritualis.*

1269. *Praenotandum.* Impedimentum cognationis est, quod ex cognatione vel carnali, vel spirituali, vel legali oritur. De spirituali cognatione traditur sequens

1270. Principium generale. *Cognatio spiritualis* (quae est propinquitas personarum ex collatione, et susceptione sacramentorum Baptismi et Confirmationis proveniens) dirimit matrimonium contrahendum jure Ecclesiastico 1. inter baptizantem vel confirmantem, et inter baptizatum et confirmatum. 2. Inter baptizantem vel confirmantem, et inter parentes baptizati vel confirmati. 3. Inter patrinum vel matrinam, et inter baptizatum vel confirmatum. 4. Inter patrinum vel matrinam, et inter parentes baptizati vel confirmati. Patet ex *Trid.* sess. 24. c. 2. de reform. supra jam cit. n. 200. de Bapt. item n. 229. de confirm.

Dixi, *dirimit matrimonium contrahendum;* prius enim jam contractum non dirimit, v. g. si maritus baptizet, vel levet propriam prolem ex sua uxore natam, propterea non contrahit impedimentum, quo dissolvatur matrimonium, ex quo suscepit prolem a se baptizatam. Patet ex c. *Si vir.* 2. de cognat. spirit.

1271. *Si quaeras,* an in tali casu maritus baptizans, vel levans propriam prolem saltem privetur jure petendi debitum conjugale, vel liberetur obligatione illud reddendi. R. 1. Si id fiat in casu necessitatis, quo aliud baptizans vel levans commode non possit haberi, non privatur dicto jure, c. *ad limina.* 7. XXX. q. 1. Nec privatur illo jure, si ex probabili ignorantia juris vel facti faciat; esset enim poena privans jure jam quaesito, quae ab ignorante non incurritur: si autem liberaretur ab obligatione reddendi debitum, id cederet in praejudicium conjugis innocentis. R. 2. Si extra casum necessitatis baptizet vel levet pater vel mater propriam prolem, sive scienter sive ignoranter, probabilius nec tunc privatur jure petendi debitum, nec liberatur ab obligatione illud reddendi, ut affirmant *Krimer, et Pichler* l. 4. Decret. tit. 11. de cogn. spirit. n. 7. cum *Amadaeo, Corvino,* contra alios graves AA. *Ratio* eruitur ex cit. c. *Si vir.* 2. de cognat. spirit. ubi *Alexander III.* ait: *Nobis videtur, quod sive ex ignorantia, sive ex malitia id fecerint* (maritus vel uxor) *non sint ab invicem separandi, nec alter alteri debitum debeat subtrahere, nisi ad continentiam servandam possint induci.* Rubrica autem hujus c. sic habet: *Compaternitas scienter vel ignoranter superve-*

niens inter conjuges conjugium non dissolvit. Vide etiam c. 5. eod. tit. et can. 5. XXX. q. 1. *Confirm.* Tale impedimentum usus conjugalis nullibi claro jure expressum est, sed nititur solo doctorum consensu (ut fatetur *Laym.* hic contrarius L. 5. t. 10. p. 4. c. 8. n. 8.) ac praeterea privatio juris petendi debitum esset poena, et liberatio ab obligatione reddendi debitum studiose quaesita per baptizationem vel levationem propriae prolis cederet in grave praejudicium innocentis conjugis. *Subsumo*: atqui poena non debet asseri sine claro et expresso textu juris, praesertim si illa simul cedat in grave praejudicium alterius: ergo. Objectiones fuse solvit *Pichler.* l. c. et *Kugler* p. 2. de Impedim. matrim. q. 48. a n. 1909.

1272. Praeterea *resolves* I. Jure antiquo erant species cognationis spiritualis scil. 1. *Paternitas* inter baptizantem, confirmantem, patrinos ex una, et baptizatum vel confirmatum ex altera parte, quia hi sunt veluti patres spirituales respectu baptizati vel confirmati. 2. *Compaternitas* inter baptizantem, confirmantem, patrinos ex una, et parentes baptizati vel confirmati ex altera parte, quia hi omnes sunt compatres vel simul patres respectu baptizati vel confirmati: et haec vocabatur *directa* compaternitas. 3. *Indirecta* autem se extendebat etiam ad uxorem baptizantis, confirmantis, et patrini, ut habetur c. *Martinus*, de cognat. spirit. 4. *Confraternitas* quae intercedebat inter baptizatum vel confirmatum ex una, et inter naturales proles baptizantis vel confirmantis ex altera parte, ut habetur in c. 1. et 3. de cognat. spirit. Sed jure novo Tridentini duae postremae cognationes cessant, et sola manet paternitas et compaternitas directa. Unde hodie non contrahitur cognatio spiritualis cum effectu impediendi matrimonium inter patrinum et matrinam, neque inter plures patrinos et matrinas, si simul adhibeantur, neque inter illos, qui baptizantur vel confirmantur ab eodem ministro, neque inter baptizantem vel confirmantem et patrinos, neque cum parentibus vel uxore ministri, neque cum conjuge patrini vel matrinae, neque cum liberis, vel vitrico, vel noverca baptizati vel confirmati. *La Croix* L. 6. p. 3. n. 596.

1273. II. Qui assistit tantum, quando supplentur caeremoniae post baptismum privatum in necessitate collatum, non contrahit cognationem spiritualem, ut probat *Pignat.* ex Decret. S. Congreg. t. 7. consult. 93. n. 4. quia haec suppletio non est baptismus.

1274. III. Si designatus patrinus per legatum vel procuratorem suscipiat baptizandum vel confirmandum, mandans, non procurator contrahit cognationem spiritualem. Ita teste *Tambur.*, *Fagnan.*, *et Pignat.* est decisum a S. Congreg., quia procurator non agit suo, sed sui principalis nomine. Vide *Laym.* l. c. n. 4.

1275. IV. Ut baptizans cognationem contrahat 1. Debet baptismus esse validus, alias nullus eam contrahet. 2. Debet *absolute* primum conferri baptismus. 3. Debet baptizans esse fidelis sive baptizatus, quia non baptizatus non subjacet legibus Ecclesiasticis, unde talis, si postea adhuc baptizetur, posset puellam a se baptizatam uxorem ducere. Similiter, si parentes baptizati non sint fideles, cum his non contrahitur cognatio. Non tamen necessario requiritur, ut baptismus sit solemnis. Hinc etiam in necessitate baptizans (excepto parente, ut dixi num. 1270. contrahit impedimentum cognationis spiritualis: tum quia etiam non solemniter baptizans vere est spiritualiter regenerans; tum quia Ecclesia statuens hoc impedimentum non distinguit inter baptismum solemnem, et non solemnem. *Sanch.* L. 6. d. 62. num. 10. Ideo sponsus in necessitate baptizans prolem suae sponsae, contrahit impedimentum futuri matrimonii, solvunturque sponsalia, quamvis nesciret esse prolem suae sponsae, quia vere esset baptizans hujus determinatae prolis. Similiter si in privato baptismo in necessitate collato proles tenetur *formaliter*, h. e. cum intentione obeundi munus patrini, probabilius contrahitur cognatio, ex ratione mox data: secus si tantum *ma-*

terialiter teneatur, ut commodius administretur baptismus, uti in necessitate saepe contingit. Ita *Schmalzgruber* h. t. n. 55.

1276. V. Si plures, praeter unum et unam a parentibus vel Parocho designatos, ab iisdem non designati tangant, vel levent baptizatum, illi non contrahunt cognationem spiritualem, ut clare colligitur ex verbis *Trid.* l. c. *Quid? si per errorem contra Trid.* plures fuerint designati a parentibus, et admissi a Parocho, cum ab eo debuerint repelli. R. Si fuerint designati successive, solus primus, vel solum duo primi designati, scil. unus, et una contraherent cognationem spiritualem; quia hi haberent omnes conditiones a Tridentino praescriptas: eodem modo, si plures designati successive tangerent baptizandum, solus primo tangens, vel unus et una primo tangentes illam contraherent. Si vero plures vel designati, vel non designati contra regulam Tridentini simul tangerent, probabilius nullus contraheret cognationem spiritualem. Ita *Kugler* p. 9. de Impedim. matrim. n. 1360. et n. 1915. et 1920. cum multis contra multos. Et *ratio* est, quia Tridentinum videtur tanquam formam ad hoc, ut quis valide agat patrinum, requirere designationem, et efficaciter intendit vitare multiplicationem patrinorum, ac inde consequentium cognationum; ergo non observata lege Trident. vel per omissionem designationis, vel per multiplicationem patrinorum sine distinctione unius primarii vel primariae, valide non suscipitur munus patrini. Utrum in casu, quo plures, licet contra praescriptum *Trident.*, simul tenent eumdem confirmandum sub Confirmatione, contrahant singuli cognationem spiritualem, iterum multi contra multos negant. *Clericatus* de Confirm. decis. 60. affirmativam tenet ex variis declarationibus S. Congreg., unde infert: Si uterque patrinus fuerat designatus a parentibus ad suscipiendum simul puerum in Confirmatione, ambo contraxerunt cognationem spiritualem: si vero eorum alter non fuerat designatus, sed Episcopo non advertente se intruserat in illa susceptione, hic nullam contraxit cognationem. Ibid. plura.

§. V. *De cognatione legali.*

1277. *Praenotandum.* Cognatio legalis est propinquitas orta ex adoptione: dicitur *legalis*, quia a legibus inducta, originaliter quidem ex dispositione juris civilis, approbata postea a sacris canonibus. Est autem adoptio inventa in solatium orbitatis filiorum, per quam filios suscepisse videatur, qui illos non procreavit, ut arguitur in l. *si is, qui filium* ff. de adopt. Porro adoptio est duplex, scil. *perfecta*, quae dicitur *arrogatio*. Haec fit dum persona extranea sui juris, ex Principis rescripto ita transit in potestatem et familiam adoptantis, ut perinde ac filius legitimus et naturalis, fiat ejus haeres necessarius, tam ab intestato, quam ex testamento §. *cum autem.* 3. Instit. de adopt. item l. *impuberem* 2. Cod. de adopt. Altera *imperfecta*, alias *adoptatio simplex et in specie* dicta, quae fit plerumque, dum persona extranea (h. e. quae non est ex descendentibus adoptantis ceu filius aut filia, nepos aut neptis etc. quamvis alio modo possit esse consanguinea) constituta sub sui naturalis patris seu avi potestate, solius magistratus, alteriusve judicis competentis auctoritate in filium aut nepotem adsciscitur quin tamen transeat in familiam et potestatem adoptantis, cujus propterea non fit haeres necessarius ex testamento, in quo praeteriri potest, licet eidem succedat ab intestato, §. 1. vers. *sed et hodie* Instit. de adopt. Denique haec cognatio iterum dividitur in tres species, scil. in paternitatem, fraternitatem, et affinitatem; de quibus statuitur

1278. *Principium generale.* Non solum paternitas, et fraternitas, sed etiam affinitas legalis dirimit matrimonium contrahendum. Hoc princip. doctissime exponit. *Bened. XIV.* L. 7. de Synod. Dioeces. c. 36. n. 4. ubi ait: *Civiles leges irritas decrevere nuptias, primo inter adoptantem et adoptatum, atque ab isto descendentes, leg. Quin etiam* 15. *ff. de rit. nuptiar.* Inter hos cognatio

vocatur paternitas. *Secundo inter adoptatum, et filios naturales adoptantis. leg. Per adopt.* 17. *ff. eod.* §. *inter eas. Instit. de nupt.* Haec vocatur fraternitas. *Tertio inter adoptantem, et uxorem adoptati, ac vicissim inter adoptatum, et uxorem adoptantis. leg. Adoptivus* 14. *ff. cit.* Haec dicitur affinitas. Ibid. ita pergit: *At id discriminis inter enumeratas personas adoptione conjunctas intercedere leges voluere, ut inter primas, quae sunt quodammodo in linea recta ascendentium et descendentium, nunquam, ne soluta quidem adoptione, matrimonium consistere valeat; ut enim dicitur in cit. leg. Quin etiam, semper nefas reputatur eam uxorem ducere, quae per adoptionem filia, aut neptis fuit; idemque servandum edixere inter personas tertii generis, inter quas semel ortam ex adoptione affinitatis speciem, quae matrimonio contrahendo obicem ponit, perpetuam esse decernunt. Quocirca adoptivus filius, si emancipetur, eam, quae patris adoptivi uxor est, ducere non potest, quia novercae locum habet, inquit textus in cit. leg. Adoptivus, ff. de rit. nupt. Sed inter personas secundi generis, quae adoptione interveniente sibi e latere juncti videntur, impedimentum durat, quamdiu durat adoptio, seu quamdiu filii permanent sub patria potestate; sicuti habetur in cit. leg. Per adoptionem.* 17. *de rit. nupt. Soluta vero patria potestate vel per mortem adoptantis, vel per emancipationem filii sive adoptivi, sive naturalis, cessat impedimentum, et potest filius adoptivus in uxorem ducere filiam naturalem ejus, a quo fuerat adoptatus, juxta apertum textum in cit.* §. *Inter eas. Instit. de nupt.*

1279. *Q.* I. Si quaestio incidat in tribunali Ecclesiastico, an in hoc vel illo casu adsit impedimentum cognationis legalis, quo recurrendum sit: respondet idem *Bened. XIV.* l. c. n. 5. *Necessario recurrendum erit ad leges civiles, atque ad earumdem normam controversia decidenda.* Rationem praemiserat: *Quia et cognationem legalem, et quae ex ea ad nuptias profluunt obstacula, eo prorsus modo, quo a jure civili statuta fuerant, universim recepit, approbavitque Nicolaus I. in responsione ad consulta Bulgarorum cap.* 2. *cujus responsionis fragmenta referuntur in can. Ita diligere XXX. q.* 3. *et in cap. unic. de cognat. legal.*

1280. *Q.* II. An sola cognatio orta ex arrogatione sive adoptione perfecta inducat impedimentum dirimens matrimonium, an etiam orta ex adoptione imperfecta. Respondet hucusque laudatus Pontifex ibid. (postquam utriusque sententiae patronos recensuit): *Itaque cum indecisa maneat controversia, si de ea in Synodo agendum foret, ex solis juris civilis sanctionibus posset definiri.*

§. VI. *De cognatione carnali, seu consanguinitate.*

1281. *Praenotandum* 1. Cognatio carnalis, sive naturalis, aut consanguinitas (juxta *S. Thom.* in 4. dist. 40. q. un. a. 1.) *est vinculum personarum ab eodem stipite descendentium, carnali propagatione contractum,* vel est propinquitas sanguinis inter personas, quae ab eodem stipite sive progenitore propinquo immediate vel mediate descendunt. Dixi, *ab eodem stipite propinquo,* non a quovis remoto; alias omnes posteri Adae essent inter se consanguinei. 2. Hic in ordine ad matrimonium non attenditur ad discrimen inter cognatos, et agnatos, sicut ad successionem in feudis. Stricte, *cognati sunt, qui per foeminini sexus personas cognatione conjuncti sunt: sic amitae tuae filius est tibi cognatus. Agnati sunt per virilis sexus cognationem conjuncti, veluti frater ex eodem patre natus, fratris filius neposve.* L. 1. Instit. tit. 15.

1282. *Principium generale.* Consanguinitas *in linea transversa* jure Ecclesiastico dirimit matrimonium hodie usque ad quartum gradum inclusive, in linea autem recta probabilius in infinitum, et quidem sine distinctione, an consanguinitas orta sit ex copula licita, vel illicita, v. g. per fornicationem etc.

Prima pars patet ex c. *non debet*. 8. de consang. et affin. Dixi, *Jure Ecclesiastico*, ut certum est de 2. 3. et 4. gradu. An quoad primum gradum dirimat jure naturae matrimonium, v. g. inter fratrem et sororem, an etiam solo jure Ecclesiastico, probabiliter utrinque defenditur. Vide *P. Kugler* p. 2. de Imped. matrim. n. 1874. et seq. *Secunda pars* probatur ex leg. *Nuptiae*. 53. ff. de rit. nuptiar. *Nuptiae consistere non possunt inter eas personas, quae in numero parentum, liberorumve sunt, sive proximi, sive ulterioris gradus sint, usque ad infinitum:* ergo cum sacri canones nihil contra statuant in hac materia, probabilius censentur sequi jus civile juxta c. 1. de N. O. N. Unde infertur, quod cum omnes linea recta descendant ab Adamo, ille si jam rediret in mundum, nullam posset ducere uxorem sine dispensatione. Porro juxta communem consanguinitas in primo gradu *lineae rectae* jure naturae dirimit matrimonium, ita ut summus Pontifex non valeat dispensare circa matrimonium inter patrem et filiam, matrem et filium. Idem juxta probabiliorem tenendum est de secundo gradu. *Tertia pars* probatur ex eo, quod Tridentinum quoad consanguinitatem ortam ex copula illicita nihil immutaverit, licet affinitatis impedimentum ex copula illicita ortum ad secundum tantum gradum restrinxerit: ergo si jus non distinguat, neque nobis fas est quoad hunc passum distinguere. *Confirm.* Per generationem fornicariam aeque communicatur idem sanguis, quam per licitam et honestam in thoro legitimo: ergo etiam cognatio orta ex copula illicita aeque impedit matrimonium, ac orta ex legitimo matrimonio. Ante resolut. cas. annectimus arborem consanguinitatis.

Applicatio principii, et usus hujus Arboris.

Robertus Parochus audit ex communi rumore Reginaldum, et Reginam, qui nuper solemniter contraxerunt matrimonium, esse consanguineos; ideo vocat Reginaldum, et sciscitatur, an et quomodo sit consanguineus cum Regina? respondet Reginaldus: Sum equidem, sed valde remote, scil. meus pater fuit frater proavi Reginae meae. Hinc ambo dubii haerent de gradu consanguinitatis.

1283. *Q.* I. Unde quis dignoscere possit, in quo consanguinitatis gradu distent inter se duae personae. R. Ex arbore sive schemate consanguinitatis. Est autem haec arbor ordinata series personarum ab uno stipite descendentium, diversos continens gradus secundum majorem vel minorem propinquitatem. Nomine *stipitis* intelligitur illa persona, a qua originem ducunt illae, de quarum cognatione quaeritur, et in qua coincidunt proxime. In hac serie duplex distinguitur linea, scil. recta, et transversa. *Linea recta*, quae est in medio posita, continet illas personas, quarum una ab altera originem ducit: ideoque recta dicitur, quia continet directos gradus per quos ad progenitores ascenditur, et ad progenitos descenditur ad neutrum latus deflectendo, et hoc modo linea recta alia est *ascendentium*, alia *descendentium*. Linea *transversa* seu *collateralis*, quae ad latus deflectit, continet illas personas, quae omnes quidem ab uno communi stipite descendunt, ita tamen ut neutra earum per generationem procedat ab altera, v. g. frater et soror. Linea transversa iterum duplex est: alia *aequalis*, quando personae, de quarum consanguinitate quaeritur, a communi stipite aequali numero graduum distant, v. g. frater et soror, vel duo fratres uno gradu a patre distant. *Inaequalis* est quando personae a communi stipite distant inaequali numero graduum, v. g. Cajus ejusque neptis ex fratre; ille enim uno gradu, haec duobus gradibus distat a patre Caji, qui communis utriusque stipes est. Denique nomine graduum consanguinitatis intelligitur distantia unius personae ab altera in eadem linea consanguinitatis a communi stipite.

1284. *Q.* II. Quomodo in praxi computandi sint gradus consanguinitatis. R. Pro hac computatione tres communiter statuuntur regulae. Prima pro *linea*


Arbor Consanguinitatis
Arbor Affinitatis
De Jure tum Canonico tum Civili

recta tam canonico, quam civili jure recepta est sequens: *Tot sunt gradus, quot personae, una dempta*, scil. communi stipite. Eadem regula aliis verbis exprimitur: *Tot sunt gradus, quot generationes intercedunt.* Sic si respicias patrem et filium, generatio proxima una est; si personas, duae: ergo dempta una, scil. patre, in linea descendente filius a patre distat uno gradu. Si desideres gradum inter avum et nepotem, habes tres personas, avum, patrem, filium, item duas generationes, scil. nepos respectu avi genitus a patre, pater genitus ab avo, ideoque avus et nepos consanguinei sunt in 2. gradu, et sic deinceps in linea tum ascendente, tum descendente.

1285. Secunda regula respectu *lineae transversae aequalis* est: *Quo gradu distant personae* (de quarum consanguinitate quaeritur) *a communi stipite, eodem distant inter se.* Sic respectu fratris et sororis, qui sunt in linea transversa aequali, communis stipes est pater, ab hoc distat uno gradu frater, soror itidem uno: ergo etiam uno distant inter se. Pariter duo patrueles, h. e. duorum fratrum filii, distant ab eodem communi stipite, scil. avo suo singuli duobus gradibus: ergo etiam consanguinei sunt inter se in 2. gradu, et sic deinceps.

1286. Tertia regula respectu *lineae transversae inaequalis* est: *Quo gradu remotior persona distat a communi stipite, eodem distant inter se consanguinei.* Hinc si unus distet a communi stipite duobus gradibus, et ejus consanguinea tribus, contingunt se solum in 3. gradu. c. *Vir.* 9. de cons. et affin.

1287. *Q.* III. Quid sit in praxi agendum investigaturo propinquitatem consanguineorum. R. Vel 1. inspice arborem consanguinitatis, et vide, in qua linea, et in quibus cellulis reperias personas secundum nomina generalia fratris, sororis, nepotis etc. ibi positas, de quarum consanguinitate dubium est, et attende, quot gradibus distent a communi stipite, tot etiam distabunt inter se, si sint in linea aequali; si in inaequali, tot distabunt inter se gradibus, quot gradibus remotior persona distat a communi stipite, ut mox dictum est: v. g. pone Reginaldum, de quo supra quaerebatur, in cellula media, ubi vides Petrucium: immediate supra invenies patrem Reginaldi, a latere dextro patruum, sive fratrem patris hujus Reginaldi: horum amborum pater est stipes communis, a quo distat Reginaldus duobus gradibus, tanquam ab avo suo. Deinde ex cellula patrui, proavi Reginae descende, et in proxime inferiore cogita filium vel filiam, in sequenti nepotem vel neptem, in subsequenti pronepotem vel proneptem, ac proinde Regina proneptis est respectu hujus patrui, abneptis autem respectu stipitis communis, a quo cum distet quatuor gradibus, hinc Reginaldus et Regina sunt consanguinei lineae transversae inaequalis in 4. gradu, attingente secundum. *Quid?* si Titius et Berta sint consanguinei in gradu mixto ex 4. et 5. R. Non sunt impediti (patet ex c. fin. *Vir, qui*, de consang.) nisi alicubi sit contraria consuetudo. Hinc et communior cum *Sanch.* L. 7. d. 53. docet, tales posse contrahere, quamvis ex una parte attingeretur gradus primus, ex altera quintus; quia Titius non esset conjunctum cum Berta in 4. gradu. Vide *La Croix* hic n. 613.

1288. Vel 2. si praeplacet methodus *P. Gobat* et *La Croix*, scribe in parte inferiore chartae nomen sponsi ad sinistrum latus, ad dextrum autem nomen sponsae: supra sponsum describe, semper ascendendo a proximioribus, nomina illorum sponsi cognatorum, qui ex hac parte dicuntur dedisse causam cognationis: similiter scribe in altero latere nomina eorum, qui ex parte sponsae dicuntur causae cognationis, donec pervenias ad communem stipitem, a quo sponsus et sponsa sint mediate geniti; si non inveniatur talis stipes, certum est, quod nulla intercedat consanguinitas, sed forte affinitas. Si invenias communem stipitem, considera an sponsus et sponsa pertineant ad lineam rectam vel transversam, aequalem vel inaequalem, et applica regulas supra traditas.

1289. *Observa.* In adjuncto schemate, quod in quavis cellula duo numeri signentur, superior sive numerus Romanus significat gradum secundum jus ca-

nonicum: inferior sive arabicus gradum secundum jus civile; de jure enim civili sine ulla distinctione inter lineas statuitur unica regula, quam supra pro linea recta statuimus, scil. *tot sunt gradus, quot sunt generationes;* vel, *tot sunt gradus, quot personae, una dempta.* leg. 10. §. 9. et seq. ff. de gradibus. Hinc de jure civili non datur gradus primus in linea transversa, et frater ac soror jam distant duobus gradibus. Vide *P. Pichler* h. tit.

§. VII. *De affinitate.*

1290. *Principium I.* Affinitas est propinquitas personarum ex copula carnali perfecta proveniens, sive sit copula licita matrimonialis, sive illicita ex fornicatione, adulterio aut stupro: nec refert, utrum carnalis copula fiat cum volente, ignorante, ebria, aut coacta, modo copula perfecta sit per emissionem seminis ex viro in vas naturale mulieris; aeque enim per copulam licitam, ac per illicitam vir et mulier fiunt una caro, juxta Apost. 1. Cor. 6. v. 16.: *Quoniam qui adhaeret meretrici, unum corpus efficitur; erunt enim* (inquit) *duo in carne una.* Ideoque si Titius et Caja carnaliter conjungantur, omnes consanguinei Titii secundum eumdem gradum, quo consanguinei ipsius sunt, fiunt etiam affines Cajae, et omnes consanguinei Cajae fiunt affines Titii.

1291. *Principium II.* Affinitas orta ex copula licita sive matrimoniali impedit ac dirimit matrimonium inter virum, et uxoris consanguineos usque ad quartum gradum inclusive; ideoque Titius nec licite nec valide contrahit matrimonium cum Cajae defunctae uxoris suae consanguineis usque ad quartum gradum inclusive; neque Caja cum consanguineis defuncti Titii etiam intra quartum gradum. Affinitas vero orta ex copula illicita perfecta impedit, ac dirimit matrimonium usque ad secundum gradum inclusive. Ita *Trid.* sess. 24. c. 4. de reform. matrim. Tollendo autem impedimentum *dirimens* sustulit Tridentinum simul etiam impediens, ita ut ultra gradum secundum affinitatis illicitae non amplius prohibitum sit matrimonium, uti probat *P. Pichler* de affinit. n. 25. ex motu proprio *S. Pii V.* anno 1566. in constit. *Ad romanum.*

1292. Denique affinitas, quam conjugatus contraxit cum conjuge, si cum ejusdem consanguinea intra secundum gradum incestum committat, impedit illum, quominus ipsi liceat petere debitum, quamvis innocenti conjugi reddere teneatur. *Laym.* L. 5. t. 10. p. 4. c. 5. n. 3.

Applicatio principiorum generalium.

Rabanus cogitans contrahere cum Rosalia recordatur, quod multa commiserit peccata venerea cum Rosa sorore Rosaliae; ideoque ex confessario quaerit, an subsit impedimentum. Interim Rosalia alteri ditiori nubit. Hinc Rabanus contrahit cum uxore privigni sui nuper defuncti.

1293. *Q.* I. Quid confessarius debuerit respondere Rabano. R. Categorice non potuit statim respondere, quod subsit impedimentum ex accusatione generica de peccatis venereis: sed caute ac prudenter prius debuit quaerere, an ita egerit cum Rosa, ut potuerit inde esse praegnans, vel aliis verbis elicere, ut cognoscere potuerit, an copulam perfectam habuerit; si enim soli tactus impudici, vel copula attentata praecesserit, non aderat impedimentum. Id quod semper bene notandum est. Si vere Rabanus copulam perfectam habuerit cum Rosa, non poterat ducere Rosaliam sororem.

1294. *Q.* II. An matrimonium Rabani vitrici cum uxore privigni fuerit validum. R. *Affirmative.* Ita expresse *Bened. XIV.* L. 7. de Synod. Dioeces. c. 39. ubi postquam R. 1. retulit argumenta pro negativa, n. 2. expresse ait; *Sacra Congregatio die* 8. *Martii* 1721. *validum pronuntiavit matrimonium inter vitricum, et uxorem privigni contractum*: ibique docet, *triplex olim*

fuisse affinitatis genus, primum una dumtaxat media persona, alterum duabus, tertium tribus personis mediis contrahebatur, v. g. quoad primum, *si Titius frater Caji matrimonium iniisset, et consummasset cum Berta, haec Caji affinis erat, sicuti nunc est, in primo genere affinitatis.* Quoad secundum genus: *Si, mortuo Titio, Berta matrimonio jungebatur cum Sempronio, Sempronius alter Bertae maritus, et Cajum, et omnes defuncti Titii consanguineos secundo affinitatis genere contingebat.* Quoad tertium: *Si demum, mortua Berta, Sempronius aliud conjugium celebrasset cum Naevia, etiam cum hac et Cajus, et omnes consanguinei Titii tertio affinitatis genere conjungebantur. Ex his porro affinitatis speciebus quaelibet matrimonio valide contrahendo obstabat.... Sed Innocentius III.* (in c. non debet, de consang. et affin.) *secundam et tertiam affinitatis speciem abolevit et abrogavit, statuitque, ut deinceps sola affinitas primi generis usque ad quartum gradum matrimonium impediret, et dirimeret... Unde ab omnibus Canonistis, instar regulae nullam habentis limitationem, usurpatur commune illud effatum: Affinitas non parit affinitatem.* Postea n. 3. infert: *Jam vero cum vitricus, et uxor privigni, secundo dumtaxat et non primo affinitatis genere inter se conjungantur, necessario inde consequitur, nullo nunc detineri impedimento canonico, quominus possint validum matrimonium inter se contrahere.* Neque obstat impedimentum publicae honestatis, de quo infra.

1295. *Q.* III. Quaenam sint regulae pro affinitatis gradibus dignoscendis. R. Unica haec regula constanter observanda. *Vir vel maritus solus fit affinis cum consanguineis mulieris vel uxoris carnaliter cognitae usque ad quartum gradum inclusive per copulam licitam, per illicitam usque ad secundum, ut dictum est, ac vicissim hi consanguinei fiunt affines cum viro, et quidem in eo gradu, in quo sunt consanguinei mulieris vel uxoris.* Et pariter: *mulier vel uxor sola fit affinis cum consanguineis viri, et hi consanguinei fiunt affines cum muliere vel uxore, et quidem in eo gradu, in quo sunt consanguinei viro.* Ex his inferes

1296. I. Quod consanguinei uxoris, et consanguinei mariti, quamvis vulgo dicantur affines, inter se tamen nullam contrahant affinitatem, prout haec est impedimentum dirimens matrimonium; quia inter utriusque partis consanguineos deficit fundamentum affinitatis, quod est copula carnalis, quae tantummodo illum, qui habet copulam cum hac, connectit cum consanguineis personae carnaliter cognitae. Ideoque II. duo fratres possunt matrimonium contrahere cum duabus sororibus alterius familiae, sive sibi aliunde non consanguineis. III. Pater, et filius valide contrahunt cum matre et filia alterius cognationis. IV. Valide contrahit filius Titii ex prima uxore cum filia ejusdem Titii privigna, seu nata ex alio marito. Similiter si viduus et vidua copulentur, et adducant liberos ex priore matrimonio, hi comprivigni valide inter se contrahunt matrimonium. V. Frater vitrici potest ducere hujus privignam. VI. Item Cajus privignus vitrici sui matrem. VII. Sempronius valide ducit successive Cajam et Titiam, quarum mariti erant fratres. VIII. Titius valide contrahit cum privigna uxoris suae defunctae etc. etc.

1297. Porro ad cognoscendam affinium distantiam inter se iterum juvat inspicere arborem affinitatis, quam arbori consanguinitatis annexam supra pag. 368. videre licet, cum hac distinctione, quod stipes in affinitate non sit unus, sed duplex, scil. mas et foemina, inter quos intercessit copula carnalis; qui tamen inter se non dicuntur affines, sed principium et fundamentum affinitatis, quatenus efficiuntur una caro; gradus autem computantur eodem modo secundum lineam rectam, et transversam, sicut de consanguinitate dictum est, ita ut, qui est uxoris consanguineus in primo gradu, sive in linea recta, sive transversa, is censeatur affinis marito in eodem gradu, et vicissim. *P. Pichler* facilem tradit methodum formandi ideam graduum affinitatis per polli-

ces decussatim sibi impositos, qui repraesentat maritum et uxorem, 4. digiti dextrae manus consanguineos mariti indicant, sinistrae vero consanguineos uxoris. Sed hic modus facilius in praxi, quam verbis scribi potest ad captum.

1298. *Q.* IV. An affinitas, quae ex matrimonio causatur, jure naturae dirimat matrimonium in primo gradu lineae rectae. R. *Id certum non est, cum probatissimi AA. doceant contrarium, nullam affinitatem, ne eam quidem, quae est in primo gradu lineae rectae, dirimere matrimonium jure naturae, sed jure tantum Ecclesiastico, et consequenter super eo impedimento, gravissimis urgentibus causis, posse a summo Pontifice dispensari ... At quidquid sit de potestate, a simili dispensatione Romani Pontifices, etsi plurics rogati, abstinuerunt.* Ita *Bened. XIV.* in mox laudato L. 7. de Synod. Dioeces. c. 39. n. 4.

§. VIII. *De impedimento criminis.*

1299. Impedimentum criminis est inhabilitas ad contrahendum matrimonium orta vel ex *adulterio*, vel ex conjugicidio, sive *machinatione mortis facta conjugi cum proposito alterius determinati matrimonii contrahendi.* Haec duo crimina matrimonium subsequens jure Ecclesiastico dirimunt. Ex adulterio autem duobus modis contrahitur hoc impedimentum: 1. Si adulteri, durante legitimo matrimonio, licet non consummato, contrahere attentent matrimonium de praesenti inter se, ut per se patet. 2. Si adulteri promissionem faciant de matrimonio inter se contrahendo post mortem conjugis c. *relatum.* 4. XXXI. q. 1. Item c. 1. 2. 4. et L. 4. Decret. tit. 7. de eo, qui duxit.

Ex machinatione mortis iterum duobus modis contrahitur hoc impedimentum: 1. per adulterium una cum conjugicidio: 2. per conjugicidium sine adulterio, vel ut vocant, per machinationem mortis conjugis effectu secuto ex mutua conspiratione, eaque intentione, ut duo conspirantes matrimonium inter se contrahant, can. *si quis* 5. XXXI. q. 1. Item c. 1. 3. 6. de eo, qui duxit.

Applicatio principii.

Robertus conjugatus, vivente adhuc Runcina uxore sua, adulterium commisit cum Rodulpha sine promissione matrimonii. Paulo post adulterium commisit cum Raphelina, ignara quod amasius sit conjugatus; hanc ut citius possit ducere, propriam uxorem Runcinam interficit.

1300. *Q.* I. An simplex adulterium sine promissione futuri matrimonii, et sine machinatione mortis inducat hoc impedimentum. R. *Negative.* Hinc matrimonium inter adulterum Robertum et adulteram Rodulpham consistere potuisset, quia nec machinatio saepe dicta, nec promissio futuri matrimonii praecessit, ut clare patet ex c. *significasti* 6. de eo, qui duxit, et ex *Bened. XIV.* in epist. encycl. ad Archiepisc. s. Dominici in Insula Hispaniola, quae habetur in tom. I. ejusdem Bullarii, et incipit: *Redditae nobis.* Itaque requiruntur sequentes conditiones, ut ex adulterio oriatur hoc impedimentum. I. Ut adulterio accedat promissio matrimonii futuri, aut contractus matrimonii de praesenti cum adultera, vel adultero, vivente adhuc priore conjuge, vel machinatio in mortem. 2. Ut adulterium sit completum ex copula perfecta. 3. Ut adulterium sit formaliter tale, h. e. uterque debet scire, alteram partem esse conjugatam. 4. Ut promissio exterius facta ab altero sit acceptata. 5. Juxta *Laym.*, *Henriq.*, *Emman.*, *Sà*, et alios mitius sentientes, ex promissione ficta non oritur hoc impedimentum, sicut ex ea non oriuntur vera sponsalia. Contrarium defendit *Sanch.* L. 7. de matrim. d. 79. n. 10. propterea quod ratio, cur hoc impedimentum ab Ecclesia sit inductum, scil. ne spe futuri matrimonii ansa sumatur necandæ conjugis, æque militet, ubi est promissio ficta. Conveniunt tamen AA. quod in foro externo censeatur ficte promittens incurrisse hoc impedimen-

tum, quamdiu fictionem non potest probare: item, quod tum non sit locus huic impedimento, si fictio ex circumstantiis facile potuerit colligi. 6. Mitius sentientes cum *Laym.* exigunt, ut promissio sit pura, aut saltem ante mortem conjugis purificata, quia alioquin non est promissio simpliciter facta, sed manet pendens a futuro eventu, et ante illum non obligat. *Contrarium* defendit iterum *Sanch.* l. c. n. 11., quia licet promissio conditionata non obliget ad implendam rem promissam antequam impleatur conditio: habet tamen effectum ad hoc, ut vere dicatur data fides, et obligationem inducat non resiliendi ab ea, donec conditio defecerit, et concipiatur ex ea spes futuri matrimonii, et proinde detur ansa machinationi mortis vivae adhuc conjugis, quae fuit ratio inductiva hujus impedimenti. Utraque sententia *Sanchesii* in hac re dubia praeplacet, et in praxi videtur tenenda. *Neque dicas*, quod hoc impedimentum introductum sit a jure tanquam poena: ergo accipiendum est stricte de vera, non ficta promissione; item absoluta, non conditionata. R. 1. Primario non est poena, sed inhabilitas ad contrahendum introducta ab Ecclesia ad avertenda graviora mala. R. 2. Mera poena quidem est strictae interpretationis, nisi ex ratione legis alia mens legislatoris colligatur, sicut hic contingit.

1301. *Q.* II. An Robertus potuerit matrimonium valide inire cum Raphelina. R. *Affirmative*; quia ob ignorantiam Raphelinae non fuit adulterium formale ex parte utriusque. Quod autem cognitio status conjugalis requiratur, satis clare patet ex c. *propositum* 1. et c. *veniens* 7. de eo, qui duxit.

1302. *Q.* III. Quid requiratur ad hoc, ut conjugicidium inducat impedimentum dirimens cum complice. R. Solum conjugicidium id non inducit, sed requiritur 1. ut vel praecedat adulterium perfectum, et formale ex utraque parte (non hoc sensu, quasi uterque debeat esse in matrimonio, sed quod utraque pars debeat scire, quod vir vel foemina sit in actuali matrimonio) cum animo contrahendi matrimonium cum adultera; vel ut absente adulterio saltem accedat intentio ex utraque parte, aut promissio matrimonii de futuro, vel de praesenti facta determinatae personae, ut sumitur ex c. 1. de conversione Infideli, et can. 5. XXXI. quaest. 1. Ex his etiam colligitur, quod in eo casu, *quo accidit adulterium*, sufficiat animus contrahendi matrimonium, et non requiratur promissio; probabiliter etiam non requiritur, ut hic animus manifestetur complici, quia jus pro hoc casu non exigit conspirationem mutuam. 2. ut mors non attentata tantum sit, sed executioni mandata, et quidem 3. saltem ab uno ex complicibus, ut eruitur ex c. 6. de eo, qui duxit: *nisi alter eorum in mortem uxoris defunctae fuerit machinatus.* Nec tamen refert, utrum machinatio mortis physice fiat, an saltem moraliter per jussionem, aut consilium. 4. *Si vero adulterium non praecesserit*, requiritur consensus utriusque in machinationem mortis, ut patet ex c. 1. de convers. Infid. Hinc si alteruter tantum homicidii reus, v. g. maritus uxorem occidat, nesciente, vel contradicente altera parte, quacum contrahere matrimonium desiderat sine accedente adulterio, tunc impedimentum inter eos non oritur. *Laym.* L. 5. t. 10. p. 4. c. 10.

1303. Ex his ulterius infert *Pichler* in tit. de eo, qui duxit n. 5. quod non incurratur impedimentum criminis, si quis vel aliqua conjugem occiderit non eo animo, ut cum complice ineat matrimonium, sed ut liberius possit vacare libidini cum complice, aut alia persona, vel ut molesto conjugio se liberet: aut si animo quidem incundi matrimonium, sed non cum complice adulterii vel tantum cum persona indeterminata. Item si absque adulterio occiderit, at nulli determinatae personae promiserit matrimonium, vel consilium suum illi non communicaverit. Probabilius etiam per hoc non incurritur impedimentum, si pars conjugicidii antea ignara, postea illud approbet, quia hoc nullo jure expressum est, *Laym.* loc. cit.

§. IX. *De cultus disparitate.*

1304. *Principium generale.* Impedimentum cultus disparitatis intercedit inter personam baptizatam, et non baptizatam, etiam catechumenam: hoc dirimit probabilius solo jure Ecclesiastico matrimonium, eoque non scripto, sed per legitimam consuetudinem introducto. Ita communis contra paucos, qui cum *Cajet.* et *Vasq.* dicunt matrimonium fidelis cum infideli irritum esse jure divino, ex illo 2. Cor. 6. *nolite jugum ducere cum infidelibus.* Primam communiorem sententiam aperte docet *Bened. XIV.* in tom. III. Bullarii sui epist. II. quae incipit: *Singulari nobis consolationi*, ubi erudite §. 10. ait: *qua quidem in re omnes sentiunt, ob cultus disparitatem irrita matrimonia esse, non quidem jure sacrorum canonum, sed generali Ecclesiae more, qui pluribus abhinc saeculis viget, ac vim legis obtinet.* In eadem *epist.* resolvit casum sequentem: Judaeus duxerat uxorem e secta Protestantium: judaeus baptizatur ritu Catholico, et uxor haeretica ejurat haeresim. Quaeritur, an iterandum sit matrimonium ante initum? Respondet summus Pontifex §. 20. *Compertum habeas, quod, postquam mulier haeresim more solito in idoneo tribunali ejuraverit, tu vero hebraeum sacro baptismate initiaveris, inter illos coram Parocho matrimonium erit iterandum, a Con. Trid. praescripta forma servata,* scil. quia hoc matrimonium inter hebraeum et mulierem haereticam baptismo initiatam propter cultuum disparitatem irritum erat. Ex his porro resolves

1305. I. Invalidum est matrimonium Bertae Judaeae cum Leone nuper baptizato, sed ad Judaismum iterum reverso; quia licet is se profiteatur infidelem, reipsa tamen est baptizatus, et habet characterem, ac proinde est matrimonium baptizati cum non baptizata. Neque objicias matrimonium utique validum s. Monachae cum Ethnico R. Fuit validum, quia tum temporis passim nondum erat introductum hoc impedimentum, quod patet ex verbis, *s. Aug.* qui L. 1. de conjug. adult. ait: *Non enim tempore revelati testamenti in Evangelio, aut ullis Apostolicis litteris sine ambiguitate declaratum esse recolo, utrum Dominus prohibuerit (scil. sub irritatione actus) fideles infidelibus jungi.*

1306. II. E contra validum quidem, sed illicitum est ob periculum perversionis matrimonium fidelis cum baptizato iterum profitente judaismum; quia vere est matrimonium baptizatae cum baptizato, nec supponitur aliud obstare impedimentum. *La Croix* L. 6. p. 3. n. 644.

1307. III. Neque hoc impedimentum incurrit Catholicus contrahens matrimonium cum haeretica rite baptizata, quia simpliciter est matrimonium baptizati cum baptizata. Illicitum tamen esse, dictum est n. 1202. et 1128.

§. X. *De impedimento vis seu metus.*

1308. *Praenotanda.* Per vim hic intelligitur coactio omnimoda, et corporalis de praesenti illata reluctanti, et haec dicitur violentia, sive *vis absoluta.* Per metum vero, sive *vim conditionalem*, intelligitur trepidatio mentis ratione periculi instantis vel futuri, ideoque ex metu fieri dicitur, quod quis facit mali declinandi causa, alioquin non facturus. De metu gravi, levi, justo, et injusto vide P. I. n. 227.

1309. *Principium I.* Vis absoluta irritat matrimonium, v. g. si violenter cogaris ad porrigendam manum, ita ut haec porrectio accipiatur pro signo contractus matrimonialis de praesenti, nullum est matrimonium; et quidem jure naturali, quia talis violentia omnem excludit consensum. Ita *Communis.* Vide dicta de consensu essentialiter requisito ad matrimonium num. 1177.

1310. *Principium II.* Impedimentum proveniens ex metu gravi et injusto directe ad extorquendum matrimonium incusso dirimit matrimonium. Ita *Communis* ex c. *Cum locum* 24. de sponsal. et matrim. Ibid. c. *Veniens* 15. ubi

expressa fit mentio metus gravis: *nisi metu coactus, qui possit in constantem virum cadere, eam desponsaverit.* Item ex c. *significavit* 2. de eo, qui duxit. Requirit scil. Ecclesia consensum perfecte liberum ad matrimonium, eo quod matrimonia coacta, et ex mutuo amore non contracta infelices soleant habere exitus: ille autem contractus non est perfecte liber, ad quem directe metus determinat. Ex his resolves sequentem casum.

Rainerius deprehendit famulum suum Ranulphum cum ancilla Radegunda turpiter agentem, cui cum mortem stricto gladio post multa inflicta verbera minaretur, ni ancillam in uxorem duceret, Ranulphus, ut mortem evitet, matrimonium cum ea contrahit, quo contracto Rainerius statim cogit Ranulphum consummare matrimonium.

1311. *Q.* I. An validum sit hoc matrimonium. R. *Negative*; quia cum Rainerio nullum jus competat in vitam famuli, matrimonium illud contractum fuit ex gravi metu juste incusso, et quidem ad illud extorquendum. *Quid?* si Rainerius tantum minatus fuisset famulum accusare apud judicem, ni duceret ancillam. R. Probabilius tum fuisset validum matrimonium, quia metus fuisset juste incussus. *La Croix* l. c. n. 653.

1312. *Q.* II. An evadat validum hoc matrimonium per copulam sequentem. R. *Negative*, quia pariter fuit coacta, et propter metum gravem adhuc defuit consensus perfecte liber. Tunc autem nullitas matrimonii ex metu initi sanatur 1. quando sublato metu consensus sponte ponitur, et verbis, vel factis exprimitur, et hoc tenet in utroque foro: 2. praesumptive, et saltem pro foro externo metus purgatur per copulam sponte habitam, vel per diuturnam cohabitationem spontaneam, ut habetur in c. *ad id.* 21. de sponsal. et matrim. In foro autem interno sufficit cohabitatio momentanea sponte facta. Vide *Pichler* in tit. de sponsal. et matrim. num. 115., ubi porro addit, quod per modos mox relatos non sanetur haec nullitas, nisi pars metum passa sciat, matrimonium nulliter fuisse contractum, et altera pars continuet suum consensum; quia nullitas ex defectu consensus legitimi orta non sanatur, nisi ponatur novus consensus, sed ab ignaro et errante non ponitur consensus, nec per copulam satis manifestatur: ergo.

1313. *Q.* III. An matrimonium metu gravi injusto initum jure naturali, vel tantum Ecclesiastico sit irritum. R. Probabilius juxta dicta n. 1206. solo jure Ecclesiastico: tum quia jure naturali ad valorem contractus plus non requiritur, quam consensus simpliciter voluntarius ac liber, et titulus: atqui stante metu manet consensus absolute voluntarius ac liber; metus enim voluntarium non tollit simpliciter, sed tantum secundum quid: praeterea etiam manet titulus, scil. traditio juris in corpus, quam in tali casu metum passus fecit: ergo. Tum quia omnes alii contractus ex metu initi spectato solo jure naturali valent: ergo etiam spectato solo jure naturali valet tale matrimonium. Ita *Suar.* de Reg. tom. 2. t. 6. l. 1. c. 7. n. 20., *Sanch.*, *Laym.*, *Wiestner* et alii contra *Scotum*, *Covarr.*, *Konig.* et alios.

1314. Praeterea *resolves* I. Non invalidat matrimonium metus ab intrinseco, v. g. a morbo proveniens, uti nec incussus a causis naturalibus, v. g. naufragio, sed debet procedere a causa libera, et extrinseca; alioquin dicitur conceptus a metuente, et non incussus.

1315. II. An metus *reverentialis*, quo liberi parentibus, vel subditi dominis non audent contradicere ex reverentia, sit habendus pro gravi, vel levi metu, utrinque defenditur. Juxta probabiliorem *pure reverentialis* ex se gravis non est; fiet tamen gravis, si accedant graves minae, importunae preces, vel alia signa gravis offensae. *Pichler* hic n. 108.

1316. III. Si omnibus consideratis maneat dubium, an adsit sufficiens metus, quo illud reddatur invalidum, praesumendum est pro valore, tum propter favorem sacramenti, tum prolis, et reipubl.

§. XI. *De impedimento ordinis.*

1317. *Principium generale.* Ordo sacer, scil. Subdiaconatus, Diaconatus, et Presbyteratus, dirimit matrimonium contrahendum solo jure Ecclesiastico, non vero dirimit jam contractum ante susceptionem ordinis, licet matrimonium sit tantum ratum. Dixi 1. *dirimit contrahendum*, ut eruitur clare ex c. *de Diacono.* 1. qui clerici, vel voventes. Item patet ex *Trid.* sess. 24. can. 9. tit. supra n. 1266. Dixi 2. *solo jure Ecclesiastico*, quia ordo sacer ex natura sua non repugnat statui matrimoniali. *Confirm.* ex c. un. de voto et voti redempt. in 6. ubi *Bonif. VIII.* declarat oraculo sanctionis, *illud solum votum debere dici solemne, quantum ad post contractum matrimonium dirimendum, quod solemnizatum fuerit per susceptionem ordinis sacri, aut per professionem etc.* In eodem c. supra dixerat, *quod voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiae est inventa.* Dixi 3. *non dirimit contractum*, ut habetur in Extrav. *Antiquae*, Joan. XXII. de voto et voti redempt. Plura jam dicta sunt, ubi egimus de Sacram. Ord. a n. 1018. et seq.

Applicatio principii.

Romanus libere suscepit Diaconatum, sed quia in ejus susceptione expresse noluit se voto castitatis obstringere, dum legit et audivit, graecos Presbyteros habere uxores, hinc matrimonium nunc init cum Romula.

1318. *Q.* I. An validum sit hoc matrimonium. R. *Negative*; valor enim matrimonii non pendet a voluntate suscipientis, sed a constitutione Ecclesiae, quae impedimentum ordini sacro libere ac valide suscepto annectit, et ordinatum inhabilem reddit ad contrahendum matrimonium. Falsam quoque habuit notitiam de disciplina Graecorum, ut patet ex dictis n. 1020. Adde Constitut. *Bened. XIV.* de Dogmatibus et Ritibus ab Italo-Graecis tenendis, quae incipit: *Etsi Pastoralis*, tom. I. ejusd. Bullar. pag. 167. ubi §. 7. n. 17. ita statuit; *Praeterea, si quis Subdiaconus, Diaconus, vel Presbyter, post sacram ordinationem, uxore mortua, aliam duxerit, vel si uxorem non habebat, ducere praesumpserit, nedum excommunicationis latae sententiae poena, aliisque nostro, et successorum nostrorum Romanorum Pontificum arbitrio infligendis, severissime punietur; verum etiam statim ab ordine erit deponendus, et ab illegitima uxore separandus. Matrimonium enim post recensitos ordines contractum, nullum irritumque declaramus.*

1319. *Q.* II. Quid facere teneatur, qui post contractum matrimonium susceperit sacrum ordinem invita uxore. R. Juxta cit. Authent. *Antiquae*, si matrimonium necdum sit consummatum, inducendus est, ut profiteatur in Ordine Religioso; si noluerit, compellendus est etiam per censuras, ut omissis functionibus ordinis ad uxorem redeat, eique debitum reddat, petere autem non potest propter votum castitatis ordini annexum; imo uxore mortua nec potest transire ad alias nuptias propter impedimentum ordinis.

§. XII. *De impedimento ligaminis.*

1320. *Principium generale.* Matrimonium cum uno vel una valide contractum est de jure divino impedimentum dirimens matrimonii. Vocatur impedimentum *Ligaminis*, qui provenit ex eo, quod quis jam alteri matrimonio ligatus sit. Dixi, *de jure divino*; quia polygamia in L. N. jure divino prohibita est. Vide n. 1185. et Confirm. ex Apost. 1. Cor. 6. *Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit.*

Applicatio principii.

Sabinianus quotidianas rixas habens cum Sabina uxore discedit ab ea, et per 20. *annos emanet; Sabina maritum mortuum credens nubit Salustiano: post aliquot annos in hoc putatitio matrimonio exactos ex certo quodam rumore dubitare incipit, an non adhuc vivat Sabinianus. Paulo post ille redit, cumque Sabinam jam alteri nupsisse videat, abit iterum, et alibi ducit uxorem.*

1321. *Q.* I. An diuturna mariti absentia suffecerit ad hoc, ut Sabina alteri potuerit nubere. R. *Negative;* nisi aliae certiores circumstantiae accesserint: quia aeque probabile est, quod maritus, qui clam discessit, et quidem pertaesus rixas quotidianas, alibi vivat, et ex proposito non velit redire, sicut hic vixit uxor, et maritum ultro non quaesivit. Adde, quod ex longa conjugis absentia non resultet certitudo de ejus obitu, sed dubium: ideoque morte dubia manente, melior est conditio prioris matrimonii possidentis. *Sanch.* L. 2. de matrim. d. 46. n. 1. *Confirm.* ex c. *in praesentia.* de sponsal. ubi *Clemens III.* respondet: *quod quantocumque annorum numero* conjuges dubii *ita remanent ..... nec permittendi sunt contrahere, donec certum nuntium recipiant de morte virorum.*

1322. *Q.* II. Quanta requiratur certitudo de morte conjugis ad hoc, ut conjux superstes possit transire ad alias nuptias. R. Requiritur certitudo moralis, et quidem tanta, ut nullo modo probabile sit, conjugem adhuc vivere; certa enim possessio, quae adest pro priori matrimonio, non eliditur in ordine ad contrahendum aliud, nisi per certitudinem moralem de morte conjugis. Talis censetur haberi 1. ex libro Parochi, cui inscribuntur nomina defunctorum: 2. ex productione testamenti a defuncto conditi; 3. ex testimonio virorum probatae fidei.

1323. *Q.* III. An sufficiat unus testis affirmans mortem conjugis. R. Regulariter non sufficit, quia non potest dici nuntium certum, quod voce unius habetur; vox enim unius in jure dicitur vox nullius, l. *jusjurandi.* vers. simili modo c. de test. *Sanch.* tamen *Palao* et alii censent, tunc testimonium unius sufficere, si aliis conjecturis fulciatur, v. g. si sit testis fide dignus, et juramento confirmet, se mortuum vidisse, et si ob loci distantiam major probatio haberi nequeat.

1324. *Q.* IV. An sufficiat communis fama de morte conjugis. R. *Negative*, quia fama est plerumque vana vulgi vox, et multi hodiedum vivunt, qui saepe dicti sunt mortui. Tunc autem fama sufficienter probat 1. si saltem duo testes plene deponant, se audivisse a fide dignis, praecipue si testes sint, de quorum commodo non agitur. 2. Si is, cujus morte dubitatur, mare navigarit, subortaque tempestate expectatus tempore congruo, et quaesitus non comparuerit, nec navis, qua ipse vehebatur; vel si in cruento praelio dicatur obiisse, et testes fide digni affirment, cum diligenter quaesitum, inventum non esse. *Sanch.* l. c. n. 16.

1325. *Q.* V. Quid in casu faciendum Sabinae, suborto illo dubio de vita conjugis. R. Si secundas nuptias bona fide contraxerit, tenetur mox diligenter inquirere, an adhuc vivat conjux, atque interim a petendo debito abstinere, quamvis reddere teneatur. Si vero et ipsa et Salustianus dubia, vel mala fide contraxerit, neutri licet vel petere, vel reddere debitum, quia pro neutro stat possessio juris ad debitum conjugale; haec enim cum mala fide non potest inchoari. Si vero una pars cum mala fide contraxerit, petere non potest debitum, tenetur tamen reddere.

1326. *Q.* VI. Quid Sabinianus redux debuerit agere. R. Debuisset repetere suam uxorem, quam certe per judicem obtinuisset; non autem debuisset aliam ducere ob impedimentum ligaminis.

§. XIII. *De impedimento publicae honestatis.*

1327. *Princip. generale.* Impedimentum justitiae publicae honestatis (sic dictum, quia justum est, publicaeque honestati congruum, ut non carnaliter conjungatur is cum consanguineis talis personae, cum qua licet non carnaliter, tamen animo et promissione conjunctus est) quaedam affinitas est personarum jure Ecclesiastico introducta, quae 1. oritur ex sponsalibus de futuro, sicque dirimit matrimonium inter consanguineos sponsae in primo gradu cum sponso, et inter consanguineos sponsi in primo gradu cum sponsa, ut dictum est ex *Trid.* n. 1108.; ideoque jure novo Tridentini vi hujus impedimenti sponsus tantum cum matre, sorore, et filia suae sponsae invalide contraheret matrimonium; sponsa vero itidem invalide contraheret cum patre, fratre, et filio sui sponsi. 2. Oritur ex sponsalibus de praesenti, sive ex matrimonio rato tantum, et dirimit matrimonium usque ad quartum gradum; ita ut maritus, defuncta uxore, licet eam non cognoverit, invalide contrahat cum consanguineis defunctae usque ad quartum gradum, et vicissim; si maritus ante consummationem matrimonii decedat e vita, uxor invalide contrahat cum ejusdem consanguineis usque ad quartum gradum. Quod autem *Trid.* l. c. restringens hoc impedimentum ad primum gradum, loquatur tantum de sponsalibus de futuro, patet ex motu proprio *Pii V. Ad Romanam spectat*, ubi ita: *Idcirco motu proprio, auctoritate Apostolica, tenore praesentium declaramus et definimus, decretum Concilii* (scil. Tridentini) *hujusmodi omnino intelligendum esse, et procedere in sponsalibus de futuro dumtaxat, non autem in matrimonio sic* (*ut praefertur*) *contracto, sed in eo durare adhuc impedimentum in omnibus illis casibus et gradibus, quibus de jure veteri ante praedictum decretum Concilii introductum erat.* Atqui olim hoc impedimentum ortum ex matrimonio rato impediebat et dirimebat coniunctum usque ad quartum gradum inclusive, etiamsi matrimonium, ex quo ortum erat impedimentum, irritum fuisset ex quacumque causa, modo non fuisset invalidum ex defectu consensus; ergo etiam nunc sic dirimit. *Neque dicas*; nullibi extat clarus textus, quod hoc impedimentum se extenderit olim ad quartum gradum. R. Extat tamen clarus textus in c. *non debet.* 8. de consanguinitate, de impedimento affinitatis usque ad quartum gradum, quam imitatur publica honestas, et propterea simile hoc impedimentum communis Doctorum sententia et praxis extendit pariter usque ad quartum gradum inclusive. Notandum tamen quod hoc impedimentum non agat retro, ut dictum fuit n. 1154. Sic Sempronius, postquam contraxit sponsalia de futuro cum Berta, dum contrahit sponsalia nova cum Barbara sorore Bertae, invalide contrahit cum Barbara propter impedimentum publicae honestatis ortum ex primis sponsalibus ex supposito validis: secunda tamen sponsalia invalida non irritant praecedentia, quia non agunt retro. Vide c. un. de spons. in 6.

Applicatio principii.

Simon contracto cum Sophia matrimonio infirmatur, et post aliquot dies, matrimonio necdum consummato, moritur: anno elapso vidua Sophia nubit Severino, nepoti materterae Simonis. Post plures annos audiens explicari impedimentum publicae honestatis valde angitur in conscientia.

1328. Q. I. An validum fuerit hoc matrimonium secundum. R. *Negative*, quia Severinus cum Simone marito Sophiae erat in tertio gradu consanguineus: ideoque debet peti dispensatio, si separatio cederet in grave damnum conjugum, prolium, et simul in publicum scandalum. Interim pars conscia impedimenti deberet abstinere a petitione debiti: proles tamen prius genitae censentur legitimae, quia parentes fuere in bona fide.

1329. *Q.* II. An hoc impedimentum oriatur ex sponsalibus ficte contractis. R. *Negative*, quia *Trid.* sess. 24. c. 3. de reform. matrim. generaliter justitiae publicae honestatis impedimentum, *ubi sponsalia, quacumque ratione valida non erunt*, prorsus tollit, non distinguens inter causam nullitatis internam vel externam, occultam vel publicam: ergo. Ita *Palao, Wiestner, Schmalzgr.* et alii contra *Henriq., Barthol., Ledesma*, et alios.

1330. Q. III. An hoc impedimentum dissolutis mutuo consensu sponsalibus cesset. R. Non cessat. Ita communis post declarationem S. Congreg. Card. C. Trid. Interpr. quam refert *Fagnanus* in c. *ad audientiam*. 4. de spons. contra *Barb., Hurtad., Sà* et alios, quam declarationem in legem Pontificiam abiisse, postquam a summo Pontifice approbata fuit, tenet *Schmalzgr.* hic n. 115.

1331. Similiter nec cessat hoc impedimentum per mortem unius, alteriusve sponsorum, sicut nec cessat affinitas, ut habetur expresse in c. *si quis*. 1. de eo, qui cognovit., ibid. c. *veniens*. 2., *Gobat* tr. 9. c. 15. n. 370. et seq.

1332. *Q.* IV. An vitricus ducens uxorem privigni (de quo supra n. 1294,) impeditus fuerit justitia publicae honestatis. R. *Negative*, quia hoc impedimentum *solum contrahitur inter maritum et consanguineos uxoris, ac vicissim inter uxorem et consanguineos mariti, non autem inter maritum et affines uxoris, neque inter uxorem et affines mariti: vitricus vero non est consanguineus, sed affinis sui privigni, ac proinde neque affinitate, neque publica honestate impeditur, ne matrimonium contrahere valeat cum ejusdem privigni uxore.* Ita Bened. XIV. l. 7. de Synod. Dioeces. c. 39. n. 4.

1333. *Q.* V. An hoc impedimentum oriatur ex sponsalibus conditionatis de futuro. R. Conditione nondum impleta, non sunt perfecta sponsalia: ergo nec inducunt hoc impedimentum. E contra, quando conditione impleta transeunt in absoluta, tunc inducunt hoc impedimentum. *Sporer* cum *Comm.* hic n. 55., *Gobat* l. c. n. 369. Plura vide supra n. 1135. et seq.

§. XIV. *De impedimento aetatis.*

1334. *Principium generale.* Impedimentum aetatis provenit ex eo, quod quis praerequisitam a legibus ad matrimonium contrahendum aetatem necdum attigerit. Requiritur autem *regulariter* aetas pubertatis, h. e. ut masculus decimumquartum annum, foemella duodecimum compleverit. Ita ex c. *continebatur* 6., c. *attestationes* 10., et c. *ex litteris* 11. de despons. impub. Dixi, *regulariter*; si enim malitia suppleat aetatem, ita ut adsit sufficiens discretio rationis, et potentia generandi, valet matrimonium ante aetatem jure praescriptam initum, juxta c. *de illis* 9., c. *puberes*. 3. de despons. impub., quia tum saltem habet pubertatem naturalem, licet non legitimam.

Applicatio principii.

Terentianus tredecim annorum adolescens sponsalia contrahit cum Terentia undecim annorum puella: paulo post Parochum mendaciis circumveniunt, ut crederet, ambos attigisse aetatem legitimam, ideoque iis matrimonium contrahentibus assistit.

1335. *Q.* I. An Terentianus et Terentia licite, et valide contraxerint matrimonium. R. Illicite imprimis contraxerunt, tum in re gravi decipiendo Parochum, tum agendo contra grave praeceptum Ecclesiae, juxta c. 2. de despons. impub. Si tamen malitia suppleverit aetatem valide contraxerunt. Ita expresse in cit. c. *de illis*. 9. de desponsat. impub. ubi *Alexand. III.* respondet: *Si ita fuerint aetati proximi, quod potuerint copula carnali conjungi, minoris aetatis intuitu separari non debent, si unus in alium visus fuerit consensisse, cum in eis aetatem supplevisse malitia videatur.* Et in c. *puberes*. 3. eod. tit. *Isi-*

dorus ait: *Certum est eum puberem esse, qui ex habitu corporis pubertatem ostendit, et generare jam potest, et puerperae sunt, quae in annis puerilibus pariunt.*

1336. *Q.* II. An matrimonium, quod contrahunt impuberes ante pubertatem tam naturalem, quam legalem invalide, saltem habeat vim sponsalium de futuro. R. Probabilius affirmative, uti clare arguitur ex c. un. de despons. impub. in 6. §. *Idem quoque.*

1337. *Q.* III. An dispensari possit, ut aliqui ante pubertatem naturalem, sive habilem ad generandum, contrahant matrimonium. R. *Affirmative*: quia hoc impedimentum a solo jure ecclesiastico introductum est; jure enim naturae ad valorem matrimonii plus non requiritur, quam consensus et corpora ad generandum habilia, nullo autem jure proxime habilia. Unde licet in ejusmodi contrahentibus sit aliqua impotentia, non est tamen perpetua ad generandum, sed cum tempore auferibilis; secus si certo constet de impotentia perpetua; ergo potest dispensari a summo Pontifice. *Confirm.* ex c. *ubi non.* 2. de despons. impub. *Districtius inhibemus, ne aliqui, quorum uterque vel alter ad aetatem legibus, vel canonibus determinatam non pervenerit, conjungantur, nisi forte aliqua urgentissima necessitate interveniente, utpote pro bono pacis talis conjunctio toleretur.* Ergo *Nicolaus* Papa in cit. c. loquens agnoscit, causam justam dispensationis posse admitti. Si *quaeras*, an si dubium sit, utrum malitia suppleat aetatem in ordine ad validum matrimonium, Episcopus possit id declarare? Respondet *Bened. XIV.* ad Poloniae Regni Primatem (litterae habentur in T. II. ejusd. Bull. p. 13. et incipiunt. *Magnae nobis:) Episcopi ipsi et Ordinarii locorum jure suo pronuntiare possunt super ea quaestione, quae facti est, an scil. malitia, ut asseritur, aetatem suppleat, et consequenter matrimonii contrahendi licentiam impertiri valent: neque necesse est Apostolicam Sedem adire, nisi pro majori actus solemnitate, et ne de contractus matrimonii hujusmodi validitate propter minorem aetatem haesitari contingat.... Siquidem Canonistae docent cumulativum jus esse inter Apostolicam Sedem, et Judices ordinarios, cognoscendi et pronuntiandi de hac re, an scil. malitia suppleat aetatem; privativum vero Apostolicae Sedis jus esse concedendi dispensationem ad contrahendum matrimonium impuberi, qui per aetatem nondum conjugali copulae maturus est, sed tamen rationis usu ita pollet, ut matrimonii contrahendi vim, et naturam intelligat.*

§. XV. *De impedimento ex clandestino matrimonio.*

1338. *Principium generale.* Impedimentum clandestinitatis provenit ex eo, quod quis in loco, ubi Tridentinum est receptum, non contrahat matrimonium coram Parocho et testibus. Est autem hoc impedimentum *ut dirimens* introductum jure novo *Tridentini* sess. 24. c. 1. in decreto de reform. matrim. ubi ita statuitur: *Qui aliter, quam praesente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi vel Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et hujusmodi contractus irritos et nullos decernit, prout eos praesenti decreto irritos facit, et annullat.* Ulterius citata verba Trident. vide supra n. 1178. Ideoque qui clandestine contraxerunt, non possunt matrimonialiter cohabitare sine novo legitimo contractu: pro novo autem illo contractu coram Parocho et testibus celebrando non indigent ulla dispensatione (ex supposito, quod nullum aliud subsit impedimentum) quia *Trid.* l. c. eos, qui clandestine contraxerunt, non inhabilitat ad simpliciter, sed *ad sic*, h. e. ad clandestine contrahendum. Ita *P. Kugler* tom. 2. de matrim. p. 4. n. 349. cum *Vincent. de Justis.* Puniendi tamen sunt ita contrahen-

tes, ut ibid. docet *Trid.* de his poenis juxta arbitrium Ordinarii infligendis. Vide *Kugel* t. 1. n. 920. et seq.

Applicatio principii.

Tharasinus e loco catholico, ubi Tridentinum promulgatum ac receptum est, se confert cum sponsa Thecla in locum acatholicum, ubi Tridentinum promulgatum non est. eo praecise animo, ut ibi matrimonium clandestinum contrahere possit, idque ibi contrahit coram praecone Lutherano, postea revertitur ad prius domicilium.

1339. *Q.* I. An hoc matrimonium sit validum. R. Non est validum, ut patet ex declaratione *S. Congreg.* Cardin. Conc. Trident., quam confirmavit *Urbanus VIII.* 14. Aprilis 1657. per Breve speciale, quod refert *Lugo* in Respons. Moral. L. 1. dub. 36. et *La Croix* L. 6. p. 3. n. 712. Breve ita habet: *Urbanus VIII.* in futuram rei memoriam. *Exponi Nobis nuper fecit Vener. Frater Archi-Ep. Colon., quod habito nuper per eum ad Venerab. Fratres nostros S. R. E. Cardinales S. Conc. Tridentini Interpretes recursu supra infrascriptis dubiis, videlicet primo, an incolae tam masculi, quam foeminae loci, in quo Conc. Trid. in puncto matrimonii est promulgatum, transeuntes per locum, in quo dictum Concilium non est promulgatum, retinentes idem domicilium, valide possint in isto loco sine Parocho et testibus matrimonium contrahere. Secundo, quid si eo praedicti incolae tam masculi, quam foeminae solo animo sine Parocho et testibus contrahendi se transferant, habitationem non mutantes? Tertio, quid si iidem incolae, tam masculi, quam foeminae, eo transferant habitationem illo solo animo, ut sine Parocho et testibus contrahant? Iidem Cardinales ad primum et secundum, non esse legitimum matrimonium inter se sic transferentes ac transeuntes cum fraude: ad tertium vero dubiorum hujusmodi, si domicilium vere transferatur, matrimonium esse validum responderunt, et resolverunt, prout in decreto desuper emanato plenius continetur.* Et infra: *Nos responsum, seu dubiorum praedictorum resolutionem hujusmodi auctoritate Apostolica tenore praesentium approbamus et confirmamus.*

1340. *Q.* II. Quid? si sponsus spectet ad parochiam, in qua decretum Trid. est promulgatum, et sponsa ad parochiam, in qua non est promulgatum. R. Si matrimonium contrahatur sine Parocho et testibus in parochia sponsi, erit invalidum; si contrahatur in parochia sponsae, erit illicitum, sed validum, quia contractus quoad valorem pendent a legibus loci, in quo fiunt. Ita respondisse *S. Congreg.* testatur *Pignatelli* tom. 5. consult. 79. n. 22., *La Croix* L. 6. p. 3. n. 714.

1341. *Q.* III. Quid dicendum de matrimoniis illorum catholicorum, qui in locis acatholico Principi subjectis sub gravi poena eoguntur matrimonium contracturi acatholicum Ministellum adire, suumque in conjugium consensum coram eo praestare? Respondet *Bened. XIV.* L. 6. Synod. Dioec. c. 5. n. 4. *Certum utique est, ita initum matrimonium viribus carere, si inibi publicatum fuerit Tridentini decretum, nec consentientes veros conjuges fieri nisi sive antea, sive postea, juxta praescriptam a Tridentino normam, matrimonium celebraverint coram alterutrius contrahentium legitimo Parocho, aliove Sacerdote Parochi vices gerente, et duobus testibus. Sed difficultas tantum est, an postquam Tridentini sanctioni sunt obsecuti, aut ad eidem postea obsequendum sunt parati, licite possint etiam legibus patriae obtemperare, et coram heterodoxo Ministello se sistere.* Postea relatis variorum AA. sententiis ait, quod sacra Congregatio Sancti Officii die 29. Novembr. anni 1672. ad hanc quaestionem ita responderit ac definiverit: *Quatenus minister assistat matrimoniis catholicorum, uti minister politicus, non peccare*

contrahentes: si vero assistat ut minister addictus sacris, non licere, et tunc contrahentes peccare mortaliter, et esse monendos. Ibid. n. 5. pergit: *Huic sacrae Congregationis sententiae nostram nos auctoritatem adjecimus, in nostra constitutione* 89. §. 10. *nostri Bullarii tom.* 1. quae incipit: Inter omnigenas: *ubi fidelibus degentibus in Regno Serviae, finitimisque regionibus interdiximus, ne, matrimonio inter se catholico ritu celebrato, illud renovare praesumant coram* Caddi. *Nostram tamen interdictionem hac temperavimus limitatione, nisi scilicet nuptiarum caeremonia explenda coram* Caddi, *actus sit mere civilis, nullamque contineat Mahumetis invocationem, aliudve superstitionis genus includat.*

Idem summus Pontifex in Instructione super dubiis respicientibus matrimonia in Hollandia et Belgio contracta, et contrahenda (quae incipit: *Matrimonia:* et habetur in ordine XXXIV. tom. 1. ejusd. Bullar. pag. 87.) declarat, statuitque, *matrimonia in foederatis Belgii provinciis inter haereticos usque modo contracta, quaeque imposterum contrahentur, etiamsi forma a Tridentino praescripta non fuerit in iis celebrandis servata, dummodo aliud non obstiterit canonicum impedimentum, pro validis habenda esse: ideoque si contingat, utrumque conjugem ad Catholicae Ecclesiae sinum se recipere, eodem, quo antea, conjugali vinculo ipsos omnino teneri, etiamsi mutuus consensus coram Parocho Catholico ab eis non renovetur; sin autem unus tantum ex conjugibus, sive mas seu foemina convertatur, neutrum posse, quamdiu alter superstes erit, ad alias nuptias transire.* §. 3. nuptias a catholicis cum haereticis contractas detestatur quidem, validas tamen pronuntiat, etiam non servata forma: §. 4. declarat, idem judicandum esse quoad personas addictas legionibus, seu militaribus copiis, quae ab iisdem foederatis ordinibus transmitti solent ad custodiendas, muniendasque arces conterminas, vulgo dictas *di Barriera*: §. 5. decernit, quod domiciliarii provinciarum foederatarum nubentes in regionibus Catholicorum, et vice versa, subsint juri communi.

1342. An Parochus catholicus licite et valide assistere possit matrimoniis acatholicorum, quos in sua parochia habet, continuum inter AA. dubium manet; plures tamen e Germanis cum *Laym.* L. 5. t. 10. c. 4. affirmant, *valide* talem assistere, quia verus est loci illius Parochus; *licite*, quia est tantum testis, non minister.

1343. *Q.* IV. Quibusnam in locis promulgatum sit, ac receptum Tridentini decretum de matrimonio. R. In Hispania, Lusitania, Italia, Germania Catholica. Juxta *Pignat* tom. 1. consult. 151. ab anno 1602. in Gallia jussu Regis: in Hungaria sub *Emin. de Colonitsch.* E contra promulgatum non est in Anglia, Scotia, Hibernia, Suecia, Dania, Saxonia, Borussia, Pomerania, et aliis provinciis, quae a fide defecerunt catholica ante annum 1563. quo Tridentinum absolutum est, vel ante 1564. quo confirmatum fuit. Item apud Turcas, et alios infideles. In Hollandia, Zelandia, Frisia, et confoederatis Belgii provinciis anno 1570. ante eorum defectionem promulgatum fuisse, testatur *P. Wex* de spon. 2. tr. §. 4. n. 25. Denique juxta *P. Pichler* de clandest. despons. n. 12. in dubio, an promulgatum ac receptum sit decretum *Trid.* non obligat: si tamen alicubi receptum sit, praesumitur promulgatum fuisse. Sic quia in Dioecesi Wormatiensi, ad quam multa oppida Electori Palatino subjecta pertinent, decretum Tridentini a longo tempore fuit observatum, recte infertur promulgatum, et acceptatum ibidem esse.

1344. Porro *resolves* I. quod Christiani inter Turcas, aut in novo Orbe, ubi non est Parochus, aut Parochi vices supplens, valide matrimonium contrahant sine Parocho et testibus, tum quia ibi Tridentinum non est receptum, tum quia supponimus ibi nequidem haberi proprium Parochum.

1345. II. Assistentia Parochi proprii, et testium non tantum debet esse physica, sed moralis, ita ut praesentes sciant, quid agant contrahentes; alias

de contractu inito non possunt dici testes. Parochus autem debet esse proprius contrahentium, vel saltem alterutrius ratione domicilii, vel quasi domicilii, non vero originis. Assistit tamen valide Parochus etiam invitus, vel dolo inductus, dummodo percipiat quid agatur, quia non est minister: ergo non requiritur intentio, sed moralis praesentia, ut sciat, quid agatur. Praeterea testes debent adesse una et simul cum Parocho; item debent esse actu usum rationis habentes: amentes enim, dormientes, ebrii etc. jure naturali inhabiles sunt ad ferendum testimonium, cum ita se habeant, ac si non essent praesentes: non tamen requiritur, ut necessario sint omni exceptione majores, nec specialiter ad id rogati, quia jura hoc expresse non requirunt: item per non rogatos aeque obtinetur finis a Tridentino intentus, modo advertant, quid agatur. *Laym.* L. 5. t. 10. c. 4.

1346. III. Alius a proprio Parocho Sacerdos valide non assistit contractui matrimoniali ex licentia tantum praesumpta, quia tum re ipsa matrimonium non contrahitur praesente Parocho, vel Sacerdote de ejus licentia. *La Croix* l. c. n. 738. cum *Pontio*, *Sanch.* et aliis.

1347. IV. De vagis jam nuper dictum est n. 1249. quod illi a quocumque Parocho possint copulari, praemissa tamen diligenti inquisitione. Milites vero, qui habent proprium Curatorem, vel Missionarium Castrensem Catholicum, coram illo debent contrahere, quia hic censetur proprius eorum Parochus: qui autem proprium non habent Sacerdotem, habentur pro vagis, quia omni hora ad abeundum debent esse parati; si tamen et possint, et velint alicubi diutius manere, non sunt vagi.

1348. V. Denique per se patet, quod matrimonium, licet coram pluribus hominibus, ac Sacerdotibus contrahatur, nihilominus sit clandestinum, nisi contrahatur coram proprio Parocho, aut alio Sacerdote de illius licentia. An Parochus assistens necessario debeat esse Sacerdos, cum Tridentinum meminerit solius Sacerdotis, utrinque defenditur. *Farinacius* tamen profert decisionem *Rotae* ab anno 1593. 1. Decembr. his verbis: *Congregatio Concilii censuit, matrimonium contractum coram Parocho non Sacerdote valere.* Quamvis enim non Sacerdos non possit benedicere benedictione solemni in missa, potest tamen extra missam per verba consueta: Ego vos conjungo etc. Praeterea valide assistit matrimonio Parochus excommunicatus, vel suspensus etc., dummodo beneficio parochiali non sit privatus; quia excommunicatus vitandus caret quidem jurisdictione ad absolvendum, non tamen caret potestate praebendi suam qualificatam personam. *Laym.* L. 5. tr. 10. c. 1. n. 5. An matrimonium clandestine contractum saltem habeat vim sponsalium, utrinque defenditur. Vide Theol. schol. et *P. Pichler* L. 4. tit. 3. de clandest. despons. n. 27.

§. XVI. *De impedimento impotentiae.*

1349. *Praenotanda.* Impedimentum impotentiae provenit, quod quis sit incapax perficiendae copulae ad generationem idoneae. Haec 1. est duplex. *Impotentia naturalis*, quae oritur ex intrinseca, vel naturali corporum dispositione non apta ad copulam perfectam. Alia *accidentalis*, quae oritur ab extrinseco, e. g. ex maleficio, morbo, aut alio accidente. 2. Utraque dividitur in *absolutam*, dum quis non potest perficere copulam cum ulla foemina, nec foemina cum ullo viro: et in *respectivam*, dum quis non potest quidem perficere cum hac, potest tamen cum alia, et vice versa. 3. Ulterius dividitur in *antecedentem*, quae jam ante matrimonium contractum adest: et *in consequentem*, quae modo accidit post matrimonium contractum. 4. Denique dividitur in *perpetuam*, quae vel sine miraculo, vel sine gravissimo cruciatu sectionis, aut mortis periculo non potest auferri: et *in temporalem*, quae potest vel per exorcismos (si orta ex maleficio), vel per artem periti medici si-

ne gravi periculo vitae auferri. Ex communiter contingentibus viri impotentes in jure vocantur *frigidi*, foeminae *arctae* vel clausae. Tunc autem certo adest impotentia, quando aliquod ex his tribus deest, scil. vel potentia penetrandi vas, vel potentia emittendi semen verum, vel potentia illud immittendi intra vas, quod dicitur contingere iis, qui sunt natura nimis calidi. Vide *P. Sporer* hic n. 123.

1350. *Principium generale.* Impotentia excercendi copulam perfectam antecedens, et perpetua non tantum jure Ecclesiastico, sed naturali impedit et dirimit contrahendum matrimonium: subsequens vero, licet perpetua sit, non dissolvit contractum. Quod impediat impotentia jure Ecclesiastico, patet ex toto tit. 15. L. 4. Decret. *de frigidis et maleficiatis, et impotentia coeundi.* Quod jure naturali impediat, patet ex eo, quia matrimonium essentialiter includit obligationem dandi inter se corpus ad copulam carnalem, hanc autem traditionem impedit impotentia perpetua; nemo enim potest tradere corpus suum ad actum impossibilem: ergo. Dixi 1. *impotentia exercendi copulam impedit*: nam impotentia generandi tantum, sive sterilitas non causat impedimentum, quia stante sola sterilitate jam adest potentia ad actum principalem proximum, scil. perficiendi copulam, etsi per accidens desit effectus copulae: deinde etsi desit finis principalis matrimonii, scil. generatio prolis, habetur tamen finis secundarius, qui est remedium concupiscentiae. Dixi 2. *impotentia antecedens ac perpetua dirimit contrahendum*, sive oriatur ab intrinseco, sive ab extrinseco, quia tunc *inhabilis est ad solvendum*; *ergo etiam inhabilis ad promittendum:* subsequens vero impotentia non dirimit contractum matrimonium, ut de consummato certum est; hoc enim dissolvi nequit, nisi per mortem unius saltem conjugis. Ratum autem non solvitur, nisi per professionem religiosam, et dispensationem Pontificiam. *Confirm.* ex can. *Hi, qui* 25. XXXIII. q. 7. ubi ita: *Hi, qui matrimonium sani contraxerint, et uni ex duobus amentia, aut furor, aut aliqua infirmitas accesserit, ob hanc infirmitatem conjugia talium solvi non possunt. Similiter sentiendum de his, qui ab adversariis excaecantur, aut membris truncantur, aut a barbaris exsecti fuerint.* Can. 18. ibid. *is*, c. *ex litteris*, de frigidis; ad speciem adversantur: non enim loquuntur de impotentia subsequente, sed antecedente. Ex his resolve sequentem casum.

Tobias eunuchus, carens utroque testiculo ducit Tryphosam virginem: anno elapso vexatur a cognata, eoquod sterilis esset; astans vicina auget vexationem, additque: Tu nimis innocens es mulier, cum nescias virum tuum esse eunuchum, ut satis patet ex gracili ejus, ac muliebri voce.

1351. *Q.* I. An validum sit hoc matrimonium. R. Est invalidum. Ita certo tenendum post declarationem *Sixti V.* in Constit. 59. *Cum frequenter*, quam ex parte allegat *Sanch.* L. 7. d. 92. n. 17. Valide tamen contrahitur matrimonium a spadone habente adhuc testiculum, quia talis verum habet semen: 2. ab hermaphrodito, qui repraesentat utrumque sexum, debet autem contrahere secundum sexum praevalentem: 3. a senibus ac vetulis, modo certi non sint de plena impotentia ex aetate.

1352. *Q.* II. Quid sit agendum quando impotentia perpetua, et antecedens conjugibus putatitiis est certa, non tamen publice notoria. R. 1. Absolute quidem (si velint, et absit periculum incontinentiae, actuumque venereorum, v.g. pollutionis, copulae attentatae etc.) possunt cohabitare instar fratris et sororis, ut constat ex c. 5. de frigid. *quod si ambo consentiant simul esse, vir eam, etsi non ut uxorem, saltem habeat ut sororem. Sanch.* tamen L. 7. d. 93. n. 36. et l. 9. d. 17. n. 21. his ait esse licitos tactus, si fiant sine periculo pollutionis; quod cum raro absit, alii id probabilius negant. 2. Possunt tamen ambo vel alteruter reclamare, et separationem petere, *sed non propria auctoritate instituere*; opus enim est auctoritate judicis Ecclesiastici, alias grave oriretur scandalum, cum publice habeantur pro veris conjugibus. Praemittenda autem est legitima probatio, tum ne pendeat dissolutio matrimonii

a solis conjugibus, tum ne locum habeat fraus et collusio quaerentium separationem. Unde sola assertio impotentiae non sufficit, sed requiritur, ut veritas curante judice Ecclesiastico pateat per peritos medicos, vel respectu foeminarum per obstetrices, vel alias honestas et fide dignas matronas; qui si affirment deposito juramento adesse impotentiam, separatio est facienda, et pars carens impotentia alteri nubere potest. Juxta *La Croix* L. 6. p. 3. n. 787. si impotentia sit perpetua, et simpliciter evidens, ut et in nostro eunucho, matrimonium solvitur absque experimento, quia ab initio est certo nullum; si sit verisimiliter evidens, requiritur juramentum conjugum, quod non possint coire, et pro singulis 7. manus propinquorum deponentium de credulitate, quod isti vera jurent: In dubio, an impotentia sit antecedens vel consequens, si subsit impotentia naturalis, praesumitur esse antecedens, quia naturalia regulariter cum natura incipiunt: si sit accidentalis, praesumitur non praecessisse, in favorem matrimonii, quamdiu non satis probatur. Denique si dubium sit, an impotentia antecedens perpetua existat, conceditur in cit. c. 5. de frig. triennium ad tentandam copulam; si frustra tentarint, separandi sunt per judicem Ecclesiasticum, et tunc pars capax poterit transire ad alias nuptias. *Pichler* hoc tit. n. 8. et seq.

1353. *Q.* III. Quid agendum, si matrimonium ob impotentiam in judicio probatam sit dissolutum, postea vero appareat conjuges esse potentes, v. g. si in alio matrimonio proles generent. R. *Regulariter* valet primum matrimonium, et dissolvendum est secundum. Ita *communiter* ex c. 5. et 6. de frigidis. Neque sententia contra primum matrimonium lata transit in rem judicatam, ut patet ex c. 7. de sentent. et re jud. Dixi, *regulariter*; quia dissolutio primi matrimonii tunc legitima manet 1. si impotentia sublata sit per miraculum, aut peccatum, v. g. per novum medium artis magicae, quia tunc censetur fuisse perpetua impotentia: 2. si fuerit *respectiva*, v. g. ob arctitudinem foeminae respectu prioris viri, non vero respectu alterius; 3. aut si fuerit respectiva ob maleficium, quod respectu hujus viri non potuit licite tolli: 4. si pars separata professionem in Ordine approbato emiserit; haec enim dirimit matrimonium ratum. Ad quaestionem, an foemina propter arctitudinem impotens teneatur pati incisionem; respondet *Sanch.* L. 7. d. 93. n. 32. quod non teneatur si judicio peritorum medicorum incisio fieri nequeat sine periculo vitae, vel gravissimi morbi; secus, si absque notabili incommodo.

1354. *Q.* IV. An mulier impotens censeri debeat, si non possit retinere semen conceptum. R. *Negative*; ideoque subsistit adhuc matrimonium, quia antequam emittatur semen, copula jam perfecta adfuit: ergo non adest impotentia. *Sporer* de Imped. n. 123. cum *Sanch.*

1355. *Q.* V. Ex quibus signis possit colligi, quod impotentia oriatur ex maleficio. R. Ex modis, quibus malefici arte daemonis solent reddere impotentes: 1. si corpora impediantur, ne sibi mutuo appropinquent ad coitum: 2. si ita inflammentur ad actum, ut ante coitum effundatur semen, vel refrigerentur ad actum, ut coitus perfici nequeat, ubi tamen discretione opus est, an non idem proveniat ex constitutione naturali: 3. si post contractum matrimonium subito turbetur imaginatio, qua reddatur mulier viro nimis exosa, deformis, monstruosa etc.: 4. si praeter consuetudinem ante coitum prohibeatur rigor, et aptitudo partium ad generationem destinatarum etc. dum impedit daemon missionem humorum ad debitas partes. Plura vide apud *Sanch.* L. 7. d. 94. *Delrio* L. 3. disquis. mag. P. I. q. 4. Media communia vide in P. I. n. 448. Modi destruendi maleficia extant in Ritualibus Dioeces. Item apud *P. Stoiber* P. 2. Armamentarii Eccles. c. 4. a. n. 84.

§. XVII. *De impedimento raptus.*

1356. *Principium generale.* Impedimentum raptus, quatenus ex jure Ecclesiastico dirimit matrimonium, provenit ex violenta personae abductione in ordine ad contrahendum matrimonium. De hoc *Trid.* sess. 24. c. 6. de reform. matrim. ita statuit: *Decernit S. Synodus, inter raptorem et raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. Quod si rapta a raptore separata, et in loco tuto ac libero constituta illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat, et nihilominus raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium et favorem praebentes sint ipso jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces, et si Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur praeterea raptor mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio judicis dotare.* Probabilius dicta excommunicatio non est reservata summo Pontifici. *Reginaldus* L. 22. n. 31. expresse ait, quod ea quidem sit latae sententiae, ut patet ex particula, *ipso jure*; sed nulli reservata, quia id debuisset in decreto indicari juxta c. *nuper.* de sentent. excom. §. *in secundo casu.*

1357. Ex dictis, ut raptus sit impedimentum dirimens, requiritur I. *Violenta abductio personae* sive solutae, sive ligatae, sive viduae, etiam alioquin inhoneste viventis, quia etiam hae salvam debent habere et perfectam libertatem matrimonii. Intelligitur autem violentia vel *physica*, quae fit per violentam manuum injectionem; vel moralis, quae fit per metum gravem, item per mandatum alteri datum ad vim inferendam. Unde non inducitur impedimentum, si absit violentia in abductione, v. g. si puella sponte consentiat. Dubium autem est. 1. an subsit impedimentum, si puella quidem consentiat, sed repugnent parentes vel tutores. Juxta probabiliorem non oritur tunc impedimentum, quia liber parentum consensus non requiritur ad valorem matrimonii. Ita *Sanch.* L. 7. d. 13. n., *Regin.* l. c., *Less.* et alii contra *Henriq.*, *Rebellum*, *Petr. de Ledesma* et alios. Talis tamen raptor incurrit alias poenas juris civilis a judice infligendas pro mensura delicti. Item dubium *secundum* est, an decretum contineat raptum, si sponsus vi abducat sponsam post inita sponsalia. R. Juxta probabiliorem talis raptus continetur in Decreto, quia Tridentinum sine restrictione loquitur: ergo non tantum de persona libera, sed etiam sponsa violente abducta (secus enim est de libere consentiente) intelligendum est, quamvis rapiat sponsam sibi promissam; tamen quoad modum contrahendi infert ei injuriam et violentiam, praecipue hoc tenendum in casu, quo sponsa ante raptum habeat justam causam resiliendi. *Sanch.* l. c. *Azor*, *Guttier.* et alii contra graves AA. *Tertio* dubitatur, an decretum intelligendum sit de muliere rapiente virum. Juxta communiorem non est intelligendum de rapiente muliere; patet enim, quod Tridentinum expresse loquatur de raptoribus, nec leges solent statui de casibus rarissimis, qualis est de muliere rapiente. Ita *Sanch.*, *Pont.*, *Molina*, *Wiestner* contra *Guttier*, *Haunold.*, *Krimmer* et alios, qui ex paritate rationis affirmativam tenent.

1358. II. Requiritur *ut sit vera abductio* de loco in locum moraliter diversum, qualis non est, si persona de cubiculo in cubiculum ejusdem domus, aut proxime vicinam domum abducatur. *Pichler* hic n. 119.

1359. III. Requiritur, ut abductio fiat matrimonii contrahendi causa. Hinc non oritur impedimentum, si mulier rapiatur ex alio fine, v. g. ut vendatur, in servitutem redigatur, spolietur etc.; hic enim proprie non est raptus, sed *plagium.*

Quid? si raptor abducat mulierem, non matrimonium contrahendi, sed libidinis exercendae causa. R. Probabilius non oritur impedimentum dirimens, quia Tridentinum l. c. expresse statim ab initio meminit solius matrimonii

contrahendi, dum statuit impedimentum inter raptorem et raptam: ergo indicium est, de illo solo raptu loqui decretum, qui fit matrimonii contrahendi causa. Ita *Sanch.* l. c., *Dicast.*, *Wiest.*, *Schmalzgr.* et alii contra *Sà*, *Azor*, *Bonac.* et multos alios. Denique per se constat ex verbis Trid. quod matrimonium nullum sit, etsi mulier violente abducta postea, dum adhuc est in potestate raptoris, nec loco reddita tuto, consentiat.

QUAESTIO FINALIS

An matrimonium nihilominus sit nullum, etsi contrahentes invincibiliter ignorent impedimentum dirimens, quod habent.

1360. R. cum probabiliore. Etsi sic contrahentes non peccent ob ignorantiam, matrimonium tamen est nullum; quia leges de impedimentis non sunt tantum prohibentes, sed irritantes. *Neque obstat,* quod aliqua impedimenta habeant rationem poenae, ut impedimentum criminis et alia: nam primario censeri non debent poenae, quamvis simul imponantur in poenam delicti, sed principaliter sunt inhabilitates canonicae, quibus stantibus non subsistit valor matrimonii. Demum etsi opposita sententia videatur speculative probabilis, obstat tamen Ecclesiae praxis, teste *La Croix* L. 6. p. 3. n. 642., cum rei criminis impedimenti nunquam permittantur contrahere sine dispensatione. Confirmatur etiam ex eo, quod petenda sit dispensatio, etsi praecesserit ignorantia, ut satis clare patet ex *Trid.* sess. 24. c. 5. de reform. matrim. ubi ita expresse habetur: *Si vero solemnitatibus adhibitis, impedimentum aliquod postea subesse cognoscatur, cujus ille probabilem ignorantiam habuit, tunc facilius cum eo et gratis dispensari poterit.*

ARTICULUS IV. *De dispensatione in impedimentis matrimonii.*

§. I. *De potestate dispensandi super impedimentis matrimonii.*

1361. *Principium* I. Super impedimentis *solum impedientibus* matrimonium absque dubio dispensare potest summus Pontifex pro utroque foro: quia cum haec impedimenta lege tantum positiva Ecclesiastica introducta sint, ejusdem legislatoris erit solvere, cujus erat ligare. Ex eadem ratione Papa dispensare potest super impedimentis, *quae jure tantum ecclesiastico matrimonium dirimunt,* qualia ex dictis esse censentur 1. *cognatio spiritualis,* 2. *legalis,* 3. *carnalis seu consanguinitas* (excipe, in linea recta, et in primo gradu lineae transversae) *affinitas,* juxta n. 1298., 4. *votum solemne religionis,* 6. *ordo,* 7. *crimen,* 8. *cultus disparitas,* 9. *publica honestas,* 10. *clandestinitas,* 11. *raptus.* In iis vero impedimentis Papa dispensare nequit, quae jure naturali vel divino matrimonium dirimunt, uti sunt 1. *error,* 2. *conditio,* 3. *ligamen,* 4. *impotentia,* 5. *consanguinitas in linea recta, et in primo gradu lineae transversae,* 6. *vis absoluta. De conditionali dubium est,* juxta n. 1313.; quia Pontifex hic non potest supplere consensum errore impeditum, aut impotentem reddere potentem, aut contra legem Christi matrimonium consummatum dissolvere etc.

1362. *Principium* II. Episcopus ex justa causa pro utroque foro dispensare potest super impedimentis mere impedientibus. Haec enim (inquit Bened. XIV. L. 7. de Synod. Dioeces. c. 31. n. 1.) *nullus dubitat posse relaxari ab Episcopo, si excipias impedimentum ortum ex sponsalibus cum altero initis, quod isto invito sine ejusdem injuria remitti nequit, et illud, quod provenit ex voto aut ingrediendae religionis, aut perpetuae castitatis, quae vota, nisi fuerint conditionata, summo Pontifici reservantur.* Similiter juxta communem Episcopus dispensare potest super voto castitatis ad tempus, item in voto non nubendi, debitum non petendi, sacros ordines suscipiendi etc.

Episcopum quoque dispensare posse justa de causa super denuntiationibus, nuper dictum est ex *Trid.* n. 1178. et 1250. Porro Episcopum dispensare tantum posse super vetito sive decreto suo inhibitorio, non super interdicto Pontificis, nuper jam monui.

1363. *Principium* III. Episcopus non habet ordinariam potestatem dispensandi in impedimentis dirimentibus publicis: *hanc* enim *potestatem* (ibid. n. 3. erudite docet Bened. XIV.) *communi fere calculo Doctores denegant Episcopo: quin imo sacrae Urbis Congregationes, Concilii videlicet, et supremae Inquisitionis non semel proscripserunt tanquam falsam, et temerariam propositionem asserentem Episcopo jus dispensandi super impedimento dirimente publico, quod obsistat matrimonio contrahendo, etiamsi gravis urgeat illud contrahendi necessitas.* Denique conqueritur idem Pontifex quod nihilominus *non desint aliqui, licet pauci Doctores, hac in re Episcopis blandientes, quorum aliqui innituntur praedicto axiomati,* videlicet: *Quidquid potest Pontifex in universo orbe, si ea excipias, quae totius Ecclesiae statum respiciunt, ut fidei articulum definire, potest Episcopus in sua dioecesi, nisi specialiter Papa sibi illud reservaverit... Cujus falsitatem deteximus* cap. praec. 30. eod. L. 7. de Synod. Dioeces. *Alii vero innituntur diuturna consuetudine.* Hanc quoque fortissimis rationibus cit. c. 31. impugnat, *primo* scil. dubium esse, an talis consuetudo unquam viguerit: *secundo*, an non potius contigerit, hunc illumve Episcopum in hoc aut illo impedimento dispensasse ex privilegio sibi a prima Sede specialiter concesso, ideoque non ex consuetudine: *tertio* ait, dato etiam in aliquam dioecesim irrepsisse eam consuetudinem, *diligenter prius examinandum est, an ea consuetudo omnes habuerit conditiones necessarias, ut potuerit praevalere legi Episcopo inhibenti, ne Superioris statutum infringere, aut quoquo modo relaxare praesumat.* In fine c. 31. n. 8. sic concludit: *Quare si aliquis Antistes ob nimiam suae dioecesis ab Urbe distantiam, aliamve legitimam causam necessariam sibi reputet auctoritatem dispensandi in uno, aut pluribus impedimentis matrimonium dirimentibus, eam exposcat a Romano Pontifice, qui eam petentibus impertiri non renuit, nunc magis, nunc minus amplam pro temporum, et locorum varietate.*

1364. Sic Reverendissimo ac celsiss. Episcopo Herbipolensi concessa est facultas pro utroque foro 1. dispensandi cum pauperibus tantum in tertio et quarto gradu, simplici et mixto, in matrimonio contrahendo; in contracto vero cum haeret cis conversis etiam in secundo simplici (aequali) et mixto (concurrente cum tertio, vel quarto) dummodo nullo modo attingat primum gradum, et in his casibus prolem susceptam declarandi legitimam: 2. dispensandi super impedimento publicae honestatis ex sponsalibus proveniente: 3. dispensandi super impedimento criminis, neutro tamen conjugum in morte machinante, ac restituendi jus petendi debitum amissum: 4. dispensandi in impedimentis cognationis spiritualis, praeter levantem, et levatum. Quae tamen dispensationes conceduntur sub clausula: *dummodo mulier rapta non fuerit, et si rapta fuerit, in potestate raptoris non existat.* Ita *methodus* practica *dispens. matrim. Herbipoli impressa* 1773.

1365. Episcopo tamen competit facultas in casibus extraordinariis, sive magnae et urgentis necessitatis, dispensandi pro foro conscientiae super impedimento, quod irritum reddit matrimonium jam publice contractum; de quo idem *Bened. XIV.* c. t. L. 7. de Synod. Dioeces. c. 31. n. 1. ait: *Ultro enim concedimus Episcopo illud relaxandi facultatem, quam eidem adscribunt Sylvester... Sotus... Navarrus... Sanchez... Pontius... Zerola... Cabassutius... Sylvius... Fagnanus... Nat. Alexander... qui tamen omnes unanimiter monent, non posse Episcopum eam potestatem sibi usurpare, nisi concurrant sex circumstantiae. Primo scilicet, ut jam matrimonium fuerit contractum in faciem Ecclesiae, omnibus adhibitis solemnitatibus. Se-*

cundo, ut contractum fuerit bona fide ex juris, aut facti ignorantia. Tertio, ut sit consummatum. Quarto, ut impedimentum sit occultum. Quinto, ut non facile possit adiri prima Sedes, seu dispensatio a Papa obtineri ob conjugum paupertatem, rusticitatem, locorum distantiam, aliasque similes causas. Sexto denique, ut non possit separatio fieri sine scandalo... Notant itidem iidem Doctores, dispensationem ab Episcopo in praedictis circumstantiis obtentam prodesse dumtaxat pro foro conscientiae, non autem pro foro externo: non enim plus potestatis tribuendum est Episcopo, quam habet Major Pocnitentiarius Papae, qui in praedicto rerum eventu impedimentum aufert, ut matrimonium convalescat, solum in foro interno. Quocirca si impedimentum antea occultum postea delegatur et deducatur ad forum contentiosum, opus erit nova dispensatione a summo Pontifice impetranda.

1366. Pariter juxta *Sanchez, Pontium, Hurtandum, Barbosa, Bonac.* de matrim. d. 3. pun. 15. n. 5. et alios graves AA. contra *Fagnanum* in c. *Nimis*, de fil. presbyt. n. 34. et 35., Episcopus in casu urgentissimae necessitatis, concurrentibus praedictis conditionibus; dispensare potest, pro foro interno super impedimento occulto juris Ecclesiastici, etiam antequam matrimonium contrahatur, v. g. si praemissis denuntiationibus, et amicis invitatis, et omnibus ad nuptias paratis pridie nuptiarum manifestetur impedimentum occultum. *Ratio hujus* est, quia ad praecavenda gravia mala et scandala, si alius non suppetat modus illis occurrendi, praesumendum est, summum Pontificem delegare Episcopo potestatem dispensandi, quam certe requisitus non esset ei denegaturus. De hoc idem Bened. XIV. in cit. L. 7. de Synod. Dioec. cap. 31. n. 3. ait. *Sed quidquid sit de extraordinaria potestate, quae ex praesumpta summi Pontificis voluntate, in aliquo eventu, urgentissimae videlicet necessitatis, et impedimenti occulti, competat Episcopis, nullum in praesens de ea ferimus judicium.*

1367. *Principium* IV. Ad dispensationes matrimoniales necessario praerequiritur legitima causa. Regulariter autem dispensari solet ob sequentes causas, inter quas.

1368. Prima est *angustia loci*, quae tunc locum habet, quando oratrix (non vero orator) in loco, ubi orta est, propter loci angustiam non potest nubere aequali, nisi consanguineo, vel affini; ac proinde, si tali non liceret nubere, deberet vel manere innupta, vel nubere viro, qui statu, conditione aut divitiis inferior, vel qui aetate, moribus, aut religione dispar foret.

1369. Secunda causa est *incompetentia dotis* oratricis, quando foemina dotem quidem habet, sed juxta status sui conditionem minus competentem; ita ut orator consanguineus vel affinis illam cum dicta dote ducere velit, illa vero sponsum paris conditionis sibi non consanguineum vel affinem invenire nequeat. Idem sentiendum, si foemina habeat quidem dotem competentem, sed litibus involutam, adeo ut subsit periculum, ne causa cadat: vir autem eam intendens ducere, velit ac possit litem in se suscipere, ac utiliter defendere. Huc reducitur *causa dotis cum augmento*, item *pro indotata*, quando minus vel nihil habens oratrix existit, et orator indotatam ducere ac usque ad quantitatem statui oratricis congruam competenter dotare legitime promittit. Quod pariter tenendum, si alius vel consanguineus, vel extraneus ad id non obligatus oratrici dotem constituere, vel competenter augere velit sub conditione, ut oratori nubat, et non alias.

1370. Tertia causa est *aetas superadulta* oratricis, quando illa vigesimum quartum aetatis suae annum jam excedit, et virum paris conditionis, cui posset nubere, non invenit. Ecclesia enim vult subvenire puellis, ne cum periculo incontinentiae permanere debeant omnino innuptae. Haec autem causa non extenditur ad viduas.

1371. Quarta causa est copula carnalis habita cum consanguinea affine, vel alia persona impedimentum dirimens habente. Si copula fraudulenter sub spe facilius impetrandi dispensationem habita fuerit, id exprimendum foret, et quidem an utraque pars, an vero altera tantum sub praedicta fraude peccasset.

1372. Quinta causa est *infamia*, seu *diffamatio mulieris*, orta ex nimia familiaritate, ac suspecto modo conversandi inter oratores, ita ut ex jugi consortio, amplexibus etc. nata sit suspicio, licet falsa, quod oratores se invicem carnaliter cognoverint; ideoque nisi matrimonium inter eos contraheretur, oratrix graviter diffamata innupta maneret, graviaque inde scandala, et detractiones orirentur.

1373. Sexta causa est *matrimonium bona fide cum ignorantia impedimenti contractum*, maxime si fuerit jam consummatum, et proles inde progenita, adeo ut separatio oratorum sine gravi scandalo, et prolium detrimento fieri nequeat: quo in casu exprimendum est, an detecto impedimento abstinuerint a copula, an vero post acceptam notitiam jure conjugum usi fuerint.

1374. Septima causa est *propter sedandas inimicitias graves*, quando nimium inter oratorum parentes, consanguineos vel affines ante contractum matrimonii graves exortae inimicitiae ex injuria atroci, vel aliunde de praesenti vigent, certumque sit eas per contractum matrimonialem oratorum extinctum iri. Huc refertur causa dicta *propter extinctionem litis* de re magni momenti, v. g. litis judicialis super omnibus bonis etc. Item huc refertur causa dicta *pro confirmatione pacis*; quando pax post graves discordias et lites inita inter oratricem et oratorem, nec non eorum parentes, et consanguineos creditur confirmanda per desponsationem oratorum.

1375. Octava causa est *pro oratrice filiis aggravata*, dum oratrix vidua quinque vel pluribus prolibus ex alio viro susceptis gravata est, et orator illam ducere, ejusque proles alere intendat.

1376. Nona causa est *periculum haeresis*, quando prudenter timendum est, ne oratores catholici vicini locis acatholicis cum heterodoxis contrahant cum periculo propriae perversionis, et pravae educationis prolium.

1377. Decima causa est (dicta a Curialibus *sine causa*) *ex certis rationabilibus causis*, quando oratores nobiles sine allegatione alicujus causae ex praedictis, sed solum in genere ex certis rationabilibus causis dispensationem petunt: quo in casu id ad justam causam reputatur, quod copiosior taxa pecuniaria oratoribus solvenda sit, quae redundat in commune Ecclesiae bonum, cum expendatur pro Missionariis Apostolicis, expeditionibus contra Infideles, sustentatione exulum ob Religionem ad Urbem confugentium etc. Item pro justa mercede Officialium, et ministrorum Curiae universalis Ecclesiae servientium.

1378. His annumera alias causas graves, v. g. *ut bona conserventur in familia*. Item ob praeclara merita etc. quae pertinent ad personas in ordine altiore constitutas. Denique si ad causas praedictas alia magni momenti ratio accedat, eam quoque exprimere licebit.

1379. Huc pertinet Constitutio *Bened. XIV.* quae incipit: *Ad Apostolicae*, publicata Romae 10. Martii 1742. ubi in ingressu statuit, dispensationes non nisi *ex debitis causis* concedendas esse; specialiter in §. 1. exhibet rationem expediendarum dispensationum, nimirum quod si causae in libello supplici ab oratoribus expressae tales fuerint, *ut juxta canonicas sanctiones, et prudens ecclesiasticae provisionis arbitrium, locus ad dispensandum esse videatur, dispensatio concedi soleat, ejusque executio Ordinario ut plurimum committi, cui onus incumbit diligenter inquirere, an causae expositae veritate nitantur, ut veris illis existentibus, gratia executioni demandetur; secus vero, si causae nullatenus veritati consentaneae sint.* Ibidem reprobatur opinio quorumdam, quod perperam, et non sine injuria denegetur executio, etsi causae minus verae existant, propterea quod (ut quidam contendunt) expressio causarum, earumque verificatio, in dispensationibus non sit

aliquid substantiale, sed formalitas quaedam, et forensis stili consuetudo: subjungit autem idem Pontifex contra hanc opinionem, *quod non minus veritati adversatur, quam executionis ordinem, ac modum bene ac prudenter constitutum subvertit, cum expressio causarum, earumque verificatio ad substantiam, et validitatem dispensationis pertineat, illisque deficientibus, gratia nulla, ac irrita sit, nullamque executionem mereatur.*

In §. 2. statuit, ut illa clausula, *et oratoribus periculum vitae immineret*, quae subinde in libello supplici solet addi, specialiter examinetur, an subsit veritas. In §. 3. refert Motum proprium *Pii V.* cujus initium est, *sicut accepimus*, in quo decretum est, *omnes et singulos procuratores, tam Officii sacrae Poenitentiariae, seu Contradictarum, quam alios, quoscumque sollicitatores, et scriptores, qui veritatem facti a narratione, quam ab ipsis partibus habuerunt, quoad substantialia, et qualitates necessario exprimendas, diversam faciunt, seu quoquo modo invertunt, aut immutant, aut depravant, et per subreptionem, et obreptionem gratias a Romanis Pontificibus extorquent, poenam falsi incurrere, et ea puniri omnino debere.* In §. 4. admonet omnes horum negotiorum gestores, *ut cum supplices preces pro aliqua matrimoniali dispensatione porrecturi sunt, id primum ante omnia agant, ut planam atque exactam facti notitiam assequi curent, sciscitantes ab ipsis oratoribus, an hae et illae causae adsint, ex quibus sciunt dispensationem concedi solere in hoc vel illo gradu; deinde in supplici libello facti speciem nitide, ac sincere exponant, caveantque diligenter, ne illam aliquatenus in rebus substantialibus alterent, immutent, invertant, corrumpant, sed stricte adhaereant iis, quae ab oratoribus sibi exposita fuerunt, et multo magis abstineant, ne quid falsi aut ficti proprio ingenio inventum, vel excogitatum, ad gratiam dispensationis facilius obtinendam, in precibus obtrudant.* In §. 5. praefatam Constitutionem *S. M. Pii V.* et poenam falsi extendit, dilatat *ad omnes praedictos negotiorum gestores, procuratores, et expeditores Litterarum Apostolicarum, cujuscumque status, gradus, ordinis et conditionis, et quocumque indulto, privilegio et dignitate munitos ... sine tamen praejudicio obligationis refundendi expensas oratoribus, qui ob illorum culpam ejusmodi dispensationes quae executioni demandari nequeunt, obtinuerunt.* In §. 6. executoribus litterarum Apostolicarum commendatur sedula cura, et examen ante executionem instituendum, an verae sint causae in litteris Apostolicis expressae, ob quas concessa fuit dispensatio, et additur: *qua super re eorum conscientiam oneramus.*

§. II. *Praxis procurandi dispensationem tum in Curia Episcopali, tum Romana pro utroque foro.*

1380. Praenotandum 1. quod procurans dispensationem pro oratoribus ex mente Bened. XIV. accurate debeat ex ipsis oratoribus haurire notitiam facti vel impedimenti. 2. Debet nosse, an possit dispensatio impetrari; constat enim ex dictis n. 1361. quod nequidem summus Pontifex possit in omnibus impedimentis dispensare. 3. Debet nosse, a quo petenda sit dispensatio, an ab Ordinario, unde scire debet, an illius potestas se extendat ad hunc vel illum casum, de quo quaeritur; an vero petenda sit Romae, ubi duplex pro concedendis dispensationibus a summo Pontifice erectum est tribunal. Primum dicitur *Sacra Poenitentiaria*, secundum *Dataria*, ad quam pertinet etiam *Cancellaria, et Praefectura Brevium*, vocaturque *officium minoris gratiae.*

1381. Praenotandum 2. quod *Sacra Poenitentiaria* dispenset tantum pro foro interno in impedimentis Juris Ecclesiastici, *occultis* tamen dumtaxat, tam ad contrahendum matrimonium, quam ad revalidandum nulliter contractum, excepto impedimento consanguinitatis, ut statim dicetur: ideoque si ab hoc tribunali dispensatio petatur, non exprimuntur vera nomina oratorum vel di-

spensandorum, sed ficta; v. g. Titius, Berta, aut per litteras A. B. C. Porro facultates Majoris Poenitentiarii, et Officii Poenitentiariae secundum ordinem videre licet in Constit. *Bened. XIV.* quae incipit: *Pastor bonus*, et habetur in tom. I. ejusdem Bullarii pag. 319. ubi a §. 39. recensentur facultates in matrimonialibus, ac primo quidem: *In matrimoniis contrahendis possit idem major Poenitentiarius in foro conscientiae tantum super impedimentis occultis, quae matrimonium non dirimunt, dispensare, vel dispensari mandare; itemque super omissione denuntiationum.... At a dispensationibus concedendis super quocumque impedimento ex quovis gradu sive consanguinitatis, sive affinitatis ex copula licita, sed ex cognatione spirituali proveniente, etiam in foro conscientiae tantum, tametsi impedimentum sit occultum, et periculum scandalorum immineat, in iisdem matrimoniis contrahendis abstineat.* §. 40. *In contractis vero matrimoniis a dispensatione seu matrimonii revalidatione in gradu primo et secundo tantum consanguinitatis vel affinitatis ex copula licita, etiam in occultis pariter abstineat; praeterquam si in secundo tantum gradu praedicto impedimentum saltem per decennium duraverit occultum, et oratores simul publice contraxerint, et convixerint, et uti conjuges legitimi reputati fuerint. In tertio autem et quarto gradibus occultis, in contractis possit dispensare; atque etiam in iisdem tertio et quarto gradibus publicis, possit revalidare matrimonia, ex causa subreptionis et obreptionis occultae litterarum Apostolicarum nulliter contracta; praeterquam si falsitas consistit in narratione praecedentis copulae, quae antea revera non intercesserat.* Juxta §. quadragesimum primum Major Poenitentiarius revalidare potest dispensationem in causa reticitae copulae. Juxta §. quadragesimum secundum in casu reticitae intentionis facilius impetrandi dispensationem. Juxta §. quadragesimum tertium: *Super impedimento occulto affinitatis ex copula illicita, seu ex actu fornicario proveniente, quotiescumque adsit rationabilis causa, licet periculum revelationis, seu scandalorum non immineret, vel non adesset, in matrimoniis tam contractis, quam contrahendis, in foro conscientiae dispensari mandare possit, et valeat.* Juxta §. quadragesimum quartum: *Super occulto impedimento criminis adulterii, si fuerit cum fide data dumtaxat, neutro machinante, commissum, possit tam in contrahendis, quam contractis matrimoniis dispensare. Si vero crimen hujusmodi fuisset, utroque vel altero machinante, patratum, possit in occultis pariter dispentationem concedere; raro tamen, et quando necessitas postulaverit.* Juxta §. quadragesimum quintum facultates praedictae etiam locum habent, etiamsi gradus et impedimenta multiplicia sint: praeter dispensationem in foro conscientiae etiam legitimare potest proles, non tamen in adulterio conceptas. Juxta §. quadragesimum sextum *ulterius super casibus quibusvis occulti impedimenti ad petendum licite debitum dispensari mandare possit, et valeat.*

1382. Praenotandum 3. quod per *Datariam*, seu Cancellariam dispensetur in omnibus impedimentis Juris Ecclesiastici *notoriis* et *publicis* pro foro externo, et pro foro interno in secundo gradu consanguinitatis, quamvis occulto. Dixi, *per Datariam*; quia potius ipse summus Pontifex dispensare hic dicendus est, quamvis supplicationes per manus Officialium Datariae transeant. Divisionem materiarum, et gratiarum Apostolicarum, quae per Datariam Apostolicam, quacque per Secretarium Brevium Secretorum sunt expediendae, vide in Constit. *Bened. XIV.* quae incipit: *Gravissimum Ecclesiae universae*, quae est in ordine centesima quadragesima quinta in tom. I. ejusdem Bullarii pag. 591. Porro impedimentum hic dicitur occultum, quod vel nulli notum est, vel si uni alterive innotuerit, ad forum tamen contentiosum nondum deductum, nec fama publicum est. Juxta *La Croix* L. 6. p. 3. n. 870, et *Pignat.* censeri debet occultum, dummodo personae, quibus notum est, sint infra decem. Per forum hic intelligitur judicium, jurisdictio, aut potestas: in

foro externo seu foro fori tractantur causae in ordine ad gubernationem externam reipubl. tum ecclesiasticae, tum civilis. In foro interno, sive foro poli aut conscientiae tractantur causae, precise prout pertinent ad internum animae statum; si interveniat sacramentum poenitentiae, dicitur forum internum sacramentale. Hinc quando dicitur, Poenitentiarium absolvere in foro interno, sensus est, quod absolvat in foro conscientiae non sacramentali in ordine ad conscientiam dirigendam, ut absolutus vel dispensatus sine peccato procedat.

1383. *Principium generale.* Principaliter hic observanda sunt, quae ex Constit. Bened. XIV. retuli n. 1379. Praeterea si petatur dispensatio pro foro externo, exprimendum est I. nomen, cognomen oratorum, dioecesis, parochia et locus oratorum. Si autem petatur pro foro interno, non sunt exprimenda vera nomina oratorum, in fine tamen nomen et cognomen, cui rescribendum est; item nomen civitatis, aut oppidi, ubi ille moratur ut infra patebit ex formula. II. Impedimentum distincte, clare, et in sua specie exprimendum est, quale est in se, et unde proveniat, an ex matrimonio rato, an ex sponsalibus, an ex copula licita, vel illicita, adjecto etiam schemate consanguinitatis, vel affinitatis. III. Si oratores duplici vel pluribus impedimentis, sive ejusdem sive diversae rationis affecti sint, v. g. si sint consanguinei ex duplici vinculo, quod tunc contingere potest, quando progenitores praevia dispensatione contraxerint, vel si sint consanguinei, et simul affines, aut simul laborent impedimento criminis, cognationis spiritualis etc. tunc multiplex impedimentum dilucide exprimendum est. Posset tamen, ubi concurrunt impedimenta, occultum unum, alterum publicum, pro foro externo peti dispensatio a Dataria in impedimento publico et a Sacra Poenitentiaria pro occulto, si absque infamia publicari non posset, v. g. affinitas ex copula illicita. IV. Exprimenda est vera ac legitima causa movens ad impetrandam dispensationem, nempe una, vel plures ex recensitis a n. 1368. usque ad n. 1377. V. Si pro causa dispensandi allegetur copula inter oratores habita, vel conversatio praebens ansam suspicioni, licet falsae, exprimi debet, an peccarint scientes, vel ignorantes impedimentum, an sub spe facilitandi gratiam. VI. Quando sponsus et sponsa conjuncti sunt in gradu inaequali consanguinitatis vel affinitatis, quamvis alias remotior trahat ad se propinquiorem; in hac tamen materia tum remotior, tum propinquior gradus exprimi debet, quia in litteris dispensationis solet declarari, distantiam gradus propinquioris non obstare. VII. Quando super affinitate in 1. vel 2. gradu petitur dispensatio, exprimi debet, utrum proveniat ex copula licita. Illa quoque phrasis notanda est, quod consanguinei dicantur esse tali gradu invicem conjuncti, affines vero se invicem attingere. VIII. Quoad publicam honestatem explicandum est, an sit orta ex sponsalibus, vel matrimonio rato. IX. Circa cognationem spiritualem explicandum est, unde proveniat, an intercedat filiatio, et paternitas vel maternitas, an vero tantum compaternitas, vel commaternitas, an hujusmodi cognatio sit duplex, triplex, an reciproca. X. De crimine explicandum est, an processerit ex machinatione in mortem conjugis, idque alterutro, vel utroque machinante, in quo casu non solet dispensari pro foro externo, an ex solo adulterio cum promissione, an ex adulterio et machinatione simul. XI. Si petatur dispensatio pro matrimonio invalide contracto, exprimendum est, an sit contractum servata forma Tridentini in facie Ecclesiae, et praemissis proclamationibus, aut cum dispensatione in iis. XII. Si petatur dispensatio pro pauperibus, exprimenda est paupertas, non quidem pro valore dispensationis, sed pro minuendis sumptibus. Super quo puncto

1384. *Observandum* est, quod praeter formam ordinariam, dum certa taxa pecuniae solvenda est, Curia Romana in solatium egenorum introduxerit aliam, quae vocatur *forma pauperum*, secundum quam dispensatio conceditur gratis, ita ut communis taxa non exigatur, etsi Agenti sit aliquid solvendum. Taxas jurium solvendorum *P. La Croix* L. 6. p. 3. sub n. 932. exponit. Porro ad hunc

effectum inter pauperes reputatur 1. ille, qui nulla bona possidet, sed tantum vivit ex proprio labore, neque alio medio vivere potest, etsi spem habeat haereditatis, quia spes non liberat de praesenti paupertate: 2. si parentes quidem habeant bona, sed deducto aere alieno, et oneribus tam exiguus sit proventus, ut vel simpliciter vivant ex labore, vel saltem ex bonis non habeant, quo annuatim per duos menses vivant, vel si bona, quae possident, sint tam modica, ut valorem 50 aureorum non attingant; ejusmodi sunt plerumque opifices, operarii diurni, milites, ludimagistri etc. Ut dispensetur in forma pauperum 1. debent oratores vere esse pauperes et miserabiles, alias deest intentio Pontificis dispensandi. 2. Debet inter eos intervenisse copula, aut tam familiaris conversatio, quae eos suspectos reddat de copula (Romae enim nunquam dispensatur in forma pauperum, nisi propter duas dictas causas); si vero impedimentum dispensabile sit ab Episcopo, sufficit cum paupertate allegare quamcumque causam ex praedictis. 3. Debet addi, an copula intercesserit cum ignorantia, an cum scientia impedimenti, sive an in fraudem, et ad extorquendam facilius dispensationem, quia in hoc secundo casu vel non dispensatur, vel duplum solvendum est. 4. Debet mitti attestatum ab Ordinario, vel ejus Vicario, quod oratores sint vere pauperes; praeterea etiam arbor consanguinitatis, aut saltem explicari, in quo gradu se attingant oratores. Monet *La Croix* l. c. n. 929. ut sollicitetur dispensatio vel per Episcopi Officiales, vel per Nuntiaturam, quia hujus litterae certius diriguntur, ac per Agentes proprios Romae libellus supplex efficacius proponitur, quin etiam expeditiones obtinentur minore sumptu.

1385. Exemplar primum pro dispensatione obtinenda Romae per Datariam pro foro externo in forma ordinaria super impedimento publico, et notorio. *Beatissime Pater. Exponitur humiliter Sanctitati Vestrae pro parte devotorum ipsius oratorum NN.* (hic exprimuntur nomina dispensandorum, dioecesis, civitatis vel oppidi, et parochiae; quia rescriptum dirigitur ordinarie ad Dioecesanum, v. g. Andreae Schuz, et Annae Morgin, dioecesis Herbipolensis de parochia Rottendorf, vel Filiali Effeldorf ad parochiam Rottendorffensem pertinente, vel quorum orator est dioecesis Herbipolensis de parochia N. oratrix vero dioecesis Bambergensis de parochia N. *quod, cum dicta oratrix vigesimum quartum annum suae aetatis excedens virum paris conditionis, cui nubere posset, hactenus non invenerit, praefatus vero orator illam superadultam ducere in uxorem intendat, cupiant invicem matrimonialiter copulari*: vel alia ponitur debita et vera causa impetrandae dispensationis ex supra recensitis, v. g. quod, cum dicta oratrix dotem habeat minus competentem juxta status sui conditionem, cum qua virum non consanguineum, vel affinem paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat, praefatus vero orator illam cum dicta minus competente dote in uxorem ducere intendat, cupiant invicem copulari: vel.... quod cum dicta oratrix in loco praefato propter illius angustiam virum paris conditionis.... Sic applica reliquas causas relatas n. 1368. *Sed quia* (hic exprimitur impedimentum v. g.) *in secundo gradu consanguinitatis conjuncti sunt, prout ex adjuncto schemate rite colligitur, desiderium suum hac in parte implere non possunt sine Sedis Apostolicae dispensatione; hinc humiliter Sanctitati Vestrae supplicant oratores* (si pauper sint, additur; *qui revera pauperes existunt*) *quatenus cum iisdem super dicto impedimento in ordine ad legitime contrahendum matrimonium benigne dispensare dignetur. Sanctitatis Vestrae oratores devoti, qui supra.*

1386. Exemplar II. pro dispensatione Romae obtinenda per Datariam pro foro externo super impedimento publico et notorio propter copulam scienter vel ignoranter. *Beatissime Pater. Exponitur Sanctitati Vestrae humiliter pro parte illius devotorum oratorum Pauli N. et Paulinae N. de parochia N. dioecesis N. ex oppido N. quod dicti oratores* (si in forma pauperum, hic

additur: *vere pauperes ac miserabiles, et labore suo ac industria tantum viventes*) *conscii se in tertio consanguinitatis gradu a communi stipite aequaliter proveniente, esse conjunctos* (*vigore annexi schematis*) *non quidem sub spe facilius obtinendi dispensationem, sed solum vesana libidine victi sese carnaliter cognoverint* (si adsit proles, additur, *prolemque susceperint*); *cum autem nisi matrimonium inter eos contrahatur, dicta mulier diffamata, innuptaque* (si adsit proles) *et proles illegitima remaneret, graviaque exinde scandala orirentur, cupiunt praedicti oratores matrimonialiter copulari. Sed quia obstante impedimento ejusmodi desiderium suum hac in parte adimplere non possunt absque Sedis Apostolicae dispensatione, supplicant humiliter oratores,* (si pauperes) *qui revera pauperes existunt, quatenus Sanctitas Vestra secum, ut publice servata forma Concil. Trid. matrimonium invicem contrahere, ac in eo postmodum remanere licite valeant benevole dispensare* (si adsit proles, additur) *prolemque susceptam ac suscipiendas proles legitimas decernere dignetur. Sanctitatis Vestrae oratores devoti NN. Herbipoli, die... anno...*

Adverte 1. Quando copula praecessit sine notitia impedimenti, sic ponitur supplicatio: *Exponitur... quod dicti oratores orthod. fidei cultores ignorantes aliquod impedimentum inter eos existere, quominus matrimonialiter possent copulari, vesana libidine victi se carnaliter cognoverint, ex tunc vero ad eorum pervenerit notitiam, se tertio consanguinitatis gradu conjunctos* (vel affinitatis gradu se attinere, prout liquet ex adjuncto schemate); *cum autem* etc. 2. Si vero praecessisset copula cum spe facilius obtinendi dispensationem, ita supplicandum esset: *Exponitur, quod dicti oratores orthodoxae* etc. *alias scientes, se tertio consanguinitatis gradu aequali esse conjunctos, sub spe facilius obtinendi dispensationem, sese carnaliter* etc. 3. Si una tantum pars, v. g. orator sub tali spe peccasset, sic exprimi posset: *Quod ipsis alias scientibus, se esse... conjunctos (vel se attinere) praefatus orator sub spe facilius obtinendi dispensationem, oratricem similem spem non habentem carnaliter cognoverit* etc.

1387. Exemplar III. pro dispensatione super impedimento notorio in secundo et tertio gradu impetranda per Datariam. *Beatissime Pater. Exponitur humiliter Sanctitati Vestrae pro parte devotorum illius oratorum* etc. ut supra, *quod praedicti oratores orthodoxae fidei cultores* (si sint tales, alias si una pars sit acatholica, id exprimendum esset cum certa spe conversionis, item si sint pauperes,) *cupiunt matrimonialiter copulari, quia...* hic exprimitur causa - *Cum autem sint in secundo et tertio consanguinitatis gradu conjuncti,* vel se attineant, *vigore schematis hic annexi; ideoque desiderium suum hac in parte implere non possint absque Sedis Apostolicae dispensatione; hinc supplicant humiliter Sanctitati Vestrae praefati oratores, quatenus cum iisdem in ejusmodi impedimento ex tertio consanguinitatis gradu dispensare, et quod distantia secundi gradus non obstet, declarare, prolemque exinde susceptam* (si adsit, vel si secus, *suscipiendam*) *legitimam renunciare de speciali gratia dignetur* etc. ut supra.

1388. *Observa.* In hujusmodi supplicationibus ad Datariam scribitur: *Beatissime Pater,* quia non inscribuntur Datario, sicut inscribuntur Poenitentiario, quando a Poenitentiaria pro foro interno petitur dispensatio. Inscriptio a foris est: *Sanctissimo Patri ac Domino N. Pontifici Optimo Maximo, Domino Nostro Clementissimo N.* Ipsa vero supplicatio involucro inclusa per separatas litteras dirigitur ad aliquem Romae existentem, qui Datariae supplicationem, et dispensationem sollicitet, nisi mittatur per Nuntiaturam aut Ordinarium dioecesis oratorum, qui est optimus modus, ut infra dicetur.

1389. Exemplar IV. pro dispensatione impetranda a sacra Poenitentiaria pro foro interno super impedimento occulto ad matrimonium contrahendum: *Eminentissime, et Reverendissime Domine* etc. etc. *Exponitur humiliter. Emi-*

nentiae Vestrae, quod postquam Cajus Laicus Titiam carnaliter cognovit, impedimenti ignarus (vel si ita non est, ponatur *conscius*) *sponsalibus contractis de futuro cum sorore dictae Titiae, eam ducere in uxorem cogitet, qui contractus cum publicus sit, impedimentum vero occultum, et nisi Cajus et Titia matrimonialiter copulentur exinde verisimiliter oritura sint scandala, cupit orator ad scandala vitanda, et pro conscientiae quiete, a praemissis, de quibus summe dolet, absolvi et secum dispensari. Quare Eminentiae Vestrae humiliter supplicat, ut super his de opportuno remedio, Auctoritate Apostolica provideat, quam gratiam studebit suis ad Deum precibus pro possibili demereri. Dignetur Eminentia Vestra rescribere.* Vide clausulam in P. I. n. 612. Foris supplicatio inscribitur: *Eminentissimo et Reverendissimo Domino, Domino, S. R. E. Cardinali Majori Poenitentiario. Romae.* Libellus supplex etiam includi potest litteris separatis ad Confessarium in Poenitentiaria, quorum alii sunt ex Ordine Praedicatorum s. Dominici, alii ex Ordine Seraphico s. Francisci, alii ex Societate Jesu. Cui involucro exterius inscribitur: *Plurimum Reverendo ac perquam Religioso Patri in Christo P. Confessario in Poenitentiaria ex Ordine NN. Romae.*

1390. Exemplar V. pro dispensatione super impedimento occulto *post contractum* matrimonium a S. Poenitentiaria impetrandum. *Eminentissime et Reverendissime Domine* etc. etc. *Exponitur humiliter Eminentiae Vestrae pro parte devoti illius oratoris, Caji Laici, quod ipse, alias impedimenti conscius* (vel si secus, *ignarus*) *matrimonium per verba de praesenti in facie Ecclesiae contraxerit, successive consummarit cum muliere, cujus sororem antea carnaliter cognoverat* (vel matrem, prout veritas exigit); *cum autem dictus orator ob affinitatis impedimentum ex dictis proveniens, quod occultum est, in eo matrimonio remanere non possit absque Sedis Apostolicae dispensatione, et si divortium inter eos fieret, scandala exinde orirentur, cupit a praemissis, de quibus summe dolet, absolvi, et secum super impedimento ad remanendum in dicto matrimonio dispensari* (si proles ex eo suscepta sit, addatur *prolemque legitimari*). *Quare Eminentiae Vestrae* etc. ut in praeced. exempl.

1391. Exemplar VI. pro dispensatione in foro externo impetranda ab Episcopo, vel Nuntio Apostolico ad matrimonium contrahendum. *Reverendissime ac Celsissime S. R. E. Princeps* (vel *Illustrissime Domine*, prout dignitas exigit). *Exponitur Reverendissimae Celsitudini Vestrae pro parte devotorum illius oratorum Andreae N. et Barbarae N. dioecesis N. parochiae N. quod dicti oratores orthodoxae fidei cultores* (si in forma pauperum, *vere pauperes ac miserabiles*) *ignorantes* (vel *scientes*) *inter se intercedere impedimentum* (v. g. publicae honestatis, consanguinitatis in tertio vel quarto gradu) *sponsalia contraxerint, atque familiariter inter se conversati sint* (hic additur si copula habita sit, vel ejus sit suspicio, et insuper an sub spe facilioris dispensationis, vel non) *et nisi matrimonium inter se contrahant, dicta mulier verisimiliter diffamata, et innupta remaneret, graviaque inde scandala orirentur; cum autem* etc. (hic exprimatur impedimentum) *et ideo desiderium suum hac in parte implere non possint absque dispensatione, hinc supplicant Reverendissimae Celsitudini Vestrae, quatenus cum iisdem super dicto impedimento benigne dispensare dignetur. Quam gratiam studebunt suis ad Deum precibus pro possibili demereri. Reverendissimae Celsitudinis Vestrae devoti oratores NN. Herbipoli.*

§. III. *Resolutio Casuum.*

Casus I.

Urbano Parocho denuntiatur ab aliquo fide digno, quod matrimonium Vitum inter et Ursulam, quod contraxerant ante 7. annos ambo alibi tum peregrini, sit nullum propter impedimentum hucusque occultum. Hinc mox vocat Vitum et Ursulam, a quibus certior redditur, quod super impedimento occulto jam ante biennium obtinuerint pro foro interno dispensationem.

1392. *Q.* I. Quid in ejusmodi casibus sit observandum a Parocho. R. 1. Advertendum, si post matrimonium jam contractum per aliquem, vel aliquos manifestetur impedimentum hucusque occultum, Parochi non debent esse faciles ad illud publicandum per notoriam separationem, sed silentio imposito denuntiatoribus, factaque secreta separatione saltem a thoro, si conjuges vel fuerint, vel jam sint in mala fide, statim satagant ipsis providere de opportuno remedio. In nostro casu nequidem a thoro separandi erant, cum per secretam dispensationem impedimentum prius occultum vere fuit sublatum pro foro interno: debebat igitur D. Urbanus monere denuntiatores, conjugium esse certo legitimum, interim autem procurare dispensationem etiam pro foro externo: hac ratione adhuc manebit occultum impedimentum.

2. RR. DD. Parochi et Confessarii viam brevissimam eligant, quam primum recurrendo ad Reverendissimum Ordinarium: referant clare et distincte casus tectis nominibus cum omnibus circumstantiis ad rem pertinentibus, nec non cum causa dispensandi, juxta superius dicta et modo sequenti.

1393. Exemplar VII. sive formula supplicationis ad Ordinarium pro dispensatione Romae per Ordinarium impetranda super impedimento affinitatis in primo gradu lineae rectae post contractum matrimonium. *Reverendissime ac Celsissime S. R. E. Princeps. Exponitur humiliter Celsitudini Vestrae pro parte devoti oratoris Caji, quod ipse alias conscius* (vel *ignarus*) *impedimenti matrimonium per verba de praesenti in facie Ecclesiae contraxerit, et successive consummarit cum muliere, cujus matrem* (vel sororem vel filiam) *antea carnaliter cognoverat. Cum autem dictus orator ob affinitatis impedimentum ex praedictis proveniens* (*quod occultum est*) *in eo matrimonio remanere non possit, absque speciali gratia dispensationis; et si divortium inter eos fieret, scandala exinde verisimiliter exorirentur, desiderat de praemissis, de quibus summe dolet, absolvi, et secum super impedimento dispensari, prolemque susceptam* (si quae adsit) *vel suscipiendam legitimari. Quare Reverendissimae Celsitudini Vestrae humiliter supplicat, ut ei super his de opportuno remedio providere dignetur. Quam gratiam etc. Kissingae 20. Febr. 1753. Reverendissimae Celsitudinis Vestrae submississimus Cappellanus NN. Parochus ibid.*

NB. Si vero Parochus ob causas graves et occultas consultum duceret, etiam suum et parochiae nomen occultare, poterit supplicationem non subscriptam committere alicui amico in loco, ubi residet Episcopus, v. g. Herbipoli commoranti, ad effectum ut illam opportune exhibeat, et post congruum tempus pro expeditione instet, eamque sibi transmittat. Ita *Method. pract.* supra cit. Praecipue hoc tenet, si notitia impedimenti nonnisi ex confessione hausta sit, poenitens tamen consentiat ultro, ut tecto nomine petatur dispensatio.

Casus II.

Wendelinus constituitur Commissarius ad dispensandum super impedimento matrimonii: haeret autem dubius de sensu clausularum in rescripto contentarum, et de modo executionis.

1394. Ante resolutionem reflectendum est ad ea, quae in P. I. n. 613. dicta sunt, qualis executor regulariter requiratur, et quomodo debeat fieri executio. Ordinarie Romae non dispensatur super impedimentis matrimonii, sed si in foro externo sit dispensandum, id committitur Episcopo vel Vicario Generali, quem Curia Romana Officialem vocat; pro foro autem interno si sit dispensandum, id a S. Poenitentiaria committitur Confessario approbato, aut alteri, quem dispensandus elegerit. Litterae enim S. Poenitentiariae diriguntur ad oratorem, sive ad illum, qui dispensationem per se vel per alium petit, qui eas non resignare debet, sed eligere talem confessorem, quali inscribuntur qui eas sibi ab oratore traditas resignet, et deinde cum eo secundum clausulas dispenset.

1395. *Q.* I. Quomodo intelligendae sint clausulae, quae rescriptis pro dispensatione matrimoniali solent inseri: *Quatenus si ita est.* R. Vi hujus tenetur executor examinare dispensandum, an preces veritate nitantur, an causa assignata vera sit, an impedimentum ita se habeat, sicut refertur in litteris etc. si causam vel aliud falso allegatum repererit, ad executionem non procedat. 2. Solet inseri: *Audita prius ejus sacramentali confessione*: per haec verba innuitur, quod Confessarius executor absolutionem et dispensationem dare non debeat, nisi praemissa sacramentali confessione. 3. *Sublata occasione peccandi:* nec debet absolvi, nec dispensari poenitens, nisi prius occasionem proximam peccandi auferat, qualis est, si orator cum matre sponsae, vel sorore uxoris putatitiae saepius peccaret, quia cohabitant in eadem domo etc. Itaque dispensatio differri debet donec occasio voluntaria sublata sit. si vero occasio necessaria esset et involuntaria, scil. si non sit in potestate oratoris eam auferre, tunc differenda est absolutio et dispensatio, et praescribenda media praeservativa, donec ex occasione proxima reddatur remota. 4. *Injuncta ei pro tam enormi libidinis excessu gravi poenitentia salutari:* gravitas ejusmodi poenitentiae committitur discretioni, et prudentiae Confess. qui ad qualitatem, statum, sexum et aetatem poenitentis debet reflectere, semper tamen advertendo, ne unquam ex talis poenitentiae persolutione delictum forte detegi queat: poterit autem injungi v. g. jejunium vel abstinentia per annum, vel sex menses qualibet hebdomada pro delicti gravitate; recitatio integri Rosarii singulis septimanis per tres, vel plures menses, vel per totam vitam; litaniae, aut quinquies Pater et Ave singulis diebus per duos vel tres annos; item largitio determinatae eleemosynae etc. dummodo vere dici possit poenitentia gravis. Praeter haec subinde 5. solet addi: *Injungatur confessio saltem una singulis mensibus.* Haec juxta *Gobat* durat tota vita, ita ut quoties poenitens omitteret per mensem confessionem, toties peccaret graviter. *Krimer* vero censet, si non addatur: *In perpetuum*, satis esse, si injungatur ad annos secundum mensuram delicti. 6. *Dummodo impedimentum fieret occultum.* De hoc supra. 7. *Et aliud canonicum non obstet*; ideoque examinandum est, an praeter impedimentum narratum in supplicatione, aliud non subsit; nam etsi illud bona fide fuisset omissum, litterae tamen non haberent effectum. 8. *Praesentibus laniatis, quas sub poena excommunicationis latae sententiae laniare tenearis, ita ut nullum earum exemplum extet, neque eas latori restituas: quod si restitueris, nihil ei praesentes litterae suffragentur*; scil. dispensans litteras Roma missas quam primum post executionem gratiae lacerare vel comburere debet. Denique cum talis dispensatio fiat sine strepitu judicii, sed in sola confessione sacramentali, desuper nunquam dari debent litterae testimoniales in forma publica; imo ex dictis, si impedimentum fieret publicum, nova opus esset dispensatione pro foro externo.

1396. De modo revalidandi matrimonium observa sequentia. I. Ubi litteras Romanas acceperis, si habeas qualitates requisitas, et orator te ad exequendam dispensationem eligat, aperi ipso praesente rescriptum; expone omnes clausulas, quas oratorem scire oportet; quaere, an vera sit causa an solum ibidem expressum impedimentum subsit, an praestare velit, quae injunguntur; si

vera affirmet, dicatque se esse paratum ad omnia praestanda, jube ut rite se ad confessionem sacramentalem disponat, excipe confessionem, praemissisque debitis admonitionibus injunge praescriptas poenitentias, postea praemissa consueta absolutione sacramentali adde: *Insuper auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata dispenso tecum super impedimento*, v. g. affinitatis primi vel secundi gradus, *ita ut illo non obstante, matrimonium contrahere* (vel si jam contractum sit, *renovato consensu in eo remanere*) *possis et valeas cum N. In nomine Patris et F. et S. S. Eademauctoritate Apostolica prolem, quam ex matrimonio susceperis, legitimam declaro, et pronuntio in nomine Patris etc.* Alii in forma simul exprimunt causam impedimenti v. g. *super impedimento primi gradus affinitatis proveniente ex copula illicita habita cum sorore mulieris, cum qua contrahere intendis; ita ut illo non obstante etc.* His peractis lacera litteras dispensationis.

1397. II. Quomodo postea revalidandum sit matrimonium jam dictum est n. 1191. scil. si impedimentum sit occultum, et matrimonium jam contractum sit coram Parocho, et testibus non est necesse, ut revalidetur coram iisdem: secus, si impedimentum sit publicum et notorium. Maxima autem cautela adhibenda est in modo praestandi novum consensum, si praesertim periculum sit, ne forte propter jurgia potius vellent separari, unde majora male evenirent, ut ibid. diximus.

Casus III.

Xistus in 2. gradu affinis cum Xantippa contrahit cum eadem sponsalia de futuro sub expressa conditione: si Papa dispensaverit. Sponsus petit dispensationem, sponsa vult solvere mediam partem sumptuum: obtenta dispensatione Xantippa renuit nuptias celebrare praecise propter impedimentum.

1398. *Q.* An Xantippa compellenda sit ad servandam fidem sponsalium. R. *P. Gobat.* t. 10. n. 164. negative: postquam affirmativam ut probabilem admiserat, subdit, *non esse quemquam facile metu ullius poenae compellendum ad ducendam quocumque impedimento irretitam*, tum propter decisionem *Rotae Rom.* quam refert *Diana* p. 6. in fin., tum propter quinque alias decisiones *ejusdem Rotae*, loquentes generatim de invaliditate sponsalium contractorum sub conditione dispensationis. Pariter tenent *Abbas, Victoria, Sotus, Navar., Vera Crux, Henriq.* ejusmodi sponsalia esse simpliciter invalida, et etiam post obtentam dispensationem, nullam inducere obligationem, sic ut utervis contrahens possit resilire, nisi post impetratam dispensationem accedat novus consensus. *Ratio* horum est, quia illi impediti ante dispensationem sunt inhabiles ad contrahendum matrimonium: ergo etiam ad valide promittendum illud. Item quia hoc ipso actus censetur turpis, quod fiat contra legem; lex enim prohibet, ne impediti contrahant. Contrarium tenent *Sanch.* L. 5. d. 8. n. 10., *Bonac., Coninck, Kugler* p. 1. q. 43. n. 725., quod scil. ejusmodi sponsalia valeant, ita ut obtenta dispensatione non opus sit novo consensu, tum post sponsalia de futuro, tum de praesenti (circa postremum contrarius est *Laym.* L. 5. t. 10. q. 2. c. 7. n. 5.). Horum *ratio* est, quod cum talis promissio sit de objecto honesto, et adjectio conditionis non sit turpis, etiam non videatur ratio, cur non oriatur obligatio, et cur non fiat promissio absoluta post impetratam absolutionem. Certum tamen est (juxta *Gobat*) tunc ejusmodi promissionem esse irritam, si promittentes non habeant justam causam impetrandae dispensationis, quia cum sine gravi causa non detur dispensatio, illa conditio adjecta haberetur pro impossibili.

TRACTATUS III.

DE CENSURIS ECCLESIASTICIS, ET IRREGULARITATE

ATICULUS. I. De censuris in genere et in specie.

§. I. *Praenotanda de censuris in genere.*

1399. *Praenotandum* I. Censura vi nominis significat judicium de aliqua actione, an sit digna laude, vel vituperio. Sic olim Romanis significabat sententiam Censoris mores corrigentis, aut poenam decernentis. A scriptoribus ecclesiasticis translata est haec vox ad poenam spiritualem, quam Ecclesiae Praelati infligunt contumacibus. Ideoque definitur, *poena spiritualis et medicinalis, qua homini baptizato, delinquenti, ac contumaci quorumdam spiritualium bonorum usus aufertur ab Ecclesia, donec a contumacia recedat.* Ita *Bened. XIV.* L. 7. de Synod. Dioeces. c. 45. n. 1. cum *Suarez.* Dicitur 1. *Poena spiritualis* sive *ecclesiastica,* scil. talis punitio criminis, quam soli Praelati Ecclesiastici possunt infligere; solius enim potestatis ecclesiasticae est, privare subditos bonis spiritualibus. 2. *Medicinalis,* h. e. inflicta ut reus emendetur: nam juxta c. *cum medicinalis*, 2. de sentent. excomm. in 6. gravissima etiam censura, scil. excommunicatio, *medicinalis* est, *non mortalis, disciplinans, non eradicans:* quia Ecclesia primario per censurae castigationem intendit resipiscentiam contumacis. Sic differt censura a paris poenis, v. g. a depositione, degradatione, irregularitate ex delicto, quae praecise infliguntur in punitionem delinquentis, et remanent post emendationem peccatoris; irregularitas autem ex defectu non est poena, sed impedimentum canonicum, unde utraque irregularitas non tollitur per absolutionem, sicut censura, sed per dispensationem. Hinc quando in jubilaeis, vel privilegiis datur facultas absolvendi a censuris non comprehenditur irregularitas, nisi expresse addatur. Item differt a cessatione a divinis, quae non imponitur ad tollendam contumaciam, sed ad propulsandam injuriam Ecclesiae factam. 3. Dicitur, *qua homini baptizato, delinquenti, ac contumaci etc.* queis verbis indicantur conditiones illius, in quem ferri potest censura, scil. ut sit *baptizatus*; cum enim censura sit actus jurisdictionis ecclesiasticae, ea non nisi ad subditos sive baptizatos extendi potest. Item *delinquens*; censura enim est poena: ergo supponit culpam. Denique *contumax*; est enim poena medicinalis: ergo morbum, scil. peccatum, adhuc sanandum supponit. 4. Dicitur, *quorumdam spiritualium bonorum*, scil. eorum dumtaxat, quorum administratio, et applicatio est penes Ecclesiam, cujusmodi sunt Ecclesiae suffragia, indulgentiae, jurisdictio ecclesiastica, usus sacramentorum; non vero bona supernaturalia interna, v. g. dona gratiae, virtutes infusae Fidei, Spei, Charitatis, quibus hominem Ecclesia privare nequit. 5. Dicitur, *usus aufertur:* censura enim tantum suspendit, et prohibet usum seu exercitium, non vero tollit ipsam potestatem; sic non tollit titulum beneficii, potestatem percipiendi sacramenta etc.; sic iterum differt a depositione, et degradatione, quae in perpetuum privant exercitio sacrarum functionum. *Spiritualium bonorum* additur, non vero temporalium, nisi secundario et indirecte, quatenus bonum temporale, v. g. societas et convictus cum fidelibus refertur ad spirituale.

1400. *Praenot.* II. Censura solemnissime dividitur in tres species, 1. scil. in *excommunicationem*, *suspensionem*, et *interdictum.* Ita *Innoc. III.* in c. *quaerenti*, de signif. verb. Idem patet ex c. 1. et 13. de sent. excomm. in 6. De singulis infra. 2. Alia est censura *a jure*, alia *ab homine* lata. *Censura a jure*

dicitur, quae fertur per canones, et statuta ecclesiastica. Haec regulariter generalis est, et omnes subditos delinquentes comprehendit; item perpetua, et durat quamdiu lex illam imponens non est abrogata. *Censura ab homine* dicitur, quae fertur a legitimo superiore per modum mandati, vel sententiae judiciariae, estque vel *generalis*, quae indeterminate aut generaliter in aliquos fertur, v. g. in Clericos: vel *particularis*, quae fertur in personam determinatam, vel saltem ex causa particulari ac determinata. 3. Censura alia est *latae*, alia *ferendae sententiae. Latae sententiae* est, quam jus vel superior statuit ipso facto, quo quis legem violat, et sine alia judicis sententia incurrendam. Signa hujus censurae sunt v. g. hae particulae *ipso facto, ipso jure, eo ipso*. et similes: vel verbum praesentis aut praeteriti temporis, v. g. *sit excommunicatus, excommunicetur*, vel *excommunicavimus, noverit se excommunicatum, se excommunicari*. Censura *ferendae sententiae*, quae etiam dicitur *comminatoria*, ea est, quam reus non incurrit ipso facto, quando crimen committit, sed per judicis sententiam infligi debet. Signa hujus sunt 1. particulae comminatoriae, v. g. *praecipimus sub paena excommunicationis, sub interminatione anathematis etc.* 2. verbum futuri temporis, v. g. *qui hoc fecerit, excommunicabitur* etc. Vide P. I. n. 140. ubi etiam dictum, quod in dubio, an censura sit latae vel ferendae sententiae, quia odiosa est, in mitiorem partem sit accipienda. Denique praeter alias divisiones accidentales censura alia est reservata, alia non reservata.

1401. *Praenot.* III. Quod Ecclesia habeat potestatem ferendi censuras non tantum pro foro externo, sed etiam interno, perpetuum et constans est dogma Catholicorum, 1. ex verbis Christi Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus* etc. *Et si non audierit*, die Ecclesiae: *si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus* etc. *Amen dico vobis, quaecumque alligaveritis* etc. Quae verba et de foro interno et externo intelligenda sunt: hinc *Leo X.* damnavit articulum 18. Lutheri: *Excommunicationes sunt tantum externae poenae, nec privant hominem communibus spiritualibus Ecclesiae orationibus.* Praeterea *Benedictus XIV.* L. 7. de Synodo Dioec. c. 44. n. 6. aperte et erudite demonstrat, falli *Van-Espenium*, dum P. 3. Jur. Eccles. univ. tit. 11. c. 6. n. 19. affirmat, excommunicationes latae sententiae recens adinventas, et per decem omnino saecula ignotas Ecclesiae fuisse. *Ordinariam* potestatem ferendi censuras habet 1. Papa in universo orbe respectu fidelium. 2. Concilia generalia, et provincialia: c. *grave nimis*: de praebend... 3. Emin. Cardinales in Ecclesiis suorum titulorum: c. unic. de Major. in 6... 4. Legatus a latere summi Pontificis: c. *Legatus* de offic. Leg. in 6.... 5. Archiepiscopi, Patriarchae, Episcopi, ac alii Praelati territorium cum jurisdictione quasi Episcopali habentes respectu suorum subditorum: c. *Ad reprimendam* c. *Cum Episcopus* de Offic. Ordin. in 6....6. Vicarius Archiepiscopi vel Episcopi; c. *licet*. de Offic. Vicar.... 7. Capitulum sede Episcopi vacante, sive Vicarius capitularis; c. un. de Majorit. in 6. Denique Superiores Ordinum Religiosorum; c. *Cum in Ecclesiis*, de Praebend. Parochi non possunt ferre censuras in suos parochianos, quia non habent jurisdictionem in foro exteriori, ut probat *Clericatus* Erotem. Eccles. c. 117. ex glossa in c. *nemo*. 2. q. 1. *Delegatum* potestatem ferendi censuras habent. quibus illa committitur ab habente ordinariam. Delegari autem tantum potest homini Christiano baptizato, et Clerico. Hinc excluduntur Laici, imo nec Abbatissae haec facultas convenit; c. *delicta*. de Major. ubi quidem dicitur, ad Abbatissam pertinere; recte tamen cum *Suarez* id interpretantur plures, dictum esse lato sensu, non quod sit suspensio ecclesiastica, sed obedientia debita pendens.

1402. *Praenot.* IV. Censurae ferri possunt in omnes et solos homines baptizatos. Et quidem 1. *In solos homines:* unde excommunicatio in nociva animalia, v. g. locustas, est tantum adjuratio, vel oratio facta ad illorum interitum. 2. *Viatores;* mortui enim non amplius subsunt Ecclesiae, nec contumaces esse possunt, aut emendari: ideoque dum leginus, mortuos excommuni-

cari, intelligendum est vel de quadam execratione, vel declaratione excommunicationis, quam ante morte incurrerant, et in qua sunt mortui, vel de indirecta excommunicatione, qua Ecclesia prohibet, ne pro ipsis preces fundantur. 3. *Rationis, ac doli capaces:* infantes enim et perpetuo amentes incapaces sunt peccati; ergo et praecepti ac censurae. Consentiunt DD. quod impuberes doli capaces incidere possint in censuram a *jure* latam, ex c. 1. et fin. de sent. excomm. An idem sentiendum sit circa censuram ab homine latam, controvertitur ab AA. Additur, *in subditos;* cum enim ferre censuras sit actus jurisdictionis, illa potestas nonnisi in subditos exercetur. Imo si quis extra suam dioecesim furatur non est excommunicatus, licet in sua dioecesi furtum sub excommunicatione sit prohibitum: *Cum extra territorium jus dicenti non pareatur* impune; c. 2. de Constit. in 6. Praeterea communis Theologorum est, extraneos, advenas, et peregrinos ligari posse censuris a jure, seu statuto communi latis. Unde peregrinus, qui homicidium patraret in ea dioecesi, ubi sub poena excommunicationis prohibitum est, excommunicatione lata ligaretur, quia juxta c. *licet*, de foro compet. ratione delicti quis forum sortitur, et fit quodammodo subditus. *Tournely* in praelect. Theol. t. 2. de cens. q. 1. a. 4.

1403. *Praenot.* V. Censurae regulariter non infliguntur nisi ob peccatum externum junctum cum contumacia, illudque mortale ac consummatum, sive in genere suo completum (nisi aliud in jure exprimatur). Dicitur 1. *Ob peccatum externum:* quia peccatum mere internum Ecclesia non punit per censuras, ut colligitur ex c. *Tua nos*, et c. *Sicut tuis*, de simonia. Dicitur 2. *Illudque mortale:* nam rationis, et aequitatis principia suadent (ait *Benedict. XIV.* l. c. n. 2.) *poenam esse commensurandam culpae, et pro culpae modo imponendam: consequens inde est, nonnisi propter graviorem culpam excommunicationem ferendam:* et n. 3. addit; *Quae porro de excommunicatione dicta sunt, intelligi etiam debent de suspensione et interdicto.*

1404. *Praenot.* VI. Ab incurrendis censuris causae sequentes excusant. 1. *Invincibilis ignorantia tum juris* (qua ignoratur prohibitio Ecclesiae, v. g. si quis ignoret prohibitam esse percussionem Clerici sub excommunicatione) *tum facti*, qua non quidem ignoratur praeceptum, sed ignoratur an hoc factum sit prohibitum, vel an contineatur inter facta prohibita, v. g. si scias sub excommunicatione prohibitam esse percussionem Clerici, tamen percutiendo Clericum putes esse Laicum. *Prob.* ex c. 2. de Constit. in 6. ubi *Bonif. VIII.* ita statuit: *Ut animarum periculis obvietur, sententiis per statuta quorumcumque Ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes, dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit, aut supina. Confirm.* ex eo, quod ubi adest invincibilis ignorantia, non adsit contumacia contra Ecclesiam: ergo nec locum habet censura. Secus est de ignorantia vincibili, ut patet ex c. *si culpa*, de injuriis; ubi *Greg. IX.* ait: *Nec ignorantia excusat, si scire debuisti ... et, quam debueras, non curasti diligentiam adhibere.* Ex his *Laym.* L. 1. t. 5. p. 1. c. 5. n. 7. contra *Covarruv. Graffis, et Ugolinum*, excusat ab excommunicatione ignorantem ignorantia concomitante, v. g. si quis percutiat Clericum putans esse Laicum, quamvis ita sit comparatus animo, ut tametsi sciret esse Clericum, tamen percuteret; quia ecclesiastica censura non fertur propter internam pravam animi dispositionem, sed propter externam transgressionem mandati ecclesiastici: ergo cum talis ignoret, hanc percussionem esse prohibitam sub censura, actualiter non est contumax. Idem *Laym.* l. c. n. 8. cum *Sylv., Navar., Suar., Sanch.* contra *Covarruv.* et *Cordubam* affirmat, quod tametsi aliquis sciat, opus prohibitum esse ecclesiastica lege, si tamen ignoret annexam illi censuram, eam haud incurrat: quia in cit. c. 2. de Constit. in 6. generaliter definitur, *sententiis per statuta Ordinariorum prolatis non ligari ignorantes*, scil. *ut animarum periculis obvietur.*

1405. 2. Excusat *impotentia* tum physica, tum moralis faciendi id, quod sub poena censurae faciendum praecipitur. Hinc qui ex metu gravi mortis, infamiae etc. transgreditur legem, is non incurrit censuram annexam, quamvis tunc a peccato non excusetur, si violet legem, quae etiam naturaliter obligat. *Laym.* l. c. n. 9.

1406. 3. Excusat *appellatio* legitima interposita ad superiorem a comminatione censurae indictae per inferiorem, antequam tamen ea incurratur; c. *Si a judice*, 10. de Appell. in 6.

1407. 4. Excusat *voluntas* ejus, in cujus favorem lata est censura; hinc si creditor faciat suspendi a divinis Clericum debitorem, nisi intra sex menses solvat debitum, si creditor prorogaverit praefixum terminum, Clericus non erit suspensus. Ita *Clericatus* l. c. n. 23. cum *Mastrio*. *Tournely* in Prolect. Theol. de cens. a. 7. addit adhuc alias causas excusantes; dicens quod I. non obliget censura invalida, scil. quae vel fertur ab eo, qui non est legitimus superior, vel in qua non servantur formalitates essentiales, v.g. si monitio non praecesserit excommunicationem. Dixi, *formalitates essentiales*: si enim accidentales tantum praetermittantur, v. g. una ex trinis monitionibus, vel feratur sine scripto, aut in ea non exprimatur causa, ut exigit c. *Cum medicinalis*, de sentent. excom. in 6. tunc censura quidem injusta, h. e. contra juris ordinem, non tamen invalida est, et proinde reus ab illa excusari non potest. II. ait: censura non obligat, si persona, contra quam fulminatur censura, sit omnino innocens, ac culpa expers, quia juxta c. 1. de sent. et re judicata in 6. *Tribunal aeterni judicis illum reum non habet, quam injuste judex condemnat*. Nihilominus ejusmodi innocens, tametsi coram Deo nullatenus censura ligatus sit, tenetur coram illis, qui censuram norunt ignari innocentiae, abstinere ab usu bonorum spiritualium, donec vel absolvatur, vel innocentiam probet; quia alias peccaret peccato scandali, et censeretur adhuc contumax, quamvis non incurreret poenas alioquin decretas adversus eos, qui violant censuram.

1408. *Praenot.* VII. Censurae solvuntur per solam legitimam judicis sententiam: ideoque 1. censura non tollitur per solam cessationem contumaciae, aut satisfactionem, ut constat ex c. *Cum desideres*, de sentent. excomm. Item ex propos. 44. ab *Alexand. VII.* damnata. 2. Non tollitur per mortem ferentis, quia poena per legitimam judicis sententiam inflicta transiit in rem judicatam; ergo non finitur morte, aut depositione imponentis: multo minus, quae a jure posita est poena, ab ejus auctore pendet. 3. Non tollitur per mortem illius, in quem lata est censura, v. g. excommunicationis, quia etiam mortuus Ecclesiae suffragiis ac sepultura privari potest. In particulari

1409. A censura *ab homine lata* per sententiam particularem potest absolvere 1. is, qui eam tulit: nam sicut penes illum fuit ligare, ita et penes eumdem est solvere, dummodo perseveret in illo jurisdictio: 2. ejus superior, modo plenam obtineat jurisdictionem in eos, qui censura ligati sunt. Sic Archiepiscopus absolvere potest, postquam per appellationem ad illum causa devoluta est (c. *Venerabilibus*, de sent. excomm. in 6.) aut dum jure concedente Suffraganei dioecesim visitant: 3. successor superioris, qui censuram tulit, juxta c. un. de Major. et obed. in 6.

1410. A censura vel juris sententiae generalis, quam superior reservavit, nemo potest absolvere praeter ipsum, ejusve superiorem, successorem et delegatum; c. *Nuper*. c. *Sacro*, de sent. excomm. c. *Ad recipiendum*, de offic. jud. Ordin. In articulo mortis quilibet Sacerdos potestatem habet absolvendi a censuris etiam reservatis; ita tamen, ut periculo amoto absolutus teneatur sub poena reincidentiae in censuram adire superiorem ad excipiendum ipsius mandatum; c. *Eos qui*, de sent. excomm. in 6.

1411. Denique a censuris, quae a jure vel ab homine per sententiam generalem latae sunt, quilibet potest absolvere, qui habet expeditam facultatem absolvendi a mortalibus, ut supra n. 695. dictum est. Ibid. n. seq. 696. osten-

ditur modus, quomodo danda sit absolutio a censuris. *Si dicas*, absolutionem a censuris pertinere ad forum externum; ergo illa impendi non potest a confessariis in foro interno conscientiae. Respondet *Tournely* l.c.a. 8., confessarios a censuris dictis non absolvere ex proprio officio, sed ex indulgentia et concessione Ecclesiae ex gravibus causis, scil. vel ad evitandam irreverentiam, si forte poenitens aliqua occulta censura ligatus sit, vel ad evitandam irregularitatem, si cum simili censura quis ad sacram ordinationem accederet. His de censura in genere praenotatis sit

§. II. *De excommunicatione.*

1412. *Principium* I. Excommunicatio est censura ecclesiastica, per quam homo Christianus ab Ecclesiae communione separatur, seu bonis, quae inter fideles communia sunt, vel ex toto vel ex parte privatur. Juxta *Toletum* tria sunt bona fidelium, quae pendent ab ecclesiastica potestate, scil. exterior conversatio, sacramentorum administratio, et participatio; item orationes, et suffragia Ecclesiae. Excommunicatio est duplex; major, et minor. *Major* privat omnibus praedictis bonis communibus Ecclesiae, haec etiam dicitur *anathema*, ac dum quis absolute sive indefinite dicitur excommunicatus, communiter intelligitur fulminatus excommunicatione majore (juxta c. *si quem.* 59. de sentent. excom.); estque haec poena gravissima, utpote *per quam fidelis non hoc, aut illo spirituali bono privatur, sed tanquam putridum membrum ab Ecclesia abscinditur, atque a fidelium communione, et consortio separatur*, ut ait *Benedict. XIV.* L. 7. de Syn. Dioeces. c. 44. n. 1. *Minor* vero privat tantum aliquibus bonis spiritualibus, ut mox dicetur.

1413. Porro excommunicatus excommunicatione majore alius dicitur *vitandus* sive *non toleratus*, quem fideles tenentur vitare: alius *toleratus*, quem non tenentur vitare. Olim omnis excommunicatus erat vitandus, hodie vero ex Constit. *Martini V.* quae incipit: *Ad evitanda scandala*, solum vitandus est 1. Notorius percussor Clerici, h. e. talis, cujus factum non possit ulla tergiversatione celari, nec ullo suffragio excusari, licet non sit denuntiatus. 2. Quivis *nominatim* excommunicatus, et speciatim ac publice denuntiatus.

1414. *Principium* II. Effectus excommunicationis majoris sunt sequentes. 1. *privatio sacramentorum*, quatenus privat usu activo et passivo sacramentorum; ita ut quilibet excommunicatus non possit licite et sine peccato gravi sacramenta vel suscipere, vel administrare, nisi excuset vel ignorantia invincibilis, vel gravis necessitas ob evitandum periculum mortis, gravis infamiae, jacturae bonorum etc., quia lex ecclesiastica non obligat cum tanto rigore. Dixi, *nec licite:* quia etsi excommunicatus sciat, se esse talem, et extra necessitatem illicite sacramenta suscipiat, valide tamen ea percipit; virtus enim Sacramenti dependens ab institutione Christi a jure ecclesiastico impediri nequit. *Excipe* sacramentum poenitentiae, quod saltem indirecte scil. propter indispositionem poenitentis, redditur invalidum. Ita *Laym.* L. 1. t. 5. p. 2. c. 2. n. 1. ubi addit: si tamen ponamus, excommunicatum bona fide confiteri, v.g. in casu probabilis ignorantiae, aut necessitatis, tunc nihil obstat, quo minus valide absolvatur a peccatis, remanente censura, si ea vel superiori reservata sit, vel si confessarius absolvendi potestate praeditus per oblivionem aut inscitiam a peccatis prius, quam a censura absolvat.

1415. *Secundus* effectus est *privatio suffragiorum Ecclesiae*, scil. sacrificio, publicis precibus, indulgentiis, et aliis actionibus sacris, quae nomine Ecclesiae fiunt.

1416. *Tertius* effectus est *privatio divinorum officiorum*; excommunicato enim prohibitum est celebrare divina officia, iisque interesse. Quamvis enim liceat illi interesse concioni, quae juxta c. *Responso*, de sentent. excomm. non comprehenditur sub divino officio; item quamvis excommunicatus Beneficiatus,

vel in Sacris constitutus debeat privatim recitare horas; eas tamen illi non licet cantare cum aliis in choro, nec recitare privatim cum alio, ut affirmat *Tournely*, nec interesse officiis quae publice fiunt, v. g. processionibus, solemni benedictioni candelarum, olei, consecrationi templi etc. Praeterea si Diaconus vel Sacerdos excommunicatus privatim recitet horas canonicas, omittere debet *Dominus vobiscum*, quia haec verba significant sacram personae publicae communicationem cum populo fideli, quae tamen ei interdicta est; hinc loco eorum debet dicere: *Domine exaudi orationem meam. Laym.* tamen l. c. n. 6. censet, hanc obligationem non esse sub mortali, si privatim recitetur officium, sed sub veniali, quia materia gravis non est. Addit etiam *Tournely*, quod Casuistae, qui docent irregularem fieri excommunicatum, si dicat *Dominus vobiscum*, intelligendi sint de cantante in choro, non vero de privatim recitante. De communicatione in sacris cum infidelibus et HH. vide P. I. n. 372. et seq.

1417. *Quartus* effectus est *inhabilitas ad beneficia*, et dignitates ecclesiasticas acquirendas et possidendas, praeter Papalem. Hinc juxta c. *Postulastis.* de Clerico excommun., praesentatio vel electio excommunicati, item illius institutio, ac confirmatio ipso jure irrita est, etiamsi praesentatus, electus, confirmatus, non sit excommunicatus denuntiatus, sed toleratus, imo etsi suam excommunicationem ignoret, quia licet ignorantia obligationis excuset a culpa, et poena: ignorantia tamen contracti impedimenti, sive inhabilitatis aliquem habilem reddere non potest. *Laym.* cum communi l. c. n. 7. ubi addit: Caeterum, qui bona fide beneficium accepit, eique deservivit, licet postea, cognito impedimento, illud teneatur derelinquere; fructus tamen suae congruae sustentationi debitos, vel quos bona fide absumpsit, neque inde ditior factus est, restituere non tenetur.

1418. *Quintus* effectus est *privatio jurisdictionis*, ita ut excommunicatus *non toleratus* non tantum illicite, et cum gravi peccato, sed etiam invalide exerceat quemcumque actum jurisdictionis spiritualis et ecclesiasticae; c. *ad probandum*, de sententia et re judicata; c. *romana*, de offic. Vic. in 6.; c. *decernimus* de sentent. excomm.; ideoque non toleratus non tantum prohibitus est exercere jurisdictionem, sed ipsa jurisdictione privatus existit. *Toleratus* autem illicite quidem exercet jurisdictionem, non tamen invalide, quia talis ob errorem communem adhuc retinet titulum coloratum, qui non aufertur defectu occulto, ut Communis arguit ex l. *Barbarius*, ff. de Offic. Praetorum, quo casu valorem actuum exigit bonum publicum: quanta enim incommoda oriri necesse esset, si acta eorum, qui ab Ecclesia publice tolerantur, tamquam irrita rescindi deberent?

1419. *Sextus* effectus est *irritatio Rescriptorum Apostolicorum*, h. e. Rescriptum Sedis Apostolicae continens gratiam, et concessionem pro tali excommunicato, ipso jure irritum est, juxta c. *ipso jure* 1. de rescript. in 6. Hodie tamen raro locum habet hic effectus, cum fere semper in Rescriptis Apostolicis contineatur expresse absolutio a censuris.

1420. *Septimus* effectus est *privatio communicationis forensis*, scil. excommunicatus denuntiatus nequit esse Judex, Advocatus, Actor, Testis etiam in civilibus causis. De judice constat ex c. *ad probandum*, de sentent. et re judic. De caeteris ex c. *decernimus*, de sentent. excomm. Toleratum autem judex potest repellere, praesertim si nota sit excommunicatio, aut pars adversa contra illum excipiat; si vero nota non sit, pars adversa debet illam aperte intra octo dies demonstrare, juxta c. 1. de except. in 6.

1421. *Octavus* effectus est *privatio omnis civilis, seu politicae communicationis cum fidelibus*, ita ut nec ipse excommunicatus denuntiatus et non toleratus cum aliis, nec alii cum ipso communicare possint in casibus, et actionibus sequenti versu comprehensis: *Os, Orare, Vale, Communio, Mensa negatur.* Per *Os* intellige prohibita esse colloquia, oscula, amici-

tias, munera, litteras cum excommunicato: per *Orare* intellige prohiberi excommunicatum interesse publicis orationibus, ut dictum est, alios vero prohiberi fundere pro ipso orationem, nisi in ordine ad ipsius conversionem. *Vale*, h. e. nequidem honorifica salutatio excommunicato non tolerato exhibenda est. *Communio*, interdicitur omnis societas civilis, commercium in contractibus ineundis, v. g. venditionis, emptionis etc. *Mensa* h. c. non licet cum excommunicato cibum sumere, cohabitare in eodem hospitio, nisi forte necessitas coegerit, ut si in itinere nonnisi unicum hospitium sit. Vide c. *Cum excommunicato*, c. *Ad mensam*, c. *Excommunicatos* VI. q. 3. Ideoque peccat mortaliter agendo contra grave praeceptum Ecclesiae et incurrit excommunicationem minorem, qui scienter communicat per actiones praedictas cum excommunicato non tolerato; facilius tamen peccatur agendo cum excommunicato in rebus divinis, quam in rebus civilibus, nisi forte adsit contemptus disciplinae ecclesiasticae, aut communicatio sit nimis frequens. Communicans autem cum excommunicato in *crimine criminoso*, h. e. cooperans culpae vel contumaciae ob quam lata est excommunicatio, v. g. praebendo auxilium, consilium, favorem, semper peccat graviter, et juxta c. 29. et 55. de sent. excom. eamdem incurrit excommunicationem majorem.

1422. Excusant tamen a peccato et excommunicatione minore communicantem in civilibus cum excommunicato sequentes causae: *Utile*, *Lex*, *Humilis*, *Res ignorata*, *Necesse*. I. *Utile*, scil. ubi notabilis utilitas exigit, licet excommunicato subsidium ferre tum corporale, tum spirituale per consilium, adhortationes etc. ut collig. ex c. *cum voluntate*, 54. de sent. excomm. II. *Lex*, nempe *matrimonialis*; si enim uterque, vel unus conjugum sit excommunicatus, illis tamen licet debitum petere et reddere, rei familiaris curam habere, et in iis omnibus inter se communicare, quae pertinent ad educationem prolium, et gubernationem domus. Addit *Laym.* quod maritus tanquam caput teneatur excommunicatam uxorem ad emendationem perducere etiam ei negando societatem, quando id ei expedire judicaverit; si tamen id negligat, eum quidem peccare contra legem naturalem charitatis, non autem contra legem ecclesiasticam de vitandis excommunicatis. III. *Humilis*, excusat nimirum necessitas communicandi ratione subjectionis, et reverentiae, quam debent filii parentibus, servi et ancillae et villici Dominis, religiosi Praelato, et clerici Episcopo, etsi sint excommunicati dicti superiores, ac domini, c. *inter alia*, de sentent. excomm.; item can. *quoniam multis*. XI. q. 3 . . . IV. *Res ignorata*: excusat etiam ignorantia tam juris, quam facti, modo non sit crassa et affectata, ut dixi n. 1404. In dubio, an quis sit excommunicatus, non teneor illum vitare; in dubio autem, an antea certo excommunicatus nunc sit absolutus, teneor adhuc vitare. Ita *Laym.* l. c. c. 2. n. 16 . . . . V. *Necesse*: denique excusat necessitas vitandi aliquod grave incommodum animae vel corporis, famae et bonorum temporalium, v. g. si quis metu mortis adigatur communicare cum excommunicato. Sic necessitas excusat omnes illas personas, quae ratione alicujus contractus obligatae sunt personae excommunicatae, arg. ex c. *inter alia*, de sentent. excomm. Sic a debitore excommunicato licet exigere debitum. *Laym.* l. c. n. 17. tradit sequentes regulas. 1. Supponendum, omnes contractus cum excommunicato initos validos quidem esse, sed illicitos. 2. Si quis bona fide, sive ignorans cum tali contraxerit, poterit postea contractum prosequi, perinde ac si excommunicatio supervenisset; si vero sciens, mala fide, tunc a contractu resilire debet, si sine gravi incommodo possit. Sic famulus, cujus dominus post contractum initum excommunicatur, potest in famulatu perseverare: si vero sciens cum prius excommunicato contrahat, debet ab illo discedere, si id possit sine gravi incommodo.

1423. *Nonus* effectus est *privatio sepulturae ecclesiasticae*, ut constat ex c. *Sacris*, de sepulturis; scil. non toleratus, si moriatur ante absolutionem a censura (etsi signa poenitentiae dederit, juxta c. *a nobis*. 28. de sentent. ex-

comm.) neque in loco sacro, aut benedicto licite sepeliri, neque a Clero solemniter ad sepulturam deduci potest, nec licet pro eo sacra facere funebria. *Coemeteria* autem, *in quibus excommunicatorum corpora sepeliri contingit, reconcilianda erunt aspersione aquae solemniter benedictae, sicut in dedicationibus Ecclesiarum fieri* consuevit. Ita c. *consuluisti* 7. de consecrat. Eccles. Poenitens tamen potest post mortem absolvi, ut fruatur sacra sepultura; absolvitur autem iisdem verbis, quibus vivus; satis est verberari sepulcrum, aut sarcophagum. Pariter sepultura sacra privandi sunt Judaei, gentiles, infantes sine baptismo mortui; in dubio autem, an infans parentis Christiani sit valide baptizatus, non est privandus sepultura sacra; item si in utero cum matre moriatur, cum matre est sepeliendus, quia pars matris esse censetur. Vide *Engel* L. 3. t. 38. Item privantur sepultura sacra, qui se ipsos occiderunt ex ira, vel desperatione; secus si ex mentis alienatione, nimia melancholia cum amentia conjuncta. Si de hoc non satis constat, v. g. si in cubiculo suspensus, vel in puteum praecipitatus reperiatur, consulendus est Episcopus: si id fieri nequeat, examinandi sunt qui cum mortuo proxime conversati sunt, an adverterint signa emotae mentis, desperationis, aut alia; dubio adhuc stante affirmat *Engel* posse permitti sepulturam sacram saltem de nocte, tum ut tollatur offensa populi, tum ut consulatur famae defuncti et propinquorum. Ita *Jansen.* p. 2. cas. 114. num. 15. cum *Engel.* A sepultura sacra excluduntur manifesti concubinarii, raptores, usurarii, nisi ante mortem signa poenitentiae dederint; in dubio super his signis poenitentiae semper ante sepulturam recurrendum est ad Ordinarium, uti merito praescribit *Rituale Coloniense* pag. 156. Denique sepultura sacra privatur, qui non est confessus in anno, nec communicavit in Paschate; haec tamen requirit sententiam judicis.

1424. *Decimus* effectus est, quod si excommunicatus toto anno contumaciter in excommunicatione persistens insordescat, contra ipsum tanquam de haeresi suspectum possit procedi, ut patet ex Trid. sess. 25. c. 3. de reform.

1425. *Principium* III. Excommunicatio minor est censura ecclesiastica per se privans usu passivo sive perceptione sacramentorum et electione passiva ad beneficia, et dignitates ecclesiasticas. Duplex est ejus effectus. 1. *Directus* et *per se* talis, scil. privatio perceptionis sacramentorum. Hinc ligatus hac censura peccat graviter, qui absque justa necessitate suscepit sacramenta Confirmationis, Poenitentiae, Eucharistiae, Ordinis, extremae Unctionis, vel Matrimonii; praeter peccatum tamen non incurrit irregularitatem. Dixi, *peccat graviter*: quia materia hujus prohibitionis est gravis. 2. Est *indirectus*, fluens ex primo, scil. quod ligatus dicta censura eligi non debeat ad beneficium ecclesiasticum, sed electio infirmanda sit. Vide c. *si celebrat*, de Clerico excomm. ubi *Greg. IX.* ita loquitur: *Si celebrat minori excommunicatione ligatus, licet graviter peccet, nullius tamen notam irregularitatis incurrit, nec eligere prohibetur, vel ea, quae ratione jurisdictionis sibi competunt, exercere. Si tamen scienter talis electus fuerit, ejus electio est irritanda.... Peccat autem* (juxta *Laym.* l. c. cap. 3. n. 4. venialiter) *conferendo ecclesiastica sacramenta, sed ab eo collata virtutis non carent effectu, cum non videatur a collatione, sed participatione sacramentorum (quae in sola consistit perceptione) remotus.* Hanc censuram incurrit juxta n. 1421. quisquis cum excommunicato non tolerato, exceptis casibus n. 1422. relatis, communicat. Ab excommunicatione autem minore in foro externo absolvere potest quivis ordinarius judex ecclesiasticus: in foro autem interno non tantum Episcopus, sed etiam Parochus, et quivis proprius Sacerdos, h. e. approbatus ab Ordinario, non autem simplex tantum Sacerdos, ut probat *Laym.* l. cit. c. 3. n. 6. tum ex c. *nuper*, de sent. excomm., tum ex communi DD.

§. III. *Resolutio casuum.*

Casus I.

Zacharias Herbipolensis ligatus excommunicatione propter lectionem librorum haereticorum impetrat indultum Sedis Apostolicae, vi cujus sibi eligere potest Confessarium ex approbatis ab Ordinario, a quo possit absolvi a reservatis criminibus, et censuris. Hinc eligit sibi Religiosum peregrinum, in sua quidem dioecesi, unde venit, non tamen Herbipoli approbatum.

1426. *Q.* I. An Zacharias potuerit absolvi a dicto Religioso. R. *Negative.* Ita constat ex Constitutione centesima *Bened. XIV.* quae incipit: *Apostolica indulta* (et agit de *indultis Apostolicis eligendi Confessarium ab Ordinario approbatum, pro absolutione a criminibus, et censuris reservatis*) tom. 1. ejusdem Bullarii p. 358. ubi statuit §. 6. *Ut si in aliquo indulto tam saecularibus, quam regularibus tribuatur facultas eligendi Confessarium ab Ordinario loci approbatum, tunc Confessarius vigore talis concessionis, sive a saeculari, sive a Regulari Poenitente ad audiendas eorum respective confessiones electus, nullatenus hujusmodi confessiones audire valeat, nisi ab Episcopo dioecesano, et Ordinario loci, ubi confessio excipienda est, ad confessiones approbatus et deputatus existat; quacumque alia approbatione, tam illius generis, quam uterque Innocentius*, scil. XII., et XIII., *Praedecessores praedicti declararunt non suffragari, quam ea, si de Regularibus agatur, quae a solo proprio Regulari Praelato obtenta foret, minime suffragante.* Supra §. 3. in eadem Constit. refert declarationem *Innoc. XIII.* §. 2., declarationem *Innoc. XII.* In fine §. 6. confessiones et absolutiones aliter imposterum factas et respective auditas sive impertitas, irritas fore et invalidas declarat, et contrariam quamcumque opinionem (non obstante quocumque privilegio, etiam Bullae cruciatae, et cujuslibet Ordinis, et Instituti) ejusque praxim deinceps prohibet ac reprobat.

1427. Quinam sint casus in corpore juris reservati, vide supra a num. 787. usque ad n. 805. Ibid. a n. 808. referuntur casus *Bullae Coenae*, qui de novo continentur in *Litteris processus Benedicti XIV. publicatis die Coenae Domini* anno 1741. quarum initium est: *Pastor Rom. Pont.* Num. 808. usque ad n. 819. recensentur casus reservati ex Bullario, et aliis Constit. Quis possit absolvere a peccatis reservatis, dixi a num. 842. et seq.

1428. *Q.* II. Quid observandum circa excommunicationem Summo Pontifici reservatam, quam incurrunt illi, qui haereticorum libros sine Sedis Apostolicae auctoritate scienter legunt? R. cum *P. Laym.* L. 2. t. 1. c. 15. Quatuor conditiones requiruntur, ut dicta excommunicatio incurratur: 1. ut liber ab haeretico scriptus sit; nihil autem refert, utrum liber typis sit excusus nec ne, dummodo ab haeretico sit scriptus, quia liber manuscriptus in communi acceptione vere est liber, imo alias facile eluderetur lex de iis non legendis. Nec refert, an auctor sit haereticus nominatim damnatus, an non. Nam de haeretico quamvis tolerato, et non notorie damnato vere tamen dicitur, quod sit haereticus. *Duarte* V. Libri prohib. num. 400. Non tamen incurritur excommunicatio, si quis haereses scriptoris haeretici in libro auctoris catholici ad verbum insertas, quamvis prava intentione legat, quia lege canonica non punitur animus, sed factum legentis librum haeretici, qualem talis non legit. Idem dicendum, si in catholici scriptoris libro legas adjecta scholia auctoris haeretici; quia talis liber non censetur commentantis haeretici, sed catholici, a quo scriptus: *Nisi* (ut ait *Suarez.*) *tales vel tam copiosi essent commentarii, ut jam censeretur liber potius ex eis, quam ex textu constare.* An vero is incurrat excommunicationem, qui scienter epistolam, vel concionem in formam tractatus

non redactam, ab haeretico de causa Religionis scriptam legit, aut imprimit. Respondet *Thomas Sanchez* (L. 2. Operis Theol. in praecept. Decal. c. 10. n. 29.) *negative*; quia epistola, vel simile schediasma communiter non solet comprehendi sub nomine libri; verba autem legis poenalis stricte ac proprie accipienda sunt. Affirmativam tamen *Ugolini, Laym.* dicit esse verisimilem; quia Bulla Coenae ideo mentionem libri facit, quia haereses frequentius libris propagari solent, ideoque tantum speciem praecipuam pro genere posuit, ita ut alia scripta propter eamdem rationem non exclusa videantur.

Secunda conditio est, ut liber vel *haeresim in se contineat*, h. e. aliquid doceat contra aliquem articulum fidei, v. g. non esse septem sacramenta, sub speciebus panis et vini non esse Corpus et Sanguinem Christi etc.; vel *de Religione tractet*, puta Sacram Scripturam interpretando, Theologicas quaestiones decidendo, de cultu Dei et Sanctorum, statu Clericorum vel Monachorum disputando. *Inferes* cum *Laym.* non esse prohibitos haereticorum libros philosophicos, medicos, historicos, poeticos, *si nullam haeresim contineant*. Excipe eorum haereticorum v. g. Joan. Aventini, Joan. Sleidani, Sebast. Munsteri historias, quorum praecipuum institutum fuisse constat, Romanam Ecclesiam, Clericorum et Monachorum statum denigrare: esse autem prohibitos haereticorum libros, qui ex professo de Religione tractant, etsi certum sit, nullum errorem contra fidem orthodoxam in iis contineri. Docent etiam *Suar.* et *Sanch.* l. c. n. 34. contra *Sayrum, Graffis* et alios, prohibitos esse illos IIII. libros, quibus ex instituto non de Religione tractantibus, obiter aliqua haeresis inserta est, quia Bulla Coenae disserte distinguit: *Si aut liber haeresim contineat, aut de Religione tractet*: in alternativis autem sufficit alterutrum verificari. Subnectit hic *Laym.* l. c. n. 4.; verumtamen in partibus nostris Septentrionalibus Bullaris haec Constitutio secundum talem rigorem recepta non est.

Tertia conditio est, ut quis ejusmodi librum *scienter* legat, aut imprimat; hinc ab hac censura immunes sunt, qui ignorant, quamvis crassa ignorantia, librum haereticl esse, aut de religione tractare. Sufficit tamen ad censuram incurrendam, si quis scienter tantum ex curiositate, non pravo affectu legat ejusmodi librum.

Quarta conditio est, ut id quod legitur, sit materia notabilis et sufficiens ad peccatum mortale, quia juxta probabiliorem in hac re admittitur parvitas materiae, ut docet *Sanch.* l. c. contra *Ugolinum* et *Toletum* dicentes, quod una vel altera linea sufficiat ad excommunicationis censuram. Videtur tamen una pagina lecta ex justo volumine esse sufficiens materia ad peccatum grave, et censuram.

1429. Praeterea notandum ex indice librorum prohibitorum auctoritate *Pii V.*, *Sixti V.* et *Clementis VIII.* quod duplex sit classis librorum prohibitorum. In prima ponuntur auctores omnes haeretici, vel de haeresi publice suspecti, quorum omnes libri de Religione tractantes, vel haeresim continentes tum editi, tum imposterum edendi prohibentur sub poena excommunicationis Papae reservatae. Ad alteram classem pertinent libri, qui doctrinam suspectam, vel moribus fidelium repugnantem continere judicantur, quamvis a Catholicis AA. prodierint. Illi prohibiti sunt sub excommunicatione non reservata, ut habetur in regula Indicis decima; postremae tamen classis libros non licet apud se retinere, ut constat ex propos. 45. ab *Alex. VII.* damnata. Supradicta tenent, cum Principes in contrarium non habent juxta Concord.

Casus II.

Zeno vir alias generosus humanae vilipensionis vitandae causa duellum acceptat, dum certo scit pugnam non esse secuturam, sed ab aliis impediendam.

1430. *Q.* An Zeno excusari possit a culpa et poena duellantium. R. *Negative*, ut patet ex sequentibus. *Adverte*, quod *Benedictus XIV.* ex justo zelo, anno 1752. IV. Idus Novembr. in Constitutione, quae incipit: *Detestabilem*, damnaverit, et prohibuerit quinque propositiones duellorum abusui faventes, et veteres leges adversus duellantes editas novis sanctionibus cumulaverit. Ab initio hujus Constit. breviter meminit decretorum antiquiorum contra duella, scilicet 1. Epist. L. *Nicolai I.* ad *Carolum Calvum.* 2. Decretorum *Caelestini III. Innocentii II. Eugenii III. Alexandri III., trium Praedecessorum decreta citantur* in Concil. Lateran. c. 1. et 2. de torneamentis. 3. Epistolae *Innocentii III.* ad Archiepisc. Episc., aliosque Ecclesiasticos Regni Franciae. Deinde recenset Constitutiones recentiores, quibus Romani Pontifices *Julius II.* in Constit. *Regis Pacifici*, item *Leo X.* in Constit. *Quam Deo et hominibus.*, *Clemens VII.* in Constit. *Consuevit Romanus Pontifex*, ac *Pius IV.* in Constit. *Ea quae a Predecessoribus*, gravissimas poenas antea statutas confirmarunt, aliasque de novo addiderunt contra duellantes. Postea praeter statutum Trident. sess. 35. c. 19. de reform. meminit Constitutionis *Greg. XIII. Ad tollendum*, et *Clementis VIII.* quae incipit, *Illius vices.* Item meminit propositionum 2. 17. et 18. damnatarum ab *Alex. VII.*, et 32. ab *Innoc. XI.* damnatae, queis subjungit quinque sequentes propositiones.

» I. Vir militaris, qui nisi offerat, vel acceptet duellum, tanquam formi-
» dolosus, timidus, abjectus, et ad officia militaria ineptus haberetur, inde-
» que officio, quo se suosque sustentat, privaretur, vel promotionis, alias
» sibi debitae ac promeritae, spe perpetuo carere deberet, culpa et poena
» vacaret, sive offerat, sive acceptet duellum.

» II. Excusari possunt etiam honoris tuendi, vel humanae vilipensionis
» vitandae gratia, duellum acceptantes, vel ad illud provocantes, quando
» certo sciunt, pugnam non esse secuturam, utpote, ab aliis impediendam.

» III. Non incurrit ecclesiasticas poenas ab Ecclesia contra duellantes
» latas, dux, vel officialis militiae acceptans duellum ex gravi metu amis-
» sionis famae, et officii.

» IV. Licitum est in statu hominis naturali acceptare, et offerre duel-
» lum ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio earum ja-
» ctura propulsari nequit.

» V. Asserta licentia pro statu naturali applicari etiam potest statui ci-
» vitatis male ordinatae, in qua nimirum vel negligentia, vel malitia Ma-
» gistratus justitia aperte denegatur.

Postea in dicta Constitutione statuit idem Bened. XIV.; *Auditis itaque super unaquaque earum propositionum dictorum Cardinalium et Consultorum judiciis, atque omnibus rite et mature consideratis, nos ipsas praesentium litterarum tenore, et Apostolica auctoritate tanquam falsas, scandalosas, ac perniciosas rejicimus, damnamus, ac prohibemus, ita ut quicumque illas aut conjunctim, aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de iis, etiam disputandi gratia, publice aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, a qua non possit (praeterquam in mortis articulo) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, nisi ab existente pro tempore Romano Pontifice absolvi. Insuper districte, in virtute sanctae obedientiae, et sub interminatione divini judicii, prohibemus omnibus Christi fidelibus cujuscumque conditionis, dignitatis, et status, etiam specialissima nota dignis, ne praedictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.*

Jam vero ut exitiosam duellorum licentiam, in Christiana, ac praesertim militari Republica, non obstantibus providis legibus a plerisque etiam saecularibus Principibus et Potestatibus ad eamdem extirpandum laudabiliter editis, adhuc glisccntem validiore manu coerceamus, gravissimum scelus Apostolicae districtionis gladio magis magisque insequamur, omnes et

singulas dictorum Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum Constitutiones superius enunciatas, quarum tenores, ac si praesentibus de verbo ad verbum insertae forent, pro sufficienter expressis haberi volumus, Apostolica auctoritate confirmantes, et innovantes, ad hoc, ut poenarum gravitas et severitas majorem perditis hominibus ingerat peccandi metum, nostro motu proprio, ac de Apostolicae auctoritatis plenitudine, earumdem praesentium litterarum serie statuimus atque decernimus, ut si quis in duello sive publice, sive privatim indicto, hominem occiderit, sive hic mortuus fuerit in loco conflictus, sive extra illum ex vulnere in duello accepto, hujusmodi homicida tamquam interficiens proximum suum animo praemeditato ac deliberato, ad formam Constitutionis felicis recordationis Praedecessoris Nostri Benedicti Papae XIII. quae incipit: Ex quo divina, *data VI. Idus Junii anno Domini MDCCXXV. ab ecclesiasticae immunitatis beneficio exclusus et repulsus omnino censeatur, ita ut a cujuscumque sacri aut religiosi loci asylo, ad quod confugerit, servatis tamen de jure servandis, extrahi, et judicis competentis curiae pro merito puniendus, tradi possit et debeat. Super quo Nos Episcopis, aliisque superioribus Antistitibus, ad quos respective pertinet, et pertinebit imposterum, necessarius et opportunas facultates praesentium quoque tenore impertimur. Quin etiam, vivente adhuc altero in singulari certamine graviter vulnerato, si percussor in locum immunem se receperit, ex quo, eveniente illius morte, fugam arripere, et legum severitatem evadere posse prospiciatur; volumus et respective permittimus, ut, quatenus periti ad inspiciendum vulnus acciti grave vitae periculum adesse retulerint, percussor ipse, praevio semper decreto Episcopi, et cum assistentia personae ecclesiasticae ab eodem Episcopo deputatae, ab hujusmodi loco immuni extractus sine mora carceribus mancipetur, ea tamen lege judicibus indicta, ut illum Ecclesiae restituere debeant, si vulneratus superstes vivat ultra tempus a legibus, quae de homicidio sunt, constitutum, alioquin in easdem poenas incidant, quae in memoratis Benedicti XIII. litteris constitutae sunt adversus illos, qui delinquentem in aliquo ex casibus ibidem expressis, ex indiciis ad id sufficientibus sibi traditum, restituere recusent, postquam is in suis defensionibus hujusmodi indicia diluerit.*

Praeterea simili motu et auctoritate decernimus ac declaramus, sepulturae sacrae privationem a sacrosancta Tridentina Synodo inflictam morientibus in loco duelli et conflictus, incurrendum perpetuo fore etiam ante sententiam judicis a decedente quoque extra locum conflictus ex vulnere ibidem accepto, sive duellum publice, sive privatim indictum fuerit, ac etiamsi vulneratus ante mortem non incerta poenitentia signa dederit, atque a peccatis et censuris absolutionem obtinuerit; sublata Episcopis et Ordinariis locorum super hac poena interpretandi ac dispensandi facultate, quo caeteris documentum praebeatur fugiendi sceleris, ac debitam Ecclesiae legibus obedientiam praestandi.

1431. Nec omittenda est Bulla *Benedicti XIV.* quae incipit: *Providas Romanorum Pontificum*, anno 1751. 16. Maji data Romae, habeturque in tomo III. ejusdem Bullarii pag. 373. in qua confirmantur Litterae Apostolicae *Clementis XII.* anno 1738. IV. Kalend. Maji datae, et universis fidelibus inscriptae, quarum initium est: *In eminenti*, vi quarum uterque Ss. Dominus nonnullas societates, coetus, conventus, collectiones, conventicula, seu aggregationes vulgo *de' Liberi Muratori*, seu *Francs Maçons*, vel aliter nuncupatas perpetuo damnavit atque prohibuit, praecipiens omnibus et singulis Christi fidelibus sub poena excommunicationis ipso facto absque alia declaratione incurrenda, a qua nemo per alium, quam per Romanum Pontificem pro tempore existentem, excepto mortis articulo, absolvi possit, ne quis auderet, vel praesumeret hujusmodi societates inire, vel propagare, aut confovere, receptare,

occultare, iisque adscribi, aggregari, aut interesse, vel pótestatem, aut commoditatem facere, ut alicubi convocentur, iisdem aliquid ministrare, sive alias consilium, auxilium, vel favorem palam aut in occulto, directe aut indirecte, per se vel per alios quoquo modo praestare, nec non alios hortari, inducere, provocare, aut suadere, ut hujusmodi societatibus adscribantur, annumerentur, seu intersint, vel ipsas quomodolibet juvent ac foveant, sed omnino ab iisdem societatibus, coetibus, conventibus, collectionibus, aggregationibus, seu conventiculis prorsus abstinere se debeant.

Excommunicationes in Bulla Coenae.

» Haeresis, et sparsi per libros lectio virus,
» Quae jus, quaeque favor vetuit pedagia, causae
» Personaeque sacrae discussae a judice vano,
» Lex Clero adversans, falsaque insignia Bullae
» Fortiter adstringunt supremae vincula Coenae.

Excommunicationes aliae Papae reservatae.

» Fur templo effracto, vel judicis ore cremator,
» Participans noxam, veniae nec foedera servans,
» Dans sacra vitandis, Papae interdicta recusans,
» Re vel spe Simon, subiensque, juvansque duellum,
» Invadensque loco canonis sive aegyde tutos,
» Crimine non poterit quovis a judice solvi.

Excommunicationes non reservatae.

» Cognatum ducens, vetitum tellure recondens,
» Extorquens veniam, curans viventis abortum,
» Ad juga, vel sacra vota trahens, retrahensque puellam
» Judex, conventus hominum vitare jubetur.
» *N. B.* Quibus tamen successive accessere aliae, et aliae.

Casus reservati Episcopis juxta cujuscumque libitum.

» Qui facit incestum, deflorans, aut homicida,
» Transgressor voti, perjurus, sortilegusque,
» Sacrilegus, patrum percussor, vel sodomita,
» Et mentita fides, faciens incendia, prolis
» Oppressor, blasphemus, haereticus, omnis adulter,
» Pontificem super his adeat, Clerum feriensque.

Iidem casus hisce quatuor carminibus sunt etiam contenti.

Haereticí, appellans, latroque, pedagia, falsans
Ferrum, annona, venit Romam cum cardine, causas,
Usurpas, statuis, decimas, capitalia avertis,
Atque peregrinos, terras, capias, ipseque solvens.

Horum fusiorem explicationem vide in Rituali Romano, sive Agenda. De his nota 1. universaliter, quod nullus casus Pontifici sit reservatus, nisi ratione annexae censurae excommunicationis; proinde omnis casus Papae reservatus habet sibi annexam hanc censuram.

Nota 2. Cum nullum utique peccatum sit reservatum, sive a Papa reservetur, nisi ratione excommunicationis annexae, vel suspensionis, ut ignorantia juxta Theologos plerosque excuset ab incursione censurae ecclesiasticae, excusabit etiam ab incursione reservationis papalis, ideoque nullus incurret casum reservatum, nisi scienter.

§. IV. *De suspensione.*

1432. Principium I. *Suspensio est censura ecclesiastica, qua Clericis ad tempus prohibetur exercitium sui officii, vel perceptio fructuum sui beneficii, vel utrumque simul, idque vel ex toto, vel ex parte.* Alii brevius sic: Suspensio est censura, per quam persona ecclesiastica impeditur aliqua potestate, aut jure ecclesiastico. *Laymann* L. 1. t. 5. p. 3. c. 1. Dixi 1. *Censura*, sic convenit cum excommunicatione et interdicto: differt ab irregularitate, degradatione, et depositione, quae non sunt medicinales poenae, differt etiam a quadam alia specie suspensionis, de qua fit mentio in c. *Cum in cunctis*, de electione, quae ut mera poena imponitur, et subinde est perpetua: suspensio autem proprie ut medicinalis debet fieri ad tempus per modum monitionis, ut desistat a contumacia: regulariter etiam debet fieri in scripto. Si feratur verbaliter, aut pure ad puniendum delictum praeteritum, aut in perpetuum, non est proprie censura, ideoque in ea exercens functiones ordinis, peccat quidem, sed non incurrit irregularitatem.

Suspensio 1. alia est *totalis simpliciter*, quae simul est ab officio et beneficio, sive qua Clericus ab omni exercitio officii tum ordinis, tum jurisdictionis, et ab omni fructuum perceptione ad tempus prohibetur, quamvis non adimatur potestas ipsa, nec titulus beneficii. Alia *localis secundum quid* est, qua Clericus vel tantum prohibetur ab exercitio officii, vel tantum a perceptione fructuum ex beneficio. Hanc subdividit *Laym.* iterum in totalem et partialem. *Suspensio totalis ab officio* est, per quam Clericus ab omni spirituali officio tum ordinis, tum jurisdictionis, et ecclesiasticae administrationis impeditur. Sic Sacerdos suspensus prohibetur celebrare Missam, sacramentaliter absolvere, ministrare extremam Unctionem, solemniter baptizare etc., quamvis instar laici possit interesse sacris officiis, cum aliis orare, sacrificanti ministrare, in necessitate baptizare etc. *Suspensio totalis a beneficio* est, per quam Clericus ab omni beneficio ecclesiastico quoad ejus administrationem, et fructuum perceptionem ad tempus suspenditur. *Partialis suspensio ab officio* vel est ab ordine tantum, aut ab aliquo actu ordinis, v. gr. a celebratione Missarum, actu ordinandi etc., vel a jurisdictione tantum, aut certo actu jurisdictionis, v. g. a collatione beneficii, a ferenda censura, voce suffragii etc. *Partialis suspensio a beneficio* respicit vel certum beneficium tantum, vel partem beneficii. Praeterea suspensio alia est *latae sententiae*, quae ipso facto per jus infligitur; alia *ferendae*, quae supposito facto per sententiam judicis infligitur. Denique alia est a jure, alia lata ab homine.

1433. *Principium II.* Quicumque excommunicationis censuram ferre potest, idem et suspensionis. Omnes autem et soli Clerici, praeter Papam, suspensionis censuram incurrere possunt. *Henriquez* contra plerosque existimat, etiam in Abbatissam cadere posse suspensionem. Vide *Laymann* l. cit. c. 2. n. 1. et 2. Effectus suspensionis sunt I. Suspensus etiam occultus exercendo actum, a quo est suspensus, peccat mortaliter, nisi ignorantia invincibilis aut necessitas excuset. II. Suspensus a functionibus sacri ordinis (non autem tantum minoris, et non sacri) eas exercendo non tantum peccat, sed etiam fit irregularis ob violatam censuram, ut arg. ex c. 1. de sent. et re judic. in 6. Praeterea tales actus ordinis a jurisdictione non pendentes sunt validi, v. g. si suspensus baptizat, consecret etc., quia Ecclesia non potest tollere potestatem ordinis, sed tantum illius exercitium prohibere: actus vero jurisdictionis, v. g. absolutio a pecca-

tis, sunt invalidi, si suspensus sit nominatim denuntiatus, quia privatur actuali jurisdictione; validi autem sunt, si non sit denuntiatus, ut probat *P. Antoine*, ex Constitut. Martini V. *Ad evitanda*. Et *ratio* est, quia Ecclesia hoc ipso quod tolerat suspensum, ei non adimit jurisdictionem, idque in bonum fidelium. III. Suspensus a beneficio, etsi sit occultus, privatur omnibus sui beneficii fructibus (pars fructuum etiam censentur distributiones quotidianae) ita ut eos licite non possit percipere, et perceptos teneatur restituere ante omnem sententiam; censura enim impedit eorum acquisitionem: ergo ad eum non pertinet etiamsi accipiat, ergo nec eos retinere potest, quia ipsius non sunt. Tenetur nihilominus Beneficiatus suspensus recitare horas canonicas privatim, et alia onera beneficii praestare, quia hae obligationes annexae sunt beneficio quod retinet. IV. Suspensus illicite beneficium novum reciperet, et illicite ei conferretur, ita ut collatio saltem veniat irritanda; quia ad susceptionem eorum eligeretur, a quorum perceptione est privatus, ut colligitur ex c. *Si celebrat.* ult. de Clerico excommunicato.

1434. *Principium III.* Suspensio ipso jure incurritur in casibus sequentibus saltem usitatioribus. Juxta *P. Antoine* tr. de cens. c. 4. de suspens. q. 4. ab executione ordinum suspensus est I. qui ordines sacros recipit vel ab alieno Episcopo sine dimissoriis (juxta *Trid.* sess. 14. c. 2. de reform.) vel a proprio in aliena dioecesi absque expressa licentia Ordinarii loci illius (juxta *Trid.* sess. 6. c. 5. de reform.) vel titulo conficto, vel absque omni titulo, vel per saltum, vel in censura, vel extra tempora a jure statuta, vel ante legitimam aetatem sine dispensatione (juxta extrav. *Cum ex sacrorum*, et juxta extrav. *Sanctum et salutare*) vel post matrimonium contractum, licet non consummatum. Item qui furtive ordinatur, hoc est, qui non approbatus inter ordinandos irrepsit. II. Qui eodem die duos sacros ordines recipit, juxta c. *Litteras*, de tempor. ordin. III. Ordinans et ordinatus simoniace est suspensus ab ordinibus praeter alias graviores poenas. IV. Juxta decretum *Trid.* sess. 24. de reform. matrim. c. 1. *Si quis parochus, vel alius sacerdos, sive regularis, sive saecularis sit, etiamsi id sibi ex privilegio, vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius parochiae sponsos sine illorum parochi licentia conjungere aut benedicere ausus fuerit, ipso jure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario ejus Parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur.* Hanc suspensionem esse tantum ab officio et munere sacerdotali, asserit *Suar.* contra *Bonac.* qui d. 3. q. 3. p. 5. num. 7. ait, eam esse ab officio et beneficio, quia absolute fertur. V. Ex c. *Nullus Episcopus*, de consecrat. dist. 1. Sacerdos abrumpens sacrificium sine justa causa, ut ab alio Missarum solemnia suppleantur, a sacro Corpore et Sanguine Domini nostri Jesu Christi, hoc est, ab officio celebrandi suspenditur, ut explicat *Palao* p. 4. tr. 29. d. 4. pun. 10. §. 2. n. 4. VI. Suspenditur ab executione ordinis, qui excommunicatione majore ligatus ob Clerici percussionem ordinem aliquem suscipit, ex c. *Cum illorum* de sent. excomm. Reliquas suspensiones, et forte singulas videre licet a *Palao* collectas l. c. a §. 1. usque ad punct. XI. Integrum quoque catalogum excommunicationum tum reservatarum, tum non reservatarum, item catalogum suspensionum 1. contra Episcopos, 2. contra Capitula et communitates, 3. contra Clericos privatos et singulares, 4. contra regulares, Praelatos et subditos latarum tradit *P. Pichler* L. 5. Decret. tit. 39. a n. 17. De regularibus sufficiat sequentes expresse hic addere, quod suspensionem incurrant, qui confitentibus non faciunt conscientiam de solvendis decimis. Clement. *Cupientes*, de poenis. Item qui non deferunt habitum a regula praescriptum. Clement. 1. de statu Monachorum. Item qui faciunt apostasiam ab ordine, et in ea recipiunt ordines, c. fin. de apostat. Denique qui mulieres introducunt in clausuram monasteriorum. Bull. 20. *Pii V.*

Resolutio casuum.

Zachaeus Canonicus, et simul Curatus ob certum delictum suspenditur ab audiendis confessionibus per semestre ; nihilominus ille pergit quotidie celebrare, baptizare, et extra parochiam suam confessiones excipere.

1435. *Q.* I. An Zachaeus peccaverit celebrando, baptizando, extremum inungendo. R. *Negative*; quia non erat suspensus totaliter ab officio, sed tantum ab administratione sacramenti poenitentiae: ergo licite potuit alias officii sui functiones obire. Hinc observandae sunt sequentes regulae. 1. Ut cognoscatur quousque prohibitio se extendat, consideranda sunt verba, quibus fertur suspensio; quae quidem in hac materia odiosa strictae sunt interpretationis, sicut et aliae poenae, ac extendenda non sunt ultra verborum proprietatem. Si tamen suspensio feratur simpliciter et indistincte, intelligi debet suspensio ab officio et beneficio; nam locutio indefinita aequivalet universali, et ex verbis prohibitionis nulla apparet limitatio. 2. Si suspensio ab officio absolute, et sine addita restrictione lata sit, intelligitur suspensio ab omni officio tam ordinis, quam jurisdictionis. 3. E contra suspensus ab officio non ideo suspensus est a beneficio, quia diversae sunt poenae suspensio ab officio, et suspensio a beneficio, et una executioni potest mandari sine altera; ergo sunt separabiles. *Confirm.* ex c. *A crapula*, 14. de vit. et honest. Cleric., ubi statuitur per particulam disjunctivam poenarum, ut Clericus crapulosus vel ebriosus monitus, et non desistens, *ab officio vel beneficio suspendatur*: unde suspensus simpliciter ab officio licite percipit fructus beneficii, modo per alium suppleat beneficii munera, quae ipse non potest exercere. Excipe eas distributiones, quae non conferuntur, nisi iis, qui per se ministrant. 4. Suspensus ab ordine simpliciter non ideo suspensus est a jurisdictione, nec econtra; quia ordo est distinctus a jurisdictione. Plura apud *Pulao* l. c. §. 1. et 2., *Laym.* l. cit. c. 1., *Henriquez.* et alios.

1436. *Q.* II. An Zachaeus extra suam parochiam licite et valide exceperit confessiones. R. Nec licite, nec valide: quia Zachaeus erat suspensus nominatim denuntiatus; ergo per legitimam suspensionem jurisdictione actuali privatus est: neque suspensio afficit locum, sed personam immediate; ergo ubicumque illa existat, manet ligata, donec absolvatur legitime. *Laym.* l. c. cum *Abbat. Ugolino* et aliis. Secus est de beneficiato, qui habet beneficia in diversis dioecesibus; hic enim si suspendatur a beneficio ab Episcopo hujus dioecesis, non censetur suspensus a beneficio, quod habet in alia dioecesi, quia sententia poenalis eo non se extendit.

1437. *Q.* III. An fideles teneantur vitare suspensum denuntiatum. R. Vi censurae non tenentur suspensum vitare, quia id nullo jure cautum est: lex tamen charitatis exigit, ut Clericus ab officio suspensus sine causa non inducatur v. g. ad celebrandum, quando is sine peccato et irregulariter celebrare nequit. Si vero justa causa subsit a suspenso *non denunciato* sacrificium petendi, tunc is sine peccato satisfacere petitioni potest. *Laymann* loc. cit. cum *Coninck.*

1438. *Q.* IV. A quo, et quomodo suspensio tolli possit. R. ad *primum*. Ordinariam potestatem tollendi omnes suspensiones absque dubio habet Summus Pontifex. Jure novo *Trid.* sess. 24. c. 6. de reform. *Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus et suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quae oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare, et in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicae reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos, in dioecesi sua per se ipsos, aut Vicarium, ad id specialiter deputandum, in foro conscientiae gratis absolvere, imposita poenitentia salutari.* Quod ibidem additur de potestate absolvendi ab haeresis crimine

in foro conscientiae, revocatum esse per Bullam Coenae, erudite declarat Benedictus XIV. L. 7. de Synod. c. 32. et 33. de quo infra n. 1488. Porro de suspensionibus reservatis non possunt absolvere, nisi qui speciali gaudent privilegio, quale concessum est plerisque Ordinibus Religiosorum, teste *Krimmer* L. 5. n. 203., ita ut ab omni suspensione possint absolvere in foro conscientiae. Simili privilegio gaudet Societas Jesu vi Bullae Pauli III. *Cum inter.*

1439. R. ad 2. De formula absolvendi a suspensione vide n. 696. In genere autem tribus modis tollitur suspensio, scilicet 1. Si suspensio absolute, et sine determinatione temporis inflicta sit ob contumaciam, tollitur per solam absolutionem, vel ab eo, qui inflixit hanc censuram, vel ab alio, qui habet delegatam potestatem aut specialem facultatem. 2. Si autem lata fuerit ad certum tempus, v. g. ad sex menses, vel sub conditione, v. g. si creditori satisfecerit, suspensio cessat per se ipsam, transacto tempore vel conditione impleta. 3. Si vero imposita sit in perpetuum ob culpam praeteritam tanquam mera poena, solum tollitur per dispensationem Praelati, vel ejus Delegati, quia tunc non est censura. Si vero lata sit sine expressione, ut perpetuo duret, juxta *Laym.* l. c. n. 3. probabiliter tolli potest ab Episcopo, nisi Papa sibi specialiter reservaverit. Praecipue hic observandum, quod ante absolutionem a censura suspensionis exigenda sit satisfactio, vel cautio satisfaciendi parti laesae: imo in criminibus enormibus exigendum juramentum parendi Ecclesiae.

QUAESTIO INCIDENS

Quid sit Depositio, ac Degradatio.

1440. R. 1. *Depositio* in genere est duplex: *verbalis*, sive simpliciter talis, et *realis*. *Verbalis*, prout specifice hic accipitur, est poena ecclesiastica, per quam persona ecclesiastica ob enorme crimen ab ordine, vel a jurisdictione, vel a beneficio, vel ab officio et beneficio simul per sententiam sola voce prolatam removetur in perpetuum, ita tamen ut non privet privilegio fori et canonis. Quodnam crimen sufficienter enorme sit censendum, partim ex sacris canonibus desumendum, partim prudentis judicis sententiae relinquitur determinandum. Inter enormia communiter recensentur, furtum, homicidium, perjurium, violentum stuprum virginis, incestus, adulterium, sodomia, crimen haeresis manifestum, gravis calumnia proprio Episc. irrogata etc.

1441. R. 2. *Degradatio*, sive depositio *realis* est poena ecclesiastica, qua Clericus propter criminis atrocitatem solemniter et authentice non tantum ordine, beneficio, et officio (ut fit per depositionem totalem); sed etiam privilegio fori et canonis privatur, ita ut degradatus instar laici a saeculari potestate incarcerari, condemnari, et secundum leges civiles puniri possit, atque percuti absque periculo excommunicationis: sic differt a depositione simpliciter tali. Depositio autem a suspensione distinguitur, quia suspensio tanquam censura de se non est perpetua, cum sit medicinalis; convenit autem cum suspensione improprie tali, quae si sit perpetua, proprie non est medicinalis, sed mera poena.

Solemnitas degradationis a *Trid.* sess. 13. c. 4. de reform. atque a Pontificali Romano ita praescribitur. Degradandus sacris vestibus, ordini suscepto congruis induitur, deinde adducitur ad Episcopum, a quo in praesentia aliorum Episcoporum vel Abbatum (vel in horum defectu aliorum in dignitate ecclesiastica constitutorum) et Judicis saecularis, singula ordinum susceptorum insignia, incipiendo ab eo, quod in ultima ordinatione ultimo loco traditum erat, usque ad insigne primae tonsurae, scilicet superpelliceum, eidem auferuntur: tum raditur caput, ut nullum accepti clericatus signum appareat. Episcopus subjungit haec verba: *Auctoritate Dei omnipotentis Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ac nostra auferimus tibi habitum clericalem,*

et deponimus, degradamus, spoliamus, et exuimus te omni ordine, beneficio, et privilegio clericali. Deinde degradatus traditur judici saeculari, praevia tamen intercessione interposita; ut is mitiorem, quam mortis poenam imponat, ne judex ecclesiasticus videatur desiderare mortem degradati, quamvis forte re ipsa traditus morte postea non liberetur a judice saeculari. Haec degradatio realis est actus ordinis Episcopalis, ideoque fieri non potest, nisi ab Episcopo consecrato, licet sententia degradationis, sive depositio verbalis sit actus jurisdictionis tantum, ideoque haec ab Episcopo non consecrato, a Capitulo, sede vacante, et a Vicario Generali ex speciali mandato fieri potest.

§. V. *De Interdicto.*

1442. *Principium* I. Interdictum est censura ecclesiastica a jure vel homine lata aut ferenda, per quam prohibetur celebratio publica, et auditio omnium officiorum divinorum, usus quorumdam sacramentorum, et ecclesiasticae sepulturae: ita desumitur ex c. *Non est vobis.* 11. de sponsal. item ex c. *Quod in te*, de poenit. et remiss. Differt ab excommunicatione, quia privat paucioribus bonis, quam excommunicatio, et sacris tantum, non autem politicis et civilibus. Differt quoque a suspensione, tum quia privat sepultura ecclesiastica, tum quia etiam laicos afficit, non vero suspensio.

1443. Interdictum dividitur in Locale, Personale, et Mixtum. *Locale* est, quod immediate afficit locum, prohibendo, ne in eo officia divina et sacra fiant. *Personale* est, quod immediate fertur in personam, ei prohibendo divinorum officiorum exercitium, et participationem, ubicumque existat. *Mixtum* est, quod immediate afficit et locum, et personas. Differunt interdictum locale et personale inter se; quod per locale prohibeatur tum indigenis, tum alienigenis exercitium, et participatio sacrorum officiorum non quidem absolute, sed tantum in loco interdicto: at vi personalis interdicti prohibetur certis personis, vel toti communitati dicta participatio et exercitium absolute, atque in omni loco. *Laym.* L. 1. t. 5. p. 4. c. 1. n. 2.

Porro utrumque hoc interdictum subdividitur in generale, et particulare. *Locale generale* est, quod fertur in locum generalem, plura loca sub se continentem, uti est regnum, provincia, civitas, dioecesis, parochia, villa, castrum, juxta c. *In partibus*, de verb. signif. *Particulare locale* est, quo interdicitur certus locus sacer, v. g. determinata Ecclesia parochialis, quo nomine etiam comprehenduntur Capellae, et coemeteria contigua, quemadmodum nomine civitatis etiam suburbia comprehenduntur, licet pertineant ad jurisdictionem alterius, ut patet ex cap. *Si civitas.* 17. de sentent. excommun. in 6. Hinc si civitas in interdicto sit, neque intra, neque extra civitatis Ecclesias divina officia celebrare licet: si vero civitatis Ecclesia una, vel plures determinatae in interdicto sint, licitum est extra determinatas Ecclesias, vel in privatis oratoriis divina officia celebrare. *Laym.* l. c. *Generale personale* est, quod fertur in totam aliquam Communitatem, Collegium, Capitulum, ex pluribus personis constans; hoc interdicto comprehenduntur omnes personae regni vel civitatis, tanquam membra et partes, etiam innocentes, prout constituunt unum corpus, nisi innocentes speciali privilegio eximantur. Unde si quis desinat esse membrum communitatis interdictae, v. g. per mutationem domicilii, non amplius subjacet interdicto. *Particulare personale* est, quo una vel plures personae determinatae, qua singulares, non qua membra communitatis, v. g. Episcopus, vel Consul civitatis, vel omnes ac singuli, qui tale facinus patrarunt, vel auxilium attulerunt, etiamsi ignoti sint, interdicuntur. Porro illi interdicti solum vitandi sunt, qui nominatim et publice sunt denuntiati. *Pichler* L. 5. Decret. tit. 39. n. 46.

1444. *Principium* II. Effectus interdicti sunt sequentes: 1. *Prohibitio celebrationis et auditionis divinorum officiorum*; quo nomine comprehenditur

imprimis Missae sacrificium, omnis publica ac solemnis comprecatio, publica recitatio horarum canonicarum in choro (nam privatim Clerici beneficiati, vel in majoribus constituti in interdicto locali, vel personali utique tenentur recitare horas canonicas) item benedictio publica aquae lustralis, olei, chrismatis, cereorum, templi, vasorum, altarium in Ecclesiae interdicto, quae benedictiones nomine Ecclesiae a sacerdotibus fiunt; non item aliae privatae benedictiones, v. g. mensae, personae etc.; licita tamen est concio. Limitata etiam est haec ampla prohibitio divinorum officiorum in c. *Alma* de sent. excomm. in 6., ita ut tempore interdicti loci generalis (non autem in Ecclesia specialiter interdicta juxta *Laym.*) *singulis diebus in Ecclesiis et Monasteriis Missae celebrentur, et alia dicantur divina officia, sicut prius, submissa tamen voce, et januis clausis, excommunicatis et interdictis exclusis, et campanis etiam non pulsatis... In festivitatis vero Natalis Domini, Paschae ac Pentecostes, et Assumptionis Virginis gloriosae* (item ex privilegio *Martini V.* festo Corporis Christi, et per ejus Octavam) *campanae pulsentur, et januis apertis alta voce divina officia solemniter celebrentur, excommunicatis prorsus exclusis, sed interdictis admissis; quibus ob reverentiam dictarum solemnitatum... praefatis diebus participationem permittimus divinorum, sic tamen quod illi, propter quorum excessum interdictum hujusmodi est prolatum, altari nullatenus appropinquent.*

1445. Secundus effectus est prohibitio receptionis et administrationis quorumdam sacramentorum, scilicet Eucharistiae, Ordinis, et extremae Unctionis; moribundis tamen Eucharistia per modum Viatici tempore interdicti ministrari potest, juxta c. *Quod in te*, de poenit. et remiss. Imo juxta *Laym.* l. c. cap. 2. cum *Suar.* et *Sà*, eam licet ad aegrotos solemniter deportare cum lumine, campanula, et fidelium comitatu. Juxta eumdem probabile est, licitum esse, illi infirmo extremam Unctionem tempore interdicti ministrare, qui aliud sacramentum recipere non potest; alias enim non licet, juxta cit. cap. *Quod in te*. De matrimonio non conveniunt doctores; juxta communiorem tamen licite celebrari potest matrimonium sine nuptiarum benedictione, quia per interdictum et cessationem a divinis solum prohibetur participatio sacramentorum, quae sunt ex Ecclesiae dispensatione seu ministratione; ministri autem matrimonii sunt ipsi contrahentes: ergo. Ita *Abbas* in c. *Non est* de sponsal., *Sylv.* V. Interdictum, *Navar.*, *Henriq.*, *Sanchez* de matrim. L. 7. d. 8. contra *Suarez*. Excipiuntur etiam sacramenta Baptismi, Confirmationis, et Poenitentiae, quae etiam sanis conferri licet tempore interdicti, non tamen excommunicatis, nec iis, qui causam interdicto dedere, vel qui ad perpetrandum delictum, ob quod interdictum prolatum est, praebuerunt auxilium, consilium, vel favorem, nisi prius satisfecerint ob delictum, vel de satisfactione cautionem praestiterint, aut praestare juraverint. c. *Alma*, cit.

1446. Tertius effectus est *prohibitio sepulturae ecclesiasticae*, juxta cap. *Quod in te*, 11. de poenit. et remiss. In interdicto locali extenditur etiam ad infantes et amentes. Clerici autem, qui non sunt specialiter interdicti, nec interdictum illicita divinorum officiorum celebratione violarunt, in loco sacro generaliter, non specialiter interdicto, sepeliri possunt *sine campanarum pulsatione, in silentio, et cessantibus solemnitatibus omnibus*. Laici vero, qui non sunt personaliter interdicti, nec causam culpabilem interdicto dederunt, sepeliri possunt in loco sacro non interdicto. Imo et personaliter quidem interdicti, sed non denuntiati; nam juxta c. *Sane*. 3. XXIV. q. 2. *Quibus vivis communicavimus, mortuis quoque communicare possumus*; interdictos autem personaliter non tenemur a divinis officiis, qui in loco non interdicto celebrantur, repellere, antequam denuncientur, ut constat ex extrav. Concilii Constantiensis, *Ad evitanda:* ergo. Denique qui ob interdictum sepultus est in loco profano, interdicto finito transferendus est in locum sacrum, modo non fuerit specialiter interdictus, nec causam interdicto dederit. Si vero

interdictus illicite sit humatus in loco sacro, non est exhumandus, quia (ut ait *Laym.* l. c.) id nullibi statutum legimus.

1447. Pro resolutione casuum *observa* I. Ut obliget interdictum locale a jure latum, sive ut privet dictis bonis, requiritur cognitio et denunciatio Judicis Ecclesiastici, ut legitime constet, delictum, cui est annexum interdictum, vere esse patratum, et nullus praetendere possit ignorantiam. Si interdictum sit personale, requiritur ut specialiter denuntientur personae, alias fideles eas non tenentur vitare. *Pichler* L. 5. Decret. tit. 39. n. 47.

1448. II. Interdictum 1. ferri potest in loca et personas singulares, 2. in communitates qua tales (ut patet ex c. 11. de spons. item ex c. 16. de sent. excomm. in 6.) tota enim communitas est capax juris ad divina officia, sacramenta, et sacram sepulturam: ergo etiam hoc jure potest privari, igitur et interdici.

1449. III. *Si sententia interdicti proferatur in Clerum, non intelligitur (nisi aliud sit expressum in ea) interdictus populus, nec etiam e converso.* Ita c. 16. de sent. excomm. in 6. Episcopi autem nunquam censentur comprehendi in interdicto personali generali, nisi expressa fiat eorum mentio; c. *Quia periculosum* 4. de sent. excommun. in 6. Neque peregrini et exteri, licet diu ibi habitent, ut mercatores, studiosi etc. quia in odiosis non habentur pro parte talis populi vel communitatis. Hi tamen comprehenduntur interdicto locali, c. 4. et 10. de privil. in 6.

1450. IV. Catalogum interdictorum tum localium, tum personalium generalium contra Universitates, et specialium contra personas singulares vide apud *Pichler* L. 5. Decret. tit. 39. in n. 17., latius apud *Palao* de censuris d. 5. punct. 8. §. 2.

1451. V. Poenae violantium interdictum sunt 1. Hi peccant *per se* graviter, quia violant praeceptum Ecclesiae in re gravi, nisi excuset ignorantia, vel parvitas materiae. 2. Qui violat interdictum exercendo actum proprium ordinis, fit irregularis, c. 18. et 20. de sent. excomm. in 6. 3. Excommunicationem Papae reservatam incurrunt domini temporales loci interdicti, qui compellunt Clericos ad celebranda publice officia in loco interdicto, vel impedientes, ne publice excommunicati aut interdicti exeant tempore officiorum, item ipsi interdicti non exeuntes post monitionem. Clement. 2. de sent. excomm. 4. Qui interdictos extra casus concessos scienter in loco sacro sepeliunt, contrahunt excommunicationem Episcopo reservatam. Clement. 1. de sepult. 5. Excommunicantur Religiosi etiam exempti, qui non servant interdictum locale latum a Papa, vel Ordinario, quando servatur a matrice Ecclesia, vel a parochiali loci, ubi habitant. Clement. 1. de sent. excomm.

1452. VI. Interdictum a jure latum tollitur per relaxationem seu absolutionem, et quidem si sit *locale*, vel *personale generale*, ab habente jurisdictionem Episcopalem in talem locum vel communitatem, quia hic solus habet jurisdictionem in foro externo in locum vel communitatem interdictam: ideoque nec Religiosi, qui alias gaudent privilegio absolvendi ab aliis censuris, tunc possunt absolvere, utpote quorum potestas ex privilegio se tantum extendit ad forum internum poenitentiae, cui nec locus, nec communitas subjicitur. Si vero interdictum sit *personale particulare et reservatum*, tollitur per se a Papa: ex privilegio autem, (si sit occultum, neque deductum ad forum contentiosum) ab Episcopo pro foro interno, item pro eodem foro a Religiosis Mendicantibus gaudentibus hoc privilegio; si non sit reservatum, tolli potest a quolibet Confessario, qui a mortalibus potest absolvere. *Pichler* l. c. n. 53. Denique interdictum sive locale, sive personale latum ab homine per sententiam specialem, tolli potest a solo Auctore, vel ejus Successore, vel Superiore, vel horum Delegato. *Suar.* d. 38. de censur. sect. 2. n. 2.

1453. *Q.* Quid sit *cessatio a divinis*, alias etiam suspensio organorum, vel laudis divinae. R. Est prohibitio ecclesiastica Clericis imposita, ut abstineant ab officiis divinis, et administratione sacramentorum in aliquo loco, in con-

testationem moeroris, et justae defensionis ob gravem aliquam injuriam Ecclesiae Clericis aut honori divino illatam. Haec quidem eosdem ferme effectus habet (excepta sepultura sacra) quos interdictum; non tamen est censura, quia non est poena medicinalis; hinc licet ejus violatio sit graviter peccaminosa, non tamen inducit irregularitatem; c. 18. de sentent. excomm. in 6. Praeterea talis cessatio (juxta c. 8. in fine de officio ordin. in 6.) non debet durare ultra mensem; si enim intra mensem inter eum, qui indixit cessationem, et inter illum, qui per culpam suam huic poenae dedit causam, non fiat compositio, nec causa Romam ab iis fuerit delata, tunc per se desinit ista prohibitio.

ARTICULUS II. De Irregularitate.

§. I. *Praenotanda de Irregularitate in genere.*

1454. *Praenotandum* I. Irregularitas in genere est impedimentum canonicum, quo prohibetur ordinum susceptio et susceptorum exercitium. *Impedimentum* dicitur, quia proprie non est censura, aut poena medicinalis, sed inhabilitas statuta a sacris canonibus, tanquam impedimentum ad suscipiendos ordines, vel ad susceptos exercendos ob reverentiam sacro altaris ministerio debitam. Unde triplicem habet effectum irregularitas. 1. Illicita per eam, non vero invalida redditur ordinum susceptio. 2. Pariter illicitum, non tamen invalidum redditur exercitium ordinum susceptorum. Hinc graviter peccat, qui in irregularitate recipit vel exercet ordinem, quia violat praeceptum Ecclesiae in re gravi. Nomine ordinum etiam hic intelligitur prima tonsura, quatenus constituit hominem in statu clericali, et reddit capacem beneficii ac ordinis. 3. Irregularitas facit, ut collatio beneficii facta irregulari sit invalida; an autem sit invalida ipso facto, ex jure certo non constat; ideoque multi cum *Suarez* et *Coningk* probabile esse affirmant, ejusmodi collationem illicitam quidem esse, et contra canones, ideoque irritandam, non tamen ipso jure irritam; secundum quam sententiam probabilem infert *Busemb.* quod is, qui beneficium impetravit in irregularitate, obtenta hujus dispensatione, illud in foro conscientiae licite possit retinere sine nova collatione: item si postea beneficio privetur, non teneatur fructus restituere. Alii vero juxta tutiorem asserunt, ejusmodi irregularem teneri in conscientia resignare beneficium, si dispensatio non sit impetranda intra breve tempus, quia inconveniens videtur, ut is retineat beneficium, qui per se non potest ullum officium praestare.

1455. *Praenotandum* II. Irregularitas alia est ex *defectu*, alia ex *delicto*. Iterum alia est *totalis*, et proprie talis, quae omnium *ordinum* susceptionem et usum impedit. Alia *partialis*, quae aliquo tantum ordinis ministerio privat, vel solo ascensu ad ordines superiores: sic Diaconus sinistro oculo carens inhabilis est ad Sacerdotium; in suo tamen ordine ministrare potest.

1456. *Praenotandum* III. Irregularitas contrahitur ante omnem sententiam et etiam ob defectum vel crimen occultum: tollitur per dispensationem, non per absolutionem, secundum formulam n. 707. traditam, aut juxta Rituale Romanum sequenti modo: *Dispenso tecum super irregularitate quam incurristi propter ...* (additur causa) *et habilem reddo, ac restituo te executioni ordinum et officiorum tuorum, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.*

1457. *Praenotandum* IV. Ignorantia invincibilis solius irregularitatis etiam ex delicto non excusat ab illa, juxta communiorem; quia irregularitas non est primario poena, sed inhabilitas annexa a jure ob reverentiam sacris mysteriis debitam. *Pichler* L. 5. tit. 37. n. 25. contra multos: ubi tamen defendit, quod is non incurrat irregularitatem, qui dubitat, an suus actus sit obnoxius irregularitati, si, post adhibitam in inquirenda veritate diligentiam, maneat dubium

sive *juris*, scilicet an sit statuta irregularitas in aliquem actum, sive facti, scilicet an hic iste actus sit talis, cui annexa est irregularitas; excepto dubio facti, quo quis dubitat, an homicidium, quod certo scitur esse commissum, a se vel alio sit perpetratum, qui casus expresse excipitur c. *Significasti*, de homicid. volunt.

1458. *Praenotandum* V. Clericus irregularis licite potest obire omnia munera sacra, quae competere possunt laico, ut in Ecclesia canere, celebranti ministrare, sacramenta recipere, excepto sacramento ordinis etc.

§. II. *De irregularitate ex defectu.*

1459. *Principium generale.* Novem distinguuntur species irregularitatis ex defectu, scilicet ex defectu *animae, corporis, natalium, famae, aetatis, obligationis, sacramenti, lenitatis, et libertatis.*

Ortus, libertas, ratio, mens, corpus, et aetas,
Non bigamus, lenis, nec mala fama notet.

1460. I. Triplex animi defectus inducit irregularitatem, scilicet *defectus usus rationis, scientiae,* et *fidei confirmatae.* Ob *defectum rationis* ab ordinibus arcentur 1. amentes et furiosi habitualiter ex laesione organorum, non autem ex sola causa transeunte, v. g. febre vehementi. 2. Lunatici, qui per temporum intervalla amittunt usum rationis. 3. Epileptici. 4. Energumeni seu arreptitii, qui a daemone vexantur; c. *Maritum* 2. dist. 33. ex *S. Gregor.* Addit tamen *Palao* de censur. d. 6. p. 10. n. 4. amentiam Clericum jam ordinatum non impedire ab exercitio ordinum, nisi quamdiu durat, aut quamdiu periculum est in illam reincidendi: idem sentiendum de epilepsia. De energumenis vide c. *Communiter*, dist. 33. Ob *defectum scientiae* irregulares sunt, qui nec de facto sciunt, nec capaces censeri possunt addiscendi ea, quae ordinandi scire tenentur. Ignorantia scilicet, si tanta sit, ut ministerium ordinis exercere non permittat, constituit hominem irregularem, ut arguitur ex c. *Illiteratos* 1. dist. 36. Addit *Palao* l. c. cum *Sayro*, quod defectus scientiae, quam *Tridentinum* pro singulis ordinibus requirit, impediat quidem regulariter sub gravi culpa, ne, eo stante, ordo suscipiatur, non tamen inducat irregularitatem, quia *Tridentinum* non addidit. eos irregulares esse, qui scientia praescripta essent destituti. Ex *defectu fidei confirmatae* irregulares sunt, qui recens ad fidem convertuntur ab idololatria, Judaismo, et Mahometismo. *Non neophytum* (ait s. Paulus 1. ad Tim. 3.) *ne in superbiam elatus, in judicium incidat diaboli.* Confirm. ex c. *Quoniam.* 1. dist. 48.

1461. II. In genere 1. is censetur irregularis ex defectu corporis, qui ob defectum corporalem non potest sine notabili indecentia, deformitate, vel sine aliorum horrore, nausea, offensione, et scandalo divina peragere, ut colligitur ex c. *Presbyterum.* 2. de Clerico aegrot., et ex c. *Cum de tua*, de corpore vitiatis. Hinc irregularis est, qui caret auribus (nisi haec deformitas capillis tegi possit, ut ait *Laym.*); qui caret naso, qui monstruose gibbosus, leprosus, paralyticus est; qui membra habet superflua cum magna deformitate; secus, si sine magna deformitate, v. gr. si quis habeat sex digitos, vel aliquos conjunctos, ita ut sine notabili inconvenientia ordinem possit exercere; item si quis habeat tam deformem cicatricem in facie, ut horrorem aspicientibus incutiat: secus, si non adeo deformem. 2. Ille defectus inducit irregularitatem, propter quem quis ineptus est ad exercitium ordinis, v. g. si sit caecus, surdus, claudus, ita ut sine baculo nequeat ire, et stare ad altare; item si careat manu, pollice, indice, oculo canonico, hoc est sinistro; item si pollex ita debilis sit, ut hostiam frangere vel levare non possit. Irregularis autem non est, qui caret ungula pollicis vel indicis, vel qui habet utrumque oculum, sed ex dex-

tro (imo juxta plures) si ex sinistro non videat, modo Canonem Missae sine indecenti faciei torsione possit legere; vel qui in oculo habet maculam visum non auferentem, nec notabiliter deformantem, item qui per vim vel infirmitatem factus est eunuchus. Denique hic subjicit *Laymann* regulam communem, quod, si adsit talis defectus corporis, qui neque notabilem deformitatem contineat, neque scandalum in celebratione creare possit, neque usum aut exercitium celebrationis impediat, non inducatur irregularitas.

1462. *Q.* An vitia corporis occulta inducant irregularitatem. R. cum *Bonac.* l. c. num. 19. et seq. Carentia vel privatio alicujus membri occulti, quae contingit absque propria culpa, non inducit irregularitatem, modo illa privatio non sit conjuncta cum notabili deformitate: e contra si propria culpa contingat, inducit irregularitatem, etsi non impediat usum ordinis; hinc irregularis est, qui membrum occultum sibi amputavit, quamvis vitium sit occultum, juxta cap. *Maritum*. 2. dist. 33.; item hermaphroditus licet occultus, ut probat *Bonac.* t. 1. d. 7. q. 2. punct. 2. num. 12. et seq.

1463. Juxta eumdem l. c. n. 36. ad summum Pontificem pertinet dispensare in irregularitate proveniente ex defectu corporis, nisi forte conjuncta sit cum impedimento juris naturalis. In dubio autem, an defectus corporis sit sufficiens, Episcopi est judicare, utrum defectus inducat irregularitatem, ut colligitur ex c. 2. de corpore vitiat.

1464. III. Ex defectu natalium irregulares sunt omnes illegitimi, eoquod ratione originis reputentur viles. *Illegitimus* autem dicitur, qui non est natus ex vero, vel saltem invincibiliter putatitie vero matrimonio. Si sit ex parentibus, inter quos nec tempore conceptionis, nec tempore nativitatis, nec intermedio legitimum potuit esse matrimonium, dicitur *spurius*, natus ex damnato coitu, quales sunt nati ex adulterio, incestu, concubitu sacrilego: si vero sit ex parentibus, inter quos praedictis temporibus potuit esse legitimum matrimonium, *naturalis* appellatur. Hi omnes sunt illegitimi, et arcentur ab ordinibus et beneficiis.

1465. Dixi supra, *vel saltem putatitie vero matrimonio:* quia pro legitimo habetur, qui natus ex matrimonio in facie quidem Ecclesiae bona fide saltem unius contrahentium celebrato, sed revera nullo ob aliquod impedimentum dirimens; c. *Ex tenore*, et c. *Cum inter*, qui filii sint legit. An expositi, quorum natales ignorantur, pro illegitimis sint habendi non conveniunt AA. Juxta Communiorem apud *Bonac.* l. c. punct. 3. n. 10., *Suarez*, *Covarr.* praesumendi sunt irregulares, quia communiter filii legitimi exponi non solent. Juxta alios sentientes cum *Barbosa* habendi sunt pro legitimis, tum quia etiam hi saepe exponuntur ob paupertatem parentum, vel aliis de causis, tum quia in dubio inclinandum est in favorem prolis. Praeterea illegitimi non sunt 1. qui nascuntur ex matrimonio solum illicito, v. g. ex conjugibus voto simplici castitatis obstrictis. 2. Nati ex parentibus Judaeis, vel aliis infidelibus, quia horum matrimonia in ratione contractus censentur valida. 3. In dubio, an quis sit illegitimus, habetur legitimus, quia in dubio delictum non praesumitur, et culpa parentum dubia non debet obesse proli cum detrimento certo. Hinc etsi sciatur, quod uxor ante matrimoninm ab aliis fuerit cognita, si tamen proles nascatur post septimum mensem, censetur legitima.

1466. Irregularitas ex defectu natalium quatuor modis potest tolli: 1. per solemnem Religionis professionem; c. 1. de filiis Presbyt. In hoc tamen casu tantum tollitur irregularitas quoad ordines, non vero quoad praelationes et dignitates, ad quas suscipiendas requiritur specialis dispensatio.

1467. 2. Filii nati ex soluto et soluta, si careant impedimento dirimente, legitimantur per subsequens matrimonium, juxta c. *Conquestus*, qui filii. Geniti autem ex adulterio, et nati constante matrimonio, non legitimantur per subsequens matrimonium. Hinc si adulter, mortua conjuge, ducat in matrimonium foeminam, ex qua prolem suscepit, proles manet illegitima; *praesertim*

si in mortem uxoris prioris alteruter eorum fuerit machinatus, ut definit *Alex. III.* in c. *Tanta*, qui filii. Ita quoque respondet *Bened. XIV.* in rescripto ad Archiepiscop. s. Dominici in Insula Hispaniola, tom. I. ejusdem Bullarii pag. 452. et incipit: *Redditae nobis*, ubi §. 6. declarat, quod sive praecesserit machinatio in mortem prioris uxoris, sive non, tamen illegitima maneat proles ex adulterio nata, et sensus vocis *praesertim* in cit. c. *Tanta* idem sonet ac *multo magis; ita ut* (ait idem Bened. XIV.) *vera Decretalis illius sententia sit, quod quum proles ex adulterio suscepta pro spuria perpetuo sit habenda, et ab haereditate repellenda, etiamsi legitimum postea ineatur inter parentes matrimonium; multo magis id procedet, ubi alteruter in prioris uxoris mortem fuerit machinatus.*

1468. 3. Haec irregularitas tollitur *per legitimationem* a summo Pontifice quoad effectus spirituales, sive quoad jus ad ordines, et beneficia ac dignitates; quoad effectus civiles vero, sive quoad jus ad haereditatem paternam pertinet ad Principem saecularem.

1469. 4. Per *dispensationem*. Cum illegitimis autem dispensare potest Papa pro omnibus ordinibus, et beneficiis, Episcopus vero 1. cum suis subditis ad ordines minores, et beneficia simplicia, c. *Is qui*, de filiis Presbyt. in 6., non tamen ad plura beneficia etiam tenuia ab uno eodemque possidenda. 2. Juxta probabilem *Avilae*, *Barbosae*, *Laym.*, *Franc. Schmier* et aliorum contra *Bonac.* et alios plurimos, si defectus natalium sit occultus, Episcopus potest dispensare super tali irregularitate etiam in ordine ad majores ordines, et beneficia curata, ex regula *Trid.* sess. 24. c. 6. de reform. *Liceat Episcopis in omnibus irregularitatibus, et suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quae oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare.* Ideoque cum haec irregularitas oriatur ex delicto occulto, quamvis non proprio, parentum tamen, legitime videtur extendi dispositio Tridentini ad eam. Porro juxta *Bonac.* l. c. pun. 3. n. 14. legitimatio distinguitur a dispensatione, quia per legitimationem quis redditur habilis ad omnia, ac si revera esset legitimus, per dispensationem vero efficitur habilis ad aliquem vel aliquos actus juxta verba dispensationis.

1470. *Quaeres*, quid sit observandum, si petatur dispensatio super natalibus. R. Exprimi debet, an is, pro quo petitur, sit natus ex utroque parente soluto, vel alterutro conjugato, aut constituto in sacris ordinibus, alias dispensatio irrita est. Modus petendi est sequens: *Petitur dispensatio super natalibus ad ordines minores et majores tantum* (vel etiam *ad beneficia*) *pro NN.* (exprimatur nomen et cognomen) *dioecesis N. qui natus est ex simplici fornicatione, vel adulterio ex parte* etc.

1471. IV. Irregularitas contrahitur ex infamia, tum juris, tum facti (infamia est nota turpitudinis: infamis dicitur, qui ob vitium aliquod, aut turpitudinem male audit). *Infamia juris* oritur vel ex delicto proprio, vel parentum, vel vili conditione personae dispositione juris vel civilis, vel canonici, item ex sententia judicis aliquem ad poenam infamantem damnantis, v. g. ad triremes, flagella, cauterium etc. Plura peccata sunt, quae ipso jure inducunt infamiam. Sic 1. ex Conc. *Trid.* infames sunt duello decertantes, eorumque patrini. 2. Mulierum raptores, et ad id consilium, auxilium, vel favorem praebentes. 3. Gladiatores, usurarii publici, sicut et committentes crimen lenocinii, h. e. qui scortorum prostitutione quaestum faciunt. Juxta l. *patam* 43. ff. L. 23. tit. 2. de ritu nupt. ubi §. 5. dicitur: *Lenocinium facere non minus est, quam corpore quaestum facere.* Ibid. ab initio: *palam quaestum facere dicemus non tantum eam, quae in lupanario se prostituit, verum etiam, si qua, ut adsolet, in taberna cauponia, vel qua alia pudori suo non parcit.* De infamibus vide can. *Infames.* 2. III. q. 7. can. 17. VI. q. 1. Denique juxta regulam juris penult. in 6. *Infamibus portae non pateant dignitatum. Infamia facti* oritur ex delicto gravi et notorio, propter quod reus apud

graves et honestos viros male audit. Dixi *notorio*; ex delicto enim occulto probabilius non oritur infamia, si excipias homicidium, et censurae violationem. Juxta *La Croix* L. 7. n. 513. ad inducendam hanc irregularitatem non sufficit infamia popularis etiam publica, sed requiritur regularis et canonica, scil. vel ex jure vel ex sententia judicis orta, ita ut non per vitae emendationem, sed per solam Ecclesiae dispensationem tollatur.

1472. V. Irregulares *ex defectu aetatis* censentur illi, qui sine legitima dispensatione suscipiunt ordines, quin habeant legitimam aetatem requisitam a *Trid.* sess. 23. c. 12. de reform. Haec irregularitas tamdiu durat, quamdiu durat defectus aetatis, ut arg. ex c. ult. de temp. ordin. Cessat autem absque alia dispensatione completa requisita aetate. Ex Constit. *Pii II.: Cum ex sacrorum*, qui sacrum ordinem ante legitimam aetatem praesumunt accipere, ipso facto suspenduntur, et si illum exerceant, novo titulo (ut ait *Bonac.* l. c. pun. 4. n. 1.) fiunt irregulares, neque etiam possunt aetate superveniente illum exercere ante obtentam dispensationem a praedicta suspensione. De modo et causis dispensationem impetrandi super aetate infra §. ult.

1473. VI. Irregulares juxta *Tournely* in praelect. theol. de Sacram. Ordinis A. 6. etiam sunt, qui perpetuo obligati detinentur in curia Principum saecularium tamquam Judices, Advocati; possunt tamen ordinari deposito officio.

1474. VII. Irregularitas ex defectu sacramenti, sive significationis matrimonii oritur ex *bigamia*, non quod secundae nuptiae veri sacramenti rationem non habeant, sed perfecte non significent unionem Christi cum Ecclesia, quae est unius cum una. Hinc Apost. 1. ad Timoth. 3. ait. *Oportet Episcopum unius uxoris virum esse.* Triplex hic distinguitur bigamia ad contrahendam irregularitatem: 1. *Vera*; quando plures successive uxores legitime ducuntur. Hos bigamos Ecclesia ab ordinatione semper removit, c. *Nuper a nobis*, de bigamis non ordin. Ad hanc irregularitatem incurrendam necessaria est consummatio matrimonii, unde non sufficiunt ad hanc bigamiam sponsalia de futuro cum pluribus, etiam secuta copula; nec sufficit fornicatio, adulterium, aut matrimonium ratum cum pluribus, sed requiritur matrimonium verum, vel praesumptum cum duabus, et consummatum; c. *debitum*, c. *quia*, de bigam. non ordin. 2. *Bigamia interpretativa* est, qua quis ex juris interpretatione tanquam bigamus habetur. Sic bigamus et irregularis censetur, qui viduam non virginem duxit, et cognovit, ex *Innoc. I.* epist. 2.; ex *S. Leone* epist. 87. Item qui propriam uxorem cognoscit post adulterium ab ipsa patratum, quia ipsa jam divisit carnem in plures. Can. 8. Concil. Neo-caesar. Item qui ducit uxorem prius ab alio corruptam, etiam per fornicationem, et cognoscit, non tamen si ipse eam ante corrupit, quia tunc non est divisio carnis in plures. Denique qui plures quidem uxores, sed non veras habuit propter impedimentum dirimens; c. *nuper* de bigam. non ordin. 3. *Bigamia similitudinaria* dicitur, qua quis post votum solemne castitatis in approbata religione emissum, vel post sacrum ordinem susceptum, contrahit et consummat matrimonium etiam cum virgine; c. *quotquot* XXVII. q. 1., quia talis merito censetur duo matrimonia contraxisse, unum spirituale cum Christo, alterum carnale cum muliere.

1475. *Adverte.* Irregularitas bigamiae tolli potest per dispensationem summi Pontificis, saltem quod attinet ad susceptionem et usum ordinum, quia haec est de jure humano, ut probat *Bonac.* l. c. pun. 5. n. 14. Episcopis tamen conceditur potestas dispensandi in bigamia similitudinaria cum eo, qui contraxit cum virgine; c. *Sane* 4. de Cleric. conjug. Item c. *de Diacono* 1. qui Clerici.

1476. VIII. Irregularitatem ex *defectu lenitatis* contrahit is, qui *voluntarie, active, efficaciter*, et *proxime*, licet juste, concurrit ad necem vel mutilationem alicujus c. *si quis viduam* 8. dist. 50. Sic *primo* in judicio justo vel causa sanguinis irregulares sunt, et *proxime* cooperantur accusator, qui petit vindictam, advocatus vel procurator, qui accusatorem juvat, testes, notarius scribens sententiam mortis, vel mutilationis, judex, qui pronuntiat sententiam, carnifex, qui eam exequitur, et ii omnes, qui ipsi operam praestant. c. *Cleri-*

cis, c. *Sententiam*, ne Clerici, vel Monachi, c. *Episcopus*, eod. tit. in 6. E contra non sunt irregulares, qui gladios vel laqueos faciunt, legislator leges capitales condens, Concionator in genere dicens, puniendos esse malefactores, Confessarius interrogatus de reo, an mortem mereatur, si respondeat, judicem sine acceptione personarum fungi debere suo officio; quia hi omnes non concurrunt proxime, sed tantum remote. Tum autem hi proxime concurrerent, et fierent irregulares, si quid facerent, aut dicerent in particulari, ex quo mors alicujus sequeretur, aut acceleraretur, v. g. si quis efficaciter urgeret reum ut scalam ascenderet, vel ad hoc illum juvaret.

Hic ad tollendos scrupulos juvat notare sequentes sententias. 2. Est *Vasquesii*, *Turriani*, *Hurtadi* et aliorum: quod ex homicidio nemo fiat irregularis, nisi concurrat *ut publicus minister* justitiae, sive ad causae probationem, sive ad exectionem, vel *ut privatus* injuste et cum peccato. 1. Est *Aviłac*, *Henriq.*, *et Laym.* quod subinde etiam proxime concurrentes excusari possint ab irregularitate, v. g. si fiat ex indeliberatione, v. g. si dicat confessarius ad reum, *properemus*: vel si cooperatio sit valde exigua, v. g. si quis furem hortetur ut scalam ad patibulum ascendat, vel si quis carnificem moneat, ut aliquid melius aptet, quo citius extinguatur reus, qui suggerit viam breviorem ad locum supplicii, qui carnifici putanti suspensum esse mortuum, significat, eum adhuc vivere, ex quo novam carnificinam exercet etc.

1477. De pugnantibus in bello notandum 1. Si bellum sit evidenter injustum, omnes in eo militantes irregulares sunt, etiam qui propriis manibus neminem interfecerunt, si vel unus fuerit occisus, can. 4. dist. 51. ex Conc. Tolet. I.... 2. irregulares sunt, qui in bello etiam justo propria manu occidunt, vel mutilant; c. *petitio*, de homic. volunt. Secus, si nullum occiderint.

1478. Medici et chirurgi non contrahunt irregularitatem, qui secuti artis suae regulas, consuluerunt, vel executi sunt mutilationem; quia hic non est defectus lenitatis, si pars una ad conservationem totius praescindatur. Secus, si intercederet gravis negligentia, et incuria eorum.

1479. Non fit irregularis ex defectu lenitatis, qui coactus vim vi repellens cum moderamine inculpatae tutelae aggressorem iniquum interficit, aut mutilat; quia in jure tali actui non est statuta irregularitas. Pariter ea nec statuta legitur soli vulnerationi.

1480. IX. Irregulares ex *defectu libertatis sunt*. 1. *Omnes servi* proprie dicti, donec consequantur plenam libertatem. Constat ex tit. *de servis non ordinandis*. 2. *Conjugati*, nisi uxores consentiant et castitatem voveant. 3. *Curiales*, h. e. curiae saeculari facto juramento obligati, ut n. 1473. dictum est, scil. nisi vel dispensatio intercedat, vel consuetudo, sciente Papa, id permittat. 4. *Milites*, quamdiu juramento tenentur. *Lictores apparitores*, et similes.

§. III. *De irregularitate ex delicto.*

1481. *Principium generale.* Irregularitas *ex delicto oritur* I. ex *iteratione baptismi* serio et scienter, ita ut fiat irregularis tam rebaptizans, quam rebaptizatus, cum hoc discrimine, quod Clericus rebaptizans tantum impediatur a suscipiendo ordine altiore. Arg. ex c. *ex litterarum*, de apostatis; c. *qui in qualibet*. 1. q. 7. Non tamen incurritur irregularitas, si rebaptizatio, fiat sub conditione: *si non es baptizatus* etc., quia tunc non est rebaptizatio vera cum effectu; nam reiteratio est sine effectu, si baptismus antea valide fuit collatus. *Reiffenst.* L. 5. Decret. tit. 37. n. 69., *Pontas V.* Baptismus contra catechism. Conc. Trid.

1482. II. Haec irregularitas oritur ex *violatione censurae*, v. g. si quis censura (excepta excommunicatione minore) innodatus actum aliquem ordinis solemniter exerceat. Ita in toto tit. de Clerico excommunicato ministrante etc. *Is, cui*, 20. de sent. excomm. in 6. Notandum hic ex l. 7. de Synod. Dioec.

c. 67. ubi *Bened. XIV.* n. 7. ait: *A jure irregularitate quidem afficiuntur, qui contempta, qua ligantur censura, in suscepto ordine ministrant; nunquam vero irregulares pronuntiantur, qui cum ejusdem censurae vinculo ad superiorem ordinem ascendere praesumunt.*

1483. III. Ob peccatum, quo Clericus exercet *solemniter* ac *scienter actum ordinis sacri*, quem non habet. c. *ex litteris.* 2. de Clerico non ordinato ministrante. Dixi, *solemniter*; quia si ministret sine solemnitatibus requisitis ad hoc, ut quis dicatur ministrare ex officio, v. g. si quis cantet epistolam sine manipulo, vel Evangelium sine stola, non dicitur proprie ministrare in ordine, ideoque nec fit irregularis. *Tourn.* l. c. Dixi etiam, *actus ordinis sacri*; quia etiam laici in ordinibus minoribus adhibitis vestibus ecclesiasticis, ministrare solent, quin tamen fiant irregulares.

1484. IV. Ob delictum, quo quis *illicite suscepit ordines*, v. g. *in excommunicatione majore*, aut *ab Episcopo non habente jurisdictionem*, *vel ante legitimam aetatem*, *vel sine dimissoriis*, *vel furtive*, et non examinatus, Episcopo scil. nesciente et non approbante. c. 1. 2. et 3. de eo qui furtive.

1485. V. *Propter enormia crimina*, *si sint notoria et publica*, v. gr. quae a jure annexam habent infamiam (ut supra dictum est); cujusmodi sunt adulterium, raptus, incestus, perjurium in judicio. Huc revocant aliqui histriones, qui valde turpia publice cum scandalo proponunt, ludunt etc.

1486. VI. Ob *mutilationem*, vel *homicidium*, vel directe, vel indirecte voluntarium. Per mutilationem hic intelligitur, quando a corpore separatur membrum aliquod principale, h. e. pars corporis, quae officium per se distinctum habet, ut manus, pes, oculus etc. Hinc non censentur mutilare aliquem qui alteri excutit dentem, digitum, aut auriculam, et ut ait *Busembaum*, nasum praescindit, quia haec non sunt proprie membra. Nec fit irregularis, qui excaecat alterum, non excutiendo oculum, nec qui debile tantum reddit aliquod membrum, quia haec non est mutilatio. Quod homicidium voluntarium inducat irregularitatem, patet ex toto tit. de homicid. item ex c. 4. 5. 6. 8. etc. dist. 50. *Voluntarium*, inquam, tum directe tale, quod directe intenditur vel in se, tum indirecte tale, quod intenditur in sua causa, quae cum effectu ita connexa est, ut quis eum praesumatur velle, ex ipso, quod velit causam, ex qua praevidit, vel praevidere debuit, mortem esse secuturam.

1487. Ex homicidio mere casuali ab eo perpetrato, qui operam dedit rei licitae, et omnem adhibuit diligentiam ad evitandum homicidium, nullam incurri irregularitatem in jure receptum est, uti colligitur ex c. *lator* 9. c. *dilectus.* 13. c. *ex litteris.* 14. et seq. de homicidio. Atque ex eo dependet resolutio notae quaestionis, an irregularitatem incurrat Clericus hominem forte interficiens in venatione: ad quam sub distinctione respondent AA.: Si homicidium commiserit in venatione *clamorosa*, quae certo prohibita est Clericis, incurrit irregularitatem, quia vacando rei illicitae delictum commisit: secus si id commiserit in venatione *quieta*, de qua cum nondum certo definitum sit, quod sit Clericis prohibita, probabile est, quod vacaverit rei licitae, si tamen simul adhibuerit omnem diligentiam ad evitandum homicidium. *Confirm.* ex L. 7. de Synod. Dioeces. c. 61. ubi *Bened. XIV.* n. 8. ad hanc resolutionem addit: *Nihilominus Sacra Congregatio Concilii saepius irregularem declaravit Clericum, qui, cum vacaret venationi non clamorosae, sed quietae hominem fortuito interfecerat, quod utique argumento est, eam existimasse, omnem venationem etiam non clamorosam, esse Clericis prohibitam. Verum cum S. Congregatio ita declaraverit, eo quod non satis compertum habuerit, a Clericis, de quibus agebatur, omnem adhibitam fuisse diligentiam ad evitandum homicidium, quod profecto necesse est, ne ex illo, quamquam ex licito opere, absque dolo subsequuto inducatur irregularitas, quod cum communi docent Covarr. . . Ugolinus . . . Avila . . . idcirco controversia remanet adhuc indecisa.*

Irregularitatem incurrentes

» Infirmus, demens, vitiatus, foemina, servus,
» Infamis, novus, ignorans, baptismate peccans,
» Ordineve, occidens, mutilans, bigamusque, nothusque,
» Haerese constrictus, pauper, puer, exulataris.

1488. Juvat hic subnectere doctrinam de absolutione ab haeresi notatu dignissimam ejusdem *Bened. XIV.* quam L. 7. de Syn. Dioeces. c. 32. tradit, ac *primo* quidem n. 3. ita docet *In praecipuas Pastoralis muneris curas est solerter invigilare, ne ullus contra orthodoxam doctrinam error in suam dioecesin irrepat.* Juxta Apost. 1. ad Tim. 3. et ad Titum 1. 2. ibid. docet: *Jam vero tam Inquisitor, quam Episcopus potest resipiscentem haereticum, aut sponte coram se comparentem, aut ad suum forum quoquomodo deductum Ecclesiae reconciliare, et pro utroque foro absolvere a censura, in quam propter haeresin incidit ... Quinimo uterque potest poenitentem haereticum, postquam suos ejuravit errores, ad simplicem confessarium remittere, ut ab eo absolvatur, eamque absolutionem, licet a confessario datam in foro sacramentali, prodesse etiam pro foro externo, a cujus jurisdictione promanat, recte observat Del Bene* ... Num. 4. ita pergit: *Haec certa sunt; communiter quoque Doctores non tantum Episcopo, verum etiam cuilibet simplici confessario facultatem concedunt absolvendi ab haeresi pure interna et mentali, nullo exteriori signo manifestata: absolutio quippe ab haeresi est summo Pontifici reservata solum ratione censuae eidem haeresi annexae. Ecclesia autem sicuti non potest per se directe et immediate praecipere, aut prohibere actum mere internum, juxta communem TT. sententiam; ... ita non potest haeresim, quae in actum exteriorem non prodit, censura perstringere. Censuram pariter evaderet, possetque pro foro conscientiae ab Episcopo, aliove simplici confessario absolvi, qui exterius verbo vel facto aliquem negaret fidei articulum, retento tamen interiori assensu circa illum; nam iste etsi graviter contra fidem peccaret, non esset tamen formaliter haereticus, ac propterea non irretiretur censuris in haereticos inflictis* ... Denique n. 5. ait: *Sed difficultas unice circa eum versatur, qui interius fidei articulo dissentitur, suumque dissensum aliquo exteriori signo pandit, quin tamen idcirco fuerit ad forum judiciale deductus; de hoc quippe quem haereticum esse, censurisque in haereticos latis innodatum nemo dubitat, controvertitur, an quamdiu ejus delictum occultum est, possit ab Episcopo pro foro conscientiae absolvi. Difficultatem faciunt Trid. et Constitutio Apostolica, quae singulis annis in die Coenae Domini promulgatur* ... ibid. n. 6. nam *specialis est ratio dubitandi, num per eandem Bullam Coenae sit ablata etiam Episcopis,* sicut Regularibus, *potestas absolvendi ab haeresi occulta, iisdem attributa a Conc. Trid.* Postea per totum, imo etiam sequenti Capite erudite ostendit, eam facultatem esse Episcopis ademptam.

§. IV. *Quaestiones finales pro praxi.*

1489. *Q.* I. Quid sit observandum pro dispensatione in irregularitate ex defectu, vel ex delicto Romae petenda. R. Si delictum, v. g. homicidium, sit occultum, nec ad forum contentiosum deductum, a Poenitentiaria dispensatio petitur hoc modo: *Petitur dispensatio super irregularitate a Petro dioecesis N. contracta ex homicidio voluntario, quod sic accidit:* narratur species facti, et additur, quod sit casus occultus. Si vero delictum sit notorium, aut irregularitas proveniat ex defectu corporis, dispensat Dataria.

1490. *Q.* II. Quid observandum sit pro dispensatione super aetate ad ordines requisita. R. Haec datur ex sequentibus motivis. 1. Ob penuriam Sacerdo-

tum. 2. Ob utilitatem egregiam Ecclesiae, quae exspectatur a dispensando. 3. Ob solatium parentum senio confectorum, vel aegrotorum. 4. Ob arctationem beneficii actualis. 5. Ob doctoratum Theologiae, vel sacrorum Canonum. Ordinarie non dispensatur nisi pro 13 mensibus. Modus petendi hic est: *Petitur dispensatio in aetate 13 mensium pro N. dioecesis N. in solatium parentis senio confecti* etc.

1491. *Q.* III. Quae sit formula petendi dispensationem ad ordines extra tempora, vel sine interstitiis suscipiendos. R. Modus petendi est sequens: *Petitur dispensatio in interstitiis* (vel extra tempora) *pro NN. Clerico* (vel Scholari) *dioecesis N. in solatium parentis senio confecti*, vel quia jam est annorum 27 etc.

1492. Notandum, quod in interstitiis ob causam etiam possint dispensare Episcopi Germaniae: item in aetate unius anni pro ordinibus ex facultate speciali. In aetate tamen ad beneficium curatum obtinendum Episcopi nec pro brevi tempore dispensant.

1493. Denique pro dispensationibus nulla quidem solvitur taxa Poenitentiariae, aut Datariae, sed Agentiae secundum mensuram laboris, et quidem pro dispens. super irregul. ex delicto, vel defectu Agentiae in Poenitent. solvuntur 50 bajoci, sive florenus Rhenanus. Agentiae in Dataria 12 scuta. Pro dispens. super aetate 12 scuta. Porro duo scuta circiter aequivalent tribus imperialibus nostrae monetae: decem Julii seu Pauli Romae faciunt unum scutum; decem bajoci unum Julium: quinque Quatrini unum Bajocum.

CENSURARUM

IN JURE CONTENTARUM COLLECTIO

Ordine alphabetico disposita

Prooemium.

» Exhibetur hic pro necessaria censurarum notitia distinctus omnium » excommunicationum, suspensionum, et interdictorum catalogus, prout » cum reservatione, vel sine reservatione continetur in Jure. Ubi notandum » est quod sequitur, scilicet:

» Quoad excommunicationes Papae reservatas, si hae continentur in Bulla » Coenae, nemo extra mortis articulum potest ab iis absolvere, etiamsi habeat » facultatem generalem absolvendi ab omnibus censuris Papae reservatis, nisi » specialiter exprimantur in concessione; in qua tamen semper censetur ex- » cepta haeresis, quoties de hac etiam non fit mentio expressa, sicuti etiam » censentur excepti sex casus, qui specialiter sunt Papae reservati intra Ita- » liam, scilicet violatio clausurae Monialium ad malum finem, percussio Cle- » rici vel Monachi, simonia realis scienter contracta, confidentia beneficialis, » duellum, et violatio Immunitatis Ecclesiasticae circa confugientes ad Ec- » clesias.

» Quoad suspensiones, si hae latae sunt ad tempus, antequam per se ipsas » cessent, interim censentur Papae reservatae, ut cum pluribus docet *Bonac.* » de suspensionibus in particulari disp. 3. q. 2. punct. 1. n. 7. et q. 3. p. 3. n. 7. » Quamvis autem simplex confessarius possit absolvere ab excommunicatio- » nibus non reservatis, cum absolutio excommunicationum necessario prae- » mittenda sit absolutioni peccatorum, non potest tamen absolvere a suspen- » sionibus quamvis non reservatis, ut docet *Bonac.* loc. cit. q. 3. punct. 3. n. 8. » sed absolutio impendenda est ab Episcopo, ut docet idem *Bonac.* l. cit. q. 1. » punct. 1. n. 11., punct. 2. n. 12. p. 3. n. 6, punct. 8. n. 30., et punct. 11. n. 28.

» Quoad interdicta non reservata dicendum est pariter, quod absolutio » impendenda est ab Episcopo, dummodo non sint particularia personalia, in » quo tantum casu potest ab iis absolvere simplex confessarius, ut docet idem » *Bonac.* de interdicto, disput. 5. punct. ultimo n. 6.

EXCOMMUNICATIONES

Latae sententiae, ac Papae reservatae, quibus subjiciuntur

A

» Absolventes a casibus reservatis absque facultate. Decr. Sacr. Congreg. » Episcop. et Regul. confirmat. a Clemente VIII.
» Absolventes a culpa, et poena per indulgentiam, si sunt Regulares. » Clem. 1. *Religiosi*, de privileg.
» Absolventes praetextu gratiarum Sixti IV. a casibus Bullae Coenae. Ex» travag. *Si Dominici gregis*, de poenit. et remiss.
» Absolventes sacramentaliter excommunicatum a Papa. Cap. *Significavit*, » de sentent. excomm.
» Absolvendi facultatem publicantes ad faciendum quaestum. Bulla 99. Pii » V. quae incipit: *Quam plenum.*
» Absoluti in articulo mortis a censura Papae reservata se non praesen» tantes. Cap. *Eos qui*, de sent. excomm. in 6.
» Absolutionem datam ab absente validam esse docentes. Bulla 87. Cle» mentis VII. quae incipit: *Sanctissimus.*
» Accessum ad Romanam Curiam pro impetrandis Apostolicis litteris pro» hibentes. *Bulla Coenae*, §. 13.
» Agentium in causis recursus ad Romanam Curiam offensores. *Bulla* » *Coenae*, §. 12.
» Alienantes bona Ecclesiae, et alienari consulentes. Bulla 35. Pii V. quae » incipit: *Admonet nos.*
» Ambitum ad Papatum denunciare omittentes. Bulla 16. Pauli IV. quae » incipit: *Cum secundum Apostolum.*
» Ambitus, et tractatus pactionales super electione Papae eo vivente fa» cientes. Bulla 16. Pauli IV. quae incipit: *Cum secundum.*
» Ambitus, et tractatus pactionales super electione Papae sede vacante » facientes. Bulla 13. Gregorii XV. quae incipit: *Æterni Patris.*
» Annonam hostibus Christianorum deferentes. *Bulla Coenae.*, §. 7.
» Annonam ad Romanam Curiam deferri prohibentes, vel impedientes. » *Bulla Coenae*, §. 8.
» Annonam a statu ecclesiastico mercimonii causa extrahentes. Bulla 28. » Urbani VIII. quae incipit: *Superni*, §. 5.
» Apostatae a fide. *Bulla Coenae*, §. 1.
» Apostatas a Religione recipientes. Bulla 14. Pauli IV. quae incipit: *Post*» *quam.*
» Apostolicae Sedis Legatos, vel Nuncios offendentes. *Bulla Coenae* §. 11.
» Apostolicam ad Sedem venientium, ex ea recedentium, aut in ea com» morantium offensores. *Bulla Coenae*, §. 9.
» Apostolicas litteras falsificantes, ac publicantes. *Bulla Coenae*, §. 6.
» Apostolicarum litterarum impetrationem, executionem, vel usum pro» hibentes, eorumque fautores. *Bulla Coenae*, §. 13.
» Appellantes a Papa ad futurum Concilium, eorumque fautores. *Bulla* » *Coenae*, §. 2.
» Appellantes, vel aliter recurrentes ad laicam potestatem a litteris Papae, » vel ipsius officialium. *Bulla Coenae*, §. 13.
» Appellantes, vel aliter recurrentes ad laicam potestatem a decretis Ju» dicis Ecclesiastici. *Bulla Coenae*, §. 16.
» Archiepiscoporum offensores. *Bulla Coenae*, §. 11.
» Arma deferentes ad hostes Reipublicae Christianae. *Bulla Coenae* §. 7.
» Astrologi divinantes super vita, ac morte Papae, sive super statu Sedis Apo-

» stolicae, vel Reipublicae Christianae. Bulla 113. Urbani VIII. quae » incipit: *Inscrutabilis.*

» Avocantes causas spirituales vel spiritualibus adnexas a Judicibus Ec- » clesiasticis, ac fautores. *Bulla Coenae*, §. 14.

» Auxiliis de divinis tractatus edentes, legentes, imprimentes, vel reti- » nentes. *Decret. Congreg. S. Offic.* anno 1625. die 22. Maji, et anno » 1641. die 1. Augusti.

B

» Beneficium in ecclesiasticum se intrudentes. *Conc. Trid.* sess. 22. cap. » 11. de reform.

» Beneficia, et pensiones recipientes in confidentiam (nisi sint Cardina- » les, et Episcopi, cum hi incurrant interdictum ab ingressu Ecclesiae). » Bulla 85. Pii V. quae incipit: *Romanum Pontificem.*

» Beneficiorum simoniaci, ac complices. Bulla 85. Pii V. quae incipit, » *Intolerabilis.*

» Beneficiorum obtentores pro aliis se supponentes. Bulla 12. Pauli IV. » quae incipit: *Inter caeteras.*

» Beneficiorum fructus, vel jura usurpantes, aut sequestrantes. *Bulla* » *Coenae* §. 17.

» Beneficiorum redditibus onera imponentes, exigentes, vel recipientes. » *Bulla Coenae*, §. 18.

» Beneficiorum vacantium fructus non applicantes juxta Extravag. Joan. » XXII. *Suscepti regiminis*, donec restituant.

» Beneficiorum collatores violantes suspensionem ob collationem non fa- » ctam juxta formam praescriptam in Bulla 58. Pii V. quae incipit: *Quanta.*

» Beneficiales causas a Judicibus Ecclesiasticis avocantes. *Bulla Coenae*, §. 14.

» Beneficiatis (a) pro collatione, seu possessione aliquid petentes, vel » exigentes. Bulla 104. Pii V. quae incipit: *Durum nimis.*

» Beneficiatis (a) juramenta illicita exigentes. Bulla 93. Greg. XIII. quae » incipit: *Inter Apostolicas.*

» Bona Ecclesiae ob delictum Clericorum confiscantes, nisi restituant. Cle- » ment. *Nolentes*, de haeret.

» Bona ecclesiastica usurpantes, vel usurpata recipientes. *Conc. Trid.* sess. » 22. cap. 11. de reform.

» Breviaria contra praescriptum Concil. Trident. imprimentes. Const. Cle- » ment. VIII. in Breviario.

C

» Camerae Apostolicae Ministri computa non describentes. Bulla 40. Pauli » III. quae incipit: *Cum sicut accepimus.*

» Camerae Apostolicae scripturas detinentes, vel non revelantes. Bulla 56. » Sixti V. quae incipit: *Non sine maxima.*

» Cardinales eligentes Papam simoniace. Bulla 3. Julii II. quae incipit: » *Cum tam divino.*

» Cardinales non eligentes juxta formam praescriptam in Bulla 13. Greg. » XV. quae incipit: *Æterni Patris.*

» Cardinales revelantes secreta Consistorii. Bulla 7. Leonis X. quae inci- » pit: *Supernae* §. 30.

» Cardinalium offensores, vel persecutores. *Bulla Coenae*, §. 11.

» Cardinalium offensores denuntiare omittentes. Bulla 93. Pii V. quae in- » cipit: *Infelicis saeculi.*

» Cardinalium in Conclavi existentium bona invadentes. Bulla 16. Leo- » nis X. quae incipit: *Temerariorum*, §. 3.

» Cardinalium de promotione paciscentes. Bulla 4. Greg. XIV. quae in- » cipit: *Cogit nos.*

» Causas spirituales, vel spiritualibus adnexas a Judicibus Ecclesiasticis » avocantes, earumque fautores. *Bulla Coenae*, §. 14.

» Causis criminalibus Ecclesiasticorum Laici se interponentes. *Bulla Coe-*
» *nae* §. 19.
» Causas civiles Ecclesiasticorum ad tribunal laicale trahentes, *Bulla*
» *Coenae* §. 15.
» Censuras violari temporales domini facientes. Clement. *Gravis*, de sent.
» excomm.
» Censuram suspensionis a potestate providendi de beneficiis violantes.
» Bulla 58. Pii V. quae incipit: *Quanta.*
» Censurarum latores offendentes Cap. *Quicumque*, de sent. excom. in 6.
» Christianorum hostibus auxilium praestantes *Bulla Coenae*, §. 7.
» Christianos apud Turcas capientes, vel captis libertatem non redden-
» tes. Bulla 149. Pii V. quae incipit: *Licet omnibus.*
» Clausuram Moniales egredientes, earumque fautores. Bulla 8. Pii V. quae
» incipit: *Cum pastoralis*; et declaratio, quae incipit: *Decori.*
» Clausuram Monialium violantes. Bulla 74. Pauli V. quae incipit. *Monialium.*
» Clerici communicantes in divinis cum excommunicato a Papa. Cap. *Si-*
» *gnificavit*, de sent. excomm.
» Clerici facientes juvare, vel vovere pro sepultura in suis Ecclesiis Cle-
» ment. *Cupientes*, §. *Sane*, de poenis.
» Clericorum percussores. Can. *Si quis suadente.* 17. q. 4.
» Conceptionem immaculatam B. Mariae V. impugnantes Extrav. *Nimis*,
» de reliquiis, et venerat. Sanctor.
» Conclavistis mittentes, vel ex eis recipientes litteras super electione Pa-
» pae. Bulla 63. Pii IV. quae incipit: *In eligendis.*
» Conclavistarum bona diripientes. *Concil. Constantiense* sess. 41. de de-
» cret. de non spoliand. eligend. in Pontific.
» Confessarium absentem posse absolvere docentes. Bulla 87. Clemen. VIII.
» quae incipit: *Sanctissimus.*
» Confiscans bona Ecclesiae ob delictum Clericorum, nisi restituat. Cle-
» ment. *Nolentes*, de haeret.
» Confidentia beneficiali dantes vel recipientes pensiones, vel beneficia,
» nisi sint Cardinales, et Episcopi, cum hi incurrant interdictum ab
» ingressu Ecclesiae. Bulla 85. Pii IV. quae incipit: *Romanum Ponti-*
» *ficem*; et Bulla 58. Pii V. quae incipit: *Quanta Ecclesiae.*
» Conspirationem in Cardinalem non relevantes. Bulla 93. Pii V. quae
» incipit: *Infelicis saeculi.*
» Consuetudines contra libertatem ecclesiasticam servantes, vel servari fa-
» cientes. Cap. *Noverit*, de sent. excom. et *Bul. Coen.* §. 15.
» Conventum Religiosorum mulieres ingredientes. Bulla 20. Pii V. quae
» incipit: *Regularium.*
» Curia in Romana jurisdictionem sibi usurpantes contra manentes in ea
» *Bul. Coen.* §. 9.
» Curia in Romana promittentes, dantes, vel recipientes aliquid pro gra-
» tia, vel justitia. Bulla 19. Alexandri VII. quae incipit: *Inter gravissimas.*
» Curiam ad Romanam accessum pro impetrandis Apostolicis litteris pro-
» hibentes. *Bul. Coen.* §. 13.

D

» Decimas Ecclesiastici usurpantes, aut impedientes. *Bul. Coen.* §. 17.
» Decimas Religiosi usurpantes, vel earum solutionem impedientes quando
» non habent officium, vel beneficium (tunc suspendatur) et ante satisfactio-
» nem condignam non possunt absolvi nisi a Papa. Clement. 1. de decimis.
» Decimarum causas a Judicibus Ecclesiasticis avocantes. *Bulla Coenae* §. 14.
» Defunctorum corpora immaniter tractantes. Estravag. *Detestandae*, de sepult.
» Denunciare omittentes ambitum ad Papatum. Bulla 16. Pauli IV. quae in-
» cipit: *Cum secundum Apostolum.*

» Denunciare ommittentes offensores, vel persecutores Cardinalium. Bulla » 93. Pii V. quae incipit: *Infelicis saeculi.*
» Denunciare omittentes offensores collitigantium, eorumque procuratorum » in Curia Romana. Bulla 11. Alexandri IV. quae incipit: *In eminenti.*
» Deposita Ecclesiarum, vel Ecclesiasticorum sequestrantes, vel occu- » pantes. *Conc. Trid.* sess. 23. cap. 11. de reform.
» Dispensantes praetextu facultatis Sixti IV. a votis castitatis, religionis, » peregrinationis Hierusalem, Compostellam, Romam. Extravag. *Etsi Do- » minici gregis*, 2. de poenit. et remiss.
» Dogmata, vel miracula, ac falsas revelationes praedicantes. Bulla 21. » Leonis X. quae incipit: *Supernae*, §. 5.
» Duellantes eorumque fautores Bulla 78. Gregorii XIII. quae incipit: *Ad » tollendum*, et Bulla 11. Clement. VIII. quae incipit: *Illius vices.*

E

» Ecclesiae bona ob delictum Clericorum confiscantes, si ni restituant. Cle- » ment. *Nolentes*, de haeret.
» Ecclesiae Romanae loca invadentes, eorumque fautores. *Bulla Coenae.* §. 20.
» Ecclesiae Romanae res alienantes, vel alienari consulentes. Bulla 35. Pii V. » quae incipit: *Admonet nos*; et Bulla 4. Urbani VIII. quae incipit. *Sa- » crosancti.*
» Ecclesias effringentes, vel spoliantes. Cap. *Conquest.* 22. de sentent. ex- » comm.
» Ecclesiarum, vel Ecclesiasticorum bona occupantes, vel sequestrantes. » *Bul. Coen.* §. 17. vel eorum usurpationem recipientes, vel eorum deposi- » ta occupantes, aut sequestrantes. *Conc. Trid.* sess. 22. cap. 11. de reform.
» Ecclesiasticae libertati statuta contraria facientes vel consuetudines, con- » tra ipsam reservantes, aut servari facientes. *Bul. Coen.* §. 15.
» Ecclesiasticos ad tribunal laicale trahentes. *Bul. Coen.* §. 15.
» Ecclesiasticorum causis criminalibus Laici se interponentes. *Bul. Coen.* §. 19.
» Ecclesiasticis usum jurisdictionis impedientes. *Bulla Coenae*, §. 16. vel eis » gabellas imponentes, exigentes, seu recipientes. *Bulla Coenae*, §. 18.
» Ecclesiastico in statu officiales munera accipientes exceptis esculentis et » poculentis, quae triduo servari non possunt. Bulla 15. Sixti IV. quae in- » cipit: *Etsi de cunctorum*, §. 3. et Bulla 3. Pauli II. quae incipit: *Munera.*
» Ecclesiastico in statu dantes, vel recipientes aliquid pro gratia, vel ju- » stitia. Bulla 10. Clement. VIII. quae incipit: *Pro commissa*, §. 22.
» Ecclesiastico e statu annonam mercimonii causa extrahentes. Bulla 28. » Urbani VIII. quae incipit: *Superni*, §. 5.
» Electioni in Papatum consentientes, si sit facta a minori numero, quam » duorum partium Cardinalium, et si sit facta a sola tertia parte etiam » acceptantes. Cap. *Licet*, de elect.
» Episcopum offendentes, *Bulla Coenae*, §. 11. vel eum bannientes, aut ca- » pientes, eorumque fautores, Clement. 1. *Si quis suadente* de poenis.
» Examinatores, qui aliquid recipiunt pro examine ad parochiam. *Concil. » Trid.* sess. 24. cap. 18. de reform.
» Excommunicatus, suspensus, vel interdictus non parens monitioni de exeun- » do ab Ecclesia dum Missa celebratur, vel ipsum exire prohibentes. » Clement. *Gravis*, de sent. excom.
» Excommunicatum a Papa sacramentaliter absolventes, vel ipsum ad di- » vina admittentes. Cap. *Significavit*, de sent. excom.
» Excommunicatus a delegato Papae non parens infra annum. Cap. *Quae- » renti*, de offic. delegati.
Excomunicato a Papa partecipantes in crimine criminoso. Cap. *Nuper*, » de sent. excomm.

F

» Falsificantes litteras apostolicas, vel eas publicantes. *Bulla Coenae* §. 6.
» Falsificantes monetas Regis Franciae. Extravag. *Prodiens*, de crimine falsi.
» Foeminae ingredientes Religiosorum Coenobia. Bulla 20. Pii V. quae » incipit: *Regularium.*

G

» Gabellas novas imponentes, et exigentes. *Bulla Coenae* §. 6.
» Gabellas Ecclesiasticis imponentes, cooperantes, exigentes, recipien- » tes. *Bulla Coenae* §. 18.
» Granatenses laminas, vel libros de eis tractantes. retinentes, imprimentes, » vulgantes, et allegantes. *Decret. Congreg. S. Offic.* anno 1639. die 5. Maii.
» Gubernatores status ecclesiastici recipientes munera exceptis esculentis, et » poculentis, quae triduo servari non possunt. Bulla 3. Pauli II. quae inci- » pit: *Munera*, et Bulla 15. Sixti IV. quae incipit: *Etsi de cunctorum*, §. 3.

H

» Hebraeorum Thalmuth, et alia impia scripta legentes. Bulla 20. Clem. » VIII. quae incipit: *Cum Hebraeorum.*
» Haeretici formales, et externi, eorumque fautores. *Bulla Coenae* §. 1.
» Haereticorum libros haeresim continentes, vel de Religione tractantes » legentes, retinentes, imprimentes, vel defendentes. *Bul. Coen.* §. 1.
» Haereticorum, vel fautorum corpora sepelientes in loco sacro, si ea » non exhumantur. Cap. *Quicumque*, de haeretic. in 6.

I

» Immunitatem Ecclesiarum, locorumque ea gaudentium violantes. Bul- » la 7. Gregorii XIV. quae incipit: *Cum alias.*
» Immunitatem Ecclesiasticorum per impositionem onerum, vel per usur- » pationes, et sequestra, aut per tractionem ad laicale tribunal vio- » lantes. *Bul. Coen.* §. 15. 17. et 18.
» Impedientes causarum spiritualium cursum in foro ecclesiastico, eorum- » que fautores. *Bul. Coen.* §. 14.
» Impedientes victualia Romanae Curiae. *Bul. Coen.* §. 8.
» Impedientes impetrationem, et executionem litterarum apostolicarum » vel tali impedimento cooperantes. *Bul. Coen.* §. 13.
» Imponentes gabellas Ecclesiasticis, et cooperantes. *Bul. Coen.* §. 18.
» Incendiarii excommunicati a quocumque quoad absolutionem. Cap. *Tua* » *nos*, de sent. excomm.
» Indulgentiam plenariam Religiosi concedentes. Clem. 1. de privileg.
» Indulgentias publicantes ob quaestum, si non sint Episcopi, vel Cardinales » (cum hi incurrant interdictum ab ingressu Ecclesiae, et suspensionem » a perceptione fructuum). Bulla 99. Pii V. quae incipit: *Quam plenum.*
» Infeudationem locorum Ecclesiae Romanae Papae persuadentes. Bulla » 55. Pii V. quae incipit: *Admonet nos.*
» Ingredientes monasteria mulierum ad malum finem, vel praetextu fa- » cultatis a Papa, aut ab aliis concessae, ac moniales admittentes. » Bulla §. 28. Gregorii XIII. quae incipit: *Ubi gratiae.*
» Inquisitores, eorumque substituti (si non sint Episcopi cum hi incur- » rant suspensionem) non procedentes adversus haereticos. Clement. » 1. §. *Veram.* de haeret.
» Inquisitionis processus, et secreta revelantes. Cap. *Statuta* §. *Et ut* » *eorumdem*, de haer. in 6.
» Inquisitionis praetextu pecuniam extorquentes. Clement. *Nolentes*, de haeret.
» Inquisitionis cursum Regularium superiores impedientes, vel retardan- tes, Bulla 26. Pauli V. quae incipit: *Romanus Pontifex*, §. 6.
» Interdictum violantes per evocationem populi ad divina, et in aliis cer- » tis casibus. Clement. *Gravis*, de sent. excom.

» Intrudentes se in beneficium ecclesiasticum. *Conc. Trid.* sess. 22. cap. » 11. de reform.
» Judicum in causis recursus ad Romanam Curiam offensores. *Bulla Coe-* » *nae.* §. 12.
» Juramenta illicita, et libertati ecclesiasticae contraria a Beneficiatis, vel Prae- » latis exigentes. Bulla 93. Gregorii XIII. quae incipit. *Inter Apostolicas.*
» Jurisdictionis ecclesiasticae usum impedientes, eorum fautores. *Bulla* » *Coen.* §. 16.
» Jurisdictionem non habentes, eamque sibi vindicantes contra manen- » tes in Curia Romana. *Bulla Coen.* §. 9.
» Jurisdictionem procurantes a Conservatoribus exced. Cap. *Hac constit.*, » de officio delegati in 6.

L

» Laici se interponentes in causis ecclesiasticis. *Bul. Coen.* §. 14.
» Laicam ad potestatem a litteris Papae, ejusque officialium recurren- » tes. *Bulla Coenae*, §. 13.
» Laminas Granatenses allegantes. *Decr. Congr. S. Offic.* anno 1639. » die 5. Maii.
» Legatis ab Apostolicis recurrentes ad potestatem laicam. *Bulla Coenae* §. 13.
» Legatorum Sedis Apostolicae offensores. *Bulla Coenae* §. 11.
» Libros haereticorum continentes haeresim, vel tractantes de religione, » legentes, retinentes, imprimentes, vel defendentes. *Bulla Coenae* §. 1.
» Libros, tractatus, seu compositiones de auxiliis divinis edentes, reti- » nentes, legentes, vel imprimentes. *Decr. Congr. S. Offic.* anno 1625., » die 22. Maji, et anno 1641. die 1. Aug.
» Librum Thalmuth, et alios impios codices Hebraeorum legentes, retinentes, » imprimentes. Bulla 20. Clementis VIII. quae incipit *Cum Hebraeorum.*
» Licentiam dantes gravandi eos, qui censuram tulerunt, quorum occasio- » ne est lata, post duos menses. Cap. *Quicumque*, de sent. excomm. in 6.
» Litteras Apostolicas falsificantes, vel falsas publicantes. *Bul. Coen.* §. 6.
» Litteras Apostolicas falsas retinentes infra viginti dies excommunica- » tionis ferendae a Dioecesano. Cap. *Dura*, de crimine falsi.
» Litteras S. Poenitentiariae impedientes. Bulla 1. Julii III. quae incipit: » *Rationi congruit.*
» Litterarum Apostolicarum impetrationem, executionem, vel usum pro- » hibentes, eorumque fautores. *Bul. Coen.* §. 13.

M

» Marchiae Anconitanae officialium offensores. Extravag. *Dierum*, de poenit.
» Maris Pontificii piratae, ejusque fautores. *Bul. Coen.* §. 2.
» Matrimonio conjungentes, vel solemniter benedicentes sponsis sine li- » centia Parochi. Clement. 1. de privileg.
» Ministri Camerae Apostolicae computa non describentes. Bulla 40. Pauli » III. quae incipit: *Cum sicut accipimus.*
» Miracula, vel dogmata falsa, aut falsas revelationes praedicantes. Bul- » la 21. Leonis X. quae incipit: *Supernae*, §. 5.
» Monachorum percussores. Can. *Si quis suadente*, 17. q. 4.
» Monasteriorum bona, vel jura usurpantes. *Bul. Coen.* §. 17.
» Monasteriorum bonis collectas, vel talcas imponentes. *Bul. Coenae.* §. 18.
» Monasteria monialium ingredientes ad malum finem, vel praetextu fa- » cultatis a Papa, vel ab aliis concessae, et moniales admittentes. Bul- » la 28. Gregorii XIII. quae incipit: *Ubi gratiae.*
» Monialium clausuram violantes. Bulla 74. Pauli V. quae incipit: *Monialium.*
» Moniales clausuram violantes, eorumque fautores ad egressum, sicuti etiam » monialium superiores concedentes licentiam ingrediendi in Monasteria » sine causa justa. Bulla s. Pii V. quae incipit: *Circa pastoralis*; et ejusdem » Bullae declaratio, quae incipit: *Decori, et honesti.*

» Monetam regis Franciae falsificantes. Extravag. *Prodiens*, de crimine falsi.
» Montium pietatis bona usurpantes. *Conc. Trid.* sess. 22. cap. 11. de reform.
» Montium pietatis officiales inferiores Episcopis (cum hi incurrant solam su-
» spensionem) expendere praesumentes pecunias Montis praeter usus de-
» stinatos. Bulla 82. Pauli V. quae incipit: *Onerosa.*
» Mulieres ingredientes Religiosorum Coenobia. Bulla 20. Pii V. quae inci-
» pit: *Regularium.*

N

» Naufragantium bona surripientes. *Bulla Coenae* §. 4.
» Negotiorum causa ad Romanam Curiam recurrentium offensores. *Bulla*
» *Coenae* §. 12.
» Nuntiis ab Apostolicis recurrentes ad potestatem laicam. *Bull. Coen* §. 13.

O

» Oblationem solemnem inter Missam recipientes ab excommunicato, vel in-
» terdicto nominatim a Papa. Cap. *Significavit*, de sent. excomm.
» Oblationes sacras Ecclesiis, vel aliis piis locis usurpantes. *Conc. Trid.* sess.
» 22. cap. 11. de reform.
» Offensores accedentium, commorantium, aut recedentium a Romana Curia
» devotionis causa, vel negotiorum ad Sedem Apostolicam spectantium. *Bul.*
» *Coen.* §. 9. 10. et 12.
» Offensores Cardinalium, Episcoporum, et quorumcumque Sedis Apostoli-
» cae officialium, ac fautores. *Bul. Coen.* §. 11.
» Officia divina cogentes celebrari in loco interdicto. Clement. *Gravis*, de
» sent. excom.
» Officiales status ecclesiastici munera accipientes exceptis esculentis, et po-
» culentis, quae triduo servari non possunt. Bulla 15. Sixti IV. quae incipit:
» *Etsi de cunctorum*, §. 3.; et Bulla 3. Pauli II. quae incipit: *Munera.*
» Officiales S. Poenitentiariae recipientes aliquid etiam sponte ablatum. Bulla
» 83. Pii V. quae incipit: *In omnibus rebus.*
» Olivetanam in Congregationem ingressum prohibentes. Bulla 12. Julii II.
» quae incipit: *Etsi ad universos*, §. 20.
» Ordinationem contra libertatem ecclesiasticam facientes. *Bulla Coenae* §. 15.
» Ordinem furtive recipientes, quando praecessit prohibitio sub excommu-
» nicatione (cum alias incurratur sola suspensio). Cap. 1. *Veniens ad nos*,
» de eo, qui ordin. furtive suscep.

P

» Papatum ambientes, aut vivente Papa de eligendo successore tractantes, ac
» cooperantes, Bulla 16. Pauli IV. quae incipit: *Cum secundum.*
» Papatus electioni consentientes, si sit electus a minori numero, quam dua-
» rum partium Cardinalium, et si sit electus a sola tertia parte, etiam acce-
» ptantes. Cap. *Licet*, de elect.
» Papae de vita, aut morte, vel de alterius electione eo vivente paciscentes,
» sicuti etiam de promotione Cardinalium. Bulla 4. Gregorii XIV. quae in-
» cipit: *Cogit nos.*
» Papae in electione Cardinales simoniam committentes. Bulla 3. Julii II. quae
» incipit: *Cum tam divino.*
» Papae in electione Cardinales non servantes formam praescriptam in Bul-
» la 13. Gregorii XV. quae incipit: *Æterni Patris.*
» Papae persuadentes infeudationem locorum Ecclesiae Romanae. Bulla 35.
» Pii V. quae incipit: *Admonet nos.*
» Parochiae pro examine dantes vel recipientes aliquid. *Conc. Trid.* sess. 25.
» c. 18. de reform.
» Parochialia jura Religiosi usurpantes. Clem. 1. de privil.
» Participantes in crimine criminoso cum excommunicato a Papa Cap. *Nu-*
» *per*, de sent. excomm.

» Patriarcharum offensores. *Bul. Coen.* §. 11.
» Patroni admittentes resignationem extra casus permissos. Bulla 58. Pii V.
» quae incipit: *Quanta.*
» Patroni usurpantes bona suarum Ecclesiarum. *Conc. Trid.* sess. 22. c. 11.
» de reform.
» Pedagia nova imponentes, et exigentes. *Bulla Coenae* §. 5.
» Poenitentiariae litteras impedientes. Bulla 1. Julii III. quae incipit: *Rationi*
» *congruit.*
» Poenitentiariae officiales recipientes aliquid etiam sponte oblatum. Bulla 83.
» Pii V. quae incipit: *In omnibus rebus.*
» Peregrinantium devotionis causa Romam offensores. *Bulla Coenae* §. 10.
» Perseverantes per annum in excommunicatione lata a Papae delegato. Cap.
» *Quaerenti*, de offic. delegat.
» Piratae in mari pontificio, eorumque fautores. *Bullae Coenae* §. 3.
» Populum evocantes ad audienda divina in loco interdicto. Clement. *Gravis*,
» de sent. excomm.
» Potestatem ad laicam a litteris Apostolicis recurrentes. *Bulla Coenae* §. 13.
» Praedicantes dogmata, vel miracula falsa, aut revelationes falsas. Bulla 11.
» Leonis X. quae incipit: *Supernae majestatis*, §. 5.
» Praedicantes peccare eos, qui tenent B. Virginem immaculate conceptam.
» Extravag. *Grave nimis*, de reliquiis et venerat. Sanctor.
» Procuratorum in causis recursus ad Romanam Curiam offensores. *Bull.*
» *Coen.* §. 12.
» Prohibentes, ne excommunicati, vel interdicti moniti exeant ab Ecclesia,
» dum Missa celebratur, et qui post monitionem audent cum ipsis rema-
» nere, Clement. *Gravis*, de sent. excomm.

Q

» Quaestuarii publicantes indulgentias ob quaestum. Bulla 89. Pii V. quae in-
» pit: *Quum plenum.*

R

» Recurrentes a litteris Apostolicis ad potestatem laicam, et recursui coope-
» rantes. *Bull. Coen.* §. 13.
» Recurrentes decretis Judicis Ecclesiastici ad potestatem laicam. *Bul. Coen.*
» §. 16.
» Regularium superiores impedientes, vel retardantes causas ad S. Inquisitio-
» nem spectantes. Bulla 26. Pauli V. quae incipit: *Romanus Pontifex*, §. 6.
» Religiosi facientes vovere, vel jurare ad eligendam sepulturam in suis Ec-
» clesiis. Clement. *Cupientes*, §. *Sane*, de poenis.
» Religiosi mendicantes transeuntes ad ordinem non mendicantium. Extrav.
» 1. de regularib.
» Religiosi ministrantes extremam unctionem, vel assistentes matrimonio si-
» ne licentia Parochi. Clement. *Religiosi*, de privileg.
» Religiosi absolventes a culpa, et poena per indulgentiam Clement. 1. de
» privileg.
» Religiosi se conferentes ad partes transmarinas, sine licentia. Extrav. *Ad*
« *nostrum*, de Regular.
» Religiosi recipientes ad habitum, vel professionem illegitimos ex incestu in-
» tra tertium gradum, vel ex sacrilegio ob votum solemne castitatis absque
» licentia capituli generalis, vel provincialis. Bulla 71. Sixti V. quae in-
» cipit: *Cum de omnibus*, §. 2. Quoad excommunicationem non moderata,
» in Bulla 83. Clem. VIII. quae incipit: *In suprema*, §. 4.
» Religiosi usurpantes decimas, vel earum solutionem impedientes, quando
» non habent officium vel beneficium (cum tunc incurrant solam suspen-
» sionem) nisi satisfecerint. Clem. 1. de decimis.
» Religiosorum coenobia mulieres ingredientes. Bulla. 20. Pii V. quae
» incipit: *Regularium personarum.*

» Religionis apostatas recipientes. Bulla 14. Pauli IV. quae incipit: *Postquam.*
» Religionis ingressum prohibentes (ex participatione privilegiorum Congre-
» gationis Olivetanae). Bulla 12. Julii II. quae incipit: *Etsi ad univer-*
» *sos*, §. 20.
» Religionis ob ingressum dantes, vel recipientes aliquid, dummodo non
» sit pro alimentis. Extrav. *Sane*, de simonia.
» Reliquias Sanctorum extrahentes e coemeteriis, ac fautores. Decr. edi-
» tum de mandato Pauli V. die 23. Augusti 1613. et 16. Maii 1624.
» Resignationem patroni admittentes extra casus permissos. Bulla 58. Pii
» V. quae incipit: *Quanta.*
» Revelationes falsas praedicantes. Bulla 21. Leonis X. quae incipit: *Su-*
» *pernae* §. 5.
» Romae Senatorem, vel Gubernatorem eligentes sine licentia Papae.
» Cap. *Fundamenta*, de elect. in 6.
» Romanae Curiae victualia impedientes. *Bul. Coen.* §. 8.
» Romanam ad Curiam accessum pro impetrandis apostolicis litteris prohi-
» bentes. *Bul. Coen.* §. 13.
» Romanam ad Curiam ob negotia recurrentium, eorumque agentium
» offensores. *Bul. Coen.* §. 12.
» Romana in Curia collitigantium, vel procuratorum offensores denuncia-
» re omittentes. Bulla 11. Alexandri VI. quae incipit: *In eminenti.*
» Romana in Curia dantes, vel recipientes aliquid pro gratia, vel justi-
» tia, ac paciscentes. Extrav. *Excommunicamus*, de sent. excom., et
» Bulla 16. Alexandri VII. quae incipit: *Inter gravissimas.*
» Romanae Ecclesiae bona invadentes, ac fautores. *Bul. Coen.* §. 20.
» Romipetarum devotionis causa offensores. *Bul. Coen.* §. 10.

S

» Sacramenta ministrantes excommunicato nominatim denunciato a Pa-
» pa. Cap. *Significavit*, de sent. excom.
» Schismatici. *Bul. Coen.* §. 1.
» Scripturam Sacram praedicantes, vel explanantes contra sensum ab Eccle-
» sia approbatum. Bulla 21. Leonis X. quae incipit: *Supernae majestatis.*
» Scripturas Camerae Apostolicae detinentes, vel non revelantes. Bulla
» 56. Sixti V. quae incipit: *Non sine maxima.*
» Secreta Concistorii revelantes. Bulla 7. Leonis X. quae incipit: *Super-*
» *nae*, §. 30.
» Secreta S. Inquisitionis revelantes. Cap. *Statuta*, §. *Et ut eorumdem*
» de haeret. in 6.
» Secreta Reipublicae Christianae hostibus revelantes. *Bul. Coen.* §. 7.
» Sepelientes in loco sacro haereticos, eorumque fautores, si non exhu-
» marunt. Cap. *Quicumque*, de haeret. in 6.
» Sepelientes tempore interdicti in loco sacro sepeliri prohibitos, vel se-
» pelientes excommunicatos, interdictos, et usurarios, quamdiu non
» est praestita satisfactio ad arbitrium Episcopi. Clem. 1. de sepultur.
» Sepulturam in suis Ecclesiis eligi, vel non mutari Religiosi procuran-
» tes per votum, vel juramentum. Clem. *Cupientes*, §. *Sane*, de poenis.
» Sepulturae transferendae causa cadaver comminuentes. Extrav. *Detestan-*
» *da*, de sepul.
» Sequestrantes bona, vel jura Ecclesiarum. *Bul. Coen.* §. 17.
» Sequestrationem faciendam ab Ordinario de fructibus beneficii impe-
» dientes quamdiu impedimentum non est amotum, vel fructus non
» sunt restituti. Clem. unic. *Ad compescendas*, de sequestr.
» Servituti subjicientes Christianum. Bulla 149. Pii V. quae incipit: *Li-*
» *cet omnibus.*
» Simoniaci in ordine, vel beneficia, ac complices. Extrav. *Detestabile*,

» de simon. Bulla 85. Pii IV. quae incipit: *Romanum Pontificem*; et » Bulla 85. Pii V. quae incipit: *Intolerabiles.*

» Simoniaci in Religionis ingressu. Extrav. *Sane*, de simon.

» Simoniam committentes publicando indulgentias, vel concedendo fa- » cultatem pro reservatis, vel privilegia Missae, aut sepulturae tem- » pore interdicti. Bulla 99. Pii V. quae incipit: *Quam plenum.*

» Simoniam committentes dando vel recipiendo aliquid pro examine ad » parochiam. *Conc. Trid.* sess. 24. c. 18. de reform.

» Societatis Jesu institutum impugnantes, vel mutari procurantes. Bulla » 89. Greg. XIII. quae incipit: *Ascendente Domino*, §. 24.

» Sollicitationem non revelantes infra mensem. Bulla 34. Gregor. XV. » quae incipit: *Universi.*

» Sponsiones facientes super electione, vita, vel morte Papae, ac promo- » tione Cardinalium. Bulla 4. Gregorii XIV. quae incipit: *Cogit nos.*

» Statuta libertatis ecclesiasticae laesiva facientes vel eisdem utentes. *Bul.* » *Coen.* §. 15.

» Superiores monialium concedentes licentiam ingrediendi in monasteria » sine causa justa. Bulla 8. Pii V. quae incipit: *Circa pastoralis*; et » declaratio, quae incipit: *Decori et honesti.*

» Superiores regularium impedientes, vel retardantes causas ad s. Inquisitio- » nem spectantes. Bulla 26. Pauli V. quae incipit: *Romanus Pontifex*, §. 6.

» Suspensionem a potestate providendi de beneficiis violantes. Bulla 58. » Pii V. quae incipit: *Quanta.*

T

» Talcas, vel collectas imponentes ecclesiasticis. *Bul. Coen.* §. 18.

» Thalmuth, et alia impia scripta Hebraeorum legentes. Bulla 20. Clem. » VIII. quae incipit: *Cum Hebraeorum.*

» Tolosanae Ecclesiae statuta turbantes. Extrav. *Salvator*, de praebend. » et dignit.

V

» Vectigalia nova imponentes, et exigentes. *Bulla Coen.* §. 8.

» Victualia hostibus Reipublicae Christianae deferentes. *Bul. Coen.* §. 7.

» Victualia Romanae Curiae impedientes. *Bul. Coen.* §. 8.

» Unctionem extremam ministrantes Religiosi sine licentia Parochi. Cle- » ment. *Religiosi*, de privil.

» Vota Papae reservata commutantes privilegiorum praetextu. Extrav. » *Etsi Dominici*, de poenit. et remiss.

» Usurpantes, vel sequestrantes bona, vel jura Ecclesiarum. *Bul. Coen.* §. 17.

EXCOMMUNICATIONES

Latae sententiae non reservatae quibus subjiciuntur.

A

» Abortum foetus animati procurantes. Bulla 87. Sixti V. quae incipit: *Ef-* » *fraenatam*, moderata quoad reservationem censurae a Gregorio XIV. » in Const. 8. quae incipit: *Sedes Apostolica.*

» Absolutionem, vel revocationem censurae per vim, et metum extorquen- » tes. Cap. *Absolutionis*, de his, quae vi metuve in 6.

» Absolutionem dantes Religiosi decimas non solventibus. Clem. *Cupien-* » *tes*, de poenis.

» Administratores ter moniti ab Episcopo non obedientes. Can. *Admini-* » *stratores*, 23. q. 5.

» Agnos Dei pingentes, miniantes, aut venales habentes. Bulla 2. Gre- » gorii XIII. quae incipit: *Omni certe.*

» Alienantes bona Ecclesiae, si sint administratores, dummodo non sint Epi-
» scopi, vel Abbates, (cum hi incurrant interdictum ab ingressu Eccle-
» siae). Extrav. *Ambitiosae*, de rebus Eccl. non alien. Item ea recipientes.
» Alienantes bona jurisdictionalia locorum piorum si sint inferiores Episco-
» pis, vel Abbatibus (cum hi solum incurrant interdictum ab ingressu Ec-
» clesiae). Bulla 51. Urbani VIII. quae incipit: *Humanae salutis.*
» Alienantes Religiosi mendicantes domos sine licentia Sedis Apostolicae.
» Clement. *Cupientes*, de poenis.
» Alienationem bonorum ecclesiasticorum concedentes Delegati Pontificis in
» damnum Ecclesiarum. Bulla 2. Pauli II. quae incipit: *Cum in omnibus.*
» Ambientes Nuncii, vel Legati Apostolici apud Principes, ad quos missi
» sunt, favores ad obtinendas pro se, vel consanguineis dignitates a Papa.
» Bulla 96. Pii IV. quae incipit: *Etsi Romanum Pontificem.*
» Annotationes in Decreta Concilii Tridentini edentes. Bulla 73. Pii IV. quae
» incipit: *Benedictus Deus*, §. 5.
» Apostatae a Religione dimittentes habitum. Cap. *Ut periculosa*, ne Cle-
» rici, vel Monach. in 6.
» Apostolicas litteras accipientes de manu alterius, quam officialis depu-
» tati. Cap. *Dura*, de crimine falsi.
» Apostolicis litteris falsis utentes. Cap. *Ad falsariorum*, de crimine falsi.
» Arma prohibita concedentes gestari in statu ecclesiastico. Bulla 145. Pii
» V. quae incipit: *Cum vices*, §. 2.
» Arma tenentes Monachi intra septa Monasterii sine licentia Abbatis. Cle-
» ment. *Ne in agro*, §. *Quia vero*, de statu Monachor.
» Assassinis mandantes homicidium, seu eos receptantes, occultantes, de-
» fendentes. Cap. *Pro humani*, de homicid. in 6.
» Astrologiam judiciariam exercentes. Can. *Si quis ariolos*; et can. *Ali-
» quantis*, 26. q. 5.

B

» Beguinarum statum mulieres assumentes. Clement. 1. de Relig. domib.
» Beguinorum, vel Bizochorum religionem profitentes. Extravag. *Sancta
» Romana*, de religios. domib.
» Beneficium a schismaticis collatum retinentes. Cap. *Quod a praedecesso-
» re nostro*, de schismat.
» Beneficium recipientes de manu potestatis laicae. Can. *Si quis deinceps*,
» et can. *Quoniam* 16. q. 7.
» Bononiae scholares, vel magistri conducentes alienum hospitium infra
» tempus conductionis sine licentia inquilinorum. Cap. *Ex rescripto*,
» de locato, et conduct.

C

» Camerae Apostolicae non applicantes confiscationes in statu ecclesiasti-
» co. Bulla 43. Pii IV. quae incipit: *Decet Romanum Pontificem.*
» Cancellariae Apostolicae officiales se intromittentes in causis sibi interdi-
» ctis in Bulla 54. Pii IV. quae incipit: *Universi gregis.*
» Canonici Regulares accedentes ad Curias Principum animo nocendi suis
» Praelatis, vel domibus. Clement. *Ne in agro*, §. *Quia vero*, de statu
» Monach.
» Capuccini recipientes Fratres de observantia. Bulla 20. Sixti V. quae in-
» cipit: *Pro ea.*
» Censurae fulminationem impedientes, vel ejus absolutionem, aut revo-
» cationem per vim, et metum extorquentes. Cap. *Absolutionis*, de his
» quae vi, metuve in 6.
» Cessationem a divinis, vel interdictum locale generale Religiosi non ser-
» vantes. Clement. *Ex frequentibus*, de sent. excom.
» Clausura monialium pro conservanda, Magistratus negantes Praelatis au-
» xilium. *Conc. Trid.* sess. 25. cap. 5. de Regularib.

» Clausuram monialium superiores sine justa causa intrantes pro tertia vi-
» ce (cum pro prima incurrant solum interdictum ab ingressu Eccle-
» siae et pro secunda suspensionem a pontificalibus). Declaratio Bullae
» 28. Gregorii XIII. quae incipit: *Dubiis*, §. 2.
» Clerici in dignitate constituti accedentes ad audiendas leges, vel medi-
» cinam in scholis publicis post duorum mensium spatium. Cap. *Super*
» *specula*, ne Clerici, vel Monachi in 6.
» Clerici obtinentes Ecclesias de manu laicorum. Can. *Si quis Clericus*,
» 16. q. 7.
» Clericus habens officium Praepositi Saecularis, si monitus non desistat.
» Cap. *Clericus*, ne Clerici, vel Monachi in 6.
» Communicantes cum excommunicato in crimine criminoso, si ejus cen-
» sura non est reservata. Cap. *Nuper*, de sent. excom.
» Conclavis formam officiales non procurantes servari. Cap. *Ubi pericu-*
» *lum*, de elect. in 6. §. *Praeterea.*
» Concilium in Tridentinum glossas, et annotationes facientes. Bulla 73.
» Pii V. quae incipit: *Benedictus Deus*, §. 5.
» Confessionem non esse necessariam existenti in mortali pro sumenda
» Eucharistia docentes. *Conc. Trid.* sess. 13. can. 11.
» Conservatores ad exercendos suae potestatis limites inducentes. Cap. *Hac*
» *constitutione*, de offic. deleg. in 6. Bulla 9. Gregorii XV. quae in-
» cipit: *Sanctissimus*, §. 11.
» Contrahentes matrimonium in casibus prohibitis. Clem. 1. *Eos qui*, de
» consang.

D

» Decimas Religiosi usurpantes, vel earum solutionem impedientes, si non
» habeant administrationem, vel officium (cum tunc solam suspensionem
» incurrant) postquam praestiterunt satisfactionem, qua non praestita non
» possunt absolvi, nisi a Papa. Clement. 1. *Religiosi*, de decimis.
» Decimis a solvendis Religiosi alios suis sermonibus retrahentes. Clement.
» *Cupientes*, de poenis.
» Delegati Pontificis concedentes bonorum ecclesiasticorum alienationem fie-
» ri in damnum Ecclesiae. Bulla 2. Pauli II. quae incipit: *Cum omnibus.*
» Dignitatem a schismaticis collatam retinentes. Cap. *Quod a praedecesso-*
» *re nostro*, de schismat.
» Directores monialium in electionibus non abstinentes ab iis, unde dis-
» cordiae possunt oriri. Cap. *Indemnitatibus*, §. *Postremo*, de elect. in 6.
» Divinationem exercentes. Can. *Si quis ariolos*; et can. *Aliquantis*, 26. q. 5.
» Divinantes de Papae vita vel morte. Bulla 113. Urbani VIII. quae in-
» cipit: *Inscrutabilis.*
» Doctoratum, vel lectoratum concedentes non praemittentibus professionem
» fidei (nisi sint Episcopi, cum hi incurrant solum interdictum ab in-
» gressu Ecclesiae). Bulla 78. Pii IV. quae incipit: *In sacrosancta.*

E

» Ecclesias obtinentes per laicos. Can. *Si quis clericus*, 16. q. 7.
» Ecclesiae bona alienantes, ac recipientes. Extravag. *Ambitiosae*, de reb.
» Eccles. non alienandis.
» Ecclesiarum bona compellentes submitti laicis. Cap. *Hoc consultissimo*,
» de rebus Eccles. non alienandis in 6.
» Ecclesiastici constituti in dignitate accedentes ad audiendas leges, vel me-
« dicinam in scholis publicis post duorum mensium spatium. Cap. *Su-*
» *per specula*, ne Clerici, vel Monachi.
» Ecclesiastico in statu non applicantes confiscationes, et poenas Camerae
» Apostolicae. Bulla 43. Pii IV. quae incipit: *Decet Romanum Pontificem.*
» Ecclesiastico in statu arma prohibita concedentes gestari. Bulla 145. Pii
» V. quae incipit: *Cum vices*, §. 3.

» Electionem in monasteriis turbantes. Cap. *Indemnitatibus*, §. *Postremo*, » de elect. in 6.
» Electionis, nominationis, vel collationis denegatae causa vexantes per» sonas, vel loca. Cap. *Sciant cuncti*, de elect. in 6.
» Episcopi Romam latenter venientes, vel ab ea recedentes sine licentia » Papae, eorumque receptatores, si de ipsorum adventu Papam non mo» neant. Extravag. *Ut Praelatorum*, de majorit. et obedient.
» Episcopi se ingerentes in aliena diocesi. Cap. *Quoniam in plerisque*, de » offic.
» Eucharistiae sumptioni non necessario praemittendam esse confessionem » ab existente in mortali docentes. *Conc. Trid.* sess. 12. can. 11.
» Excommunicato censura non reservata communicantes in crimine crimi» noso. Cap. *Nuper*, de sent. excom.
» Excommunicatos sepelientes in loco sacro. Clement. 1. de sepultur.
» Extorquentes per vim, et metum absolutionem, vel revocationem cen» surae. Cap. *Absolutionis*, de his, quae vi, metuve in 6.

F

» Fabricae s. Petri deputatos molestantes. Bulla 57. Pii V. quae incipit: » *Exigit*.
» Foeminam cogentes ad Religionem, vel ab ea retrahentes, aut impedien» tes injuste. *Conc. Trid.* sess. 25. cap. 18. de regularib.
» Foeminarum raptores. *Conc. Trid.* sess. 24. c. 6. de ref. matrim.
» Fraticellorum Religionem profitentes. Extravag. *Sancta Romana*, de Re» ligios. domibus.
» Fratres de observantia recipientes Capuccinos. Bulla 20. Sixti V. quae » incipit: *Pro ea*.
» Fraude inducentes judicem ad se conferendum ad mulierem, ut ejus » testimonium excipiat. Cap. *Mulieres*, de judiciis in 6.

G

» Germaniae Religiosi, et Parochi non servantes concordiam inter se sta» tutam. Extravag. *Vices illius*, de tregua et pace.
» Glossas in Concilium Trident. edentes. Bulla 73. Pii IV. quae incipit: » *Benedictus Deus*, §. 5.
» Gubernatores, et Officiales mortuo Pontifice non observantes praescri» pta in cap. *Ubi periculum*, §. *Praeterea*, de elect. in 6.

H

» Haereticos, eorumque fautores sepelientes in loco sacro, dummodo ex» humaverint, cum alias excommunicatio sit reservata. Cap. *Quicum» que*, de haeretic. in 6.
» Homicidium mandantes per assassinos. Cap. *Pro humani*, de homicid. in 6.

I

» Inquisitores, testes, aliosque ministros s. Officii vexantes. Bulla 82. Pii » V. quae incipit: *Si de protegendis*.
» Inquisitionis causis se ingerentes, ejusque sententiam non exequentes, et » requisiti non adjuvantes Cap. *Et inquisitionis*, de haeret. in 6.
» Inquisitionis praetextu pecuniam extorquentes, si satisfecerint. Clem. *No» lentes*, de haeret.
» Inquisitionis supremae Cardinalibus non obedientes. Bulla 1. Pii V. quae » incipit: *Sanctissimus Dominus*.
» Interdictos sepelientes in loco sacro, si non sit praestita satisfactio ad » arbitrium Episcopi. Clement. 1. de sepultur.
» Interdictum locale generale, vel cessationem a divinis Religiosi non ser» vantes. Clement. *Ex frequentibus*, de sent. excom.
» Judices laici negligentes praestare auxilium Episcopo, vel alteri Judici Ec» clesiastico requirenti. Can. *Administratores*, 23. q. 5.

» Jus Regalium, seu defensionis, aut custodiae in locis piis sibi usurpan-
» tes. Cap. *Generali*, de elect. in 6.

L

» Laica potestas omittens dare brachium sacculare Episcopis. Can. *Ad-*
» *ministratores*, 23. q. 5.
» Lecturam, vel doctoratum concedentes non praemittentibus professionem
» fidei (nisi sint Episcopi, cum hi solum incurrant interdictum ab in-
» gressu Ecclesiae). Bulla 88. Pii IV. quae incipit: *In sacrosancta.*
» Leges, aut medicinam docentes Religiosos, qui habitum dimiserunt. Cap.
» *Ut periculosa*, ne Clerici, vel Monach. in 6.
» Libros imprimentes sine licentia superiorum, vel sine nomine auctorum.
» *Concil. Trident.* sess. 4. de edit. et usu Sacrorum Librorum; *index li-*
» *br. prohibit.* regula 10.
» Libros ita impressos retinentes, et vendentes. *Conc. Later.* sub Leone
» X. sess. 10. decr. 3.
» Litteras apostolicas recipientes de manu alterius, quam officialis depu-
» tati. Cap. *Dura*, de crimine falsi.
» Litteris Apostolicis falsis utentes. Cap. *Ad falsariorum*, de crimine falsi.
» Litteras Papae impugnantes ante coronationem. Extravag. ultima, de
» sent. excom. cap. 4.
» Ludos taurorum, et agitationes ferarum exercentes extra Hispaniam. Bulla
» 48. Pii V. quae incipit: *De salute.*

M

» Matrimonium ad contrahendum cogentes. *Concil Trid.* sess. 24. c. 9. de
» reform. matrim.
» Matrimonium contrahentes in casibus prohibitis. Clem. unic. *Eos qui*,
» de consanguin.
» Matrimonia filiorum sine consensu patris irrita esse asserentes, vel clan-
» destina ante Concilium Tridentinum valida fuisse negantes. *Conc. Trid.*
» sess. 24. cap. 1. de reform. matrim.
» Medicinam docentes Religiosos, qui habitum dimiserunt. Cap. *Ut peri-*
» *culosa*, ne Clerici, vel Monachi in 6.
» Mendicantes Religiosi sine licentia Sedis Apostolicae novas domos acqui-
» rentes, vel alienantes. Clement. *Cupientes*, de poenit.
» Ministros s. Officii vexatores. Bulla 82. Pii V. quae incipit: *Si de pro-*
» *tegendis.*
» Monachi accedentes ad Curias Principum animo nocendi suis Praelatis, vel
» Monasteriis. Clem. *Ne in agro*, §: *Quia vero*, de statu Monach.
» Monachi tenentes arma intra septa Monasterii sine licentia Abbatis. Cle-
» ment. *Ne in agro*, §. *Quia vero*, de statu Monach.
» Monasteria ingredientes Praelati Regulares secunda vice eodem anno si-
» ne praesentia Episcopi, vel alterius Ecclesiastici Saecularis ab eo-
» dem deputandi. Bulla 156. Alexandri VII. quae incipit: *Felici.*
» Monialem fieri, vel non fieri cogentes, ac cooperantes. *Conc. Trid.*
» sess. 25. cap. 18. de regularib.
» Monialium clausuram sine causa justa superiores intrantes pro tertia
» vice (cum pro prima incurrant interdictum ab ingressu Ecclesiae,
» et pro secunda suspensionem a Pontificalibus). Declaratio Bullae 28.
» Gregorii XII. quae incipit: *Dubiis*, §. 2.
» Monialium directores non abstinentes in electionibus ab iis, unde discor-
» diae possunt oriri. Cap. *Indemnitatibus*, §. *Postremo*, de elect. in 6.
» Monialium clausura pro conservanda, Magistratus negantes auxilium
» Praelatis. *Conc. Trid.* sess. 25. cap. 5. de regularib.
» Monialium monasteria non ad malum finem ingredientes sine licentia
» Praelati. *Conc. Trid.* sess. 25. cap. 5. de regularib.

» Monialium Praepositae electionem turbantes. Cap. *Indemnitatibus*, §. » *Postremo*, de elect. in 7.
» Monialium Visitatores in suo munere impedientes, nisi resipiscant. » Clem. *Attendentes*, de statu Monach.
» Montem pietatis impugnantes Bulla 11. Leonis X. quae incipit: *Inter* » *multiplices.*
» Mulieres assumentes Beguinarum statum. Clem. 1. de religios. domib.
» Mulierum raptores. *Conc. Trid.* sess. 24. cap. 6. de ref. matrim.

N

» Notariorum Officiis a Camera Apostolica venditis, vel vendendis, se » intromittentes, aut vexantes Notarios ea ementes. Bulla 83. Pii IV. » que incipit: *Superna providentia.*
» Nuncii aliique Ministri Pontificis procurantes a Principibus, ad quos » missi sunt, favores, ac dignitates pro se, vel consanguineis a Papa obti- » nendas. Bulla 96. Pii IV. quae incipit: *Etsi Romanum Pontificem.*

O

» Officiales mortuo Pontifice non observantes praescripta in cap. *Ubi pe-* » *riculum*, §. *Propterea*, de elect. in 6.
» Officium praesulatus in Ecclesiis usurpantes. Cap. *Quoniam in plerisque*, » de offic. Judic. ordin.
» Officii S. Inquisitionis ministros vexantes. Bulla 82. Pii V. quae inci- » pit: *Si de protegendis.*
» Ordinationes factas a schismaticis exercentes. Cap. *Quod a praedeces-* » *sore nostro*, de schismat.

P

» Papae de vita, vel morte divinantes. Bulla 113. Urbani VIII. quae in- » cipit: *Inscrutabilis.*
» Papae nondum coronati litteras impugnantes. Extrav. ultim. de sent. excom.
» Parochi, et Religiosi Germaniae non servantes inter se concordiam sta- » tutam. Extrav. *Vices illius*, de tregua, et pace.
» Poenas in statu ecclesiastico non applicantes Camerae Apostolicae. Bul- » la 43. Pii IV. quae incipit: *Decet Romanum Pontificem.*
» Poenitentiariae officiales se intromittentes in expeditionibus prohibitis » in Bulla 53. Pii IV. quae incipit: *In sublimi.*
» Praelati Regulares ingredientes secunda vice eodem anno in Monasteria San- » ctimonialium sine praesentia Episcopi, vel alterius Ecclesiastici Saecula- » ris ab eodem deputandi. Bulla 156. Alexandri VII. quae incipit: *Felici.*
» Presbyteri accedentes ad audiendas leges, vel medicinam in scholis pu- » blicis. Cap. *Super specula*, de Cler. vel Monach.
» Praesulatus Officium in Ecclesiis usurpantes. Cap. *Quoniam in plerisque*, » de offic. Judicis ord.

R

» Raptores foeminarum. *Conc. Trid.* sess. 24. c. 6. de reform. matrim.
» Regaliae, seu custodiae titulum in locis piis sibi usurpantes. Cap. *Ge-* » *nerali*, de elect. in 6.
» Religiosi dimittentes habitum. Cap. *Ut periculosa*, ne Clerici, vel Mo- » nach. in 6.
» Religiosi decimas usurpantes, vel earum solutionem impedientes, si non » habeant administrationem, vel officium (cum tunc solam suspensio- » nem incurrant) dummodo dederint satisfactionem condignam (cum » alias excommunicatio sit reservata). Clem. *Religiosi*, de decimis.
» Religiosi a decimarum solutione retrahentes, vel negligentes suadere » earum solutionem suis poenitentibus, eosque absolventes. Clem. *Cu-* » *pientes*, de poenis.
» Religiosi exeuntes de claustris ad audiendas leges, vel medicinam,

» eosque docentes, vel in scholis retinentes. Cap. *Non magnopere*, et » cap. *Super specula*, ne Cleric. vel Monach.

» Religiosi et Parochi Germaniae non servantes concordiam inter se sta- » tutam. Extrav. *Vices illius*, de tregua et pace.

» Religiosi mendicantes sine licentia Papae novas domos acquirentes, » vel alienantes. Clem. *Cupientes*, de poenis.

» Religiosi non servantes interdictum locale generale, vel cessationem a » divinis. Clement. *Ex frequentibus*, de sent. excom.

» Religionis ad ingressum cogentes, vel retrahentes foeminas. *Conc. Trid.* » sess. 25. c. 18. de regularib.

» Religionis, vel Reipublicae Christianae de statu divinantes. Bulla 113. » Urbani VIII. quae incipit: *Inscrutabilis.*

» Represalias concedentes, aut extendentes contra Ecclesiasticos. Cap. » unico, de injuriis in 6.

S

» Sacerdos celebrans sine stola. Can. *Ecclesiastica*, dist. 23.

» Schismatici ordinationi consentientes, vel ab eo recipientes beneficium, » aut rem ecclesiasticam, eamque retinentes. Cap. 2. de schismat.

» Scholis legum, vel medicinae admittentes, aut in eis retinentes Religiosos, » qui habitum dimiserunt. Cap. *Ut periculosa*, ne Cler. vel Monach. in 6.

» Scholares, vel Magistri Bononiae conducentes alienum hospitium infra » tempus conductionis sine licentia inquilinorum. Cap. *Ex rescripto*, » de locato, et conducto.

» Sedis Apostolicae de statu divinantes. Bulla 113. Urbani VIII. quae » incipit: *Inscrutabilis.*

» Sepelientes in loco sacro haereticos, eorumque fautores, dummodo » eos exhumaverint, cum alias excommunicatio sit reservata. Cap. *Qui-* » *cumque*, de haeretic. in 6.

» Sepelientes tempore interdicti in loco sacro sepeliri prohibitos, vel se- » pelientes excommunicatos, interdictos, et usurarios (dummodo praesti- » ta sit satisfactio ad arbitrium Episcopi, cum alias excommunicatio » sit reservata). Clement. 1. de sepultur.

» Sequestrationem ab Ordinario faciendam impedientes (dummodo impe- » dimentum sit amotum, vel fructus restituti, cum alias excommuni- » catio sit reservata). Clement. *Ad compescendas*, de sequestr.

» Statuta libertatis ecclesiasticae laesiva retinentes, vel ea ex libris non de- » lentes, dummodo iis non utantur. Cap. *Nos vertit.*, de sent. excomm.

T

» Taurorum ludos extra Hispaniam exercentes. Bulla 48. Pii V. quae in- » cipit: *De salute.*

» Testimonii causam fingentes, ut judex mulieris examinandae domum » accedat. Cap. *Mulieris*, de judic. in 6.

V

» Visitatores Monialium in suo munere impedientes, si moniti non resi- » piscant. Clement. *Attendentes*, de statu Monach.

» Usurarios publicos sepelientes in loco sacro, si non sit praestita satisfa- » ctio. Clement. 1. de sepultur.

» Usurariis alienigenis Clerici locantes domos, aut commoditatem prae- » stantes, vel eos non ejicientes infra tres menses (nisi sint Episcopi, » cum hi incurrant solam suspensionem). Cap. *Usurarum*, de usuris in 6.

» Usuris officiales communitatum fayentes. Clement. *Ex gravi*, de usuris.

SUSPENSIONES

Ab officio, vel beneficio latae absolute, vel ad tempus, quae absolute, vel infra tempus, antequam per se ipsa cessent,

Papae reservantur

A

» Abbates alienantes bona Monasterii interdicuntur ab ingressu Ecclesiae, » et si infra sex menses non resipuerint, suspenduntur ab administra- » tione Monasterii in spiritualibus ac temporalibus. Praelatus vero in- » ferior excommunicatur, ac privatur beneficio. Extrav. *Ambitiosae*, » de rebus Eccl. non alienand.

» Abbates concedentes dimissorias sibi non subditis suspenduntur per » annum ab officio, et beneficio. *Concil. Trid.* sess. 23. cap. 10. de reform.

» Alienationi bonorum Ecclesiae Episcopi, vel Delegati a Papa consen- » tientes suspenduntur per annum ab executione officii. Bulla 2. Pauli » II. quae incipit: *Cum in omnibus.*

» Apostatae a Religione recipientes ordinem sacrum in apostasia suspen- » duntur ab ejus executione. Cap. *Consultationi*, de Apostat.

B

» Beneficia ad ecclesiastica eligentes auctoritate laica suspenduntur ab of- » ficiis et beneficiis, consentiens vero electioni de se factae suspendi- » tur a beneficio. Cap. *Quisquis*, de elect.

» Beneficia conferentes contra formam praescriptam suspenduntur a col- » latione, recipientes suspenduntur a beneficiis. Bulla 58. Pii V. quae » incipit: *Quanta*, §. 6.

» Beneficiis privantes eos, qui pro suis negotiis commorantur in Romana Cu- » ria, suspenduntur ab officio et beneficio. Extrav. *Divina*, de privileg.

» Beneficiorum vacantium redditus usurpantes incurrunt suspensionem ab » officio et beneficio, donec restituant. Cap. *Praesenti*, de offic. in 6.

» Beneficiati utentes sine justa causa veste laicali suspenduntur per sex » menses a beneficio. Clement. 3. *Quoniam*, de vita, et honest. Cler.

» Beneficiato electo opponens aliquid, nec probans suspenditur a bene- » ficio per triennium. Cap. *Statuimus*, §. *Adjicientes*, de elect. in 6.

» Bigamum ordinans suspenditur per annum a celebratione Missae. Can. » *Nullus poenitentem*, dist. 55.

C

» Capitula simoniam committentia suspenduntur. Extrav. 1. et 2. de simon.

» Censuram ferens sine debita solemnitate incurrit per mensem interdi- » ctum ab ingressu Ecclesiae, et suspensionem a divinis. Cap. *Cum* » *medicinalis*, de sent. excomm. in 9.

» Clerici non denunciantes Praelatos submittentes bona Ecclesiae laicis » suspenduntur per triennium a beneficiis in Ecclesia obtentis. Cap. » *Hoc consultissimo*, de rebus Eccles. non alienand. in 6.

» Compromissarius eligens indignum ad Episcopatum suspenditur per » triennium a beneficiis. Cap. *Si compromissarius*, de elect. in 6.

» Conceptionem B. Virginis fuisse in peccato originali defendentes, et » contrariam sententiam impugnantes suspenduntur a divinis. Bulla 14. » Pii V. quae incipit: *Super speculam.*

» Conjugatis conferentes primam tonsuram extra casus permissos suspen- » duntur per annum a collatione primae tonsurae. Cap. *Nullus Epi-* » *scopus*, de temp. ordinat. in 6.

» Conservatores extendentes ultra limites suam potestatem suspenduntur » per annum ab officio. Cap. *Hac constitutione*, de Offic. Judic. in 6.

» Conventus simoniam committentes suspenduntur. Extrav. 1. et 2. de simon.

D

» Decimas usurpantes Religiosi, vel earum solutionem impedientes, si intra » mensem non satisfecerint, suspenduntur ab officiis, beneficiis, atque ad- » ministrationibus, quae si non habent, incurrunt excommunicationem » Papae reservatam. Clement. 1. de decim.

» Delegati a Papa consentientes alienationi bonorum Ecclesiae suspendun- » tur per annum ab executione officii. Bulla 2. Pauli II. quae incipit: » *Cum in omnibus.*

» Doctoratum, vel magisterium conferentes, nec exigentes circa expensas » juramentum a promovendis, suspenduntur per sex menses a collatio- » ne doctoratus, vel magisterii. Clem. *Cum sit*, de magistris.

E

» Ecclesiae bona Sede vacante occupantes suspenduntur ab officio, et be- » neficio donec restituant. Cap. *Quia saepe*, de elect. in 6.

» Electionem, postulationem, vel aliam provisionem Ecclesiastici impu- » gnantes, nec probantes suspenduntur per triennium a beneficiis. Cap. » *Statuimus*, §. *qui vero*, de elect. in 6.

» Eligentes Episcopum non habentem annos 30. vel illegitimum, vel vita, » et scientia non commendabilem, suspenduntur per triennium a be- » neficiis. Cap. *Cum in cunctis*, §. *Clerici*, de elect. in 6.

» Eligentes Episcopum, nec praesentantes electionem infra octo dies dum » commode possunt, suspenduntur per triennium a beneficiis in ea Ec- » clesia obtentis. Cap. *Cupientes*, §. *Si vero* de elect. in 6.

» Episcopi alienantes bona Ecclesiae incurrunt interdictum ab ejus ingres- » su, et si infra sex menses non resipuerint, suspenduntur ab admini- » stratione Ecclesiae in spiritualibus, et temporalibus. Inferiores vero » Episcopis, et Abbatibus privantur beneficiis. Extrav. *Ambitiosae*, de » rebus Eccles. non alienand.

» Episcopi consentientes alienationi bonorum Ecclesiae suspenduntur per » annum ab executione officii. Bulla 2. Pauli II. quae incipit: *Cum in omnib.*

» Episcopi expendentes pecunias Montis Pietatis praeter usus destinatos in- » currunt suspensionem. Bulla 82. Pauli V. quae incipit: *Onerosa pastoralis.*

» Episcopi indulgentias publicantes, vel concedentes facultatem absolvendi a » reservatis ob quaestum, interdicuntur ab ingressu Ecclesiae, et suspen- » duntur a perceptione fructuum. Bulla 99. Pii V. quae incipit: *Quam plen.*

» Episcopi non accedentes per se, vel per alios ad limina Apostolorum tem- » poribus statutis, interdicuntur ab ingressu Ecclesiae, et suspenduntur ab » ejus administratione, ac beneficiis. Bulla 15. Sixti V. quae incipit: *Roma- » nus Pontifex*, §. 8. Episcopi ordinantes. Vide litt. O.

» Episcopi non applicantes fructus beneficiorum vacantium juxta Extrav. » Joannis XXII. interdicuntur ab ingressu Ecclesiae, et suspenduntur a » Pontificalibus donec restituant. Extrav. *Suscepti regiminis.*

» Episcopi non publicantes Dioecesanis acta Concilii Provincialis suspendun- » tur ab officio per duos menses. Can. *Decernimus*, dist. 18.

» Episcopi non procedentes contra suspectos de haeresi suspenduntur ab of- » ficio per triennium. Clem. 1. §. *Verum*, de haeretic.

» Episcopi non corrigentes simoniacos in sacramentis suspenduntur ab offi- » cio per duos menses. Can. *Quidquid* 1. q. 1.

» Episcopi relaxantes incendiariis poenas suspenduntur ab officio per annum. » Can. *Pessimam* 23. q. 8.

» Excommunicationis sententiam ferentes absque praevia competenti admo- » nitione interdicuntur per mensem ab ingressu Ecclesiae, et suspendun- » tur a divinis. Cap. *Sacro*, de sent. excom.

I

» Incendiariis relaxantes poenas Episcopi suspenduntur ab officio per an- » num. Can. *Pessimam* 23. q. 8.

» Indulgentias, vel facultatem absolvendi a reservatis concedentes Episcopi » ob quaestum, interdicuntur ab ingressu Ecclesiae, et suspenduntur a » perceptione fructuum. Bulla 99. Pii V. quae incipit: *Quam plenum.*

» Judices ecclesiastici injuste gravantes partem suspenduntur per annum ab » executione officii. Cap. *Cum aeterni*, de sent. et de re judic. in 6.

» Juramentum non exigentes circa expensas a promovendis ad doctoratum, » vel magisterium, suspenduntur per sex menses a collatione doctoratus, » vel magisterii. Clem. *Cum sit*, de magistris.

M

» Magisterium, vel doctoratum conferentes, nec exigentes circa expensas ju- » ramentum a promovendis, suspenduntur per sex menses a collatione ma- » gisterii, vel doctoratus. Clem. *Cum sit*, de magistris.

» Matrimonium post contractum, ordinem sacrum recipiens est semper ab eo » suspensus, nisi ingrediatur Religionem. Extrav. Joan. XXII. *Antiquae*, » de voto.

» Monachi incumbentes venationi clamorosae si sunt superiores suspendun- » tur per biennium a collatione beneficiorum; si subditi, suspenduntur per » biennium ab administratione, quam si non habent, tam ad ipsam, quam » ad beneficium ecclesiasticum per biennium redduntur inhabiles. Clem. » 1. §. *Si quis autem*, de statu monach.

» Monachi nigri non utentes vestibus praescriptis, si sunt superiores suspen- » duntur per annum a beneficiorum collatione; si sunt subditi suspendun- » tur ab administratione, quam si non habent, tam ad ipsam, quam ad be- » neficium ecclesiasticum redduntur inhabiles. Clem. 1. §. *Si quis autem*, » de statu Monach.

» Montis pietatis pecunias expendentes Episcopi praeter usus destinatos sus- » penduntur absolute. Bulla 82. Pauli V. quae incipit: *Onerosa pastoralis.*

» Munera recipientes in Visitatione Ecclesiarum, si sunt Episcopi interdi- » cuntur ab ingressu Ecclesiae; si sunt inferiores suspenduntur ab officio, » et beneficio, nisi infra mensem restituant duplum. Cap. *Exigit*, de cen- » sibus in 6.

O

» Oblationes ab usurario recipiens suspenditur ab executione officii, donec » satisfaciat ad arbitrium Episcopi. Cap. *Quia in omnibus*, de usuris.

» Ordinans bigamum, aut publice poenitentem incurrit suspensionem per » annum a celebratione Missae. Can. *Nullus poenitentem.* dist. 55.

» Ordinans cum pacto, ut ordinatus ab eo non petat alimenta in defectu be- » neficii, vel patrimonii, suspenditur per triennium a collatione ordinum. » Cap. *Si quis ordinaverit*, de simonia.

» Ordinans externum praetensum sibi subditum ex praetextu beneficii statim » conferendi, vel ad titulum beneficii, quod non sufficiat pro substentatio- » ne, suspenditur per annum ab administratione ordinum. Bulla 44. Inno- » centii XII. quae incipit: *Speculatores.*

» Ordinans, seu consecrans electum ad Episcopatum non praemissa inquisi- » tione de appellatione interposita ad Sedem Apostolicam, suspenditur per » annum a consecratione Episcoporum. Cap. *Provida*, de elect. in 6.

» Ordinans ficto patrimonio etiam Religiosum non professum suspenditur » per annum a collatione ordinum. Bulla 75. Pii V. quae incipit: *Roma- » nus Pontifex.*

» Ordinans infantem, vel illitteratum, vel conjugatum, vel non subditum su- » spenditur per annum a collatione Ordinum (*Concil. Trid.* sess. 23. cap. » 8. de reform.) et si ipsi confert primam tonsuram suspenditur per an- » num ab ejusdem collatione. Cap. *Nullus Episcopus*, de tempor. ordinat. » in 6.

» Ordinans in aliena Dioccesi sine licentia Ordinarii suspenditur per annum » a Pontificalibus. *Conc. Trid.* sess. 14. can. 2. de reform.

» Ordinans in propria Dioecesi non subditum suspenditur per annum » ab administratione ordinum. *Conc. Trid.* sess. 24. cap. 8. de re- » form.

» Ordinans in propria Dioecesi sibi subditum, qui alibi moratus est adul- » tus sine litteris testimonialibus Ordinarii loci, in quo moratus est, » incurrit suspensionem per annum ab administratione ordinum. Bulla » 44. Innocentii XII. quae incipit: *Speculatores.*

» Ordinans in Italia Ultramontanum cum litteris dimissoriis sui Ordinarii, » sed non approbatis a nuntio regionis, vel non recognitis in Urbe a » Vicario Papae, incurrit suspensionem per annum a Pontificalibus. » Bulla 33. Urbani VIII. quae incipit: *Secretis.*

» Ordinans invitum incurrit suspensionem per annum a celebratione Mis- » sae. Can. *Episcopus*, dist. 4.

» Ordinans Religiosum non professum solemniter (excepto Religioso e » Societate Jesu) incurrit suspensionem per annum a collatione ordinum, » quos contulit. Bulla 72. Pii V. quae incipit: *Romanus Pontifex.*

» Ordinans simoniace, etiamsi conferat solam primam tonsuram suspendi- » tur ab executione omnium ordinum, munerum Pontificalium, et ab » ingressu Ecclesiae; et si se ingerat, vel non abstineat, suspenditur » etiam ab administratione Ecclesiae, et a perceptione omnium fru- » ctuum. Bulla 91. Sixti V. quae incipit: *Sanctum ac salutare.*

» Ordinans eodem die, vel duobus immediatis eumdem in duobus ordi- » nibus sacris, suspenditur a collatione utriusque ordinis. Cap. *Litteras*, » de temp. ordinat.

» Ordinatus per saltum, si scienter in ordine sic suscepto ministravit, » suspenditur ab eo. *Conc. Trid.* sess. 23. c. 14. de reform. in fine.

» Ordinatus sine ullo titulo quando pactum fecit cum ordinante, vel prae- » stante non petendi aliquid pro substentatione in defectum beneficii, » vel patrimonii, suspenditur ab exercitio ordinis. Can. *Neminem*, dist. » 70. *Concil. Trid.* sess. 21. cap. 2. de reform.

» Ordinem furtive suscipiens (quando contra hoc facientes non erat lata » excommunicatio, cum tunc incurratur excommunicatio Papae reser- » vata; suspenditur ab ordine sic suscepto. Cap. 1. *Veniens ad nos*, » de eo, qui ordin. furtive suscep.

» Ordinem sacrum recipiens post matrimonium contractum suspenditur ab » eo donec ingrediatur Religionem. Extrav. Joan. XXII. *Antiquae*, de voto.

» Ordinem recipiens in excommunicatione suspenditur ab ejus executione. » Cap. *Cum illorum*, de sent. excomm.

» Ordinem scienter recipiens ab excommunicato suspenso, interdicto, vi- » tando, simoniaco, haeretico, vel schismatico; suspenditur ab eo. Cap. 1. » et 2. de schismat. Can. 1. et sequentibus 9. q. 1., et Can. *Daibertum* 1. q. 7.

» Ordinem simoniace recipiens suspenditur ab eo. Extrav. 4. et 2. de simon.

» Ordines sacros scienter recipiens ab Episcopo, qui Episcopali dignitati » renunciavit, suspenditur ab eorum executione. Cap. *Requisitis*, de » ordinat. ab Episcop.

» Ordines sacros plures eodem die, vel duobus immediatis recipiens, » suspenditur ab eorum executione; conferens vero a collatione. Cap. » *Litteras*, de temp. ordinat.

» Ordines recipiens sede vacante per dimissorias infra annum acceptas a » Vicario Capitulari, quando non arctatur occasione beneficii recepti, » vel recipiendi, si est in minoribus non gaudet privilegio clericali, » et si est in majoribus suspenditur ab executione ordinum ad bene- » placitum futuri Praelati: *Conc. Trid.* sess. 6. cap. 10. de reform.

» Ordines recipiens Romae sine licentia Vicarii, vel extra Romam etiam cum » dimissoriis sui Ordinarii, si ratione originis, beneficii, aut domicilii

» ad Urbem pertinet, vel est de sex Episcopatibus prope Urbem, in
» quibus non sunt suffraganei, suspenditur ab executione ordinum.
» Ubi vero sunt suffraganei, qui ordinatur in sacris sine litteris testi-
» monialibus Romae habitis, ipse suspenditur ab executione ordinum,
» et suffraganeus suspenditur per annum ab exercitio Pontificalium. Bulla
» 129. Alexand. VII. quae incipit. *Apostolica sollicitudo.*

P

» Praelati accedentes ad Ecclesias, et suscipientes administrationem sine
» Litteris Apostolicis suspenduntur a perceptione fructuum, et recipien-
» tes suspenduntur a beneficiis. Extrav. *Injunctae*, de elect.
» Praelati non procedentes contra suspectos, vel diffamatos de haeresi
» suspenduntur per triennium ab officiis. Clement. 2. §. *Verum*, de haeret.
» Praelati non servantes beneficio vacante Constitutionem Joannis XXII.
» suspenduntur a Pontificalibus, et ab ingressu Ecclesiae donec resti-
» tuant. Extrav. *Suscepti regiminis.*
» Praelati, eorumque commissarii privantes beneficiis eos, qui pro suis
» negotiis commorantur in Romana Curia, suspenduntur ab officio, ac
» beneficio. Extravag. *Divina*, privil.
» Praelati procurantes capi Ecclesiasticos, ut renuncient beneficiis, vel ut
» citati non accedant ad curiam, vel ne statuto tempore comparere va-
» leant, suspenduntur per triennium a beneficiis: inferiores vero, et qui se
» capi procurant, sunt beneficiis privati. Clement. *Multorum*, de poenis.
» Praelati subjicientes laicis bona, ac jura Ecclesiarum suspenduntur ab
» officio, et administratione. Cap. *Hoc consultissimo*, de rebus Eccles.
» non alienand. in 6.

R

» Regulares Praelati aliquid recipientes ob excessus a suis religiosis com-
» missos suspenduntur ab officio, ac beneficio, si infra mensem non resti-
» tuant, et remanent suspensi donec satisfaciant. Clem. 1. §. *Quibus*, de priv.
» Religiosi admittentes ad professionem novitios non completo probatio-
» nis anno suspenduntur a receptione ad professionem. Cap. *Non so-*
» *lum*, et cap. *Constitutionem*, de regularib. in 6.
» Religiosi apostatae suscipientes ordinem sacrum in apostasia suspen-
» duntur ab ejus executione. Cap. *Consultationi*, de apostat.
» Religiosi concedentes ad longum tempus administrationem bonorum mo-
» nasterii suspenduntur ab officio. Clement. 1. de rebus Eccl. non alienand.
» Religiosi ejecti remanent suspensi ab exercitio ordinum. Decret. Congreg.
» Card. relat. a Con. de cens. in particulari, disp. 3. q. 8. punct. 12. n. 1.
» Religiosi suos poenitentes non admonentes de onere solvendi decimas
» postquam de hac obligatione fuerunt moniti a Rectoribus Ecclesiarum
» suspenduntur ab officio praedicandi donec admoneant. Clem. *Cupien-*
» *tes*, de poenit.
» Religiosi usurpantes decimas, vel earum solutionem impedientes sus-
» penduntur ab officiis, beneficiis, et administrationibus, quae si non
» habent, incurrunt, antequam satisfaciant, excommunicationem Papae
» reservatam. Clement. 1. de decimis.
» Resignationem beneficiorum admittentes contra formam praescriptam in
» Bulla Pii V. suspenduntur a collatione, confirmatione, praesentatione,
» vel institutione, quae ipsis competit. Bulla 58. Pii V. quae incipit:
» *Quanta Eccles.* §. 6.

S

» Sacerdos celebrans, nec communicans suspenditur per annum a participa-
» tione corporis, et sanguinis Domini. Can. *Relatum*, de consecr. dist. 2.
» Sede vacante bona Ecclesiae Cathedralis occupantes, vel dissipantes suspen-

» duntur ab officiis ac beneficiis, donec restituant. Cap. *Quia saepe con-*
» *tingit*, de elect. in 6.
» Sepelientes usurarium publicum in loco sacro suspenduntur ab officio,
» donec satisfaciant ad arbitrium Episcopi. Cap. *Quia in omnibus*, de
» usuris.
» Simoniam committentes Conventus, et Capitula suspenduntur absolu-
» te. Extrav. 1. de simon.
» Simoniaci ordinati suspenduntur ab ordine. Extrav. 2. de simonia.

V

» Visitatores inferiores Episcopis (cum hi incurrant interdictum ab in-
» gressu Ecclesiae) suspenduntur ab officio, ac beneficio, si occasione
» visitationis aliquid recipiant praeter victualia, donec duplum resti-
» tuant. Cap. *Exigit*, de censibus in 6.
» Ultramontanus recipiens in Italia ordines sine dimissoriis in forma de-
» bita suspenditur ab executione. Cap. 1: *Saepe contingit*, de temp.
» ordinat. in 6.
» Usurarii oblationes recipiens, vel ejus corpus sepeliens in loco sacro
» suspenditur ab officio donec satisfaciat ad arbitrium Episcopi. Cap.
» *Quia in omnibus*, de usuris.
» Usurpantes aliquid ex redditibus Ecclesiarum vacantium (nisi sint Epi-
» scopi, cum hi subjiciantur interdicto ab ingressu Ecclesiae) incur-
» runt suspensionem ab officio ac beneficio, donec restituant. Cap. *Prae-*
» *senti*, de offic. ordinar. in 6.

SUSPENSIONES

Latae sententiae, non reservatae.

C

» Clausuram Monialium Superiores sine justa causa intrantes pro secun-
» da vice suspenduntur a Pontificalibus, cum pro prima incurrant in-
» terdictum ab ingressu Ecclesiae, et pro tertia excommunicationem.
» Declaratio Bullae 28. Gregorii XIII. quae incipit: *Dubiis*, §. 2.

E

» Ecclesiam sibi commissam pro alienis debitis gravans incurrit suspen-
» sionem absolute. Cap. *Si quorundam*, de solutionib.
» Episcopus exercens Pontificalia in aliena dioecesi sine licentia Ordina-
» rii suspenditur ab executione ordinum. *Conc. Trid.* sess. 6. cap. 5.
» de reform.
» Episcopus ordinans Religiosum sine licentia Superioris suspenditur a
» communione aliorum Episcoporum. Can. *Si quis de alterius*, dist. 58.
» Episcopi alieni ordinationem recipiens sine licentia proprii suspenditur
» ab executione ordinis suscepti. *Conc. Trid.* sess. 23. cap. 8. de reform.
» Episcopi locantes domos, aut commoditatem praestantes usurariis alie-
» nigenis, vel eos non ejicientes infra tres menses suspenduntur abso-
» lute. Cap. *Usurar.*, de usur. in 6.
» Ætatem ante legitimam, vel extra tempora ordinati suspenduntur ab
» executione ordinis sic suscepti. Bulla Pii II. quae incipit: *Cum ex*
» *sacrorum*.

G

» Graecus subjectus Episcopo Latino, qui sine ejus licentia ordinatur ab
» Episcopo Graeco, incurrit suspensionem ab exercitio ordinis recepti.
» Cap. *Quoad translationem*, de tempor. ordi.

I

» Interstitiis non servatis ordinem furtive recipiens (quando contra hoc

» facientes lata non erat excommunicatio) suspenditur ab ordine sic » recepto. Cap. 1. *Veniens ad nos*, de eo qui ordin. furt. suscept.

» Juramentum emittentes de retinendo schismate suspenduntur ab ordi- » nibus, et dignitatibus. Cap. 1. de schismat.

M

» Matrimonio jungens, vel benedicens sponsos alterius parochiae sine li- « centia proprii Parochi suspenditur absolute. *Conc. Trid.* sess. 24. cap. » 1. de reform. matrim.

» Missae celebrationem inchoatam omittens sine causa gravi suspenditur » a receptione corporis, et sanguinis Domini. Can. *Nullus Episcopus*, » de consecr. dist. 1.

» Monialium clausuram Episcopi intrantes sine causa justa pro secunda » vice suspenduntur a Pontificalibus, cum pro prima incurrant inter- » dictum ab ingressu Ecclesiae, et pro tertia excommunicationem. De- » clarat. Bulla 28. Greg. XIII. quae incipit: *Dubiis*, §. 2.

» Monialium Praefecta non admonens Episcopum de instante professione » novitiarum incurrit suspensionem ab officio. *Conc. Trid.* sess. 25. » cap. 17. de regular.

O

» Oblationes recipiens ab usurario, quando satisfacit ad arbitrium Epi- » scopi, potest ab ipso absolvi a suspensione officii. Cap. *Quia in* » *omnibus* de usur.

» Ordinem furtive recipiens (quando contra hoc facientes non erat lata » excommunicatio) incurrit suspensionem ab ordine sic recepto. Cap. » 1. *Veniens ad nos*, de eo qui ordin. furtive suscep.

» Ordinem recipiens ante legitimam aetatem, vel extra tempora, vel sine » dimissoriis suspenditur ab ejus executione. Bulla 7. Pii II. quae in- » cipit: *Cum ex sacrorum.*

» Ordinem recipiens ab alieno Episcopo sine licentia proprii Ordinarii » suspenditur ab executione ordinis suscepti. *Conc. Trid.* sess. 23. cap. » 8. de reform.

» Ordinem recipiens a proprio Episcopo extra dioecesim sine licentia Or- » dinarii suspenditur ab ejus executione. *Conc. Trid.* sess. 6. cap. 5. » de reform.

» Ordines minores, vel etiam sacros, sed ignoranter recipiens ab eo, qui » Episcopali dignitati renunciavit, suspenditur ab eorum executione. » Cap. 1. *Requisivit*, de ordin. ab Episc. qui etc.

» Ordinatus sine ullo titulo, dummodo pactum non fecerit cum ordi- » nante, vel praesentante non petendi aliquid pro substentatione in » defectum beneficii, vel patrimonii (cum tunc suspensio sit Papae re- » servata, ex c. *Si quis ordinaverit*, de simon.) incurrit suspensio- » nem ab exercitio ordinis. Can. *Neminem*, dist. 70, *Conc. Trid.* sess. » 21. cap. 2. de reform.

» Ordinatus per saltum, dummodo in ordine sic suscepto non ministra- » verit (cum tunc suspensio sit Papae reservata) incurrit suspensionem » ab ordine sic suscepto. *Conc. Trid.* sess. 23. cap. 14. de reform.

» Ordinatus sede vacante dimissoriis infra annum acceptis a Vicario Ca- » pitulari, quando non arctatur occasione beneficii recepti, vel reci- » piendi, si est in minoribus, non gaudet privilegio clericali, et si est » in majoribus suspenditur ab eorum executione, a qua suspensione » ante electionem Episcopi non potest absolvi nisi a Papa, post ejus » electionem potest absolvi ab Episcopo. *Conc. Trid.* sess. 7. c. 10. de ref.

» Ordinatus ficto patrimonio, vel sine dimissoriis suspenditur ab execu- » tione ordinum. Cap. *Tuae litterae*, de Cler. per saltum promoto: » cap. *Innotuit*, de eo qui ordin. furtive suscep.; et Bulla 75. Pii V. » quae incipit: *Romanus Pontifex.*

P

» Praelati Episcopi ingredientes sine necessitate monasteria Monialium pro » secunda vice suspenduntur a Pontificalibus (cum pro prima incur- » rant interdictum ab ingressu Ecclesiae, et pro tertia excommunica- » tionem). Declaratio Bullae 28. Greg. VIII. quae incipit: *Dubiis*, §. 2.
» Praelati Regulares concedentes bona monasterii ad longum tempus su- » spenduntur ab officio. Clem. 1. de rebus Eccl. non alienand.

R

» Religiosi introducentes mulieres in monasteria suspenduntur a divinis, » et beneficiis privantur, ad quae etiam redduntur inhabiles. Bulla 20. » Pii V. quae incipit: *Regularium*, §. 4.

S

» Sacerdos non perficiens absque causa gravi Missam inchoatam, suspen- » ditur a susceptione corporis, et sanguinis Domini. Can. *Nullus Epi- » scopus*, de consec. dist. 1.
» Schismate de retinendo juramentum emittentes suspenduntur ab ordi- » nibus, et dignitatibus. Cap. 1. de schismat.
» Sepeliens in loco sacro usurarium, quando ad arbitrium Episcopi sa- » tisfecit, potest ab eo absolvi a suspensione officii. Cap. *Quia in omni- » bus*, de usur.
» Sponsos alienae parochiae matrimonio jungens, vel benedicens sine li- » centia proprii Parochi, suspenditur absolute. *Conc. Trid.* sess. 24. » cap. 1. de refor. matr.

U

» Usurarium publicum sepeliens in loco sacro incurrit suspensionem ab » officio, et ante satisfactionem ad arbitrium Episcopi, non potest ab- » solvi nisi a Papa, post dictam satisfactionem potest absolvi ab Epi- » scopo. Cap. *Quia in omnibus*, de usur.
» Usurariis alienigenis Episcopi locantes domos, aut commoditatem prae- » stantes, vel eos non ejicientes infra tres menses suspenduntur abso- » lute. Cap. *Usurarum*, de usur. in 6.

INTERDICTA

Latae sententiae, Papae reservata, et non reservata.

A

» Abbatiam, vel Episcopatum recipientes de manu laici incurrunt interdictum » ab ingressu Ecclesiae donec resipiscant. Can. *Si quis deinceps*, 16. q. 7. » quod censetur Papae reservatum juxta Gloss. verbo *Interdicimus* in fine.
» Abbates alienantes bona ecclesiastica non servata forma praescripta in- » currunt interdictum ab ingressu Ecclesiae, et nisi infra sex menses » resipuerint, suspenduntur ipso facto ab administratione. Extrav. *Am- » bitiosae*, de rebus Eccles. non alienand.
» Abbates et Episcopi, Conventus et Capitula si dant in feudum, aut » emphyteusim, vel ultra triennium locant bona Ecclesiae, subjiciun- » tur interdicto ab ingressu Ecclesiae. Bulla 51. Urbani VIII. quae in- » cipit: *Humanae salutis*, §. 2.
» Absolvens sacramentaliter publice excommunicatum subjicitur interdicto » ab ingressu Ecclesiae ad arbitrium illius, cujus sententiam contempsit. » Cap. *Episcoporum*, de privil. in 6.
» Archiepiscopus non denuncians Papae infra tres menses suos suffraga- » neos absentes incurrit interdictum ab ingressu Ecclesiae. *Conc. Trid.* » sess. 6. cap. 1. de reform.

B

» Beneficia, et pensiones recipientes in confidentiam, si sunt Cardinales, » vel Episcopi, incurrunt interdictum ab ingressu Ecclesiae Papae re- » servatum; caeteri vero incurrunt excommunicationem Papae reser- » vatam. Bulla 85. Pii IV. quae incipit: *Romanum Pontificem.*

» Beneficiis privantes eos, qui pro suis negotiis commorantur in Roma- » na Curia, incurrunt interdictum. Extrav. *Divina*, de privil.

C

» Capitulum sede vacante dans infra annum dimissorias ad ordines ei, » qui non arctatur occasione beneficii recepti, vel recipiendi, incurrit » interdictum, a quo potest absolvere Episcopus successor, ante cujus » electionem est Papae reservatum. *Conc. Trid.* sess. 7. cap. 10. de ref.

» Cardinales, et Episcopi recipientes beneficia, et pensiones in confiden- » tiam incurrunt interdictum ab ingressu Ecclesiae Papae reservatum. » Bulla 85. Pii IV. quae incipit: *Romanum Pontificem.*

» Celebrans, vel celebrari faciens in loco interdicto incurrit interdictum » ab ingressu Ecclesiae Cap. *Episcoporum*, de priv. in 6.

» Celebrans coram excommunicato vitando incurrit interdictum ab ingres- » su Ecclesiae. Cap. *Episcoporum*, de priv. in 6.

» Coemeteria, et Ecclesiae, in quibus fuerunt sepulta corpora contra jus » aliarum Ecclesiarum juxta Textum, si non fiat restitutio cum pro- » ventibus inde perceptis, subjiciuntur interdicto. Cap. *Animarum*, » de sepultur. in 6.

» Censuram ferens sine debita solemnitate incurrit per mensem suspensionem » a divinis, et interdictum ab ingressu Ecclesiae, quae censurae infra men- « sem sunt Papae reservatae. Cap. *Cum medicinalis*, de sent. excom. in 6.

» Civitas non servans quae servanda sunt in electione Papae subjicitur » interdicto. Cap. *Ubi periculum*, §. *Praeterea*, de elect. in 6.

» Civitas, vel collegium extorquens, aut compellens Ecclesias, vel Ec- » clesiasticos ad solvenda pedagia, seu alia onera, subjicitur interdicto » donec satisfaciat, quod ante satisfactionem est Papae reservatum. » Cap. *Quamquam pedagiorum*, de censibus in 6.

» Civitas praebens auxilium, consilium, vel favorem insequentibus hosti- » liter Cardinales, vel eos non puniens dum potest, subjicitur inter- » dicto, quod censetur Papae reservatum. Cap. *Felicis*, de poenis in 6.

» Clausuram Monialium ingredientes Episcopi sine causa justa pro pri- » ma vice incurrunt interdictum ab ingressu Ecclesiae. Declaratio Bul. » 28. Gregorii XIII. quae incipit: *Dubiis*, §. 2.

» Clerici admittentes ad divina, vel ad sepulturam Ecclesiasticam nomi- » natim interdictos incurrunt interdictum ab ingressu Ecclesiae. Cap. » *Episcoporum*, de priv. in 6.

» Concilii Tridentini glossas edentes Episcopi, eorumque Superiores in- » currunt interdictum ab ingressu Ecclesiae; inferiores vero excommu- » nicationem. Bulla 73. Pii IV. quae incipit: *Benedictus Deus*, §. 5.

» Confessionem fieri ab infirmis Medici non procurantes incurrunt inter- » dictum ab ingressu Ecclesiae. Cap. *Cum infirmitas*, de poenit. et re- » miss. Bulla 3. Pii V. quae incipit: *Supra gregem.*

D

» Dimissorias ad ordines suscipiendos concedens infra annum Capitulum » sede vacante ei, qui non arctatur occasione beneficii recepti, vel » recipiendi, incurrit interdictum, a quo potest absolvere Episcopus » successor, ante cujus electionem est Papae reservatum. *Conc. Trid.* » sess. 7. cap. 10. de reform.

» Doctoratum, vel magisterium concedentes Episcopi, nec exigentes a pro- » movendis professionem fidei, ac juramentum, incurrunt interdictum » ab ingressu. Bulla 88. Ecclesiae Pii IV. quae incipit: *In sacrosancta.*

E

» Ecclesiae, vel coemeteria, in quibus fuerunt sepulta corpora contra jus cae-
» terarum Ecclesiarum juxta Textum, si non fiat restitutio cum proventibus
» inde perceptis, subjiciuntur interdicto. Cap. *Animarum*, de sepult. in 6.
» Episcopi alienantes bona Ecclesiae non servata forma praescripta in-
» currunt interdictum ab ingressu Ecclesiae, et nisi infra sex menses
» resipuerint, suspenduntur ab administratione. Extrav. *Ambitiosae*,
» de reb. Eccles. non alienand.
» Episcopi alienantes bona jurisdictionalia locorum piorum incurrunt in-
» terdictum ab ingressu Ecclesiae. Bulla 51. Urbani VIII. quae incipit:
» *Humanae salutis*.
» Episcopi, eorumque Superiores usurpantes aliquid ex redditibus Eccle-
» siarum vacantium incurrunt interdictum ab ingressu Ecclesiae donec
» restituant, quod, restitutione non secuta, est Papae reservatum; in-
» feriores vero incurrunt suspensionem ab officio, et beneficio. Cap.
» *Praesenti*, de offic. ordinar. in 6.
» Episcopi, eorumque Superiores recipientes aliquid ultra victualia occasione
» visitationis incurrunt interdictum ab ingressu Ecclesiae; inferiores vero
» suspensionem, si infra mensem non restituant duplum; quae censurae re-
» stitutione non secuta sunt Papae reservatae. Cap. *Exigit*, de censib. in 6.
» Episcopi non applicantes fructus beneficiorum juxta Extr. Jo. XXII.
» interdicuntur ab ingressu Ecclesiae, et suspenduntur a Pontificali-
» bus donec restituant. Extrav. *Suscepti regiminis*.
» Episcopi concedentes doctoratum, vel magisterium, nec exigentes a pro-
» movendis professionem fidei, ac juramentum, incurrunt interdictum
» ab ingressu Ecclesiae. Bulla 88. Pii IV. quae incipit: *In sacrosancta*.
» Episcopi concedentes indulgentias, vel facultatem absolvendi a reservatis
» ob quaestum, interdicuntur ab ingressu Ecclesiae, et suspenduntur
» a perceptione fructuum; inferiores vero excommunicantur; quae cen-
» surae sunt Papae reservatae. Bulla 99. Pii V. quae incipit: *Quam plenum*.
« Episcopi, eorumque Superiores glossantes decreta Concilii Tridentini in-
« currunt interdictum ab ingressu Ecclesiae, inferiores vero excommuni-
« cationem. Bulla 73. Pii IV. quae incipit: *Benedictus Deus*, §. 2.
« Episcopi et Cardinales recipientes beneficia, et pensiones in confiden-
« tiam incurrunt interdictum ab ingressu Ecclesiae Papae reservatum:
« caeteri vero excommunicationem Papae reservatam. Bulla 87. Pii IV.
« quae incipit: *Romanum Pontificem*.
« Episcopatum, vel Abbatiam recipiens de manu laici incurrit interdictum
« ab ingressu Ecclesiae donec resipiscat. Can. *Si quis deinceps*, 16. q. 7.
« Episcopus antiquior non denuncians infra sex menses Papae Metropo-
« litanum absentem incurrit interdictum ab ingressu Ecclesiae. *Conc.*
« *Trid.* sess. 6. cap. 1. de reform.
« Excommunicationis sententiam proferens sine debita solemnitate incur-
« rit per mensem interdictum ab ingressu Ecclesiae, quod infra men-
« sem est Papae reservatum. Cap. *Sacro*, de sent. excomm. et cap.
« *Cum medicinalis*, de sent. excom. in 6.
« Excommunicatos vel interdictos admittens ad divina officia, vel sepulturam
« Ecclesiasticam incurrit interdictum ab ingressu Ecclesiae donec satisfaciat
« ad arbitrium illius, cujus sententiam contempsit, qua satisfactione non
« secuta interdictum est Papae reservatum. Cap. *Episcoporum*, de priv. in 6.

I

» « Interdicto locali causam dantes incurrunt interdictum personale. Cap.
« *Si sententia*, de sent. excomm. in 6.

L

» Loca, in quibus impeditur ingressus Legatis vel nunciis Apostolicis,

» subjiciuntur interdicto donec duret contumacia, qua durante inter-
» dictum est Papae reservatum. Extrav. *Super gentes*, de consuetud.
» Locus offensoris, vel in quo offenditur Episcopus, subjicitur interdi-
» cto donec praestetur satisfactio, qua non praestita, interdictum est
» Papae reservatum. Clem. 1. de poenis.
» Locus sacer, in quo sepelitur haereticus, vel ejus fautor subjicitur in-
» terdicto, quod exhumatione non secuta est Papae reservatum. Cap.
» *Quicumque*, de haeret. in 6.

M

» Medici non procurantes confessionem fieri ab infirmis incurrunt inter-
» dictum ab ingressu Ecclesiae. Cap. *Cum infirmitas*, de poenit. et
» remiss. Bulla 3. Pii V. quae incipit: *Supra gregem.*
» Missarum pro eleemosynis non servantes statuta incurrunt interdictum
» ab ingressu Ecclesiae. Decr. Cong. Concil. 22. Septembris 1625.

O

» Ordines conferentes simoniace suspenduntur a Pontificalibus, et incur-
» runt interdictum ab ingressu Ecclesiae Papae reservatum. Bulla 91.
» Sixti V. quae incipit. *Sanctum ac salutare*, §. 2.

R

» Repraesalias concedentes, vel extendentes Universitates in Clericos in-
» currunt interdictum. Cap. unico de injuriis in 6.

S

» Sacramenta ministrans excommunicato vitando incurrit interdictum ab
» ingressu Ecclesiae, cap. *Episcoporum*. de privil. in 6., dummodo excom-
» municatus non sit denunciatus a Papa, cum tunc incurrat excommuni-
» cationem Papae reservatam. Cap. *Significavit*, de sent. excomm.
» Superiores sine justa causa ingredientes clausuram Monialium pro prima
» vice incurrunt interdictum ab ingressu Ecclesiae, cum pro secunda in-
» currant suspensionem a Pontificalibus, et pro tertia excommunicatio-
» nem. Declaratio Bullae 28. Gregorii XIII. quae incipit: *Dubiis* §. 2.
» Sepelientes interdictos, vel excommunicatos in loco sacro incurrunt inter-
» dictum ab ingressu Ecclesiae donec sati faciant ad arbitrium illius cujus
» sententiam contempserunt, qua satisfactione non secuta interdictum est
» Papae reservatum. Cap. *Episcoporum*, de privil. in 6.
» Simoniace conferentes ordinem suspenduntur a Pontificalibus, et in-
» currunt interdictum ab ingressu Ecclesiae Papae reservatum. Bulla
» 91. Sixti V. quae incipit: *Sanctum ac salutare*. §. 2.

U

» Universitas appellans a sententiis Papae ad futurum concilium, vel ad id
» praebens favorem, incurrit interdictum Papae reservatum. *Bulla Coe-*
» *nae* §. 2.
» Universitas cogens Ecclesiasticos ad solvendas gabellas subjicitur inter-
» dicto donec restituat, quod, restitutione non secuta, est Papae re-
» servatum. Cap. *Quamquam*. de censib. in 6.
» Universitas concedens, vel extendens repraesalias contra Ecclesias, vel
» Ecclesiasticos incurrit interdictum. Cap. *Etsi*, de injuriis in 6.
» Universitas non servans Extravag. Joan. XXI. incurrit interdictum. Extrav.
» *Suscepti regiminis*: tit. de sede vacant.
» Universitas permittens usurariis conducere domos in terris suis ad foe-
» nerandum incurrit interdictum. Cap. *Usurarum*, de usuris in 6:
» Universitas turbans statuta ecclesiae Tolosanae subjicitur interdicto Pa-
» pae reservato. Extrav. *Salvator*, de praebend. et dignit.
» Universitas usurpans bona beneficiorum vacantium subjicitur interdicto,
» si infra mensem non restituat, qua restitutione non secuta, interdi-
» ctum est Papae reservatum. Extr. *Suscepti regim.*, tit. de sede vacante

IRREGULARITATES

STATUTÆ IN JURE CANONICO

Quibus subjiciuntur

A

» Acolythi rebaptizantium. Cap. *Ex litterarum*, de apostat.
» Amentes etiam praeteriti. Can. *Maritum*, dist. 33. et can. *Si quis non* » *iratus*, 15. q. 1.
» Apostatae a fide. Can. *Presbyteros*, dist. 50.
» Apostatae a Religione ordinati in apostasia. Cap. *Consultationis*, de apost.

B

» Baptismum differentes usque ad aegritudinem. Can. *Si quis in aegritu-* » *dine* dist. 57.
» Baptismum secundum baptizato conferentes. Cap. *Ex litterarum*, de apost.
» Baptismum secundum recipientes. Can. *Qui in qualibet*, 1. q. 7.
» Baptizati ab haereticis. Can. *Qui in qualibet*, 1. q. 7. et can. *Ventum*, » 1. q. 1.
» Bigamus proprie, qui plures duxit uxores. Cap. 1. usque ad 5. de bigamis
» Bigamus interpretative, qui duxit viduam, vel corruptam. Can. *Prae* » *cipimus*, dist. 34. et can. *Si quis viduam*, dist. 50.
» Bigamus similitudinarie, qui uxorem duxit post votum solemne casti- » tatis. Can. *Quotquot* 27. q. 1. cap. 1. et 2. qui Cleric. vel voven.

C

» Carentes litteris requisitis ad ordinem. Can. *Illitteratos*, dist. 36. et *Concil.* » *Trident.* sess. 23. cap. 4. 11. 13. et 14. de reform.
» Carentes membro impediente exercitium ordinis. Cap. *Thomas*, de cor- » por. vitiat.
» Carentes membro inducente deformitatem notabilem, quae celari non » possit. Cap. *Tua nos*, de cleric. aegrotant.
» Censura ligati exercentes ordinem sacrum solemniter. Cap. *Cum aeterni*, » de sent. et re judicat. in 6., cap. *Is cui est*, et cap. *Is qui in Eccl.* » §. *Is vero*, de sent. excomm. in 6.
» Censura ligati ex ordinatione simoniaca exercentes etiam ordinem mi- » norem. Bulla 91. Sixti V. quae incipit: *Sanctum ac salutare.*
» Chirurgiam exercentes Clerici per sectionem, vel adustionem, si mors » causatur. Cap. *Sententiam*, ne Cleric. vel Monach.

D

» Defectus pro exercendo ordine. Cap. *Thomas*, de corpor. vitiat.
» Defectum lenitatis habentes. Cap. *Sententiam sanguinis*, ne Cler. vel Mon.
» Deformis notabiliter. Glossa in cap. *Thomas*, de corpor. vitiat. et cap. » *Tua nos*, de Cler. aegrot.

H

» Haeretici, eorumque fautores. Cap. *Quicumque*, §. *Haereticis*, de haer. in 6.
» Homicidae, et mutilatores injusti. Cap. *Porro*, de Cler. pugnante.
» Homicidae, et mutilatores justi. Cap. *Sententiam sanguinis*, ne Cleric. » vel Monach.

I

» Illegitimi. Cap. *Ut filiis*, de filiis Presbyteror.
» Illitterati. Can. *Illitteratis*, dist. 36. *Conc. Trid.* sess. 23. c. 4. 11. 13. » et 14. de reform.
» Infames ex delicto proprio, vel parentum. Can. *Infames.* 6. q. 1.

L

» Lenitatis defectum habentes. Cap. *Sententiam sanguinis*, ne Cleric. vel » Monach.
» Litteris requisitis ad ordinem carentes. Can. *Illitteratos*, dist. 36.
» Libertate carentes. Toto tit. de serv. non ordinand.

M

» Matrimonio constante ordinati in sacris. Extrav. *Antiquae*, de voto.
» Membro impediente exercitium ordinis carentes. Cap. *Thomas*, de corp. » vitiat.
» Membro inducente deformitatem notabilem carentes. Cap. *Tua nos*, de » Cleric. aegrot.
» Mutilatores injusti. Cap. *Porro*, de Cleric. pugnant.
» Mutilatores justi. Cap. *Sententiam sanguinis*, ne Cleric. vel Monach.

N

» Neophyti. 1. Timoth. 3. Can. 1. et 2. distinct. 48.

O

» Obligati ad ratiocinia pro re aliena administrata. Cap. *Magnus Episco-* » *pus*, de oblig. ad ratiocin.
» Ordinati in sacris matrimonio constante. Extrav. *Antiquae*, de voto.
» Ordinati etiam in minoribus non approbante Episcopo. Cap. *Veniens* » *ad nos*, de eo, qui ordin. furtive suscep.
» Ordinem sacrum non susceptum exercentes solemniter. Cap. 1. et 2. de » Cleric. non ordin. ministr.
» Ordinem sacrum exercentes in censura. Cap. *Cum aeterni*, de sent. et » re judicat. in 6., cap. *Is cui est*, et cap. *Is qui in Eccles.* §. *Is vero*, » de sent. excom. in 6.
» Ordinem etiam minorem exercentes in censura contracta ex ordinatione » simoniaca. Bulla 91. Sixti V. quae incipit: *Sanctum ac salutare*, §. 3.

R

» Rebaptizantes, eorumque acolythi. Cap. *Ex litterarum*, de apost.
» Rebaptizati. Can. *Qui in qualibet* 1. q. 7. et can. *Confirmand.* dist. 50.

S

» Servi. Toto titulo de servis non ordinand.

Amice lector utere hoc opusculo ad propriae animae, proximique salutem, et

AD MAJOREM DEI GLORIAM.

INDEX RERUM

SECUNDÆ PARTIS

CUM NUMERO MARGINALI

A

Abbatissa nequit ferre censuras 1401.
Ablutio in baptismo 130. 146. et seq. sola ablutio capillorum non sufficit 153. projiciens infantem in aquam pronuntians formam 154. abluens infantem secundinis inclusum 152. baptizans ope siphonis in utero matris adhuc clausum infantem 149.
Abortus 813. 826. 829.
Absolutionis sacramentalis formula 672. et seq. requisita in ministro ad valide absolvendum 678. et seq.
Absolutio non potest dari absenti 674. quando sit repetenda 698. absolutio moribundi 699. et seq. absolutio consuetudinarii 712. et seq. quando sit neganda, vel differenda 710. 734. 735.
Absolutio a reservatis 842. an passim licite omittatur absolutio a censuris 691. quid sit observandum circa absol. a cens. 692. quid agendum, si confessarius inculpabiliter omiserit absol. a cens. 694. an quilibet possit absolv. a cens. 695. formula absolu. a cens. 696. a suspensione 1438. et 696. ab interdicto 1452. ab haeresi 1488. sacerdos absolvens in statu peccati mortalis 84. an ipse debeat prius confiteri. 85.
Acetum, agresta, vinum adustum, an sint materia consec. 280.
Acolythatus 988. et seqq.
Additio ad formas sacrament. 32.
Adoptio quid et quotuplex sit. 1277.
Adulterium quando sit impedimentum matrimonii 1299. et seq. an proles ex adulterio nata per subsequens matrimonium legitimetur 1467.
Ætas requisita ad sponsalia 1103. ad matrimonium 1334. ad ordines minores 958. ad Subdiaconatum 1002. ad Diaconatum 1080. ad Sacerdotium 1094.
Affinitas ut est impedimentum matrimonii a n. 1290. usque ad 1298.
Alba, vestis Sacerd. 405.
Altare 403. 447. quando amittat suam consecrationem 449.
Amictus sive humerale 405.
Amentibus an et quando danda sit Eucharistia 362. et seq.
Apostasia 786.
Applicatio Missae 389. sub fin. et 410. 418. et seq.
Approbatio confessarii 679. et seq. quamdiu duret 743.
Aqua ut est materia baptismi 129. 137. et seq. quid observandum sit circa aquam benedictam pro baptismo 144. 145. aqua vino miscenda ante consecrationem 256. 282. quid agendum, si sacerdos ante vel post consecrationem advertat aquam non fuisse affusam 294. et seqq.
Arrha 1124.
Articulus mortis 849.
Asylo non gaudent duellantes 1430.
Attentio in sacramentorum administratione 63. in suscipiente qualis requiratur attentio 108. in recitatione Breviarii 1053. et seq. attentio requisita ad audiendam Missam 458.
Attritio 492.
Auditio Missae 457. et seq.

B

Balbutiens pronuntiando formam sacrament. 26. et seq.
Baptismus quid et quotuplex sit 118. ejus institutio 120. necessitas 127. baptismus in voto 118. 128. baptismus ex metu susceptus 109. baptismus Christi,

et Joannis 121. materia remota baptismi 129. 137. materia invalida 138. valida 139. dubia 140. quando liceat adhibere materiam dubiam 141. et 142. extra necessitatem non licet adhibere aquam impuram 143. adhibenda est aqua benedicta 144. materia proxima 130. 146. et seq. forma baptismi 131. 156. et seq. et n. 13. 14. 15. 18. 32. formae invalidae 157. 158. dubiae 159. effectus baptismi 122. et 126. character 124. et seq. minister 132. 133. 160. et seq. an liceat ab acatholico ministro petere baptismum 161. intentio baptizantis 170. subjectum baptismi 134. quaenam intentio requiratur in baptizando 134. de partu monstruoso 174. et seq. in dubio, an quis sit baptizatus 136. 188. 196. Sacerd. vel Episc. dubius, an sit baptizatus 197. Religiosus de hoc dubius 198. de baptizandis infidelibus 174. usque ad 186. de prolibus acatholicorum baptizandis 185. de adultis amentibus 186. de foetu praematuro 187. de iteratione bapt. 135. 136. quibus in casibus iterandus sit baptismus 189. et seq. item 194. 195. et seq. de baptismo infantis latentis adhuc in utero matris 148. et seq. quid agendum, si saga plures baptizarit in nomine diaboli 168. de irregularitate ex iteratione bapt. 1481. de infantibus expositis 194. de caeremoniis bapt. 199. et 220. de patrinis 200. et seq. quomodo adultus debeat esse dispositus ad suscipiendum bapt. 100. baptismus mimice collatus 58. baptismus ad valorem reliquorum Sacramentorum absolute praerequiritur 99. an valeat baptismus, dum unus abluit, alter formam pronuntiat 169. an liceat baptizare extra Ecclesiam 203. requisita ad solemnem baptismum 208. quando sit suscipiendus baptismus 218. baptizatus inscribendus est libro baptismali 219.

Bigamia 1474.

Breviarium quid sit 1025. unde sit obligatio recitandi breviar. 1028. quinam ad illud obligentur a n. 1030. usque ad 1037. quaenam materia hic censeatur levis vel gravis in omissione partis Breviar. 1038. causae excusantes a recit. Breviar. 1039. de coeco, vel laborante oculis 1040. de eo, qui nequit solus recitare 1041. qui nequit recitare matutinum et laudes, an teneatur ad recitandas horas minores, si possit 1042. quaenam occupatio excuset 1044. quinam metus excuset 1045. excommunicati, suspensi adhuc obligantur ad Breviar. 1047. quomodo debeat recitari 1048. de intentione requisita 1049. et seq. de attentione 1053. et seq. media contra distractiones 1055. distracte orans an satisfaciat 1053. et seq. observanda a scrupuloso circa recit. Brev. 1059. commutans officium cum officio 1061. existens in aliena dioecesi quodnam officium debeat recitare 1062. porro recitandum est vocaliter 1063. integre 1064. continue 1065. ordinate 1066. debito tempore 1067. unicum officium recitans non satisfacit pro die praesenti, et crastino 1068. Beneficiatus omittens recit. Brev. tenetur ad restit. fruct. 1069.

Bulla Coenae 808. an refractariis Bullae *Unigenitus* viaticum sit denegandum 361. ubi refertur Bulla Bened. XIV. ad Clerum Gallicanum.

C

Casula, vestis Sacerd. 405.

Calix pro Sacrific. Missae 404.

Canones poenitentiales 614. et seq.

Castitatis servandae obligatio annexa sacris ordinibus 1018. et seq.

Censura poena ecclesiastica 139. quotuplex sit 1400. quis ferre possit cens. 1401. in quos 1402. causae excusantes ab incurren. cens. 1404. et seq. quomodo solvantur censurae 1408. et seq. de censuris in specie a n. 1412. per totum.

Caeremoniae in administratione sacramentorum accurate observandae sunt 199.

Caeremoniae baptismi solemnis observandae 199. earum significatio 220. baptizans extra Ecclesiam nihilominus caeremonias debet observare 204. nec exorcismi sunt omittendi, dum post baptismum collatum supplentur caeremoniae 205. quid de haereticis conversis ad fidem, an supplendae omissae caeremoniae bapt. 206. an repetendae caeremoniae, si baptismus ante collatus cum caeremoniis sit invalidus et repetendus 207.

Chrisma 208. 230. quis possit conficere 233.
Ciborium quomodo et quoties mundandum 306. quid si vermiculi ibi reperiantur 307.
Cingulum Sacerd. 405.
Circumstantiae tantum aggravantes an sint exponendae in confessione 562. et seq. quando circumstantiae merc aggravantes sint exprimendae 569. et seq.
Clandestinum matrimonium 1338. et seqq.
Clausulae in rescriptis quomodo sint intelligendae 1395.
Clerici percussio 787. quaenam Clericis specialiter sint prohibita 959. Cleric. habitus et tonsura 951. 949.
Cognatio spiritualis dirimens matrimonium 200. 1279. haec non est inter ipsos patrinos sive levantes ex baptismo, vel tenentes in confirm. 211.
Cognatio legalis 1277.
Cognatio carnalis sive consanguinitas 1281.
Communicatio cum excommunicato 1421.
Communio frequens 383 quotidiana 384.
Communio Paschatis 268. qui eam neglexit, an debeat adhuc satisfacere praecepto 314. praevidens impedimentum commun. Pasch. 315. et seq. quinam defectus ex parte dispositionis corporis impediant a sacra com. 369. et seq. ubi sumenda 317. et seq. in qua parochia vagi et peregrini teneantur communionem sumere 322. de pueriperis 323. de excommunicatis, suspensis, et interdictis 325. tempus commun. Pasch. 324. an requiratur specialis intentio ad comm. Pasch. 325. de comm. parvulorum 326. de commun. in articulo mortis 327. an ad dignam commun. necessario requiratur amor purissimus 385.
Complicis manifestatio in confessione sacram. 585, usque ad 595. complex valide non potest absolvere complicem 820. quid hodie specialiter sit observandum circa peccatum complicis 851.
Conceptionem non licet impedire 1228.
Concubinarius an possit absolvi 727. usque ad 730.
Concursus magnus poenitentium non excusat ab integritate confessionis 576.
Conditio ut impedimentum dirimens matrimonium 1263. sub conditione administrans sacramentum 65. 67. sub conditione absolvens 66. et 68.
Confessarius debet habere approbationem et jurisdictionem 678. et seq. specialem pro casibus reservatis 684. in articulo mortis habetur facultas 685.
Confessarii triplex officium 686. confessarius qua doctor 753. qua judex 754. qua medicus 755. confessarium oportet esse prudentem 756. ejus obligationes respectu poenitentis 687. destitutus debita scientia 751. absolvens alta voce 687. confessarius moribundi a n. 697. usque ad 708. approbatus in una dioecesi non ideo est approbatus in alia 738. quid confessario observandum sit ante administr. poenit. 757. quid sub administr. 757. 763. quid post administr. 779. quando teneatur monere poenitentem de errore 762. quid agendum, si advertat poenitentem matrimonium contraxisse cum impedimento, ibid. et 1192. quid observandum circa absolutionem a censuris a n. 691. et seq. an peccet non absolvendo dispositum 687. quid notandum in concursu pœnit. 707. quando teneatur examinare poenitentem 764. quid, si advertat, errorem a se fuisse commissum in administratione poenit. 781. debet sub gravissima obligatione sub sigillo servare audita in confess. 688. et seq. confessarius consuetudinarii 711. et seq. confessarius regularium 739. monialium 741. confessarius parvulorum 766. confessarius adolescentum 767. confessarius rudium 768. confessarius fatui 769. surdi, muti etc. 770. et seq. obligati ad restit. 774. concubinarii 729. 882. confessarius variis tentationibus agitati 777. confessario quid agendum, si carens facultate audiat peccata reservata 847.
Confessio sacramentalis 513. qualis debeat esse 514. usque ad n. 530. de integritate confess. 524. ejus necessitas 531. obligatio 533. materia confessionis 536. et seq. solae imperfectiones non sunt materia sufficiens 540. nec sola proclivitas ad malum 541. an sufficiat confiteri in genere aliquod peccatum 542. an

peccata dubia sint sufficiens materia 546. et seq. 551. qui confessus est peccatum ut dubium, postea deprehendit ut certum, an teneatur rursus confiteri 553. confessio generalis 544. confessio annua 534. 599. et seq. quando parvuli ad eam obligentur 607. de sigillo confess. 688. et 853. confessio praemittenda sacrae communioni 340. 271. quaenam necessitas excuset a confessione ante communionem 342. et seq. quando quis consendus sit non habere copiam confessarii 347. usque ad 354. sacerdos ob necessitatem sine confessione celebrans, tenetur postea quamprimam confiteri 356. et seq. de numero peccatorum exprimendo 555. quid consuetudinario agendum, qui numerum ignorat 556. numerus verisimilis exprimitur per *τὸ circiter* 557. quale examen ante confessionem 559. et seq. an quis teneatur scripto annotare peccata 560. an sufficiat confessio facta in scripto absenti sacerdoti 561. quaenam circumstantiae sint exprimendae a n. 562. usque ad 572. quaenam impotentia excuset ab integritate materiali 354.

Confirmatio ut sacramentum 221. an necessaria ad salutem 241. obligatio eam suscipiendi, ibid. ejus materia remota 222. 230. et seq. proxima 223. 234. et seq. an liceat confirmare mediante instrumento 235. an in sola fronte 236. forma 224. 237. Minister 225. 240. subjectum 226. dispositio confirm. 228. ritus confirm. 239. effect. confirm. 227. et seq. suscipiens in excommunicatione 106. iterans confirm. an sit irregularis 238. in confirmatione debet adhiberi patrinus 229. accurrentes ex aliena dioecesi ad confirm. 240. negligens ex contemptu hoc sacramentum 242. ordinandus absque praecedente confirmatione an peccet 243. confirmans an debeat esse jejunus 244. ubi et quibus diebus confirmatio sit conferenda 244.

Conjugum obligatio 1179. quid conjugibus liceat, et quid non 1208. et 1224.

Consensus ad matrimonium requisitus 1177. et 1186. consensus fictus 1187. et seq.

Consecrationis materia 253. et seq. consecratio particularum in ciborio 284. et seq. forma consecrationis 260. et seq. sensus utriusque formae 264. quomodo proferenda 297. 267. omittens *τὸ enim* an peccet 298. consecrare non licet unam tantum speciem 303.

Consuetudo an sit exprimenda in confessione 570.

Consuetudinarius quomodo sit dirigendus 711. usq. ad 722. media ad emendat. 736. poenitens tenetur confessario interroganti fateri consuetudinem peccati 717.

Copula conjugalis 1208. et seq.

Crimen ut impedimentum matrimonii 1291. et seq.

Curatus ex justitia tenetur administrare sacramenta 92. et 93.

D

Dataria apostolica, in quibus soleat dispensare 1382.

Debitum conjugale 1208. 1215. 1221.

Delectationis morosae objectum an sit exprimendum in confessione 571. an circumstantiae propriae personae 572.

Denuntiationes ante matrimonium 1245. causae dispensandi super iis 1250.

Depositio et degradatio 1440. et seq.

Diaconatus 1072. an sit sacramentum 1073. ejus materia et forma 1075. officia Diaconi 1079. quid requiratur, ut valide et licite suscipiatur Diaconatus 1080. quo ritu conferatur 1083. Diaconus exercens sua officia in mortali 80.

Disparitas cultus quomodo dirimat matrimonium 1304. et seq.

Dispensatio Eucharistiae 267. 300. 301. 308. 309. 310. quando non liceat distribuere Eucharist. 313.

Dispensans super impedimentis matrimonii 1361. 1363. usque ad 1378. ratio expediendi dispens. 1279. praxis procurandi dispens. 1380. et 1383. in forma pauperum 1384. formulae petendi dispens. 1385. et seq.

Distractio in sacramentorum administratione 64. in Breviario 1056. media 1055.

Divortium 1182.

Dolor de peccatis 490. per totum. Dolor sensibilis an requiratur 499. quomodo fiat sufficienter sensibilis 501. an certa intentio et duratio 500. dolens se non

satis dolere 502. quid si poenitens continuo se accuset, quod non habeat sufficient. dolorem 503. quomodo dolor debeat esse connexus cum absolutione 504. quomodo referri debeat ad confessionem 505. an sufficiat, si eliciatur saltem adhuc ante absolutionem 506. an necessario debeat praecedere absolutionem 507. an novus dolor requiratur, si poenitens statim post absolutionem peccatum omissum confiteatur 508. quando revocetur dolor et propositum 509. ad confess. venial. tamen requiritur dolor 510.
Dona Spiritus S. 97.
Dubium 546. dubitans de baptismi valore 136.
Duellum 1430. ubi invenire licet quinque propositiones damnatas a Bened. XIV.

E

Ebrio constituto in articulo mortis an dandum sit viaticum 328.
Ecclesiae execratio 448. Ecclesia violata 450.
Effectus sacramentorum 101. et seq.
Eleemosynae ad lucrandum jubilaeum 665.
Energumenus 986. 978.
Episcopatus an sit ordo distinctus a presbyteratu 1097.
Error ut impedimentum matrim. 1256. error conditionis 1263. error privatus an tollat valorem sacramenti 40. 191. sub fin. errans circa formam sacram. 29.
Eucharistia ut Sacramentum 246. credenda circa Eucharistiam 247. 248. et seq. ei debetur cultus latriae 250. Christus non dividitur, dum dividuntur species 251. laici non accipiunt minus sub una specie 252. non consistit tantum in ipso usu 250. materia remota Eucharistiae 253. panis in Ecclesia latina debet esse azymus 254. materiae quantitas et figura 259. aqua vino admiscenda 256. 294. materia proxima Eucharistiae 246. 255. materia debet esse praesens et determinata 257. et seq. materia certo invalida 274. dubia 275. de vino 277. et seq. de particulis in ciborio consecrandis 284. forma utriusque consecr. 260. 297. 298. sensus formae 264. quomodo proferenda sint verba consecr. 262. 297. 299. forma invalida 263. minister Euchar. 265. 300. quid requiratur, ut sacerdos valide consecret 269. de praecepto sumendi Euchar. 268. effectus hujus sacrament. 273. subjectum capax Euchar. 269. Eucharistia ut est viaticum 327. de disposit. animae ad Eucharist. 271. 272. 340. usque ad 357. an sacrilegus sit, qui ante impletam poenit. sumit Eucharist. 358. Eucharistia an danda sit peccatori publico 359. an occulto 74. et 361. an amentibus 362. an energumenis 367. de scrupulosis circa communionem 368. de dispositione corporis ad Euchar. 270. 369. usque ad 382. quaenam macula corporis impediat a digna commun. 380. an pollutio impediat 381. an actus conjug. 382. Eucharistiam distribuens constitutus in gravi peccato 82. de modo distribuendi 308. 309. minister Eucharistiae dispensandae 267. Regulares dispensantes in suis templis Eucharistiam 267. laico non est facultas deferendi Eucharistiam ad infirmos 301. et seq. Eucharistia ut est sacrificium 390. per totum. non licet consecrare tantum unam speciem 303. quid si sacerdos infirmetur post consecrationem primam 303. sacerdos consecrans debet integre sumere sacramentum 304. quid observandum circa hostiam pro monstrantia, ut vocant, ibid. quid observandum circa particulas minutas in corporali vel patena repertas 305.
Eunuchus 1351.
Examen conscientiae ad confessionem 559.
Excommunicatio quid sit 1412. ejus effectus 1414. excommunicatio minor 1425. quae causae excusent communicantem cum excommun. 1422. excommunicationes reservatas et non reservatas vide a n. 787. usque ad n. 820. excommunicatio in duellantes lata 1420. in legentes libros haereticorum 1428. et 808. in eos, qui mercimonia super eleemosynis missarum exercent 433. in eum, qui absolvit suam complicem 820. in eum vel eam, qui vel quae sacerdotem false insimulat sollicitationis apud Eccles. judicem

819. excommunicatio in nonnullas societates vulgo *de' liberi Muratori*, seu *des Francs Maçons* 1431.
Execratio Ecclesiae 448.
Executor dispensationis 1394.
Exorcistatus 978. per totum.

F

Fictio in suscipiendis sacramentis 95.
Fides an requiratur in ministro sacrament. 54.
Formas sacramentorum vide de singulis sacramentis suo loco. Forma absolutionis sacrament. 670. 672. forma absolut. a censuris et irreg. 696. formulae petendi dispens. a Dataria 1385. et seq. a S. Poenitentiaria 1382. ab Episcopo 1391. forma per Episc. petendi Romae dispensat. 1393. formula dispensandi super matrim. invalide contracto 1396. formulae dispensandi super irregularitate ex natalibus 1470. super irregular. ex delicto 1487. super aetate 1479. super interstitiis 1491.
Frigidus in ratione matrimonii 1349.

G

Gradus consanguinitatis 1283. affinitatis 1297.
Gratia actualis, habitualis, sacramentalis, sufficiens, efficax etc. gratia prima et secunda 97.
Gravida 1217.

H

Hebraeorum parvulos an liceat baptizare invitis parentibus 174. et seq.
Haeresis mere interna an sit reservata 843.
Hermaphroditus an sit capax matrimonii 1351. an sit irregularis 1462.
Honestatis publicae impedimentum 1327. 1108. non agit retro 1154.
Horae canonicae. Vid. *breviarium.*
Hostiam non consecratam praebere pro consecrata 74. hostiarum particulae 305. quid agendum, si hostia consecrata in terram decidat 310. hostia adhibita ad usus superstitiosos 311. si communicans hostiam ex ore sumat 312. quid advertendum circa hostiarum in ciborio contentarum consecrationem 285. et seq. hostiae consecrandae regulariter debent esse praesentes ante oblationem 288. non sunt statim distribuendae post consecrationem 289. quid si sacerdos consecraus duas teneat hostias, putans esse unam 290. hostia consecranda debet esse integra, munda etc. 293. poena eorum, qui surripiunt, aut apud se retinent hostias consecratas 312.
Humerale 405.

I

Jejunium naturale 369. usque ad 379. quid requiratur ad violat. jejunii naturalis 369. et seq. an violet jejunium naturale, qui post duodecimam noctis adhuc aliquid masticat in ore 372. an, qui saccharum adhuc deglutit 373. an, qui tabacum sumit 374. causae excusantes ab obligatione jejunii natur. ante sacram communionem 375. usque ad 379. de jejunio tempore jubilaei 664.
Illegitimus 1464.
Impedimentum matrimonii aliud dirimens, aliud impediens 1232. contrahens cum impedimento cognito peccat graviter 1234. impedimenta impedientia a n. 1235. si manifestetur impedimentum, quid sit observandum a Parocho 1392. impedimentum dirimens invincibiliter a poenitente ignoratum an confessarius dissimulare possit 1192.
Impotentia, an excuset ab integritate confessionis 574. et seq. impotens ad matrimonium 1439. et seq. quaenam impotentia dirimat matrimonium a n. 1349. per totum.
Impuberes an valide contrahant matrimonium 1334.
Indigno conferens sacramentum 89. 90. indigno negans absolutionem quid agere debeat, ne alii advertant 76.

Indulgentia quid sit 642. quotuplex 643. et seq. a quo concedendae 646. quis eas possit lucrari 647. quando cessent 648. quaenam certius adhuc valeant 649. et seq. indulgentiae pro meditantibus et moribundis 652. an dentur indulgentiae apocryphae 653. indulgentiae confraternit. 655. an quis plures possit lucrari eodem die 656. an confessio necessario praerequiratur 658. an opus praescriptum possit fieri per alium 657. formula petendi indulgentias Romae 659. an jubilaeum lucretur omittens partem operis injuncti, ibid.
Infamia, infamis 1471.
Infantes expositi an et quomodo sint baptizandi 194. an baptizandi adhuc latentes in utero matris 148. et seq.
Integritas confessionis 524. 555. quaenam impotentia excuset ab integritate materiali 574. an magnus concursus populi excuset 575. an verecundia excuset 578. an metus excuset 579. grave incommodum, ut excuset, debet esse extrinsecum ipsi confessioni 579. 580.
Intentio 43. 1049. quotuplex 44. 45. et seq. quaenam requiratur in ministro sacramenti 49. intentio directa 70. an sufficiat coacta 79. intentio habitualis an sufficiat ad applicationem Missae 53. intentio non faciendi, quod facit Ecclesia, si externa solum adhibeantur 57. et seq. intentio reflexa non requiritur necessario 60. quo sensu devotio suppleat intentionem 61. an defectum intentionis suppleat Ecclesia 62. intentio debet esse determinata ad materiam et personam 69. an debeat esse absoluta 65. an conditionata sufficiat 66. 67. 68. an et qualis intentio requiratur in suscipiente sacramentum 98. intentio confessarii 758.
Interdictum 1442. quotuplex 1443. effectus interdicti 1444. poenae violant. interdict. 1451. quomodo tollatur 1452. interdictum ut est impedimentum impediens matrimon. 1236. et seq. an liceat contrahere matrimonium tempore interdicti localis 1244.
Interpres adhibitus ad confessionem sacramentalem 574.
Interstitia inter ordines 1014. quis possit dispensare super interstitiis 1492.
Jocalia 1124.
Irregularitas quid sit 1454. quotuplex 1455. irregularitas ex defectu 1459. et seq. haec quomodo tollatur 1466. et seq. quomodo sit petenda dispensatio super natalibus 1470. quomodo tollatur irregularitas ex bigamia 1475. irregularitas ex delicto 1481. et seq. praxis petendi dispensationem super irregul. 1489. et seq.
Jubilaeum quid sit 645. quid requiratur ad illud lucrandum 660. an quis idem Jubilaeum saepius lucrari possit 661. quid, si quis denuo incidat in reservata durante jubilaeo 662. de visitatione Ecclesiarum 663. de jejunio 664. de eleemosyna 665. facultas absolvendi tempore jubilaei 666. ordinarie non datur potestas absolvendi ab irregularitate ex delicto 667. quid observandum circa commutationem votorum tempore jubilaei 118. an facultas absolvendi a censuris possit exerceri extra confession. sacram. 669.
Jurisdictio confessarii 678. 681. et seq. an liceat absolvere cum jurisdict. dubia 744. quando in errore communi censeatur Ecclesia supplere defectum jurisdictionis 745. et seq. an sufficiat jurisdictio praesumpta 749. quid de confessariis habitantibus in conterminis diversarum dioecesium 750. pro mortis articulo quilibet sacerdos gaudet jurisdictione 683. ad absolutionem a reservatis praeter ordinariam requiritur specialis facultas 684.

L

Laico quid liceat circa dispensationem Eucharistiae 301.
Lectio librorum haeretic. obnoxia excommunicationi 1428.
Lectoratus ordo minor 971. ejus materia 972. forma 973. officium Lectoris 974. quo ritu conferatur Lectoratus 977. virtutes Lectori propriae 975. dignitas hujus ordinis 976.

Lenitatis defectus 1476.
Leno, lenocinium 1471.
Libri haeretici 808. et 1428.
Ligaminis impedimentum 1320. et seq.

M

Manipulus 405.
Mariti erga uxorem obligatio 1179.
Mater an teneatur pati sectionem, ut proles possit baptizari 155. et seq.
Matrimonium varie consideratum 1172. est vere sacramentum 1175. ejus materia, et minister 1176. qualis requiratur consensus 1177. de ficto consensu 1187. quomodo revalidandum sit matrimonium ficte initum 1191. sub conditione initum 1194. initum cum voto servandi castitatem 1193. contrahere matrim. per procuratorem 1197. matrimonium ad morganaticam 1198. matrimonia infidelium 1200. et seq. contractum cum acatholica 1202. initum ex metu 1206. 1310. solemnitas matrimonii 1178. obligatio contrahentium matrimonium 1179. matrimonium consummatum est indissolubile 1180. de matrim. rato 1181. usus matrimonii 1208. an impediendi sint a contrahendo matrimonio, qui ignorant doctrinam christianam 1254. qui contrahit cum impedimento dirimente, si ignoret, an valide contrahat 1360. matrim. clandestinum 1338. egrediens ad locum, ubi Tridentinum non est receptum, ibique contrahens 1389. simulare matrimonium 77. et seq. contrahens in statu peccati 87. si impubes contrahat, cujus sit declarare, an malitia suppleat aetatem 1337.
Mentiri in confessione 596. et seq.
Metus an dirimat matrimonium, a n. 1310. et seq.
Minister sacramentorum 48. minister solemnitatis et necessitatis 55. an a ministro indigno liceat petere sacramentum 88. ministrans indigno 89. minister an quomodo debeat esse certus de dispositione suscipientis sacramentum 90. obligatio ministrandi sacramenta 92. minister debet servare ritus praescriptos 86.
Minorista exercens officium suorum ordinum constitutus in mortali an peccet 81.
Missa 391. 396. est verum ac proprium sacrificium 392. et seq. quid requiratur ad valide et licite consecrandum 266. oblata ab impio sacerdote 409. pro quibus licite offeratur 398. tempus celebrandi 401. locus sacrific. 403. requisita ad celebrandum 404. et seq. cooperantes ad Missam 410. et seq. an liceat offerre pro excommunicato 412. applicatio Missae 417. et seq. an liceat fructus sacrificii dividere, et diversis applicare 422. Missa in altari privilegiato 423. Missae ab Episcopo neo-ordinatis sacerdotibus injunctae 424. et 1097. sub fin. abrumpere Missam 443. interrumpere 444. Missam audiendi obligatio 457. et 463. quaenam praesentia requiratur 458. quando obliget hoc praeceptum 470. ubi 481. integra Missa audienda 471. et seq. qualis attentio requiratur 458. 477. sub Missa se praeparans ad confes. 480. causae excusantes ab obligatione audiendi Missam 459. et seq. 483. et seq. quo actatis anno quis incipiat obligari 463. et 464. an surdus, coecus, et mutus obligetur 465. sacerdos non celebrans debet alterius audire Missam 466. distantia loci, ubi celebratur Missa, an sit causa excusans ab obligatione 466. haec obligatio exspirat cum die 469. non satisfacit, qui plures partes diversarum Missarum simul audit 471. an festo Nativitatis Christi gravis obligatio tres audiendi Missas 472. an satisfacit praecepto, qui duas diversarum Missarum partes successive audit 473. sero veniens quando graviter peccet 474. an satisfaciat egrediens e templo, et rediens 475. an stans extra templum satisfaciat 476. an e vicinia videns sacerdotem celebrantem 476. an dormiens sub Sacro, garriens etc. 478. an musici satisfaciant 479. an sub Missa se praeparans ad communionem vel confessionem 480. de Missa in oratorio privato 482.

Monialis confitens extra monasterium 741.
Monstruosus partus an sit baptizandus 172. et seq.
Moribundi absolutio 699. 717. si non det signum doloris 701.
Mustum an sit materia consecrationis 279.

N

Necessarium necessitate medii vel in re, vel in voto 532. 128.
Neophytus 1460.
Nomen in baptismo imponendum 210.
Notorium notitia juris et facti 359.
Numerica peccatorum distinctio 555. per totum.

O

Obex sacramenti 65.
Obligationes annexae ordinibus majoribus 1016.
Occasio peccandi 723. quotuplex 724. fugienda est 725. et seq. quomodo sit dirigendus constitutus in occasione proxima voluntaria 736. in involuntaria 732. media pro tali 736. ibid.
Oleum infirmorum 895. 899. si hoc per annum deficiat, an liceat in minore quantitate effundere oleum oliv. non benedictum 900.
Ex opere operato, et ex opere operantis conferre gratiam, pag. 4. in prooemio, et 103.
Oratoria privata 451. 482.
Ordo quid sit 927. et 932. an sit sacramentum 928. unde dicantur alii majores, alii minores 931. effectus sacramenti ordinis 933. ordines minores an sint sacramentum 996. horum subjectum 995. ordinatus absque praevio sacramento confirmationis 243. ordo sacer an dirimat matrimonium 1317. et seq. quid sit ordinare per saltum 1016.
Ostiariatus ordo quid sit 962. ejus materia et forma 963. et seq. officia ostiarii 967. ritus quo confertur ostiariatus 970. virtutes in ostiario requisitae 968.

P

Panis triticeus materia consecrationis primae 253. 274. et seq.
Panis azymus 254. 292.
Parochorum obligatio circa applicationem Missae pro parochianis 439. administrandi sacramenta 92.
Parvuli quando obligentur ad confessionem annuam 607. ad communionem 326. 269.
Paschalis sive annua confessio 531. 599. et seq. causae excusantes ab ea 605. poena transgressionis 606. communio Pasch. 268. 314. et seq.
Patrinus in baptismo adhibendus 200. quid requiratur ad hoc, ut valide munus patrini quis obire queat 201. quid ad hoc, ut licite 202. ejus officium 212. cognatio 200. 211. catholicus an possit esse patrinus acatholici 215. de patrinis in confirmatione 229. in necessitate necessario patrinus non est adhibendus 213. abusus circa officium patrini 214. negans id officii an peccet 216. patrinus non tenetur alere filiastrum 217.
Peccata dubia an sint materia confessionis 546.
Peccatori publico an debeat negari sacramentum 91. et praesertim Eucharistia 359. peccatori occulto an et quando possit negari Eucharistia 91. 361. quis censeatur publicus peccator 359. quae poenitentia a tali requiratur, ut possit admitti ad Euchar. 360. peccata ob gravem causam in confessione omissa postea adhuc debes confiteri 577.
Periculum peccandi 722.
Poenitentia quid sit 486. quid sit ut virtus 487. quid ut sacramentum 488. materia sacram. poenit. 489. dolor requisitus 490. an sufficiat attritio 492. requiritur dolor supernaturalis 495. universalis 496. appretiative summus 497. efficax cum proposito 498. de confessione 513. per totum. Forma sacram. poenitent. 670. 672. minister 671. quid requiratur, ut valide absolvat 678. et seq. ut licite 686. canones poenitentiales 614. et seq. an liceat adhuc

injungere poenitentiam publicam 616. qualis debeat poenitentia injungi 619. 620. 622. et seq. an etiam oratio pro defunctis 617. an injungendo poenit. minister distinctam singulorum peccatorum memoriam debeat habere 618. ob quas causas levior poenitentia possit injungi 621. quando sit persolvenda poenit. 633. an necessario sit implenda ante absolutionem 635. an cum intentione satisfaciendi 636. quid, si impleatur in statu peccati mortalis 637. si videatur poenitenti justo gravior 639.

Poenitentiae salutares 623. convenientes 623. pro mortali 624. pro consuetudinario 625. quale sit peccatum omittere injunctam poenit. 627. quid, si oblitus sit poenitentiae injunctae 628. non licet per alium satisfacere 629. a quo possit mutari 630. et seq.

S. Poenitentiaria in quibus dispenset 1381.

Polluere Ecclesiam 448.

Polygamia simultanea 1185.

Presbyteratus 1084. an sit sacramentum 1085. ejus materia et forma 1086. quid requiratur, ut valide ordinetur presbyter 1091. ut licite 1094. officia presbyteri 1096. quo ritu conferatur presbyteratus 1098.

Propositum ad sacram. poenit. requisitum 498. 511. et seq. debet esse universale 512.

Pueri et puellae quando obligentur ad sumendam Eucharistiam 269.

R

Raptus impedimentum matrimonii 1356.

Recidivi quomodo sint dirigendi a confessario 736.

Regulares a quibus casibus reservatis possint absolvere 845. et seq.

Religiosus professus contrahens matrimonium, quales poenas incurrat 1268.

Reservatio cas. quid sit, et quotuplex 684. 772. et seq. quae peccata Superiores Regulares reservare possint 786. reservata in corpore juris a n. 787. reservata in Bullae Coenae 808. in Bullario 809. reservata a Benedicto XIV. 818. 819. 820. 1430. in variis dioecesibus 821. usque ad 829. ad absolvendum a reservatis requiritur specialis potestas extra articulum mortis 684. quid requiratur, ut peccatum censeatur reservatum 831. et seq. 851. quarum personarum peccata sint reservata 838. an impuberum 838. an ignorantium reservationem 839. quid de peregrinis 840. quis possit absolvere a reservatis 842. Episcopus quando possit absolvere a reservatis summo Pontifici 843. quando Regulares 845. an in articulo mortis absolutus a reservatis, si convalescat, debeat adhuc se sistere Superiori 848. Superior non potest audire tantum reservata peccata, et absolvere ab iis, et remittere poenitentem ad alium sacerdotem, ut absolvatur a non reservatis 583. an haeresis mere interna sit reservata 843. confitens sacerdoti habenti facultatem absolvendi a reservatis, sed oblitus peccatum suum reservatum, et ab eo absolutus, an postea peccatum omissum cuilibet sacerdoti illud legitime confiteri possit 850.

Restituere si nolit fur vel detractor, absolvi nequit 710. plurima de restitutione vide in P. I.

Ritus in administr. sacram. accurate sunt servandi 86.

Rubricae 407. 440. 452.

S

Sacerdotium 1084. per totum. Sacerdos, ut valide et licite consecret, quid requiratur 266. vestes sacerdotales 405. sacerdos scrupulosus circa celebrationem Missae 153. circa intentionem 454. circa consecrationem 455. circa defectus commissos in celebrat. 456. dubitans, an sit baptizatus 197. sacerdos aegrotus, an sibi ipsi possit praebere viaticum 300. quoties sacerdos teneatur celebrare 400. quibus diebus non liceat singulis sacerdotibus celebrare 402. neo-sacerdos cum Episcopo consecrans, an possit accipere stipendium 454.

Sacramenta N. et V. L. quomodo differant, pag. 4. in prooemio. Sacram. N. L. conferunt gratiam ex opere operato, ib. quid sit sacramentum N. L. n. 1. numerus sacram. 2. divisio sacram. 3. constitutiva sacram. 4. 5. mutans essentialiter materiam vel formam sacram. peccat graviter 9. item adhibens materiam dubiam, dum certa adest, ib. in quibus sacramentis materia et forma ab uno eodemque ministro debeat applicari 11. 39. de mutatione materiae 6. 7. 12. de mutatione formae 6. 8. 15. 16. 17. 18. usque ad 25. de repetitione formae 13. 17. et seq. et 27. 28. 29. 30. 31. de conjunctione materiae et formae 10. 13. 14. et seq. de additione 32. de interruptione formae 23. 24. 25. de transpositione verborum formae 22. de subtractione vocis a forma 33. de omissione vocis 34. de corruptione formae 35. balbutiendo pronuntians formam 26. 27. de praecipitatione in pronuntiatione formae 36. de substitutione formae, ib. de substitutione aliorum signorum 38. separatio materiae 39. qualis error circa intentionem reddat sacramentum invalidum 40. 41. de ministro sacrament. 48. qualis intentio requiratur in ministro 49. et seq. an fides et sanctitas requiratur in ministro sacrament. 54. 80. et seq. sacramentum non licet petere a ministro indigno 88. subjectum sacramentorum 94. quid sit valide, quid licite suscipere sacramentum 95. 98. aliud est sacramentum, aliud res sacramenti 96. quid requiratur ad valide suscipienda sacramenta 99. quid ad licite suscipienda 100. effectus sacramentorum 101. suscipiens sacram. 108. in statu peccati 107. sacramentum sub conditione de futuro susceptum 110. ex defectu intentionis invalide suscipitur sacramentum variis in casibus 111.

Sacramentalia 112. et seq. eorum effectus 115.

Sacrificium 386. quotuplex sit 387. et seq. Eucharistia est verum sacrif. 390. et seq. ejus essentia 393. actiones Missae 394. et seq. sacrificium Missae quotuplex ex fine 397. ejus fructus 398. an sit valoris infiniti 415. an ex opere operato 416. locus sacrificii 403. 446. quid requiratur ad valide et licite sacrificandum 266. an sacerdos haereticus, impius, excommunicatus valide sacrificet 408. Sacrum ab impio sacerdote oblatum an minus habeat efficaciae 409. intentio applicans sacram. 417. et seq. an fructum sacrific. liceat dividere 422.

Satisfactio sacramentalis 610. et seq. vide *poenitentia*. Satisfactio extrasacramentalis 640. satisfactio per indulgentias a n. 642. per totum.

Schema sive arbor consanguinitatis et affinitatis 1282.

Scientia requisita ad confessarii munus 751. et seq.

Scrupulus 453.

Sensus S. Scripturae quotuplex sit 1055.

Sepultura ecclesiastica quibus sit neganda 1423.

Sigillum confessionis 688. et a n. 853. per totum. unde oriatur 854. ejus materia 860. quomodo differat a secreto naturali 864. quomodo violetur 868. quosnam obliget 869. an unquam liceat uti notitia hausta ex confess. sacram. 874. et seq. quid si confessarius notitiam peccati habeat aliunde, quod tamen poenitens reticet in confessione 877. et seq.

Simulatio sacramenti 71. et seq. matrimonii 77.

Sollicitatio 883. sollicitantes sunt denuntiandi 884. per totum. sollicitationis falso insimulans confessarium nonnisi a Summo Pontifice absolvi potest 819.

Sponsalia 1099. requisita ad vera sponsalia 1101. eorum effectus 1107. ficta promissio non sufficit ad sponsalia 1109. ficte promittens cum defloratione 1114. 1116. signa verae promissionis 1117. sponsalia sine parentum consensu 1127. cum acatholica 1128. ex metu inita 1131. sponsalia prima obligant efficaciter 121. exigunt promissionem mutuam 1124. cum conditione inita 1132. 1135. clandestina 1134. actas requisita 1125. sponsalia contracta a parentibus loco impuberum 1126. debent esse circa determinatam personam 1129. promissio de futuro contingenti 1135. et seq. inita sub conditione turpi 1138. de dissolutione sponsalium a n. 1140. usque ad n. 1170.

Status clericalis 955. laicalis 945.
Stipendium missae 399. an tale possit admittere neo-sacerdos dum in ordinatione consecrat cum episcopo 424. an beneficiatus 426. an quis duplex stipendium possit admittere ob applicationem diversi fructus 427. an aliud admisso tenui 431. an liceat reservare partem stipendii 432. et seq. admittens plura stipendia, et legens unicum sacrum 435. liberaliter promittens plura sacra, et legens unicum 437. et seq. accipiens stipendium pro missa in loco determinata 441. obligatus ex stipendio, si fiat aegrotus 442.
Stola 405.
Subdiaconatus quid sit 997. ejus materia et forma 998. officium 999. ejus obligatio prima servandi castitatem 1018. quid sit observandum ante, et post ordinationem subdiaconi a n. 1070.
Superpelliceum 952.
Suspensio ut est censura 1432. quotuplex sit 1432. quando incurratur 1434. a quo possit tolli 1438. quomodo tollatur 1439.

T

Tempora ordinationum 1015.
Tempus feriatum, quo prohibita est celebratio nuptiarum 1240.
Tentationibus agitati quomodo sint dirigendi 777.
Titulus ordinationis 1004. et seq.
Tonsura 934. ejus materia et forma 939. effectus primae tonsurae 944. quae privilegia per eam conferantur 947. dispositio tonsurandi 960. ritus, quo confertur prima tonsura 961. officium tonsuristae 953. tonsura clericalis 947. et seq.

V

Vagi coram quo parocho debeant contrahere matrimonium 1347.
Verecundia non excusat ab integritate confessionis 579.
Vestes sacerdotales 405. earum significatio, ib. debent esse integrae, mundae, et benedictae 406.
Vetitum ecclesiae ut impediens matrimonium 1235.
Viaticum Euchar. a n. 327. usque ad 339. sub excomm. prohibitum, ne sacerdos contra voluntatem parochi praebeat viaticum vel extrem. unct. 339. an dandum sit reis ultimo supplicio afficiendis 337. et seq. sub qua forma dandum sit viaticum 332. an parvulis debeat dari viaticum 334. an euch. eodem durante morbo saepius danda aegroto 336. an publico peccatori 360.
Vinum materia consecrationis secundae 253. 256. 277. et seq. de vino adusto 280. de vino congelato 281. vinum miraculose productum 283. guttulae vini calici adhaerentes an consecrentur 291. quid, si loco vini aqua infundatur calici 294.
Vis quando impediat matrimonium 1309.
Vitricus an possit ducere uxorem privigni 1204. et 1332.
Unctio extrema est verum sacramentum 802. ejus materia remota et proxima 894. 899. forma 895. minister 896. 906. et seq. subjectum 897. 916. et seq. effectus 893. modus inungendi 903. et seq. quid requiratur ad eam valide recipiendam 898. quid requiratur ex parte ministri 914. 909. quando possit conferri 923. quomodo peccet negligens hoc sacramentum 925. an possit iterari 926. an singulae unctiones sint de essentia 901. urgente necessitate quomodo moribundus inungendus sub unica forma 902. an plures simul possint inungere 907. et seq. obligatio parochi 910. quid regularibus observandum circa administrat. hujus sacram. 912. et seq.
Vocatio divina ad ordines 1011.
Votum impediens matrimonium 1242. votum dirimens matrimonium 1266. et seq. voti commutatio tempore jubilaei 668.

FINIS.

INDEX CAPITUM

Prooemium . . . . . *Pag.* 3
Tractatus I. De sacramentis novae legis in genere 5
Cap. I. De constitutivis sacramentorum novae legis . . . . ib.
§. I. Praenotanda de essentia et numero sacramentorum novae legis ib.
§. II. Principia generalia de constitutivis sacramentorum . . 6
§. III. Resolutio casuum 9
Cap. II. De ministro sacramentorum 15
§. I. Praenotanda . . . . . ib.
§. II. Principia generalia de persona, intentione, et sanctitate ministri sacramentorum 17
§. III. Resolvuntur casus de intentione ministri 20
Cap. III. De subjecto, et effectibus sacramentorum 29
§. I. Praenotanda . . . . . ib.
§. II. Principia generalia de subjecto, et effectu sacramentorum 33
§. III. Resolvuntur casus 36
§. IV. De sacramentalibus 37
Tractatus II. De sacramentis novae legis in specie 38
Cap. I. De baptismo . . . . . ib.
§. I. Quaestiones praeviae . . . . . ib.
§. II. Principia practica de baptismo rite conferendo, et suscipiendo 42
§. III. Resolvuntur casus 46
§. IV. De caeremoniis baptismi 59
Cap. II. De sacramento confirmationis 66
§. I. Praenotanda . . . . . ib.
§. II. Principia generalia de confirmatione 67
§. III. Resolvuntur casus 70
Cap. III. De eucharistia et sacrificio missae 74
Art. I. De eucharistia, ut est sacramentum . . . . . ib.
§. I Praenotanda . . . . . ib.
§. II. Principia generalia de sanctissimo eucharistiae sacramento 77
§. III. Resolvuntur casus 85
Art. II. De eucharistia, ut est sacrificium 113
§. I. Praenotanda . . . . . ib.
§. II. Principia practica de sacrificio missae 119
§. III. Resolvuntur casus 126
Art. III. De obligatione audiendi missam 138
§. I. Principia practica de auditione missae . . . . . ib.
§. II. Resolvuntur casus 140
Cap. IV. De sacramento poenitentiae 145
Art. I. De actibus poenitentis . . . . . ib.
§. I. Praenotanda . . . . . ib.
§. II. Principia practica de primario officio, sive praecipuo actu poenitentis, *h. e.* de dolore 147
§. III. Principia practica de materia, qualitate, et praecepto confessionis sacramentalis 155
Art. II. De satisfactione sacramentali 174
§. I. Praenotanda . . . . . ib.
§. II. Principia de satisfactione sacramentali 175
§. III. Resolvuntur casus 176

Art. III. De satisfactione per indulgentias et jubilaeum . . . 183
§. I. Praenotanda . . . . . ib.
§. II. Principia generalia de indulgentiis 186
§. III. Resolvuntur casus 189
Art. IV. De absolutione, et ministro poenitentiae 198
§. I. Praenotanda . . . . . ib.
§. II. Principia practica de absolutione, ejusque ministro . . 199
§. III. Resolvuntur casus 205
Appendix de rigore et benignitate ecclesiae 253
Cap. V. De sacramento extremae unctionis 257
§. I. Praenotanda . . . . . ib.
§. II. Principia practica de sacramento extremae unctionis . . 258
§. III. Resolutio casuum 261
Cap. VI. De sacramento ordinis 168
§. I. Praenotanda . . . . . ib.
§. II. De prima tonsura 270
§. III. De ostiariatu 274
§. IV. De lectoratu 275
§. V. De exorcistatu 276
§. VI. De acolythatu 278
§. VII. De subdiaconatu 280
§. VIII. Quae ante et sub ordinatione observanda sint ab ordinando subdiacono 298
§. IX. De diaconatu 300
§. X. De presbyteratu, sive sacerdotio 304
§. XI. Quo ritu conferatur presbyteratus 309
Cap. VII. De sacramento matrimonii 312
Art. I. De natura et effectibus sponsalium 313
§. I. Praenotanda . . . . . ib.
§. II. Principia generalia de requisitis ad vera sponsalia, et eorum effectibus . . . . . ib.
§. III. Resolutiones casuum de essentia et effectibus sponsalium . 316
Art. II. De dissolutione sponsalium 324
§. I. Praenotanda . . . . . ib.
§. II. Principia generalia de dissolutione sponsalium . . . ib.
§. III. Resolvuntur casus 327
Art. I. De essentia, usu, obligationibus, et indissolubilitate matrimonii 331
§. I. Praenotanda de matrimonio . . . . . ib.
§. II. Principia generalia de essentia, indissolubilitate et obligationibus matrimonii 334
§. III. Resolvuntur casus 338
Art. II. De impedimentis impedientibus matrimonium . . . 352
§. 1. Praenotanda . . . . . ib.
§. II. Principia de impedimentis impedientibus 354
§. III. Resolvuntur casus 356
Art. III. De impedimentis dirimentibus matrimonium . . . 360
§. I. Principia et resolutiones casuum de primo impedimento dirimente, scil. de errore . . . . . ib.
§. II. De impedimento conditionis 362
§. III. De impedimento voti 363
§. IV. De impedimento cogantionis spiritualis 364
§. V. De cognatione legali 366
§. VI. De cognatione carnali, seu consanguinitate . . . 367
§. VII. De affinitate 370
§. VIII. De impedimento criminis 372

§. IX. De cultus disparitate 374
§. X. De impedimento vis seu metus . . . . . ib.
§. XI. De impedimento ordinis 376
§. XII. De impedimento ligaminis . . . . . ib.
§. XIII. De impedimento publicae honestatis 378
§. XIV. De impedimento aetatis 379
§. XV. De impedimento ex clandestino matrimonio . . . 380
§. XVI. De impedimento impotentiae 383
§. XVII. De impedimento raptus 386
Articulus IV. De dispensatione in impedimentis matrimonii . . 387
§. I. De potestate dispensandi super impedimentis matrimonii . ib.
§. II. Praxis procurandi dispensationem, tum in curia episcopali, tum romana pro utroque foro 391
§. III. Resolutio casuum 397
Tractatus III. De censuris ecclesiasticis, et irregularitate . . 400
Art. I. De censuris in genere et in specie . . . . . ib.
§. I. Praenotanda de censuris in genere . . . . . ib.
§. II. De excommunicatione 404
§. III. Resolutio casuum 408
§. IV. De suspensione 413
§. V. De interdicto 417
Art. II. De irregularitate 420
§. I. Praenotanda de irregularitate in genere . . . . . ib.
§. II. De irregularitate ex defectu 421
§. III. De irregularitate ex delicto 425
§. IV. Quaestiones finales pro praxi 427
Excommunicationes latae sententiae, ac Papae reservatae . . 429
Excommunicationes latae sententiae non reservatae 439
Suspensiones ab officio, vel beneficio latae absolute etc. . . 446
Index rerum 461

S. O. Anconae 3. Sept. 1841
REIMPR. Fr. Vincent. Salma S. Theol. Mag. Inq. Gen.
Anconae die 5. Sept. 1841.
VIDIT pro Excmo ac Rmo Dno Deleg. Ap.
Aloysius C. Ambrosi.
Anconae Ex S. S. S. Karoli 7. Sept. 1841.
REIMPRIMATUR
Can. Sebastianus Petrellius Censor Episcop.

239.02
V878

5033

AUTHOR
VOIT, S.J., EDMUND

TITLE
Theologia Moralis
Vol. I and II

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	STORAGE - CBPL	

5033